


Escuela Universitaria
GRANADA
UNIVERSIDAD
3
86

S. a. B.

7.

2

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34



S. a. B.

7.

3
22-23

B. B. 4

R. P.
ANTONII MAYR
SOCIETATIS JESU
THEOLOGIA
SCHOLASTICA.



N. 2245

B. 33

THEOLOGIA SCHOLASTICA TRACTATUS OMNES

IN UNIVERSITATIBUS
PROVINCIAE GERMANIAE SUPERIORIS
SOCIETATIS JESU TRADI SOLITOS,
ET

QUAESTIONES IN IIS PRÆSCRIPTAS
COMPLEXA.

AUTHORE


R. P. ANTONIO MAYR, SOC. JESU
SS, THEOLOGIAE DOCTORE, EJUSQUE
ANTEHAC IN UNIVERSITATE FRIBURGENSEI,
ET INGOLSTADIENSI,
PROFESSORE ORDINARIO, NUNC STUDIORUM PRÆFECTO

TOMUS I.

CONTINENS

TRACTATUS, DE DEO, ANGELIS, BEATI-
TUDINE, ACTIBUS HUMANIS, PECCATIS, GRATIA,
ET VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Cum Privilegio Sacrae Caesareae Majestatis, & Facultate Superiorum.



Sumptibus JOANNIS ANDREAE de la HAYE, Bibliopolæ Academ.
ANNO MDCGXXXII.



LECTOR BENEVOLE.



Ursum Theologicum tibi offero, omnes eas quæstiones complexum, quæ intra quadriennium, à duobus Theologiæ Scholasticæ Professoribus, in Universitatibus Provinciæ Germaniæ Superioris Societatis JESU, ex præscripto solent exponi: tum, ut pateat omnibus, quibus de rebus præcipuè Auditores nostri edoceantur, nec quisquam existimet, superfluis tantum subtilitatibus, tempus inutiliter teri: tum præsertim, ut ii, qui ad literarios gradus Sacræ Facultatis aspirant, quæstiones omnes, quæ in Elencho, pro Theologicis examinibus constructo, continentur, scholasticè examinatas, & assertionibus statutis determinatas inveniant, addita etiam istarum ab objectionibus sat copiosa vindicatione: quod speratur futurum non modico Candidatis illis subsidio, & laboris, ac temporis compendio. Adjunctæ quoque sunt nonnullæ aliæ quæstiones, etiam recentiores, eæ præsertim, quæ Jansenii errores, & pertinaciam quorundam in acceptanda celebri Bulla Clementis XI. *Unigenitus* concernunt. Cæterum conatus sum (utinam etiam assecutus!) studere ubique, quantum in tam subtili, & sublimi materia licuit, claritati: quin tamen propterea difficultates dissimularem. Insuper non levem operam in eo posui, ut Authorum, quas vocant, citationes, essent fideles; certè diligentiam magnâ, omnes SS. Patres, quorum affero textus, ipse inspexi, & verba ex fonte hausi: circa quod tamen monendum, quòd, etsi Græcorum Patrum versiones quoad sensum concordent, non tamen omnes quoad verba semper consentiant; unde, si fortè vox quædam alia apud alium interpretem occurrat, non statim textus, quasi malè, aut oscitanter citatus, est rejiciendus. Pariter omnes Authores, quorum non tantum nudum nomen, sed, aut verba, aut locum adduco, à me diligenter inspectos, aut lectos, fidenter asserere possum: quo labore meo, si tibi allubet, fructu, & vale.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
CUM
PRIVILEGIO CÆSAREO.




*E*go Magnus Amman Societatis JESU, per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi ab Admodum Reverendo Patre Nostro Francisco Retz, Societatis Universalis Præposito Generali, Theologiam Scholasticam à P. Antonio Mayr, Societatis nostræ Sacerdote, SS. Theologie Doctore, & Professore emerito, conscriptam, à Deputatis ejusdem Societatis Patribus lectam, probatamque, typis in lucem edi permitto, & Domino Joanni Andrea de la Haye Bibliopole Academico Ingolstadiensi jus concedo, usurpandi Privilegii Cæsarei, quo Typographis, ac Bibliopolis omnibus, adimitur copia, vulgatos à Societatis JESU Patribus libros, absque Superiorum, Authorumque consensu, in eadem, vel diversa lingua excudendi, vel intra Sacri Romani Imperii, & Provinciarum S. C. Majestati hereditario jure subjectarum, fines importandi. Facultatem hanc, de una tantum impressione intellectam, manu mea, & solito officii sigillo firmavi. Romæ 10. Februarii 1731.

L.S. MAGNUS AMMAN
Soc. JESU.

APPROBATIO
FACULTATIS THEOLOGICÆ
INGOLSTADIENSIS.

Opus hoc Theologicum, Tractatus omnes, in Scholis nostris Theologicis explicari solitos, non minus clarissima brevitate, quam mirâ soliditate complectens, à pluribus SS. Theologiæ Doctoribus accurate lectum, & approbatum, non modò in morum, ac fidei Orthodoxæ regulas offendit nusquam, sed ob doctrinam insuper abundantissimam, ac fundatissimam, cum claritate perspicua, & eruditione amplissimâ conjunctam, omninò dignissimum est, ut ad insigne literati orbis emolumentum simul, ac ornamentum, in lucem publicam prodeat. Ita censeo

FRANCISCUS HALDEN S. J.
SS. Theol. Doct. ejusque Profess. Ordinar. p. t. Sacre Facult. Decanus.



ADMODUM REVERENDO
PATRI NOSTRO, IN CHRISTO
PATRI
FRANCISCO RETZ,
SOCIETATIS JESU
PRÆPOSITO GENERALI.



Inter innumera ex orbe toto gratulantium vota, & profusa in omnes nostras Provincias gaudia, de Tua in Societatis nostræ Caput supremum electione, Admodum Reverende Pater Noster, etiam Theologia Scholastica (cui hucusque arctissima cum Ordine nostro intercessit necessitudo) læta exultat, atque venerabundam simul, & gratulabundam se Tibi sistere gestit. Equidem

)o(

dem

dem jam olim suspexit illa in Te etiamnum discipulo, ingenii, ac doctrinae praestantiam, vel Magistris supparem: admirata deinde est summam sapientiam, atque eruditionem, qua inter Doctores collocatus Academias illustrasti. At non Tua solum sapientia, sed patrocinio etiam, & auctoritate foveri, ac muniri debuit Theologia.

Aliterariis cathedris ad altioris Scientiae Sanctorum (sic enim sanctissimas Societatis Leges, atque Institutum appellare jure merito possum) munia translatus, atque à Germania Romam evocatus es: ibique à summo Societatis Moderatore, in partem sollicitudinis, atque regiminis assumptus, & decem omnino Provinciarum, quae Assistentiam Germaniae componunt, referendis, expediendisque negotiis praefectus. Quo munere, cum Te communi, ac maxima omnium approbatione perfungi, Theologia conspiceret, non nisi summa de Te polliceri sibi merito cepit, tanquam scientia, sine qua Societas, cujus felicitati omnibus modis studebas, incolumis stare non posset. Crevit haec ejus fiducia plurimum, quando paulò post vidit, Te bis praepositum celeberrimae Provinciae Bohemiae, & semel praecipuo ejusdem Collegio Clementino, ac Universitati Carolo-Ferdinandae, ubi ingens nostrorum, & major adhuc externorum, huic sacrae scientiae operam dant: quibus sane quasi aureis suis temporibus Theologia laetata est, dum amantissimis Tuis hortatibus, doctissimisque curis, vitam, animamque Athenaeo Pragensi inspirares, ac literarum studia, jamjam ex se ardentia, novo semper fervore accenderes.

At cedere iterum debuit bonum privatum unius Provinciae communi totius nostri Ordinis bono, quod Tibi iterum Romanum iter indixit, atque totius Assistentiae Germaniae curam imposuit, Teque in intimum universae Societatis Senatum adlegit: quo in officio omnium de Te expectationem, quamvis maximam, longissime superasti, ipsius etiam Tui Praedecessoris, qui facto proximus absque dubio Te, utpote praeter aliis dignum, relicto pro more codicillo, Vicarium Generalem designasset, nisi peculiari DEI providentia id agere prohibitus fuisset, ut nempe non unus tantum hominis, sed integrae Congregationis auctoritate, is honor Tuis maximis meritis decerneretur.

Ex quo autem universam Societatem regere cepisti, mox apertius omnibus patuit summa Tua in negotiis pertractandis prudentia, suavissima, ac plusquam paterna in omnes praesertim subditos charitas, amor Societatis intensissimus, & praepriis flagrantissimus majoris Divinae gloriae zelus: quae Tua decora, cum non

non in nostrorum tantum, sed & exterorum, & praecipue Regum, ac Principum, quin & ipsius Supremi Ecclesiae Capituli SS. Domini nostri Clementis XII. oculos palam incurrerent, atque etiam eorundem sermonibus celebrarentur, mirum non est, iisdem Patres nostros, ex omni orbe ad Successorem Admodum Reverendo Patri Michaeli Angelo Tamburino dandum conscriptos, non tam motos, quam raptos fuisse, ut Te primo statim scrutinio, & communibus votis, in summum nostri Ordinis Praesidem eligerent, cum ingenti Societatis solatio, & latissimo externorum non malevolorum applausu.


Hic enimvero Theologiae gaudium factum est plenum: quid enim favoris non promitteret sibi ab eo, in suprema jam potestate constituto, qui exactissimam legum nostrarum (quae non uno in loco sacram hanc scientiam gravissimis verbis commendant) adimpletionem urfit jam dudum, non tam imperio, quam suo exemplo, quique proprio motu, in omne Societatis bonum inclinatissimo, semper propensissimè fovit eandem Theologiam, utpote à cujus notitia, atque doctrina, Societatis vigor, ac honor, non parum dependet; cum sine ea, nec propagandae majori Divinae gloriae sat strenuè militare, nec proximorum saluti sat utiliter consulere, nec Ecclesiae hostibus sat firmiter possit frontem opponere. Id solum nunc omnibus votis Theologia precatur, ut liceat sibi hac sua felicitate quam diutissimè frui, hoc est, ut longè exuperes, Admodum Reverende Pater Noster, annos gemini Tui Antecessoris, qui praeter pluribus aliis longiore regimine fuere defuncti, & sub quorum priore Societatem ingressus, sub altero autem ad eam regendam es institutus.

Admitte igitur, Admodum Reverende Pater Noster, ea, quae omnibus ad Te aditum facillimum praebes, benignitate plus quam paterna, Theologiam Scholasticam, debita cum reverentia, ac submissione se Tibi sistentem: quamque Tibi demississimè offert, non aspernare tenuem meam lucubrationem, quae conspectum Tuum subire minimè auderet, nisi Patrem Te nosses, exiguis etiam minimorum filiorum Tuorum conatibus benignissimè faventem. Insuper ista lucubratio mea, etiam eò ex capite Tibi defertur, ut Superiori, ac Patri ratio reddatur de nostra doctrina, de quaestionum Theologicarum delectu, deque methodo docendi, qua non tantum discipuli exteri, sed & nostri Scholastici, filii Tui, nostra in Provincia per quadriennium erudiuntur; omnes enim controversias, in elencho praescriptas, pro modulo meo examino. Haec, si Admodum Reverendae Paternitati Tuae probentur, alia commendatione non indigent, Tuoque judicio non tantum sat tuta, sed & satis erunt ornata: si vero in iis aliquid Tibi

displieat, mox, quantum in me erit, emendare conabor; cum aliud in votis mihi non sit, quam obsecundare promptissime voluntati illius, cujus paternis favoribus infima me demissione commendo.

AD MODUM REVERENDÆ
PATERINITATIS IULÆ.

Filiorum, ac servorum
minimus.
ANTONIUS MAYR
Soc. Jesu,



INDEX RERUM MEMORABILIUM SEPTEM PRIORUM TRACTATUUM.

Opus hoc Theologicum in duodecim tractatus divisum est, quot nempe intra quadriennium à geminis Professoribus prælegi solent: ex quibus tamen aliqui aliis multò sunt breviores, prout nempe plus in uno, quàm in altero, materia, ex more pertractandæ, occurrit: & hinc aliquoties idem Professor binos, semel etiam ternos, unum intra annum absolvit. Tractatus hi octo tomulis in forma octava comprehenduntur, quorum quilibet eam materiam continet, quæ ab eodem Professore uno anno solet absolvi: in forma verò majore tomuli sunt duo, ex quibus quilibet quadriennium, seu dimidium totius operis exhibet. Non autem cuique tractatui index rerum in eo contentarum subjunctus est; eoquòd materia quædam à diversis diverso ordine, & in diversis tractatibus agitentur; unde, si tot indices fierent, sæpe plures eorum essent lustrandi, donec quæsitum occurreret. Geminus autem index est factus, ut copia rerum non parva divideretur, & cuique tomo formæ majoris suus index posset subnecti. In hoc autem indice numerus Romanus tractatum, Arabicus autem marginalem ejusdem tractatus numerum signat: qua ratione visa est inventio rei cujusque expeditissima fore.

A.

Aceptio personarum vitiosa in quo consistat. VI. 51.

Actus externus non affert novum meritum. IV. 164. error Abailardi qualis in hac materia fuerit. IV. 167. si actus externus sit malus, debet in confessione exponi. IV. 168.

Actus imperatus voluntatis internus, ab alio actu efficaci adhuc existente, non est immediatè in se liber IV. 150. si tamen sit intrinsecè bonus, & honestus, affert novum meritum IV. 151. qualem libertatem mediatam exigit, ut sit meritorius. IV. 163.

Actus naturalis neque potest esse dispositio positivè conducens ad meritum, seu præmium supernaturalis. VI. 43.

Actus peccaminosi, alii sunt interni; alii externi, alii consummati, alii non consummati V. 183. alii tendentes in plura objecta totalia, alii in plura objecta partialia V. 184. alii continui, alii interrupti V. 184. & quot modis fiat interruptio V. 184.

Actus peccaminosi interni etiam similes, sunt plures moraliter, si per contrariam voluntatem interruptantur V. 185. actus interni interrupti per liberam, aut necessariam cessationem, aliquando sunt moraliter plures, aliquando non. V. 186. & seq. & quænam hac in re regula. V. 189. & seq.

Actus peccaminosi voluntatis interni, & externi oris similes, consummati, vel non consummati, quando unum, vel plura moraliter peccata constituent V. 191. quando actus externi operis non consummati. V. 192. quando actus ex-

terni consummati V. 193. & 194. quando actus externi oris, vel operis similes. V. 195. & seq. quando actus plures ad eundem finem tantquam media ordinati V. 199.

Actus prævii ad copulam nondum intentam an, & quando unum peccatum cum ipsa constituent. V. 201. & seq. quando actus copulam subsequentes V. 202. & seq.

Actus tendens in plura objecta numero distincta an habeat tot malitias moraliter distinctas, quot sunt objecta V. 204. an actus tendens in plura objecta specie distincta habeat tot malitias specificas V. 206. & seq. an debeat numerus talium objectorum in confessione distinctè exponi V. 210. si etiam non deberet talis numerus distinctè exponi, non posset tamen negari. V. 188.

Actus secundus quomodo debeat esse distinctus ab actu primo IV. 147.

Actus supernaturalis bonus in statu gratiæ elicited est meritorius de condigno beatitudinis æternæ. VI. 314. an sit possibilis actus supernaturalis essentialiter inpræmiabilis. VI. 307.

Adjutorium sine quo non, & adjutorium quo, quid sint VI. 197. & seq. adjutorium, vel auxilium possibilitatis quid sit. VI. 200.

Adorare an possimus creaturas propter DEUM, sicut propter ipsum eas possumus amare VII. 755.

Adulterium, si sit commissum cum complice etiam ligato, debet specialiter exponi. V. 228.

Æquivocationes, & amphibologiæ aliquæ sunt licitæ VII. 58. & quales VII. 80.

Æternitas DEI non est successiva. I. 129. & 149. ac seq.

Agri, & regi à DEO quid sit. VI. 21. & 22. item 34.

Alcoranus fabulis & absurditatibus plenus est. VII. 249.

Amicitia verà datur inter DEUM & hominem VII. 753. quid requiratur ad amicitiam VII. 753. & seq.

Amor DEI super omnia naturalis potest elici sine gratia superna VI. 95. & qualis VI. 97. an debeat positivè obfirmare animum contra omnes etiam gravissimas tentationes, & difficultates. VI. 115.

Amor objecti in circumstantiis non necessariò est etiam amor circumstantiarum. VII. 15.

Ampliatio, alienatio, status, quid sint. I. 329.

Angelus quid significet II. 1. & 3. Angeli defacto existunt II. 4. non tamen potest eorum existentia naturaliter demonstrari II. 5. numerus eorum est incertus, sed tamen maximus II. 6. quando creati sint II. 12. sunt puri spiritus II. 14. penitus simplices II. 15. immortales, & incorruptibiles II. 16. aliqui saltem inter se specie differunt II. 17. non tamen omnes II. 19. eorum chori sunt novem, & hierarchiæ tres II. 18. quomodo fugenter, vel alliciantur rebus corporalibus II. 24. & seq. quomodo affumant corpora II. 26.

Angeli non sunt in loco circumscriptivè, sed definitivè

A

mabus purgantibus VII. 715. fuit etiam in Angelis adhuc viatoribus. VII. 714.
 Fidei objectum formale increatum est complexum ex veritate Divina in cognoscendo, & dicendo VII. 104. objectum autem formale creatum est revelatio DEI externa, & passiva VII. 130. interna autem, & activa, non est objectum formale fidei VII. 130.
 Fidei objectum materiale est omne revelatum: at necdum revelatum nondum est objectum materiale fidei proximum VII. 531. sunt autem objectum materiale fidei, non tantum revelata explicitè, sed etiam revelata implicitè VII. 532. quænam dicantur implicitè revelata VII. 532. conclusio objectiva, deducta ex duabus præmissis de fide, ut plurimum est de fide VII. 545. item conclusio objectiva, deducta ex majore universaliter revelata, & minore particulari naturaliter evidente, ut plurimum est de fide VII. 549. at conclusio objectiva, deducta ex majore universaliter naturaliter nota, & minore particulari revelata, non est semper de fide VII. 554. pariter conclusio objectiva, deducta ex una præmissa de fide, & altera tantum probabilis, non est de fide VII. 557. quæ intelligenda sunt de conclusionibus syllogismorum categoricorum VII. 548. quid dicendum de syllogismis hypotheticis VII. 558.
 Fidei præceptum positivum, seu præceptum positivè confitendi exterius fidem, per se obligat aliquoties VII. 637. & præsertim tunc, quando alias honor auctoris fidei, DEI, aut Christi, periclitaretur, aut minueretur: vel si periclitaretur ipsa fides hominis VII. 638. varii casus huc spectantes VII. 639. & seq. licitum tamen est fidelibus tempore persecutionis fugere VII. 641. quandoque etiam licet fidem occultare VII. 642. quinam modi occultandi fidem sint liciti VII. 643. & seq. an etiam ingressus in templum hæreticorum VII. 646. ad hoc, ut quis teneatur fidem profiteri, debet interrogari in particulari, & in odium fidei: aut taciturnitas debet esse indicium negatæ fidei VII. 647. præceptum positivum Ecclesiasticum profitendi exterius fidem, etiam in variis casibus obligat VII. 648.
 Fidei præceptum negativum, seu præceptum non negandi exterius fidem, obligat pro semper VII. 635. uti etiam præceptum non simulandi falsam religionem VII. 636. an certæ quædam actiones sint negatæ veræ, aut simulatio falsæ religionis VII. 650. & seq. item an vestes &c. VII. 656.
 Finis quid sit III. 3. quid finis cui, finis qui, finis quo III. 4. finis qui est ultimus, & non ultimus III. 5. ultimus alius est positivè, seu simpliciter ultimus, alius negativè tantum ultimus III. 6.
 Finis positivè ultimus creaturæ rationalis est DEUS III. 7. ista tamen non in omnibus suis actionibus moralibus illum intendit III. 8. habere se pro fine cui utilitatis respectu DEI, vel ipsum amare ut bonum sibi amanti, non est inordinatum III. 12. & seq.
 Forma expellens alteram quænam sit. V. 292.
 Formosus Papa à Stephano VII. injustè post mortem damnatus VII. 441.
 Formularium clericis in Gallia quale ab Alexandro VII. præscriptum. VI. 227.
 Fornicationem DEUS non potest facere licitam. VII. 61.
 Furtum non potest reddi licitum VII. 61.
 Futurum alia est extrinseca, seu causalis: alia intrinseca, seu formalis I. 338. eaque probatur ex S. Thoma I. 339.
 Futurum quomodo distinguatur à possibili I. 350.

item futurum certum à dubio, vel casuali I. 350. quomodo aliquid sit futurum respectu DEI I. 353. absolute futura cognoscuntur, seu prævidentur à DEO ab æterno I. 352. & quidem in seipsis I. 354. non autem strictè loquendo videntur ut ab æterno coexistencia æternitati DEI I. 374. & seq.
 Futurum conditionatum quomodo præsupponat suas causas, etiam decretum DEI I. 433. & hoc non merè possibile I. 434. quomodo tale futurum transeat à statu possibilitatis ad statum futurationis I. 434.

G.

Gallia an acceptaverit constitutionem: Unigenitus: VI. 256. & seq. Gallia paulò antiquior quid censuerit de Romani Pontificis auctoritate, & infallibilitate VII. 345. & 356. item 366. & 373. rursus 409.
 Generatio in Divinis cur potius sit processio Filii, quam processio Spiritus S. variaz Doctorum sententia I. 745. differentia autem primaria videtur esse, quòd Filius procedat in similitudinem naturæ ut fecundæ I. 749. an Spiritus S. si non procederet à Filio, esset ab hoc distinctus I. 757.
 Gratia quid grammaticaliter significet VI. 4. gratia, prout accipitur pro dono gratuito, alia est naturalis VI. 5. alia supernaturalis VI. 6. & supernaturalis alia est increata, alia creata VI. 7. gratia creata est alia gratis data, alia gratum faciens VI. 8. quænam sint gratiæ gratis datæ VI. 9.
 Gratia gratum faciens est habitualis, & actualis VI. 10. & alia gratia DEI, alia gratia Christi VI. 11.
 Gratia actualis est gratia sanitatis, & medicinalis VI. 12. item excitans, adjuvans, præveniens, comitans, subsequens, operans, cooperans, sufficiens, efficax, gratia sive auxilium, sine quo non, & auxilium quo VI. 13.
 Gratia actualis interna excitans, aut præveniens, consistit in illustrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis VI. 16. quomodo DEUS eas faciat in nobis sine nobis VI. 18. an gratia excitans necessariò etiam sit actus voluntatis, & non tantum actus intellectus VI. 55. & seq.
 Gratia actualis excitans non influit physicè in actus salutes, seu meritorios VI. 27. sed moraliter, & quomodo VI. 35. datur tamen alia gratia physicè influens VI. 37.
 Gratia pro gratia quænam dicatur VI. 37.
 Gratia non est necessaria ad vitandum quodcumque peccatum VI. 83. neque ad quemlibet actum naturaliter honestum VI. 84. est tamen necessaria ad servandam diu legem naturæ VI. 126. gratia supernaturalis est simpliciter necessaria ad omnem actum supernaturalem, etiam ad initium fidei VI. 40.
 Gratia sufficiens, & purè sufficiens quid sint VI. 181. & 182. datur gratia sufficiens VI. 183. eaque probatur etiam ex S. Augustino VI. 186. non statim motibus bonis debilibus, quàm sint motus concupiscentiæ VI. 202.
 Gratia justificans, seu sanctificans, aut justificatio ipsa, quomodo explicetur à Catholicis VI. 262. errores Lutheri circa gratiam istam, aut justificationem VI. 261. gratia sanctificans est quasi natura in ordine superno VI. 263. est participatio Divina naturæ, & quomodo VI. 264. est accidens VI. 265. inhærens, seu permanens VI. 265. & hinc dicitur habitualis VI. 265. distinguitur realiter ab habitu charitatis VI. 266. est necessaria ad servandam diu legem naturæ VI. 128.

Gra-

Gratia sanctificans quomodo expellat peccatum V. 262. opponitur physicè peccato gravi VI. 279. non tamen metaphysicè VI. 281.

H.

Habitus unde specificentur VII. 3. qui sint infusi, quinam acquisiti: qui per se, qui per accidens infusi VII. 21. & discrimen inter eos notabile VII. 22. an habitus, & qualis relinquatur ab actibus supernaturalibus VII. 45. & seq. an datur in DEO I. 279.
 Hæreses plures à Romanis Pontificibus extra Concilium damnatæ VII. 355. auctores hæresum quales fuerint VII. 263. hæresis interior, vel occulta non tollit jurisdictionem VII. 305. & 437.
 Hæretici non sunt membra Ecclesiæ VII. 295.
 Honestas, vel inhonestas, alia radicalis, alia formalis IV. 179. radicalis in quo sensu dici possit formalis IV. 181. an aliquando dependeat ab opinionibus humanis IV. 338.
 Honorius I. Papa non fuit Monothelita. VII. 388. & seq.
 Hostia particularis non est de fide credenda consecrata VII. 430.
 Hypostasis quid sit I. 731. dantur tres in DEO I. 731. & VII. 205.

I.

Ianfenius Cornelius Yprensis quis fuerit VI. 221. ejus propositiones damnatæ VI. 223. continentur apertè in ejus Augustino VI. 224. & seq. qualis liber hic sit VI. 221. & seq. ex iis propositionibus quarta damnata est, non tantum copulative, sed quòdlibet ejus membrum I. 420. Janfenii submissio erga Pontificem VII. 357. systema Janfenianum duarum delectationum quale sit VI. 237. nullo modo est, conformis S. Augustino VI. 241. sed accedit ad systema Calvinii VI. 249.
 Identitas realis quid sit I. 764. datur duplex, una capax discrepantia in tertio, altera hujus incapax I. 720. & 771.
 Idololatriæ initium VII. 247.
 Jejunium, ratione vigiliæ, & quadragesimæ, seu ex duplici titulo præceptum, violare, an sit peccatum speciei diversum à violatione alterius jejunii, uno tantum titulo præcepti V. 167.
 Ignorantia quid sit IV. 53. alia est privationis, alia pravæ dispositionis IV. 53. facti, & juris IV. 54. vincibilis, & invincibilis IV. 54. vincibilis alia crassa, vel lata, alia affectata IV. 54. ignorantia vincibilis non tollit voluntarium IV. 55. at verò ignorantia invincibilis tollit voluntarium IV. 56. cuiuscunque sit juris, vel facti IV. 57. & S. Augustinus contrarium minimè docuit IV. 68. & seq. datur etiam ignorantia invincibilis juris naturæ IV. 61. at verò non datur ignorantia DEI, quando peccatur V. 18.
 Ignorantia mytheriorum SS. Trinitatis, & incarnationis, an reddat incapacem absolutionis sacramentalis VII. 624. & seq.
 Illustratio Spiritus S. an sit motivum fidei VII. 165. regulariter non habetur illustratio Divina discernibilis, se habens ut quòd VII. 502. nec sunt necessaria talia discernicula VII. 504. illustratio Divina non est semper locutio DEI VII. 495. & seq. & illustratio prærequisita ad actum fidei non debet habere rationem locutionis Divinæ VII. 518.
 Imaginaria spatia an etiam occupet DEUS I. 156.
 Imago datur triplicis generis, & qualis imago DEI sit homo V. 293.
 Immenitas DEI non est extensa I. 129. nec est localis I. 155.

Impossibilia quomodo cognoscuntur I. 287.
 Incestus in diversis gradibus an differant specie V. 174.
 Indifferens actus in hoc sensu, quòd sit medius inter peccatum, & meritum supernaturale, certò datur IV. 188. datur etiam actus indifferens in specie, hoc est, qui ex specie sua, nec sit naturaliter honestus, nec peccaminosus IV. 189. per accidens etiam est possibilis actus indifferens in individuo IV. 190. imò etiam per se IV. 191. actus indifferens in individuo non videtur necessariò esse imperfectio moralis IV. 211. & seq.
 Infinitum implicat in causis successivis I. 69. an datur in mente DEI I. 133.
 Innocens non potest à DEO damnari ad poenas æternas V. 100. imò necessitas cruciari V. 100.
 Innocentius XII. quid statuerit in causa Janfenii VI. 229.
 Intellectus creatus non habet proportionem naturalem, etiam tantum partialem, ad visionem intuitivam DEI I. 253. intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ non potest elicere visionem perfectiorem, quàm intellectus minus perfectus I. 263. sicut etiam docti per se non eliciunt meliores actus fidei, quàm indocti I. 267.
 Juramentum DEI non facit rem magis credibilem, quàm simplex ejus assertio VII. 54.
 Jus naturale an sit dispensabile à DEO VII. 61.
 Justitia originalis quid sit. V. 290.

L.

Labor servilis, pluribus imperatus die festo pro brevi tempore, an sit peccatum mortale V. 132.
 Lex an aliqua sit æterna V. 11. ex quibus signis dignoscendum, an lex graviter, an leviter obliget V. 91. & seq. quomodo lex constituat actionem præceptam in materia necessaria virtutis V. 175. & seq. lex Divina an constituat actum primum proximum liberum creaturæ I. 572.
 Libellatici quinam fuerint dicti VII. 655.
 Libertas est triplex, à necessitate, à peccato, à miseria, seu libertas naturæ, gratiæ, & gloriæ IV. 75. libertas naturæ alia est à coactione, alia à necessitate, seu libertas indifferentiæ IV. 76. libertas indifferentiæ quid sit IV. 77. datur libertas indifferentiæ in homine IV. 95. eaque rectè probatur à philosophis ex judicio indifferente, & propositis penis, ac præmiis IV. 96. unde non potest DEUS universaliter negare suum concursum habentibus judicium indifferens IV. 106. neque bruta veris penis, aut minis, nec vera laude, ob suas actiones afficiuntur IV. 107.
 Libertas in actu primo quid sit I. 573. quænam sint ejus constitutiva I. 577. non omnia respiciuntur essentialiter ab actu extrinseco libero I. 574. & diversimodè se habent ad eum actum I. 575. libertas in actu primo non necessariò exigit potestatem physicè proximam, sed tantum, vel physicè, vel moraliter proximam I. 575.
 Libertas moralis in quo sensu requiratur ad peccatum grave VI. 143.
 Libertas non est intrinseca actu libero IV. 127.
 Liberum arbitrium ad diligendum DEUM an per peccatum fuerit perditum VI. 111. liberum arbitrium sanum quid sit ex S. Augustino VI. 46. & seq. item 107. ac seq.
 Loci Theologici quinam sint VII. 306.
 Loquens dicit exercitè, se loqui, & esse sapientem, ac veracem VII. 159.
 Lumen gloriæ quid sit I. 244. datur in Beatis I. 245. est necessarium ad visionem DEI, non ta-

men in dispensabiliter l. 246. non producit se solo visionem DEI, sed intellectus quoque concurrat. I. 247.

M.

Machometismi turpitude VII. 249.
Malum simpliciter quid sit in sensu restricto S. Thomæ V. 47. malum quomodo indirecte, & per accidens possit præcipi à DEO VII. 73. malum tantum in genere cognitum an refundat malitiam mortalem in actum V. 121. & seq.
Medium ad aliud quid sit. V. 46.
Membrum Ecclesiæ non tantum sunt prædestinati, & iusti, sed etiam peccatores VII. 296.
Mendacium DEUS non potest facere licitum VII. 61. an tamen possit aliquando indirecte, & per accidens illud præcipere V. 10. Scripturæ apparenter approbantes mendacium, vel deceptionem, ritè exponuntur VII. 63. & seq.
Meritum communiùs dicitur de actu bono VI. 297. quid sit meritum supernaturale VI. 298. quomodo distinguitur à satisfactione, satisfatione, & impetratione VI. 308. datur meritum propriè dictum hominis erga DEUM VI. 300. nec præjudicat meritis Christi VI. 306. meritum præmii supernaturalis debet esse intrinsecè supernaturale VI. 299. an exigat plenam libertatem V. 113.
Meritum aliud est de condigno, aliud de congruo VI. 309. prius dicitur etiam meritum simpliciter tale, alterum secundum quod VI. 309. meritum de condigno debet esse æquale præmio VI. 309. constituitur etiam suo modo ex dignitate præmiantis VI. 309. & seq. quid ulterius requiratur ad meritum de condigno VI. 321. meritum de congruo non debet esse æquale præmio VI. 311.
Meritum impetratorium, & compensativum quid sint VI. 313. item meritum, latè, strictè, & strictissime dictum VI. 327. ad meritum latè dictum non requiritur promissio, vel ordinatio DEI VI. 328. ad meritum strictè dictum requiritur ordinatio VI. 328. ad meritum autem strictissime dictum requiritur ordinatio, & promissio DEI VI. 329. an requiratur etiam acceptatio promissionis. VI. 334.
Meritum primæ gratiæ sanctificantis non potest esse de condigno, sed tantum de congruo. VI. 316.
Meritum vitæ æternæ non tantum sunt actus charitatis: sed etiam actus aliarum virtutum, in statu gratiæ elicitæ VI. 319. etiam si non sint imperati à charitate VI. 321.
Meritum an etiam possit esse opus materialiter malum. VII. 75.
Merita quomodo præmiat DEUS, & quomodo intelligendum axioma: DEUS punit infra condignum, & præmiat ultra condignum. VI. 312.
Metus quid sit IV. 42. quis gravis, vel cadens in constantem virum, probabilis, & iustus, respectivè gravis, absolute levis IV. 42. quando excuset ab observatione legis, quando non IV. 49.
Metus causat simpliciter voluntarium IV. 44. & qui causat voluntarium, non causat formaliter, sed tantum materialiter involuntarium secundum quod IV. 45. & neque hoc semper causat. IV. 45.
Miraculum deturpativum naturæ quid sit VI. 294.
Miracula vera quomodo discernantur à falsis VII. 100. non sunt strictè dictum verbum DEI VII. 450. sed sunt motivum credibilitatis VII. 236.
DEUS non potest patrare vera miracula in confessionem falsæ doctrinæ VII. 89. imò neque potest permittere, ut quis alius abutatur potestate faciendi miracula ad confirmationem falsi-

fitatis VII. 92. saltem si nemo prudenter suspicari possit illum abusum VII. 93. miracula gentilitium qualia fuerint VII. 100. & 247. item hæreticorum VII. 91. & 269.
Morale quid sit IV. 174. quid sit actus moralis IV. 174. regula moralitatis est lex æterna DEI IV. 176. nec potest esse natura rationalis. IV. 178. & V. 16. & seq.
Motivum actus fidei, & applicatio ejusdem, quomodo differant VII. 155. & 156.
Motivum an detur respectu DEI. I. 315.

N.

NAaman post conversionem suam non adoravit idolum. VII. 653.
Natura, ejusque status multiplex à Theologis consideratur VI. 153. & III. 24. & seq. status naturæ puræ nunquam quidem extitit, possibilis tamen fuit VI. 6. & III. 27. natura pura quomodo habuisset potestatem moralem servandi totam legem VI. 171. & seq. natura lapsa non est debilior naturæ puræ VI. 155. quia naturalia manserunt integra VI. 155. tamen natura lapsa est vulnerata in naturalibus. VI. 170.
Necessitas quid sit I. 340. alia est antecedens, alia est consequens, seu consequentiæ I. 341.
Necessitas moralis est divisibilis I. 642. & seq. VI. 141. adeoque per partes vincibilis VI. 141. & I. 642.
Necessitas metaphysica vaga in cumulo auxiliorum non datur I. 641.
Notæ veræ Ecclesiæ quænam sint. VII. 271.
Notio in Divinis quid sit I. 723. dantur quinque I. 723.
Nuptiæ non sunt illicitæ. V. 300.

O.

Obedientiæ formalis actus quisnam sit IV. 184. obedientiæ erga DEUM, & hominem, an differat specie. V. 170. & seq.
Obduratio peccatoris quomodo sit à DEO. V. 54.
Objectum habitus, aut virtutis est multiplex, materiale, formale, formale quod, formale quo VII. 4. objectum attributionis, & attributum, & quidem attributum intrinsecum, & extrinsecum VII. 32. quomodo differant objectum formale quod, & formale quo VII. 11.
Objectum formale movet, vel per convenientiam, vel per non convenientiam, vel per contrarietatem VII. 14. objectum quando dicatur neutrum VII. 49.
Objectum virtutis Theologicæ quodnam sit VII. 5. & 137.
Omissio pura non potest esse intrinsecè libera IV. 109. potest tamen dari pura omissio extrinsecè libera IV. 110. quomodo ob eam possit dari remorsus conscientiæ IV. 114. an motivum quodlibet, ratione solius coexistentiæ intentionalis, jam possit dici motivum puræ omissionis liberæ IV. 121. vel ad eam movere IV. 122. aut etiam specificam suam malitiam tribuere. IV. 123.
Omnipotentia Divina an connectatur cum possibilibus I. 326. ejus applicatio formalis ad concurrendum cum creatura stat, primò in ipsa omnipotentia exigente concurrere, secundò in actu primo proximo creato, exigente concursum omnipotentis, tertio in negatione omnis impedimenti I. 382. DEUS non subjicit nobis suam omnipotentiam. V. 78.
Otiosum verbum quodnam sit IV. 405.

P. Papa

P.

Papa an dicendus sit princeps sacerdotum, vel universalis Papa VII. 343. alii tituli eidem attribui soliti. VII. 327.
Papa quicumque pro tempore legitime electus, & ab Ecclesia acceptatus e. g. nunc SS. Dominus Clemens XII. est de fide credendus verus Summus Pontifex, & Vicarius Christi VII. 422. quando Pontifex censendus sit indubitato legitimus VII. 381. & quando ab Ecclesia acceptatus VII. 381.
Papa non habet potestatem ab Ecclesia VII. 349. & 415. nec debet se submittere definitionibus Conciliorum VII. 327. quæ non habent vim ante ipsius approbationem VII. 325. sed ipse est supra Concilium Generale VII. 409. potest tamen Papa dubius à Concilio declarari, non esse legitimum VII. 325. & si in hæresi contumax esset, eo ipso excideret officio suo. VII. 325.
Papa quando loquatur ex cathedra VII. 352. si ex cathedra loquitur, est infallibilis etiam extra Concilium VII. 352. imò etiam ante tacitum consentum Ecclesiæ extra Concilium VII. 374. imò etiam, si DEUS permitteret, ut sine prævio consilio aliquod definiret VII. 381. solet autem in ordine ad suas definitiones accuratissimam diligentiam adhibere VII. 417. & sic etiam diligentissimè liber reflexionum Quenelli per ipsum Pontificem, & alios examinatus est. VI. 255.
Papa est infallibilis in damnatione, seu censura propositionum, si quas condemnat VI. 234. & VII. 399. non tamen propterea omnis propositio ab eo damnata est hæretica VII. 400. an saltem omnis condemnata sit falsa. VII. 401.
Papa an etiam sit infallibilis in quæstionibus factis VI. 232. & seq. & VII. 393. errores variis Pontificibus imputati refelluntur. VII. 383. & seq.
Peccatum latissimè sumptum quid sit V. 2. est triplex, naturæ, artis, & moris V. 2. peccatum moris, sive propriè dictum, & quidem actuale, quomodo definiatur V. 3. peccatum est commissio, & omissionis, spirituale, & carnale V. 4. cordis, oris, & operis, ex ignorantia, fragilitate, & malitia, per excessum, & defectum, contra DEUM, proximum, & seipsum. V. 5.
Peccatum omissionis puræ liberæ, seu ejus malitia formalis, stat in pura negatione. V. 25.
Peccatum commissio, seu malitia formalis ipsius, stat in ipso actu libero legi opposito V. 27. unde potest dici, malitiam hanc stare in privatione logica, sed non in physica V. 35. nec in pura omissione libera, quæ debeat præcedere omnem actum malum V. 38. neque vox: nihil: apud SS. Patres semper significat puram negationem physicam. V. 33. & 34.
Peccatum quomodo dicatur sine lege fuisse mortuum. V. 297.
Peccatum unum est gravius alio V. 84. non omnia peccata reprobatorum, aut infidelium sunt mortalia V. 85. nec omnia peccata electorum sunt venialia V. 85. an possibile sit peccatum essentialiter impunitabile. V. 9.
Peccata quæ differant specie, & in quo stet eorum differentia specifica V. 146. ex quibus iudicis ea differentia colligatur. V. 156. & seq.
Peccata quænam moraliter in ordine ad confessionem differant numero. V. 182. & seq.
Peccata quænam ex genere suo dicantur mortalia, quænam venialia. V. 93.
Peccatum mortale quomodo definiatur V. 86. requiritur ad hoc plena libertas V. 87. quanta

cognitio, aut deliberatio ad plenam libertatem requiratur V. 87. & seq. peccatum ex genere suo mortale quomodo possit fieri veniale, & vicissim veniale fieri mortale V. 110. semideliberatio, quæ ex mortali facit veniale, in quo stet V. 117. & seq. item 123. quare potius mortale fiat veniale ob semideliberationem, quam ob aliam difficultatem V. 123. & seq.
Peccata quæ non admittant parvitatem materiæ V. 142. unde aliàs parvitas materiæ in ordine ad peccata sit defumenda. V. 140.
Peccatum veniale quid sit V. 106. aliud est veniale ex objecto, aliud ex parvitate materiæ, aliud ex defectu libertatis V. 109. an sit peccatum simpliciter tale V. 8. an sit transgressio legis simpliciter talis V. 106. & seq. an sit officia DEI V. 111. & IX. 343. ac seq. an in inferno æternum puniatur V. 101. an sit majus malum, quàm pœna inferni V. 99. an multa venialia adæquent unum mortale V. 112. an peccatum veniale per accidens factum mortale debeat exponi in confessione etiam quoad malitiam venialem V. 129. an periculum lapsus mortalibus, ortum ex frequentatione peccatorum venialium, sit suo gravi vitandum V. 137. & seq. an propositum committendi omnia venialia sit peccatum mortale. V. 136.
Peccatum habituale quid sit V. 232. in quo consistat V. 234. quomodo maculet hominem V. 234. & 235. non est habitus vitiosus V. 236. nec morbida qualitas V. 237. nec privato gratiæ sanctificantis V. 238. nec reatus pœnæ V. 239. quomodo sit macula animæ intrinseca. V. 253. ejus moralis perseverantia an odio habeatur à DEO V. 254. an maneret destructo peccatore V. 252.
Peccatum originale quid sit V. 265. errores hæreticorum circa peccatum originale V. 283. non tantum ejus pœna, sed etiam ipsum peccatum est nostrum V. 266. & seq. quomodo hoc insit posteris Adami V. 268. & seq. naturalis descensus ab Adamo non constituit peccatum originale V. 269. alligatio nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami facit, ut istius peccatum sit moraliter nostrum V. 271. estque pactum aliquod inter DEUM, & Adamum V. 272. & seq. idque probatur ratione V. 276. fuit etiam hæc alligatio nobis optabilis. V. 280. & 289.
Peccatum originale, an potuisset esse veniale V. 342. non est idem, peccatum originale committere, & contrahere V. 305. quando à posteris Adami committatur V. 299. quando contrahatur V. 305. propagatur non physicè, sed moraliter V. 281. & 282. ejus debitum proximum, & remotum quid sint V. 305. & 306. omnes posteris Adami excepta B. Virgine contraxerunt peccatum originale. V. 284.
Peccatum respectu nostri originale, at respectu primorum parentum actuale, quale fuerit V. 339. & seq. est in nobis majus quovis veniali. V. 304.
Peccati originalis pœnæ quænam sint V. 345. præsertim quæ sint parvulorum in originali peccato mortuorum V. 347. an patientiam aliquam pœnam sensus, vel saltem tristitiam V. 348. & seq. ubi habitaturus sit post extremum diem judicii V. 350. quæ pœna esset mortui pueri cum peccato veniali, & originali. VII. 634.
Peccatum philosophicum quid sit V. 14. quo in sensu damnata sit propositio agens de peccato philosophico V. 14. & 20. peccatum hoc non est possibile V. 15. nec metaphysicè. V. 19.
Pelagus quis fuerit I. 415. quæ ejus hæreses I. 415. & VI. 38. qui errores Semipelagianorum VI. 39. Pelagus non admittit, gratiam interiorio-

Scientia media jam est admiffa ab antiquis, quamvis non sub hoc nomine, & quandoque ad scientiam simplicis intelligentiæ, quandoque ad scientiam visionis reducitur I. 285. quomodo præcedat omne decretum. I. 410.

Scientia media neutiquam est Semipelagiana I. 415. & censura contra eam, ac librum P. Ludovici Molina, nullam habet auctoritatem I. 415. scientia media non videt consensum meritorium fecutum ex viribus nature, sed gratiæ I. 419. & hic consensus etiam est gratia, & donum DEI. I. 420.

Scientia media an debeat ex parte hypothesis videre totum actum primum proximum, prout datur à parte rei I. 593. an debeat videre decretum determinativum ad individuum I. 599. an ex parte conditionati debeat videre individuum actus conditionati futuri I. 411. an speciem actus physicè infimam. I. 412.

Scientia media virtualiter distinguitur à scientia simplicis intelligentiæ, & à scientia visionis, atque à decreto I. 646. item etiam complexum ex scientia media reflexa, & directa. I. 648.

Scientia media reflexa quid sit I. 496. hæc datur in DEO I. 497. quomodo sit DEO liberal. 502. an sit, non tantum evitabilis, sed etiam impedibilis ab homine. I. 508. & seq.

Scriptura sacra quomodo sit scripta in fine Spiritus S. VII. 443. & seq. quomodo omnia in ea contenta sint verbum DEI VII. 445. sensus ejus est quadruplex VII. 446. literalis etiam aliquando duplex, aut multiplex VII. 446. idem sæpe est obscurus VII. 181. & seq. etiam quoad articulos ad substantiam fidei spectantes VII. 185. quare talis obscuritas sit à DEO adhibita. VII. 88. Scriptura sacra sola non sufficienter applicat seipsam tanquam verbum DEI. VII. 178.

Scrupulosi rectè agunt durante levi formidine involuntaria IV. 237.

Sedes Apostolica quid sit. VII. 407.

Semipelagiani, seu Massilienses, qui fuerint I. 415. qui eorum errores I. 415. & VI. 39. qualem admiserint scientiam mediam, seu conditionatam I. 416.

Sensus propositionis ab autore intentus qualis intelligatur, dum in eo propositio damnatur. VI. 235.

Sensus externi an universaliter possint fallere. I. 53.

Sententia, quæ vera, falsa, certa, evidens &c. IV. 292.

Serpens Evam decipiens qualis fuerit V. 343. cur dæmon non invaserit aliud animal. V. 344.

Spacia imaginaria an occurrant à DEO. I. 156.

Species alia dicitur impressa, alia expressa I. 223. impressa aliquando se habet ut quod, aliquando ut quo I. 224. species creata impressa DEI est possibilis I. 225. defecto tamen probabilis non datur I. 226. lumen gloriæ non est species impressa DEI I. 243. an DEUS sit species impressa rerum omnium I. 280.

Species concurrentes ad actum fidei non sunt necessariò supernaturales VII. 684. species relictæ ab actu fidei an sint habitus acquisitus, & qualis VII. 45. & seq. item 699.

Species suasivæ quid sint VII. 499. sunt posibles VII. 500. & possunt supplere motiva ad eligendum iudicium credibilitatis VII. 495. esse non representent novum motivum. VII. 512.

Spes Theologica habitualis, seu habitus spei, quid sit VII. 725. quid sit spes actualis, sive actus spei VII. 723. actus spei est omnino certus, & quomodo. VII. 731. & seq.

Spei actus debet saltem semel intra annum elici VII. 609. item in initio, & sine vitæ moralis

VII. 610. non tamen in instanti physicè primo vitæ moralis, vel ultimo vitæ VII. 611. insuper actus spei debet etiam sæpius elici per accidens. VII. 612.

Spei habitus datur in quovis puro homine viatore semel iustificato, donec vel destructa fide, vel commisso peccato desperationis, expellatur VII. 711. manet in peccatore VII. 703. an maneat ex natura rei, vel tantum ex ordinatione Divina VII. 704. & 707. an maneat in Beatis, est incertum VII. 717. quia in his non manet actus spei primarius VII. 716. manet etiam in animabus purgantibus VII. 718. & olim datus fuit in Angelis viatoribus. VII. 719.

Spei objectum materiale primarium est DEUS possidendus VII. 724. & seq. item 739. & seq. objectum spei quomodo debeat esse arduum. VII. 727.

Spei objectum formale, quatenus hæc est desiderium, est bonitas DEI ut bona speranti VII. 728. quatenus autem spes est fiducia, objectum ejus formale est promissio DEI, & potentia auxiliandi, vel ipsum auxilium. VII. 729.

Spiritus privatus quid sit VII. 207. hic non sufficienter applicat revelationem, seu verbum DEI. VII. 208.

Subsistens, & suppositum quomodo differant. I. 731.

Subsistentiæ dantur tres relative in Divinis I. 732. datur etiam subsistentia absoluta I. 733. quæ non potest assumere aliam naturam in unitatem nature. I. 739.

Substantia ut quod supernaturalis non est possibilis. VII. 676.

Subtractio rei per se non debet, sed tamen jam prius ex gratia habitæ, potest esse pœna. VI. 158.

Supernaturale quid sit VII. 676. aliud est Theologicum, aliud philosophicum: item aliud supernaturale quoad substantiam, aliud quoad modum: rursus aliud supernaturale in se, aliud supernaturale præsuppositivè. VII. 677.

Symbolum Apostolorum an contineat in se omnes articulos substantiales Christianæ religionis. VII. 192.

Synteresis quid sit. IV. 217.

T.

Tentatio quid sit VI. 118. tentatio levis potest moraliter vinci sine gratia VI. 119. physicè potest vinci etiam gravis VI. 120. & SS. Patres, quando hoc dicunt esse impossibile, intelligendi sunt de impossibilitate morali VI. 120. non possunt superare omnes tentationes graves collectivè sumptæ sine gratia VI. 123. nec omnes tentationes leves coæservatæ VI. 122. imò neque una gravis VI. 125. an gratia ad vincendas tentationes necessaria debeat esse intrinsecè supernaturalis VI. 123. & 147. ac seq. tentatio gravis an vinci possit ex motivo peccaminoso VI. 144. aut hæreticus mori pro falsa doctrina VI. 145. an una victoria tentationis reddat faciliorem alteram. VI. 139.

Terminus tantum, seu ut vocatur, purus terminus, quid sit, & quomodo distinguatur à dispositione, & conditione VI. 63. & seq.

Thalud Judaicum est blasphemius, & ineptius plenum. VII. 250.

Theologia quid, & quotuplex sit I. 1. est scientia I. 2. naturalis I. 3. Theologia Scholastica quomodo definiatur. I. 3.

S. Thomæ autoritas commendata à Summis Pontificibus VI. 218. ejus textus pro prædeterminatione physica afferri soliti ritè explicantur. I. 474. an hic S. Doctor adstruxerit præ-

terminationem ad genus, & non ad speciem actus I. 481. & seq.

Traditiones quid sint VII. 193. debent aliquæ admitti præter Scripturam VII. 194. neque tamen ipsæ solæ sine alia regula sufficiunt VII. 197. traditiones aliæ sunt doctrinales, aliæ morales, aliæ Divinæ, aliæ Apostolicæ VII. 197. traditiones possunt dici, aliquo modo contineri in Scriptura. VII. 203.

Trahi à DEO quid sit. VI. 23.

SS. Trinitatis mysterium, in quo consistat juxta doctrinam Catholicam I. 710. quæ fuerint circa illud hæreses I. 710. non est ratione naturali cognoscibile I. 711. non tamen est contra, sed supra rationem I. 713. illud dari constat ex revelatione Divina I. 714. sex veritates agentibus de hoc mysterio temper præ oculis habendæ I. 772. in SS. Trinitate datur una natura, duæ processionis, tres personæ, quatuor relationes, quinque notiones I. 721. tota Trinitas non est perfectior, quam qualibet persona. I. 814.

Tutus, & minus tutum quid sit IV. 245. stante dubio pratico debemus sequi tutius IV. 246. non autem stante tantum dubio speculativo, aut remoto IV. 247. varii Canones apparenter contrarii exponuntur IV. 249. & seq. an antiqui communiter obligaverint ad tutius in dubio amplectendum. IV. 257.

V.

Veritas alia in essendo, alia in cognoscendo, alia in dicendo. VII. 103.

Veritates naturaliter evidentes non omnes sunt revelatæ, aut de fide. VII. 569.

B. Virgo in primo Conceptionis instanti fuit ab omni labe originis immaculata V. 309. Alexander VII. Papa multa in favorem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis decrevit V. 314. & seq. B. Virgo caruit etiam debito proximo originaliter peccandi V. 319. non tamen remoto V. 337. quale fuerit decretum circa Christum, & immaculatam ejus Matrem, ab hoc peccato eximendam V. 321. & seq. est tamen B. Virgo ex meritis Christi redempta V. 307. an B. Virgo habuisset gratiam per Adamum, si iste non peccasset. V. 333.

Virtus quid sit ex SS. Augustino, & Thoma VII. 2. virtus ut præscindens ab habitu, quid dicat I. 295. dividitur virtus in moralem, & Theologicam VII. 2.

Virtus, aut habitus supernaturalis, an necessariò exigat objectum supernaturale. VII. 31.

Virtutes Theologicæ sunt tres. VII. 8.

Virtutes morales per se infusæ dantur aliquæ, distinctæ à virtutibus Theologicis VII. 23. unde desumenda virtutum, aut habituum moralium infusorum distinctio realis. VII. 26.

Visio DEI intuitiva defecto datur, ad eoque possibilis est I. 171. nulli creaturæ potest esse connaturalis I. 179. hoc lumen gloriæ non sibi exigit visionem, ne DEUM videt. I. 184.

Visio DEI intuitiva defecto eum representat trinum, ac unum I. 199. & omnes perfectiones primarias DEI I. 200. item aliquas perfectio-

nes secundarias I. 201. & terminationes contingentes I. 201. possit tamen visio DEI de absoluta potentia representare Divinitatem sine personalitatibus I. 202. vel unam personam sine altera. 202. & tamen esset beatifica I. 211. & seq. visiones DEI in diversis Beatis sunt inæqualis perfectionis. I. 260.

Visio DEI intuitiva an sit perfectior amore beatifico III. 63. an stare possit cum peccato VI. 296. an in instanti, quo elicitur actus bonus liber, possit visio pro signo posteriori dari in præmium hujus ipsius actus liberi. IV. 161. & seq.

Unio hypostatica an possit stare cum peccato. VI. 290.

Universale non potest facere DEUS. I. 320. & seq.

Vocatio ad fidem alia est latius dicta, alia strictius dicta: sicut etiam est fides alia strictius, alia latius dicta. VI. 73. & seq.

Volitio alia est subjective liberalis, & objective onerosa, alia subjective, & objective liberalis, alia subjective, & objective onerosa: & ad quam virtutem qualibet spectet. I. 683.

Voluntarium quid sit IV. 3. & quotuplex IV. 7. quid sit voluntarium virtuale, & habituale IV. 7. interpretativum IV. 8. præsumptum IV. 8. implicitum IV. 9. directum IV. 9. simpliciter tale IV. 10. secundum quid IV. 10. necessarium IV. 10. liberum IV. 10. quodnam ex his duobus sit perfectius IV. 13. quid sit involuntarium IV. 11. volitio, & nolitio non eodem modo se habent ad voluntarium, & involuntarium. IV. 12.


Voluntarium in causa non datur, si tantum est voluntaria causa per accidens IV. 22. sed requiritur, ut positio causæ sit ideo præcepta, ut habeatur effectus, vel prohibita, ut impediatur effectus IV. 23. si causa affecta præcepto, vel prohibitionem, est causa per se effectus, tunc effectus in ea est voluntarius IV. 25. si autem causa physica effectus non est præcepta, vel prohibita, in ordine ad hunc effectum: & insuper est ad alium effectum intenta: tunc effectus prior non est voluntarius in ea causa IV. 26. unde voluntariæ sunt urbis gubernatori cædes ex ejus negligentia ortæ IV. 35. an propter eas incurrat irregularitatem IV. 35. & seq.

Voluntas quid sit I. 517. non tendit in objectum, prout est in se, sed prout est in cognitione VII. 31. potest imperare intellectui assensum firmiorem, quam mereantur motiva præcedentia. VII. 174.

Voluntas datur in DEO. I. 517. alia est antecedens, alia consequens, alia efficax affectivè, alia efficax effectivè, alia signi, alia beneplaciti I. 616. voluntas DEI salvandi omnes homines est efficax effectivè respectu prædestinationum: respectu verò reprobatorum est tantum efficax affectivè I. 570. quale sit objectum materiale, & formale voluntatis Divinæ. I. 517.

Votum constituit actionem voto promissam in materia religionis V. 180. transgressio voti repetiti non est peccatum diversæ speciei à transgressione voti semel tantum editi V. 181. at verò ommissio rei ex præcepto simul, & voto debetæ est peccatum diversæ speciei. V. 181.





TRACTATUS THEOLOGICUS

In Primam Partem
D. THOMÆ AQUINATIS
DE DEO.



Theologia, quam Sacram Scientiam appellat Angelicus, aliarum scientiarum, ut tradit idem S. Doctor. 1. p. q. 1. a. 5. facile dignissima est; tum quia de Summo DEO rebusque divinis, tanquam de objecto sibi proprio agit, tum quia hoc ipsum objectum per altissimas, ac certissimas rationes, & modo sublimissimo tractat. Cum autem pro variis intermediis finibus (qui tamen omnes in ultimum unicum coeunt) varias de DEO, aut rebus ad DEUM ducentibus quaestiones pertractet, varia etiam, ut ita dicam, fortitur cognomina, & vocatur quandoque *Positiva*, quandoque *Scholastica*, nunc *Moralis*, nunc *Polemica*, alias etiam *Mystica*. *Positiva*, ut habet *Valentia tom. 1. disp. 1. q. 1. p. 1.* dicitur, quatenus occupatur potissimum Sacrae Scripturae sensus, praesertim ad mentem SS. Patrum explicando: qua ratione principia & fundamenta firma conclusionum Theologicarum ponit, ac statuit, ex quo patet, *Positivam* eandem esse, quam alii *Scripturalem* appellant. *Scholastica* vocatur, quae ex memoratis principis, & aliis Theologicis Locis (quos praesertim alii insigniter explicat Melchior Canus ex Ordine D. Dominici Canariensis Episcopus) doctrinam fidei subtilius explicat, atque confirmat: qua facultate, quia nemo pollet, nisi diuturno labore in scholis eruditus, hinc recte *Scholastica* dicitur. Inde etiam ante mille ac ducentos annos usitatum jam fuit, ut qui ingenio ac eruditione excelleret, vocarentur *Scholastici*. ita idem *Valentia* allegans Divos Augustinum, atque Gregorium. *Moralis* est illa, quae mandatorum sive Divinorum, sive humanorum obligationem proponit, & quaestiones, quas Casus conscientiae appellamus, resolvit. *P. Ant. Mayr. Theol. Tom. 1.*

vit: ad quam revocari fors potest *Facultas Canonica*, quae Leges Conciliorum, & Responsa Romanorum Pontificum, ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia, interpretatur. *Polemica* seu *Controversistica* infidelium quorumvis errores refellit. *Mystica* tandem, quam quidam etiam *Symbolicam* dicunt, illa est, quae, ut S. Dionysius vult, figuratis vocabulis divina explicat, ut cum DEI scientia oculus Divinus vocatur, vel iustitia puniens ira appellatur: alii per *Mysticam* intelligunt Theologiam *Affectivam*, seu illam, quae hominem Evangelicae perfectionis cupidum instruit, ejusque affectus in Deum attollit. Quam praesens Liber complectitur, *Scholastica* est, cujus Princeps Tractatus absque dubio is est, a quo ordimur, nempe de DEO Trino, & Uno, qui primum seu Attributionis objectum est Theologiae Scholasticae: hunc enim ex fine suo primario praesertim alia ipsa considerat; alia vero in ordine ad eundem examinat.

2. Ut autem profunda Divinitatis sobriè scrutemur, & absque prolapsionis periculo, oportet, dux nobis sit fides, ex cujus principis, ut jam dictum, Theologia Scholastica conclusiones suas deducit. Quamvis autem principia ista per se nobis nota non sint, tamen Theologia aliquo modo potest dici Scientia, eò quòd principia illa saltem sint per se nota Beatis: sicut scilicet Musica scientia dicitur, quamvis natus principis per se notis, non Musico, sed Arithmetico, ut habet Angelicus 1. p. q. 1. a. 2. saepe enim scientia inferior supponit quaedam à superiore demonstrata. Id tamen Ariarum permittendum censo, Theologiam non esse scientiam in sensu Aristotelico strictiore dictam, ad quam requiritur, ut sit ex principis, quae vel ipsi scienti sunt evidenter, vel certe de quibus ipsi est evidens, ea ab altiore scientia demonstrari: quorum neutrum Theologiae convenit.

3. Sed neque habitus Theologicus est sit: per

quod DEUS debeat existere; nam hoc includitur in priori: ergo. Confir. Natura nos incitat ad colendum, & invocandum aliquem DEUM: ergo etiam ad eum cognoscendum. Resp. dist. ant. est per se notum, quod absolute debeamus DEUM colere. neg. ant. quod conditionate, si DEUS existat. conc. ant. & neg. conseq. Eodem modo est per se notum, quod debeamus Superiorem revereri, si existat: non autem est per se notum, quod existat. Ad confir. conc. totum; hoc enim plus non probat, quam naturalem nobis aliquomodo esse cognitionem DEI, scilicet ut explicatum est n. 12. Potest etiam responderi, naturam nos tantum incitare ex suppositione, quod detur DEUS, non autem antecederet ad hanc hypothesin Reliqua, quæ hic possent objici, dabimus infra, quando de demonstratione DEI quasi à priori.

15. Ob. 5. contra 2. conclusionem. Verba: *videri, manifestum esse* &c. non semper significant in Scripturis evidentiam; ergo nostra probatio non subsistit. Confir. Si potest dici, quod illa verba significant evidentiam, potest etiam dici, quod significant existentiam DEI esse notam per se: hoc non admittimus: ergo. Resp. om. ant. neg. conseq. Si quibusdam in locis similia verba non significant evidentiam, ideò id contingere debet; quia vel alius Scripturæ locus, vel traditio, aut definitio Ecclesiæ, vel ratio manifesta, aut communis interpretatio obstat; aliàs enim ex regula S. Augustini Scriptura accipienda est in sensu, quantum potest, proprio: nil autem tale obstat, quin verba à nobis adducta, sumantur de visione evidenti (non corporali) sed intellectuali. Ad confir. neg. ma. DEUS dicitur quidem videri, sed procul, ut habetur Jobi 36. v. 25. ex quo rectè Gaspar Sanchez & Gormaz de DEO n. 49. inferunt, denotari visionem adhuc obscuram, & per effectus.

16. Ob. 6. Existentia DEI potest credi; ergo non potest demonstrari. prob. conseq. fides & evidentia de eodem objecto non stant simul: ergo. Resp. Quidam negant ant. & volunt, existentiam DEI esse potius aliquod præambulum ad fidem, quam articulum fidei: alii probabilius negant conseq. quamvis enim non possint juxta quosdam simul stare in eodem actu scientiæ, & fides (quod multi alij negant) non tamen repugnat, quod minus stent simul, vel saltem successivè in eodem intellectu duo actus, unus fidei, alter scientiæ; nec enim obstat actui fidei, si objectum ejus materiale sit ex alia ratione, per alium actum tacta, evidens (quidquid sit de objecto formali) nam tamen est liber ad assentiendum etiam ex motivo inveniendi. Certè in Scripturis plura revelantur ratione naturali evidentia e.g. quod omnes homines moriantur: quod cæci non videant: quod aquæ decurrant ad mare &c. nec ista DEUS otiosè revelat, sed, ut credantur.

ARTICULUS II.

An DEUS possit ignorari.

17. Dico. DEUS invincibiliter ignorari non potest saltem diutius ab

homine rationis capace. Hoc ad minimum supponit S. Thomas 1. 2. q. 89. a. 6. ubi docet, cum originali peccato non posse dari culpam tantum venialem, eò quod puer habens annos discretionis statim teneatur se convertere ad suum finem, seu DEUM. Eandem affectionem tradunt Granadus in 1. p. tr. 1. disp. 1. sec. 3. & plures ab eo n. 12. citati. item Lyranus, Abulensis, Vasquez, Card. Lugo disp. 5. de incarn. sec. 6. n. 107. Amicus, Valentia, Coninck, & alij præsertim Recentiores communiter contra Ariagam & alios paucos, videturque desumi ex Scripturis dicentibus de DEO Jobi 36. v. 25. *Omnes homines vident eum, unusquisque in tuetur procul*: quod licet non debeat accipi de iis, qui rationis usum non habent (sicut nec debent accipi de his præcepta in Scripturis contenta) tamen debet intelligi de habentibus usum rationis, & oculos non claudentibus, sicut scilicet videtur soli ab omnibus.

18. SS. Patres etiam nostram sententiam adstruunt: Sic S. Cyprianus l. de idolorum vanitate ait: *Hæc est sanima delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis*. Tertull. l. de spectacul. c. 2. ait: *Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultra natura suggerit, DEUM esse universitatis conditorem*. S. August. tract. 106. in Joan. *Hæc est enim vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus possit abscondi*. Idem in psal. 74. de DEO ait: *Qui ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet, ut est cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare*. S. Hieron. vel, ut alij volunt, quidam Philippus in Jobi 36. v. 25. ait: *Nullus tamen est, qui se abscondat à calore ejus: & ideo unusquisque mortalium, licet de longè, sentit, & intelligit DEUM*. plura vide apud Granadum loc. cit. & Fasolum in 1. p. tom. 1. q. 2. a. 2. n. 9. & Jegg.

19. Probatur conclusio ratione. Homo quivis, si pervenit ad usum rationis, agnoscit brevè aliquid esse bonum, & faciendum, aliud esse malum, & vitandum: item habet remorsum conscientiæ ob malefacta: ergo debet agnoscere aliquam supremam regulam honestatis, itémque aliquem legislatorem supremum, & vindicem mali: ergo jam sub aliquo prædicato agnoscit DEUM, quod solum petimus; nec enim volumus, DEUM statim sub omni prædicato debere agnosci à quovis. Quamvis autem existimem, DEUM etiam sub ratione conditoris universi, saltem vix ab aliquibus, certè non diu, invincibiliter ignorari posse, quod hæc notitia de DEO, imò etiam major de eo, tanquam remuneratore superno necessaria sit ad salutem, & DEUS facientibus, quod est in se, non neget ita necessaria: tamen istud hîc & nunc ad hanc conclusionem defendendam non est necesse asserere. Antec. prob. experienciã universalissimã, & ex eo, quod prima juris naturalis principia diu saltem ignorari non possint, ut iterum experientia monstrat.

20. Confirmatur. Synteresis aut conscientia vel natura humana, aut lumen rationis hominem saltem movet, ut dubitet, an non sit DEUS dominus omnium, vindex malorum &c. Jam vel talis dubitans ulterius inquiri, & agnos-

An DEUS possit demonstrari à priori, vel quasi à priori.

agnoscet DEUM dari, vel non inquiri, & non inculpabiliter nescit; nam utique quivis statim agnoscit, hanc veritatem, *an habeat supremum Dominum, quem colat*, debere à se inquiri, nec posse à se negligi tanquam inutilem, vel ad se non pertinentem, sicut negligi potest inquisitio in parem, vel imparem numerum stellarum; cum sit fundamentum omnis vitæ moralis. Pariter etiam ipsa pulcherrima mundi constructio movet quibus saltem, an non detur mens sapientissima, quæ prudentissimo ordine omnia struxerit, quam venerari, ejusque voluntatem sequi oporteat: hoc autem posito, si indagare quis negligat, invincibilis non erit ignorantia.

21. Peres, an saltem vincibiliter DEUS possit diu ignorari. Resp. Si per vincibilem ignorantiam intelligitur illa, quæ in se vinci potest, hîc & nunc autem non statim vinci debet, talis etiam, saltem diutius, dari non potest; nam de hac discurrendum sicut de invincibili ignorantia. Si autem per vincibilem ignorantiam intelligitur theologicè peccaminosa, ut communiter intelligi solet, non potest DEUS vincibiliter omnino ignorari; nam hoc ipso, quod quis peccet, & theologicè quidem (nam peccatum philosophicum suppono hîc ex tr. de act. humanis, & communi ut moraliter saltem impossibile) debet agere contra præceptum DEI, adeoque debet DEUM saltem habitualiter scire sub ratione supremi legislatoris, vel primæ regulæ honestatis: consequenter non potest, qui peccat, DEUM omnino ignorare. vide hæc de re La Croix l. 5. à n. 55. ubi ait, peccantem actualiter & exercitè cognoscere DEUM, sed remissè, sicut cytharizans actu cognoscit regulas artis, quamvis non reflexè de iis cogitet: sic etiam, ut habet Lugo apud eundem La Croix, sacerdos peccans contra castitatem, cognoscit exercitè & experimentatè, se esse voto adstrictum. Non autem nego, quod possit DEUS vincibiliter ignorari secundum quid, hoc est, non cognosci sub prædicato formali, & explicito DEI e.g. sub ratione Creatoris omnium, entis improducti, sibi ac aliis plenè sufficientis ad existendum, summi ac simpliciter necessarij boni; nam cum hæc per se nobis nota non sint, demonstrationes autem non sint adeò omnino obvix, homines summè rudes, ac barbari, & vix ultra sensum sapientes poterunt culpabiliter hac DEI notitia clariore carere, dum scilicet culpabiliter inquirere negligunt.

22. Ob. 1. S. August. tr. 106. in Joan. verbis citatis n. 18. adjungit ista: *Exceptis enim paucis, in quibus natura nimiam depravata est, universum genus humanum DEUM mundi hujus fatetur auctorem*: ergo aliqui possunt DEUM ignorare. Confir. ut S. Augustinus se ipsum explicat in sensu accommodato, ita in eodem alij SS. Patres, quando dicunt, DEUM ignorari non posse, accipi possunt de sapientibus, aut ac barbaris: ergo. Resp. dist. conseq. possunt aliqui DEUM ignorare omnino, & sub omni præ-

dicato re ipsa convertibili. neg. conseq. sub prædicato auctoris, vel creatoris universi. subdist. & hoc possunt invincibiliter ac diu. neg. conseq. vincibiliter, vel non diu. om. conseq. S. August. cit. n. 18. expressè dicit, DEUM non posse omnino ignorari, quamquam dein in hominibus depravatis, seu vitiosis admittat ignorantiam culpabilem ejus, ut auctoris mundi, seu sub prædicato magis explicito. Ad confir. neg. ant. quoad utramque partem; nec enim S. August. se explicat, ut adversarii volunt, sed ut modò declaravimus nequè SS. Patrum dicta universaliter debent restringi, nisi ratio, aut auctoritas ad id cogat; cum tamen in nostro casu cogat ad non restringendum.

23. Ob. 2. Brasili, ut suo in idiomate carent literis F. L. R. ita carebant Fide, Lege, Rege. Fertur sanè, quod ante adventum Lusitanorum nullum Numen agnovissent. Ut etiam testantur quidam, qui apud Indos diu vixerunt, aliqui Barbari inveniuntur, qui jam adulti, & interrogati, an unquam de DEO cogitaverint, sincerè respondent, nunquam prorsus; quin apud aliquas nationes per plurà sæcula nulla fuit de DEO notitia: atqui non est credibile, quod inter tot innumerabiles homines non fuerint aliqui invincibiliter ignorantes: ergo. Resp. neg. mi. vel ejus suppositum, scilicet quod ignoraverint DEUM.

24. Quod Brasili non caruerint omnino notitia DEI, vide inferis n. 65. si autem caruerint notitia DEI clariore, non caruerint invincibiliter: certè ut plurimum vixere non ut homines, sed ut bruta, vitis prorsus immerfi, quæ ratione facilè excludere cogitationes clariore de DEO, quibus hie ipse omnes homines salvari cupiens, etiam eorum animos sapius pulfavit; itémque suggestiones SS. Angelorum, qui etiam eorum custodiæ destinati fuere. Quare, licet omitti possit, eos DEUM sub clariore conceptu non agnovisse assertivè, seu affirmando, tamen negari non potest, eos illum agnovisse dubitando. Admitti quidem etiam potest, eos nulla religione universali, vel patriæ toti communi aliquem DEUM coluisse, sed quod ita eum ignorarint, ut nec dubium eorum conscientiam lancinavit, probari non potest.

25. Et licet hoc Indi aliqui de se dixerint, non ideo verum dixere. Certè, ut Gormaz observat, Barbari illi sæpè Lusitanos veritatem celabant. Potuit etiam contingere, ut postea non fuerint recordati suarum cogitationum, aut dubiorum; quia potuere ea statim repellere, ut licentiis peccarent, & sic morsus conscientie obruere facinoribus pestilimis. Quod additur de integris nationibus, incredibile est, adeò ut vel Cicero L. 1. de legibus sub initium dixerit, nullam ex hominibus gentem esse, neque tam immanuetam; neque tam feram, quæ, licet nesciat, qualem DEUM habere deceat, habendum tamen ignoret. Certè, præter superius dicta, tot clarissima indicia ex mundi fabrica, ex variis scelerum punitioibus, ex

tempestatibus ac fulminibus &c. supremum aliquem gubernatorem esse, aut vindicem criminum non sinit omnino latere.

26. Ob. 3. Gentiles possunt invincibiliter nescire multa principia juris naturæ, nobis manifestissima, e. g. quod adulterium, fornicatio, ebrietas &c. sint mala: ergo etiam possunt invincibiliter ignorare DEUM. Confirm. Possunt invincibiliter ignorare Christum, vel DEUM, saltem ut remuneratorem supernaturalem: ergo etiam DEUM simpliciter. Resp. dist. ant. gentiles possunt ignorare aliqua principia juris naturæ. conc. ant. omnia, præsertim facillima, & quæ sint fundamentum primum omnis honestatis. neg. ant. & conseq. Tale autem principium facillimum, simulque fundamentum, seu radix honestatis est existentia DEI, quæ obvio discursu patet cuique.

27. Ad confirm. om. ant. neg. conseq. Ex creaturis, itémque ex dictamine conscientia, aut synteresi, ac obligatione ad honestè agendum, apparet quidem DEUS creator, aut certe legislator, non autem Christus, aut remunerator supernaturalis. Hinc omisso, quod de his primò non incidat barbaris suspicio, aut dubium, tamen credibile non est, quod non incidat dubium de legislatore. Unde, licet priora possint ignorari vincibiliter, tamen non possunt ista. Dixi vincibiliter: nam invincibiliter diu ignorari non potest etiam DEUS ut remunerator supernaturalis; si enim faciat homo, quod est in se, DEUS ipsi suggeret hanc notitiam, necessitate mediæ ad salutem necessariam, ut colligitur ex propositione 22. damnata ab Innocentio XI. quæ ita habet: *Non nisi fides unius DEI necessaria videtur necessitate mediæ, non autem explicita remuneratoris.*

28. Ob. 4. Ex eo, quod homo cognoscat aliqua honesta, aliqua inhonesta, aliqua licita, aliqua prohibita, alia præcepta, non ideo cognoscat DEUM legislatorem: ergo probatio n. 19. allata nil valet. Prob. ant. potest dici, quod ea in tantum cognoscat esse honesta, vel inhonesta, in quantum cognoscat esse conformia, vel difformia rectæ rationi, vel naturæ rationali: vel si cognoscat etiam ut prohibita, potest apprehendere ut prohibita à legislatore creato, communitate vel republica humana: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. 1. p. ant. nam cum homo apprehendat non qualemcunque indecentiam, qualis est, si quis etiam necessario nudus incedat, sed culpabilem, non agnoscat tantum difformitatem quamcumque cum natura rationali.

29. Nam natura rationalis, in se præcisè spectata, non obligat ad culpam, sed ad hanc obligat lex DEI (ut suppono hic ex tract. de act. humanis.) unde peccans debet agnoscere legem DEI, adeoque hunc legislatorem. An autem in aliquo casu, ad minimum moraliter impossibili, possit quis peccare tantum philosophicè, hic non disputo; quia etiam Barbari theologicè peccant, ut est innegabile. Sed nec secunda pars antecedentis est vera; quia synteresis proponit ut

inhonesta, & prohibita etiam peccata occultissima, non plebi tantum, sed regibus quoque, qui, nulli potestati creatæ subsunt, ergo non tantum ut prohibita à legislatore creato, qui nec occultissima, nec omnia præsertim supremorum principum peccata possent punire, aut ab iis deterere; si non esset altior etiam istorum vindex.

30. Ob. 5. Sunt aliqua motiva apparenter suadentia non dari DEUM, e. g. ex eo, quod homines mali sint in hoc mundo felices, boni infelices, aliqui tentantur ad dubitandum de providentia DEI: ergo etiam ethnicus poterit induci ad eum omnino negandum. Confirm. Si quis doctor magnæ auctoritatis diceret rustico, non dari DEUM, non minus inculpabiliter ei crederet, quam si diceret, dari quaternitatem in Divinis: ergo. Resp. disting. conseq. ad eum negandum culpabiliter, & quidem tantum sub prædicatis magis explicitis, juxta explicationem n. 21. datam. conced. conseq. ad negandum eum inculpabiliter. neg. conseq. offert enim DEUS, sicut ad alias tentationes vincendas, ita ad hanc superandam semper gratiam sufficientem. Ad confirm. neg. ant. cum numerus Divinarum Personarum habeatur tantum ex revelatione, & non ex principiis naturæ insitis, potest utique facilis rusticus auctoritate magni viri induci, ut credat inculpabiliter quaternitatem esse revelatam, præsertim cum juxta valde probabilem Suarezii, & aliorum plurimum, quam etiam tr. de fide secutus sum, sententiam, notitia mysterii SS. Trinitatis re ipsa & explicitè habita non sit necessaria necessitate mediæ. At verò existentia DEI habetur ex principiis obvis naturalibus, ex quibus facile potest talis rusticus colligere falsam esse talem instructionem, aut certè de ea dubitare, atque dein faciendo, quod in se est, adjuvante DEO, veritatem invenire: adeoque ignorantia vincibilis foret.

ARTICULUS III.

An Deus possit demonstrari à priori, vel quasi à priori.

31. **D**Emonstratio, ut notum ex Logica, alia est propter quid, seu à priori; quando scilicet demonstratur effectus per causam, quod dicitur à priori physico: vel quando per prædicatum formaliter prius demonstratur aliud posterius, e. g. ex essentia proprietatis, ut ex rationalitate ribilitas, quod dicitur à priori logico, vel metaphysico. Alia est demonstratio quia, seu à posteriori, quando demonstratur causa ex effectu, vel per prædicatum posterius aliud formaliter prius, ut ex proprietate essentia. Alia dicitur quasi à priori; quando scilicet demonstratur aliquid per terminum convertibilem. Non autem nunc querimus de demonstratione à posteriori, de qua inferius, neque de demonstratione strictè à priori; quia DEUS causam habere non potest, neque

An Deus possit demonstrari à priori, vel quasi à priori.

neque etiam ejus essentia est prior existentia; nam, quæcumque statuatur essentia DEI, ea formaliter includit existentiam, de qua re infra. Sed controversia hic est de demonstratione quasi à priori, seu per terminum convertibilem, abstrahendo ab effectibus creatis.

32. Dico. Argumenta quasi à priori ad demonstrandam existentiam DEI hucusque inventa, non sunt demonstrativa. Conclusio est contra Antonium Perez, Esparza, Rhodes, Viva, & aliquot alios ingeniosos Recentiores: non autem indiget probatione, sed tantum refutatione argumentorum. Notum tamen istud: rationes, quas gravissimi, & ingeniosissimi Theologi non agnoscunt esse demonstrativas, verosimiliter tales non sunt: ita se habent rationes adversariorum: ergo, majorem vi neges, debes dicere, quod clarissimi viri vim earum non penetrarint, quod est, ut Recentior quidam ait, contra regulas Galatai; si enim demonstrationes forent, & vis earum percepta fuisset, intellectum ritè dispositum, qualis censeferi debet virorum ingeniosissimorum, statim ad assensum rapuissent. minor autem negari non potest: nam plerique Theologi evidentiam illis argumentis abnegant, & clarè Augelicus 1. p. q. 2. a. 1. in corp. §. 1. 1. contra gentiles c. 11.

33. Sed & SS. Patres (excepto fortè S. Anselmo, de quo dubitari potest, an suum argumentum voluerit tanquam demonstrationem proponere) non adhibent ista argumenta, quasi à priori desumpta, ad demonstrandum DEUM; sed ordinariè afferunt demonstrationes ex effectibus, seu à posteriori, quin S. Dionys c. 7. de Divinis nominibus sic habet: *Fortè id veraciter dicemus, nos DEUM non ex ipsius natura cognoscere (id nempe ignotum est, omnemque superat rationem, ac sensum) sed ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione, ut ab ipso procedat.* Accedit, quod argumenta horum Recentiorum patiantur retorsiones valde difficiles.

34. Ad solutionem autem istorum argumentorum, & applicandas retorsiones prænoto Primò, ipsos adversarios communiter admittere, existentiam DEI non esse notam per se quoad nos, de qua re n. 5. §. 6. Secundò mysterium SS. Trinitatis demonstrari à nobis non posse, cum sit supra captum nostrum, sicut neque demonstrari potest ejus implicancia. Tertio, impossibile esse creaturam perfectissimam saltem finitam, ut communiter docent Philosophi; quia omnipotentia infinita non potest terminari effectu finito. Quarto, pariter implicare numerum finitum maximum, cujus ratio breviter est; quia vel illi non posset à DEO addi unitas, adeoque finitum exhaustire omnipotentiam DEI: vel si illi adderetur unitas, deberet fieri infinitus, quod est falsum; nam iterum ablata unitate fieret finitus, adeoque infinitum esset finitus acceptionibus exhaustibile, quod est contra definitionem infiniti. Quinto, per ens sine defectu non intelligi tantum ens sine defectu positivo; sed etiam sine negativo, hoc est, ens habens omnem cumulum per-

fectionum, sive positivè perfectissimum; alias enim non foret DEUS.

35. Sextò noto, juxta Atheum ens ita perfectissimum esse Chimeram: unde ad ejus mentem tam diu negatur possibile, donec evidenter probetur esse possibile, & hoc ejus suppositum evidenter evertatur. Septimò, Atheum non debere positivam implicanciam in DEO ostendere; quia, quamvis hanc non ostendat, non sequitur, DEUM esse evidenter possibilem; nam hæc argumentatio: *Nulla apparet implicancia: ergo res est possibilis*: ad summum est probabilis, & neutiquam demonstrativa, ut agnoscat ipse Perez. Octavò, hanc ipsam argumentationem, ut sit bona, & maximè ut sit demonstrativa, debere supponere existentiam DEI; nam ideo eam concedimus ritè concludere; quia censemus nihil negandum omnipotentia Divina, quod contradictionem non involvit: at non pariter concedit Atheus; nam mundus alius, ex partibus ab hoc nostro omnino distinctis compositus, non involvit esse, & non esse; & tamen non conceditur possibilis ab Atheo, qui nihil nisi novas mutationes circa entia existentia seu atomos æternas admittit. Si dicas, talem mundum involvere ex mente Athei contradictionem, eò quod deberet esse productus, quia existit, & non productus, quia non haberet causam, jam confesias ad prædicata contradictoria mediata, qualia etiam ipse apparet talia opponit enti perfectissimo.

36. Nonò notandum, aliud esse rem existere tantum in intellectu, sive signatè, & secundum conceptum formalem: aliud rem existere à parte rei, sive exercitè, seu secundum existentiam realiter, aut physicè actuatam, & ad statum realem deductam; nam multa existunt in intellectu, quin unquam existant à parte rei, e. g. alius mundus. Decimò, aliud esse conceptum formalem rei inadæquatam, seu præcisivum, e. g. si concipitur animal ut sic, tunc animal, prout est à parte rei, concipitur tantum inadæquatè, & præcisivè: aliud esse conceptum adæquatam, & deductum ad statum realem, seu existentiam, e. g. si concipitur Petrus cum omnibus prædicatis etiam individuantibus, & quidem inter se comparatis ut compossibilibus & coexistentibus.

37. Jam quamvis primo modo concepta res non involvat in suo conceptu formali contradictionem, non sequitur eam esse possibilem; nam si etiam hircocervus præcisè consideretur secundum naturam hirci, non involvit contradictionem, nec apparet impossibilis, quin propterea possit dari à parte rei; quia scilicet habet alia prædicata cum prioribus impossibilia, à quibus hic conceptus inadæquatus præcindit. Et talem conceptum tantum inadæquatam dicere potest Atheus esse entiam omnium imperfectionis: si tamen possit præcindere à prædicato entis, quod ad Athei mentem necessario dicit productionem vel dependentiam, quæ, etsi fortè ex mente ejusdem Athei non esset dicenda imperfectio, tamen est imperfectio ex meri-

te volentium demonstrare DEUM: certè est excludens aseitatem, adeoque Deitatem. Et in hoc sensu Atheus semper negat carentiam omnium imperfectionis, seu exclusivam etiam productionis, esse possibilem.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

38. **O**B. 1. Nullum bonum est Chimæra: sed ens perfectissimum est bonum: ergo non est Chimæra: ma. est clara: bonum enim est proprietatis entis: Chimæra autem non est ens. mi. est evidens; quia bonum, & perfectum identificantur. consequentia est in forma. Jam sic. Si ens perfectissimum non est Chimæra, est possibile: si est possibile, actu existit: ergo, prob. mi. Si non existeret, non esset ens perfectissimum; quia careret existentia, quæ est evidenter perfectio: ergo. Argumentum istud proponitur quoque sub his aliis terminis: Carentia omnis imperfectionis non est Chimæra: ergo possibilis: ergo existens. vel obscurius à Perezio: Nullum bonum est pervenisse aliquid ad hoc, ut sit Chimæra: sed ens perfectissimum est bonum: ergo non est pervenisse ad hoc, ut sit Chimæra: ergo est possibile, adeoque existens.

39. Hac ratione videtur inprimis probari, DEUM esse quoad nos per se, sive ex terminis notum. 2. Retorquetur argumentum sic: Numerus finitus perfectissimus, seu maximus est bonum: ergo non est Chimæra. Tres Personæ perfectissimæ in natura identificate sunt bonum: ergo evidenter possibiles. Item creatura perfectissima est bonum: ergo possibilis. In forma responderi potest primò dist. min. Ens perfectissimum est bonum; si verè detur, & exercitè à parte rei. conc. mi. si tantum detur signatè in intellectu præcendente. neg. mi. & consequ. Responso hæc, cujus major declaratio peti potest ex n. 36. notando 9. § 10. bona est, & ad mentem Angelici 1. p. q. 2. a. 1. ad 2. ubi sic ait: *Dato etiam, quod quilibet intelligat, hoc nomine DEUS significari hoc, quod dicitur, scilicet illud, quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id, quod significatur per nomen, esse in verum natura; sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui, quod sit in re, nisi daretur, quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest, quod non est datum à ponentibus DEUM non esse.*

40. Resp. 2. juxta mentem Athei neg. mi. cum enim ens perfectissimum juxta Atheum sit Chimæra, non est bonum: vel est bonum & simul non bonum, hoc est Chimæricum & nullum bonum. ad prob. dist. illatum. Bonum verum & perfectum verum identificantur: conc. illatum. Bonum Chimæricum & perfectum verum, vel vicissim bonum verum & perfectum. Chimæricum identificantur. neg. illatum. Debet igitur aliunde demonstrari,

quod ens perfectissimum habeat veram perfectionem, aut veram bonitatem, & non tantum Chimæricam. Nec dicas reflexè: Ens verè perfectissimum, vel carentia vera omnis imperfectionis est bonum, & non Chimæra; nam eodem modo dicam: Numerus finitus verè maximus, & perfectissimus: Creatura verè perfectissima &c.

41. Ratio est, quia, nisi aliunde probetur, dari ens verè perfectissimum, Atheus semper respondere potest, hoc ipsum esse Chimæram; sicut si diceret: *Imperfectio verè perfectissima*: sicut enim hic terminus est complexus ex duobus contradictoriis, scilicet ex imperfectione, & perfectissimo: ita etiam terminus: *Ens verè perfectissimum*: est terminus eodem modo complexus; nam juxta Atheum ens jam significat dependentiam ab alio, quæ juxta omnes, saltem non Atheos, est imperfectio. Et quamvis hoc reipsa sit falsum, non tamen est ex terminis notum; sed debet demonstrari, quod non sit dicendo tantum: *Ens verè perfectissimum*. Nec etiam dicas: Ens in suo conceptu non involvere ullam dependentiam, vel imperfectionem; quamvis enim hoc admittatur in scholis, ubi admittitur DEUS, tamen ex se evidens non est, præsertim si loquamur de ente exercitè & in statu physico tali, debetque Atheo probari; aliàs semper dicit, ens excludere aseitatem. Simile responsum datur ad alios terminos: scilicet negatur, carentiam omnis imperfectionis esse verum bonum, vel non esse Chimæram.

42. Dices cum quibusdam contra retortiones, implicantiam numeri finiti maximi & creaturæ perfectissimæ aliunde probari; non verò implicantiam entis perfectissimi. at urgeo ex notando septimo n. 35. Sic adversarii ad summum probabiliter ostendunt DEUM, non autem demonstrant: imò cum contra mysterium SS. Trinitatis afferri non possit implicantia verè talis, etiam hoc demonstratum foret; posset enim eodem modo dici: Carentia trina omnis imperfectionis: Ens trinum perfectissimum. Si dicas, in his occurrere saltem contradictiones apparenter tales respectu intellectus humani: respondeo, etiam in intellectu Athei dari contradictiones apparenter tales in ente perfectissimo, cum jungatur ens, hoc est juxta ipsum, dependentia, & perfectissimum, hoc est ad mentem argumentantium, aseitas. Dein non statim capitur, quomodo omnes perfectiones, DEO attributæ, sint compossibiles, e.g. quomodo stet libertas simul & immutabilitas, quæ tamen debet supponi in ente omnimodè perfectissimo: non ita se res habet in demonstratione à posteriori; quia ibi aliunde demonstratur ens à se, & ex hoc prædicato dein alia deducuntur.

43. Dices 2. Si terminus *Ens perfectissimum* est complexus, & involvit duo contradictoria; separemus per intellectum ista contradictoria, hoc est, imperfectionem à perfectione, & dif-

curra-

curramus de hac sola, tunc procedet demonstratio. Resp. neg. quod hæc separatio possit fieri ex n. 34. notando 5, hæc enim separatio non esset pura negatio imperfectionum positivarum, sed accumulatio omnium perfectionum, ut scilicet excludatur omnis imperfectio etiam negativa, quas perfectiones Atheus negat esse compossibiles. Dein non posset saltem separari prædicatum existentis, ut patet: & tamen hoc prædicatum ex mente Athei jam involvit dependentiam, donec oppositum aliunde ei demonstretur. Responderi potest secundo: dato etiam, quod hæc separatio posset fieri, fieri deberet tantum per præcisionem formalem: ex quo non sequitur, quod in statu exercitè ens perfectissimum non involveret contradictoria, ut colligi potest ex n. 36. notando 9. § 10. Hæc responsio bona est; prior fors expedior. Si urgeas: quælibet Chimæra componitur ex partibus, quarum quælibet seorsim est possibilis; ergo etiam ista, quæ est composita ex perfectionibus & imperfectionibus: ergo tam perfectiones, quam imperfectiones seorsim sunt possibiles: ergo etiam solus cumulus perfectionum est possibilis, adeoque DEUS. Resp. neg. ant. quod falsum est in omnibus Chimæris compositis ex uno membro necessario: e.g. juxta omnes non Atheos est Chimæra DEUS non existens: ergo potest Atheus dicere, etiam antecedens esse falsum in aliis, donec ipsi oppositum aliunde demonstretur. Accedit, quod præsertim hæc Chimæra *Ens perfectissimum* non possit partialiter ita accipi; nam in ipso prædicato *perfectissimum* jam involvitur existentia, adeoque ex mente Athei dependentia, seu imperfectio. Si autem existentia per intellectum separaretur, per se ruit argumentum.

44. Dices 3. Duo contradictoria non possunt esse idem inter se: sed ens perfectissimum, seu carentia omnis imperfectionis, & aliqua imperfectio sunt contradictoria: ergo non possunt esse idem inter se: ergo ens perfectissimum non potest involvere imperfectionem. Resp. quomodo ergo hircocervus potest esse Chimæra? scilicet sunt duo contradictoria idem inter se in Chimæris, sicut sunt, si-ve existunt, non absolute, sed conditionatè; nam, quando dicimus: *Hircocervus est Chimæra*, propositio est conditionata, sicut omnes propositiones necessariæ de creatis, & habet tantum hunc sensum: si daretur hircocervus, daretur Chimæra. Sic etiam non dicit Atheus, defecto dari ens perfectissimum involvens imperfectionem; sed tantum, si daretur, tunc involveret: ex quo ipse vult inferri, illud realiter non dari.

45. In forma dist. maj. contradictoria non possunt esse idem inter se, ita, ut sint, seu existant absolute, conc. ma. conditionatè. neg. ma. & om. mi. neg. consequ. Addo: quando dicitur, talem vel talem rem esse actu impossibilem, non significari existere actu duo contradictoria identificata (nam e.g. hircocervus non existit)

sed tantum significari, quod actu sit vera hæc propositio conditionata: si daretur istares, darentur contradictoria identificata: ex quo tamen ipso inferitur, rem hanc non posse actu existere. Nolim autem huc afferas difficultatem, an in Divinis de eadem re possint verificari prædicata contradictoria; nam, quamvis hæc multè admittant, non demonstrant, sed ex principiis fidei inferunt.

46. Dices 4. Hoc enthymema est verum: Datur impossibile: ergo datur carentia alicujus perfectionis: ergo per evidentem illationem ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis etiam hoc est verum: non datur carentia alicujus perfectionis: ergo non datur impossibile: subsumitur: atqui, quando datur carentia omnis imperfectionis etiam negativæ, non datur carentia alicujus perfectionis: ergo non datur impossibile: consequenter est possibilis, adeoque existens & DEUS. Resp. conc. vel om. duobus enthymematis, neg. mi. subsumptam; nam, ut jam sæpe diximus, carentia omnis imperfectionis, cum non possit concipi ut pura negatio aut nihil, sed debeat concipi ut ens, involvit juxta Atheum dependentiam, adeoque aliquam imperfectionem, consequenter carentiam alicujus, quod saltem argumentans supponit esse perfectionem, scilicet carentiam aseitatis. Potest etiam responderi 2. d. dist. 1. ant. Est verum enthymema, si sensus sit datur impossibile exercitè in statu reali, vel saltem per conceptum adæquatam in intellectu. conc. ant. si tantum sit sensus: datur tantum signatè & per conceptum præcivum. neg. ant. & cons. potest enim Chimæra abstractando ab imperfectionibus considerari ut mera perfectio, quo supposito non sequitur, quod si in intellectu detur Chimæra tantum inadæquatè concepta, (qualiter Atheus dicit concipi à suis adversariis hanc Chimæram: *Carentia omnis imperfectionis*) eo ipso in intellectu detur imperfectio; quia potest ab hac in statu signato præcindi: consequenter posset consequens enthymematis esse falsum in statu signato, adeoque etiam enthymema non verum. Aliud esset, si daretur Chimæra à parte rei, vel adæquatè cognosceretur; tunc enim non posset dari talis præcisio: at primum fieri non potest, alterum, ut ait Atheus, etiam non fit. Vide dicta n. 36. § 10. 39. Potest responderi tertio dist. ant. Et hoc enthymema & propositio ab opposito illata habet tantum sensum conditionatum, ex quo nihil absolute inferitur. conc. ant. habet sensum absolutum. neg. ant. & cons.

Ad clariùs capiendas has responsiones, nota ex n. 44. quod omnes propositiones necessariæ de creatis, vel distinctis à DEO sint conditionatæ: & utique antecedens: *Datur impossibile*: absolute non est verum: cumque ex antecedenti conditionato non possit inferri nisi iterum consequens conditionatum, etiam istud non potest esse absolute: ergo per quamcunque legitimam illationem ab opposito consequentis conditionati non potest inferri oppositum antecedentis absolute: consequenter non potest inferri absolute

soluta existentia carentiæ omnis imperfectio- nis: imò, si ritè accipiatur hoc enthymema, plus non dicit, quàm hæc propositio conditiona- ta: si datur impossibile, datur imperfectio: ex qua propositione per legitimam illationem ab opposito conditionati seu consequentis ad op- positum conditionis, seu antecedentis hæc tan- tum iterum conditionata sequitur: si non da- tur imperfectio, non datur impossibile: ex qua etiam nihil absolute inferitur; quia si subsume- retur: atqui, datâ carentiâ imperfectionis, non datur imperfectio: iterum esset propositio tan- tum conditionalis; quia solum significaret: si datur carentia &c. dein hæc ipsa propositio sub- sumpta, ut jam sæpe dictum, negaretur ab A- theo, dicente, carentiam illam esse terminum complexum, adeoque involvere contradic- tionem & imperfectionem. Addendum etiam obiter, non esse formaliter æquivalentes proposi- tiones: *Non datur carentia alicujus perfe- ctionis*: & *Datur carentia omnis imperfectionis*: cum prior sit negativa, altera affirmativa, vel infinitans. Sic rectè dicitur: sol lucet: ergo dies est: & ab opposito consequentis: dies non est: ergo sol non lucet: scilicet si propositio sit ne- gativa: at malè si infinitans: non sol, sive ali- quid distinctum à sole lucet.

47. Dices 5. Implicat in terminis, quòd ens perfectissimum sit Chimæra: ergo. Resp. 1. conced. totum, ad omnem Chimæram requi- runtur termini implicantes contradictionem, adeoque etiam ad hanc, de qua loquimur. Resp. 2. disting. ant. ex mente Athei, id est, ipsi termini: *Ens perfectissimum* sunt contradic- torii, conced. ant. id est, ipsa implicantia, reflexè sumpta est Chimæra, vel nulla. neg. ant. & conseq. & retorqueo in creatura perfectissima. Si urgeas: ergo DEUS ex terminis est implica- torius. Resp. disting. illat. DEUS est ex terminis implicatorius, id est, evidenter est implicatorius, quòd aliquando significatur per has voces. neg. ant. id est termini, ex quibus fit definitio, vel de- scriptio DEI, sunt implicatorii, subdist. sunt reverà tales. neg. ex mente Athei. conced. illat. quòd au- tem ipse malè hos terminos accipiat, debet ei de- monstrari à posteriori, cum à priori non possit.

48. Dices 6. Nullus defectus est sine de- fectu: Chimæra est defectus: ergo non est sine defectu: ergo per legitimam conversionem ens sine defectu non est Chimæra. Cum hoc coincidat argumentum, quòd Viva p. 1. disp. 1. q. 2. a. 3. n. 15. proponit: nulla Chimæra est sine contradictione: ergo nulla est sine imper- fectione: ergo ens sine imperfectione non est Chimæra. Et addit, non posse responderi, Chimæram esse bonam, & non bonam; nam hoc ipso non est bona, ut ait, nisi cum addito distrahente, atque adeò absolute non est bona. Sed idem reponit Atheus, & dicit, ens perfe- ctissimum etiam tantum esse tale cum addito distrahente, scilicet ente, quòd in suo conce- ptu involvit imperfectionem, adeoque absolute non esse perfectissimum, imò nec bonum. In forma responderi potest primò dist. ma. nul-

lus defectus in statu exercito est sine defectu conced. ma. in statu signato, seu in intellectu præscindente. neg. ma. & conc. mi. sub ead- em distinctione conc. vel neg. conseq. Ex- plicatio uberius hujus responsionis peti potest ex n. 36. & 37. Insuper notandum, similes pro- positiones necessarias de creatis esse saltem impli- citè conditionales, in quibus copula est sumi- tur tantum in vi copula, ut significet tantum convenientiam prædicati cum subjecto: non autem in vi verbi, ut significet idem, ac existit; unde neque in propositione convertente potest sumi in vi verbi, e. g. quia in ista propositione necessaria: *Omne currens est animal*: copula est non significat existentiam: neque in conversa: *Aliquod animal est currens*, potest illam signifi- care; alias posset ex vero inferri falsum: conse- quenter etiam propositio: *Ens sine defectu non est Chimæra*: tantum conditionata est, & signifi- cat, si detur, vel si existat: & subintelligitur: si ens sine defectu alterius perfectionis, quam existentia, haberet etiam existentiam, non esset Chimæra. vide n. 47. Resp. 2. neg. mai. quia saltem aliquis defectus Chimæricus, seu aliqua Chimæra, id est, juxta Atheum *Ens perfectis- simum* est sine defectu, Quamvis autem eti- am sit cum defectu, eò quòd involvat utrum- que contradictorium, & hinc etiam possit con- cedi major, tamen, quia est etiam sine defectu, potest eadem major negari, ut docetur in sum- mulis, quando examinatur famosum illud enthy- mema: *Petrus est equus: ergo baculus est in angulo*.

49. Dices 7. Qui dicit: *Ens necessarium vel necessarium existens non existit*, sibi contradicit in terminis: ergo evidens est, quòd existat. Idem est, si dicatur: *Ens perfectissimum*; quia inter alias perfectiones est etiam necessitas ex- istendi. Confirm. Ens impossibile evidenter non existit: ergo ens necessarium evidenter existit. prob. conseq. non est major connexio inter ens possibile, & non existens, quam inter ens necessarium, & existens: ergo. Resp. neg. ant. quia cum ex mente Athei sermo sit de ente Chimærico, non est contradictio in hac propositione nisi ex parte subjecti, in quo juxta ipsum combinantur termini contradictorii. Retor- sio clara est in propositione, qua dico: *Centum entia necessario existentia non existunt*: quam dicendo utique non sibi contradicunt adversarii. Si fortè velint debere dici: *Non existunt centum entia necessario existentia*, ut scilicet per particu- lam malignantis naturæ omnia negentur, etiam Atheus volet dici debere: *Non existit ens necessario existens*. Verbo propositio *Ens necessario ex- istens existit*: est juxta Atheum de subjecto non supponente, adeoque falsa, & consequenter ejus contradictoria. *Ens necessario existens non ex- istit*: est vera. Ad confir. neg. conseq. ad prob. neg. ant. ex mente Athei; quia ens ne- cessarium, cum sit complexum ex duobus con- tradictoriis, scilicet à se & ens, etiam, utpote im- possibile, est connexum cum non existente, adeoque non connexum cum sua existentia.

50. Ob. 2. Ex eodem Perez argumen- tum,

tum, quòd ipse vocat argutum, alii verò mi- rabile. Vel datur DEUS, vel non datur DEUS: quidquid dicatur, datur DEUS: ergo, prob. minor: si datur DEUS, habetur intentum: si non datur DEUS, datur negatio necessaria DEI: sed hæc ipsa est DEUS: ergo si non datur DEUS, datur DEUS. mai. patet; si enim non datur DEUS, debet esse impossibile; quia non potest deinceps dari, cum non possit incipere: ergo ejus negatio est necessaria. mi. prob. Ipsa ne- gatio DEI esset ens necessarium: ergo DEUS. Confirm. Omne, quòd est absolute necessari- um, non est prudenter odibile: sed, quòd non est prudenter odibile, non habet defectum: ergo est ens perfectissimum, adeoque DEUS: atqui negatio DEI juxta Atheum esset absolute necessaria: ergo. Resp. ex mente Athei. neg. mi. & dico, non dari DEUM ad. probat. neg. mi. ad ejus prob. neg. ant. Negationes ex doctrina Suarezii, & Recentiorum longè communiori, quam etiam in philosophia secutus sum, non sunt entia, sed sunt nihil: cuius oppositum nec à longè est demonstratum; quare ad summum esset hoc argumentum pro existentia DEI probabile.

51. Ad confir. conc. maj. dist. mi. quòd non est odibile, non habet defectum morale. conc. mi. non habet defectum physicum, vel po- sitivum, vel negativum. neg. mi. & conf. Odium & amor non tam respiciunt bonum physicum, quàm morale. Sic peccatum, licet ut ens ha- beat bonitatem physicam, non potest pruden- ter amari: at negatio panarum infernalium, licet non habeat bonitatem physicam, tamen est prudenter amabilis. Sic etiam odium non potest ferri in omnem defectum physicum, & negativum tantum; aliàs etiam visio beatifica & B. Virgo essent prudenter odibiles; sed requi- ritur aliquis defectus vel moralis, vel physicus talis, qui malum aliquod, vel molestiam odio habenti afferat: talis autem Atheo non est ne- gatio DEI; unde ab illo non potest prudenter odio haberi. Ex eò autem, quòd esset purum nihil, haberet magnum defectum physicum, & minime esset DEUS.

52. Ob. 3. ex Ulloa *Physica Speculativa* p. 1. disp. 3. c. 1. §. 2. n. 12. Evidens est evi- dentiâ metaphysicâ ex illis, quæ non quidem obturet omnè os omni tergiversationi humanæ, sed qualis datur inter homines cordatos, sci- licet talis, quam prudenter negare non possis, DEUM non esse monstrum Chimæricum, sed esse possibilem: ergo evidens est, eum ex- istere; quia evidens est, eum debere habere omnem perfectionem simpliciter simplicem, inter quas evidenter est necessitas existendi. Hæc ibi fusè hic auctor, ubi etiam contendit, ad evidentiam metaphysicam non requiri, ut nemo contradicat, aut nullus profus fallibilitatis scrupulus subsit; cum omnes demonstra- tiones etiam Geometricæ nitantur experientiâ sensuum per se fallibilem. Sed ego hucusquæ semper cum communi iudicavi, quòd eviden- tia præsertim metaphysica, intellectum termi-

nos ritè penetrantem rapiat ac necessitet ad assensum, ut nec prudenter, nec imprudenter possit dissentiri, quia non est liber; cum tamen imprudentia libertatem supponat. Sanè cer- titudo tantum moralis jam excludit dissentium prudentem, imò etiam sæpè propositio unice probabilis. Verum est, posse aliquando averti intellectum à consideratione motivorum evi- dentium; at dum ea actu considerat, dissen- tiri non potest. Neque etiam necesse est, quòd omnes objectiones in oppositum clarè solvan- tur (quia aliquando etiam evidentissimis, ut motui corporum, objici possunt difficillima) modò rationes evidenter ostendant, objecta tantum esse sophismata.

53. Ad id, quòd additur de fallibilitate sen- suum, respondeo, negando, quòd experientia sen- suum profus universalis, & constans omnium Gentium & hominum, doctorum & indocto- rum possit fallere (aliud est de experimento vel casu particulari) aliàs non erit mihi vel tibi evidens, quòd detur mundus aut alia creatura præter me aut te: nec quòd dentur mala, aut bona &c. & sic nec ex creatione mundi, nec ex pro- videntia demonstrari poterit DEUS, nec ex mi- raculis, quæ etiam sensibus percipiuntur &c. quas tamè demonstrationes SS. PP. præcipuè ap- probant: quare si tantum prudenter negari non possit, non videtur evidens propositio assumpta. Sed his omnibus fermè omittis, in forma ad argu- mentum dist. ant. evidens est à posteriori, DEUM non esse monstrum. con. ant. evidens est à priori, vel quasi priori præscindendo ab omni creatura, ex qua inferatur ea possibilitas, & ita, ut pruden- ter negari non possit, esse evidens dari DEUM. neg. ant. Vel aliter, ut prudenter negari non possit eum dari, subdist. ut non possit prudenter negari positivè; seu per positivum dissentium. om. ant. ut non possit negari negati- vè, seu assensus saltem suspendi. neg. ant. & conf. si enim nulla ratio à posteriori afferretur, cum propositio hæc: *DEUS existit*: per se nota non sit; posset quis suspendere saltem assen- sum; hoc autem ipso evidentiâ non adesset; quia intellectum non raperet, quamvis posset fors dici adesse aliquam probabilitatem. Et certè, cum in DEO involvatur aseitas, non video, quomodo statim in eo casu raperetur intellectus ad eam assumendam; aut quo- modo statim imprudentiæ accusaretur, qui suspenderet assensum, & quæreret motiva alia.

54. Ob. 4. ex Elparza. Dantur veritates aliqua objectivæ simpliciter necessariae, ac æ- ternæ, e. g. *Quodlibet est, vel non est: Homo est animal rationale* &c. sed veritates necessa- riæ, & æternæ sunt ens necessarium ac æter- num, consequenter DEUS: ergo. Confirm. Veritates creatæ sunt conclusiones deductæ ex veritate prima increata, seu DEO: ergo debet iste admitti antecedenter ad veritates creatas, & independentes ab illis, prob. conseq. præ- missæ non dependent à conclusione, & hæc non potest esse evidens, nisi illæ pro priori jam

sint evidentes. ergo. Resp. Hæc argumentatio nititur tantum fundamento probabili, quod veritates necessariz de creatis realiter ab æterno existant, seu aliquid sint per statum, & identificentur cum DEO, quod à plurimis nostrorum negatur, & negabitur etiam à nobis, quando agemus de DEO sciente. Resp. 2. ex mente Athei negantis omne increatum, & simpliciter necessarium ab æterno. neg. ma. si intelligantur dari per statum: si autem tantum intelligantur dari per ampliationem, vel alienationem. neg. mi. nam DEUS debet dari per statum: sed de his iterum, quando de DEO sciente. Ad confirm. neg. ant. Imò e contra veritates creatæ sunt præmissæ, ex quibus à posteriori inferitur veritas prima, seu DEUS.

55. Ob. 7. Implicat evidenter, omne ens possibile esse imperfectum: ergo necessarid aliquid ens possibile non est imperfectum: ergo est DEUS. Prob. ant. Omne imperfectum evidenter ideo est imperfectum; quia ipsi deest ulterior perfectio possibilis: sed implicat evidenter, quod omni possibili deest ulterior perfectio possibilis: ergo implicat evidenter, omne possibile esse imperfectum. Resp. 1. Retor. arg. in numero sic. Implicat, omnem numerum finitum esse imperfectum in ratione numeri finiti: ergo aliquis est perfectissimus, seu maximus numerus finitus. prob. ant. Omnis numerus est imperfectus in ratione numeri finiti: quia deest ipsi ulterior additio finita possibilis: sed implicat, quod omni numero possibili finito deest aliqua additio alicujus numeri finiti: ergo. Idem retorquetur in creatura perfectissima sic. Implicat, omnem creaturam esse imperfectam in ratione creaturæ; quia impossibile est, ut omni creaturæ possibili deest aliqua perfectio creata, cujus tamen defectus eam facit imperfectam in ratione creaturæ, vel intra limites creaturæ.

56. Resp. 2. om. quod possibilitas entium sit à priori, vel ex terminis nota; cum aliqui acriter defendant, esse tantum notam à posteriori, seu ab experientia: resp. inquam, disting. ant. Implicat, omne ens distributivè acceptum esse imperfectum. neg. ant. collectivè acceptum. om. ant. (quia fors posset negari suppositum, quod omne ens possibile possit sumi per modum unius) & neg. conseq. ad prob. iterum disting. mi. implicat, quod omni possibili collectivè accepto deest ulterior perfectio possibilis, om. mi. ex ratione modò data: implicat, quod omni possibili distributivè accepto deest ulterior perfectio. neg. mi. & conseq. Ex hoc argumento ad summum sequitur, quod intra totam collectionem infinitam omnium possibilium (si tamen ista possint accipi per modum unius collectionis) deberet tandem dari omnis perfectio possibilis; quæ tamen collectio DEUS esse non potest; cum hic debeat esse ens unum, simplex, non aggregatum ex pluribus imperfe-

ctis.

57. Dein necdum est demonstratum, quod inter omnes perfectiones posibles etiam

sit aseitæ, quam cum semper neget Atheus, donec ei à posteriori demonstretur, ex hoc argumento nondum demonstratur DEUS. Negabit etiam Atheus, quod collectio entium infinitorum ita jam existat, vel etiam aliquando existere possit, ut non sit possibile ens perfectius omni ente jam existente distributivè sumpto, cujus causa assignari potest concursus plurium causarum tantus, ut totus actus primus proximus sit perfectior effectu, licet qualibet causa seorsim sit imperfectior. Si velis eum impugnare ex implicantia in finitum in creaturis, dato etiam, quod hæc possit demonstrari, jam erit demonstratio DEI à posteriori, seu creaturis.

58. Dices 1. Quodlibet ens est imperfectum; quia opponitur perfectissimo: sed nullum ens est imperfectum; quia opponitur Chimæræ: ergo ens perfectissimum non est Chimæra. Resp. retorq. arg. in numero maximo & creatura perfectissima. In forma neg. maj. Juxta Atheum ens est imperfectum vel quia opponitur toti collectioni; vel quia opponitur perfectiori, & perfectiori in infinitum. Dein etiam major, ut sit innegabilis ab Atheo, non potest intelligi, nisi de ente perfectissimo inter possible: tale autem juxta ipsum non est ens à se: unde etiam om. in hoc sensu majore, non esset demonstratus DEUS. Aliqui hinc videntur dicere, quodlibet ens esse imperfectum; quia excludit aliquam perfectionem sibi possibilem: sed, cum essentia sint immutabiles, sunt etiam imperfectæ; quia excludunt perfectionem sibi impossibilem: e. g. homo est imperfectus; quia habet inferiorem naturam, quam sit angelica: & tamen istius identitas ei possibilis non est.

59. Dices 2. Omne imperfectum ideo est imperfectum; quia nec formaliter, nec eminenter in se continet omnem perfectionem possibilem: sed nihil est imperfectum; quia non est Chimæra: ergo continere formaliter, vel eminenter omnem perfectionem possibilem non est esse Chimæram: ergo DEUS, qui ista continet, non est Chimæra. Confir. omne ens est ideo imperfectum; quia non est simpliciter indefectibile, nec sibi sufficiens ad existendum, nec aliis absolutè necessarium: ergo tale ens non est imperfectum, consequenter non est Chimæra. Reip. argumentum iterum retorq. in numero maximo & creatura perfectissima. Dein vel inter omnem perfectionem possibilem includitur etiam aseitæ, vel non. Si secundum. neg. ultimam conseq. quia sine hac etiam cum omni perfectione possibili non datur DEUS. Si primum. neg. suppositum; cum juxta Atheum aseitæ, utpote terminus complexus ex duobus contradictoriis, non sit perfectio possibilis; cumque hanc adversarii subintelligant, in forma nego suppositum majoris, vel ipsam majorem; nam quodlibet ens est imperfectum; quia vel non est tota collectio omnium entium, vel quia semper aliud, distributivè sumptum, est possibile perfectius, sicut solent philosophi dicere, quamlibet creaturam esse imperfectam; non, quia opponitur creaturæ perfectissimæ, sed

quia

ARTICULUS V.

An & quomodo DEUS possit demonstrari à posteriori.

quia perfectiori, & perfectiori in infinitum.

60. Ad confirmationem. Fors ex mente Athei potest transmitti, quod tota infinita collectio in aliquo sensu sit simpliciter indefectibilis, sibi sufficiens ad existendum, etsi non quoad singulas partes, tamen secundum aliquas alias scilicet de novo producendis absolute necessaria: & hinc quodlibet ens distributivè sumptum (de quo intelligi debet antecedens) potest dici imperfectum; quia non est tam perfectum, quam tota collectio. Hinc om. ant. & dist. conseq. ergo tale ens seu talis collectio non est imperfecta. conc. conseq. tale ens unum & singulare. neg. conseq. hoc enim haberet aseitatem strictè talem, quæ repugnat juxta Atheum: at verò collectio illa non habet aseitatem strictè talem; cum singulæ partes essent productæ, & producentes: in quo licet erret Atheus, tamen error ejus debet à posteriori demonstrari, scilicet ex natura creaturarum. Nec dicas: si nulla pars distributivè sumpta continet omnem perfectionem possibilem, tunc neque tota collectio; nam de hac re agemus infra, ubi de argumento à sensu distributivo ad collectivum.

61. Ob. ultimò. Evidens est non omnia implicare: ergo evidens est DEUM dari, prob. conseq. si non omnia implicent, tunc vel est possibile ens contingens, vel necessarium: quidquid admittatur, datur DEUS: ergo. prob. mi. Si est possibile ens necessarium, datur DEUS, ut pater. Si est possibile contingens, tunc etiam est possibile necessarium. prob. illatum. Si tantum essent possible entia contingentia, possent omnia deficere, adeoque nihil amplius esse possibile: hoc evidenter implicat: ergo. Resp. hanc demonstrationem non nego esse bonam; sed nego esse à priori; nam 1. nititur propriæ cujusque experientiæ, de se ac aliis creaturis existentibus, adeoque possiblebus, quæ experientia præsertim de se, non habetur præcisè per sensus, sed immediatè per intellectum: vel certè, si sensus concurrunt, non possunt in hoc falli.

62. Quod ideo addo; quia quidam volunt dicere, quod, cum sensus semper fallibiles sint, non possit aliquid sensibile demonstrari à priori, sed debeat esse intellectuale, & consequenter DEUS: quod tamen necessarium non est: imò negatur meridò, sensus universaliter quoad omnia posse falli, cujus rationem dedimus n. 53. 2. Quod ex contingentibus sequatur necessarium, non probatur à priori, sed à posteriori; quia contingentia sunt effectus entis necessarii. Imò, nisi per demonstrationem à posteriori demonstretur, quod sine ente necessario non possit esse contingens, etiam indeterminatè sumptum, eodè modo nec istud suæ causæ carere possit, Atheus distinguet majorem ultimi syllogismi, & dicet, posse quidem omnia possible contingentia determinatè sumpta deficere, non verò omnia indeterminatè sumpta. Sed & minor, quod scilicet implicet nihil amplius esse possibile, videtur tantum esse demonstrata à posteriori per experientiam à creaturis habitam.

63. Dico. DEUS demonstrari potest à posteriori, hoc est, per argumenta à creaturis desumpta, tam moralia, quam physica. Per moralia autem argumenta non intelligo tantum moraliter certa, sed ex principiis directivis morum assumpta, quæ talia sint, ut neutiquam fallant. Incipiendo autem à priori argumentorum specie, sic demonstratur DEUS. Primò. Universalissima, & constantissima persuasio hominum, quæ simul est fundamentum omnis honestatis, est necessarid vera: talis est persuasio de existentia DEI: ergo. prob. ma. Est prorsus incredibile, quod homines, aliàs tam facile dissentientes, ubique tam constanter conspirarent in sententiam aliquam, nisi ad eam inclinarentur à natura, quæ ad falsitatem non inclinat, nisi velimus dicere, quod etiam prima principia fallere possint, tam speculativa, quam practica, & quod primum etiam principium, & fundamentum omnis honestatis sit Chimæricum quoddam imaginationis ludibrium, quo præ aliis decipiantur probi, atque honesti, secus autem pessimi quique, id est Athei, atque adeò veritas lateat probos, pateat improbis, consequenter natura nos impellat ad errorem peccatum, superstitiosum scilicet cultum DEI, & ad judicandum esse virtutem id, quod est grande vitium, atque remordeat nos conscientia non ob commissum, sed ob omissionem peccatum, quæ omnia sunt evidenter falsa.

64. Minor superior negari non potest; nam omnes nationes, & genera hominum agnoscunt aliquem DEUM, ut constat ex omnino historiis, ex Sancto Augustino cit. n. 22. & ex Cicerone, cit. n. 25. Quamvis autem paucissimi quidam ut Protagoras, Diagoras, Lucianus, Machiavelus, & similes farinæ nequissimi homunciones fortè ausi sint DEUM negare, id non obest universalissimæ omnium aliorum persuasioni; nam & illud principium: Quodlibet est, vel non est: fertur à Democrito & Epicuro negatum. Dein etiam hujusmodi homines rarè DEUM negant interius, vel, si hoc aliquando faciant, non faciunt constanter, sed ad tempus, ut licentius vivant: at postea, in subitis præsertim casibus, aut periculis, tonante, aut fulminante celo, etiam DEUM inelamant, vel aliquando blasphemant.

65. Quod autem Brasili dicantur nullum agnovisse DEUM, non est universaliter verum; nam in vita V. P. nostri Josephi Anchiætæ, dicti Brasiliæ Apostoli (ubi l. 1. plura de Brasiliis est reperire) mentio habetur de Idololatriis; item dicitur, quod ipsi Brasili sæpe DEUM tanquam vindicem scelerum timerint; aliqui etiam satis humanam vitam egerint; quod inter eos etiam venefici fuerint, quos tanquam Sanctos & Deos coluerint; quod dixerint, DEUM cæli Dominum injurias sibi à Lusitanis illatas ultum fuisse: ipsum Anchiætæ amicum DEI vocaverunt.

rint, alios etiam DEO charos, consequenter reverendos dixerint: & hæc feruntur de Ethnicis adhuc, qui ex se ita senserint, & non tantum ex doctrina præconum fidei, quibus nondum crederant: adeoque magis morati DEUM aliquem agnovère: quin, ut habetur eadem in vita libro 2. *non multo ante finem mihi pagina 171.* inventus ab eodem Patre est fenex, qui non tantum DEUM agnovit, sed legem naturæ servavit, & à Patre plenius instructus ac baptizatus mox exspiravit.

66. Quod si aliqui magis barbari visi essent DEUM sub prædicato saltem magis explicito ignorasse non refert; nam inprimis, ut ait Ulloa, de iis vix non poterat dubitari, an sint bestiae, an homines: ita brutorum, imò ferarum in morem vivere: adeoque spectant ad illos, in quibus natura nimium depravata est. Adde, quòd, quamvis illa regio vasta sit, tamen, cum se ipsos invicem occidant, ac devorent, incolæ sint respectivè pauci. Et certè, ut in eadem vita l. 4. habetur, magna est in illa barbarie infrequentia hominum. Quòd autem hæc ipsa persuasio sit fundamentum omnis honestatis, vel ex eo constat, quòd Athei sint pessimi. Et hinc ipse Machiavellus docet, abscondendam esse populo doctrinam de non existentia DEI, ne eat præceps in omne vitium. Certè plurimi, præsertim in suprema dignitate, & potestate constituti, à sceleribus non cohibentur, nisi timore vindicis alicujus plusquam humani, seu supremi: & ubi timor DEI non est, facile omne scelus est; nec enim pulchritudo virtutis homines communiter ad hanc sufficienter allicit, aut turpitudine vitii arcet.

67. Demonstratur 2. DEUS etiam ex pulcherrima mundi fabrica, ordine, & symetria ejusdem, quæ planè à casu provenire non poterunt, minus ab eodem tam stabilibus legibus conservari. Certè si literæ typographicae infinitas casu projicerentur, vel miscerentur, nemo diceret, posse casu prodire Platonis vel Aristotelis libros, vel Euclidis trigonometriam, Virgillii Æneidem, aut Ciceronis volumina: si infiniti lapides variae figuræ infinitas casu miscerentur cæmento, vel projicerentur, non prodiret templum Salomonis, aut aureum Neronis palatium; quanto minus totum universum cum stellis, herbis, animalibus, hominibus, tanto ordine, elegantia, stabilitate, à casuali atomorum mixtione oriri potuit, ut Athei somniant? ergo debuit dari mens sapientissima, quæ ista produxerit &c. Similes plures demonstrationes passim sunt obvix apud Sanctos Patres, atque Doctores.

68. Demonstratur 3. DEUS argumento physico notissimo sub ratione entis improducti, ex quo dein aliæ perfectiones eruiuntur, & quidem sic: Datur ens productum: ergo etiam improductum, ant. est evidens cuique ex se ipso, & aliis. conseq. demonstratur: si non datur ens improductum, tunc non potest ostendi causam primi entis producti; nam non potuit produci à se ipso, ut est clarum, nec ab alio, nisi duo se mutuo producerent: at, ut

habet S. Anselmus c. 3. *Monologii. Irrationabilis cogitatio est, ut aliqua res sit per illud, cui dat esse.* & evidens est omnibus, quòd nequeant duo se mutuo producere, saltem quoad primum esse: secunda autem productio, quæ apud omnes saltem naturaliter impossibilis est, existentiam DEI supponit, & hinc non venit ad rem: imò nec de hoc Atheus dubitat; aliàs enim quid ad infinitum confugeret?

69. Ad hoc argumentum respondent, posse supponi infinitum causarum sibi succedentium, adeoque nunquam deveniendum ad primum ens productum. Sed contra est: infinitum in causis successivis clarè implicat: atqui istud deberet Atheus admittere; nam ipse ad quemlibet effectum necessariò requirit causas per se, sive necessariò præcedentes, infinitas (aliàs enim deveniret ad primam, quod horret Atheus) ergo idem effectus deberet necessariò ab aliquibus suis causis, scilicet proximioribus, distare finitè, ab aliis remotissimis infinite, quod clarè impossibile est, & hinc etiam Banholzer de Scientia Dei q. 1. a. 1. n. 4. ait, Philosophos claris rationibus demonstrare implicantiam ejusmodi processus in designanda infinita serie causarum. Neque dicant adversarii, S. Thomam admittere possibilitatem infiniti in causis per se, sive necessariò requisitis; nam 1. p. q. 46. a. 2. ubi videtur dicere, non posse demonstrari, quòd mundus inceperit in tempore, sic ait: *Ad 7. dicendum, quòd in causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se, ut puta, si cause, quæ per se requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum.*

70. Iterum eodem articulo ad 8. docet, etsi admittatur, mundum potuisse esse ab æterno, non ideo admittendas esse æternas generationes hominum, & ita concludit: *Unde possit dicere aliquis, quòd mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura, ut Angelus, non autem homo.* Eandem impossibilitatem infiniti actu in multitudine causarum, & quidem etiam per accidens causantium, clarè docet idem Angelicus 1. p. q. 7. a. 4. in corp. Ubi etiam noto, Angelicum non dicere tantum repugnare infinitum causarum per se subordinatarum; ad has enim requiritur aliquid, quod fortè Atheus necessarium negaret (de qua re videatur Scotus in 1. dist. 2. q. 2. & Quantum ad primum articulum, vel Raynaudus Theol. natural. dist. 5. q. 1. a. 3.) sed dicit repugnare infinitum causarum per se requisitarum, hoc est, ita necessariò, ut sine ipsis effectus dari non posset. Verùm, ut simus liberales,

71. Demonstratur DEUS 4. etiam omisso aliquo processu in infinitum sic: Tota collectio infinitarum causarum productarum est producta: non ab aliquo intra collectionem: ergo ab aliquo extra collectionem, seu ab aliquo improducto, id est DEO. consequentia est evidens. ant. prob. 1. quoad primam propositionem, illud totum evidenter non est improductum, sed productum, cujus nulla pars nec adæquate, nec inadæquate est improducta: ita se habet

habet collectio etiam infinitarum causarum productarum: ergo. mi. facile probatur; quia vel Atheo est lumine naturæ evidens, quòd nihil se ipsum adæquate producat, imò nec inadæquate; quia quando nihil omnino est, neque partialiter potest physice agere; quòd autem fit ens à se, ipse Atheus vel maxime negat. ma. demonstratur. Prædicatum non potest identificari cum aliquo toto, nisi vel adæquate identificetur alicui parti, ut intellectivum in homine: vel inadæquate singulis, aut saltem pluribus partibus, ut animal in eodem homine: atqui prædicatum improducti non identificatur adæquate ulli parti collectionis, nec etiam pluribus inadæquate, ut modò in probatione minoris ostensum est.

72. Ex hoc ipso argumento habes signum, quando sit bona Argumentatio à sensu distributivo ad collectivum; nam, quamvis universaliter hæc argumentatio bona non sit, est tamen evidenter bona tunc, quando est negativa; & negatur de toto aliquod prædicatum positivum, quod nec adæquate, nec inadæquate identificatur cum ulla parte; cum enim non detur identitas, nisi vel adæquata, vel inadæquata, evidens est, tale prædicatum identificari non posse. Alii alia signa afferunt, quæ nec probo, nec impugno: nec etiam nego, posse in alio casu quoque argumentum hoc bonum esse; quia ad aliquod non requiritur, ut semper adsit, ubi est significatum; sed tantum, ut non adsit sine significato. Sic vox animalis est signum vitæ ejusdem; quia non potest clamare, nisi animal vivum, quamvis vivere possit, quin clamet. Noto autem prædicatum Improductum hinc non sumi tantum negativè, seu pro pura negatione productionis; nam in hoc sensu etiam Antichristus, imò hircocervus sunt improducti: sed sumi positivè pro maxima perfectione existentia actualis à se. Unde hoc prædicatum, quamvis sit negativum secundum dici, seu modum significandi, non tamen est tale secundum rem significatam.

73. Demonstratur jam 2. propositio, quòd collectio etiam infinita causarum non sit producta ab aliquo intra collectionem, seu ab aliquo producto. Vel enim ab uno producerent omnia reliqua: & hoc ipsum deberet primò produci ab aliquo ex reliquis: ergo duo se deberent mutuo producere, quod est impossibile ex n. 68. vel deberent singula produci à singulis: sed neque hoc dici potest: ergo. Noto autem, quòd ab ultimo effectus, qui, cum nihil ante se producat, nil facit ad rem, abstrahamus, & tantum loquamur de infinita collectione causarum productarum, & producentium.

74. Jam prob. mi. in hac collectione, quot sunt producentia, tot sunt producta, scilicet utrinque infinita: ergo vel debet saltem aliquod esse productum ab aliquo extra collectionem, vel debent duo intra collectionem mutuo sese vel mediata, vel immediata producere: hoc secundum evidenter repugnat: ergo debet admitti prius, hoc est, aliquod ens extra collectionem, consequenter improductum, ant. est evidens etiam Atheo, nec minus evidens est minor subsumpta ex n. 68. præsuppositis prioribus ultimum consequens clarum. Solum vi-

detur restare adhuc clarius ostendendum, quòd etiam in collectione infinita debeant se duo mutuo producere, nisi aliquid producat ab ente improducto, quod sic declaratur.

75. In hac serie causarum successiva, si non sint plura producentia, quam producta, tunc non potest cuilibet producto correspondere suum producens distinctum, & consequenter infinitis productis non possunt correspondere eadem infinitudine infinita producentia, nisi duo se mutuo mediata vel immediate producant, ut cuilibet penetranti terminos facile patret. Certè in collectione finita hoc est evidentissimum e. g. ut centum sint verberantes & verberati, & nullus extra hanc collectionem verberet, debent saltem duo se mutuo mediata, vel immediate verberare. Sicut autem se habet collectio finita ad finitam, ita se habet collectio infinita ad infinitam. Et sic etiam est evidens, quod in collectione infinitorum dantium, & accipientium nummum, si nullus sit dans, qui non sit recipiens, debent duo vel mediata vel immediata sibi mutuo dare; sic si horologium constaret infinitis rotis, quæ omnes essent moventes, & motæ, nulla tamen à pondere distincto à rotis, deberent duæ se mutuo movere: quod cum impossibile sit, extrinsecum pondus admitti debet: & qui diceret, rotas ligneas, vel ferreas, modò infinitæ sint, non indigere alio motore ad signandas horas, nã is ligneum haberet cerebrum.

76. Dixi semper: mediata vel immediate; si enim non immediate se duo producerent, deberent id saltem mediata facere, ita ut e. g. ab uno produceretur alterum, ab hoc tertium, ab isto quartum, ab hoc quarto illud primum unum: sicut scilicet, si gyrtur circulus, prima pars acquirit locum secundæ, secunda locum non primæ, sed tertiæ, & sic ulterius, donec pars ultima acquirit locum primæ. Sed magis absurdum est, quòd aliquid per primam productionem producat suam causam mediatam, & multo tempore præcedentem, quam ut duo immediate invicem se producant: ut est evidens. Nec dicat Atheus, eandem causam posse producere plures effectus; nam, si etiam mille producat, nullus ex his poterit producere aliquid prius se ipso, sed tantum aliquid posterius, cum quo deign & sequentibus constituit aliam seriem collectionis infinitæ: & quod concluditur de una, concluditur eodem modo de altera.

77. Dices, non debere quæri causam totius infiniti, sed tantum singulorum. Resp. hoc esse studiosè se obocæcare, & subterfugere viam aliquid de infinito intelligendi, cum evidenter eundo per singula non possit deveniri ad finem. Dein sic nunquam satisfiet intellectui, adæquatam, & ultimam sufficientiam totius inquirenti; nam quælibet responsio data assignando causam productam est origo novæ quæstionis: scilicet, unde hæc ipsa causa assignata sit orta: & quamvis reponas iterum causam productam, non satisfacit, eò quòd nova iterum causa detur inquirenti, à quo ista sit orta, & sic in infinitum. Dices, infinitum non posse sumi per modum

modum unius. Contra est: quomodo ergo Atheus assignat plenam & adequatam sufficientiam productorum, quæ non habetur per ullam collectionem finitam? 2. Istud infinitum ex mente Athei actu existit, adeoque est ens determinatum, & una collectio, sicut quælibet collectio finita est una: cur ergo non possit sumi per modum unius? *Arriaga de DEO disp. 2. n. 29.* scribit, quod hoc velle negare sit in re infantibus nota nodum in scirpo querere. *Derkennis autem disp. 3. n. 15.* ait, si negentur circa infinitum prima principia, de eo silendum; cum subducantur sic media loquendi de eo: aliud est de infinito syncategorematico, quod nunquam totum potest existere, nec est aliquid determinatum, quoad partes nondum existentes, de quo plura Philoſophi.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

78. **O**B. 1. contra 1. demonstrationem. Judicium de DEO apud plurimos est erroneum: ergo ex eo nihil probatur. Prob. ant. Ethnici credunt DEUM multiplicem; Judæi, & Turcæ non credunt trinum; alii assignant ei prædicata varia absurda: ergo. Confirm. 1. Potest peccatum originale corrumpere totam naturam: ergo idem potest aliquis error. Confirm. 2. Plurimæ opiniones communissimæ antiquorum modò à Philoſophis rejiciuntur: ergo communis opinio non reddit rem infallibilem. Resp. neg. ant. ad probat. dist. conseq. ergo judicium universale, in quo omnes conveniunt, est erroneum. neg. conseq. judicium particulare aliquarum Gentium. conced. conseq. Judicium universale omnium est tantum de existentia DEI, & honestate cultus illius: & hoc est evidens, atque solum à nobis in argumentum adducitur, non verò judicium particulare de qualitate DEI vel Deorum, quod in plurimis est falsum.

79. Ad primam confirmationem. neg. conseq. præsertim de tali errore, qui necessitaret, vel certè efficacissimè induceret ad malum, scilicet ad cultum Chimæræ, essetque naturalis juxta explicationem *n. 12.* datam; cum econtra peccatum originale sit contra naturam, nec similiter ad malum nos inducat. Adde, quod peccatum illud tantum sit originale, error autem hic foret actualis in omnibus. Ad 2. confirmat. dist. ant. opiniones, quæ sint ita communes, & simulita fundamentum omnis honestatis. neg. ant. aliquibus respectivè paucis tantum utrunque communes, & præcisè speculativæ. om. ant. & neg. conseq. Certè est magnum discrimen inter persuasionem de existentia DEI, & opinionem de metu vacui, vel de distinctione colorum à lumine, vel aliam similem, de quibus innumeri nunquam cogitant, contenti scire, quod dentur colores (in quo non falluntur) quid autem aut quales sint, minimè solliciti.

80. Ob. 2. Erronea persuasio sæpe neces-

saria est ad virtutem exercendam; aut vitium vitandum: ergo etiam potest esse necessaria falsa persuasio de DEO. ant. prob. Sic milites, dum putant duces vivere, qui jam est mortuus, animosè pugnant, aliter non pugnaturi. Sic pueros sæpe coërcet metus fictus S. Nicolai. Resp. dist. ant. Sæpe necessaria est per accidens, & in casibus particularibus, conc. ant. per se, & universim. neg. ant. & conseq. Error particularis necessarius quandoque est ob pravam dispositionem subjecti; nam miles non est egregius, qui mortuo duce non pugnât, si adhuc est spes rem bene agendi: nec puer bene moratus, qui metu tantum coërcetur. At necessaria per se, & universim, sunt necessaria ex natura, & ab hac intenduntur, quæ non est ex se malè disposita; ut ei necessarius sit error, consequenter hic ab ea non intenditur. Accedit, quod error minus inficiat sapientes & probos, quam alios; cum tamen illi firmiorem habeant persuasionem de DEO, quam alii.

81. Dices: Universalis ignorantia prædestinationis, vel reprobationis est necessaria, vel utilis saltem viatoribus ad bene vivendum: ergo etiam potest esse utilis vel necessarius error universalis de DEO. Resp. 1. neg. quod sit necessaria; quia plures Sancti ex eo, quod se sciverint prædestinatos, sanctius etiam vixerunt. Resp. 2. om. ant. neg. conseq. Ignorantia illa est tantum carentia notitiæ indebitæ, cum qua potest conservari respublica humana in statu, quantum illi debetur, optimo, sicut conservatur cum ignorantia aliarum rerum: at error circa existentiam DEI esset maximum malum intellectus, & induceret ad malum, seu cultum Chimæræ: simul autem deberet esse fundamentum virtutum justitiæ, temperantiæ, misericordiæ &c. quæ sunt absurda.

82. Ob. 3. Si est evidens existentia DEI, etiam est evidens, quod sit omnino perfectissima: hoc non est evidens. ergo. Resp. dist. ma. Si est evidens quoad an est. neg. ma. si etiam quoad quomodo est. conced. ma. & om. mi. neg. conseq. *Evidens quoad an est* dicitur illud, de quo querenti, an sit; seu existat, potest cum evidentiâ responderi, quod existat. *Evidens quoad quomodo est* dicitur illud, de quo etiam querenti, quomodo se habeat, aut qualia prædicata involvat, possunt ea demonstrari: quæ duo sunt inter se valde diversa. Jam per nostram demonstrationem evidens est, quod DEUS existat: quænam autem prædicata omnia, vel perfectiones involvat, ex hac demonstratione nondum immediatè debet posse inferri. Facile quidem Omnipotentia, Omniscientia, Sapientia, Justitia inferuntur, quod cuique DEUM ut Gubernatorem, vel Creatorem consideranti facile patet: quomodo autem aliarum perfectionum inferantur, inferrius dabimus.

83. Ob. 4. Si daretur DEUS, daretur providentia DEI: hæc non datur: ergo. prob. mi. Si daretur providentia Divina, justii abundarent bonis, & carerent malis: secus se haberent scelerati: hoc non contingit: ergo. Confir. DEUS esset infinitum bonum: ergo excluderet omne

omne malum; quia unum contrarium expellit alterum: at hoc non facit: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. ma. Providentia Divina in statu elevationis dirigit hominem ad beatitudinem supernaturalem, ad quam non est medium semper aptum temporalis felicitatis, imò sæpe est impedimentum. 2. Mala temporalia sunt poenæ delictorum levium, in quæ incidunt sæpe etiam justii, & sic expiantur: sicut econtra bona temporalia sunt merces operum naturaliter bonorum, quæ faciunt etiam peccatores, & sic jam hæc recipiunt mercedem suam.

84. Ad confir. disting. conseq. excluderet omne malum à se. conced. conseq. ab aliis subjectis. neg. conseq. Contrarium unum expellit alterum non ex omni loco, etiam in quo ipsum est; sed tantum ex eodem subjecto, maxime si sit agens liberum, quale DEUS est, & velit aliis relinquere libertatem, sicut DEUS vult relinquere hominibus. Nec ista DEUM dedecet; cum possit ex malis eruere bona: nec tenetur mala impedire, ut tenentur sæpe homines; quia subjecti legi DEI, id imperanti; DEUS enim nulli legi subiectus est. Sed nec natura sua eum necessitat ad impedienda aliorum mala; quia hæc necessitas probari nullatenus potest: imò, cum hæc necessitas DEI absoluta sit impossibilis cum libertate creata, non potest dari in DEO, quin ei negetur potestas creandi hominem liberum, quæ absurdè negaretur. Tandem, cum demonstratus aliunde sit DEUS, simulque evidens sit, mala ab eo permitti, clarum est, ejus naturam non esse impossibilem cum malis aliorum.

85. Ob. 4. contra 2. demonstrationem. Atomi infinitæ infinitis diversis modis combinatæ facerent omnes combinationes possibiles: ergo etiam istam hujus universi: ergo ruit demonstratio *n. 67.* adducta. Confir. Posset dici, aliqua entia e. g. solem, stellas, materiam primam &c. esse à se ergo non demonstratur DEUS. Hoc argumentum 1. *Metaph. summa 2. c. 2.* vel, ut Maurus dividit, *a. 1.* visum est Aristoteli argumentum præ nimio potu delirantium; hinc laudat Anaxagoram, qui mentem, seu DEUM admisit, tanquam sobrium inter ebrios. In forma dist. ant. facerent omnes combinationes possibiles per casum. conc. ant. prorsus omnes. neg. ant. & conseq. Lumine naturæ evidens est, non omnes combinationes esse per casum possibiles, & minùs esse possibiles per casum combinationes constanter ordinatissimas: certè qui semper senarios projiceret, non casu, sed arte aleis ludere diceretur: ergo, dum leo semper leonem, & ovis semper ovem generat, non casu, sed superiore consilio id fieri necesse est. Ad confir. neg. ant. Stultum est somnari, entia inanimata, & homini tanquam fini suo subalternantia, esse infinitè perfecta, & à seipsis; cum homo sit ab alio. Imò, quod à se haberet existentiam, etiam haberet omnes perfectiones, vitam, intellectum &c. de quo infra: sed his caret stellæ &c.

86. Ob. 5. Sicut gravia, & levia moventur à qualitate intrinseca sursum, aut deorsum; ita etiam herbæ naturaliter crescunt sursum, animalia naturaliter generant, cælum naturaliter gyrat &c. ergo ex his non demonstratur DE-

US. Resp. neg. conseq. Est sanè imperceptibile, & falsum, quod opera tam superanda, omne humanum ingenium, & artem stupentia, proveniant à sola natura naturata, ut ajunt, seu omnino inanimatis creaturis, scilicet atomis solis; nisi datur simul natura naturans sive DEUS, qui infinitò suo intellectu omnia ordinet, saltem in prima productione. Certè, si nec rudissima imago potest provenire à solo penicillo absque directione artificis, neque poterit à solis corpusculis, seu atomis omni ratione, imò sensu carentibus, casu tantum commixtis, provenire planta, aut animal, & vel minimè homo: sanè atomi illæ evidentè non habuere vim de solis talia primò producendi; nisi mens & potentia superior eis mixtionis modum & vim tribuerit.

87. Ob. 6. contra 3. demonstrationem. Medius terminus demonstrationis sunt creaturæ, extremum autem DEUS: atqui creaturæ & DEUS non identificantur: ergo demonstratio est mala. Resp. neg. conseq. Syllogismus noster non est categoricus, sed hypotheticus, in quo non requiritur identitas, sed connexio, ut est evidens in plurimis: e. g. si datur pater, datur filius: sed, ergo, quamvis pater & filius distinguantur. Eadem responsio datur, si dicatur, in antecedenti poni tantum producta, & in consequenti plus, hoc est, etiam improductum; quia inter ista datur connexio. Potest tamen argumentatio nostra reduci ad syllogismos categoricos: e. g. omne ens productum est evidenter connexum cum improducto, tanquam cum causa prima: sed datur ens productum: ergo datur ens evidenter connexum cum improducto. Rursus: omne evidenter connexum cum improducto, & existens, inserti improductum tanquam terminum connexionis: sed ens productum est evidenter connexum cum improducto, & existens: ergo &c. Si dicas: ex necessario non sequi contingens: ergo nec ex contingenti necessario: Resp. neg. conseq. disparitatem dant Summulistæ; quia ens necessarium, utpote indefectibile, non potest quoad suam existentiam dependere à contingenti seu defectibili; alias etiam ipsum posset deficere: at verò ens defectibile sine ullo præjudicio potest dependere ab indefectibili: unde, quamvis non possit sequi necessarium ex contingenti, tanquam priori seu radice, aut causa; potest sequi tanquam ex posteriori, seu effectu.

ARTICULUS VII.

Solvuntur reliquæ objectiones.

88. **O**B. 7. contra 4. demonstrationem. Multæ argumentationes à sensu distributivo ad collectivum, similes argumentationi nostræ, sunt malæ: ergo nostra non est evidenter bona, ant. probatur exemplis: 1. Singulæ partes non sunt compositæ: ergo neque totum est compositum. 2. Singuli milites non possunt defendere arcem: ergo neque totus exercitus. 3. Singulæ partes cœli, dum gyrantur, non retinent priorem locum: ergo neque tota sphaera cœlestis. 4. Singuli oculi non sunt determinatè necessarij ad videndum

dendum: ergo neque tota collectio. 5. Singula individua infiniti categorematici non implicant: ergo neque totum infinitum. Resp. neg. ant. In primo exemplo negatur in consequenti prædicatum de toto, quod quidem non fuit adæquate identificatum cum singulis partibus, & hinc non potuit de his seorsim prædicari: attamen fuit identificatum inadæquate cum singulis partibus, sicut cum S. Petro est inadæquate identificatus numerus duodenarius Apostolorum; nam compositum idem est, ac ex pluribus partibus constitutum, quod prædicatum inadæquate reperitur in singulis, quatenus quælibet est constitutum, adeoque inadæquate compositum. Ad secundum servit eadem responsio; nam quilibet saltem inadæquate potest arcem defendere.

89. In tertio vel sermo est de loco intrinseco, seu ubicationibus, & consequens est verum; quia tota sphaera acquirit novam collectionem ubicationum: vel sermo est de loco extrinseco, sive spatio illo concavo, intra quod cælum gyrari concipitur, & negatur iterum in consequenti prædicatum de toto, quod inadæquate est identificatum partibus singulis; licet enim quælibet pars cæli, dum gyratur, occupet aliam partem illius spatii, tamen nunquam extra istud egreditur, & acquirit locum iterum inadæquate identificatum priori loco adæquato cæli: unde omnes partes cæli, simul sumptæ, non habent alium locum adæquatum, quam prius; adeoque malè inferitur, quod totum cælum non retineat eundem locum adæquatum extrinsecum. In quarto argumentum non est à sentiu distribuivo, sed à disjuncto, seu confuso; illa enim propositio, ut notum ex summis, supponit non distributive, sed confusè. Cum igitur in suppositione confusa descensus fiat per particulam *vel*, & propositio superior ita debeat exponi: vel dexter vel sinister oculus non est necessarius: non potest inferri: ergo nullus. At juxta Atheum omnia, etiam distributive sumpta, non sunt improducta: & non tantum vel Petrus, vel Paulus non est improductus, sed nec Petrus, nec Paulus est improductus. Ad quintum est eadem responsio; nam & ista propositio aliquo modo est confusa, ut magis declarabitur n. 92.

90. Nec dicas, quodlibet ex collectione productorum esse inadæquate improductum; hac enim ratione deberet aliqua pars cujusque entis esse à se, adeoque DEUS: vel deberet eadem res indivisibilis esse à se, & simul ab alio, quem hiridocervum nec Atheus admittit, & non negat, singula esse adæquate producta. Fortè dices, quod inadæquate improductum aliud non sit, quam esse partem collectionis improductæ. Sed sic posset etiam collectio lignorum dici lapidea, & quilibet truncus inadæquate lapideus, & collectio mortuorum vivens &c. Debet ergo aliunde ostendi, vel quod tale prædicatum necessario conveniat toti quidditative sumpto, & inde inferri, quod partibus inadæquate conveniat: vel debet aliunde in partibus ostendi proportio ad tale prædicatum, quod neutrum Athei faciunt.

91. Ob. 8. Aliæ argumentationes similes nostræ dantur malæ: ergo nostra saltem non est

evidenter legitima, ant. prob. eas adducendo. 1. Singula partes compositi sunt unitæ alteri: ergo etiam totum est unitum alteri. 2. Singuli homines sunt generabiles ab alio homine: ergo tota collectio. 3. Singuli dies æternitatis præsupponunt aliam diem: ergo tota collectio. 4. Singula causæ relinquunt effectum post se: ergo etiam tota collectio. 5. Singuli homines sunt producti ab alio homine: ergo tota collectio. 6. Singula partes relationis sunt indifferentes: ergo tota collectio. Resp. has argumentationes esse affirmativas, & consequenter in primario puncto nostræ dissimiles: ad abundantiam tamen ostendo, aut vitium, aut bonitatem istarum illationum.

92. Prima argumentatio est mala; quia inferitur in consequente prædicatum, quod in antecedente nec adæquate, nec inadæquate fuit positum, scilicet unitum alteri toti, vel certè parti novæ extra priores, de quo in antecedenti nulla prorsus mentio. Dein esse unitum alteri tanquam compati, dicit in recto esse partem, & nondum totum; atque adeo illa argumentatio est similis huic: Singula partes sunt pars: ergo etiam totum est pars: ubi consequentia clarè est nulla; quia prædicatum partis, seu insufficientis ad constituendum totum, tollitur per adjectionem reliquarum partium. Secunda argumentatio peccat in eo, quod propositio antecedens non est distributiva, ut requiritur; quia prædicatum hoc tantum affirmari potest de singulis, determinatè sumptis, non autem de singulis indeterminatè sumptis; quia unus ex illis, saltem indeterminatè sumptus, non est generabilis ab alio homine. Hinc ut rectè notat Cassilius l. 1. *introductionis in logicam tr. 2. c. 3. sec. 3.* prædicata talia non possunt affirmari de singulis, nisi cum limitatione: e.g. possum carere singulis cibis: sed cum limitatione: si aliquis alius adit; nam non possum carere omnibus; & sic etiam possunt singuli generari, vel singuli sunt generabiles: sed si aliquis alius non generetur: hac autem limitatio, vel conditio facit propositionem æquivalenter confusam; nam facit hunc sensum: vel iste, vel ille est generabilis. Et sicut de hac argumentatione discurrendum; ita etiam de quarta, & quinta n. 89.

93. In tertia vel est sermo de æternitate à parte antè, quæ jam tota successivè extiterit, & argumentatio est formaliter bona, sed falsum est antecedens. Si qui negent, eam esse bonam, ut videntur debere negare illi, qui talem æternitatem possibilem admittunt, debent dicere, quod aliquis dies, indeterminatè sumptus, non præsupponat aliam diem, ut diximus supra, aliquem indeterminatè non esse generabilem ab alio. Cum tamen dies omnes extiterint, adeoque determinati fuerint, viderint ipsi de hac sua responsione. Vel est sermo de æternitate à parte post secutura, & syncategorematicè tantum infinita: & negatur suppositum; quia hoc infinitum, utpote quoad partes non existentem indeterminatum, non potest sumi per modum unius, ut suppono ex Philosophia. Quarta argumentatio est formaliter bona, sed antecedens est falsum: & idem dicendum de quinta. Sexta est mala; quæ-

quælibet enim pars est inadæquate indifferens, & inadæquate determinata; quia indifferens idem est, ac insufficientis: quævis autem pars relationis est insufficientis ad constituendam se sola relationem totam: est tamen etiam simul inadæquate sufficiens; unde argumentatio est æquivalenter negativa, & negatur in consequenti prædicatum de toto, quod inadæquate fuit identificatum cum singulis partibus.

94. Ob. 9. Nostra demonstratio evertit processum in infinitum: ergo non demonstramus Deum etiam permisso illo processu. Resp. 1. neg. consequentiam. Hic modus argumentandi dicitur *reductio ad impossibile*, estque optimus, vel S. Augustino etiam familiaris. Imò, qui, & obiter legit elementa Euclidis, inveniet plures tales demonstrationes, in quibus ab initio aliquid ponitur, seu permittitur; sed dein ostenso absurdo, quod ex eo supposito sequitur, idem in fine negatur. Resp. 2. neg. ant. Nostra demonstratio non probat, non posse dari infinitum: & licet omnino persuasus sim, non posse dari ullam infinitum creatum; tamen id nunquam mihi persuaderet hæc demonstratio DEI; hæc enim, abstrahendo, an creaturæ sint finita, vel infinita, ostendit in utroque casu, vel admittendam mutuam productionem quoad primum esse, vel aliquam causam etiam ab infinitis creatis distinctam.

95. Quamvis autem hac ratione demonstraretur causa prima extra collectionem, non eo ipso demonstratur prima intra collectionem; si enim infinitum non implicat, poterit DEUS aliquod infinitum producere simul, vel quacunque alia ratione, quam assignat patroni infiniti, qui aliis argumentis, quam pro existentia DEI allatis, impugnantur solent. Noro tamen, nos non permittere processum, quem fortè Atheus petit, scilicet absolutum ab omni causa prima; hoc enim esset ridiculum, cum primum disputetur, an eo supposito non sit necessaria causa prima. Unde permittimus tantum processum in infinitum qualemcumque præcivè talem, seu abstrahendo, an præter illum adhuc necessaria sit causa prima, an non.

96. Sed neque permisso eo processu, permittimus omnia, quæ ex infinito sequuntur, vel à quibusdam deducuntur, ab aliis autem negantur; hæc enim tantum debent admittere auctores, qui admittunt processum illum ut absolute verum, seu verè possibilem: nos autem tantum transmittimus infinitum tanquam aliquid insufficientis ad demonstrationem nostram evertendam. Si dicas, sic non permitti processum, quem S. Thomas, & Aristoteles admiserunt, seu generationes ab æterno: Resp. falsum esse, quod S. Thomas generationes ab æterno admiserit ex n. 69. & 70. Aristoteles autem, cum circa creationem, & originem mundi multum erraverit, non est valde curandus: quanquam fors dici etiam possit, talem quoque processum saltem non immediatè everti per nostram demonstrationem, quæ contenta est, modò aliquid dicatur à DEO productum, sive ab æterno, sive in tempore: licet autem ex ea sententia sequantur alia absurda, aliis tamen argumentis sunt impugnanda.

97. Dices. Qui admittunt infinitum durationum successivarum, etiam admittunt, non præsupponi aliquid in linea durationis ad hoc infinitum: ergo qui permittunt infinitum causarum succedentium, debent etiam permittere, non præsupponi aliquam causam ad hoc infinitum. Resp. om. ant. neg. conseq. aliud est positivè admittere, seu defendere; (nam hoc est se obligare ad defendendas omnes sequelas legitimas) aliud est præcisè permittere, quod tantum est omittere hic & nunc aliquid sine ulla obligatione defendendi, imò nec permittendi omnes sequelas. Dein etiam illa prior sequela habet gravissimas difficultates; quas tamen, quia non attinent ad nostram demonstrationem, non attingo.

98. At hoc addo, disparitatem aliquam à patroni infiniti dari posse inter priorem, & posteriorem sequelam; modò enim ostendatur, nullam durationem in collectione illa successiva esse primam (de quo viderint ejus sententiæ patroni) modò etiam ostendatur causa omnium earum durationum, non potest saltem, nisi valde mediatè, probari necessaria eorum dependentia ab aliquo prius durante; nam causa producens prius tempore dari non debet, sed tantum prius natura: collectio autem illa non necessariò præsupponit aliquod tempus, neque formalitè æternitatem DEI tanquam pro priori existentem, sed tantum simul coexistentem & omnipotentiam DEI præsupponit tantum pro priori naturæ se habentem; at verò collectio etiam infinita causarum habet, ut hucusque demonstravimus, semper adhuc necessariam dependentiam à sua causa, sicut effectus quilibet alius.

QUÆSTIO II.

De Essentia, & Attributis Divinis.

ARTICULUS I.

Quenam prædicata formalitè constituant Essentiam metaphysicam DEI.

99. Prædicata Divina alia dicuntur absoluta, alia relativa: alia necessaria, alia contingentia: alia essentialia, alia attributa. Prima sunt, quæ non respiciunt terminum à se distinctum, ut esse æternum, immutabilem. Secunda respiciunt terminum distinctum, ut esse Patrem, vel Filium. Tertia sunt, sine quibus DEUS esse non potest, ut esse omnipotentem, infinitum, æternum &c. Quarta sine quibus DEUS esse potest, saltem quoad denominationem, ut esse volitivum, vel nolitivum hujus vel alterius rei creatæ, quam liberè potest velle, vel nolle: item cognoscitivum existentie hujus, vel alterius objecti; quod potest liberè ipse, vel creatura ponere, vel omittere &c. Quinta, strictè sumpta, constituant essentiam DEI, sicut animal & rationale constituant essentiam hominis. Sexta tandem, seu attributa, vel sumuntur latè pro omnibus prædicatis, quæ DEO tribuntur, quo sensu etiam prædicata essentialia sunt attributa: vel sumuntur.

sumuntur strictè, & tunc iterum dupliciter accipiuntur, scilicet vel pro prædicatis illis, quæ in creaturis solent esse accidentia, & propria physicè, ut sapiens, iustus &c. vel pro proprietatibus physicis, aut metaphysicis DEI: ut enim essentia hominis non tantum habet proprietates phyficas, e. g. esse calidum, frigidum, sanum, ægrum; sed etiam metaphysicas, ut risibile, flebile, admirativum; ita etiam videtur eas habere Divina essentia, quæ proprietates attributa vocantur.

100. Ulterius essentia Divina accipitur vel physicè, vel metaphysicè. In primo sensu sicut homo involvit corpus, animam, & unionem, tanquam partes phyficas, ita DEUS, cum partes phyficas non habeat, involvit saltem omnia, quæ realiter pertinet ad constitutionem DEI, vel quidquid necessarîo communicatur tribus SS. Personis. In secundo vero sensu involvit tantum illa prædicata, quæ per modum generis & differentia ingrediuntur definitionem DEI, de quibus tamen ipsis variant Auctores. Quidam cum Eximio l. 1. de essentia DEI maxime c. 11. Quirós, Gormaz, & alii docent, omnes perfectiones necessarias absolutas ingredi definitionem DEI, ita ut definiri debeat vel *Cumulus omnium perfectionum absolutarum* & *necessarîarum*, vel *Plenitudo omnis perfectionis necessarîe absolutæ*. Cum his videtur coincidere P. Ulloa Tom. 1. disp. 1. c. 1. n. 1. ubi ait, quidditens vel essentiam DEI stare in hoc, quòd sit Ens vel Substantia fruens negativè, ac positivè omni perfectione pura ab omni imperfectione. Nec longè ab his videtur recedere doctissimus quidam Recentior, à quo DEUS definitur *Sufficiencia adequata habendi omnem perfectionem simpliciter simplicem*. Alii definiunt DEUM *Intellectivum à se*, ita Vasquez, Godoy, Arriaga, & alii. Rursus alii definiunt *Ens à se*, ita Derkennis de DEO. Disp. 1. n. 54. Haunoldus. L. 1. c. 1. n. 54. Esparza L. 1. de DEO q. 5. a. 7. Izquierdo Tom. 1. disp. 1. q. 10. n. 253, & alii, præsertim Recentiores, satis communiter.

101. Dico cum his ultimis. DEUS rectè definitur *Ens à se*. Prob. 1. SS. Patres negant omnes perfectiones Divinas, seu totum earum cumulus esse de essentia DEI; sed ajunt, plura prædicata esse attributa, & extra essentiam, esse proprietates ex essentia DEI profluens: ergo essentia DEI non consistit in eo cumulo, sed in certis quibusdam prædicatis: atqui non possunt assignari convenientius alia, quam *Ens à se*: ergo. prob. ant. S. Basilius l. 1. contra Eunomium paulo ante medium ait: *Quoniam igitur pacto non deidendus, si creativum substantiam esse dicat: si providentiam rursus substantiam, eodem modo præscientiam, & omnem itidem operationem substantiam putet?* S. Cyrillus Alexandrinus l. 11. Theaur. sub medium. *Non omnia ergo, quæ in DEO sunt, &c. de DEO dicuntur, substantiam significant.* S. Damascenus l. 1. de orth. fide c. 4. ait: *Ita sive bonum, sive iustum, sive sapientem, sive quidcumque tandem aliud dicere libeat, non DEI naturam, sed quæ naturæ insunt, exponis.* Ubi per naturæ insunt intelligit quæ circa ipsam naturam sunt, ut immediatè superius loquitur. S. Chrysof. homil. 1. de

incomprehensibili DEI natura. Quamquam non à Sapiencia substantia est, sed ex substantia Sapiencia. Theophylactus in illud Pauli: *Invivibilia mundi* &c. ait: *Bonitas scilicet, sapientia, virtus, Divinitas ipsa, sive magnitudo, quæ invivibilia DEI Paulus nuncupat, noisuntur . . . & nota sunt DEI, id est, quæ circa ejus substantiam sunt.* S. Gregor. Nazianz. oratione 38. *non longè ab initio negat simplicitatem Divinam esse substantiam, seu naturam, dicendo: Neque enim simplicitas illi natura est:* Titus Bostrenus Auctor antiquissimus tempore Juliani Imperatoris l. 1. contra Manichæos *non valde multum post initium* ait: *Est enim non decet nominare in DEO qualitatem, esse tamen prius quodammodo est cogitatione, quam talem esse.*

102. Ex quibus habetur, quòd SS. Patres essentiam DEI non constituunt ex omnibus perfectionibus Divinis, & attributa accipiunt in sensu strictiori pro proprietatibus, quas extra essentiam esse volunt. Intelligi autem debent de essentia metaphysica, non physica DEI; quia saltem omnia prædicata absoluta, necessaria, & tribus SS. Personis communia constituunt essentiam physicam DEI: & tamen Patres plura ex iis e. g. omnipotentiam, sapientiam, iustitiam excludunt à substantia, natura, seu essentia DEI; nam has voces Patres, maxime agentes de DEO, pro synonymis habent, ut ostendit Izquierdo tom. 1. tract. 1. disp. 1. q. 10. n. 210. Confir. Alia essentia habent suas proprietates, quæ non ingrediuntur conceptum definitivum: ergo, si non ostenditur specialis ratio in contrarium, etiam essentia Divina convenienter tales proprietates attribuantur: atqui nulla ostenditur: ergo.

103. Jam prob. etiam mi. superius sumptam, quòd nulla alia prædicata convenientius, quam Entis à se, assignentur. Primò ex Scriptura. DEUS ipse Exodi 3. v. 14. rogatus à Moyse suum nomen, respondit: *Ego sum, qui sum.* Quibus in verbis, ut notant SS. Patres apud Petavium, continetur præstantissima, & singularissima nota, seu differentia DEI: non autem continetur alia, quam Aseitas, ut docet S. Hieron. & alii. Secundò probatur ex Sanctis Patribus. S. Dionys. de Divinis nominibus c. 5. fusè tradit, quòd DEUS simpliciter & incircumscriptè totum in se esse pariter ambiat: & hoc esse ante alia ejus prædicata (quæ vocantur ibi participationes) præpositum quæ antiquius sit vitæ & sapientiæ: atque ibidem addit: *Meritò igitur reliquis principalis, ut qui est, DEUS ex antiquiore aliis ipsius donis perfectionibus celebratur.* S. Gregor. Naz. orat. 36. sub finem ait: *Entis vox ad eam essentiam Divinam indicandam aptior est.*

104. Sanctus Hilarius lib. 1. de Trin. super verba: *Ego sum, qui sum.* initiò libri ait: *Non enim aliud proprium magis DEO, quam esse intelligitur.* S. Bernardus l. 5. de consideratione. c. 6. interrogat de DEO: *Quis est?* Et respondet sibi. *Non sanè occurrit melius, quam: Qui est.* Similia habent alii Patres: Sed non omitteudas Angelicus 1. p. q. 13. art. 11. ita loquens: *Quanto aliqua nomina sunt minus determinata, & magis communia, & absoluta; tanto magis proprie dicuntur de DEO à nobis*

bis. Unde S. Damascenus dicit, quòd principalis omnibus, quæ de Deo dicuntur, nominibus est, qui est. Confirm. 1. Hæc definitio continet genus proximum differentia; quia ens immediatè dividitur in ens à se, & ens ab alio, Dein Aseitas est radix, & origo suo modo omnium perfectionum Divinarum, quæ ex ipsa deducuntur: adæquat etiam definitum, & convenit omni & soli: ergo definitio est bona. Confirm. 2. Hæc definitio est clarissima, captu facilissima, & communissimè dein etiam adhibetur ad alias perfectiones Divinas demonstrandas; cum prædicatum entis à se facillimè ex creaturis inferatur, non item alia: sed hæc ex ente à se dein inferri debeant: ergo est præferenda aliis definitionibus non ita claris, nec ita utilis, vel utilibus.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

105. OB. 1. S. Damascenus ait: *Quid DEI essentia sit, neque scimus, neque dicere possumus:* ergo non possumus DEUM definire. Confirm. 1. DEUS neque habet genus, neque differentiam: ergo non potest definiri. Confirm. 2. Non esse productum est conceptus purè negativus: ergo per ipsum non potest DEUS, seu ens maximè positivum definiri. Resp. neg. conseq. quia tamen aliquo modo possumus DEUM definire non quidè per definitionem, quæ conveniat patriæ, seu quæ esset clarissima, & multò minus definitione, seu explicatione comprehensiva, de quæ loquitur S. Damascenus: sed tamen per definitionem, quæ conveniat viæ, & sit obscura, quamvis aliquo modo clarior, quam definitum. Verba in objectionem sine loco citata non inveni, nisi æquivalenter L. 1. de orth. fide c. 4. ubi sic ait: *In DEO autem impossibile est, quidam essentia sua ac natura ipse sit, dicere.* initiò autem capitis se ita explicat: *Quid autem ratione essentia ac natura sit, nullo omnino modo comprehendendi, cognoscique potest.* Ad 1. confirm. om. ant. disting. conseq. non potest definiri definitione strictissima. om. conseq. minùs strictè dicta. neg. conseq. ad hoc autem sufficit, ut DEUS habeat prædicatum, in quo aliquo modo conveniat cum creaturis, & aliud, in quo discrepèt, adeoque quæ se habeant per modum generis, & differentia. Quamvis autem prædicatum entis seu existentis DEO conveniat necessarîo, & cum tota plenitudine, ut nihil habeat de non ente: qua ratione creatura non convenit; tamen etiam hæc dicitur ens, & in hoc prædicato aliquo modo convenit cum DEO. Ad secundam confirm. neg. ant. ex n. 72.

106. OB. 2. Magis convenit DEO hoc nomen DEUS, quam nomen Qui est: ergo hæc definitio non est bona. ant. videtur suavi ex S. Thoma 1. p. q. 13. a. 11. ad 1. Confirm. Si DEUS potest definiri *Ens à se*, potest etiam, & melius definiri *Ens potens esse à se*, seu sufficiens sibi ad existendum: ergo. prob. ant. Hoc prædicatum est prius à subsistendi consequentia: & aliàs etiam in definitionibus poni solent prædicata significantia potius potentiam, quam actualem existentiam: ergo. Resp. dist. ant. in ordine ad

significandam essentiam DEI. neg. ant. in ordine ad significandam naturam. conc. ant. & neg. conseq. & sic etiam distinguit loco citato Angelicus. Sumuntur quidem ordinariè à SS. Patribus pro eodem essentia, & natura DEI: si tamen rigorosius loquamur, essentia præcisè dicitur ab esse, seu existere, & à modo existendi, atque abstrahit ab operando: unde quilibet res habet aliquam essentiam; quamvis non quilibet sit natura; natura enim strictè significat principium operandi: cumque nomen DEUS (cujus derivationem vide apud Angelicum 1. p. q. 13. a. 8.) significet aut considerantem, aut curantem omnia, magis videtur explicare naturam DEI operantem: at Ens à se magis significat essentiam DEI à se essentialiter existentem. Sunt tamen, qui dicant, DEUM ut naturam definiri debere *Intellectivum à se*: eò quòd sic explicetur radix primæ operationis Divinæ, scilicet cognitionis: quos impugnat Viva ex eo, quòd natura non sit unius tantum, sed omnium operationum principium. Sed sic nec *Animal rationale* esset bona definitio naturæ humanæ, quæ tamen non minus, quam essentia hominis videtur à Philosophis definiri. Ego hanc definitionem naturæ Divinæ, nec amplector, nec impugno, contentus definitione essentia. Ad confirm. resp. neg. ant. cum enim per ens à se intelligatur idem ac ens absolutè necessarium, jam involvit essentialiter actualem existentiam. Idem significant verba DEI *Ego sum, qui sum*. Nec est paritas cum entibus creatis, quæ non involvunt in essentia actualem existentiam. S. Thomas, quando in 1. disp. 19. q. 2. a. 1. ad 1. dicit, essentiam DEI secundum intellectum esse priorem ad esse, loquitur ibi de æternitate DEI, & consequenter exponi potest, quòd per esse intelligat durare, quòd ut præcisè sumptum præsupponit ad æternum durare. Et sic exponi debet, ne sibi contradicatur; nam 1. p. q. 13. a. 11. in corp. expressè dicit: *Cum esse DEI sit ipsa ejus essentia; & hoc nulli alii conveniat.* Et inferius dem insertum cum Damasceno, principale DEI nomen esse *Qui est*.

107. OB. 3. Essentia DEI debet concipi ut summè perfecta: atqui non concipitur talis, nisi concipiatur ut cumulus omnium perfectionum: ergo. prob. mi. Omniscentia DEI non concipitur ut perfectissima, nisi concipiatur ut cumulus omnium notitiarum, neque Omnipotentia, nisi concipiatur ut cumulus omnium potentiarum: ergo. Resp. disting. maj. ut perfectissima in lineà essentia. conc. maj. in alia linea. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. conc. ant. neg. conseq. quia scilicet illi cumuli notitiarum, & potentiarum sunt de linea Omniscentia, & Omnipotentia: non tamen ideo ut Omnipotentia concipiatur perfectissima; debet etiam concipi ut cumulus omnium cognitionum; quia ista ad ejus lineam non spectant: imò nec Scientia simpliciter intelligentia ut perfectissima debet concipi ut involvens notitiam de rebus actu existentibus; quia hæc quoque sunt extra ejus lineam, & spectant ad Scientiam visionis. Sic autem respectu essentia Divinæ metaphysicæ etiam se habent prædicata distincta ab ente à se, seu genere, & differentia.

108. Dices 1. Essentia metaphysica potest continere omnes perfectiones etiam attributales: ergo.

ergo debet. prob. ant. Complexum ex perfectionibus essentialibus, & attributibus habet etiam aliquam essentialitatem: sed ista involvit omnes perfectiones etiam attributales: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. mi. Complexi hujus essentia stat in prædicato entis à se; quia est realiter DEUS. Si autem sumas complexum reduplicativè; tunc est DEUS ut cognitus cognitione eum implicite saltem comparante cum suis perfectionibus. Sed & istius complexi essentia est ens à se certo modo cognitum: sicut essentia risibilitatis in homine reduplicativè acceptæ est animal rationale certo modo cognitum. Quando autem risibilitas definitur potentia ridendi, hæc definitio non explicat strictè loquendo essentialitatem ejus, sed tantum est clarior ejus explicatio, vel descriptio.

109. Dices 2. Si essentia DEI conciperetur ut realiter distincta ab attributibus, conciperetur ut realiter imperfecta: ergo si concipitur ut formaliter distincta ab illis, concipitur ut formaliter imperfecta; sed nec hoc fieri debet: ergo. Resp. retorq. argum. Si conciperetur homo ut realiter distinctus à risibilitate, conciperetur ut realiter Chimæra: ergo si in definitione concipitur ut formaliter distinctus, concipitur ut formaliter Chimæra. In forma neg. conseq. Primo modo negarentur DEO perfectiones: altero modo tantum ab iis præscinditur: præscindendum autem non est mendacium; quare non concipitur DEUS ut imperfectus, sed tantum concipitur imperfecto modo; jam enim supra diximus, conceptum definitivum non debere præsentare DEUM ut perfectissimum in omni linea. Addo tamen, definitionem non reflexè præsentare DEUM ut formaliter distinctum ab attributibus, sed tantum exercitè, non præsupponendo, sed faciendo præcisionem formalem. Si urgeas: hac ratione concipitur DEUS ut perfectibilis ab attributibus. Resp. disting. ill. ut perfectibilis realiter, vel formaliter in linea essentia. neg. formaliter extra lineam essentia, subdisting. concipitur ut talis reflexè, & signatè, neg. exercitè, conc. hoc enim ad summum arguit distinctionem formalem perfectionum Divinarum, ex qua non in DEUM, sed in nostram cognitionem redundat imperfectio.

110. Ob. 4. Essentia Angeli includit plures perfectiones simpliciter simplices constitutivè: ergo etiam essentia DEI, prob. ant. Essentia Angeli continet constitutivè perfectiones viventis, spiritus, intellectivi: ergo. Resp. om. ant. nec enim hic vacat examinare definitionem Angelorum. neg. conseq. Si essentia Angeli formaliter continet plures perfectiones, hoc ipsum continere non est perfectio simpliciter simplex; nam excludit Aseitatem, adeoque non est melior omni non ipsa, de quo inferiùs. ad prob. neg. iterum conseq. ex ratione modò data. Aliqui transmittunt, prædicatum substantia spectare ad essentiam DEI; cum ipsa Aseitas videatur formaliter dicere esse per se, & non in alio.

111. At negat Viva, dicens, licet in creaturis e. g. homine prædicatum substantia, viventis &c. non sint prædicata secundaria; quia non ad essentiam consequuntur (nec enim ex animali rationali tanquam à priori probantur, sed ad eam præsupponuntur, & sunt priora à subsistenti con-

sequenti) tamen esse prædicata secundaria in DEO; quia ex Aseitate, tanquam radice, à priori inferuntur, & non tantum à posteriori, seu tanquam priora à subsistenti consequentia: quæ prioritas non sufficit ad prædicatum essentialitatem; quia hoc debet ex communi esse radice cæterorum prædicatorum, quæ non sunt de essentia; consequenter etiam negare debet hic Auctor, quòd ens à se formaliter dicat esse per se. Nec tamen opponi ei potest, de prædicatis substantia, viventis, spiritus &c. satis communiter dici, non esse attributa; quia reponere potest, sumi tunc attributa strictius pro prædicatis, quæ in creaturis solent esse accidentia ex n. 99. Equidem non video, cur prædicatum spiritus, aut viventis debeat ingredi constitutivè definitionem. Si prædicatum substantia ingrediatur, non tamen propterea debet explicite poni; quia sufficienter intelligitur sub ente à se, quemadmodum sub animali rationali in definitione hominis.

112. Ob. 5. Essentia hominis debet explicare omnes partes physicas hominis: ergo essentia DEI, qui non habet partes physicas, debet explicare omnes partes metaphysicas, seu perfectiones. Resp. om. ant. neg. conseq. Si definitio hominis debet omnes partes physicas ejusdem attingere, id fit; quia alias non adæquaret totum hominem; cum partes physica non sint inter se identificata: at non debet attingere eodem modo partes metaphysicas; quia modò primariam attingat, jam realiter attingit omnes. Et sic definitio hominis non debet attingere metaphysicam risibilitatem. Sufficit ergo attingi partes metaphysicas radicaliter, seu in prædicato metaphysicè connexo, physicè identificato. Sic autem attinguntur, adeoque sufficienter, partes metaphysicae essentia Divina.

113. Ob. 6. Essentia creaturæ debet formaliter explicare limitationem ejusdem in omni linea: ergo etiam essentia DEI debet explicare formaliter illimitationem in omni linea: hoc non potest, nisi formaliter explicet totum cumulum perfectionum: ergo. Resp. neg. ant. quamnam enim essentia formaliter explicat omnes imperfectiones, seu positivas, seu negativas creaturæ? sufficit, si formaliter explicetur abaleitas, quòd autem sic præscindatur in aliqua linea, an fit DEUS, vel creatura, tantum probat DEUM, & creaturam posse aliquo modo substare eidem conceptui consulo, e. g. prædicato spiritus posse substare DEUM & Angelum: ex quo aliud non sequitur, quam hunc conceptum esse imperfectum, nec clarè inter se discernere duo valde diversa.

114. Ob. 7. Plures SS. Patres docent, omnes perfectiones dici de DEO essentialiter: ergo sunt de essentia. Confir. 1. Quando PP. dicunt, DEUM esse ens à se, dicere volunt, esse ens in omni genere perfectissimum: ergo. Confir. 2. Potest dici, quòd SS. PP. per attributum intelligant non totam essentiam, sed partem ejus; ergo. Resp. dist. ant. essentialiter physicè, conc. ant. metaphysicè, neg. ant. & conseq. Et sic exponendus est S. Augustinus l. 6. de Trinitate, c. 4. dicens, DEO autem hoc est esse, quòd est fortè esse, aut jussum esse, aut sapientem esse. Si quid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia ejus significetur. Quibus similia sunt, quæ idem habet serm. 38. de Sanctis, sub me-

dictum, ubi loquitur de essentia & perfectionibus, omnibus tribus SS. Personis communibus, adeoque de essentia physica; nec de metaphysica est sollicitus; nam idem Augustinus, vel certe Collector quæstionum de Trinitate, quæ ex libris Augustini teste Bellarmino excerptæ sunt, ita habet: *DEUS eo ipso, quo est, vivit, & eo, quo vivit, intelligit, & eo, quo intelligit, potest, & eo, quo potest, est.* quæ in sensu reali, non verò formali intelligenda sunt. Sic etiam exponendus est S. Anselmus *Monologii* c. 16. ubi de DEO, seu, ubi ibi eum vocat, de summa Natura ait: *Ipsa uno modo, una consideratione est, quicquid est essentialiter.* nam legenti caput illud patebit, eum loqui de essentia, seu identitate tantum physica; probat enim ibi, quòd omnia in DEO unum sint, & non plura, nec tantum unum, sicut homo ex distinctis partibus compositus, sed unitate exclusiva compositionis.

115. Scilicet SS. PP. exponi debent, quantum possunt, ne sibi contradicant, quòd fieret, si de essentia metaphysica exponerentur, ut colligitur facillè ex n. 103. *S sequent.* ubi nota ulterius, PP. egisse contra diversos hæreticos: contra eos, qui compositionem quandam realem in DEO finxerunt, dixerunt, perfectiones omnes esse essentialiter identificatas: contra alios, qui excludere etiam compositionem formalem, ut eò magis excluderent Mysterium SS. Trinitatis, dixerunt, aliquas perfectiones esse extra essentiam. Ad 1. confirm. neg. ant. cum enim dicant, aliquas perfectiones esse extra, vel circa essentiam, non volunt, eam metaphysicè loquendo stare in omni perfectione cujuscumque linea. Ad 2. confirm. neg. ant. quòd enim est extra, vel circa essentiam, non est pars formalis essentia ejusdem. Nec hic dicas, posse statui duplicem essentiam metaphysicam, unam consistentem in prædicato entis à se: alteram in cumulo omnium perfectionum; nec enim est, cur Communis, cuique enti unam definitionem statuens, deseratur: præsertim, cum cumulus, ut hucusque probatum, definitionem ingredi nequeat.

116. Ob. 8. Ens à se, licet distinguit DEUM ab omni non DEO, tamen non est bona definitio: ergo. prob. ant. Animal judicativum etiam distinguit hominem ab omni non homine: & tamen non ritè sic definitur homo: ergo. Resp. neg. ant. vel ejus suppositum, quòd præcisè DEUM ita distinguat; nam etiam adæquat definitum, & explicat DEUM per prædicatum primarium, & radicale respectu cæterorum. ad prob. neg. conf. Judicativum non est primum prædicatum hominis; neque enim hominem exponit in ordine ad primariam operationem (ad quam in definitionibus creaturarum sæpè debet attendi; quia in modo essendi plurimè conveniunt) nam in homine discursus sunt perfectiones, quantum præcisè judiciorum immediata; quia ista sunt tantum de rebus inferioribus, & paucissimis; nam paulò altiora non cognoscit homo sine discursu: unde cognitiones discursivæ ratione objectorum sunt longè nobiliores, adeoque etiam potentia discursiva, maxime cum etiam incomparabiliter plura objecta attingat, quam judicativa: sed neque aliunde habet prædicatum judicativum, unde aliis omnibus prædi-

catis præferatur. At prædicatum entis à se probatum est esse primum DEI n. 103. & 104.

117. Ob. 9. Ens est prædicatum infimum: intellectivum est prædicatum longè nobilius: ergo melius DEUS definiretur *Intellectivum à se*. Confir. Intellectivum est genus proximum, quam ens: ergo præ alio debet poni in definitione. Resp. 1. om. ant. neg. conseq. quia hic in definitione DEI, sicut ponitur differentia, vi cuius DEUS differt ab omni creatura, ita convenienter ponitur genus, in quo convenit cum omni creatura. Resp. 2. iterum om. ant. neg. conseq. quia, licet ens ut sic sit solo fit prædicatum inferiorius intellectivo, tamen totum complexum *Ens à se* est nobilius complexo *Intellectivum à se*: nam ens à se est radix omnium perfectionum, qualis non est intellectivum à se; neque enim intellectivum à se dicit aseitatem in omni linea, sed tantum in linea intellectiois, quæ non est cum g. omnipotentia; quia hæc non inferitur à priori ex intellectivo à se: at ens à se dicit aseitatem in genere totius entis, ex quo à priori inferuntur reliquæ perfectiones. Hæc etiam est ratio S. Thomæ ex S. Damasceno, quam citavimus n. 104. Accedit (& hæc est principalis responsio) quòd ex SS. Patribus habeatur, quòd prædicatum intellectivi (hoc enim est idem, ac sapientia, præcisi, omniscia) sit extra essentiam. Ad confirm. neg. ant. & conseq. Ant. non est verum; quia per genus proximum non intelligitur id, in quo res definita cum paucioribus convenit, sed quod in linea prædicamentali immediatè dividitur per differentias; at per aseitatem, & abaleitatem immediatè dividitur, non intellectivum, sed ens. Consequenter etiam est falsa; quia, licet sit prædicatum proximum, tamen non est essentialitè, sed attributum: consequenter non est genus, adeoque etiam antecedens ex novo titulo erit falsum.

118. Ob. 10. Quodlibet attributum Divinum est formaliter ens à se: ergo hoc non potest esse essentia DEI, prob. conseq. Essentia & attributa debent formaliter distingui: ergo. Confir. 1. Etiam Personalitates Divinae sunt formaliter, & ratione sui ens à se: ergo hoc non potest esse essentia. prob. conseq. Essentia Divina debet esse communis tribus: atqui id, quòd formaliter sunt Personalitates Divinae, non est commune tribus: ergo non est essentia. Confir. 2. Per ens à se distinguitur quidem essentia DEI ab omni creatura, sed non ab omni, quòd non est essentia DEI: ergo non est prædicatum ultimum differentiale. prob. ant. Non distinguitur à Personalitatibus, præsertim à Paternitate; hæc enim formaliter est innascibilitas, seu aseitas: ergo.

119. Antequam respondeam, noto, aliquos cum Derkennis afferere, essentiam DEI formaliter imitari in attributibus, & Personalitatibus Divinis: aliquos verò, etiam sententia nostræ Patronos, idem negare: Priores dicunt, sufficere præcisionem non mutuum, ita ut essentia Divina præscindat quidem ab attributibus; quamvis attributa non præscindant ab essentia; sicut juxta ipsos etiam præscindit in homine substantia à rationali, non vicissim: Posteriores autem volunt, attributa DEI non dicere formaliter ens à se, etiam si spectentur ut Divina, sed tantum dicere metaphysicam connexionem cum ente à se, quam quia nulla creatura dicere potest, attributa per illam sufficienter distin-

ter DEUM abstractivè cognoscibilem, & potentiam creatam cognoscentem, non tamen (ut probavimus) datur inter DEUM intuitivè visibilem, & potentiam creatam. Hæc autem proportio longè alia est, quàm præcisè proportio in perfectione physica; nam licet e. g. sonus sit aliquid longè imperfectius, quàm oculus, tamen videri non potest. Unde nec physicè imperfectiori objecto semper proportionata est potentia physicè perfectior, nec semper perfectiori improporionata: debetque hæc proportio vel à communi experientia, aut persuatione, vel aliunde, unde unde demum, desumi.

191. Ad confir. neg. conf. Species etiam abstractivæ repræsentant DEUM ut immediate in seipso amabilem, & amandum; aliàs in hac vita nunquam amaremus DEUM ipsum; sed tantum creaturas. At non reddunt eadem species DEUM immediate cognoscibilem in se ipso; nam cognosci in se ipso objectum, non est tantum ipsum affirmare, vel intellectum in illud tanquam in suum terminum ultimum tendere, sed est cognoscere objectum ita, ut hoc vel per species proprias, vel per seipsum immediate ad cognitionem concurrat. Ex quo etiam collige, cur summa amabilitas non impediatur amorem immediatum sui, secus quàm summa intelligibilitas immediatum sui visionem; quia scilicet potentia potest esse non tam perfecta, ut exigit species proprias, vel immediatum objecti concursum in ordine ad cognitionem: vel non tam perfecta, ut sit his speciebus, aut concursu proportionata: nil contra apparet, cui non sit proportionata potentia ex iis, quæ requiruntur ad amorem DEI: unde ulterius inferitur, omnem intuitivam visionem DEI esse supernaturalem, non autem omnem immediatum amorem DEI: quidquid sit de amore DEI super omnia vel efficaci, de quo in tractatu de Gratia.

ARTICULUS III.

An DEUS possit comprehendi ab intellectu creato.

192. Dico cum S. Thoma 1. p. q. 12. n. 7. in corp. & omnibus Theologis. DEUS non potest comprehendi comprehensione strictè dicta. Prob. ex eodem Angelico ibidem dicente: *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile*: Sive cognitio comprehensiva est illa, quæ in ratione cognoscendi vel repræsentandi tam perfecta est, quàm perfectum est objectum in ratione cognoscibilis: atqui nulla cognitio creata potest esse tam perfecta in ratione cognoscendi, quàm perfectus est DEUS in ratione cognoscibilis; cum hic sit infinitus, illa finita: ergo. Dixi, DEUM non posse comprehendi comprehensione strictè dicta; nam illa latius dicta, quæ aliud non est, quàm cognitio talis, qua DEUS immediate intuitivè cognoscitur, & intentionaliter possidetur, & à qua Beati in celo vocantur *Comprehensores*; utique non implicat, quia defacto datur.

193. Præter hanc tamen latius dictam af-

signatur à quibusdam alia minùs strictè dicta, quæ vocatur extensiva, qua creatura cognoscere clarè & distinctè omnia, quæ in DEO formaliter aut eminentè continentur, sed non ea perfectione, seu intensione, aut claritate, quæ esset commensurata eorum cognoscibilitati: quam tamen Suarez, P. Thyrsus, Amicus, Izquierdo, & alii negant esse veram comprehensionem; quia reverà non adæquat omnimodè cognoscibilitatem objecti. Communis etiam ista negatur creaturæ possibilis; unde etiam negatur ipsi Christo, de quo agendum tract. de incarnat. Et sanè S. Augustinus videtur impotentiam creaturæ ad DEUM comprehendendum referre in plenitudinem, seu multitudinem perfectionum, qua omnia transcendit; ita enim habet in *quæstionibus de Trinitate*. *Plenam verò Divinitatis naturam, nec Angelus quilibet, nec Sanctorum aliquis perfectè intelligere poterit: idè incomprehensibilis dicitur DEUS.*

194. Ob. 1. Omnis cognitio cognoscens DEUM cognoscit illum totum: sed etiam cognitio creata cognoscit DEUM: ergo cognoscit illum totum: ergo comprehendit. Resp. dist. ma. cognoscit totum, & totaliter, seu cognitione adæquante ejus cognoscibilitatem. neg. ma. non totaliter, seu cognitione non adæquante ejus cognoscibilitatem. conc. ma. & conc. min. sub priori distinctione conc. vel neg. primam, & absolute nego secundam consequentem. DEUS etiam per cognitionem confusissimam, qua dico e. g. *Omne ens*, cognoscitur totus; quia indivisibilis est: sed non cognoscitur totaliter, seu cognitione commensurata ejus cognoscibilitati: sicut etiam per quemlibet amorem amatur totus, sed non totaliter, seu amore adæquante ejus amabilitatem.

195. Dices. Ex eo, quod plus de objecto cognoscatur, etiam cognoscitur plus ipsum objectum: ergo etiam ex eo, quod totum objectum cognoscatur, cognoscitur objectum totaliter. Resp. om. ant. neg. conf. Plus cognosci objectum potest habere duplicem sensum. Primum quod una pars objecti successivè cognoscatur post alteram; qui sensus tantum locum habet in rotis divisibilibus: & quidem verum est, quod, quod plures partes cognoscuntur, eò plus etiam totum, saltem materialiter acceptum, cognoscatur: sed hic sensus non venit ad rem; quia DEUS est indivisibilis. Secundò potest habere sensum, quod objectum, prius jam totum cognitum, clarior cognoscatur: & hic sensus non est universaliter verus; non enim verum est, quod, quando plures formalitates cognoscuntur, etiam objectum plus, seu clarior semper cognoscatur; nam cognitio, quæ dico: *Omne ens*, vel *omne cognoscibile*, cognoscit omnes formalitates, & omnia connotata; sed obscurissimè, & non totaliter, seu commensurate ad meritum objecti, etiam creati. Unde ex eo, quod omnes formalitates DEI, vel totus DEUS realiter cognoscatur, non sequitur, quod cognoscatur totaliter, seu cognitione adæquante meritum ipsum, qualis esse deberet, quæ comprehensiva foret. In quo autem stet major claritas cognitionis, disputant Logici: & ii fortè optimè sentiunt, quid à posteriori desumendum dicunt, adiunguntque, illam cognitionem esse clariorem, vi cuius ad plures quæstiones de objecto responderi potest.

196. Instabis: Capla plumbea potest comprehendere aurum: ergo res comprehendens non debet esse tam perfecta, quàm res comprehensa: ergo neque cognitio comprehensiva DEI debet esse tam perfecta, quàm DEUS. Resp. dist. conf. non debet esse tam perfecta in linea comprehensionis. neg. conf. in linea alia. conc. primam, & nego secundam conf. Linea comprehensionis materialis est capacitas ad aliquid in se concludendum, quam utique habet plumbum respectu auri, si fat capax sit: & ad hanc comprehensionem nil facit perfectio alterius lineæ, vel speciei; nam aurea capsula, quantumvis multò perfectior plumbo, non poterit hoc comprehendere, si non sufficienter sit capax. Pariter cognitio comprehensiva non debet in omni linea esse tam perfecta, quàm objectum; nam cognitio Angeli, utpote accidens, non est tam perfecta, quàm anima rationalis, quam comprehendit: sed tantum debet esse tam perfecta in linea cognoscens, quàm perfectum est objectum in linea cognoscibilis: in qua tamen nulla cognitio potest DEO commensurari.

197. Ob. 2. Juxta nos nulla creatura potest comprehendere aliam: hoc est falsum: ergo. prob. ma. Quilibet creatura potest cognosci cognitione Divina: ergo si cognitio comprehensiva debet esse tam cognoscitiva, quàm objectum est cognoscibile, nulla cognitio creata potest esse comprehensiva. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ant. ita, ut exigit ex merito suo cognitionem Divinam. neg. ant. ita, ut tantum passivè ad illam se habeat. conc. ant. & dist. conf. si debet esse tam cognoscitiva, quàm objectum est cognoscibile supra meritum suum, & tantum passivè. conc. conf. si tantum debet esse tam cognoscitiva, quàm objectum est cognoscibile ex merito suo. neg. conf. nam hoc secundum tantum requiritur ad cognitionem comprehensivam.

198. Ob. 3. DEUS semper potest magis & magis cognosci: ergo tandem omnino totaliter. Confir. 1. DEUS potest totaliter uniri creaturæ per unionem physicam: ergo etiam per unionem intentionalem, seu cognitionem, quod est comprehendere. Confir. 2. Beati in celo cognoscunt cognitionem DEI, qua is seipsum comprehendit: ergo cognoscunt in ipsa DEUM comprehensivè cognitum: ergo etiam ipsum comprehendunt. Resp. neg. conf. semper tamen creatura sistit infra lineam cognitionis comprehensivæ, sicut etiam amor DEI, si in infinitum syncategorematicè crescat, nunquam æqualis erit amabilitati Divinæ. Ad 1. confir. resp. neg. ant. quia DEUS absolute potest semper pluribus & pluribus, imò etiam semper perfectius physicè uniri. Resp. 2. Si etiam antecedens posset probari, negaretur paritas & consequentia ob speciales rationes pro nostra conclusione. Ad 2. confir. dist. ant. cognoscunt eam cognitionem comprehensivè. neg. ant. modo cognoscendi inferiore. conc. ant. & eodem modo dist. 1. consequ. & neg. absolute 2. dum. Ipsa cognitio comprehensiva DEI, utpote objectum Divinum & infinitè perfectum, adeoque infinitè cognoscibile, non potest adæquari ulla cognitione creata: consequenter nec objectum ab ea repræsentatum. Fors posset moveri adhuc dubium, an eo

ipso comprehenderetur objectum cognitum, si comprehenderetur ejus cognitio comprehensiva: sed non est opus novam difficultatem, & quæstionem hic movere.

ARTICULUS IV.

Quid videatur in DEO per visionem intuitivam, & an ipse per illam necessariò videatur ut Trinus.

199. Dico. 1. DEUS defacto à Beatis videtur per visionem intuitivam, seu beatificam Trinus & Unus. Conclusio est de fide, & clarè definita à Florentino citat. n. 171. ubi Beati dicuntur *intueri clarè ipsum DEUM trinum, & unum*. Inferitur idem ex verbis Apostoli. 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Ex quibus colligitur, visionem correspondere fidei, & ea clarè videnda, quæ nunc obscure creduntur: inter quæ primarium est mysterium SS. Trinitatis.

200. Dico 2. Defacto etiam videntur à Beatis omnes perfectiones primariæ DEI. Ita communissima, & certa. Per perfectiones autem primarias non malè intelliguntur illæ, quæ in suo conceptu formali dicuntur perfectionem simpliciter simplicem non contentam jam in alia perfectione magis universali: vel quæ constituunt Essentiam Divinam physicè acceptam, quæque ex conceptu suo nullum dicunt respectum ad illam rem creatam in particulari. Tales sunt immensitas, æternitas, simplicitas, omnipotentia, omniscientia, & similes. Hæc prædicata à Beatis videri inferitur 1. ex eo, quod videant Divinam essentiam clarè & aperitè se illis ostendentem, ut habet Benedictus XI. cit. n. 172. ergo debent videre prædicata & perfectiones, non tantum sub aliquo conceptu confuso, sed claro, & distincto, seu distinguente perfectiones saltem primarias inter se. 2. probatur ex SS. Patribus. S. Augustinus. l. 20. de civ. DEI c. 21. ait, *Videbimus. Sed quid nisi DEUM ... & omnia, quæ nunc non videmus, credentes autem ... cogitamus*; hoc est, videbimus ea, quæ nunc credit Ecclesia, seu quæ docet fides: atqui fides docet prædicata primaria DEI, omnipotentiam, æternitatem &c. ergo. S. Nazianzenus orat. 11. de S. Gorgonia n. 27. sub finem loquens de Beatis, ait, quod inter ea, quibus fruuntur, sit etiam *suprema Trinitatis purior & perfectior illuminatio, non jam vinctam mentem, ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam se toti menti contemplandam & tenendam præbentis, totaque Divinitatis lumine animis nostris affulgentis*. Similia habet orat. 15. in plagam grandinis n. 30. *seu ante medium*. Quæ utique indicant, DEUM saltem quoad prædicata primaria videri. Accedit autoritas communissima Theologorum, quæ sola huic sententiæ ingens pondus faceret.

201. Dico 3. Beati vident etiam in DEO aliquas perfectiones secundarias: imò etiam aliquas terminaciones contingentes, supposità sententiâ de adæquata identitate reali earum cum DEO, sed non omnes; nam in primis, cum perfectiones secundariæ contineantur in primariis, jam satis cognoscuntur in istis, & nova ha-

rum cognitio est tantum repetitio quedam, & extensio quasi visionis perfectionum primariorum, quæ ad substantiam visionis beatificæ non requiritur; aliàs, cum sint prædicata secundaria infinita, in quantum se extendunt ad terminos infinitos, e.g. omnipotentia ad infinitas species possibiles, deberent Beati ista omnia clarè & distinctè cognoscere, adeoque habere aliqualem, quamvis non strictè dictam comprehensionem DEI, quam SS. PP. negant, Augustinus præsertim, quem citavimus n. 193. unde sufficit, si hæc omnia realiter & implicitè cognoscantur: nec repugnat hæc qualiscunque confessio visioni beatificæ, ad quam sufficit clara, & distincta intuitio prædicatorum primariorum. Servit tamen visio aliquorum secundariorum prædicatorum ad accidentalem beatitudinem, & intra suos limites etiam Beatis ab optimo DEO indulgetur. Quod attinet ad terminationes contingentes Decretorum Divinorum formaliter distinctorum, cum hæc iterum sint innumera, imò infinita, non spectat ad Beatum omnia scire; quia ad ipsum non attinent: at verò decet optimum DEUM, ut amicis suis saltem ea ostendat, quæ ipsos concernunt: unde mirabiles circa se, sibiq. conjunctos providentiæ Divinæ dispositiones, & similia, quilibet Beatus videbit cum summo solatio. Quæ adhuc alia, præsertim creata, Beati in DEO videant, vel etiam extra visionem beatificam per alias cognitiones intelligant, convenientius dicemus in tract. de Beatitudine; cum hic de DEO jam aliàs sit valde amplius. Unde iis omittis.

202. Dico 4. De absoluta potentia posset DEUS videri intuitivè, non visis Personalitatibus, vel etiam visâ unâ Personâ sine altera. Ita Scotus cum suis communiter, Paludanus, Palatinus, Alarcon, Granadus, Hurtadus, Quirós, Arriaga, Salas, Rhodus, Gormaz, Platelius, & alii. Prob. conclusio. Si implicaret DEUM ita videri, vel implicancia daretur ex parte visionis intuitivæ, vel ex parte objecti: neutrum potest dici: ergo. prob. min. quoad 1. partem. De ratione visionis intuitivæ tantum est, ut cognoscat immediate in seipso objectum, quod aliquando existit: non autem est de ratione ipsius, ut adæquatè vel quidditativè, vel omni modo cognoscat objectum, sicuti est, seu distinctè quoad omnes ejus formalitates; nam si hoc requiretetur, non posset homo quidquam, nec accidens, intuitivè cognoscere, quod non est verum: ergo de ratione visionis intuitivæ DEI non est, ut videat omnia ejus prædicata etiam relativa: adeoque ex parte hujus non implicat DEUM videri sine istis, seu tantum ut Unum.

203. Prob. jam min. quoad 2. p. Objectum, quamvis sit simplicissimum, potest videri intuitivè, quin videatur distinctè omnia ejus prædicata; quia potest videri non totaliter; cum visio non sit comprehensio: ergo neque datur implicancia ex parte objecti. Confirm. hæc ratio, Deus etiam est objectum simplicissimum respectu cognitionis abstractivæ e. g. actus fidei: & tamen per hunc potuit cognosci, imò in antiquo testamento cognitus est à plurimis tantum ut Unus; nam plurimi tunc mysterium SS. Trinitatis non agnoverunt.

204. Confirm. conclusio 1. Res potest videri sine eo, quod est extra rationem ipsius: sed Per-

sonæ sunt extra rationem essentia Divinæ: ergo, ma. videtur tunc posse supponi; quia videtur nulla ratione posse probari oppositum. mi. est clara; aliàs enim, cum essentia tota sit cuilibet Personæ identificata, deberent etiam Personæ esse inter se identificata; quod est contra fidem. Confirm. 2. Si potest eadem simplicissima entitas uniri, quamvis non uniatu identificatum, e. g. natura Divina uniri humanæ aliquo modo, quo non unitur Paternitas, poterit etiam videri essentia non visis Personis: si autem potest videri essentia sine Personis, virtualiter tantum distinctis, poterit multo magis videri Persona sine altera, realiter distincta. Nec dicas, cognoscendo Personam cognosci quoque essentiam; nam etiam hoc posito non sequitur, cognosci vel videri quoque alias Personas; quamvis enim hæc essentia identificata sint, sunt tamen ab ea virtualiter distinctæ, nec ex alio capite essentia visâ debent videri, ut probavimus.

205. Ob. 1. contra 4. conclusionem (nam contra tres priores nil alicujus momenti solet opponi, vel in tractatu de Beatitudine, opportunius asserti, aut ex hucusque dictis potest solvi) Christus Dominus Joan. 14. v. 9. dicit Philippo: Qui videt me, videt & Patrem meum: & mox addit: Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est: ergo ratio, cur videatur Pater in Filio, est unitas naturæ: ergo non potest videri natura sine Personis; aliàs ratio Christi fuisset nulla. Resp. in primis: ex hoc textu etiam probaretur eodem modo, imò immediatius, non posse credi DEUM ut Unum, quin crederetur ut Trinus; nam Christus clarè agit de actu fidei Non creditis &c., quod videtur falsum, ut supra dictum n. 202. Resp. 2. dist. 1. conf. cur videatur Pater in Filio essentialiter, seu quoad essentiam. conc. 1. conf. cur videatur personaliter. neg. 1. & 2. etiam conf. Ut rectè probat Salas, Christus tantum voluit dicere, non posse videri se, sive suam essentiam, quin etiam Pater quoad essentiam videatur, seu essentia Patris. Et sic etiam loquitur S. Chryl. homil. 73. in Joan. dum ait: Qui meam substantiam videt, videt & Patris. & S. Greg. Nazianzenus orat. 49. de fide post medium in hunc textum Joan. 14. ait: Non immerito quia Filius DEI de DEO Patre natus est, & ideo de unitate substantia, & de Majestate Divinitatis unum sunt. Similia habet S. Augustinus. Resp. potest 3. cum Rhodus disp. 2. de DEO. q. 3. sec. 1. §. 2. ad 3. Christum loqui de visione, prout defecto contingit, de potentia ordinaria, (ut loquitur hic auctor) non autem negare, quòd possit aliter contingere.

206. Ob. 2. S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 8. ad 3. dicit de DEO: Secundum quod intelligitur in seipso, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sine Trinitate Personarum: ergo nostra conclusio non subsistit. Confirm. Idem Angelicus 3. p. q. 3. a. 3. in corp., etiam est nobis contrarius: ergo. Resp. neg. conf. Primo loco, ut rectè Gormaz, S. Thomas loquitur tantum de visione, prout nunc datur in Beatis, prout videtur à Beatis: non autem de possibili: imò, cum addat S. Doctor: Et iterum ipsa visio Personarum Divinarum perducit nos in beatitudinem: infert Gormaz de beatit. n. 316. eum innuere, quòd visio Personarum non sit ipsa beatitudo, sed tantum ejus proprietas. Aliero loco S. Do-

S. Doctor tantum dicit, quòd cognoscens DEUM, sicuti est, debeat omnia cognoscere, & nihil posse remanere in DEO; quod non cognoscat: quod non negamus; namis, qui videret DEUM solummodo ut Unum, utique non cognosceret eum omni modo, sicuti est: at neque S. Doctor per hæc negat possibilem talem cognitionem intuitivam, quæ DEUM non cognoscat omnimodo, sicuti est.

207. Ob. 3. Implicat, videre identitatem cum Personis, & non videre Personas: hoc juxta nos deberet fieri: ergo. Confirm. 1. Implicat videre Petrum non viso Petro: ergo etiam implicat videre essentiam Divinam, non visis Personis, prob. conf. Istæ non minus identificatur essentia, quam Petrus sibi ipsi: ergo. Confirm. 2. Si esset tantum una Persona, non posset videri essentia, non visâ illâ: ergo neque potest videri essentia cognitio abstractiva; quia abstraheret essentiam à Personis: ergo non esset intuitiva. Resp. dist. ma. implicat ita videri identitatem formaliter, seu sub ratione explicita identitatis cum Personis. om. ma. materialiter tantum, & sub ratione essentia. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Ad 1. confirm. om. antec. neg. conf. ad prob. dist. antec. ita tamen, ut virtualiter distinguantur ab essentia, & realiter inter se. conc. ant. ut non ita distinguantur. neg. ant. & conf.

208. Impossibilitas distinctionis virtualis tum majoris, seu intrinsecæ, tum minoris seu extrinsecæ in creatis facit, ut Petrus non possit cognosci, quin omnia identificata cognoscantur: aliàs enim, si posset dari præcisiones objectivæ, negari posset major; quia posset realiter cognosci Petrus sub aliquo prædicato, & non sub alio, adeoque posset idem cognosci, & non cognosci: ideo omitti ma. Talis impossibilitas non datur in naturâ Divinâ, & Personis. Ad 2. confirm. neg. ant. quia, suppositâ præsertim sententiâ, quam tract. de Trin. amplexus sum, quòd ipsa essentia Divina sit realiter, & virtualiter substantia absoluta, posset in eo casu videri essentia sine Persona Relativa. Ad 3. confirm. resp. posse hic fieri quæstionem de nomine. Si per abstractivam intelligitur cognitio, quæ non omnia realiter identificata formaliter, & clarè cognoscat, poterit etiam cognitio intuitiva esse abstractiva, ut est clarum in infinitis cognitionibus creatis, maxime humanis: sed hic modus loquendi est improprius. Si autem intelligitur cognitio objecti per species alienas propositi, uti communiter solet intelligi, non erit abstractiva dicta visio essentia sine Personalitatibus.

209. Ob. 4. Non potest cognosci homo non cognitò rationali: ergo nec essentia Divina non cognitò Trinitate. prob. conf. Non magis est de essentia hominis esse rationale, quam de essentia DEI esse Trinum: ergo. Confirm. Non potest videri essentia Divina, nisi videatur communicabilis tribus Personis: sed non potest talis videri, nisi videantur Personæ: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. ad prob. neg. ant. Personæ Divinæ non constituunt essentiam Divinam, nec ingrediuntur definitionem essentia Divinæ, ut ex eo patet, quòd essentia sit communis tribus, non autem Personæ: at verò rationale constituunt essentiam hominis, & ingreditur definitionem. Ad

confirm. resp. ut supra n. 207. de identitate, dist. ma. nisi essentia videatur ut communicabilis materialiter: sive nisi videatur, quod est communicabile. com. ma. nisi videatur formaliter sub ratione explicita communicabilis. neg. ma. & dist. sic ma. neg. conf. Si dicas, hac ratione non videri clarè prædicatum primarium essentia, resp. non esse necesse, absolute & metaphysicè, ut quæcunque visio intuitiva DEI exprimat omnia prædicata primaria, quamvis id faciat visio, quæ defacto datur.

210. Ob. 5. Vel illa visio esset diversæ speciei ab ista, quæ defacto datur, vel non: neutrum potest dici: ergo. Resp. neg. min. & dico, fore speciem diversam, saltem in consideratione physica; quia respiceret aliud saltem virtualiter objectum, & esset representatio diversâ: sicut etiam videtur actus fidei de DEO ut Trino saltem specie physica differre ab altero de DEO tantum ut Uno. An autem in consideratione theologica sit diversâ visio, an non, parum refert; quia tandem totum reducitur ad quæstionem de nomine. Salas contendit, non esse speciem diversam visionem, etsi modò plura, modò pauciora objecta representet: quod tamen mihi videtur difficile.

211. Ob. 6. Visio DEI Unitus, & non Trinis, non esset fatiativa appetitus rationalis: ergo non esset intuitiva DEI. prob. ant. Videns Deitatem sine Personis esset inquietus, donec videret, cujus esset Deitas, seu infinita perfectio: ergo. præsertim conf. Visio intuitiva debet esse beatificæ: ob id ergo debet esse fatiativa. Resp. 1. Salas. neg. conf. ad prob. neg. ant. Non omnis visio intuitiva, ut ait hic auctor, debet esse beatificæ, sed tantum illa, quæ defacto datur. Resp. 2. Gormaz & alii. neg. ant. Beatitudo objectiva, seu finis ultimus creaturæ est Deus ut Unus; nam convertuntur mutud ratio ultimi finis, & primi principii, juxta illud Apocalypsis c. 1. v. 8. Ego sum Alpha & Omega, principium & finis: atqui DEUS ut Unus est principium omnis creaturæ: ergo etiam ut Unus est finis ultimus. prob. subsumptum. Ut communiter docetur, creaturæ habent connexionem cum DEO, & dependentiam ab eo ut Uno, non ut Trino, & virtus productiva creaturarum stat in sola essentia; aliàs non esset communis tribus. Dices: DEUS ut omnipotens est primum principium: ergo beatus erit, qui tantum videt omnipotentiam. Resp. neg. ant. Primum principium debet continere eminentè omnem perfectionem creatam, adeoque formaliter omnes perfectiones increatas: debet etiam esse ens à se, debet esse sapientissimus provisor &c. ergo non tantum ut omnipotens, sed ut infinite perfectus perfectionibus absolutis, erit primum principium.

212. Ad probat. ant. superioris nego ant. Essentia ut virtualiter distincta à Relationibus est jam infinitum bonum, nec istæ superaddunt bonitatem, ut dicemus tract. de Trinitate: at videns bonum infinitum non habet desiderium plus videndi, saltem tale, quod inquietaret: desiderare autem aliud tantum per desiderium non inquietans (sit tale etiam daretur in Beato) non impedit beatitudinem; nam e. g. animæ beatæ desiderant reunionem cum corpore: itémque dotes gloriosas corporum. Accedit, quòd probababz

babilius præter tres substantias relativæ detur quarta absoluta, virtualiter etiam identificata essentia: adeoque per visionem DEI unius videtur bonum infinitum subsistens, quo viso non effit, quod quis amplius videre cuperet, præsertim si de ejus communicabilitate nil cognoveret: tunc enim non amplius distingueret essentiam à Persona: qua ratione tamen non deberet habere positum errorem, sed tantum negationem plenioris scientiæ, quæ non repugnat in vidente DEUM. Utraque responsio, seu quam Salas, seu quam Gormaz dat, satisfacit objectioni: secunda tamen est generosior.

213. Dices 1. Visio beatifica debet videre DEUM, sicuti est, ex illo 1. *Joan.* 3. v. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est:* ergo debet DEUM videre ut Trinum. Resp. dist. ant. visio, quæ nunc datur in Beatis, conc. ant. quæ tantum possibilis est. neg. ant. & conf. De illa loquitur S. Joannes, non de alia tantum possibili. Resp. 2. dist. ant. debet videre DEUM, sicuti est, hoc est, omni modo, quo est, & quoad omnes proprietates. neg. ant. aliquo modo, scilicet quoad essentiam, & simul non debet videre aliter, quàm est, affigendo ei aliquid. conc. ant. & neg. conf. Cur adversarii non dicunt, quod visio DEUM debeat videri quoad omnia prædicata etiam secundaria?

214. Dices 2. Hac ratione posset dari visio intuitiva DEI, quæ DEUM non discerneret ab omni creatura, qualem videret admittere Arriga: sed hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. Visio intuitiva non quidem debet objectum suum discernere à prorsus omni alio: debet tamen discernere nimum inter se dissimilia. Sicut visio ocularis intuitiva potest esse talis, ut non discernat canem, & lupum, attamen debet discernere altissimum montem, & murem. Et tamen DEUS & creatura adhuc infinitè magis distant. Dices 3. Appetitus gratiæ (quæ est semen gloriæ) in ordine ad beatitudinem non satiat per illam cognitionem: ergo nec appetitus intellectus. Resp. dist. ant. appetitus gratiæ in ordine ad beatitudinem essentialem. neg. ant. in ordine ad beatitudinem integram. om. ant. & neg. conf. Gratia est semen gloriæ etiam accidentalis: imò juxta multos etiam appetit dotes corporis gloriosi, quæ certò non sunt de essentia beatitudinis.

215. Ob. 7. DEUS ut Unus non est objectum beatitudinis suæ, sed ut Trinus: & Relationes Divinæ sunt objectum primarium beatitudinis Divinæ: ergo etiam pertinent ad objectum beatitudinis nostræ, quæ est participatio Divinæ. Resp. 1. me jam dixisse ex Salas *n. 211.* visionem DEI ut Unius non necessariò debere defendi tanquam beatificam. Resp. 2. om. ant. neg. conf. Nostra beatitudo non est participatio Divinæ quoad omnia. Sic etiam DEUS non potest se amare tantum ut Unum: & tamen potest ut Unus amari ab hominibus, & ab innumertis: ita fuit amatus, præsertim in antiquo testamento, ubi mysterium SS. Trinitatis paucis fuit notum.

216. Respondent aliqui 3. neg. ant. Non omnia, quæ DEUS necessariò cognoscit, sunt objectum essentialiter requisitum ad ejus beatitudinem; nam etiam necessariò cognoscit creatu-

ras posibles. Unde dicunt, Relationes esse tantum proprietates objecti primarii beatitudinis Divinæ: & verum quidem esse, quod DEUS sine cognitione Relationum non esset beatus arguitivè: sicut si non cognosceret creaturas posibles; quia non cognosceret comprehensive (qualis cognitio necessaria est ad beatitudinem DEI) naturam exigentem has Relationes, & essentialiter connexam cum possibilitate creaturæ: at non esse verum, quod formaliter non esset beatus ob non cognitâs Relationes.

ARTICULUS V.

An DEUS possit videri oculo corporeo.

217. Dico. DEUS nec naturaliter, nec supernaturaliter potest in se videri oculo corporeo. ita communissima cum SS. Ambrosio, Hieronymo, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, quos citat S. Augustinus *epist. iii.* quibusque ipse, quamvis non omnino firmissimè, consentit: item cum S. Thoma *1. p. q. 12. a. 3.* Prob. Videre DEUM est non tantum producere ejus visionem (nam etiam lumen gloriæ concurret ad productionem visionis DEI, quin eum videat) sed est speciali modo, seu vitaliter DEUM percipere: atqui oculus corporeus, tanquam potentia materialis, non potest vitaliter percipere Deum, utpote objectum purè spirituale: ergo. min. est communissima; quia objectum spirituale est extra totam spheram attingibilitatis, seu perceptibilitatis potentia materialis: & potentia materialis ad objectum spirituale se habet ut sonus ad potentiam visivam, vel color ad potentiam auditivam: certè non potest ostendi major improporatio inter ista, quàm inter illa: interim clarum est, sonum non posse videri, nec colorem audiri.

218. Confirm. Oculi hominum non sunt meliores oculis brutorum (nam quod illi informantur anima rationali, non facit eos melius sensitivè videre: multa enim bruta melius vident, quàm homines: nec ex eo, quod homo simul possit intelligere, insertur, quod etiam possit perspicacius videre) sed oculi brutorum neque supernaturaliter possunt DEUM videre: ergo nec oculi hominum. min. negari non potest, nisi quis velit admittere, quod bruta quoque possint supernaturaliter elevari ad Deum amandum amore beatifico, adeoque ad fruendum tota beatitudine creaturæ rationalis; neque enim est major improporatio inter appetitum sensitivum, & DEUM amandum, quàm inter visum sensitivum, & DEUM videndum. Imò etiam debebit admitti, quod bruta possint elevari ad cognoscendum honestum, & inhonestum, & ad hoc liberè vel amplectendum, vel fugiendum, consequenter ad merendam gloriam. Quin ulterius vix erit ratio negandi potentis inanimatis. e.g. lapidi aptitudinem passivam, & elevabilitatem supernaturalem ad cognoscendum, & amandum DEUM: quæ absurda utique admitti non possunt.

219. Ob. 1. Job. c. 19. v. 26. *Es 27.* dicit de se ipso: *In carne mea videbo DEUM meum: quem visurus sum ego ipse, Et oculi mei conspiciuntur sunt:* & iterum c. 42. v. 5. *Auditu auris au-*

divite: nunc autem oculus meus videt te. Jacob Patriarcha *Gen. 32. v. 30.* ait: *Vidi DEUM facie ad faciem.* *Isaias c. 6. v. 1.* de se ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Baruch *3. v. 38.* dicit de DEO. *Post hæc in terris visus est:* sed hæc Scripturæ testimonia probant DEUM videri oculis corporeis: ergo. Resp. neg. min. Textus hi, & alii similes, si qui adducantur, explicandi sunt aliquando de visione intellectuali, qua etiam Angeli dicuntur videre faciem Patris, sive DEI, etsi oculis corporeis non habeant: & quamvis aliqui SS. Patres Angelis etiam videantur tribuisse corpora, probabilius tamen est, non tribuisse verè talia, ut videbimus in *tract. de Angelis.* quod si etiam aliqui vera corpora iis tribuissent, cum aliis pluribus ab iis recederemus. quod verò Angeli videant faciem Patris, ipse Christus dixit, qui Angelis corpus non tribuit. Tali autem intellectuali visione DEUM speravit videre, vel etiam vidit Job in carne, non per carnem, sicut scilicet videbunt DEUM Beati in cælo post diem iudicii, & oculis mentis, quamvis intra corpus latentibus. Aliquando verò explicandi sunt textus de visione DEI non in seipso, sed in corporea specie, in qua apparuit, ut videtur eum vidisse Jacob, & Isaias: vel de DEO - Homine, seu Christo, qui in sua humanitate (non autem in Divinitate) oculis corporeis visus est: & de hoc loquitur Baruch, qui ibidem addit: *Et cum hominibus conversatus est.*

220. Ob. 2. S. Augustinus *l. 22. de civit. DEI c. 29.* (ut refert etiam S. Thomas *1. p. q. 12. a. 3.*) docet, post resurrectionem corporum oculis glorificatos non tantum acutus visuros, sed vim talem habituros, ut videant etiam incorporea: sed sic possunt videre etiam DEUM: ergo. Resp. S. Thomas, S. Augustinum tantum eam quæstionem agitare, sed nihil decidere: & rectè; nam sub finem capitis sic habet: *Aut ergo per illos oculos sic videbitur DEUS, ut aliqui habeant in tanta excellentia menti simile, quod et incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive scripturarum testimonis divinarum vel difficile, vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum facilius, ita DEUS nobis erit notus, atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in signulis nobis.* Quando verò S. Aug. *epist. 177. ad Fortunatianum,* rogat hunc, ut se excuset alicui Episcopo, qui offensus fuerat in eo, quod S. Augustinus negarit, DEUM oculis corporeis visibilem esse, ne scilicet DEUS corporeus esse crederetur: statim addit S. Doctor, idem negare SS. Ambrosium, Hieronymum, Nazianzenum, & Athanasium, unde hoc loco magis est pro nobis, quàm contra nos; quamvis nec hic firmus in hac opinione videatur, ut patet ex tota epistola, in qua sub finem addit, se velle placidè audire Episcopum illum docentem, sed ab eodem etiam se debere placidè audiri inquirentem, id est, examinantem hanc quæstionem, vid. Vasquez *in 1. p. disp. 40. c. 1.*

221. Ob. 3. Ignis potest cruciare demones: ergo ens materiale est proportionatum enti spirituali. Resp. dist. conf. est proportionatum, seu habet potentiam obedientialem; ut elevetur ad physicè producendum aliquid in ente spirituali, vel etiam ad producendum ens spirituale. om. conf. est proportionatum ad id vitaliter, vel formaliter percipiendum. neg. conseq. Jam diximus: videre non est tantum producere visionem, sed est

formaliter, seu vitaliter percipere: hinc transmitti, quod oculus corporeus possit supernaturaliter elevari ad physicè producendam visionem DEI, at non ad videndum DEUM. Sed & ignis non usit demones, sed ad summum in iis supernaturaliter producit aliquam qualitatem spirituales molestissimam instar adustionis. Neque etiam demones formaliter percipiunt calorem, nec formaliter uruntur; quia ipsi, utpote spiritus, sunt improporatiati ad formaliter percipiendas qualitates purè materiales.

222. Ob. 4. Licet intellectus naturalis sit improporatiatus objecto supernaturali e.g. DEO clarè in se videndo, ut supra diximus, tamen potest supernaturaliter fieri proportionatus, & DEUM intuitivè videre: ergo à pari idem poterunt etiam oculi corporei. Resp. neg. conf. & paritatem, Objectum spirituale superat quidem potentiam naturalem, sed non eodem modo, quo objectum spirituale potentiam materialem; nam, licet potentia naturalis non habeat proportionem adæquatam, seu completam ad attingendum objectum supernaturale, tamen habet inchoatam, & complebilem: at verò potentia materialis in ordine ad objectum spirituale nullam habet prorsus proportionem, nec inadæquatam, & complebilem. Neque in hac re tantum attendendus est excessus perfectionis (quia etiam minimum accidens spirituale, etiam naturale, non potest percipi à potentia materiali) sed attendi debet excessus proportionis, seu spheræ attingibilitatis, non nempe objectum habeat illam rationem formalem specificam, sub qua ab hæc potentia possit attingi, quæ in casu nostro omnino deest.

ARTICULUS VI.

An sit possibilis, vel ad visionem beatificam necessaria species impressa DEI.

223. Species intellectualis aliud non est, nisi similitudo quædam objecti, per quam intellectus cognoscit objectum. Est autem duplex *Expressa*, & *Impressa*. Prior est ipsa representatio ab intellectu producta, per quam formaliter objectum intelligit: & vocari etiam solet *verbum mentis*, quod tamen ex communi nostrorum non est aliquid distinctum ab ipsa cognitione: unde species expressa creata realiter aliud non est, quàm ipsa cognitio. Species autem impressa est quædam quantitas intellectui immixta, ex natura sua ordinata, ut cum intellectu ad producendam speciem expressam, seu cognitionem concurrat loco objecti, quod vel non potest, vel non vult per seipsum immediatè concurrere. Non malè quidam speciem impressam comparant sigillo, quod ceræ impressum efficit representationem insignium gentilitiorum: quam representationem expressam in cera comparant dein cognitioni, seu speciei expressæ.

224. Notandum tamen insuper, speciem impressam duplicem assignari, unam, quæ se habet tantum ut quo, ita, ut non habeat rationem ob-

eti, quod cognoscitur, sed tantum rationem medii, quo concurrat objectum, quod cognoscitur: alteram, quæ se habet ut quod, seu, quæ immediate cognoscitur tanquam objectum immediatum, & mediante ea objectum ultimatum; atque hæc vocatur species impressa objectiva. Aliqualis similitudo rei hujus potest desumi ex speciebus visivis, quæ, si immediate incidant ab objectis in oculum, se habent ut quo: si verò per vitra optica, vel per cameram, ut vocant, obscuram, prius immittantur in chartam, vel telam, in qua sistuntur, & eam quasi pictam aliquam imaginem faciunt, habent se ut quod, & dicuntur species objectivæ; quia ipsæ constituunt ali-quod objectum, in quod immediate visus tendit, & mediatè tantum in objectum, à quo species primò fuerunt emissæ. His notatis

225. Dico 1. Possibilis est species impressa DEI, non quidem objectiva, seu se habens ut quod, sed tantum se habens ut quo. ita S. Bonaventura, Suarez, Vasquez, Valentia, Arriaga, Rhodus, Platelius, Gormaz, Ulloa, & alii plures. Prob. conclusio. Non apparet ulla implicatio in tali specie: ergo est possibilis. Confirm. Possibilis est species expressa DEI: ergo etiam impressa. ant. prob. Visio intuitiva DEI est talis species; quia est aliqua similitudo expressa DEI, quam dum in nobis habemus, similes DEO suo modo sumus, juxta illud 1. Joan. 3. v. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Unde S. August. l. 9. de Trinit. c. 11. ait: *In quantum DEUM novimus, similes sumus.* Similia habet l. 15. de Trin. c. 16. Et ratio est, quia per visionem beatificam intellectus sibi formaliter representat DEUM, sicuti est: ergo habet in se formalem ejus representationem, quæ est ipsissima species expressa.

Confirm. Est innegabile, quod visio intuitiva DEI sit aliqua representatio, vel imago intentionalis DEI: ergo etiam non implicat aliqua creata representatio, vel imago virtualis DEI, seu productiva imaginis expressæ: hæc autem est species impressa, saltem reipsa, & quoad virtutem, quidquid sit de quaestione nominis, an dicenda sit species impressa, quæ tamen ipsa appellatio nulla ratione potest ei negari. prob. etiam conf. si possibilis est species formaliter, & expressè DEUM representans, ut est in se, à pari etiam erit possibilis species virtualiter, & ut ita dicam, impressivè representans DEUM: certè disparitas assignari non poterit, ut magis patebit ex solutione objectionum.

226. Dico 2. Defacto tamen probabilis non datur species impressa DEI, sed visio beatifica sit sine illa. ita communis cum S. Thoma 1. p. q. 12. a. 2. Prob. Ipse DEUS est objectum summè intelligibile, intimè præsens, & applicatum potentia: ergo potest immediatè concurrere sine specie vicaria sui, non tantum ut causa universalis (qualis est respectu omnium actionum creaturarum) sed etiam ut particularis: ergo ita concurrat. prima consequ. probatur ex eo, quod nihil deficit ad concursum particularem immediatum, ut magis patebit ex solutione objectionum. 2da prob. ex eo, quod id, quod potest fieri paucioribus, non debeat fieri pluribus. Confirm. Visio intuitiva DEI est vitalis supernaturalis intuitiva expressio, vel representatio DEI: sed nihil horum exigit speciem: ergo non debet dari.

prob. min. Vitalitas habetur ab intellectu: supernaturalitas habetur à lumine gloriæ (de quo paulò post) hoc enim intellectum, per se naturaliter impropotionatum, ad visionem DEI elevat: reliqua habentur à DEO immediate se revelante, & intellectui intentionaliter se uniente &c. ergo.

227. Ob. 1. contra. 1. conclus. S. Thomas 1. p. q. 12. a. 2. in corp. negat essentiam DEI posse videri per creatam aliquam speciem; quia, ut ex D. Dionysio addit, superiora non possunt cognosci per similitudines, seu species inferiores: ergo. Confirm. Species impressa debet esse ejusdem ordinis cum objecto: sed species creata non potest esse ejusdem ordinis cum DEO: ergo. Resp. dist. ant. negat posse videri essentiam per speciem objectivam, seu habentem se ut quod, conc. ant. negat posse videri per speciem se habentem tantum ut quo. neg. ant. & consequ. Rationes S. Doctoris ibi allatæ aliq. sanè non probant; nam probat suam sententiam ex eo, quod species creata non sit ejusdem rationis cum DEO, quod non sit suum esse ut DEUS, quod non sit incircumscripta ut DEUS &c. atqui ad speciem impressam, tantum se habentem ut quo, non requiritur, ut sit ejusdem ordinis cum objecto; nam species impressa ut quo, quam habet Angelus de anima rationalis, non est substantialis, nec rationalis, aut vivens &c.

228. Unde S. Doctor non est censendus negare, esse possibilem speciem impressam DEI ut quo: sed tantum alteram se habentem ut quod, seu objectivam; hæc enim videtur debere esse tam perfecta, ac objectum; cum in ea videatur objectum tanquam in simili, ita, ut eam intuentio censetur quis intueri ipsum objectum; si enim non ita se haberet, oriretur cognitio tantum abstractiva; & sic species per vitra in telam immixta, & ibi sistentes, fortè dici possunt esse æquè perfectæ, ac color objecti, quem representant (nam non representant substantiam objecti; hæc enim non videtur) præsertim in sententia eorum, qui colores à lumine modificato non discernunt. Si autem hæc species non ita se habeant, non erunt stricte loquendo species objectivæ: hinc superius n. 224. dixi, aliqualem similitudinem ex iis desumi posse, ut liti philosophicæ filum præciderem.

229. Ad confir. dist. ma. debet esse ejusdem ordinis species ut quod, conc. ma. tantum ut quo. neg. ma. & dist. sic. mi. neg. conf. sensus distinctionis patet ex modò dictis. Idem responde, si objiciatur, speciem impressam debere esse ejusdem immaterialitatis cum objecto. Dices 1. Species impressa debet adæquare objectum in ratione cognoscibilis: sed nulla hoc potest respectu DEI: ergo. Resp. neg. ma. sicut non debet ita objectum adæquare species expressa. Quidam dicunt, species expressæ creaturarum debere adæquare sua objecta; quia debent manifestare gloriam sui Creatoris tantum, quantum possunt: sed hoc etiam non videtur verum; cum non debeant eam gloriam species quælibet ita manifestare, modò aliqua ita manifestent: at nullæ species DEI debent id facere; quia nullæ debent creaturæ (DEUS iis uti non possit) manifestare DEUM, quantum cognoscibilis est; quia DEUS à creatura comprehendere non potest.

230. Dices 2. Species expressa, seu visio

creata

creata DEI habet, unde limitetur: at species impressa non haberet, unde limitaretur: ergo non est paritas. prob. ant. illa limitatur ab intellectu, & lumine creato, principii limitatis: hæc procederet à DEO, principio illimitato: ergo. Resp. cur ergo lumen gloriæ non est illimitatum; cum etiam procedat à solo DEO? in forma. neg. 2. p. ant. ad prob. neg. conf. Species impressa procederet à DEO liberè operante; & est clarum, ab hoc plurimos effectus limitatos procedere: imò tales sunt omnes creaturæ, à solo etiam DEO productæ.

231. Ob. 2. DEUS est per se jam sui ipsius intelligibilis: ergo non potest dari alia per speciem. prob. conf. Non potest dari alia lux lucis, nec albedo albedinis: ergo neque alia intelligibilis intelligibilitatis. Confirm. Quia DEUS est ipsa intelligentia, non potest fieri per aliud intelligens: ergo, quia etiam est ipsa intelligibilis, non potest fieri per aliud intelligibile. Resp. dist. ant. est intelligibilis sui respectu creaturarum, necessarîo proxima. neg. ant. est tantum necessarîo remota, & liberè proxima, conc. ant. & neg. conf. ad prob. om. ant. dist. conf. non potest dari intelligibilis alia intelligibilitatis proxima, conc. ant. intelligibilitatis tantum remota. neg. ant. & conf. DEUS utique non necessarîo debet intelligi, vel intuitivè videri ab omnibus, quibus est præsens in intellectu; aliàs deberet etiam videri à damnatis: unde tantum ex se est remotè intelligibilis, seu est objectum visibile à creatura, cui se vult liberè ita videndum præbere. Jam hoc potest facere duplici modo, vel adhibendo speciem vicariam sui, vel immediatè seipsum intellectui, non quidem physicè, sed intentionaliter uniendo, qua ratione dein supplet ipse officium speciei: sicut potest creaturæ dare potentiam producendi actum charitatis, vel tum habitu, vel ut ipse suppleat defectum habitus per omnipotentiam specialiter applicatam. Quod spectat ad lucem & albedinem, dubium est, quod dicitur; quia lux & albedo possunt intendi per additionem novorum graduum. Dein

232. Non est paritas inter lucem seu albedinem, & intelligibilitatem DEI; quia illæ sunt formæ necessariæ, & tribuunt suum effectum formalem necessarîo subiecto capaci, cui per unionem insunt: at non ita intelligibilitas DEI; imò hæc ex se non inest ulli creaturæ, etiam perlumen gloriæ elevata; eo modo, ut reddat eam immediatè potentem intelligere; nam physicè ei unita non est (quanquam nec hoc ex se sufficeret) nec etiam intentionaliter; quia ad hoc non sufficit intima penetratio, sed requiritur, ut DEUS immediatè velit supplere officium speciei: quod potest liberè facere, vel omittere; Ad confir. neg. ant. hæc enim non est ratio formalis; quia est DEUS intelligitur formaliter potens intelligere, nondum formaliter intelligitur intelligere in actu secundo absque concursu objecti &c. Unde ratio completa hujus rei est; quia DEUS est intelligentia necessaria, immutabilis, & imperfectibilis: & hinc non potest intelligere, nisi per actum sibi identificatum, ad quem nihil aliud potest concurrere, vel in eum influere, ut est per se clarum. Hæc ratio quidem probat, quod etiam DEUS respectu sui non possit esse intelligibilis per aliquid distinctum: at

non probat, quod non possit ita fieri intelligibilis respectu creaturæ.

233. Ob. 3. Species debet necessarîo supplere defectum præsentia objecti: sed hoc non potest species DEI: ergo. Confirm. Species debet esse indifferens, ut representet objectum existens, vel non existens: atqui species DEI non potest ad hoc esse indifferens: ergo. Resp. dist. ma. debet supplere defectum præsentia tantum physica. neg. ma. præsentia intentionalis, hoc est, completis proximè cognoscibilitatem objectivam, ut potentia intellectiva possit immediatè circa objectum elicere suum actum. conc. ma. & dist. sic. mi. neg. conf. Jam diximus, DEUM non esse necessarîo ita intentionaliter unum, præsentem, applicatum (quæ voces hæc idem significant) sed id liberè posse facere, vel per se, vel per speciem sui vicariam. Ad confir. neg. ma. quæ probari non potest, præsertim de specie ad intuitivam cognitionem requisita.

234. Ob. 4. Species necessarîo producuntur ab objectis: atqui species DEI non produceretur necessarîo: ergo non est possibilis. Confirm. Species debet esse connaturalis principium actus; ad quem ordinatur: species impressa DEI non est tale principium: ergo, prob. mi. Non esset connaturalis intellectui, qui jam esset sufficienter elevatus per lumen gloriæ; imò hæc species esset contra inclinationem intellectus; quia huic connaturalius esset producere visionem sine specie: non esset connaturalis DEO, qui connaturaliù inluit immediatè per seipsum: non ipsi visioni; quia hæc etiam connaturaliù producit à DEO, vices speciei supplente: ergo. Resp. neg. ma. Licet objecta creata id necessarîo faciant, non sequitur, id necessarîo debere facere DEUM: sicut etiam illa sæpe non possunt impedire suam cognitionem intuitivam, quam DEUS semper impedire potest.

235. Ad confir. dist. ma. debet esse principium connaturale, hoc est, connaturaliter determinatè requisitum. neg. ma. indeterminatè requisitum, connaturaliter tamen influens in actum ex suppositione, quod existat. conc. ma. & dist. sic. mi. neg. conf. ad prob. dico; species in sensu allatæ distinctionis fore connaturalem actui, si DEUS eam nolit supplere; quia est per lumen gloriæ sit sufficienter ei provisum ex parte potentia; tamen nondum est ei sufficienter provisum ex parte objecti; nam potentia sola, quamvis completa, necdum potest se sola producere actum, seu cognitionem, sed debet concurrere objectum vel per se, vel per speciem; unde cum in casu nostro DEUS non vellet per se immediatè loco speciei concurrere, species esset actui connaturalis: neque etiam illo modo esset contra inclinationem intellectus: quamvis tamen esset supra ejus inclinationem, hoc est, supernaturalis, sicut etiam ipsum lumen gloriæ.

236. Ob. 5. Species creata magis distat à DEO, quam species sensibilis à re spirituali: sed per speciem sensibilem non potest cognosci res spiritualis: ergo neque per speciem creatam DEUS, Resp. ret. arg. Intellectus, & voluntas creata magis distant à DEO, quam lapis à leone: sed lapis ita distat, ut non possit cognoscere, vel amare leonem: ergo neque intellectus creatus poterit cognoscere DEUM, nec voluntas eum amare.

re; quod est falsissimum. In forma potest primo negari consequentia; quia syllogismus clarè habet 4. terminos. *dist. tamen ma. distat magis in ratione entis: conc. ma. in ratione potentis producere cognitionem intuitivam DEI. neg. ma. & conc. mi. neg. confeq.* In his non attenditur proportio in ratione entitatis, sed proportio producentis, & producibilis.

237. Ob. 6. Implicat, ut creatura suppleat concursum DEI physicum, quo hic influit in omnes creaturas: ergo etiam implicat, ut creatura suppleat concursum DEI objectivum, quo influit in visionem sui intuitivam. *Conf. Accidens subjectivum, hoc est, tenens se ex parte subjecti, debet perficere subjectum: ergo etiam accidens objectivum, seu tenens se ex parte objecti, debet perficere objectum: atqui nulla species creata, quæ esset accidens objectivum DEI, potest perficere DEUM: ergo non potest dari.* *Resp. neg. conf.* Concursus ille physicus simultaneous convenit DEO tanquam causæ primæ, cujus perfectio necessaria est, esse ens, sine quo non concurrente nihil possit produci, & à quo omnia immediatè dependant, ut solet ostendi, quando de hac quæstione agitur: concursus autem objectivus nullo modo est talis; quia etiam hoc non dato, tamen omnia à DEO tanquam primâ causâ dependent: sed hic influxus habet, ut influxus productivus aliarum creaturarum, in quas DEUS se solo influit, quando posset permittere, ut creaturæ etiam influerent, & producerent. e. g. quando Christus se solo produxit vinum in Cana Galilææ, quod idem, saltem in aliis circumstantiis, potuisset produci a vite. *Ad confirm. neg. conf.* Accidens se tenens ex parte subjecti recipitur in subiecto tanquam aliqua forma, & hinc perficit subiectum: accidens se tenens ex parte objecti non recipitur in objecto, adeoque nec debet istud perficere. *Nec facile credam, quòd species ab objectis emissæ perficiant intrinsicè objecta.*

238. Ob. 7. contra 2. conclus. Gratia est quasi natura in ordine superno, & exigit connaturaliter principia intrinseca actuum, non autem concursum DEI extrinsecum: ergo exigit species DEI impressam. *Confirm. Species esset causa univoca: concursus DEI in actu primo, seu omnipotentia DEI, esset causa æquivoca: ergo convenientius admittitur species.* *Resp. dist. ant.* Gratia exigit principia intrinseca, quæ se tenent ex parte potentia. *conc. ant.* quæ se tenent ex parte objecti. *neg. ant. & conf.* Sic gratia etiam in parvulis exigit habitus fidei, charitatis &c. at non exigit species, nec DEI, nec aliorum objectorum supernaturalium: & tamen non est in parvulis in statu violento. *Ad confir. neg. conf.* Jam aliunde debet admitti concursus simultaneous DEI tanquam causæ æquivocæ: unde potest etiam admitti concursus ejusdem tanquam objecti. *Nec est verum, quòd semper debeat assignari causa univoca effectui; cum milleni proveniant à causis æquivocis: sed hoc tantum communiter admittitur, quòd, si aliunde ostensum sit, adesse causam univocam, huic præ causa æquivoca attribuat effectus.*

239. Ob. 8. In hac vita cognoscitur DEUS per species: ergo etiam in altera. *Confirm. Species DEI saltem connaturalius influeret in*

visionem, quam concursus DEI objectivus: ergo probabilis datur species. *Resp. neg. conf.* In hac vita DEUS cognoscitur tantum abstractivè, quod est formalissimè cognosci per species alienas, adeoque debet cognosci per istas: at in altera cognoscitur non in alio, nec per species alienas; sed immediatè in se ipso: unde non est paritas. *Ad confirm. neg. ant.* Ut jam dictum, neque intellectui, neque gratia, neque actui est magis connaturalis species, quam concursus DEI: ergo est in libera potestate DEI adhibere modum producendæ visionis, quem velit.

240. Ob. 9. Ut objectum possit cognosci, debet intentionaliter uniri potentia: atqui DEUS non unitur per se intentionaliter intellectui creato: ergo debet uniri per speciem: adeoque hæc est necessaria. *Resp. neg. mi.* Intentionaliter DEUS unitur sufficienter 1. eo quòd sit præsens per immensitatem, & sic sine specie præsentè evitatur actio in distans; si tamen omni modo absentia non possunt cognosci, quod forte non posset sufficienter probari, 2. quia DEUS supposito lumine gloriæ est intelligibilis, & vicissim ei intelligendo est proportionatus intellectus creatus 3. quia DEUS est paratus ad præstandum omnem influxum, quem præstaret species, si adesset: nec vult suam intelligibilitatem, aut omnipotentiam à concursu impedire. *Nec dicas, animam humanam non posse immediatè seipsam, cum adhuc est in corpore, cognoscere, eò quòd non sit sibi intentionaliter unita; nam si hoc non potest, ratio est defectus proportionis; nam in hac vita anima nil potest cognoscere independenter à phantasmate, adeoque non potest aliquid purè spirituale immediatè in se cognoscere: poterit autem post mortem cognoscere seipsam immediatè sine specie realiter distincta, ut descripto se cognoscunt Angeli ex S. Thomas 1. p. q. 56. a. 1. in corp. Suarez, & pluribus aliis.*

241. Ob. 10. DEUS non potest immediatè concurrere ad amorem sui sine prævia cognitione: ergo neque ad cognitionem sui sine prævia specie. *Confirm. 1.* Si DEUS ageret officium speciei, sequeretur, quòd Beati omnes æqualem visionem haberent: hoc admitti non potest: ergo, prob. ma. haberent omnes potentiam æquè proportionatam, & eandem speciem: ergo. *Confirm. 2.* Essentia DEI non potest esse species trium Personarum; quia eas non repræsentat: nec Personæ possunt esse species sui; quia agerent particulariter ad extra: ergo debet adesse alia species creata. *Resp. neg. conf.* Ratio pro veritate antecedentis est; quia voluntas non potest ferri in omnino incognitum: nulla talis ratio est pro veritate consequentis. *Ad 1. confirm. neg. ma. ad prob. neg. ant.* In primis non haberent æquale lumen, adeoque non haberent potentiam æquè proportionatam: dein, licèt haberent eandem realiter speciem, non haberent eandem eodem modo concurrentem; DEUS enim exercet officium speciei liberè, adeoque cum uno Beato concurrat ad visionem perfectiorem, quam cum altero, & cum nullo ad infinitum.

242. *Ad 2. confirm. om. ant. neg. conf.* Potest idem DEUS Trinus & Unus influxu objectivo communi omnium Personarum immediatè influere in cognitionem sui, sicut juxta adversarios potest producere speciem creatam sui, quin Personam

Personam illa particularem habeat influxum, sed omnes tres simul. *Si dicas, saltem explicari non posse, quomodo una Persona sine altera videri possit absque specie; Resp. defecto per visionem beatificam videri semper omnes tres.* Si difficultatem transferas ad alium casum possibilem, quem admisimus supra asserendo, posse per aliquam visionem beatificam videri DEUM tantum ut Unum, *Resp. etiam hoc fieri posse; cum tota Trinitas possit influxu communi objectivo concurrere ad visionem unius tantum personæ; quia potest se intellectui creato repræsentare magis vel minus videndam, adeoque vel visione se extendente ad omnes Personas, vel se extendente tantum ad unam: sicut potest se repræsentare videndam in ordine ad plura vel pauciora prædicata secundaria &c.*

243. Ob. ultimò. Posset dici, quòd ipsum lumen gloriæ sit species impressa DEI: ergo frustra litigatur. *Resp. nisi fiat quæstio de voce contra communem autoritatem, id dici non posse; nam lumen non se tenet ex parte objecti, sed ex parte potentia, ut habitus fidei, cui in patria succedit, & gratis ei tribuerentur alia prædicata propria speciei; quia DEUS jam illa omnia supplet. *Nec dicas, lumen gloriæ debere esse similitudinem DEI, consequenter speciem; cum aliàs intellectum ad visionem juvare non posset.* *Resp. enim neg. ill.* Sicut habitus fidei, licèt non sit similitudo objecti crediti, tamen potest intellectum juvare ad actum fidei, ita potest lumen ad visionem; nam intellectus est potentia assimilativa causaliter, seu productiva repræsentationis similis objecto, & talis concausa esset etiam lumen gloriæ, consequenter intellectum quàm optime potest juvare.*

ARTICULUS VII.

An detur lumen gloriæ, & quomodo ad visionem beatificam sit necessarium, aut influat.

244. **L**umen gloriæ ex communi Theologorum acceptione est habitus infusus, seu qualitas quadam supernaturalis, stabilis, ad eliciendam visionem DEI deserviens: nam sicut in via dantur habitus virtutum, & inter hos etiam habitus fidei, elevans intellectum ad DEUM abstractivè cognoscendum, & credendum, ita in patria datur habitus luminis gloriæ, elevans intellectum ad DEUM intuitivè videndum. *Hoc lumen gloriæ tanquam habitum adstruxerunt S. Thomas 1. p. q. 12. a. 5. Albertus, Petrus de Tarantasia, & alii antiquissimi Theologi, ut rectè ait Capreolus in 4. dist. 49. q. 4. a. 3. Post hos dein Concilium Viennense in Gallia celebratum circa annum 1311. in Clementina: Ad nostram: de hereticis quinto loco damnat hanc propositionem Beguardorum & Beguinarum: Quòd quelibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata: quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad DEUM videndum, & eo beatis fruendum.* *Post hoc Concilium autem Theologi communissimè, & recentiores omnes lumen gloriæ ita explicant.*

245. Dico 1. Datur in Beatissimis hoc lumen

gloriæ. *Prob. 1.* autoritate Concilii Viennensis modò adducta. *Quamvis autem quidam dixerint, Concilium non determinasse, quid per lumen gloriæ intelligendum sit, an tantum DEUS supernaturaliter concurrens, qui etiam in Scripturis quandoque vocatur Lumen, an ipsa visio, an habitus quidam, vel tantum auxilium transiens, ut videre est apud Suarez in 1. p. tract. 1. l. 2. c. 14. tamen non est credibile, Concilium eam vocem aliter intellexisse, quàm intellexerint Theologi, qui illud præceperunt, ut rectè arguit Capreolus supra citatus. Accedit gravissima auctoritas Theologorum, exceptis paucissimis, in hanc sententiam consentientium: accedit insuper, quòd nulla prorsus sit ratio, verba Concilii alio in sensu, quàm tum communiter usitato accipiendi. *Confirm.* Gratia habitualis non tantum in via, sed etiam in patria, est quasi natura in ordine superno: ergo sicut in via ad elevandam potentiam naturalem, ut possit elicere actus supernaturales viæ, exigit non concursum aliquem transeuntem, & extrinsecè elevantem, sed intrinsicè stables habitus, ita exigit in patria habitus ad elevandam eandem potentiam, ut possit elicere actus supernaturales patriæ; cum autem ad actum visionis beatificæ non serviat habitus fidei, ut omnes fatentur, sicut servire tamen potest habitus charitatis ad actus amoris in cælo elicendos, exigit gratia, ut Beato conferatur stabilis, & intrinsicè habitus, seu lumen gloriæ ad eliciendam beatificam visionem.*

246. Dico 2. Lumen gloriæ est quidem necessarium, non tamen indispensabiliter, ad visionem DEI, sed potest suppleri per specialem concursum omnipotentia DEI extrinsecè elevantis, ita communissimè nostri. *Prima pars conclusionis sufficienter probata est à n. 179.* Quando probatum est, quòd nulli intellectui creato sit debita, vel connaturalis visio clara DEI, adeoque nullus eam suis viribus solis possit producere: sed sicut ad eliciendos actus supernos indiget habitibus, vel alio auxilio, ita etiam ad visionem indiget lumine gloriæ, vel alio auxilio, de quo in 3. conclus. Secunda pars iterum est omnium nostram cum S. Thomas in 4. dist. 49. q. 2. a. 7. ubi ait: *Potest miraculosè fieri, quòd divina virtute aliquis intellectus non habens nisi dispositiones viæ elevetur ad videndum DEUM per essentiam: inter has autem dispositiones non est lumen gloriæ.* *Rursus q. 10. de veritate a. 17. in corp. ait de DEO: Potest mentem humanam ad hoc perducere, ut Divina essentia uniat in statu viæ, modo illo, quo unitur sibi in patria sine hoc, quòd à lumine gloriæ perfundatur.*

Prob. ratione. Alii habitus e. g. charitatis vel fidei possunt in peccatore vel infideli suppleri in ordine ad eliciendos actus horum habituum per specialem concursum omnipotentia, ut communiter nostri docent, & hic meritò potest supponi ergo etiam poterit suppleri lumen gloriæ in ordine ad eliciendam visionem DEI. *Confirm.* Etsi lumen gloriæ non possit suppleri in ordine ad denominationem illuminati lumine gloriæ, cujus est causa formalis, quæ suppleri non potest per aliam causam: potest tamen suppleri respectu alterius denominationis, scilicet producentis visionem DEI, cujus non est causa formalis, sed tantum causa efficiens non vitalis, quæ causa efficiens non vitalis semper potest suppleri ab omni-

omnipotentia, ut patet inductione: ergo.

247. Dico 3. Lumen non producit se solo visionem beatificam, sed etiam intellectus creatus partialiter in illum influit. ita S. Thomas, Scotus cum suis, Suarez, & Nostri communissime. Probatur. Potentia naturalis influit cum gratia in actus supernaturales, cognitiones & volitiones, fidei & charitatis, aut aliarum virtutum: ergo etiam intellectus influit partialiter in visionem beatificam; quia nulla profus amplius est ratio negandi huic potentiam influendi, ut patebit ex solutione objectionum. ant. prob. ex Tridentino sess. 6. c. 3. ubi expressè definitur, liberam potentiam hominis gratiæ liberè assentiri, & cooperari; hominem, licet sine gratia se ad iustitiam movere non possit, non tamen nihil agere; & *Can. 4.* damnatur asserens, hominem nihil cooperari assentiendo DEO excitanti, sed velut inanime nihil agere; & sermo sanè est de actionibus supernaturalibus, quibus solis disponimur ad justificationem, & in quas solas gratia influit, cui homo cooperatur &c. ergo potentia naturalis etiam cum gratia influit in actus supernaturales.

248. Confirm. 1. ex S. Thoma 1. p. q. 12. a. 5. in corp. ubi ait: *Omni igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficit ad DEI essentiam videndam, ut ostensum est, oportet, quod ex Divina gratia superacrescat ei virtus intelligendi:* atqui si virtus accrescit alteri necdum sufficienti, planè significatur, quod prius aliqua inchoata adfuerit: ergo, Rursus ad 1. ait: lumen gloriæ esse necessarium ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia sit potentior ad operandum per habitum: ergo, sicut habitus non se solo producit actum, sed etiam potentia cum ipso, ita etiam lumen non se solo producit visionem, sed intellectus cum ipso. Confirm. 2. Visio beatifica est actus vitalis Beati: ergo est actus immanens agentis, seu suo principio, ut est communis notio: ergo intellectus est principium saltem inadæquatum; cum adæquatum esse non possit. Et sanè est imperceptibile, quod aliquis vitaliter videat per actionem, quam ipse non agit, sed tantum mortuo modo recipit. Plura vide apud Gormaz de Beatitud. à n. 341.

249. Ob. 1. contra 1. conclus. Omnia officia, quæ nos tribuimus lumini gloriæ, possunt attribui speciei impressæ: ergo non datur lumen. Resp. neg. suppositum, quod datur species talis; nam oppositum jam probavimus; & quamvis etiam daretur, tamen adhuc probabilius esset necessarium lumen, sicut, etsi datur species de objecto revelato, tamen adhuc necessarius est habitus fidei; nam species se tenet ex parte objecti, habitus vero, qualis etiam est lumen, se tenet ex parte potentiae: & duplex hic concursus est necessarius; nam, ut habet commune axioma: *Ex objecto & potentia oritur notitia.*

250. Ob. 2. contra 2. conclus. S. Thomas pluries in locis docet, intellectum creatum non posse videre DEUM absque lumine gloriæ, & præsertim 2. 2. q. 175. a. 3. ad 2. ait, S. Paulo in suo raptu fuisse datum lumen gloriæ per modum passionis transeuntis: ergo. Confir. Si sufficit omnipotentia extrinsecè applicata ad videntem DEUM, tunc quilibet intellectus erit extrinsecè elevatus, & quilibet Beatus videbit æquali claritate DEUM: hoc est falsum: ergo.

prob. ma. Omnipotentia Divina est immensa; & consequenter omnibus intellectibus æqualiter applicata: ergo. Resp. neg. conf. S. Thomas, quando videtur nobis contrarius, per impossibile non intelligit absolutè impossibile, sed tantum impossibile de potentia, vel providentia ordinaria, quod aliàs etiam sæpius facit, Unde in nostro casu tantum vult dicere, quod sit impossibile, si DEUS se velit accomodare exigentiæ gratiæ; & sic componuntur inter se textus Angelici, apparenter contrarii.

251. Quod spectat ad S. Paulum, potuisset quidem ibi Angelicus distinguere inter possibilitatem absolutam, & ordinariam: quia tamen voluit suis adversariis concedere, quantum potuit (salva sua assertione, quod scilicet S. Paulus verè viderit essentiam DEI in se, ad quod adversarii omnino volebant necessarium lumen gloriæ) respondit, collatum ipsi lumen gloriæ transeunter. De eadem possibilitate ordinaria iterum exponendus est Angelicus, quando videtur dicere, quod Sacramenta debeant per virtutem intrinsecam transeuntem elevari ad causandam gratiam. Ad confir. dist. ma. si sufficit quilibet applicatio. conc. ma. si requiritur specialis. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. ad prob. dist. ant. est omnibus aliquo modo applicata. conc. ant. modo specialiter requisito. neg. ant. & conf. In quo autem stet specialis hæc applicatio omnipotentiae, fusè dicemus infra à n. 573.

252. Ob. 3. contra 3. conclus. Si intellectus creatus partialiter influit in visionem beatificam, tunc, saltem supposito lumine gloriæ, est ipsi connaturale producere visionem: sed hoc non potest dici de potentia naturali respectu actus supernaturalis: ergo. Resp. 1. retorq. arg. in actibus fidei, vel charitatis in via, in quibus Tridentinum cit. n. 247. etiam influit potentia libera naturalis. Resp. 2. neg. ma. quia non intellectus, sed lumini gloriæ est connaturale visionem producere, intellectus autem est favor indebitus. Nec dicas. 1. Si intellectus tantum influit mediante lumine elevante, tantum mediæ influit; nam resp. voces illas *mediate lumine*, aut similes, significare tantum *interveniente seu accedente lumine*, sicut in moralibus etiam interveniente quodam mediatore duo immediate pacificantur.

Nec dicas. 2. Si intellectus influit in visionem, tunc solus intellectus influit, & lumen tantum se habet per modum dispositionis, ut videtur voluisse Aureolus, & sequaces. Nam resp. S. Paulus 1. Cor. 15. v. 10. scribit: *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia DEI mecum.* ergo etiam gratia, qualis quocumque est lumen, est concausa influens, & quidem, cui principaliter attribuitur actio: id quod etiam tradit Tridentinum citatum n. 247. ubi ait, nos gratiæ cooperari: ergo etiam ipsa, & principaliter quidem, operatur. Nec opus est, ut omnia, quæ concurrunt ad actum vitalem, sint principia vitalia; nam & species concurrunt, quæ vitales non sunt. Pariter opus non est, ut omnia, quæ concurrunt ad effectum supernaturalem, sint supernaturalia; aliàs voluntas humana non posset influere in ullum actum meritorium supernaturalem contra Tridentinum citat. n. 247. sufficit ergo, quod unum principium necessarium sit supernaturale: tunc

tunc enim effectus jam superat vires naturales, adeoque est supernaturalis.

253. Ob. 4. Saltem juxta nos intellectus haberet aliquam partialem proportionem ad visionem, sicut e. g. habet unus equus ad trahendum currum cum altero equo: sed hoc dici non potest: ergo. prob. mi. Hæc proportio, seu virtus esset naturalis, & supernaturalis: ergo Chimærica. prob. ant. Eset naturalis, ut supponitur: esset supernaturalis; quia potentia specificatur ab actu, qui est supernaturalis: ergo. Resp. neg. ma. Non haberet proportionem, qualem equus; quia hic habet exigentiam naturalem, saltem indeterminatem, ad hanc actionem, & consequenter etiam ad principia: sicut oculus, quia habet exigentiam ad visionem corporalem, saltem pro aliquo tempore indeterminatem, habet etiam exigentiam ad lucem & species. At intellectus nullam, neque indeterminatem, exigentiam ex se habet ad visionem, sed est ipsi purus favor; consequenter neque habet exigentiam ad principia, sed habet tantum proportionem aliquam obedientialem, & virtutem per favorem supernum elevabilem, cum quo favore seu principio constituere potest unum principium adæquatum.

254. Unde neque habet intellectus cum hoc actu, seu cum visione, strictè dictam connexionem, à qua specificetur, sed puram ordinabilitatem, seu potentiam obedientialem, à qua non specificatur. Hinc ulterius in forma ad prob. min. neg. 2. membrum ant. ad hujus prob. iterum neg. 2. membrum ant. Sed neque sequitur absurdum, quod ab aliis objici solet, e. g. quod intellectus, vel voluntas haberet virtutem inchoandi salutem; cum sibi soli relicto principium naturale non possit quidquam facere, quo se positivè disponat ad salutem, aut mereatur auxilium novum, vel simile quid ad ulteriorem operationem salutis: sed, ut aliquid possit, debeat expectare motum gratiæ. Minus sequitur, non esse necessarios habitus, vel auxilia gratiæ, prævenientis aut cooperantis, quod nulla planè verisimilitudine nobis objici potest, ut expendenti facilè constabit. Quod autem quidam opponunt, hac ratione creaturam partialiter beatificare seipsam, distinguendum est; nam si sensus sit, quod beatificet seipsam objective, negatur; quia neque partialiter est objectum beatitudinis: si sensus sit, quod partialiter producat suam beatitudinem formalem, conceditur; quia hoc nihil est absurdi: quamvis hoc ipsum creatura non possit sine gratia, & favore supernaturali.

255. Ob. 5. Virtus proximè influens debet præcontinere effectum: atqui intellectus non præcontinet visionem beatificam: ergo non est proximè in illam influens. Confirm. Juxta nos visio beatifica esset minus supernaturalis, quam habitus e. g. fidei: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. Habitus non dependet à principio naturali, ut sua causa: visio ita dependeret: ergo. Resp. dist. ma. virtus adæquatè influens debet præcontinere effectum. conc. ma. inadæquatè tantum, & obedientialiter influens. neg. ma. & conc. min. neg. conf. Intellectus non est virtus adæquate productiva visionis, imò verosimilius non est causa principalis, de quo vide Gormaz de Beatitud. à n. 349. ergo non debet præcontinere per-

fectiones effectus: continet tamen intellectus aliquod prædicatum, quod non continet lumen, nec alia principia creata, nempe quod sit vitalis, & hoc potest tribuere visioni.

256. Hic obiter noto, respectu intellectus semper esse favorem indebitum, sive per lumen gloriæ, sive per omnipotentiam specialiter applicatam elevetur: & neutrum ipsi esse connaturale: gratiæ verò connaturalius esse, si detur elevatio per lumen gloriæ, tanquam potentiam stabilem, quales nempe gratia, utpote quasi natura in ordine supremo, exigit ex n. 245. in hac tamen gratiæ exigentia DEUS dispensare potest. Ad confirm. neg. ma. loquendo de supernaturalitate Theologica, de qua hic queri debet (nam, ubi excedat Philosphica, parùm interest) supernaturalitas enim Theologica desumitur à conductantia ad vitam æternam, quæ major est in visione; cum hæc formaliter sit ipsa vita æterna, adeoque immediatius, & formalius ad illam conducatur, quam habitus superni.

257. Ob. 6. Actio naturalis nequit attingere effectum supernaturalem: ergo neque potentia naturalis. Confirm. 1. Actus bonus naturalis non potest etiam in consortio actus supernaturalis mereri, seu causare aliquod præmium supernaturale: ergo neque potentia physica naturalis potest in consortio potentie supernaturalis causare physicè actum supernaturalem. Confir. 2. Sicut conclusio sequitur debiliorem partem, ita & actio: ergo, si hæc producta est à causa naturali, & supernaturali, erit tantum naturalis. Resp. om. ant. neg. conf. Actio habet essentialem respectum ad hunc effectum, nec potest esse sine illo, nec est indifferens ad effectum; unde meritò specificatur ab illo: at verò causa naturalis non habet essentialem respectum ad effectum supernaturalem, non cum illo connectitur, illum non exigit, potest vel maximè esse sine illo, & habet tantum potentiam obedientialem ad eum; unde est lata disparitas. Dixi om. ant. quia multi id negant, saltem casu, quo idem effectus produceretur per duplicem actionem, quo in causa putant, unam actionem posse esse naturalem: quamvis, ut verum fatear, his authoribus non consentiam. Id hæc etiam notandum, actionem supernaturalem non exigere, ut omnes ejus causæ sint supernaturales; modò enim una talis sit, ad quam actio habet essentialem respectum, jam etiam ipsa supernaturalis est; quia viribus naturalibus solis produci non potest, adeoque istas superat.

Ad 1. confirm. neg. conf. Causa meritoria causat effectum excitando complacentiam in DEO ob suam excellentiam, & proportionem cum præmio supremo, qualis excellentia, & proportio non datur in actu naturali erga præmium supremum: neque licitam proportionem acquirit per solam conjunctionem alterius actus supernaturalis. Unde tali complexo respondere quidem potest duplex præmium, unum naturale, alterum supernaturale; quia præmium potest esse invisibile: sed non potest ipsi correspondere præmium majus supernaturale, quam corresponderat soli actui supernaturali. Non ita res se habet in causa physice influente, quæ non debet influere ex sua excellentia, vel sublimitate, sed tantum juxta potentiam suam elevatam, & quidem

in eandem actionem cum principio supernaturali; quia actio divisibilis non est: ex quo nova est disparitas inter causam physicam, & meritum cum non ut merito naturali physicam naturale; ita etiam causa naturali physica possit actio naturalis physica respondere: sed sufficit disparitas prior.

Ad 2. confirm. neg. ant. Prius est verum; quia non potest esse firmior assensus, quam sit fundamentum, cui innitur, quod est neutra præmissa seorsim; sed utraque simul: alterum est falsum; quia, modò una causa necessaria sit supernaturalis, jam actio superat vires naturales, & est supernaturalis. Tandem ad hæc omnia respondere debent etiam adversarii; quia etiam debent defendere, quod naturalis potentia non tantum passivè se habeat, sed gratia activè cooperetur, ut docet Tridentinum.

258. Ob. 7. ex Godoi. Non est idem efficere, & immediatè influere: esse causam, & esse virtutem proximè influentem: ergo, licet intellectus efficiat visionem, & sit causa illius, non sequitur, quod immediatè influat. prob. ant. Potest aliquid efficere tanquam principium ut quod, & non ut quo, potest esse causa mediata, & potest agere per suam virtutem, e. g. juxta Thomistam substantia per accidentia: in his & similibus casibus datur efficiens, & causa, non datur influxus immediatus: ergo. Resp. om. ant. neg. conf. Causa effectus debet habere unum ex his quatuor: vel 1. modò debet identificari cum adæquata, aut saltem inadæquata virtute productiva illius: sic omnipotentia identificatur cum adæquata virtute producendi omnia, oculus cum inadæquata virtute producendi visionem; quia insuper requiritur lumen, & species: vel 2. modò debet virtutem immediatè productivam in se includere tanquam sui constitutum: sic homo dicitur causa cognitionum; quia, etsi non omnes ejus partes eam producant, tamen homo includit in se intellectum, qui est virtus immediatè productiva intellectionis: vel 3. modò debet ex se emanare illam virtutem: sic anima in sententia distinguendum potentia ab illa emanat eas ex se, & sic dicitur causa eorum, quæ à potentia immediatè efficiuntur: vel 4. debet principium immediatè influens ei debitum esse, sicut accidentia debentur substantiæ, in cuius virtute producunt aliam substantiam (alia ratio, cur aliquid non immediatè influens dicatur causa, non est excogitabilis) atqui intellectui non debetur lumen, utpote supernaturale: minus intellectus istud ex se emanat: sed neque lumen est constitutum intellectus: ergo nisi hic identificetur cum inadæquata virtute producendi visionem (nam cum adæquata identificari non potest) non potest ulla ratione dici esse causa illius, vel eam efficere: quod tamen prædicatum, ex S. Thoma & ratione, ei debere attribui probavimus.

259. Ob. ultimò. S. Thomas q. unica de virt. in com. a. 10. ad 2. docet, quod respectu eorum, quæ facultatem naturæ non excedunt, habet homo à natura non solum principia receptiva, sed etiam principia activa: respectu autem eorum, quæ facultatem naturæ excedunt, habet homo à natura aptitudinem ad recipiendum. Rursus 1. 2. q. 109. a. 1. in corp. Unaqueque autem forma indita rebus creatis à DEO habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam pro-

prietatem; ultra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam: ergo ad mentem S. Thomæ virtus naturalis potest tantum recipere, non autem producere actum supernaturalem. Resp. neg. conf. S. Thomas, præter dicta citata superius n. 248. sic ait in q. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 4. Sicut creatura inest obedientia potentia, ut in ea fiat, quiddam Creator disposuerit, ita etiam, ut ea manente fiat, quod est ratio instrumenti: ergo mediante ipsa, tanquam instrumento, potest fieri, quiddam DEUS voluerit. Jam ad textum objectos resp. Ad 1. habet quidem homo in ordine ad effectus supernos principia receptiva, quibus recipitur etiam virtutem elevativam, cui cooperetur, quamvis non habeat principia activa simpliciter talia, quæ ex propria virtute exigant illum effectum producere, vel etiam exigant concomprinia ad actum necessaria, qualia tamen habet in ordine ad effectus naturales. Ad 2. resp. si intellectus potest per formam, vel virtutem superadditam, tunc per ipsam debet elevari; aliis non ipse posset, sed tantum illa virtus: unde hic textus magis pro nobis, quam contra nos est.

ARTICULUS VIII.

An perfectior Intellectus cum æquali lumine videat perfectius DEUM.

260. Certum est de fide, inæquales dari visiones beatificas, non quidem essentialiter, seu quoad speciem, saltem in consideratione Theologica; cum quilibet visio defecto repræsentet intuitivè DEUM Trinum & Unum: sed individualiter, & secundum magis, & minus, seu secundum intensionem, quæ non mutat speciem, ita, ut una visio sit intensior altera: quod idem sentiendum de amoribus beatificis. Sunt autem visiones non quidem in omnibus Beatis inæquales (cum plures infantes, post baptismum ante usum rationis mortui, & multi alii, habentes æqualia merita, habituri sint visiones æquales) sed saltem in aliquibus; quia multi habent inæqualia merita: non tantum homines, sed etiam Angeli, sive sint ex eodem choro, & ejusdem speciei, sive non.

261. Veritas autem hæc inprimis desumitur ex illo Christi Joan. 14. v. 2. ubi ait: In domo Patris mei mansiones multe sunt, id est, ut omnes explicant, sunt diversæ beatitudines. Rursus 1. Cor. 15. v. 41. ait Apostolus: Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Florentinum etiam in literis Unionis sub finem definit, Beatos intueri clarè ipsum DEUM Trinum & Unum, sicuti est; meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Hinc quando Matthæi 20. omnibus operariis datur æqualiter denarius diurnus, vel per hunc intelligitur non eadem mensura, sed tantum species, ut explicant SS. Augustinus, Gregorius, Hieronymus, Thomas apud Cornelium, & Theologi satis communiter: vel sermo est de habentibus æqualia merita; quia serius venientes defectum temporis compensarunt intensiori labore, quam expositionem multis probare conatur Maldonatus in hunc locum Matthæi, & non rejicit Suarez in 1. p. l. 2. de attrib. Divin. c. 20. n. 16.

262. Quod autem quibusdam videatur, Sanctos, qui inferiori visione beantur, non fore contentos sua sorte, sed appetituros majorem gloriam, & quasi invidiam urendos contra illos, qui perfectiore visione fruuntur, oritur ex non sufficienti cognitione beatitudinis; nam, cum hæc stet in amore beatifico, vel certè hunc metaphysicè post se trahat, per eum autem Beati incomparabiliter plus amant DEUM, quam seipsos, ejusque bonum plus, quam suum proprium; hinc ejus voluntati libentissimè acquiescunt, sive ipsi majorem, sive minorem gloriam concedat. Accedit, desiderium perfectioris visionis supra merita, vel gratiam esse irrationabile, & inordinatum, quod dari non potest in statu beatitudinis: unde plus non petunt Beati, quam conveniat meritis, vel (si non habere merita, ut infantes baptizati, & mortui ante usum rationis) gratiæ. Huc communiter, & non inconcinne affertur similitudo vestitus. Minor staturâ non invidet majori vestes etiam majores, quamvis pluris content; quia ipsi non quadrant. Item minus esuriens, vel minus indigens cibo non invidet alteri majorem ciborum quantitatem. Sic etiam Beati non invident aliis illud, quod sibi non quadraret. His positus quaeritur, an intellectus perfectior e. g. Angelicus, instructus æquali lumine cum intellectu inferiore e. g. humano, elicere possit perfectiorem visionem DEI, quam intellectus humanus.

263. Dico. Perfectior intellectus cum æquali lumine non potest elicere visionem perfectiorem. ita S. Thomas 1. p. q. 12. a. 6. ad 3. ubi ait, diversitatem visionis futuram per diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam. Sequuntur Angelicum Thomistæ, Suarez, & innumeri alii, præsertim nostri. Prob. Adversaria sententia non potest explicare, quomodo æqualibus meritis hominis, qui imperfectiorem habet intellectum, & Angeli, qui habet perfectiorem, reddantur æqualia præmia: hoc est absurdum: ergo, min. negari non potest; nam Florentinum, supra n. 171. citatum, expressè docet, in æqualitatem præmii, seu visionis juxta inæqualitatem meritum dari: verba sunt: Meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Prob. jam maj. Si utriusque, id est, homini & Angelo, daretur æquale lumen, homo haberet minorem visionem, adeoque minus præmium: si daretur lumen inæquale, & majus homini, tunc Angelus haberet minus præmium; cum ipsum etiam lumen sit præmium, utpote magna perfectio animæ, & potentia producendi visionem. Dein videtur absurdum, quod Angelus ob perfectiorem intellectum sit deterioris conditionis, ita, ut pro æquali labore, seu merito non possit recipere tantum præmii, quantum homo, qui habet intellectum imperfectiorem. Utriusque, ut rectè urget Suarez in 1. p. l. 2. de attrib. Div. c. 21. n. 7. sequeretur ex eadem ratione, quod perfectior voluntas Angeli haberet imperfectiorem habitum charitatis: cumque habitus charitatis, & gratia habitualis servant inter se proportionem, etiam Angelus haberet minus gratiæ, quod est absurdum.

264. Respondent adversarii 1. non esse absurdum, quod intellectus perfectior videat perfectius DEUM; cum gratia non destruat, sed perficiat naturam. At contra est. Hoc conciliari non potest cum Florentino supra citato, Et certè

visio datur ut merces Filiorum DEI habentium gratiam, adeoque sine majore gratia nequit major esse visio: unde Rom. 6. v. 23. dicitur: Gratia autem DEI vita æterna. hoc est: nihil est in visione, quod non oriatur ex gratia.

Resp. 2. Mastrius cum quibusdam aliis, excessum intellectus, & consequenter visionis dari ex meritis Christi, qui tanquam effectum prædestinationis meruerit uni intellectum perfectiorem, quam alteri. Sed contra. Difficulter probari potest, Christum meruisse Angelo essentiam suam; cum hæc necessaria sit, & de essentia Angeli sit, ut habeat perfectiorem intellectum, quam homo. Aliud fortè est, quod meruerit Christus, ut hic potius Angelus, quam alius producat; sed eodem modo etiam potest dici, quod meruerit homini huic præ altero, ut existat & sic non perfectio essentialis intellectus, sed tantum ejus productio videtur cadere sub merito Christi. Verum hoc omnino, Florentinum ait, ipsam visionem fore inæqualem ob diversa merita, scilicet accipientium mercedem: hoc autem juxta Mastrium non salvaretur; cum visio esset inæqualis etiam in habentibus æqualia merita.

265. Respondent alii 3. Angelum, & hominem habituros diversum concursum omnipotentia Divina, ratione cujus detur inæqualis visio. Sed contra 1. Vel intelligitur concursus in actu secundo: & hic juxta probabiliorè sententiam est ipsa visio indistincta ab actione productiva sui, adeoque non potest esse inæqualis. Vel intelligitur concursus in actu primo: & est omnipotentia preparata: atqui, si est æquale lumen, (cum perfectio major intellectus nil faciat ad rem) tunc exigentia concursus, in quo stat preparatio omnipotentia, est æqualis: ergo. Vel debet dici, quod perfectio major intellectus sit exigentia minoris concursus, quod est absurdum; nam sic perfectior intellectus, ut supra jam dictum, deberet esse deterioris conditionis. Contra 2. Iste ipse concursus, qualiscunque intelligatur, est præmium: ergo debet etiam ipse diversitati meritorum correspondere. ant. prob. Si ipsa visio est præmium, tunc etiam est præmium id, quod post merita datur, ut ea elici possit. Hæc rationes posteriores etiam probant, concursum in actu secundo, si distinguatur ab ipsa visione, eoque hæc, ut quidam volunt, producat per actionem distinctam, etiam debere esse æqualem, si æqualia sint merita, nec posse dici, minorem dari intellectui magis perfecto.

266. Prob. conclus. 2. Potentia non agens naturaliter, sed tantum obedientialiter, non agit, nisi juxta mensuram principii elevantis: ergo, si hoc principium elevans est in duobus æquale, agunt æqualiter: atqui intellectus tantum obedientialiter agit in ordine ad visionem: ergo. ant. prob. exemplis. Quamvis unum balsamum, vel oleum, sit perfectius altero, tamen non producit plus gratia in Sacramento Confirmationis, vel Extremæ Unctionis: nec etiam Christus, si subter speciebus melioris panis, vel vini: ergo. Confirm. Si perfectio aliqua tantum se habet materialiter in ordine ad effectum, non facit hunc meliorem e. g. circinus aureus non describit meliorem circum, quam ferreus: anima rationalis non melius videt per oculus, quam animalynceis: atqui

major perfectio intellectus tantum se habet materialiter in ordine ad visionem beatificam: ergo. min. prob. tum ex rationibus supra jam positis: tum ex eo, quod tantum conducat ad visionem, ut potens vitaliter & intellectualiter agere: sicut scilicet anima rationalis conducit ad visionem tantum ut potens sensibiliter videre, non ut potens ratiocinari: certe pius adversarii de intellectu non probant: ergo.

267. Ob. 1. Est innegabile, quod docti Theologi eliciant meliores actus supernaturales fidei, quam rustici, etsi non habeant perfectiorem habitum fidei; ergo perfectio intellectus juvat ad eliciendum perfectiorem actum supernaturalem: ergo etiam potest juvare ad eliciendam perfectiorem visionem. Resp. dist. ant. si cetera omnia sint paria. neg. ant. si non sint paria. conc. ant. & neg. utramque conf. Sciendum, quod principia supernaturalia, e. g. habitus fidei, charitatis &c. conferant vires eliciendi actus non tantum qualescunque, sed etiam intensos: est autem homo viator liber ad eliciendos vel magis, vel minus intensos: & quidem sapientissime elicit minus intensos, quam posset; quia, ut ait S. Thomas 1. p. q. 62. a. 6. in corp. compositus est ex diversis naturis, ut inclinatio unius nature impetum alterius impediatur, scilicet ex corpore & anima. Dixi: homo viator; quia in patria Beati necessarii agunt secundum totam intentionem luminis: & quia talis diversitas naturae, ut ibidem habet Angelicus, non est in Angelo, iste etiam adhuc viator, ex mente S. Thomae, secundum totam intentionem principiorum illorum operatus est. Quando igitur docti eliciant meliores actus fidei, quam indocti, inde est; quia intensius operantur, tamen intra intentionem principii supernaturalis, cui, si aequè intense vellent cooperari indocti, aequè perfectos actus elicere possent. Eadem est ratio de actibus prudentiae supernaturalis. Advertunt tamen Suarez in 1. p. l. 2. de attrib. Div. c. 21. n. 16. Tannerus disp. 2. de DEO q. 6. dub. 5. n. 10. Gorniaz de Beatitudine n. 432. quod docti ceteris paribus ordinariè non eliciant meliores actus fidei, quam indocti, sed tantum meliores actus naturales e. g. judicicia creditilitatis, vel conclusiones Theologicas.

268. Ob. 2. S. Doctor loco modo citato ait: *Rationabile est, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius & efficacius ad Deum sint conversi*: ergo perfectior natura perfectiores actus supernaturales elicere potest. Confirm. Idem S. Doctor 3. p. q. 10. a. 4. ad 2. docet, quod gradus visionis magis attenduntur secundum ordinem gratiae, quam secundum ordinem naturae: ergo etiam aliquantum secundum ordinem naturae &c. Resp. neg. conseq. S. Doctor in primis, ut jam dictum, ait, Angelos non habere diversas naturas, seu contrarias, & ideo secundum totam intentionem operari: secundò ibidem docet, quod ipsis secundum gradum naturalium data sint dona gratiarum, adeoque plura iis, qui habebant perfectiorem naturam: unde non propter perfectiorem naturam, sed propter maiorem gratiam, secundum cuius totam intentionem operati sunt, efficacius ad DEUM conversi sunt: & natura se tantum habuit negativè, quatenus non contraria, aut nulli impedimento fuit: vel aliquo modo mediare, qua-

tenus juxta ipsius perfectionem DEUS, non quidem quasi ex debito, seu ob exigentiam illius naturalis perfectionis, sed ex suo puro beneplacito, Angelis dona gratiae maiora concessit. Ad confir. neg. conf. Eo ipso loco S. Doctor tradit, visionem Divinae essentiae excedere naturalem potentiam: unde illud magis sumit non comparative, sed exclusivè, sicut dicitur ad Hebraeos 11. v. 25. de Moysse: *Magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalis peccati habere jucunditatem*: quam jucunditatem Moyses nullo modo, etiam tantum minori, elegit.

269. Ob. 3. Visio Angeli habet essentialiam respectum ad intellectum perfectiorem, quam visio hominis: ergo est perfectior, etiam si aequale sit lumen. Confir. Visio beatifica est vitalis, & hoc praedicatum habet ab intellectu: ergo, quod perfectior est intellectus, eo perfectiorem vitalitatem, adeoque realiter perfectiorem visionem producere potest, stante aequali lumine. Resp. dist. conf. est perfectior in consideratione Philosophica. om. conf. in consideratione Theologica. neg. conf. Non quaeritur hic, nisi de perfectiori visione in consideratione Theologica, seu in intentione, claritate &c. in altera consideratione etiam pariter perfectiora sunt Angeli: sed ad hoc hic non attenditur. Ad confir. neg. conf. Vitalitas visionis quidem procedit ab intellectu, sed non à solo, neque à naturaliter operante; cum enim ipsa etiam sit supernaturalis, non respondet intellectui naturaliter agenti, sed agenti obedientialiter, seu ut elevato: adeoque hic, ut ut naturaliter perfectior, non propterea potest perfectiorem supernaturalem vitalitatem producere.

270. Ob. 4. Complexum ex intellectu perfectiore & lumine est perfectior causa, quam complexum ex intellectu imperfectiore & eodem lumine: ergo potest perfectiorem effectum producere. Resp. dist. ant. est causa materialiter perfectior. conc. ant. formaliter perfectior. neg. ant. & conf. Hoc est: includit quidem aliquam maiorem perfectionem, sed quae nil conducit ad effectum nobiliorem: sic etiam complexum ex Mathematico, & circino auro: est Sacerdote, & meliorem ballamo, vel oleo, est perfectius, quam si circinus esset ferreus, & oleum vilius: non tamen propterea producitur melior circulus in charta, nec melior gratia in Sacramento. Aliud est, si causa sit formaliter perfectior, e. g. calamus melius paratus, circinus magis exactus &c. at verò constanter negatur; intellectum esse causam formaliter perfectiorem.

271. Ob. 5. Intellectus naturaliter perfectior habet plures perfectiones formaliter distinctas, & istae omnes elevantur per lumen: ergo plus faciunt, quam pauciores perfectiones elevatae. Resp. 1. retorq. argum. in elevatione plurium formaliter distinctarum perfectionum olei, vel ballami in Sacramento Chrysmatis, vel Extremae Unionis. Resp. 2. dist. ant. elevantur omnes sub ratione communi intellectus, & ad operandum juxta mensuram luminis. conc. ant. elevantur sub rationibus diversis, & ad operandum supra mensuram luminis. neg. ant. & conf. Nec dicas, hac ratione fore otiosam illam maiorem perfectionem intellectus; nam realiter ipsissima per totam aeternitatem est occupata visione DEI, ad mensuram luminis elicienda; secundò servit ad cognoscenda

cognoscenda perfectius alia objecta naturalia. Dein ab omnibus debet admitti, quod dentur plurimae potentiae formaliter tantum distinctae, quae suum actum, sub ea formalitate sibi propriam, per totam aeternitatem non elicient. e. g. potentia videndi alterum mundum, colloquendi infinitis hominibus nunquam producendis. Si dicas, has potentias esse tantum conditionatas, e. g. si producat mundum &c. facile responderi potest, etiam illam maiorem perfectionem intellectus quoad aliqua objecta tantum conditionate, quoad aliqua posse absolute se exercere, ut jam ostensum.

272. Dices. Si elevetur simul intellectus, & species naturalis, plus fit, quam, si elevetur tantum intellectus: ergo etiam plus fit, si eleventur plures perfectiones, quam, si tantum una. Resp. si sermo sit de visione DEI, nego suppositum; non enim datur species DEI: & quidem naturalis est impossibilis; quia esset debita alicui naturae, quod esse non potest. Si autem sermo sit de actibus aliis supernaturalibus circa objecta revelata in ordine ad fidem, nego paritatem; cum enim res non possit cognosci sine specie, nil posset fieri, nisi ista elevaretur, adeoque utique plus fit, quam, si non elevetur: posset autem fieri visio eadem in consideratione Theologica, etiam si intellectus esset imperfectior, & non tot perfectiones elevarentur. Hoc tamen addo: si species tantum materialiter sit perfectior, etiam propter ipsam non fore perfectiorem actum supernaturalem: si autem esset formaliter perfectior, e. g. quia esset supernaturalis de objectis altissimi, vel pluribus; non erit contrarium nostrae conclusioni, si dicatur etiam actus perfectior subsequi: hoc ipso tamen erit disparitas inter speciem formaliter perfectiorem, & inter intellectum tantum materialiter perfectiorem. Et hæc de visione, adhuc tantum in speculo, & aenigmaticè cognita, obscurius dicta sufficiant, quae DEUS det, ut ipsa ejus beatissima fruitione clarior intelligamus.

DISPUTATIO III.

De Scientia DEI.

273. Quatuor in disputationem hanc veniunt Quaestiones. 1. ma. de Scientia DEI in genere, & iis, quae per modum principiorum ad eam concurrunt, ut intellectus, species, objectum &c. 2. da. de Scientia simplicis intelligentiae. 3. tia. de Scientia visionis. 4. ta. tandem de Scientia media. Esti autem longe plures sint divisiones Scientiae DEI, tamen trium istarum notitia exactior pra aliiis necessaria est ad capiendam illa, quae de Voluntate Divina praedestinante, aut reprobande subjungemus. Unde de his tribus suffus, de aliis tamen etiam, quantum necesse erit, tractabimus.

QUESTIO I.

De Scientia DEI in genere.

ARTICULUS I.

An, & quotuplex detur Scientia in Deo.

274. Quaedam perfectiones creaturarum tales sunt, ut in ipsa ratione significata per nomen im-

perfectiorem involvant, v. g. dolere, timere &c. & hæc DEO non conveniunt in propria significatione, sed tantum in metaphorica, in qua duntaxat Scripturae DEO adscribunt dolorem, aut poenitentiam. Regula autem, an perfectio aliqua in sensu proprio DEO conveniat, ex S. Augustino l. 2. ad *Stimplicianum tota questione 2. da* est ista: quando, detractis per præcisionem formalem imperfectionibus omnibus, quae tali perfectioni in creaturis solent esse connexae, manet adhuc ratio significata per nomen, tanquam pura perfectio, tunc ea DEO tribuitur proprie: scilicet, si non maneat.

275. Sic, ut ibi S. Augustinus, timor DEI est perfectio in homine, non autem in DEO; quia subtrahitis imperfectionibus trepidationis, subjectionis, punibilitatis &c. non manet amplius ratio timoris. Econtra, licet misericordia in homine connexa sit cum compassione, seu participatione miseriae, & capacitate ad eandem &c. quia tamen, his per conceptum ablati, manet adhuc pura perfectio, scilicet bonitas subveniendi, & à miseriis liberandi alium, quae est ratio misericordiae, hæc virtus DEO proprie tribuitur. Quare, ut ibidem Augustinus, quod aliquando in homine laudabile est, non tale foret in DEO; non enim in DEO laudabilis esset pudor, aut verecundia, vel mutabilitas: at sunt in homine peccante. Quaeritur jam, an scientia, proprie dicta, DEO attribui possit.

276. Dico. In DEO datur scientia verè, & proprie dicta, imò omniscientia. ita omnes Catholicis. Prob. 1. ex innumeris Scripturae locis. e. g. *Esph. 14. v. 14. Domine, qui habes omnem scientiam. ad Rom. 11. v. 33. O altitudo divinarum sapientiae, & scientiae DEI. ad Coloss. 2. v. 3. In quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae DEI &c. Consonant SS. PP. ubique, ex quibus D. Dionysius c. 7. de *Divinis nominibus* de DEO ait: *Scire illum omnia, Scriptura testatur; nihilque Divinam scientiam fugere*. Ratio autem naturalis hujus conclusionis est; quia DEUS est omniscius, ut num. 130. dictum, & ulterius patet ex eo, quod, nisi esset sapientissimus, non potuisset esse mundi hujus ordinatissimus conditor: nec posset esse ejus providentissimus gubernator, minus universalis omnium judex, nisi esset omniscius: sed nec aliis scientias posset infundere, nisi eas haberet: ergo debet in DEO dari scientia.*

277. Ne autem quaestio fiat de nomine, & tribuatur DEO tantum notitia omnium, non autem scientia; sciendum, quod, detractis omnibus imperfectionibus discursus, habitus, qualitates &c. quae scientiae creatae connexae sunt, manet adhuc *cognitio certa, & evidens*, quae est pura perfectio, & ratio significata per nomen *scientia*. Quod autem Logice confundant scientiam cum habitu discursivo, vel ipso discursu, inde est, quod agant de scientia tantum creatae: SS. PP. autem, & Scripturae (quae, quantum possunt, literaliter accipiendae sunt) agunt de scientia praescindente à creatae, & increata. Addendum, hanc scientiam, ut digna sit DEO, debere esse perfectissimam, universalissimam, infallibilem, infinitam.

278. Collige ex dictis 1. In DEO admitti posse potentiam metaphysicam, vel logicam intelligendi, non verò potentiam physicam; hæc enim

enim strictè sumpta significat potentiam distinctam ab actu, & ab isto perfectibilem, atque complebilem, quæ DEO repugnant: at potentia logica dicitur illa, quæ legitimè infertur ex actu, ut sit bona consequentia: actu intelligit, ergo potest intelligere: quæ consequentia etiam valet respectu DEI. Accedit, quòd Scripturæ, & SS. PP. sæpè DEO tribuant mentem, aut intellectum, nec ab ullo metaphoricè exponantur, adeoque debeant ea dicta saltem de potentia metaphysica, aut logica accipi. Eodem modo dicendum, dari in DEO actum primum metaphysicum, vel logicum intelligendi, non verò physicum.

279. Collige 2. dō. In DEO non dari habitum propriè dictum; habitus enim non dicit facilitatem quamcumque operandi, sed accidentalem, & (ut distinguatur à dispositionibus etiam facilitantibus, sed faciliè mobilibus) stabilem, superadditam potentiaè capaci difficultatis; hoc enim intelligitur per hanc vocem: & nisi hoc intelligeretur, deberet etiam facilitas videndi in oculo dici habitus, quòd communissimè negatur: talis autem facilitas superaddita repugnat DEO, qui nec additionis, nec difficultatis est capax. Videtur etiam non dari respectu DEI motum strictè dictum; quia hoc videtur dicere respectum ad mobile, sive ad motionem, quæ DEO non congruunt. Si autem contendas, per motum duntaxat intelligi rationem assensūs, non litigabo.

280. Lis est inter authores, an in DEO detur ratio speciei impressæ. Distinguendum existimo: si per hanc intelligatur complementum intellectūs per modum conprincipii determinativi ad producendam speciem expressam, non datur in DEO; quia in DEO species expressa, seu cognitio absoluta est à se, & non producta ab alio: si autem intelligatur tantum applicatio intentionalis, qua objectum quodlibet redditur cognoscibile, aut applicatur intentionaliter intellectui, tunc admitti potest; eoquòd essentia DEI sit species omnium rerum. Et qui hanc admittunt, pro se adducunt etiam S. Thomam 1. part. 1. quest. 14. art. 4. in corp. ubi sic habet de DEO: *Cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis.* Quando autem de in ibidem dicit, hanc esse identitatem cum intellectu, & cognitione, clarè loquitur de identitate tantum reali. Addunt, hanc perfectionem, scilicet esse intentionalem applicationem objecti, non contineri formaliter in intellectu, aut objecto; quamvis contineatur aliqua applicatio physica, sicut voluntati absque cognitione objectum jam est physicè applicatum, non tamen intentionaliter) adeoque formaliter esse distinctam. Nec obest, quòd in DEO omnia sint vitalia; nam etiam species impressa in genere potest realiter esse talis, quamvis in creatis ob limitationem suam non sit talis: sic etiam æternitas DEI realiter est vitalis, quamvis talis non sit duratio creaturæ. Quando autem aliqui negant in Angelis species sui ipsorum, negant tantum realiter, non verò formaliter distinctas, quales etiam tantum in DEO adstruuntur ab istis authoribus.

281. Collige 3. tiō. In DEO non dari potentiam discurrendi propriè dictam. Ita S. Thomas 1. part. 1. quest. 14. art. 7. ad 2. dicens: *DEUS non cognoscit per causam, quasi prius cognitam, esse,*

Aut cognitos: sed eos cognoscit in causa; unde ejus cognitio est sine discursu. idem sentit Eximius, & communis Theologorum. Prob. Discursus propriè dictus est cognitio unius ex alio, seu progressus ab una notitia ad aliam, & à noto ad ignotum: hæc non congruunt DEO: ergo, prob. min. Ut procedatur à noto ad ignotum, necesse est, ut veritas consequentis nondum sit nota in antecedente; aliàs proceditur à noto ad aliud notum, & non ad ignotum: atqui veritas consequentis DEO semper jam nota est in antecedente: ergo, prob. min. Quascunque præmissas, vel quodcumque antecedens, DEUS comprehensive cognoscit, quantum in eo signo possunt cognosci: ergo unico intuitu in eodem signo cognoscit, quidquid ex illis vel ratione identitatis, vel ratione connexionis infertur: ergo jam ei consequens est notum in antecedente, adeoque non discurret ab una veritate ad alteram, sed utramque simul cognoscit. Unde, quando DEUS in sua omnipotentia cognoscit creaturas possibile, nullatenus discurret: sed comprehendendo omnipotentiam, simul in ipsa cognoscit omnium possibilitatem, & non primum ex illa hanc infert.

Hinc ulterius modus cognoscendi Divinus est simplicissimus, & nullo modo compositivus, aut divisivus; nam compositio, aut divisio tunc fit, quando intellectus concipiens subiectum, primo intuitu nondum videt omnia, quæ de illo affirmari, aut negari possunt, atque idè progreditur ad formando varios conceptus prædicatorum, quæ dein comparat cum subiecto, & vel per compositionem ei tribuit, vel per divisionem negat: quæ longe sunt à DEO.

282. Questio autem hæc de nomine fieri posset, an detur in DEO discursus virtualis; ad quam Resp. Si per discursum virtuales intelligitur tantum actus, quo unum cognoscitur in alio, vel cognitio tam perfecta, aut perfectior, quam sit discursus formalis, datur in DEO. Si autem intelligitur discursus virtualis strictius talis, ita ut debeat etiam in illo dari progressus à noto ad ignotum, atquè notitia unius præsupponi, si non realiter, saltem formaliter, ad notitiam alterius, vel saltem apprehensio unius illuminare intellectum ad apprehendendum alterum, per priorem apprehensionem nondum ita cognitum, quas dein apprehensiones sequatur actus virtualiter discursivus, eisquæ suo modo commensuratur; talis discursus virtualis in DEO dari non potest. Et sanè videtur ad discursum virtuales plus requiri, quam tantum cognitio unius in alio.

283. Jam Scientia Divina dividitur multipliciter. 1. mò in *primariam*, & *secundariam*. Illa est, qua DEUS cognoscit se ipsum tanquam objectum primarium: secunda, qua cognoscit objecta secundaria, seu creaturas. 2. dō in *prædicam*, & *speculativam*. Prior versatur circa objectum operabile: posterior verò versatur circa objectum tantum speculabile. 3. tiō. in *scientiam approbationis*, & *simplicis notitiae*. Illa videt objectum, adjuncta approbatione Divinæ voluntatis: ista datur, quando deest illa approbatio. Hinc quando DEUS dicitur in Scripturis aliqua nescire, rectè exponit S. Augustinus libro 2. dō *questionum super Exodum quest. 152.* dicens: *DEUS dicitur scire, quæ illi placent, nescire, quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia*

non approbat. 4. tiō in *Scientiam propter quid, & quia*. Illa est scientia effectūs per causam: altera causæ per effectum, vel aliud medium connexum. 5. tiō in *Scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis*. Priore DEUS scit omnia possible quæ talia, prædicando suo modo, an existant: posteriore videt existentia pro aliqua temporis differentia.

284. Dividitur 6. tiō in *Scientiam necessariam, & liberam*. Illa est, quæ non potest à DEO abesse, & antecedit omne decretum liberum DEI: ut est notitia veritatum necessariorum; unde scientia simplicis intelligentiæ est necessaria: at non omnis scientia necessaria est simplicis intelligentiæ; nam se ipsum necessariò existentem videt DEUS necessariò per scientiam visionis. Libera est, quæ potest à DEO abesse, & præsupponit liberum decretum DEI actu existens: & talis est scientia de creaturis actu existentibus. Habet ergo scientia necessaria duo prædicata, scilicet, quòd non possit à DEO abesse, & quòd consequenter detur ante omne decretum liberum DEI: libera verò habet duo opposita; scilicet, quòd possit à DEO abesse, & præsupponat liberum decretum DEI actualiter existentem.

Inter has duas datur scientia participans de utraque unum prædicatum, sed de neutra utrumque, scilicet, quæ potest à DEO abesse, non autem præsupponit liberum decretum DEI actualiter existens, adeoque est medium quoddam inter scientiam necessariam, & liberam. Et hæc est *Scientia media*, de qua, & Physica prædeterminatione multa lites inter RR. PP. Dominicanorum, & nostram scholam. Quidam scientiam hanc volunt esse mediam inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, quibus non multum repugnabo; quia est questio potissimum de nomine.

285. Sed questio de re est, an etiam antiqui jam admiserint scientiam mediam; cui respondeo, eos nondum hoc nomine usos, quamvis rem ipsam admiserint. Unde aliquando hanc scientiam contingentium conditionalem reduxerunt ad scientiam simplicis intelligentiæ, aliquando ad scientiam visionis, prout scilicet juxta varia prædicata eam considerarunt, vel eam cum aliis scientiis compararunt: scilicet, sicut crepusculum quandoque dies, quandoque nox vocatur; quia aliquid de claritate diei, & aliquid de obscuritate noctis participat; hinc e. g. à viatore, cui adhuc sufficientem lucem præbet ad iter agendum, vocatur dies: at ab eo, qui legere debet, & majore luce indiget, atque ingruentibus tenebris literas difficulter discernit, vocatur nox.

Ira scientia media, quia est de plurimis rebus nunquam exituris, & sub ratione tantum conditionata, quæ nihil absolute infert, revocatur quandoque ad scientiam simplicis intelligentiæ, & sic S. Thomas 1. part. 1. quest. 14. art. 9. in corp. omnium, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt (qualia sunt etiam, quæ tantum conditionatè essent, nunquam autem absolute erunt) omnium, inquam, istorum notitiam vocat scientiam simplicis intelligentiæ. Quia autem eadem scientia media non attingit res sub ratione folius possibilitatis, sed sub ratione existentiaè saltem conditionatæ, videtur à quibusdam aliquando reduci ad scien-

tiam visionis, atque etiam à S. Augustino apud Angelicum 3. part. quest. 1. art. 5. ad 2. quatenus ibi poenitentiam Tyriorum conditionatè tantum futuram supponit prævisam, quod prædicatum propriè convenit scientiæ visionis. Aliæ divisiones scientiæ Divinæ, aut faciliè ex terminis capiuntur, aut hinc inde exponuntur.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

286. **O**B. 1. S. Hieron. in illa verba.

Mundi sunt oculi tui. Habacuc 1. v. 13. ait. *Absurdum est ad hoc DEI deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quot veniantur, &c.* ergo DEUS non habet scientiam rerum omnium perfectissimam. Resp. dist. conf. non habet scientiam specialis providentiæ, qualem habet de rationalibus. conc. conf. non habet scientiam providentiæ universalis, neg. conf. Providentiæ, quam DEUS exercet post prævisionem exigentiæ causarum secundarum, quæ conjunctæ sunt ad aliquod efficiendum, dicitur generalis, aut universalis, non, quòd non provideat ipsis individuis: sed, quia tantum provideat modo generali, & omnibus communi: & hanc non negat S. Hieron. nam in illud: *Nonne duo passeres asse veniunt. Matth. 10. v. 29.* ait: *Parva animalia, & vilia, absque DEO auctore non decidunt, & in omnibus est providentiæ, & que in his peritura sunt, sine DEI voluntate non pereunt.*

Providentiæ specialis, & particularis est, quam DEUS exercet dando plura supra exigentiam causarum secundarum, e. g. Angelos Custodes: & hanc tantum negat S. Hieron. exerceri à DEO respectu culicum &c. quod infertur ex ipso illo loco; sic enim paulò post habet: *Ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosissimus, eandem rationabilium, quam irrationabilium, providentiam esse dicentes.* Ex quo ulterius infert, stultum esse librum, in quo dicitur, quendam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus. Sic etiam intelligendum illud 1. Cor. 9. v. 9. *Nunquid de bobus cura est DEO?* De cætero scientia infimorum non est indigna DEO; quia intellectum ejus illimitatum non impedit ab actoribus, sicut impediret intellectum creaturæ limitatum.

287. Ob. 2. Aliqua vaticinia DEI non videntur impleta, e. g. subversio urbis Ninive: ergo scientia DEI non est infallibilis. Confir. DEUS non cognoscit Chimæras: ergo non cognoscit omnia. Resp. dist. ant. vaticinia DEI absoluta, neg. ant. conditionata, & non purificata conditione. conc. ant. & neg. conf. Eo ipso, quòd conditio impleta non fuerit, non debet impleri conditionatum, seu vaticinium: jam verò plures prophetiæ comminatoriæ involunt tacitam conditionem: nisi poenitentia, preces &c. interveniant; sicut parentes etiam solent minari liberis. Ad confirm. dist. ant. non cognoscit eas, prout ab ipso cognoscibiles sunt, neg. ant. aliter. conc. ant. & neg. conf. Fusè hanc questionem deducit Gormaz de DEO disp. 5. num. 288. & num. 304. & seq. ubi negat impossibilia in se cognoscipos-

se tam à DEO, quàm ab hominibus: atque, quòd nos, dum Chimæras cognoscimus, ordinariè fingamus, & duo possibilia combinemus: sicut etiam privationes, & negationes concipi-mus per modum entium positivorum, e.g. tenebras per modum formæ nigræ: quæ imperfecta ratio cognoscendi utique est remota à DEO, qui per simplicissimum actum cognoscit, & negat Chimæras.

288. *Bañholzer In thesibus de scientia DEI quest. 2. art. 3. num. 37.* ait, DEUM cognoscere impossibilia, quatenus comprehendit omnia possibilia, inter quæ, cum Chimæra non sint, hoc ipso eas æquivalenter, atque sufficienter cognoscit, quamvis de iis nec affirmativam, nec negativam propositionem formaliter enunciat. Et hoc videtur esse ad mentem S. Thomæ 1. part. quest. 14. art. 10. in corp. ubi ait, mala à DEO cognosci per cognitionem bonorum; sic enim habet: *Cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni, per hoc ipsum, quod cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. Unde dicit Dionysius septimo capite de Divinis nominibus, quod DEUS per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras, quàm à lumine.* Item 1. part. quest. 25. art. 3. in corp. ubi ait: *Id enim, quod contradictionem implicat, verbum esse non potest; quia nullus intellectus potest illud concipere.*

289. Ob. 3. Si potest naturaliter demonstrari, quòd DEUS sit sciens, & intelligens, potest naturaliter demonstrari productio Verbi Divini: hoc est falsum, ergo. prob. maj. De ratione intelligentis est producere verbum, dum intelligit: ergo, si demonstratur, DEUM intelligere, demonstratur, eundem producere verbum. Resp. neg. maj. ad prob. dist. ant. de ratione intelligentis fecundi. conc. ant. tantum intelligentis. neg. ant. & conf. Etiam Filius Divinus, & Spiritus Sanctus sunt intelligentes, quin producant Verbum. In creatis ipsa intellectio producta est jam verbum mentis, ut nostri probabilius docent. In Divinis intellectio absoluta necessaria, cum non sit producta, non est verbum mentis, sed datur aliud, scilicet Filius Divinus. Quòd autem ultra intellectio illam necessarius sit terminus aliquis, ex fecunditate ad loquendum productus, non potest ostendi ratione naturali, sed debet desumi ex fide.

290. Ob. 4. contra 1. coroll. Nulla intellectio creata est tam pura, quàm Divina: sed omnis intellectio creata est tam pura, ut excludat à se rationem potentiz metaphysicæ: ergo multò magis hanc excludit intellectio Divina: ergo etiam DEUS huic identificatus. Conf. DEUS est purissimus actus: ergo excludit omnem potentiam. Resp. dist. mai. hoc est, nulla creata intellectio est tam distincta ab imperfectione, quàm Divina. conc. maj. nulla est tam distincta à perfectione. neg. mai. & omiff. vel concess. min. neg. conf. Etiam creata intellectio non est realiter omnipotens, imò nec est homo: ergo nec intellectio Divina deberet realiter esse omnipotens, aut DEUS. Puritas intellectio Divinæ præ creata non stat in exclusione realis identitatis cum pluribus perfectionibus, sed in exclusione imperfectionum salutaris, obscuritatis &c. Ad confirm. dist. conf. excludit potentiam physicam. conc. conf. metaphysicam. neg. conf.

291. Dices. 1. S. Thomas negat in DEO potentiam. Resp. dist. negat physicam. conc. metaphysicam. neg. nam 1. part. quest. 41. a. 4. ad 3. sic habet: *Non potest salvari ratio potentie in DEO, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum. & in 1. dist. 7. quest. 1. art. 1. ad 1. ait. In DEO est omnino idem ve essentia, potentia, & operatio: sed differunt tantum ratione.* vide Gormaz de DEO n. 214. § 216. Dices 2. Ipsa intellectio jam denominat DEUM intelligentem: ergo frustra additur prædicatum intellectus. Resp. neg. ant. In sensu formali intelligens non tantum dicit intellectio, sed etiam subiectum aptum; nam si intellectio uniretur lapidi, hic non esset intelligens: tale autem subiectum in sensu formali est prædicatum intellectus, seu virtutis potentis intelligere.

292. Dices 3. Ergo DEUS concipitur per modum subiecti perfectibilis. Resp. hoc jam solutum n. 109. Dices 4. Ergo etiam in DEO dabitur potentia existendi, quod tamen non videtur admittendum. Resp. Si per potentiam tantum intelligitur possibilitas, non est absurdum, talem possibilitatem DEI admittere: at non potest concipi in DEO potentia ad existentiam, quasi ad operationem DEI, sicut intellectus ad intellectio; quia existentia DEI non concipitur per modum operationis, ut intellectio. Sic neque datur potentia similis in DEO ad æternitatem; quia nec ista concipitur per modum operationis; sed proprietatis, ut risibile in homine: nemo autem dicit, dari in homine potentiam ad risibilitatem, sed ad risum.

293. Ob. 5. contra 2. dam partem ejusdem corollarii. In DEO datur intellectio realis: ergo etiam operatio realis: ergo etiam potentia realis. Confir. 1. DEUS est realiter potens intelligere: ergo datur in eo potentia realis. Confir. 2. Pater est principium physicum generandi Filium, quamvis non influat in generationem activam secum identificatam: ergo etiam intellectus Divinus potest esse principium, vel potentia physica, etsi non physicè influat in intellectio. Resp. neg. conf. Per operationem realem, seu physicam non intelligitur tantum realiter existens, sed realiter producta, & distincta à potentia, qualis non est intellectio Divina: unde tantum est operatio metaphysica. Hinc textu citato n. 291. S. Thomas intellectio Divinam vocat tantum operationem (per quam intelligitur etiam metaphysica) non autem actionem; quia per hanc intelligitur operatio physica. Ad 1. confir. dist. conf. datur potentia realis, seu realiter existens, conc. conf. producens realiter intellectio. neg. conf. Pater non est principium physicum respectu generationis activæ secum identificatæ; sed respectu generationis passivæ, seu Filiationis realiter distinctæ.

294. Ob. 6. Plus concipitur operationis in DEO intelligente, quàm in DEO æterno: ergo operatio realis. Confir. Ideo intellectio creata est actus vitalis; quia est operatio realis: sed in DEO datur etiam actus vitalis: ergo etiam operatio realis. Resp. omiff. ant. neg. conf. Æternitas DEI communiter concipitur, non ut operatio, sed ut proprietatis, sicut etiam immensitas. Si tamen velis dicere in creatis durationem, & ubi-

ubicationem esse operationes necessarias creaturæ, & comparativè ad has etiam concipi æternitatem, & immensitatem DEI, tanquam operationes metaphysicas DEI, tunc neg. ant. quia non concipitur plus operationis in uno, quàm in altero calu; sed tantum concipitur in uno operatio vitalis, in altero non vitalis. Ad conf. neg. ma. Intellectio non ideo, quia est operatio realis, sed, quia est tendentia intentionalis, est actus vitalis.

295. Ob. 7. contra 2. coroll. Omnis virtus est habitus: sed in DEO datur virtus: ergo etiam habitus. Confir. Melius est operari ex habitu, quàm sine illo: sed in DEO datur id, quod est melius: ergo. Resp. Aristoteles 7. ethic. 2. negat in DEO dari vitium, aut virtutem: at tamen SS. PP. passim DEO tribuunt virtutes; hinc dist. maj. virtus creata est habitus. conc. maj. præcindens à creatura, & increata. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. Virtus præcindens tantum dicit stabilem determinationem, & tenentem ex parte potentiz ad bonum, vel verum. Ad confirm. dist. maj. melius est simpliciter, nulla facta suppositione. neg. maj. melius est ex suppositione potentiz imperfecta. conc. maj. & distincta proportionaliter min. neg. conf. simpliciter enim perfectius est agere per potentiam ex se facillimam, nec capacem habitus superadditi.

296. Dices 1. Stabilem determinationem ad verum jam formaliter dicit intellectus Divinus. ergo neque dabitur virtus intellectualis in DEO. Resp. Nisi fiat questio de nomine, & per intellectum Divinum intelligatur in omni linea perfectissimus (quo casu erit idem, ac intellectus cum omnibus suis virtutibus) tunc intellectus Divinus non dicit formaliter eam stabilitatem, sed tantum infinitam perspicaciam, & facilitatem intelligendi, præcindendo à cognitione vera, vel falsa. Dices 2. ergo intellectus neque dicit facilitatē intelligendi. Resp. neg. nam pertinet formaliter ad perfectionem potentiz, ut ex se sit prompta in sua linea, ut patet in potentia visiva, & pluribus aliis, quæ independenter ab habitibus habent aliquam facilitatem.

297. Ob. 8. contra 3. coroll. Possumus DEUM concipere modò ut cognitionem causa pro priori, & dein ut cognitionem effectus pro posteriori: ergo possumus ab ipso abstrahere rationem discursus. Confir. In DEO datur hic syllogismus: *si Petro dedero auxilium A, consentiet: sed istud dabo: ergo consentiet.* atqui hic est discursus. ergo. Resp. neg. ant. hoc enim non possumus facere per solam præcisionem, sed debet accedere fictio, & saltus, vi cuius cognoscitur una cognitio illuminans ad alteram. Ad confirm. neg. maj. Cognitio Divina talis non est, sed non tantum eam ita exponimus. Ad discursum, ut dictum, requiritur cognitio illuminans intellectum ad inferendam aliam veritatem in præmissis nondum cognitam: hoc autem non contingit in DEO.

298. Ubi nota, quòd prima propositio: *Si dedero &c.* non habeat connexionem cum secunda: *sed istud dabo.* adeoque nec ad istam illuminet: neutra etiam seorsim habeat connexionem cum conclusione, adeoque etiam neutra ad illam illuminet: hinc tantum complexum ex utraque illuminat hominem ad inferendam conclusionem ad huc ignotam in præmissis: non autem hoc com-

plexum illuminat DEUM ad inferendam conclusionem ignotam; nam DEUS cognoscendo hoc complexum, eo ipso illud comprehendit, adeoque in illo, & quidem in eodem signo, cognoscit ipsam conclusionem connexam, consequenter hæc non est illi in præmissis ignota, nec tanquam ignota potest inferri. Ex eo autem, quòd DEUS cognoscat nostros discursus, tam parum discursus, quàm parum cognoscit obscure aut falso, dum cognoscit nostras cognitiones falsas, aut obscuras.

299. Ob. 9. contra divisiones scientiæ Divinæ. Scientia DEI necessaria est simpliciter infinita: ergo cognoscit omnia omni modo possibili: ergo non debet assignari in DEO alia scientia. Confir. 1. Juxta nos una scientia esset perfectior altera: hoc est absurdum: ergo. prob. maj. Scientia creaturæ de actu bono est melior, quàm de actu malo: ergo etiam esset melior in DEO. Confir. 2. Saltem veritas unius scientiæ esset perfectior altera; quia hæc constituitur ex cognitione, & objecto, consequenter, si objectum esset perfectius, ipsa etiam veritas esset perfectior. Resp. dist. ant. scientia necessaria est simpliciter infinita in sua linea. conc. ant. extra illam. subd. realiter accepta. conc. formaliter accepta. neg. ant. & dist. etiam conf. cognoscit omni possibili modo spectante ad ejus lineam. conc. conf. omni prorsus modo ad ipsam non spectante, neg. conf. Scientia DEI necessaria formaliter accepta tantum cognoscit objecta quoad prædicata necessaria, non verò quoad contingentia.

300. Ad 1. confirm. neg. maj. nam si scientia contingens est adæquate intrinseca DEO, non est perfectior de bono, quàm de malo: sicut speculum non est perfectius, si præsentat pulchrum, quàm si deforme, dummodo præsentet utrumque æque bonè, quod facit cognitio Divina respectu mali, & boni. Si scientia est inadæquate extrinseca, iterum non est melior de uno, quàm de altero, sicut complexum ex DEO, & creatura non est perfectius quid, quàm solus DEUS, de quo num. 146. Ad 2. confirm. sufficit eadem responsio. Frigidè autem quiddam contra scientiam mediam objiciunt, DEO esse tribuendas scientias integras, non medias: quasi verò, si sed eas medius inter Petrum, & Paulum, tantum sis dimidius homo.

ARTICULUS III.

Quale sit Objectum Scientiæ Divinæ.

301. **O**bjectum cognitionis multipliciter dividitur. 1. in *materiale*, & *formale*. Illud est, quod attingitur à cognitione: formale est motivum, propter quod attingitur. e.g. in hac cognitione: *Dies est; quia sol est*: objectum materiale est existentia diei; formale verò præsentia solis: hoc objectum formale vocatur à Thomistis *primarium*; ab aliis motivum, ab aliis specificativum. Potest autem esse identificatum cum materiali, ut contingit in veritatibus, per se quoad nos notis, e.g. *Totum est majus sua parte &c.* hic enim ipsa evidentia principii me movet ad ei assentiendum. *Utrumque objectum dividitur in primarium, & secundarium.*

secundarium. Materiale primum est, quod primario consideratur, e. g. DEUS in Theologia: alia sunt secundaria. Formale primum est primum motivum: & secundarium est motivum secundarium.

302. Objectum formale dividitur in *physicè motivum*, & *intentionaliter motivum*. Illud est, quod physicè influit in productionem cognitionis; sive per se ipsum, sive per speciem à se emissam. Alterum est, quod nullum præstat influxum, sed tantum est ratio, ob quam quis huic, vel illi rei assentitur, aut eam cognoscit. Gormaz addit, *per identitatem motivum*, quando scilicet objectum est identificatum cum cognitione: & ita se habet essentia Divina respectu cognitionis sui ipsius. Dividitur iterum objectum formale in *purè terminativum*, & *determinativum*. Illud est, quod purè terminat tanquam ratio cognitionem, seu actum potentie cognoscitivæ jam ex se ad illud objectum cognoscendum determinat. Alterum est, quod potentiam cognoscitivam indifferentem ad cognoscendum, vel non cognoscendum determinat.

303. Ex his habetur 1. nullum objectum formale esse physicè motivum respectu cognitionis Divinæ; quia nullum potest præstare influxum physicum: adeoque omnia sunt tantum intentionaliter motiva. 2. nullam creaturam esse objectum per identitatem motivum respectu cognitionis Divinæ; quia nulla identificatur; nam etiam dato, quod scientia contingens compleatur per aliquid extrinsecum creatum, per hoc tamen complementum DEUS non cognoscit, sed per solam suam perfectissimam, & simpliciter infinitam quasi formam cognitionis; & complementum juxta suos Patronos non est constitutum ipsius cognitionis, sed tantum applicatio ejusdem ad objectum; quare, sicut applicatio ignis non urit, ita hoc complementum non cognoscit, neque se ipsum, adeoque non est simul cognitio, & objectum cognitum.

304. Tertio habetur, respectu scientiæ Divinæ necessariæ tantum dari objectum formale purè terminativum; cum enim intellectus Divinus nullo modo sit indifferens, sed necessitatus ad omnia cognoscenda, non potest primum ab objecto determinari; quamvis enim veritas necessaria ex se sufficiens sit ad determinandum intellectum, non potest tamen determinare jam actum determinatum. 4. at verò respectu scientiæ Divinæ liberæ, vel contingentis datur objectum formale determinativum; nam ad objecta contingentia cognoscenda intellectus Divinus est indifferens; si enim abessent, uti possunt, DEUS ea non cognosceret, quin mutaretur: ergo debet per illa objecta determinari. Et hinc actus nostri liberi sunt objectum formale intentionaliter motivum determinativum scientiæ Divinæ; nam ipsi determinant ad scientiam, non verò scientia ad ipsos. His positis

305. Dico 1. Objectum materiale scientiæ Divinæ est tum ipse DEUS, tum creaturæ omnes, possibiles, & existentes, & omnia, quæ cognoscibilia sunt, ita certissima omnino. Prob. 1. *Corinth. 2. v. 10.* dicitur: *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda DEI.* 2. DEUS esset valde ignorans, si se ipsum, quamvis pulcherrimum objectum nesciret. Quod autem alia omnia co-

gnoscat, adeoque ea sint objectum materiale scientiæ Divinæ, jam probatum est à num. 276. Et confirm. ulterius sic. Intellectus Divinus debet esse summè perfectus in vi cognoscitiva: ergo debet esse cognoscitivus omnis cognoscibilis, prob. conf. aliàs esset capax nescientiæ, vel ignorantia, quæ utique ipsum dedecet, eique consequenter repugnant. Est autem DEUS ipse objectum suum primum, creaturæ verò sunt secundarium.

306. Dico 2. DEUS seipsum comprehendit: creaturas verò supercomprehendit. Prob. 1. pars. S. Thomas 1. part. quest. 12. art. 7. in corp. ait: *Illud enim comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile.* Ex hoc alii tradunt, cognitionem illam esse comprehensivam, quæ in ratione cognoscendi, vel representandi, est tam perfecta, quam perfectum est objectum in ratione cognoscibilis; atqui cognitio Divina, utpote realiter DEO identificata, & infinite perfecta, est in sua ratione cognoscendi tam perfecta, quam DEUS in ratione cognoscibilis: ergo.

307. Prob. jam 2. da pars. Cognitio Divina infinita in ratione cognoscendi hoc ipso infinito superat omnem cognoscibilitatem finitam cujusunque creaturæ, adeoque istam excedit, & supercomprehendit. Addendum, quod DEUS cognoscit omnes creaturas simul, si non similitate objecti, seu per modum infiniti categorematici (de qua re longa est disputatio apud Philosophos) saltem similitate cognitionis: hoc est, non cognoscit eas successivè, seu cognoscendo nunc unam, postea aliam, sicut homines successivè discere solent; quod utique DEUM maxime dedeceret; sed omnis cognitio, quæ datur in DEO, simul ab æterno datur.

308. Dico 3. Objectum formale cognitionis Divinæ est DEUS, & aliquando etiam creaturæ. Prob. DEUS cognoscit se existere; quia existit. Ergo sibi ipsi est ratio, seu motivum formale. Pariter aliquando cognoscit, & affirmat creaturas, præsertim actus nostros liberos; quia dantur; non enim actus nostri liberi dantur; quia cognoscuntur à DEO: sed vicissim cognoscuntur; quia dantur; adeoque, si interrogaretur DEUS, cur cognosceret illum, vel illum actum liberum, posset respondere: quia existit: ergo sunt objectum formale intentionaliter motivum ex num. 302.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

309. **O**B. 1. contra 1. illationem num. 303. factam. Essentia Divina determinat DEUM ad cognoscendum: ergo movet ipsum, & est objectum physicè motivum. Confirm. S. Thomas approbat dictum Platonis dicentis, DEUM movere se ipsum: ergo potest respectu DEI dari objectum physicè motivum. Resp. neg. conf. ex hoc tantum sequitur, quod essentia Divina sit objectum intentionaliter motivum. Sed neque essentia Divina, ut præcisa ab intellectu, intentionaliter determinat; quia intellectus Divinus jam ex se est deter-

determinatus ad cognoscenda objecta necessaria, quale etiam est essentia Divina. Neque etiam ex eo, quod cognitio DEI habeat esse ab essentia Divina, aliquid hic probatur; quia tantum habet esse per identitatem: non autem per productionem; quod tamen requireretur ad hoc, ut esset objectum physicè motivum. Hinc neque dici potest cognitio Divina procedere ab essentia; hoc enim, strictè acceptum, significat produci: unde tantum dici potest cognitio esse ab essentia tanquam actus secundus metaphysicus. Ad confir. neg. ant. S. Thomas tantum admittit cognitionem Divinam posse improprie vocari motivum propter aliquam cum hoc similitudinem, eoque, sicut motus est actus mobilis, ita intellectio, seu cognitio, sit actus agentis, scilicet metaphysicus, non physicus.

310. Dices. Ad objectum physicè motivum in Divinis non requiritur, ut producat cognitionem: ergo. prob. ant. Licet in creatis objectum determinativum influat in cognitionem, non influit in Divinis: ergo licet in creatis objectum physicè motivum producat cognitionem, non debet producere in Divinis. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Tota ratio objecti determinativi stat sine productione, quamvis in creatis conjungatur cum productione: sicut etiam tota ratio objecti formalis, genericè talis, stat sine influxu in cognitionem, quamvis in creatis aliquem præstet, & ideo sit simul physicè motivum: at ratio objecti physicè motivi non stat sine influxu, imò per hoc intelligitur saltem communis illud, quod influit: nec in hac quaestione de voce est à communione recedendum.

311. Ob. 2. contra 4. illationem, n. 304. factam. Objectum formale determinativum specificat actum: atqui nulla creatura potest specificare actum Divinum: ergo nulla potest esse objectum formale determinativum. Confirm. Si ponatur scientia DEI compleri per ipsos actus nostros liberos, isti non possunt esse objectum determinativum ejus scientiæ: ergo. prob. ant. Actus isti non possunt determinare ad scientiam, secundum quod est identificata cum DEO; nam sub hac ratione ipsa est necessaria: non ad complementum; aliàs determinarent ad se ipsos: ergo. Resp. neg. maj. Si intelligatur specificatio intrinseca; hanc enim tantum facit objectum physicè motivum, vel juxta Gormaz, etiam objectum per identitatem motivum. Si autem tantum velis dicere, quod objectum creatum aliquo modo extrinsece specificet cognitionem DEI, quatenus est objectum, à quo dicitur cognitio potius hujus quam illius representatio, non est ullum absurdum hoc admittere. Questio hæc est de nomine, in qua facile cum aliis conveniam. Ad confir. neg. ant. ad prob. dist. 1. part. ant. Actus non possunt determinare ad scientiam &c. ut potius existat, quam non existat. conc. ant. ut habeat potius hanc denominationem, quam illam. neg. ant. Sic etiam albedo non determinat murum ad existendum, sed, ut sit potius albus, quam non albus: nec per hoc determinat ad se, sed per se determinat ad certam denominationem.

312. Ob. 3. contra 1. conclusionem. Scientia dicit relationem ad objectum: ergo DEUS non cognoscit seipsum. prob. conf. Relatio unius dicit realem distinctionem à correlativo: scientia

DEI non dicit realem distinctionem à DEO: ergo. Confirm. Cognitio nihil cognoscens nisi se ipsam esset inutilis: sed cognitio DEI sui ipsius nihil cognosceret præter seipsam; quia ipsa esset realiter identificata cum DEO: ergo. Resp. dist. ant. Scientia dicit relationem semper physicam. neg. ant. purè intentionalem. conc. ant. & neg. conf. ad prob. dist. ma. Relatio purè intentionalis dicit realem distinctionem, neg. maj. physica. conc. maj. & conc. min. neg. conf. ita S. Thomas de veritate quest. 2. art. 2. ad 3. Ad confir. Resp. 1. om. maj. neg. min. quia eadem cognitio, realiter sumpta, cognoscit etiam creaturas. Resp. 2. dist. maj. Si cognitio ipsa non sit infinite perfecta, & identificata cum plurimis perfectionibus cognoscibilibus. om. maj. secus. neg. maj. & sic dist. min. neg. conf. Quando autem S. Thomas 1. 2. quest. 1. art. 1. ad 2. dicit, quod primum visibile non possit esse ipsum videre, scilicet, quod objectum visibile non possit esse visio, loquitur de cognitione creata, seu humana, inter quam & Divinam est immensa disparitas.

313. Ob. 4. S. August. l. octoginta trium questionum quest. 46. de DEO ait: *Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constitueret; nam hoc opinari videretur esse.* ergo DEUS nullas creaturas videt extra se. Confirm. DEUS tantum cognoscit suam essentiam, quæ eminenter continet creaturas: ergo ista non terminant formaliter cognitionem Divinam. Resp. dist. conf. nullas omnino videt. neg. conf. nullas, tanquam ideas, & formas, quibus dirigeretur ad producendas alias ad earum normam. conc. conf. Agit ibi S. August. de ideis Platonis, negatque alias dari, aut DEO necessarias esse, quam rationes, vel ideas in mente Creatoris existentes. Ad confir. neg. ant. de quo redibit sermo inferius.

314. Ob. 5. contra 2. conclus. Si DEUS comprehensive cognoscit se ipsum, & consequenter etiam suam cognitionem, tunc cognitio DEI est reflexa: ergo debet hæc ipsa reflexio per novam reflexionem cognosci, & sic in infinitum: hoc dici non potest: ergo. Resp. dist. ant. cognitio DEI est purè reflexa, neg. ant. non purè reflexa. conc. ant. & neg. conf. Cognitio purè reflexa est illa, quæ non seipsam, sed aliam realiter distinctam cognoscit: cognitio non purè reflexa est illa, quæ non tantum est cognoscens, sed etiam cognita: & talis est cognitio Divina cognoscens, & cognita à se ipsa: unde non debet per novam reflexionem cognosci reflexio; sed ab ipsamet cognitione unico intuitu comprehensivo cognoscitur: nos tamen ob imperfectum nostrum modum concipiendi possumus à cognitione Divina abstrahere reflexiones formaliter distinctas, syncategorematicè infinitas, sed non categorematicè infinitas: quia non possunt dari categorematicè infiniti conceptus, qui tamen constituunt distinctionem formalem.

315. Ob. 6. contra 3. conclusionem. Objectum formale est motivum: sed motivum non potest dari respectu DEI: ergo nec objectum formale. prob. min. Motivum respicit mobile: DEUS non est mobilis: ergo. Confirm. 1. Ratio motivi importat indeterminationem: hæc non datur in DEO: ergo. Confirm. 2. Motivum est causa cognitionis: atqui non potest dari causa cognitionis Divinæ: ergo nec motivum. Resp. dist.

dist. min. non potest dari respectu Dei motivum physicum. conc. min. intentionale. subd. strictissime tale. om. late tale. neg. min. & conf. ad prob. dist. maj. motivum physicum respicit mobile. conc. maj. intentionale late tale. neg. maj. & conc. min. neg. conf. Quidam nolunt admittere respectu DEI motivum strictè tale : quæstio est de nomine, de qua non multum litigabo; sed dicam, objectum formale, vel rationem objectivam, & motivum strictè tale non esse idem. Gormaz tamen de DEO num. 321. admittit in DEO potentiam intentionaliè mobilem. Ad 1. conf. neg. maj. Esti potentia sit determinatissima ad cognoscendum, tamen habet objectum formale; quia habet rationem assentiendi, vel cognoscendi objectum. Ad secund. conf. dist. maj. motivum physicum est causa cognitionis. conc. maj. intentionale. subd. strictè tale. om. late tale. neg. ma. & concess. min. sub eadem distinctione conc. vel neg. conf.

316. Ob. 7. Objectum formale movet ut cognitum: sed DEUS non potest ita moveri: ergo. prob. min. Si objectum moveret ut cognitum, DEUS transiret ab una cognitione ad aliam, adeoque discurreret: hoc non admittitur: ergo. Resp. dist. maj. movet ut cognitum præviè per aliam præcedentem cognitionem. neg. maj. per hanc ipsam cognitionem, ad quam movet. conc. maj. & sic dist. min. neg. conf. ad prob. dist. maj. si moveret ut cognitum per aliquam præcedentem cognitionem. conc. maj. fecus. neg. maj. & conc. min. neg. conf. Movere ut cognitum necessariò non plus dicit, quam objectum formale non movere, nisi quando cognoscitur; aliàs enim non potest esse ratio assensus: est autem objectum formale indifferens, ut cognoscatur, vel per actum prævium, vel tantum per ipsam actum, cuius est objectum formale. Ab hominibus quidem ordinariè censetur cognosci per apprehensionem præviam (quamvis de hoc dubitare liceat in ordine ad prima principia) ad non ita à DEO.

317. Ob. 8. Objectum formale debet antecedere, vel comitari scientiam: sed creaturæ nec antecedunt, nec comitantur scientiam DEI: ergo non sunt objectum formale. Conf. SS. PP. Dionysius, August. Anselmus, negant, veritates creatas esse objectum formale cognitionis Divinæ: ergo. Resp. neg. maj. Sufficit, si sit ratio assensus: ad summum debet præcedere objectum physicè motivum, quod est causa cognitionis. Ad conf. dist. ant. negant esse objectum physicè, vel strictissime motivum. conc. ant. latius dictum motivum. neg. ant. & conf. Sed de textibus istorum SS. PP. iterum, quando de cognitione possibilem.

318. Ob. 9. Infinitæ scientiæ non est proportionatum objectum finitum; ergo nulla creatura est objectum proportionatum scientiæ Divinæ. Conf. Voluntas Divina, quia infinita, non movetur necessariò ab ullo objecto creato: ergo neque intellectus Divinus. Resp. dist. ant. non est proportionatum in ratione perfectionis. conc. ant. in ratione attingibilitatis. neg. ant. & conf. Certè intellectus Angeli spiritualis cognoscit etiam inferiora materialia, licet minus perfectè: imò omnipotentia infinita producit effectus finitos. Ad conf. conc. ant. neg. conf. Voluntas Divina, quia libera, potest moveri ab aliquo

creato, vel non: unde etiam creaturæ sunt objectum formale, saltem secundarium, respectu aliquid voluntatis Divinæ; quia de facto sunt aliquid saltem secundaria eas volendi: sed hoc non necessariò; quia potuisset DEUS liberè eas non habere pro objecto formali: at intellectus Divinus est potentia necessaria, debetque cognoscere omnia possibilea, & omni modo: adeoque etiam creaturæ sunt necessariò aliqua ratio cognitionis Divinæ.

QUESTIO II.

De Scientia Simplicis Intelligentiæ.

ARTICULUS I.

Quomodo DEUS cognoscit creaturas possibilea.

319. Notandum 1. aliam esse possibilitatem extrinsecam, aliam intrinsecam. Prior, quæ etiam activa, & causalis vocatur, est causa, seu potentia aliquid producendi; unde universalis extrinseca possibilitas rerum creaturarum omnium est omnipotentia DEL. Altera, quæ etiam passiva, & formalis dicitur, est aptitudo ad existendum: sive non repugnantia, aut consonantia prædicatorum. Hanc auctores aliqui, etiam ex nostris, negant: sed admittunt longè plures, eamque adstruit Angelicus 1. part. quest. 25. art. 3. in corp. ubi ait: *Dicitur autem aliquid possibile, vel impossibile absolute ex habitudine terminorum: possibile quidem; quia prædicatum non repugnat subiecto &c.* Et sanè quando DEUS cognoscit aliquid producibile, non cognoscit tantum seipsum, vel omnipotentiam suam; hæc enim non est producibilis. Rursus omnipotentia habet relationem, seu respectum ad possibilea: ergo est ab ipsis distincta. Tandem quando dico: *Alter mundus possibilis non existit*: iuxta omnes verum dico: at adversarii hanc propositionem difficillimè explicant; nam sensus esse non potest: *Omnipotentia DEI non existit*: alium autem sensum, quem assignabunt, nisi alter mundus possibilis sit aliquid distinctum ab omnipotentia? Sed hæc potius ex Metaphysica supponenda, quam probanda sunt.

320. Notandum 2. ex Gormaz de DEO num. 322. multipliciter aliquid posse cognosci, in se, in alio, propter aliud, ex alio, & ad modum alterius. Cognitio rei in se est cognitio rei directæ, & immediata propter ipsius rei propriam veritatem. Cognitio rei in alio est cognitio rei in medio habente connexionem, vel ordinem ad illam, quando nempe medium directè cognitum ratione suæ connexionis determinat ad simul cognoscendum mediatè terminum connexionis, saltem per modum obliqui; quia scilicet objectum plenè, & adæquatè cognosci non potest, quin cognoscatur simul aliud. e. g. si cognoscatur causa ut talis, cognoscitur etiam ejus effectus. Si hic ordo, vel connexio est metaphysica, dicitur res cognosci propter aliud: & comparari hæc cognitio aliquo modo potest cum visione speculi, quod quis intendo simul videt objecta ab eo repræsentata. Cognitio rei ex alio est cognitio

discursiva, quando scilicet unum inferitur ex alio: qui discursus abest à cognitione rei in alio, de qua re fusè Martinez de DEO scientie controuv. 2. disp. 6. sect. 1. & 3. quod discrimen etiam tradit S. Thomas 1. part. quest. 14. art. 7. ad 2. dicens: *DEUS non cognoscit per causam quasi prius cognitam effectus cognitos: sed eos cognoscit in causa; unde ejus cognitio est sine discursu.* Advertit tamen Martinez cit. sect. 3. nostras cognitiones sæpius esse rei ex alio; eoque prius medium imperfectè cognoscimus, & nondum statim in eo omnia connexa videamus: postea progrediamur ad inferendas ex illo res alias. Cognitio rei ad modum alterius est illa, quæ objectum, in se attingibile, non attingit, nisi per similitudinem. Hæc cognitio est confusa, & imperfecta (saltem, nisi similitudo sit identitatis, seu perfectissima: quanquam etiam hoc casu ipsa hæcitas non distinguatur) sicque cognoscimus Angelum per modum juvenis.

Hic addendum, quod etiam insinuat Martinez loco modo citato, aliud esse cognoscere rem in alio, aliud ad modum alterius. Sic, licet DEUS in sua omnipotentia cognoscat effectus, non cognoscit per modum omnipotentia: & pariter, licet nos cognoscamus investigio pulveri impresso hominem, vel leonem, non apprehendimus hominem, vel leonem quasi vestigium: item, qui in vocabulo scripto Cæsar agnoscit Carolum VI. non eum apprehendit tanquam scripturam: sed in his casibus, ut rectè Martinez, in nobis species vestigii, aut scripturæ, propter connexionem, quam habent cum leone, vel Cæsare, tantum excitant species leonis, vel Cæsaris, quas jam habemus aliunde de leone, vel Cæsare, quem deinde cognoscimus vi illarum specierum excitarum: & si ista sint claræ, & intuitivæ, leo, vel Cæsar clarè cognoscitur: si autem species sint tantum improprie, vel obscuræ, cognoscitur etiam obscurè, vel abstractivè leo, aut Cæsar.

321. In DEO species quidem ita excitari non possunt (quia esset imperfectio magna) sit tamen aliquid suo modo æquivalens, quatenus scilicet cognitio vestigii ratione connexionis suæ, quam habet tanquam effectus cum causa, vel cognitio imaginis, aut scripturæ ratione connexionis, quam habet cum prototypo, vel objecto, saltem ex intentione efformantis imaginem, vel scripturam, (quam intentionem unà cum imagine, & scriptura DEUS cognoscit) determinat DEUM ad videndum prototypum, vel objectum tanquam objectum mediatum, vel indirectum, & quidem simul per eandem cognitionem, qua cognoscit ipsam imaginem, vel scripturam: non tamen determinat ad videndum eo modo imperfecto, quo imago imperfecta, vel scriptura illud repræsentant. Et hæc etiam ratione DEUS dicitur in cognitionibus obscuris, vel universale facientibus objecta cognoscere, quin cognoscat obscurè, aut universale faciat; nam omnia clarissime, & distinctissime cognoscit: sicut etiam DEUS in nostra cognitione repræsentante Angelum per modum juvenis cognoscit Angelum, at non per modum juvenis. Certè species juvenis minus est similis Angelo, quam species vestigii leoni, vel species scripturæ Cæsari: unde, si nos non cognoscimus Cæsarem per modum scripturæ &c. in illo casu, minus DEUS cognoscit Angelum per modum juvenis: præterquam, quod sic

DEUS objecta cognosceret abstractivè, quod videtur à nemine admitti: certè sine gravissima ratione non est admittendum. Sicut ergo DEUS in dicta cognitione non cognoscit Angelum per modum juvenis: ita neque in cognitionibus, facientibus universale, cognoscit objectum universaliter, seu faciendū universale; quia non cognoscit ad modum illarum cognitionum; nam illæ cognitiones, seu repræsentationes universales à longè non sunt perfectè similes objectis, prout dantur à parte rei, & ferme se habent, ut vestigium respectu feræ. Banholzer de DEO scientie quest. 2. art. 1. num. 23. negat hanc cognitionem esse in alio, & hinc negat, DEUM cognoscere se in creaturis: sed negari non potest, DEUM suo modo ab his qualibuscunque mediis determinari ad cognoscenda objecta, & quidem sine discursu: & hæc est (nisi fiat quæstio de voce) cognitio in alio.

322. Dico 1. DEUS cognoscit omnes creaturas possibilea in sua omnipotentia, vel in se ipso. ita auctores communissimè. Prob. in primis, quod DEUS omnes creaturas possibilea cognoscat, habetur ex n. 276. & quia absurdum esset dicere, DEUM aliquid ignorare, quod facere potest. Quod autem videat possibilea creata in omnipotentia, sic prob. Omnipotentia est medium habens sufficientem connexionem cum possibileibus; quia est causa omnium, & eminenter omnia continet: ergo DEUS eam comprehendendo cognoscit possibilea tanquam terminos, cum quibus illa est connexa, & ad quos se extendit. Confir. ex SS. PP. qui passim hoc dicunt, & præsertim S. Dionysius de Divinis nominibus cap. 7. ubi sic habet. *Ex se, & in se secundam causam omnium notionem, & scientiam, atque substantiam anticipat, & ante comprehendit: & paulò post: Se ipsam itaque Divina Sapientia noscens omnia scit, materialia sine materia, & individua, quæ divisionem admittunt, & unice plurima.* Similes textus vide plures apud Aldrete disp. 17. sect. 1. n. 12. qui tamen videtur usus alia versione S. Dionysii: nos usi sumus Ambrosio Florentino.

Per hanc autem cognitionem DEUS jam attingit ipsa possibilea secundum esse proprium contradistinctum ab essentia DEI; est enim intelligibile, quod DEUS affirmet, se habere potentiam producendi leonem à se distinctum, & non attingat essentiam leonis distinctam. Cognoscit etiam per hanc cognitionem possibilea clarissime, & comprehensive; non enim potest in DEO dari cognitio obscura, aut non comprehensiva objecti pro eo signo cognoscibilis: sicut tamen potest dari in creaturis, quæ aliquid in alio obscurè tantum attingunt. Attamen hæc cognitio non est cognitio possibilem in se ipsis; quia per hanc intelligitur cognitio immediatè directæ ad possibilea propter propriam ipsorum veritatem: & quæstio est inter auctores, an præter superiore cognitionem possibilem in omnipotentia admitti debeat cognitio alia, non quidem realiter, aut virtualiter, sed tamen formaliter distincta, possibilem in se ipsis, pro qua resolvenda

323. Dico 2. DEUS cognoscit etiam possibilea in seipsis. ita Lugo, Martinon, Erize, Quiros, Gormaz, Arriaga, Aldrete, Moncaus, Comptonus, & alii, Recentiores præsertim, mul-

ti. Prob. Intellectus Divinus est summè cognoscitivus: ergo debet cognoscere non tantum omne possibile, sed etiam omni modo, quo cognosci potest: atqui possible sunt etiam cognoscibilia in se ipsis: ergo, ant. est certum. conf. prob. ex eo, quod intellectui summè cognoscitivo debeat semper attribui scientia, quæ est perfectior, aut perfectio simpliciter simplex: atqui est perfectio simpliciter simplex cognoscere rem omni modo, quo potest cognosci: ergo. Insuper perfectiorem habet scientiam Theologus, vel Philosophus, qui suam assertionem potest demonstrare pluribus modis, quàm, qui tantum uno; hic enim est ignorans, si aliquas rationes nesciat: ergo etiam scientia DEI est perfectior, si possible omni modo, quo cognosci possunt, cognoscatur. Confirm. ex S. Thoma, qui 1. parte quest. 14. art. 10. ad 4. ait. *Cognoscere aliquid per aliud tantum est imperfecta cognitio, si illud sit cognoscibile per se.*

Quod autem possible sint in se ipsis cognoscibilia, habetur ex eo, quod, ut satis communiter admittitur, Angeli multa possible in se ipsis cognoscant: cujus ratio ulterior est; quia etiam possible habent aliquam veritatem affirmabilem, non minus, ac futura contingentia, quæ tamen juxta S. Thomam (ut infra ostendemus) & alios, præsertim nostros, à DEO cognoscuntur in se ipsis. Et certè contingentia conditionatè futura non possunt infalibiter in ullis causis, nec etiam à DEO in seipso cognosci. Confirm. ex Aldrete *disp. 18. sect. 2. n. 5.* DEUS utpote summè intellectivus non indiget aliqua reflexione, aut medio, ut attingat objectum in se attingibile: ergo mirum esset, si creaturam posset indirectè quidem in omnipotentia, non autem directè in se ipsa, cognoscere.

324. Nec dicas, cognitionem possibilem in seipsis esse superfluum; cum DEUS jam omnia comprehensivè cognoscat in omnipotentia; nam licet cognoscat omnia, non cognoscat omni modo; cum tamen ei utpote infinitè scienti necesse sit, rem cognoscere omni modo. Sic adversarii (ut bene arguit Aldrete) admittunt, quod, quamvis DEUS Pater omnia videat in Verbo comprehensivè, tamen etiam ea videat in omnipotentia. Si ergo non est superflua cognitio ejusdem in alio medio, neque erit superflua cognitio ejusdem alio modo. Noto sub finem, juxta nos hanc cognitionem creaturarum in seipsis esse posteriorem cognitione earundem in essentia, vel omnipotentia prius visa, & cognita; nam, ut rectè Martinez docet *contro. 2. disp. 7. sect. 2.* cognitio possibilem in seipsis præsupponit, si non includit, essentialiter cognitionem eorundem in essentia; utique enim DEUS prius ratione cognoscit seipsum tanquam objectum primarium, & in se creaturas, antequam ipsas cognoscat in se ipsis.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

325. **O**B. 1. contra 1. conclus. Essentia, vel omnipotentia Divina non est ejusdem rationis cum

creaturis possibilibus: ergo non potest esse medium, in quo istæ videantur. Confir. 1. Creaturæ non possunt videri in DEO nisi eo modo, quo sunt in DEO: sed non sunt in DEO formaliter: ergo non possunt in eo formaliter videri. Conf. 2. DEUS prius debet suam omnipotentiam cognoscere, & dein ex occasione illius cognitionis progredi ad cognitionem possibilem in illa: sed sic diceretur: ergo. Resp. neg. conf. Verbum Divinum etiam non est ejusdem rationis cum creaturis, & tamen cognoscuntur istæ in illo: & idem contingit in quavis causa æquivoca; non igitur requiritur similitudo, sed tantum connexio. Ad 1. confir. neg. ma. modò enim creaturæ sint in DEO eminenter, vel causaliter, possunt jam eorum formales perfectiones eminenter contentæ, adeoque ipsamet formaliter cognosci; quia hæc ipsa essentialis continentia est ratio ipsas cognoscendi, vel affirmandi. Ad 2. confir. neg. maj. quia unico intuitu cognoscit, & se, & creaturas. Vide *n. 281. § 320.*

326. Dices. Essentia DEI, vel omnipotentia non connectitur cum possibilibus: ergo ista non possunt ratione connexionis in illa cognosci. Confir. 1. Scientia DEI debet esse prior ad omnipotentiam: atqui juxta nos ipsa tanquam objectum, in quo viderentur possible, esset prior ad scientiam: ergo. Confir. 2. Licet Angelus comprehendat seipsum, tamen non cognoscit omnes effectus sibi possible, e.g. cognitiones syncategorematicè infinitas: ergo, licet DEUS comprehendat suam omnipotentiam, non tamen cognoscit omnia possible. Resp. dist. ant. omnipotentia non connectitur connexionem dependentiæ, vel indigentia, vi cujus aliquid accipiat à possibilibus. conc. ant. non connectitur connexionem infinitæ perfectionis, vi cujus possibilem possit aliquid dare. neg. ant. & conf. Imò hæc connexio est summa DEI perfectio. Est tamen DEUS ens summè absolutum, & independens; quia non indiget actuali existentia ullius entitatis à se distinctæ. Quod autem omnipotentia DEI debeat dici magis necessaria, non impedit hanc connexionem; nam cum possibilitas rerum, cum suo modo omnipotentia connexa est, etiam sit necessaria, & indefectibilis, possunt jam inter se connecti.

Ad 1. confir. dist. maj. Scientia directiva, & causativa debet esse prior ad omnipotentiam operantem. conc. maj. Scientia quævis debet esse prior ad omnipotentiam ipsam. neg. maj. & dist. sic. min. neg. conf. DEUS, propriè loquendo, strictè non est omnipotens; quia scit, se esse omnipotentem; sed potius scit se esse omnipotentem; quia est omnipotens: quamvis omnipotentia non operetur, nisi prius sciat DEUS, rem esse possibilem &c. Ad 2. confir. neg. conf. Angelus non est adæquata causa suorum actuum, sed indiget concursu Divino. Nec dicas, DEUM etiam non esse causam adæquatam actuum nostrorum vitalium; nam, licet non sit formaliter, est tamen eminenter, quatenus se solo potest adæquatè producere causam productivam illorum actuum, scilicet nos ipsos. At Angelus non est eminenter causa adæquata suorum effectuum; nec enim potest producere seipsum.

327. Ob. 2. contra secundam conclusionem. Si DEUS cognosceret possible in se ipsis, cogni-

cognitio Divina dependeret à possibilitate creaturarum: hoc est absurdum: ergo. Confir. Creaturæ deberent specificare cognitionem Divinam: hoc non potest admitti: ergo. prob. maj. Objectum formale ex S. Thoma specificat actum: ergo. Resp. neg. ant. Dependere non est tantum connecti, sed indigere. Sic Pater Divinus non dependet à Filio, quamvis necessariò cum illo connectatur. Indiget autem bonis tantum ille, qui nec ex se illa habet, nec pro libitu habere potest; hac autem ratione non indiget cognitio Divina, vel DEUS possibilem. Aliqui aliquando pro eodem sumunt connecti, & dependere: verum non loquuntur strictè, sed latè.

Ad confir. neg. maj. solum enim objectum physicè motivum specificat intrinsecè, ut dictum *n. 311.* ad prob. dist. ant. objectum formale physicè motivum specificat. conc. ant. objectum formale tantum ut sic. neg. ant. & conf. Quando autem Angelicus videtur docere, quod primum intellectum tribuat speciem actui, per primum intellectum non intelligit objectum formale; sed speciem intelligibilem impressam, ut clarè docet in *1. dist. 35. quest. 1. art. 2. in corpore.* Per secundum intellectum autem intelligit ipsam rem: sicut per primum visum intelligit speciem visibilem in oculum immixtam; per secundum visum intelligit objectum exterius: nemo autem somniat, quod DEUS à creatura accipiat speciem in ordine ad eliciendas suas cognitiones: sed, ut diximus *num. 290.* ipsa essentia Divina est Species omnium rerum, si aliqua DEO necessaria est.

328. Dices. Essentia Divina non potest esse species repræsentans creaturas: ergo. prob. ant. Species debet causari ab objecto: hoc repugnat essentia Divinæ: ergo. Confir. Ratio speciei alicui convenit, vel ob similitudinem, vel ob identitatem cum objecto: neutrum datur in essentia Divina relatè ad creaturas: ergo. Resp. Supposito, quod species sit necessaria ad cognitionem Divinam, neg. ant. ad prob. neg. maj. Angeli certè habent species infusas multarum rerum non existentium, quæ eas producere non potuerunt: item ipsi sibi sunt species juxta multos ad cognoscendum se ipsos, quin se producant. Ad confir. dist. ma. ratio speciei convenit ob similitudinem in perfectione entitativa. neg. ma. in ratione repræsentandi. conc. maj. & dist. sic. min. neg. conf. Si enim species intentionales rectè repræsentant substantiam viventem, quamvis ipsæ non sint substantiæ, aut viventes, adeoque imperfectiores: multò magis poterit essentia Divina repræsentare creaturas, quamvis sit perfectior. Gonetus *disp. 2. de scient. DEI art. 2. num. 46.* ait, cognitionem creaturarum in se ipsis esse DEO indignam: sed id non probat: dein ipsemet *disp. 4. de scientia DEI art. 5. §. 4. num. 162.* admittit, effectum aliquem posse videri in causa prædeterminata: si autem non est indignum DEO, videre creaturam in alia creatura; nec erit indignum, videre eam in se ipsa.

329. Ob. 3. Creaturæ possible nihil sunt, vel earum possibilitas identificatur cum omnipotentia: ergo non possunt cognosci, nisi in omnipotentia. Confirm. Quod actu nihil est, non est actu cognoscibile: sed creaturæ possible actu nihil sunt: ergo. Resp. dist. 1. p. ant. Creaturæ possible nihil sunt per statum, conc. nihil sunt per

alienationem. neg. 1. part. ant. & etiam secundam partem cum conseq. Dicitur aliquid esse per statum, quando existit pro tempore importato per copulam, & verbum est sumitur in vi verbi, ut significet idem, ac existit. e. g. *Ingolstadium est munimentum.* Dicitur aliquid esse per alienationem, quando non existit pro tempore importato per copulam; sed præcindit ab existentia, vel non existentia, & verbum est sumitur tantum in vi copule, hoc est, ut significet non existentiam, sed tantum convenientiam prædicati cum subjecto. e. g. *Alter mundus est possibilis. Status puræ naturæ est status hominis absque elevatione ad statum supernaturalem.* Dicitur aliquid esse per ampliationem, quando datur quidem pro aliquo tempore, sed non pro illo, quod importat copula præsentis, sed, vel exitit, vel existet. e. g. si dico: *Adamus est primus homo. Status justitiæ originalis est status Adami ante peccatum. Dies extremi judicii est dies justitiæ DEI vindicativæ:* ubi in primis duabus propositionibus est significat idem, ac fuit, in tertia idem, ac erit.

Jam autem ad hoc, ut aliquid possit cognosci, non requiritur, ut detur per statum; aliàs nec præterita, nec futura cognoscere possemus; cum tamen de his sæpissimè discurremus. Sufficit ergo esse per ampliationem, vel alienationem: quæ ratione etiam sunt possible; sic enim res jam possunt objective existere, hoc est, esse affirmabiles, vel negabiles; adeoque & cognoscibiles, ut experientia monstrat in nobis ipsis. Videri potest Martinez *controverfia 2. disp. 1. sect. 3. §. 2.* ubi fufius ostendit, terminos *aliquid, nihil,* aliquando sumi pro statu, aliquando per ampliationem, vel alienationem. Vide etiam eundem loco *cit. sect. 1.* ubi ostendit, Scotum non admittere, quod possible rerum sit ens diminutum, seu medium inter reale, & intentionale. Ad confir. patet responso ex dictis.

330. Ob. 4. DEUS videt creaturas mediante sua essentia tanquam specie intellectuali: ergo eas tantum videt mediatè in specie, vel essentia. Confirm. DEUS videt omnia in se tanquam in speculo: ergo non videt in se ipsis. Resp. dist. ant. videt ita, ut essentia semper se habeat ut quod. neg. ant. ut se habeat in ordine ad aliquam cognitionem creaturarum tantum ut quo. conc. ant. & neg. conf. Etiam oculus tantum videt e. g. arborem mediante specie; at quia hæc se non habet ut quod, seu tanquam objectum, sed tantum ut quo, sive ut applicatio intentionalis objecti, videt arborem immediatè in se: ita autem etiam essentia Divina in ordine ad cognitionem creaturarum in se ipsis tantum se habeat ut applicatio. Si autem species e. g. sunt intromissæ in cubiculo obscuro in telam candidam, in qua sistantur, sequæ ipsas repræsentant tanquam aliquod objectum, tunc se habent ut quod, & in ipsis videtur objectum mediatè: & sic se habet essentia Divina in ordine ad cognitionem creaturarum non in seipsis, sed in ipsa essentia, vel omnipotentia.

Ad confir. Si species reflexæ in speculo se habent ut quod, tunc dist. ant. DEUS ita videt per aliquam cognitionem. conc. ant. per omnem. neg. ant. & conf. An autem ibi species se habeant ut quod, est dubium Philosophicum; hinc *num. 320.* dixi, cognitionem possibilem in omnipotentia aliquo modo comparari posse visioni in speculo: quia

quia utique est magna inter ista disparitas (de qua Martinez *contro. 2. disp. 6. sect. 1.*) & præsertim hæc, quòd speculum non repræsentet, nisi reflectendo species ab objecto acceptas, quòd longè abest ab essentia Divina. Quando autem hic objicitur, admittendam à nobis esse in DEO scientiam unam alterâ perfectionem, eoquòd scientia possibilium in essentia sit perfectior scientiâ eorumdem in seipsis, jam responsum est supra *num. 299. § 300.*

331. Ob. 5. DEUS non cognoscit se in creaturis: ergo nec creaturas in seipsis. prob. ant. 1. Si cognosceret se in creaturis, cognosceret se æmigmaticè & abstractivè, sicut viatores cum cognoscunt: hoc dedecet DEUM: ergo. 2. Hac ratione darentur infinitæ reflexiones; quia in se, in creaturis cognitio, iterum cognosceret creaturas, & in his iterum se, in infinitum: hoc est absurdum: ergo. Resp. de consequentia possit fors contraheri: sed neg. ant. ad 1. prob. neg. mai. non enim debet se cognoscere ad modum alterius, sicut nos DEUM nunc cognoscimus: sed tantum in alio, vi cuius determinatur ad simul cognoscendum se ipsum. vide *num. 320. § seq.* Ad 2. prob. neg. maj. DEUS enim unico indivisibili intuitu sine ullo regressu cognoscit in se creaturas, & in creaturis se ipsum, ratione connexionis, quæ inter ipsum, ac creaturas datur. Nos quidem ad hanc cognitionem explicandam opus habemus reflexionibus, & circulationibus: non autem DEUS, qui cognitione perfectissima cognoscit, quòd nos imperfectè explicamus. vide etiam dicta *num. 314.*

332. Ob. 6. DEUS se cognosceret in creaturis eatenus, quatenus habet connexionem cum ipsis: sed non habet connexionem ratione omnium prædicatorum: ergo non cognosceret se quoad omnia prædicata: ergo tantum abstractivè: hoc repugnat DEO: ergo. Resp. neg. maj. Perfectio cognitionis non est desumenda tantum ab objecto, vel medio, sed etiam à potentia cognoscente; nam ens spirituale cognoscit perfectius, quam ens materiale, & Angelus perfectius, quam homo, licet sit idem objectum, & medium. Unde DEUS necessariò habet semper cognitionem perfectissimam, etiam supra meritum objecti, vel medii creati, ejusque perfectio exigit, ut etiam in medio creato imperfecto se cognoscat comprehensivè.

333. Ob. 7. Juxta nos DEUS deberet cognoscere infinita; quia infinita sunt possibilia: sed hoc non admittitur: ergo. Resp. conc. maj. quòd scilicet DEUS cognoscat infinita, saltem syncategorematicè, & neg. min. quoad infinita syncategorematicè; nam de hoc non est difficultas. Si autem quæras, an DEUS cognoscat infinita categorematicè. Resp. nos hic & nunc ab ea questione abstrahere, & nostram conclusionem cum utraque sententia tam affirmativa, quam negativa posse stare. Gormaz de DEO n. 284. asserit, DEUM cognoscere infinitum categorematicum, non tamen illud posse producere; eoquòd objectum intellectus possit esse aliquid indeterminatum, quale à parte rei dari non potest. Sic etiam potest cognosci animal ut sic, at non potest dari à parte rei.

Alii econtrâ, & fortè probabiliùs, dicunt, DEUM cognoscere infinita tantum syncategore-

maticè, & omnia distributivè, non collectivè, aut similitate objectorum, quanquam cognoscat similitate cognitionis; cum non possit successivè cognoscere. Addunt, aliud esse cognoscere finita sine fine: aliud cognoscere infinitum categorematicum: idque explicant in cognitionibus animæ rationalis, quæ semper plures, & plures dantur sine fine; quin unquam sint futuræ categorematicè infinitæ (aliàs manifestè fieret infinitum ex finito per additionem finiti) adeoque possunt istæ, ut semper augendæ, vel ut futuræ plures sine fine, à DEO cognosci; quin cognoscatur infinitum categorematicum. Idem est, si DEUS cognoscat omnes numeros finitos possibiles, & nullum ex illis maximum, nullum infinitum.

334. Ob. 8. S. Dionysius c. 7. de Divinis nominibus ait de DEO. *Non secundum visionem singulis se immitens, sed secundum unam causæ continentiam omnia sciens, & continens*: ergo DEUS non cognoscit singula in se ipsis. Conf. 1. ex eodem ibidem dicente: *Se ipsam itaque Divinam Sapientiam noscens omnia scit*: ergo non in se ipsis. Confir. 2. ex eodem ibidem. *DEUS existentia cognoscit, non scientiâ, que sit existentium, sed que sit sui ipsius*. ergo. Resp. Haunoldus, quamvis adversarius, l. 1. tract. 1. n. 227. fatetur, considerato toto contextu S. Dionysii plus non probari, quam DEUM non cognoscere creaturas in tempore, aut iis per aliquam speciem influentibus. Sed & textus ex versione Lanselii, & aliorum non habet: *non se immitens*: sed sic: *non quòd per speciem singula consideret*. Alii alia verba, quamvis aliquo modo æquivalentia, habent. Videatur Martinez *contro. 2. disp. 7. sect. 2.* ubi totum quantumvis longum textum adducit.

Sed omisso textu, neg. conf. Ex mente S. Dionysii se immittere secundum visionem, non est præcisè cognoscere in se ipso objectum; sed immittere se, quærendo in illo speciem, quæ influat in cognitionem: quòd DEUS utique non facit respectu creaturarum. Quòd autem hæc mens S. Doctoris sit, colligitur 1. ex eo, quòd etiam loquatur de creaturis existentibus, quas DEUS videt in se ipsis, ut admittit S. Thomas, de quo paulò inferius. 2. S. Dionysii intentum tantum est, ostendere, DEUM nosse creaturas, antequam sint, nec per experientiam tantum res cognoscere: quæ est interpretatio S. Maximi apud Martinez *loc. cit.* & indicatur iis verbis: *Non enim ex iis, que sunt, ea quidem discernens Divina mens novit*. 3. S. Dionysius comparat hanc notitiam DEI cum notitia Angeli de sensibilibus: atqui Angelus ista in se ipsis cognoscit, quamvis non per species sensibiles ab ipsis acceptas. Dices, objectum per speciem potius se immittere in intellectum, quam in intellectum in objectum. Resp. Etiam, quando intellectus cognoscit res in seipsis, non se physicè immittit (cum tamen tunc juxta adversarios se immittit) sed tantum metaphoricè: in sensu autem metaphoricò, sicut dicimus, injicere, vel immittere oculos in objectum, quamvis illud immittat speciem in oculos: ita etiam possumus dicere, quòd immittatur intellectus.

335. Ad 1. confirm. neg. conf. affirmando enim unum, non negatur alterum. Ad 2. confirm. neg. conf. quia per scientiam existentium intel-

intelligit S. Dionysius scientiam, ab ipsis per species influentibus desumptam; nam statim subiungit paritatem de Angelis, de qua paulò antè: ubi tamen non vult dicere, esse omnimodam paritatem inter cognitionem Divinam, & Angelicam; quia Angeli tamen cognoscunt per species aliunde acceptas, & eorum cognitio producit ab objectis, per species intentionaliter concurrentibus: quamvis non per species immediatè ab objectis habitas, sed vel à DEO infusas, vel aliunde acquisitas; nam objectum semper dicitur influere (intentionaliter, non physicè) modò aliqua ejus species influat, unde unde habeatur. Paritas ergo inter cognitionem Divinam, & Angelicam, ex mente S. Dionysii, stat in hoc, quòd utraque sit objectorum in seipsis, utraque sine influxu physico objectorum; hoc enim maximè intendit S. Dionysius, volens præcipuè monstrare, DEUM nosse creaturas, antequam sint, sine earum concursu. Discrimen autem adhuc est, quòd Angelus indigeat saltem aliquibus speciebus, & influxu intentionaliter objecti: non autem DEUS, cujus essentia sufficientissimè est species rerum omnium; si tamen species respectu DEI requiritur. Hæc sufficientes deducenda fuerunt; quia Gonetus hunc textum valde urget: sed fusè, & solidè ei respondet Martinez *loc. citato*.

336. Ob. 9. Angelicus constanter negat, creaturas à DEO videri in se ipsis: ergo. Resp. dist. ant. negat, videri in se ipsis tanquam principii cognitionis, sive per se, sive per speciem influentibus. conc. ant. præcisè tanquam objectis. neg. ant. & conf. S. Doctor 1. part. *quest. 84. art. 5. in corp.* docet, etiam illud cognosci in alio, quòd cognoscitur per aliud tanquam principium: sic dicit, videri in sole omnia; quia per illum, scilicet illuminantem, videntur. Quando ergo S. Doctor vult, DEUM duntaxat cognoscere omnia in sua essentia; tantum vult, quòd omnia per essentiam Divinam, quæ per modum speciei, vel principii concurrens, debeant cognosci: adeoque tantum excludit cognitionem creaturarum in se ipsis, tanquam influentibus, quam etiam nos minime adstruimus: non autem excludit alteram, quæ tantum habet creaturas pro objectis immediatis.

Imò hanc non obscure admittit, tum in textu n. 223. allato, tum 1. part. *quest. 14. art. 13. in corp.* ubi ait: *DEUS autem cognoscit omnia contingentia, non solum, prout sunt in suis causis, sed etiam, prout unumquodque eorum est actu in se ipso*. Et quamvis replicari possit, si enim DEUS potest in se ipsis videre futura, tunc etiam potest possibilia; quia non est amplius ulla ratio id negandi: imò, si DEUS actu existentia videat in se ipsis, debet etiam videre in se ipsis possibilia, & futura; tum, quia possibilitas, & existentia non distinguuntur: tum, quia DEUS ab æterno jam omnia videt: adeoque, quòd videri nunc existens, debuit jam antè vidisse, quando erat adhuc futurum, aut possibile. Et hæc illatio est clarè ipsius S. Thomæ in 1. dist. 38. *quest. 1. art. 5. in corp.* ubi sit ait: *Dico igitur, quòd intellectus Divinus intuetur ab æterno unumquodque contingentium, non solum prout est in causis suis, sed prout est in esse suo determinato; cum enim re existente ipsam rem videat, prout in esse suo determinato est, aliter cognosceret*

rem, postquam est, quam antequam fiat, & sic ex eventibus rerum aliquid ejus accresceret cognitioni. Patet etiam, quòd DEUS ab æterno non solum vidit ordinem sui ad rem, ex cuius potestate res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur.

337. Ob. 10. S. Augustinus cit. n. 313. ait, DEUM nihil videre extra se: ergo. Confirm. ex tractatu S. Ambrosii in *Symbolum cap. 1.* ubi dicitur DEUS nihil extra se intelligere: sed *regula in se intueri*. ergo. Resp. om. ant. neg. conf. Ratio responsionis habetur. n. cit. Ad confir. dist. ant. dicitur DEUS nihil extra se intelligere, accipiendo principium cognitionis ab extra. conc. ant. tantum habendo pro objecto res extraneas in se ipsis. neg. ant. & conf. S. Ambrosius l. 1. de officiis c. 14. ait: *Quomodo non potest intelligibilis DEI splendor in cogitationibus hominum, & corda, que ipse creavit, semet inferere*? Hoc certe significat cognoscere objecta in seipsis; nam si adversarii in textu S. Dionysii cit. *num. 334.* per verba *se immitens* intelligunt cognitionem in se ipsis, eandem intelligere debent etiam in voce *se inferere*; quanquam S. Ambrosius nequeat intelligi de cognitione creaturarum in se ipsis, ut influentibus. Addo ex Martinez *contro. 2. disp. 7. sect. 3.* aliquando phrasin in aliquo videri non idem significare apud Patres, quòd apud Scholasticos: & certe S. August. *lib. 12. confess. cap. 24. § 25.* aliter accipit cognoscere aliquid in incommutabili Divina veritate, vel essentia, quam accipit Scholasticus hoc loco; quia ait, sensum, quem habuerit Moyses in libro Genesis, videri in incommutabili veritate: hoc est, nisi, & probari, vel certum reddi autoritate veritatis Divinæ: qui sensus longè alius est ab eo, de quo hic est controversia.

QUESTIO III.

De Scientia Visionis.

ARTICULUS I.

Quid sit Futuritio, Contingentia, & Necessitas.

338. **A**gimus hic de Scientia Visionis DEI, non prout se extendit ad objecta necessariò existentia, quæ sunt prædicata Divina: neque prout se extendit ad objecta contingentia quidem, attamen jam actu existentia: sed, prout se extendit ad objecta contingentia, absolutè futura; de his enim est difficultas, quomodo à DEO infallibiliter possint præcisci abque læsione libertatis creatæ. Sicut autem alia, ita istud quoque concretum Futurum dicitur subjectum, & formam, seu futuritionem: & de hac nunc quærimus, quid sit. Duplex autem à nostris communiter distinguitur (quanquam reclamant Gonet, atque alii Thomistæ: sed planè contra S. Thomam, ut infra patebit) scilicet *causalis*, seu *extrinseca*, & *formalis*, seu *intrinseca*. Causalis futuritio est determinatio, vel ordinatio causarum, in præsentia existens, & connexa cum futuro evento. Hæc autem connexio, si infallibiliter, & inimpedibiliter trahat post se effectum, est futuritio simpliciter talis: si non infallibiliter, aut inimpedibiliter, sed tantum ordinariè post se trahat

trahat effectum, est juxta Angelicum tantum futuritio secundum quid. Formalis futuritio juxta S. Thomam, & communissimam nostrorum est *non existentia nunc, & existentia postea*, scilicet pro tempore importato per copulam; sicut præteritio formalis est *existentia prius, & non existentia nunc*: adeoque futuritio involvit esse, & non esse rei, sed pro diversis instantibus. Utramque hanc futuritionem tradit Angelicus *quest. 12. de veritate (quæ est de Prophetia) art. 10. ad 7. dicens: Aliquid potest dici esse futurum non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in causis suis, ut sic sit futurum.*

339. Eandem distinctionem duplicis futuritionis S. Doctor tradit etiam alibi, ut *1. part. quest. 86. art. 4. in corp. item 1. part. quest. 14. quest. 13. in corp.* ubi addit, quod, qui rem cognoscit in causa contingente, seu non impedibiliter inferente effectum, habeat tantum conjecturalem potitiam: ex qua ratione dein DEO tribuit alium modum cognoscendi omnia contingentia futura, scilicet, non tantum in causis, sed etiam in se ipsis; sic enim ibidem habet: *DEUS autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam, prout unumquodque eorum est actu in se ipso. & 1. part. quest. 86. art. 4. in corp. ait: Futura dupliciter cognosci possunt: uno modo in se ipsis, alio modo in suis causis. in se ipsis quidem futura cognosci non possunt, nisi à DEO . . . sed prout sunt in suis causis, cognosci possunt etiam à nobis.* insuper cit. *quest. 12. de verit. art. 10. in corp. ait: DEUS non solum cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed etiam, quantum ad ipsum exitum, vel executionem ordinis.* Eandem duplicem futuritionem admittit Joannes à S. Thoma in *1. part. ad quest. 14. disp. 19. art. 1. n. 2.*

Nota tamen, S. Doctorem non negare DEO scientiam futurorum in causis, etiam eorum, quæ ipsa non sunt futura. Ut autem hæc non possit dici falsa, sciendum, hanc scientiam non tam esse præscientiam futuri eventus, quam scientiam præsentis ordinis causarum, sive, quod causæ ordinatæ sint ad hunc effectum, si non impediatur. Et sic exponendæ sunt prophetiæ comminatoriæ, quæ dein non fuere impletæ, ut subversio Ninives: scilicet justitia Divina preparata erat ad urbem evertendam, sed tamen impedibiliter per pœnitentiam. Unde S. Doctor cit. *quest. 12. de veritate art. 10. ad 2. ait: Cum in Divina præscientia sit cognitio ordinis, & eventus, quedam prophetia derivatur ex una parte, quedam ex alia: præscientia verò DEI secundum hoc proprie præscientia nomen habet, quod ad eventum respicit, qui futurus est; ordo enim ad eventum est in præsentibus; unde de eo magis est scientia, quam præscientia. Et sic illa prophetia, quæ ordinem respicit, non dicitur secundum præscientiam, sed solum illa, quæ est secundum eventum.*

340. Jam de contingentia, & necessitate effectus. Contingentia stat in hoc, quod effectus ita procedat à sua causa, ut possit non procedere. Aliqua dicitur secundum quid, quando scilicet causa est necessaria, sed tamen impedibilis, e. g. si ignis producat ab alio igne; posset enim impediri, ut contigit in igne Babylonico. Alia est contingentia simpliciter talis, quando scilicet causa est libera, & ut proximè expedita potest agere, vel non agere, e. g. Petrus potest peccare, & potest non

peccare, stante eodem actu primo proximo. Rursum alia contingentia dicitur *transcendentis*, quæ datur in omni ente creato, quatenus omnis creatura est indifferens ad existendum, vel non, & per hoc differt à DEO.

Necessitas stat in hoc, quod res non possit aliter se habere. Hinc idem est necessariò existere, ac non posse non existere. Alia dicitur *absoluta*, alia *ex suppositione*. Prior est, quæ rei convenit ex essentia sua, nulla facta suppositione: qua ratione solus DEUS necessariò existit. Altera est, quando res se ita tantum necessariò habet, supposita aliqua conditione. Hæc necessitas non opponitur contingentia; quia quodlibet contingens, supposita aliqua conditione, est, vel non est. Sic supposito decreto efficaci DEI de creando mundo, vel supposita ipsa actuali ejus creatione, mundus ex se indifferens, vel contingens, necessariò existit.

341. Rursum alia necessitas dicitur *antecedens*, alia *consequens*. Illa (quam S. Thomas etiam vocat *necessitatem consequentis*) juxta S. Anselmum *lib. 2. Cur DEUS homo c. 18. est*, quæ facit rem, seu est causa, vel qualecunque præsuppositum ad rem, ex qua res impedibiliter sequitur. Sic se habet catena ferrea à me inaufertibilis, ex qua impedibiliter sequitur negatio vitæ. *Consequens* (quam S. Thomas etiam vocat *consequentiam*) est, quam facit res, seu est illa, quæ sequitur ex re ipsa, sive est necessitas ex suppositione rei; nam non potest res non esse ex suppositione, quod sit. Unde fundatur hæc necessitas in illo primo principio: *Idem non potest simul esse, & non esse.* Sic se habet ambulatio liberè suscepta, quæ posita, non possum simul quiescere. Necessitas antecedens est opposita contingentia simpliciter tali, seu libertati actus: non verò necessitas consequens; nam, etsi liberè ambulans non possit simul quiescere, tamen liberè non quiescit. Hoc indicavit Philosophus *1. Perherm. c. ult. ajens: igitur esse, quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, ne esse est. Sed non omne quod est, necesse est esse: nec quod non est, necesse est non esse.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

342. **O**B. 1. S. Augustinus *lib. 11. confess. c. 20.* revocat omnia tempora ad præsens, & ait: *Præsens de præteritis memoria, præsens de præsentibus intuitus, præsens de futuris expectatio*: ergo futuritio est aliquid præsens. Conf. ex S. Anselmo *Dialogo de veritate cap. 11. ubi ait: Non est vera oratio, quæ dicit futurum esse aliquid, nisi re ipsa sit aliquid futurum: neque aliquid est futurum, si non sit in summa veritate: ergo futuritio stat in summa veritate, sive DEO, vel ejus decreto.* Resp. dist. conf. futuritio extrinseca, vel improprie talis est præsens, conf. intrinseca, formalis, aut proprie talis. neg. conf. S. Augustinus, ut ex sequentibus patet, negat, præterita, & futura existere tunc per statum, quando dicuntur præterita, vel futura: & deim quaerit, an non in aliquo sensu possint dici præsentia: affert autem modum in objectione allatum, qui tamen improprius est.

Utique enim memoria non est præteritis, nec expectatio futuris intrinseca; unde ipse S. Doctor addit, nec hac ratione sibi satisfactum: & tandem solum petit, sibi concedi, nec præterita, nec futura esse, intellige, per statum. Quædo autem idem S. Doctor *lib. eodem cap. 18. ait*, forte non videri futura, sed tantum causas eorum præsentis, ibi, ut observat Ruiz *de scientia DEI disp. 29. sec. 2. n. 2.* nihil decedit, sed tantum quæstionem proponit, nec resolvit, sed à DEO explanationem petit. Ad confirm. resp. S. Anselmus *loc. cit.* vult probare, dari aliquam summam veritatem, qua deficiente nulla detur veritas inferior creata; quia hæc debet esse participatio superioris: & verba ejus ad summam probant, in veritate summa dari aliquam futuritionem extrinsecam, quæ sit causa futuritionis intrinseca: sic etiam eodem modo dicit: *ideo est aliquid præteritum, quia sic est in veritate summa: quin intrinseca præteritio rerum sit veritas Dei.* In forma dist. conf. futuritio extrinseca stat in Deo, om. intrinseca, neg. conf.

343. **O**B. 2. S. Thomas *1. part. quest. 16. art. 7. ad 3. ait: Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset; quia in causa sua erat, ut fieret: unde sublata causa non erat futurum illud fieri*: ergo futuritio stat in dispositione causarum, vel decreto DEI efficaci. Confirm. Idem Angelicus *quest. 12. de veritate art. 10. ad 12. ait. Cause superiores, quæ sunt rerum rationes in Divina præscientia, nunquam deficiunt ab impletionem suorum effectuum, sicut deficiunt cause inferiores, & ideo in causis superioribus cognoscuntur rerum eventus absolute: sed in inferioribus non nisi sub conditione: ergo futuritio rerum potest stare saltem in dispositione causæ primæ: & quando hic S. Doctor negat, futurum cognosci in causis, intelligi debet de causis secundis. Resp. dist. conf. aliqua futuritio causalis stat in decreto, conf. formalis. neg. conf. Textus plus non probat, quam ablata futuritione causalis, etiam auferri formalem, quod non negamus. S. Thomas tantum ibi contendit, nullam veritatem creatam existere ab æterno, & sic nullam propositionem creatam de futuro esse ab æterno, quod etiam non negamus. Ad conf. dist. 1. part. conf. potest stare futuritio causalis, conf. formalis, neg. 1. p. conf. & nego etiam secundam; quia neque in causa prima, in quantum constituit actum primum proximum liberum creaturæ, potest cognosci effectus; quia etiam ipsa causa prima, ut constituit illum actum primum, est indifferens.*

344. Et hinc S. Doctor in *1. dist. 38. quest. 1. a. 5.* expressè tradit, causam primam, si influere debeat cum causa secunda contingente, vel libera, posse esse cum hujus defectu, hoc est, cum ea nil producente, & ab hac impediri ab effectu: sicut influxus solis potest impediri à dispositione arboris, ne in ipsa producat flores. Unde, licet ipsam causam primam vocet necessariam, non vult dicere, necessariò debere producere determinatum effectum, sed tantum esse necessariam ad posse; quia sine ipsa causa secunda nil potest: vel ad summum, necessariò producere aliquem effectum indeterminatè; sicut sol in arbore non producit determinatè flores, sed, vel ipsos, vel etiam ariditatem. Quare loco in objectione citato S. Doctor loquitur tantum de effectibus solli causæ primæ liberis, qui utique possunt prævideri in decreto efficaci, tanquam causa eorum

superiore; quod sufficit ad intentum S. Doctoris, qui tantum vult probare, non omnem prophetiam esse conditionatam: sed aliquas etiam absolutas. Non tamen nego, posse etiam absolute prædici effectus liberos: sed tantum nego, eos posse prædici ex sola causa superiore immediata, requisita ad actum primum proximum; possunt enim prædici, vel ex scientia visionis, vel ex prædefinitione, aut permissione effectus: quæ, vel non sunt causæ necessariò requisitæ, vel non sunt immediatæ, de qua re inferius.

345. **O**B. 3. Illud est futuritio rei, per quod distinguitur res à merè possibili: sed ab hoc distinguitur, per determinationem in causis ergo. Conf. Connexio inferens effectum secundum sufficit ad eum denominandum futurum: ergo est futuritio; sed hæc connexio vel maximè habetur à decreto, vel scientia DEI: ergo. Resp. dist. maj. est futuritio rei vel intrinseca, vel extrinseca, conf. maj. determinatè semper intrinseca, neg. maj. & om. min. neg. conf. Adverte autem, licet constitutum sit semper distinctivum, non tamen distinctivum semper esse constitutum; potest enim quis extrinseco signo distingui, e. g. velte: item Petrus & Paulus ab invicem; quia unus est cognitus, non autem alter. Ad conf. dist. ant. sufficit ad denominandum effectum extrinsecè futurum, conc. ant. intrinsecè futurum, neg. ant. & sub ead. dist. conc. vel nego. conf. om. deim illat. rursus sub ead. distinct. conc. vel nego ult. conf. Dixi: omitto illatum; quia videtur supponere, quod ea connexio semper requiratur ad omnem propositionem veram de futuro; cum tamen tantum requiratur ad veritatem propositionis de futuro necessario: imò ad veritatem qualiscunque propositionis de quocunque futuro neque requiratur connexio subiecti cum prædicato, sed tantum convenientia. Vide Martinez *contr. 3. disp. 4. sect. 3.*

346. **O**B. 4. Futuritio e. g. peccati crassini est denominatio realis: ergo est extrinseca peccato, quod nunc nihil est reale: ergo est decretum DEI; quia aliud non est assignabile. Resp. dist. ant. est denominatio adæquatè realis, neg. ant. inadæquatè, subd. est talis per statum, neg. ant. per ampliationem. conc. ant. & dist. 1. conf. est extrinseca peccato inadæquatè, conc. 1. conf. adæquatè, neg. 1. conf. & deim etiam secundam. Futuritio, ut jam supra dictum, dicit duo: negationem rei nunc: & hæc est extrinseca; existentiam cras: & hæc est intrinseca peccato, non quidem per statum, sed per ampliationem; sicut etiam est realis denominatio, non per statum; quia necdum realiter existit, sed per ampliationem; quia existet. Sic adversarii solent respondere de præteritione peccati hesterni. Adde, videri impossibile, quod decretum DEI ratione sui, independenter à scientia media, sit futuritio peccati; nam non esset purè permissivum (hoc enim se solo non infallibiliter inferret peccatum) prædeterminativum autem ad peccatum admitti non potest, ut pluribus infra dicemus.

347. **O**B. 5. Futuritio e. g. Antichristi est præsens (nunc enim dicitur futurus, & quando existet, non amplius dicitur futurus) ergo nihil modò est præsens, nisi decretum DEI: sed istud est futuritio Antichristi. Confirm. 1. Futuritio Antichristi datur ab æterno, & nihil datur ab æ-

terno præter decretum DEI: ergo. Conf. 2. Futuratio respectu aliquarum propositionum de futuro in sacris Scripturis habetur per aliquid præsens, e. g. futuratio everfionis urbis Ninives à Propheta prædicta habetur per decretum DEI præsens conditionatum evertendi urbem, nisi poenitentia agatur: ergo etiam futuratio aliarum rerum.

Resp. Loquendo de futuritione formali (causalis enim non venit ad rem) dist. maj. est præsens per statum. neg. maj. per ampliationem, vel alienationem. conc. maj. & distincta proportionaliter. min. neg. conf. Prior pars, seu negatio rei nunc datur, propriè loquendo, per alienationem; quia negatio tantum existit per alienationem. Si autem cum quibusdam velis minus propriè loqui, mea pæce dic, eam existere nunc per statum suo modo; sic autem futuratio existet de præsentia per statum denominativè accepta, non autem quidditivè; quia altera pars, scilicet existentia rei, non datur nunc per statum, sed per ampliationem, hoc est, dabitur. Eadem responsio sufficit ad confirmationem 1. nam futuratio tantum datur per alienationem ab æterno, vel tantum denominativè, quatenus negatio suo modo existit ab æterno. Ad 2. confirm. Martinez *contr. 3. disp. 4. sec. 1.* dicit, illas propositiones non esse strictè de futuro, sed de præsentia; quia objectum earum est decretum præsens, quod præcipuè Propheta annunciavit. Qui reducunt ad propositiones de futuro, dicunt, futuritionem conditionatam everfionis esse objectum earum propositionum: quæ tamen futuratio, à qua scientia videatur, inferri est decernendum.

348. Dices 1. Si non dantur omnes partes nunc per statum, neque totum datur: sed non dantur per statum nunc omnes partes futuritionis: ergo. prob. maj. Totum, & omnes partes sunt idem: ergo. Resp. dist. ma. non datur totum denominativè. neg. ma. non datur quidditivè. conc. ma. & conc. min. sub eadem dist. conc. & neg. conseq. Eodem modo dist. etiam prob. Hoc debet dici in omnibus denominationibus successivis: quomodo enim aliàs poterit dici, dari nunc annus 29. mensis Januarius &c.

Dices 2. Ergo etiam, quando Antichristus existet, poterit dici futurus; quia dabitur una pars hujus denominationis, scilicet existentia, sicut nunc datur negatio. Imò, quando res est præterita, poterit dici futura; quia etiam, postquam transit, datur ejus negatio. Resp. neg. illat. Ad dandam aliquam denominationem non sufficit quilibet pars, sed illa tantum, quam inspecta naturâ denominationis ex communi notione requiri colligimus: atqui ex communi omnium notione futurum non dicitur id, cujus existentia nunc datur, sed cujus nunc datur negatio, & existentia postea. Sic etiam non dicitur futurum, cujus negatio datur post existentiam, sed debet dari ante; aliàs diceretur præteritum.

349. Ob. 6. Existentiâ Antichristi destruit futuritionem: ergo non constituit. prob. ant. Quando in fine mundi existet Antichristus, non amplius dabitur futuratio: ergo. Resp. dist. ant. existentia existens per statum destruit futuritionem. om. ant. existens per ampliationem. neg. ant.

& dist. conf. non constituit existentia existens per statum. om. conf. existens per ampliationem. neg. conf. quando enim datur existentia per statum, non amplius datur negatio, & consequenter non datur amplius futurum denominativè: & quamvis omittatur, dari aliquam adhuc partem futuritionis: tamen non amplius datur illa, quæ ex communi omnium notione requiritur ad futurum: sic etiam combusto ligno datur adhuc materia ligni, sed non lignum.

350. Ob. 7. Futurum non est aliquid merè possibile: sed non potest explicari, quid sit, nisi decretum DEI: ergo. Confirm. Futurum certum distinguitur à casuali, & dubio: sed per nihil aliud, nisi per decretum DEI: ergo. Resp. dist. ma. futurum non est per statum aliquid merè possibile. neg. maj. non est per ampliationem, seu, non erit semper aliquid merè possibile. conc. maj. & neg. min. ac conf. Res adhuc tantum futura tam parum existit pro statu, quam aliquid merè possibile; quia autem aliquando existet, hinc per ampliationem dicitur, non esse merè possibile: quo in sensu ordinariè de futuris loquimur. Ad conf. dist. maj. distinguitur intrinsecè futurum certum à dubio, si utrumque verè futurum est. neg. maj. extrinsecè tantum. conc. maj. & dist. proportionaliter min. neg. conf. Certum, dubium, casuale non sunt denominationes rebus intrinsecè, sed derivantur à nostris cognitionibus, aut certis, aut dubiis &c. unde res, quæ reverà futura est, quamvis de hoc mihi non constet, sed dubitem, non differt ab alia, de qua mihi certum est, eam esse futuram. Si autem res futura non est, quamvis putem, eam futuram esse, differt ab alia reverà futura per existentiam postea, quam altera habebit, non autem ista.

351. Ob. 8. Peccatum crastinum dicitur nunc possibile ab omnipotentia DEI: ergo etiam dicitur nunc futurum à voluntate, vel decreto DEI. Confirm. 1. Futurum independenter à decreto DEI nunc nihil est: ergo non potest esse veritativum propositionis: ergo debet hoc constitui in decreto DEI. Confirm. 2. Juxta nos non potest explicari, an futuratio sit ante, vel post decretum DEI: hoc debet explicari: ergo. Resp. dist. ant. dicitur possibile extrinsecè, & casualiter. conc. ant. intrinsecè, & formaliter. neg. ant. dein, omisso etiam ant. neg. conf. ex dictis num. 346. Ad 1. confirm. Si futurum nihil est, decretum DEI nihil decernit, & in nihil tendit. In forma dist. iterum per statum, & ampliationem. Ad 2. confirm. neg. maj. & dico, quod futuratio absoluta cujuslibet rei sit post decretum DEI; quia, nisi DEUS velit concurrere, vel saltem suum concursum permittere: nulla creatura potest agere: adeoque nihil potest esse futurum.

ARTICULUS III.

An, & quomodo DEUS videat absolute futura.

352. Dico 1. DEUS infallibiliter cognoscit ab æterno omnia absolute futura. Conclusio est de fide. Probat ex Scripturis, & PP. Eccles. 23. v. 29. dicitur: Domino enim DEO, antequam crearentur, omnia sunt agnita. & c. 39. v. 24. Opera omnis carnis corrupta

An, & quomodo DEUS videat absolute futura.

illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A seculo usque in seculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus. Psal. 138. v. 3. Intellexisti cogitationes meas de longe. & v. 4. Omnes vias meas previdisti. v. 5. Tu cognovisti omnia, novissima, & antiqua. Sap. 8. v. 8. Signa, & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum, & seculorum. Ex Patribus passim idem tradentibus sufficit Tertullianus, & Augustinus. Prior 1. contra Marcionem cap. 5. ait: De Præscientia verò quid dicam, quæ tantos habet testes, quantos fecit Prophetas. Alter lib. 5. de civit. DEI c. 4. Nam & confiteri DEUM, & negare prædicta futurorum, apertissima insania est. videatur Didacus Ruiz de Moroya de præscientia DEI disp. 22.

353. Prob. conclusio ratione. Clarum est, quod cognoscere futura sit perfectio absque ulla imperfectione: contra ea nescire sit imperfectio: ergo DEUS debet ea præscire. Confirm. 1. In humanis ille gubernator censetur imperfectior; qui pauciora futura prævidet: & perfectior; qui plura: ergo, cum DEUS sit gubernator universi totius perfectissimus, debet omnia in universo futura præscire. Confirm. 2. Quidquid DEUS cognoscit, ab æterno cognoscit: atqui cognoscit saltem nunc præsentia, quæ vel quilibet homo cognoscit: ergo cognoscit ab æterno, quando adhuc sunt futura.

Nota hic, SS. PP. aliquando dicere, respectu DEI nil esse futurum, ex quo videtur inferri, eum non cognoscere futura: at plus non volunt, quam 1. nil esse præteritum, aut futurum in ipso DEO. 2. nil esse futurum DEO, sicut nobis, quibus futura fiunt præsentia per mutationem etiam nostram; quia durationes nostræ sunt successivæ, & nos etiam ex parte nostrâ non sumus omnibus præsentibus sine nostrâ mutatione: sicut tamen DEUS ratione æternitatis suæ absque ulla sui mutatione, quantum est ex se, omnibus præsens est. Noster autem sensus, in quo præcisè dicimus, ideo esse aliqua futura respectu DEI; quia ipse ante illa jam existit, negari non potest.

354. Dico 2. DEUS cognoscit absolute futura in se ipsis. Non nego, DEUM posse, saltem aliquando, aliqua futura cognoscere in causis necessariis, vel in suo decreto, vel in complexo ex decreto, & scientia media, de quo hic non disputo; sed abstrahendo ab aliis modis cognoscendi, hunc modum, cognoscendi nempe futura in se ipsis, positivè defendo. Conclusio hæc est S. Thomæ, & nostrorum, itémque, saltem teste Martinez *contr. 3. disp. 6. sec. 2.* Nominalium, & Scotistarum, (quamvis de Scotistis fors universaliter non sit verum) contra Thomistas. Prob. 1. auctoritate Angelici, & textibus num. 336. & 339. cit. insuper idem in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ad 3. ait: *Adus Divinæ cognitionis transit supra contingens, etiamsi futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum, dum est.* Similia habet ad 4. & ad 6.

Iterum ad 7. dicit. *DEUS non tantum cognoscit ea, quæ sunt nobis præsentia, sed quæ sunt nobis præterita, & futura, supra quæ tamen omnia intuitus Divinus cadit, secundum quod suis temporibus præsentia sunt.* Et art. 4. ejusdem quæstionis in corp. sic habet: *Omnia ergo illa, quæ habent esse in sua natura, secundum quodcumque tempus DEUS ab æterno scivit, & apprehendendo naturam ipsorum, ut videndo ea esse non tantum in co-*

gnitione sua, vel potentia alioquin cause, sed etiam in esse nature, quod patet; quia constat, quod re existente cognoscit DEUS ipsum esse, quod habet in propria natura. Si autem ab æterno non cognovisset, nisi esse ejus, quod est in cognitione, vel in potentia cause, cognitio sua proficeret per temporum successiones: quibus ultimis verbis continetur ratio efficax scilicet, quod, cum scientia DEI immutabilis, & imperfectibilis sit, debeat, quæ semel cognoscit, & prout ea cognoscit, semper cognoscere: adeoque, cum nunc cognoscit præsentia in se ipsis (nisi velimus ei negare scientiam, quam homini concedimus) debeat ea etiam in se ipsis cognoscere pro tempore, quo adhuc erant futura.

355. Probatur conclusio adhuc alia ratione. Futura contingencia habent ab æterno determinatam veritatem in se ipsis, secundum quam præsciri possunt: ergo secundum hanc præsentiam à DEO in se ipsis. conf. non neg. ant. prob. Ex duobus contradictoriis sive de præterito, sive de præsentia, sive de futuro (est enim par ratio) non potest utrumque esse falsum, sed unum debet esse verum: ergo ex his duobus: *Petrus cras vivet: Petrus cras non vivet:* unum est necessarium verum: cumque insuper in statu physico, vel reali nihil possit esse indeterminatum, unum ex illis debet à parte rei habere determinatam veritatem: ergo. Confirm. Quidquid est, quantumvis contingens, ex suppositione, quod sit, determinat, & necessarium est, ut fatentur omnes cum Philosopho cit. num. 341: ergo etiam futurum ex suppositione, quod sit futurum, necessarium, & determinatè futurum est pro sua temporis differentia: sed quidquid est, ea ratione, qua est, etiam à DEO cognoscibile est: ergo.

ARTICULUS IV.

Solvitur objectio primaria contra primam conclusionem.

356. Ob. Præscientia DEI esset necessario vera, & æterna: ergo omnia necessario fierent, prout DEUS præscivisset, & nihil fieret liberè: hoc admitti non potest: ergo nec præscientia. prob. conf. Si res non fierent necessario, tunc vel præscientia posset falsificari, vel mutari, vel tolli, vel impediri: nihil horum dici potest: ergo. prob. min. Non primum; quia præscientia est necessario vera: non secundum; quia est immutabilis: non tertium ex eodem capite: non quantum; quia, quod est ab æterno, non potest impediri ab aliquo primum existente in tempore; aliàs Antichristus posset impedire homicidium Caini: ergo. Resp. dist. ant. præscientia DEI esset necessario vera necessitate antecedente. neg. ant. consequente, quæ non tollit libertatem. conc. ant. & neg. conf. ad prob. neg. min. & dico, quod possit impediri, ad prob. dist. ill. quod est ab æterno, non potest impediri ab aliquo existente in tempore, sicut non jam objectivè existat ab æterno, & illud æternum non connectatur cum hoc existente in tempore. conc. ant. secus, neg. ant. & conf. Ex hoc autem non sequitur, quod Antichristus possit impedire homicidium Caini; quia hoc non habet connexionem

cum existentia Antichristi: at poterit Antichristus impedire prædictionem peccatorum ab eo patratorum, sicut & præscientiam eorundem.

357. Dices 1. DEUS jam scit, Antichristum peccatum, & Antichristus potest tamen juxta nos non peccare: ergo potest falsificare scientiam DEI. prob. conf. Bona est consequentia: DEUS scit me peccare, & ego non pecco: ergo ego falsifico scientiam DEI: ergo etiam ista est bona: DEUS scit me peccare, & ego possum non peccare: ergo possum falsificare scientiam DEI. Resp. neg. conf. quia Antichristus non potest facere sensum compositum, sed tantum divivum: nec potest tollere scientiam, sed tantum impedire. Ad prob. conc. ant. neg. conf. quia illæ duæ propositiones mihi antecedentis dicunt sensum compositum, adeoque legitima est consequentia: at propositiones ad antecedentem dicunt tantum sensum divivum (aliis non essent veræ,) adeoque non inferitur consequentia. Verum est, quod priores etiam duæ propositiones sunt falsæ, adeoque & consequens materialiter sumptum sit falsum: quia autem supponitur ut veræ, consequentia saltem est formaliter bona. At in 2. enthymemate, cum propositiones sumantur ut realiter veræ, adeoque in sensu divivo, consequens & materialiter, & formaliter falsum est.

358. Jam autem, quod æternum possit impediri ab existente in tempore, debet intelligi, non ex suppositione, quod jam existat; (hoc enim esset tolli, non impediri; quia impedire est facere, ne unquam detur) sed sic, quod ens physicè existens in tempore possit facere, ne alterum ab æterno extiterit: sic, si Judas non peccasset, DEUS ab æterno non habuisset præscientiam de ejus peccato. Notandum autem est, quod etiam peccatum Judæ jam extiterit objective ab æterno; hoc est, ab æterno fuerit cognoscibile tanquam futurum suo tempore, & sic suo modo fuerit præsuppositum ad præscientiam Divinam: ergo potest intelligi, quod, si illa futuritio peccati non fuisset, præscientia, quam DEUS modò habet, impedita fuisset, & DEUS aliam habuisset.

Notandum ulterius, scientiam DEI impediri, vel determinari, non tam ratione existentia physica, actualiter jam existentis, quam ratione existentia objective, seu ratione cognoscibilitatis objecti, quæ jam, ut dictum, suo modo datur ab æterno: unde præscientia DEI est impedibilis ab aliquo physicè existente in tempore, non ut actualiter jam existente (nec enim actualis existentia debet dari, quando datur impeditio) sed ut existente objective, quam existentiam jam habet ab æterno: & sic impeditur Judæ non actualiter, sed objective existens, impeditur præscientiam de ejus salute: quod si illa futura non fuisset, adeoque non fuisset objective existens, seu cognoscibilis ab æterno, DEUS habuisset præscientiam aliam de ejus salute.

359. Dices 2. Si præscientia DEI daretur, ea esset causa futurorum: ergo tolleret libertatem. ant. prob. ex S. August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. sic dicente: *Non enim hæc, que creata sunt, ideo sciuntur à DEO, quia facta sunt: ac non potius ideo facta sunt, vel immutabilia, quia immutabiliter à DEO sciuntur.* & lib. 15. de Trinit. cap. 23. *Quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, sci-*

vit; nec aliter ea scivit creata, quam creanda. Hæc objectio fufius est deducenda; quia alii integram hac de re questionem insituunt. Recolendum itaque: 1. scientiam DEI dividi in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. Secundò recolendum, aliquando omnem scientiam DEI, etiam simplicis intelligentiæ, visionem appellari. ita expresse Angelicus quest. 2. de veritate art. 9. ad 3. scribit: *Nihil prohibet aliquando omnem scientiam Divinam visionem dici: aliquando verò solum illam, præteritorum, præsentium, & futurorum.* Et hæc est stricta acceptio scientiæ visionis. 3. Scientiam artificis, qua dirigitur ut opus faciendum, quæque est ipsa ars, non esse visionem operis jam facti, sed tantum factibilis; ridiculus enim esset artifex, qui, cum sciret, vel videret opus jam factum, vellet illud primum dependentem ab hac sua scientia, vel visione facere.

360. Jam verò, quod scientia visionis, strictè dicta, præsupponat opus jam factum, vel saltem jam futurum, pro priori ad scientiam, constanter docent SS. PP. afferentes, non idèò res fieri; quia à DEO præsciuntur, sed idèò præsciri; quia sunt, aut futura sunt. Sic S. Justinus M. lib. 4. questionum Christianis à gentibus positarum quest. 58. ait: *Nec causa est ejus, quod futurum est, prænotio, sed quod futurum est, causa est prænotionis; neque enim prænotionem sequitur, quod futurum est, sed quod futurum est, prænotio.* Origenes lib. 7. in cap. 8. ad Rom. v. 29. *Non propterea erit aliquid; quia id scit DEUS futurum: sed quia futurum est, scitur à DEO, antequam fiat.* S. Hieronymus in cap. 26. Jerem. ad verba: *Noli subtrahere* &c. *Non enim ex eo, quod DEUS scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed, quia futurum est, Dominus novit, quasi præsciens futurorum.* S. Augustinus lib. 5. de civitate DEI cap. 10. *Neque enim idèò peccat homo; quia DEUS illum peccatum præscivit. Imò idèò non dubitatur ipsum peccare, cum peccat; quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccatum esse præscivit, qui, si nolit, utique non peccat. Sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.*

Nec dicas, S. Augustinum tantum dicere, præscientiam non esse causam peccatorum, esse tamen causam bonorum operum; nam S. Augustinus exemplo præscientiæ de peccato vult probare, quod præscientia non tollat libertatem in ordine ad opera bona, ad quæ nos leges obligant: & ad preces, de quibus immediatè ante meminit: foret autem argumentatio indigna tanto Doctore, si rationem afferret, quam non exilimasset quadrare præcipue parti illius materiæ, de qua ex professò agebat. videatur Ruiz de Montoya de scientia DEI disp. 33. sect. 3. & sect. 4. ubi adducit plurimorum adhuc SS. PP. textus pro nostra sententia.

361. Nunc in forma neg. ant. intellectum de scientia visionis strictè dicta, & quidem formaliter accepta, sicut & de causa, immediatè & per se constituente actum primum proximum: (an enim scientia visionis realiter, & virtualiter identificetur decreto DEI, quod est causa, constituens actum primum remotum) (ex quo capite dein salvetur libertas actus 2. di) difficultas est, inferius decidendà; quando de virtuali indivisibilitate de-

creti disp. 3. quest. 1. art. 5. agemus. SS. PP. non intelligendi sunt de scientia visionis, sed de scientia simplicis intelligentiæ, quæ scilicet rem non ostendit jam factam, sed factibilem, seu possibilem, & se habet sicut scientia artificis, seu ars artificem dirigens. Hinc etiam est, quod à S. Augustino lib. 6. de Trinit. c. 10. scientia DEI, quæ est causa eorum, quæ facta sunt, dicatur *Ars quedam omnipotens, atque sapientis DEI: qui ætens à S. Thoma q. 2. de veritate a. 14. in corp. citatur.* Verba Angelici sunt: *Præterea scientia DEI est quedam ars rerum creandarum, ut dicit Augustinus in sexto de Trinitate, quod Verbum est ars plena omnium rationum viventium: sed ars est causa artificiarum: ergo scientia DEI est causa rerum creandarum.* Unde etiam Angelicus tantum vult, scientiam simplicis intelligentiæ, non verò scientiam visionis, strictè dictam, esse causam rerum.

Quæ mens Angelici ulterius patet 1. part. quest. 14. art. 8. in corp. ubi ait: *Dicendum, quod scientia DEI est causa rerum; sic enim scientia DEI se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificata: scientia autem artificis est causa artificiarum, eoque artifex operatur per suum intellectum.* Quod autem eodem art. ad 3. dicat, res naturales esse medias inter scientiam DEI, & scientiam nostram, rectè dicit; quia nos non habemus scientiam de faciendis illis, sed tantum de factis. Idem S. Doctor eodem articulo in corp. docet, formam intelligibilem, seu scientiam se habere ad opposita, hoc est, esse compossibilem cum effectibus oppositis: quod iterum non convenit scientiæ visionis strictè tali, quæ videt effectum determinatum; sed tantum scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ videt possibilita contraria: estque indifferens ad existentiam effectus. Iterum eadem questione art. 9. ad 3. ait S. Doctor: *Non est in scientia DEI, ut illa sint: sed quod esse possint:* quod utique refertur ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ possibilita habet pro objecto.

362. Dices ult. 1. Juxta S. Thomam scientia DEI, quæ est causa rerum, est libera: sed scientia simplicis intelligentiæ est necessaria: ergo. Resp. dist. min. scientia ista est necessaria in representando, conc. min. in operando. neg. min. & conf. quia, ut in actu secundo influat suo modo directivè, non habet ex se necessariò, sed habet à libero decreto DEI, ut scilicet ars à voluntate artificis.

Dices iterum, Angelicus q. 2. de veritate a. 14. objicit sibi textum Origenis, citatum à nobis num. 360. & ad 1. respondet, Origenem tantum velle dicere, quod scientia DEI non sit causa inducens necessitatem in scito: per illud autem, quod dicit: ideo DEUM scire; quia futurum est, non importari causam efficiendi: sed tantum inferendi: Resp. hoc ipso ex S. Doctore debet negari, quod scientia visionis strictè dicta, & formaliter accepta, sit causa immediata per se effectus; nam sic inferret necessitatem. Dein Angelicus 1. p. q. 14. a. 8. ubi eandem sibi objectionem facit, exponit Origenem de scientia DEI purè speculativè tali, & præscindendo ab adjuncta voluntate Divina; sine qua non causat; nam non causat, nisi scientia approbationis, seu complexum ex decreto, & scientia: neque tamen hæc causat id, quod DEUS scit jam existens: sed aliquid subsequens,

Dices 3. Neque scientia simplicis intelligentiæ causat sine decreto. Resp. de hac Origenem non loqui; quia est clarum, hanc non scire futura ut futura, de quibus tamen Origenes loquitur. Quando autem Angelicus docet, futura importare solum necessitatem inferendi, seu consequentiæ, non verò causam efficiendi, seu consequentis, respectu scientiæ Divinæ: excludit tantum à futuris rationem causæ physicè influentis respectu scientiæ Divinæ; quod patet ex cit. quest. 2. de veritate art. 14. in corp. ubi probat, futura non posse caulare scientiam DEI, ex eo, quod temporalia non possint caulare æternum, & quia (ut ait) *in DEO nihil est causatum; cum ipse sit, quidquid habet.* --- è converso scientia nostra causata est à rebus, in quantum scilicet eam à rebus accipimus. Unde necessitatem consequentiæ non sumit strictè pro sola illatione logica, quæ etiam ex effectu inferitur causa, seu prius exposteriori: sed pro omni illatione, etiam ex causa saltem improprie dicta, sive, ut Magister Sententiarum l. 1. dist. 38. §. quid ex prædictis loquitur, ex causa, sine qua non, seu ex aliquo præsupposito, modo non sit causa physica.

363. Dices 4. S. August. lib. 15. de Trinit. c. 13. ait: *Nec aliter ea scivit creata, quam creanda.* sed creata non videntur per scientiam simplicis intelligentiæ: ergo non loquitur de ista. Confirm. 1. ex Gonet. Scientia non potest esse causa rerum, quas non videt: sed scientia simplicis intelligentiæ non videt absolutè futura: ergo major videtur clara, min. prob. Scientia simplicis intelligentiæ definitur à Theologis cognitio eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt. Et sic etiam loquitur S. Thomas 1. part. quest. 14. art. 9. in corp. dicens: *Quædam enim, licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista dicitur DEUS scire scientia visionis, & paulò post: Quædam verò sunt, que sunt in potentia DEI, vel creature, que tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt: & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ.* Confirm. 2. S. August. lib. de bono perseverantia cap. 17. sub finem dona DEI (per quæ intelligi nostros actus bonos) non præsciri; nisi detur prædestinationis: & hinc dari prædestinationem; quia datur præscientia: ergo non videntur isti actus boni absolutè futuri in seipsis, sed tantum in decreto.

Resp. neg. min. Non quidem videntur ut jam creata, seu facta, sed ut possibilis: sicut scilicet fuere visa, antequam crearentur. Attentè legenti utrumque locum citatum num. 359. cum contextu, clarè patebit, quod S. Augustinus tantum velit, DEUM nunquam acquirere notitiam novam, sed, quidquid scit, ab æterno scrivisse: nec ideo cognoscere creata; quia sunt, hoc est, nunc existunt: sed ea jam cognita fuisse, antequam existerent, quod libentissimè concedimus. Unde videtur mihi loqui de scientia genericè accepta, & in decursu descendere ad species: & aliquando loqui de scientia visionis, ut, cum dicit, præscire DEUM nostras preces, & an sit exauditurus eas: aliquando de scientia simplicis intelligentiæ, ut, cum dicit, res esse ideo; quia DEUS eas novit; nam aliàs sibi contradiceret loc. cit. num. 360.

364. Tandem Ruiz de Montoya de scientia DEI disp. 33. sect. 3. num. 21. asserit, posse dici cum



cum Magistro Sententiarum l. 1. dist. 38. §. quid ex prædictis etc. S. Augustinum intelligendum, non de scientia qualicumque, sed de scientia approbationis (de qua num. 283.) quæ est complexum ex scientia, & decreto Divino, quod decretum est aliqua causa remota actuum, saltem bonorum; adeoque illud complexum etiam est causa. Hinc futura ideo sunt; quia à DEO sciente approbantur, vel decernuntur; non autem ideo pro priori decernuntur; quia sunt: & in hoc saltem complexo, tanquam in aliquo priori, possunt videri absolute futura: quæ ratione aliquando melius videtur salvari, quomodo scientia, quæ præscientia dici possit, sit causa futurorum. Sed huius solutionis intelligentia clara supponit multa infra exponenda. Interim sufficit respondere prior, iuxta quam scientia simpliciter intelligitur, sicut potest dici scientia visionis ex num. 359. ita potest etiam dici aliquando præscientia, seu scientia prævia.

Ad 1. conf. om. maj. dist. min. scientia simpliciter intelligentia non videt futura sub ratione futurorum. con. mi. sub ratione possibilium. neg. mi. & conf. ad prob. neg. ant. aliam definitionem dedimus num. 283. Angelicus autem plus non dicit, quàm quod purè possibilis non sint objectum scientiæ visionis strictè talis: non autem, quod existentia, vel futura omnino non sint objectum simpliciter intelligentiæ, ne quidem, si considerentur ut possibilis. Ad 2. conf. neg. conf. S. Doctor ibi tantum vult, dari connexionem inter ista duo, quod scilicet actus absolute futuri sint prædicti, & prædestinati; nam intentum ejus est probare, actus illos, præsertim primum & initialem fidei, & ultimum, seu completivum perseverantiæ, debere prædestinari, & vi prædestinationis gratuita à DEO tanquam sua dona prævideri: unde ait, quod, si actus illi non sint ita prædestinati, etiam non præsciantur: quod verum est, in hac præsertim providentia, in qua nullus actus bonus absolute elicitur, qui non prius fit prædestinitus, seu prædestinatus: consequenter etiam nullus ante prædestinationem eliciendus prævidetur. Ex hoc autem non sequitur, quod, quando actus prædestinatus est, tantum in prædestinatione videri possit, & non alio modo, seu etiam in seipso; quia & in seipso, & simul etiam in prædestinatione videri potest.

365. Dices 5. S. Gregorius lib. 20. moral. c. 23. ait. Nam quæque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur; quia sunt: sed ideo sunt, quia videntur. & lib. 32. cap. 6. Non existentia videndo creat: existentia videndo continet. Resp. S. Gregorius hos textus prius incidenter ponere. Primo loco ejus intentum est probare, nihil respectu DEI esse præteritum, aut futurum, sed omnia esse præsentia; hinc rectè Valquez tom. 1. disp. 68. c. 6. num. 43. respondet, S. Pontificem non negasse, ideo futura à DEO cognosci; quia futura sunt, sed negasse, ideo cognosci; quia præsentia sunt; cum physice ab æterno non sint. Neque dicit S. Greg. ideo futura esse; quia cognoscuntur: sed ideo esse præsentia: quare loquitur de præsentia intentionali, cujus causa formalis est cognitio DEI; ideo enim sunt res intentionaliter præsentia; quia cognoscuntur.

Nec objicias; iuxta nos S. Doctorem primò

sumere illud sunt pro physice existentibus: & secundò pro intentionaliter existentibus; nam nisi secundò loco ita accipiatur, planè falsum est, creata esse ab æternitate; quia nihil est physice ab æternitate: primo autem loco debet intelligi esse physicum, vel objectivum; aliàs etiam illud, quæque sunt, deberet intelligi intentionaliter, quod videtur non esse ad mentem S. Parris. Adde, nemini debere videri ineptam hanc transitionem ab uno statu ad alium; cum in comparatione æternitatis cum temporalibus sæpe similes explicationes fieri soleant, vel debeant.

Altero loco agit S. Pater de eo, quomodo DEUS recordari possit, cum respectu ipsius nihil sit præteritum, nihil absens: sed omnia ipsi semper præsto sint: & subjungit textum objectum sine ulla alia probatione, vel explicatione, qui tamen non potest accipi literaliter; nam videndo non creat DEUS, cum dudum ante creationem omnia videat: sed nec propriè ea continet videndo, nisi intentionaliter: quare metaphorice iterum exponi potest de existentia intentionali, quatenus rebus, physice non existentibus, confert visionem, tanquam creatione metaphorica, esse intentionale: existentia autem, quæ continentur physice ab immensitate, vel omnipotentia, per visionem continentur intentionaliter. Hic sensus videtur etiam posse colligi ex aliis verbis ibidem positis: Omne quod est, per hoc illi præsto est, quòd in ipso est: nihil enim creatum existit in DEO formaliter: sed tantum, vel eminenter ratione omnipotentia, de qua S. Gregorius non loquitur, vel intentionaliter ratione scientiæ.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones contra secundam conclusionem.

366. O B. I. Aristoteles 1. per h. c. 6. & S. Thomas in eundem lect. 13. docent, neutram propositionem ex contradictoriis de futuris contingentibus habere determinatam veritatem: ergo DEUS non potest futura contingentia cognoscere in seipsis. Resp. dist. ant. docent, neutram habere determinatam veritatem in causis. conc. ant. in seipsis. subdist. per statum, & adæquate, seu concretè existentem. conc. ant. per ampliationem, vel denominative existentem. neg. ant. & conf. Textum Aristotelis totum quantum refert S. Thomas lect. citata §. sed quod non potest, quem pro more fastis obscurus ibidem exponit, atque ait, aliquid esse verum hoc modo, quo est: & addit, futurum non esse: ex quo infert, illud nec verum esse: quod tantum intelligi potest sic, ut non habeat veritatem actu existentem, & quidem adæquate sumptam; nam inadæquate, seu denominative sumpta veritas, quæ consistit in ipsa propositione nunc existente, actu de præsentia datur: & neque nos dicimus, in hoc sensu propositiones de futuro habere determinatam veritatem adæquate per statum, sed solum secundum partem, scilicet secundum cognitionem; nam secundum alteram partem, scilicet secundum objectum habent eam tantum per ampliationem. Sic Aristotelem expo-

ponunt etiam Capreolus, dictus Pater Thomistarum, cum aliis gravissimis viris apud Martinez contr. 3. disp. 3. sec. 4.

367. Affert deinde S. Thomas aliam existentiam futurorum de præsentia, scilicet existentiam in suis causis: & quia hæc existentia in causis contingentibus non est determinata; insuper etiam (ut paulò antè dictum ex S. Thoma) aliquid est verum eo modo, quo existit, hinc futura, adeoque etiam propositiones de illis, non habent determinatam veritatem in causis. Sed & hoc concedimus; quia plus non significat, quàm causas, in se præcisè, & quantum ad naturam suam spectatas, non esse determinatas, sed indifferentes ad effectum, adeò, ut inspicendo præcisè ipsas, non possit in iis videri effectus. Si velles dicere, etiam has propositiones: Causa producet effectum: Causa non producet effectum: esse contradictorias, adeoque unam determinatè esse veram. Resp. hanc determinationem non provenire ex sola natura causa, sed ad neutrum ex his determinata per se est; sed aliunde, sive ab extrinseco, sive ab intrinseco determinatur: quòd non impedit, quò minus causa in se, & ex se sit indeterminata. Nota, has propositiones non dicere solas causas, sed etiam consignificare ipsos effectus: & habere eundem sensum, ac si positivè ita ponerentur: Effectus producet a causa: effectus non producet a causa: unde determinatio ad veritatem non est à causa, sed ab effectu, qui in seipso videtur, ut per causam ex natura sua indifferentem producendus.

368. Dices, Si hæc propositiones sunt determinatè veræ, non sunt contingenter veræ: hoc est contra nos: ergo prob. ma. Non sunt indifferentes veræ: ergo nec contingenter. Resp. dist. maj. si hæc propositiones sunt determinatè veræ determinatione, seu necessitate antecedenti, conc. ma. si tantum determinatione, seu necessitate consequenti. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. ad prob. dist. eodem modo ant. non sunt indifferenter veræ indifferentia antecedenti, neg. ant. consequenti. conc. ant. & neg. conf. Necessitas aut determinatio antecedens, non autem consequens, opponitur contingentia: ex num. 341. determinatio autem antecedens est determinatio in causa necessaria, quæ non datur circa futura contingentia. determinatio consequens est determinatio in seipso, sive ex suppositione rei ipsius, qua posita non potest res simul non esse. Unde res dicitur determinatè existere per actualem suam existentiam: & contingens, seu indifferens esse per compossibilitatem cum existentia, vel non existentia ratione causarum indifferentium.

Si quæras, per quid causa indifferens ad agendum fiat determinata. Resp. formaliter fieri per ipsum effectum, seu actionem productivam; hæc enim est forma determinatè denominans agentem: efficienter autem, seu in genere physico fieri determinatam, vel à natura sua, aut à principio necessitante: vel, si sit agens liberum, à se ipso, per suam virtutem electivam se determinante.

369. Ob. 2. Si propositiones de futuro contingente essent determinatè veræ, vel falsæ, ideo essent; quia contradictoria non possunt simul esse vera, vel falsa: hæc ratio nihil probat: ergo. prob. min. Contradictio non magis

determinat ad veritatem unius partis, quàm alterius: sed tantum indeterminatè, & confuse ad alterutram: ergo hæc ratio nihil probat. Resp. dist. maj. ideo, tanquam ob rationem adæquatam, neg. maj. tanquam ob rationem inadæquatam, conc. maj. & dist. min. hæc ratio sola nihil probat. conc. min. adjuncta alia ratione. neg. min. & conf. ad prob. min. conc. ant. neg. conf. Ex vi contradictionis tantum inferimus, aliquam propositionem debere esse veram: deinde addimus, in statu reali non posse dari suspensionem utriusque, adeoque aliquam debere esse determinatè veram, seu futuram, quam, licet nos sæpe non cognoscamus, DEUS tamen cognoscit.

Dices 1. Hæc propositio: Necessè est, alteram ex contradictoriis de futuris contingentibus esse veram: vera est, quamvis veritas in neutram determinatè cadat: ergo etiam hæc propositio: Aliqua ex illis contradictoriis est determinatè vera: vera esse potest, quamvis in neutram veritas determinatè cadat. Resp. retorquendo argumentum in propositionibus de præsentia: Necessè est Petrus nunc sedere, vel non sedere. & Petrus nunc sedet: Petrus nunc non sedet. In forma neg. conf. & paritatem. Summulistæ norunt, propositionem primam esse in suppositione confusa; quia significatur necessitas, cui possunt subvenire plures causæ: alteram verò esse in suppositione disjunctiva, in qua debet prædicatum de aliquo determinato verificari.

370. Dices 2. Ergo una propositio est necessariò vera: hoc non potest admitti: ergo. prob. illatum ex Gersono disp. 4. de scientia DEI art. 4. §. 4. num. 120. Quod futurum est ex vi oppositionis contradictionis, est necessariò futurum; quia hæc oppositio est causa necessaria: sed una propositio esset futura vera ex vi dictæ oppositionis: ergo. Resp. neg. illatum, ad prob. dist. maj. quod est determinatè futurum propter illam oppositionem, tanquam rationem adæquatam. conc. maj. quod est tantum indeterminatè futurum propter illam oppositionem, tanquam rationem inadæquatam. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. ratio responsionis habetur ex num. 309. Necessè est quidem, unam determinatè esse veram: sed unam præ alia veram esse, est tantum contingens.

Dices 3. Antecedenter ad decretum DEI jam datur necessitas, ut non: raque ex contradictoriis sit falsa: ergo debet una esse vera antecedenter ad decretum DEI: hoc est contra dicta num. 357. Resp. retorqueo argum. in propositionibus de præsentia: Petrus sedet nunc: Petrus non sedet nunc: quæ sunt contradictoria eodem modo ante decretum DEI: intellige prioritatem præcisiva, seu præscindendo à decreto. In forma dist. conf. una indeterminatè, & confuse sumpta, conc. conf. determinatè sumpta, neg. conf.

371. Dices 4. Etiam ante decretum DEI non potest aliquid indeterminatum dari à parte rei. Resp. ante decretum DEI non potest quidem ex contingentibus à parte rei existere, aut futurum esse. Hinc ex duabus propositionibus contradictoriis de contingenter futuro nulla est contingenter vera. Si ulterius urges, non posse utramque, vel neutram esse veram. Resp. antecedenter ad decretum veram esse propositionem negativam, non tamen contingenter, sed necessariò; quia necessarium est, ut antecedenter ad decre-

decretum DEI Petrus non sedeat, & Antichristus non sit peccator. Hinc etiam ista propositio: *Antecedenter ad decretum DEI Antichristus non peccabit contingenter*: est necessarium vera: & negatur in ea non tantum peccatum, verum etiam contingentia. Sed neque admittitur, quod in quocunque signo rationis aliqua ex contradictoriis sit determinate contingenter vera.

Hoc tamen verum est, quod antecedenter ad decretum DEI detur necessitas, ut pro signo posteriori una ex duabus contradictoriis sit determinate contingenter vera: at pari ratione datur etiam necessitas, ut DEUS ponat aliquod decretum, sive discernens, sive permittens existentiam objecti affirmati, vel eam excludens: nisi tamen velis, posse aliquid excludi à DEO per puram omissionem liberam, de quo hic non disputo; si enim hoc fieri possit, tunc antecedenter ad exercitium positivum libertatis Divinæ, attamen post exercitium negativum, posset aliquid absolute esse non futurum, & consequenter etiam aliqua ex contradictoriis, scilicet negativa, esse contingenter vera: nihil tamen posset post puram omissionem esse futurum; quia non potest dari libertas creata, nisi DEUS eam positivè velit producere; cum omnipotentia Divina non producat effectus DEO liberos, nisi à volitione DEI determinetur. Posito autem decreto, una ex contradictoriis est vera, altera falsa pro quolibet instanti reali; quia sicut pro nullo instanti reali potest dari suspensio omnis exercitii liberi Divini, ut DEUS neque velit, neque permittat, neque impediat effectum: sic etiam pro nullo instanti reali potest dari status indeterminatæ effectus. Unde etiam, quando dicitur: *antecedenter ad decretum*, non intelligitur status realis in aliquo tempore, sed tantum status præcisivus, in quo res antecedenter consideratur in statu possibilitatis, & indifferentiæ ad existendum, vel non existendum: & nondum consideratur ut habens pro suo tempore causas, à quibus producat, & per quas extrinsecè, atque causaliter futura sit, de qua re fusè agit Martinez de DEO sciente *contro. 2. disp. 2. sec. 2.*

Dices 5. Ex hoc sequitur, quod determinatio ad veritatem propositionis ultimato stet in decreto DEI. Resp. dist. illat. quod stet determinatio formalis, neg. determinatio causalis, subdist. in propositionibus affirmantibus aliquid de effectibus causarum necessariorum. om. affirmantibus aliquid de effectibus causarum liberarum, neg. illat. Determinatio formalis stat in ipso effectu, vel eius negatione. Determinatio causalis in causis necessariis potest transmitti, quod ultimo reducatur in DEUM, vel eius decretum: at non in causis liberis; nam vel supponitur dari decretum indifferens: & hoc non trahit post se effectum, quamvis iste decretum præsupponat; adeoque decretum est causa indifferens, quæ non determinat: vel supponitur decretum connexum cum effectu, & hoc est impedibile, jamque supponit saltem ut objective existentem, & à scientia media prævisam determinationem creaturæ, cui DEUS potestatem eligendi reliquit. Unde in decreto indifferenti solo non potest infallibiliter videri effectus futurus: in decreto autem connexo potest quidem videri: sed jam prius debuit videri in determinatione creaturæ, ut objective existente.

372. Ob. 3. Quilibet propositio de futuro contingente nunc est indifferens, ut sit vera, vel falsa: ergo nulla jam nunc est determinate vera. prob. ant. Sinunc non datur ablativum indifferentiæ; tunc propositio est indifferens: sed hoc nunc non datur: ergo. prob. min. Ablativum indifferentiæ est ipsum objectum futurum, vel ejus futurity: sed neutrum nunc datur: ergo. Resp. dist. ant. est indifferens indifferentiæ intrinsecè, conc. ant. indifferentiæ extrinsecè. neg. ant. & conf. ad prob. dist. maj. si non datur nunc ablativum per statum, & quidditivè. neg. maj. si neque datur per ampliationem, vel alienationem, aut denominativè. conc. maj. & dist. sic min. neg. conf. ad prob. min. conc. maj. dist. min. ut suprà. & neg. conf. Indifferentiæ intrinsecæ propositionis stat in hoc, quod propositio sit talis naturæ, ut ipsa ex se non exigat potius dari, quam non dari objectum: sicut murus ex sua natura non exigat, esse potius albus, quam ruber: & hæc indifferentiæ, nec debet, nec potest tolli, manente propositione; quia est huic identificata: sed debet, & potest determinari, sicut murus per aliquem colorem.

Indifferentiæ extrinsecæ præter intrinsecam dicit insuper præcisionem ab eo, an objectum ita se habeat, prout affirmatur, an non: & hæc indifferentiæ tollitur (prout semper tollitur totum ablata parte) per hoc, quod objectum se ita habeat, prout affirmatur. Sic in propositione: *Petrus cras peccabit*: si ea vera est, ejus indifferentiæ extrinsecæ tollitur, & intrinsecæ determinatur per hoc, quod peccatum sit futurum, sive per futurityonem peccati, quæ jam datur nunc per ampliationem, quamvis nondum detur quidditivè, seu tota per statum; nam denominativè datur nunc eatenus, quatenus nunc datur negatio, sive non existentia peccati; quæ tamen, an proprie dici possit dari per statum, cum realiter nihil sit, quasi de nomine fieri potest, de qua vide *num. 347.*

373. Dices 1. Non potest propositio determinari nunc per aliquid non existens nunc, Resp. dist. illat. Si non existat neque denominativè, om. si non existat quidditivè, neg. illat. Futurityonem autem jam existit denominativè: non autem debet quidditivè existere; quia hæc ipsa propositio exigat, ut non existat quidditivè; non enim amplius esset futurum, si jam daretur actu existentia peccati.

Dices 2. Juxta nos hæc veritas: *Petrus cras peccabit*: est essentialiter connexa cum peccato: sed nihil datur hodie essentialiter connexum cum peccato cras futuro: ergo hæc veritas non datur hodie. Resp. dist. maj. hæc veritas, quidditivè sumpta, est essentialiter connexa. conc. maj. denominativè sumpta, neg. maj. & omiff. min. quæ possit distingui per statum, & ampliationem, dist. conf. ergo non datur hodie denominativè accepta. neg. conf. quidditivè accepta. om. conf. Hodie datur negatio peccati; quæ est veritas denominativè accepta, licet non detur, saltem per statum, existentia peccati, quæ est altera pars hujus veritatis quidditivè acceptæ. Negatio autem non habet essentialem connexionem cum peccato cras futuro. Peccatum autem ipsum habet essentialem, vel connexionem, vel potius identitatem secum ipso; quare non veritas denominativè accepta, sed quidditivè tantum accepta

cepta habet essentialem connexionem, vel melius loquendo, identitatem cum peccato.

374. Ob. 4. S. Thomas asserit, DEUM videre futura ut existentia in æternitate sua: ergo non videt etiam ea in seipsis. ant. prob. ex S. Doctore 1. part. quest. 14. art. 13. in corp. dicente: *Licet contingentia fiant in actu successivè, non tamen DEUS successivè cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul; quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse; æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est. Unde omnia, que sunt in tempore, sunt DEO ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se presentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua presentia. Hic est famosus ille textus Angelici, quem Gonetius quidem ait, esse clarissimum: Capreolus autem nullam audet expositionem firmiter adstruere: Cajetanus ait, esse adeò obscurum, ut alios ante se, & seipsum per 15. annos ejus sensus latuerit. Sylvester ait, Thomistas pati maximas anxietates &c. vide Martinez *contro. 3. disp. 8. sect. 1.**

Resp. 1. neg. conf. nam, etsi DEUS futura videret hoc modo, tamen posset simul videre alio, sive in seipsis. dein dist. ant. asserit, DEUM videre futura in æternitate, tanquam in medio. neg. ant. in æternitate, tanquam faciente futura præsentia, quæ dein videntur in seipsis. conc. ant. & neg. conf. In æternitate possunt fortè videri possibiliter, non tamen absolute futura; quia cum his æternitas nullo modo connexa est, sed sine omnibus possit æternum dari. Unde S. Thomas non vult, futura videri in æternitate, tanquam in aliquo medio: sed ad summum vult, videri futura in seipsis, ut DEO in æternitate præsentia: qualem autem præsentiam S. Doctore intelligat, necdum fat liquet.

375. Cajetanus hunc textum exponit contra antiquiores Thomistas. Asserit autem, & cum ipso plures recentiores Thomistas, creaturas ab æterno jam physicè æternitati DEI coexistere, & ut ita coexistentes cognosci à DEO. Non autem vult, creaturas existere ab æterno physicè in sua mensura, seu duratione (hoc enim esset contra fidem) sed ait, existere in aliena mensura, scilicet æternitatis Divinæ: qua ratione denominatio existentis esset à forma extrinsecæ, scilicet ab extrinsecæ æternitate Divina: ferè sicut denominatio cogniti, vel vili, est ab extrinsecæ cognitione, vel visione alterius, cognoscentis, vel videntis. Sed in primis denominatio existentis non potest esse extrinsecæ; cum essentia, & existentia sint idem; 2. dō DEI immensitas non potest creaturam denominare ubique existentem: ergo neque omnimoda paritas. Dein

Hæc sententia vel tantum asserit, creaturas coexistere toti æternitati indivisibili, sed inadæquate, ut diximus *num. 153.* hoc est, pro ea temporis differentia, pro qua existunt: & sic non existunt proprie physicè ab æterno, nisi objective: vel asserit, quod creaturæ, e. g. Antichristus, non tantum pro ea temporis differentia, pro qua existet, sed etiam nunc, hodie, heri, cras &c. physicè coexistat æternitati: & est imperceptibile, quomodo physicè coexistat, quando non existit

physicè: quod tamen dici deberet: ergo S. Thomas illo dicto suo non voluit adstruere præsentiam strictè physicam, sed tantum objectivam, uti nostri communiter explicant. vide Martinez *contro. 3. disp. 8. præsertim sect. 4.*

376. Dices 1. Si Angelicus intelligeret tantum præsentiam objectivam, ejus argumentatio esset hæc: DEUS futura ab æterno videt; quia ea ab æterno videt: quod esset frivolum. Resp. neg. illatum: ad summum sequeretur, quod esset ista: DEUS futura videt ab æterno; quia omnia ab æterno respectu ipsius sunt cognoscibilia, & etiam ejus cognitio est ab æterno; neque enim præsentia, vel existentia objectiva, & intentionalis sunt idem: posterior quidem est cognitio rei: sed prior est cognoscibilitas rei, sive ipsa res, quæ jam datur ab æterno per ampliationem. In ista autem argumentatione nihil est frivolum: optime verò dicitur, argumentationem S. Thomæ esse illam, quam insinuat verbis citatis *num. 354.* scilicet: DEUS est æternus: ergo aliquando illi creatura est præsens: ergo tunc eam videt tanquam præsentem: atqui, si semel eam videt præsentem, semper, adeoque ab æterno, videt præsentem, sed pro sua temporis differentia.

Dices 2. S. Doctore ait, DEUM videre futura, non tantum; quia habet rationes rerum: sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia: ergo videt non tantum ut præsentia objective in rationibus, aut ideis suis. Resp. Præsentia objectiva est varia pro varietate cognoscibilitatis rerum. In ideis, vel rationibus, à S. Doctore hic significatis, res sunt cognoscibiles per scientiam simplicis intelligentiæ ut factibiles: in seipsis sunt cognoscibiles per scientiam visionis ut existentes pro sua temporis differentia. Adstruit igitur S. Doctore in DEO utramque scientiam de futuris ab æterno ob duplicem eorum præsentiam objectivam, non verò strictè physicam.

Dices 3. DEUS videt ab æterno futura intuitivè: ergo debent physicè esse præsentia. Resp. dist. conf. aliquando. conc. conf. ab æterno, & semper. neg. conf. Cognitio intuitiva ex Martinez de DEO sciente *disp. 8. sec. 3.* est illa, quæ terminatur immediate ab ipso objecto, ut existente in sua temporis differentia, sive, per quam cognoscitur immediate in se objectum, quod aliquando existit: sic, ut habet idem auctor, cognoscimus etiam intuitivè præterita, si de ipsis habemus species immediatas, & non tantum abstractivas: non autem requiritur, ut objectum etiam tunc existat, quando intuitivè cognoscitur; hoc enim gratis requireretur. Idem dicit Arriaga de DEO *disp. 20. sec. 2. n. 13.* & hoc teste communiter omnes.

377. Ingeniosus Recentior in manuscriptis, explicaturus præsentiam creaturarum in æternitate DEI, asserit in primis autoritatem Patrum dicentium, DEO ab æterno omnia esse præsentia, ut S. Augustini *lib. 15. de Trinit. cap. 7.* ubi ait: *Novit DEUS omnia, ita, ut nec ea, que dicuntur præterita, ibi præterant, nec ea, que dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant, sed præterita, & futura cum presentibus sint cuncta presentia.* item S. Gregorii *cit. num. 365.* Hac autoritate supposita, ea posse dici, ait, realiter præsentia, quæ cognoscuntur intuitiva cognitione: ad quam præter ea, quæ nos *num. antec.*

requisivimus, requirit insuper, ut cognitio coexistat ipsi rei, pro sua temporis differentia existentis. Probat autem hoc suum assumptum autoritate Angelici, & paritate ab eodem adducta 1. parte quæst. 8. art. 3. in corp. ubi sic habet. *Per præsentiam verò suam dicitur aliquid esse in omnibus, quæ in prospectu ipsius sunt: sicut omnia, quæ sunt in aliqua domo, dicuntur esse præsentia alicui, qui tamen non est secundum substantiam suam in qualibet parte domus;* unde ait hic auctor, modò aliquid intuitivè videatur, etsi distet loco, jam dici realiter præsens: ex quo inferit, dici posse physicè præsens, quod intuitivè videtur, etsi distet tempore. Quam tamen ipsam præsentiam vult, formaliter non stare in ipsa cognitione, vel visione intuitiva: sed potius in objecti aptitudine ad terminandam talem cognitionem, vel in tali ejus cognoscibilitate.

378. Si obijciatur, hac ratione tamen adhuc aliquid respectu DEI reverà futurum (nam non admittit, creaturas physicè DEO in istius æternitate coexistere) reponit, nihil esse strictissime futurum, seu in eo sensu, in quo id SS. PP. sumunt: ait enim, ad strictissime futurum requiri durationes adæquatè diversas, ut scilicet duratio rei futuræ nullatenus coexistat durationi rei, per quam hæc denominatur prior: at hoc non contingit respectu DEI; cum omnis creata duratio coexistat æternitati Divinæ, quæ tamen DEUM denominat priorem: sicut, ait, etiam ad distantiam requiruntur duæ ubicationes adæquatè diversæ; nam creatura non distat à DEO, nec pes ab anima, licet DEUS sit, ubi creatura non est, & anima, ubi pes non est. Si ulterius obijciatur, hac ratione etiam res existentes Ingolstadii esse DEO realiter præsentem Romæ, cum etiam ibi DEUS eas intuitivè videat, concedit auctor sequentem: & sanè respectu DEI aliquid longè minus est distantia Ingolstadii, & Romæ, quam respectu ejus, qui in domo existit, distantia unius, vel alterius passus.

Id solum adhuc difficultatem habet, quòd admitti debeat, etiam Angelo posse aliquid futurum, & nondum existens, præsens esse realiter; cum possit habere, imò probabilius habeat, cognitiones intuitivas plurimum possibilium, & futurorum. Resp. hic Author, cognitionem Angelicam, cum minimam durationem habeat, non durare, usque dum futurum existat, adeoque nunquam rei futuræ coexistere, uti tamen coexistit cognitio DEI æterna: sed gratis supponitur ista duratio minima, & non video, cur saltem non possit cognitio Angelica, sive dein duratione divisibili, sive indivisibili, durare aliquandiu, donec futurum existat; unde videtur, negari non posse, quòd hæc realis præsentia etiam respectu Angeli, vel absolutè etiam respectu alterius creaturæ, possit dari: quod tandem etiam hic auctor transmittit. Multum hæc opinio habet de modo loquendi, & quia videtur bene exponere dicta SS. PP. ei me non oppono: manet tamen semper verissimum, quòd DEUS, etiam stante hac qualicumque reali præsentia, videat futura in se ipsis; cum hæc ipsa præsentia stet in eorum cognoscibilitate in seipsis, quæ determinat ad cognitionem intuitivam futurorum in seipsis: unde conclusio nostræ minimè opponitur.

379. Tandem ad solvenda alia argumenta,

quæ afferri solent pro physica præsentia rerum in æternitate: Nota 1. modò, æternitatem non defini, nec etiam formaliter esse, possessionem temporis extrinseci, sed vitæ interminabilis. 2. dò, æternitatem neque esse mensuram temporis, nisi in actu 1. vel ex suppositione, quòd tempus existat; hinc, licet ab æterno non mensuraverit àctū creaturas, non fuisse defectum ex parte ipsius, sed ex parte creaturarum: sicut scilicet ulna non est in se imperfecta, si non mensuret panum nondum existentem. 3. non quidem posse aliquid coexistere toti alicui æternitati successivæ, & divisibili, quin existat æternum, posse tamen coexistere æternitati indivisibili, quin sit æternum; nam in priori casu, si res non esset æterna, non coexistere omnibus partibus æternitatis: in 2. dō auctem, cum æternitas non habeat partes, potest coexistere toti, sed inadæquatè. vide num. 153.

QUÆSTIO IV.

De Scientia Media.

ARTICULUS I.

An DEUS videat contingentia conditionatè futura.

380. Notandum 1. veritatem conditionatam tria dicere, scilicet conditionem, conditionatum, &

habitudinem unius ad alterum. Si conditio est necessaria, vel, quamvis in se contingens sit, tamen præfert habitudinem necessariam cum conditionato, hoc est, si datur necessaria connexio inter conditionem, & conditionatum, tunc propositio est necessaria, spectatque ad scientiam simplicis intelligentiæ, ut explicatum num. præced. Aliquando autem conditiones videntur disparatæ, & reipsa non sunt: e. g. si gallus cantabit, s. Petrus stabit; quia non nudus cantus Galli est conditio, sed subintelligitur cantus Galli, ut revocans in memoriam prædictionem Christi de trina negatione, & auxilium DEI &c. quæ est conditio utique conduens: de qua re vide Ulloam tom. 1. de DEO disp. 3. num. 167.

381. Notandum 2. dò, objectum scientiæ conditionalis esse tam conditionem, sub qua aliquid affirmatur, aut negatur, quam conditionatum, quod affirmatur, vel negatur. Quamvis autem scientia conditionalis aliquid affirmet, vel neget sub aliqua conditione, tamen non negat, vel affirmat ipsam conditionem; aliàs enim purificaretur conditio, essetque scientia non conditionalis, sed absoluta. Hinc ad veritatem istius scientiæ, vel propositionis conditionalis non requiritur existentia conditionis: imò potest propositio talis esse vera, etiam si conditio sit impossibilis: ita S. Thomas 1. parte quæst. 25. art. 3. ad 2. ajens: *Nihil enim prohibet, conditionalem esse veram, cujus antecedens, & consequens est impossibile, sicut si dicatur: si homo est asinus, habet quatuor pedes.* Addendum, quòd, sicut DEUS per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit etiam existentia, sed sub ratione possibilium, ut dictum num. 364. ita etiam per scientiam conditionatam cognoscat actū futura, vel existentia, sed tantum sub ratione conditionatæ futurorum. Certè debet prius videre actus nostros liberos conditionatè futuros, etiam illos, qui absolutè futuri sunt, ut infra fusè dicetur. Insuper per hanc scientiam videt etiam illa, quæ absolutè nunquam sunt futura: futura tamen fuissent, si conditio posita fuisset. His notatis

382. Dico. DEUS certè, & infallibiliter cognoscit omnia contingentia conditionatè futura. ita defecto Theologi omnes, quidquid olim aliqui visi sint sentire, de quo videri potest Gormaz de DEO num. 549. & Hennao de scient. med. historice propugnata eventuatione 2. num. 75. Probatur 1. In sacris Scripturis pluribus locis DEUS re-

ligentiæ, si affirmant aliquid possibile, sicut scilicet propositiones absolutæ. Aliquando verò propositiones prima specie videntur aliquid sub conditione contingentis, vel etiam disparata affirmare, & tamen conditio est necessaria; quia involvitur decretum DEI efficax, volentis aliquid sub certa conditione facere, vel non. sic se habet illa promissio DEI ad Abraham Gen. 18. v. 28. quòd velit parcere Sodomitis, si decem probi in ea urbe inventi fuerint, dicens: *Non delebo propter decem.* & illa propositio Christi Domini Joann. 16. v. 7. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos;* quæ propositio facit hunc sensum: DEUS absolutè decrevit, ut, si ego non abiero, Paraclitus non veniat. item illa 4. Reg. 13. v. 19. *Elisæi ad Joas Regem Israël: Si percussisses sagittâ quinquies, aut sexies, sive septies &c. percussisses Syriam usque ad consumptionem:* quæ conditio, ex se disparata, facta est necessaria ob decretum DEI, volentis sub ea conditione Syros delere. Et hæc veritates, quatenus dicunt decretum DEI existens, spectant ad scientiam visionis: in quantum autem dicunt aliquid conditionale sub conditione necessaria decreti efficacis, spectant ad scientiam simplicis intelligentiæ, ut explicatum num. præced. Aliquando autem conditiones videntur disparatæ, & reipsa non sunt: e. g. si gallus cantabit, s. Petrus stabit; quia non nudus cantus Galli est conditio, sed subintelligitur cantus Galli, ut revocans in memoriam prædictionem Christi de trina negatione, & auxilium DEI &c. quæ est conditio utique conduens: de qua re vide Ulloam tom. 1. de DEO disp. 3. num. 167.

383. Dico. DEUS certè, & infallibiliter cognoscit omnia contingentia conditionatè futura. ita defecto Theologi omnes, quidquid olim aliqui visi sint sentire, de quo videri potest Gormaz de DEO num. 549. & Hennao de scient. med. historice propugnata eventuatione 2. num. 75. Probatur 1. In sacris Scripturis pluribus locis DEUS re-

velavit contingentia conditionatè futura, quæ nunquam absolutè facta sunt: ergo debuit illa præscire. ant. prob. 1. Reg. 23. v. 11. David consuluit Dominum, an, si ipse maneret in urbe Ceila, Saul esset descensus ad eum capiendum: item: an cives essent eum tradituri in manus Saulis: & respondit Dominus, Saulem descensurum, & cives Davidem tradituros; quare David fugit: quo audito, Saul non amplius descendit, nec cives Davidem tradiderunt: ergo revelavit DEUS duo tantum conditionatè, non autem absolutè futura.

Similiter Christus Dominus Math. 11. v. 21. revelavit, Tyrios, & Sydonios penitentiam fuisse acturos, si signa, & prodigia apud eos facta fuissent, quæ facta sunt in Corozaim, & Bethsaida: quæ tamen signa apud eos absolutè facienda non erant: nec penitentia eorum fuit absolutè futura. Rursus Sap. 4. v. 11. de justo dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus:* ergo DEUS prævidit, hunc justum fuisse peccaturum, si non abriperetur: quod tamen peccatum impeditum fuit per celerem raptum. Plura vide apud Hennao in scientia media Theologicè propugnata sect. 2. § 5. & sequent. SS. PP. quoque eandem scientiam passim adstruunt, quorum textus aliquos infra dabimus.

384. Prob. conclusio 2. iisdem rationibus, quibus probavimus, DEUM cognoscere absolutè futura num. 355. scilicet, quòd una ex contradictoriis propositionibus, etiam conditionatis, debeat esse determinatè vera: item num. 352. quòd DEUS aliàs non esset perfectissimus gubernator; quia nisi cognosceret contingentia conditionatè futura, non posset disponere de ulla re, nisi cæco, vel certè executivente modo, sicut homines, qui ex carentia hujus scientiæ sæpe impingunt, & in suis conjecturis sæpe falluntur: quod præsertim DEO accideret circa actus nostros liberos, quos salva libertate non potest antecedenter ad scientiam conditionatam prædefinire. Prob. rursus ex universalissima praxi piorum, & Ecclesiæ; quorum preces sæpissime fiunt sub hac conditione: *SIDEUS scit, hoc, vel illud profuturum anime salutis:* ergo supponitur, DEUM habere scientiam conditionatam de utilitate, vel damno animæ, etiam tantum conditionatè futuro; si enim DEUS aliquando post constantes preces rem petitam tamen negat, censent fideles, DEUM præcivisse, eam futuram fuisse noxiam animæ, & ideo misericorditer negasse.

385. Dices, DEUM habere quidem scientiam conditionalem de iis, quæ revelavit in sacris Scripturis, non verò de aliis. Contra est: Sicut ex revelatis aliquibus, comparative paucis, absolutè futuris inferitur, DEUM omnia absolutè futura nosse: ita inferri debet ex revelatis conditionatis, eum etiam nosse omnia conditionatè futura. Dein rationes probant omnimoda de omnibus præscientiam, quam etiam SS. PP. clarè docent, præsertim S. Augustinus, qui tract. 73. in Joan. sic ait: *Malè usus id, quod vult accipere, DEO miserante non accipit:* ergo DEUS habet scientiam de conditionatè futuro abusu, quem deus, & simul scientiam visionis de eo, impedit. Idem lib. de corrept. & gratia cap. 8. dum occasione illius Sap. 4. *Raptus est &c.* querit, cur alii etiam, dum boni essent, non rapti sint, antequam peccarent,

carent, & perirent, sic ait. *Respondent, si possunt, cur illos DEUS, cum fideliter, & pie viverent, non tunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne scilicet deciperet animas eorum: utrum hoc in potestate non habuit? an eorum mala futura nescivit? nempe nihil bonum, nisi perversissimè, atque insanissimè dicitur.* ergo manifestè supponit, DEUM istorum peccata præcivisse tali scientiâ, qua illuminatus potuisset ea impedire, & consequenter etiam scientiam visionis de ipsis: ergo ea vidit ut conditionatè futura, antequam viderit absolutè futura. Ista tamen in Scripturis revelata non fuerunt; quia infiniti mali usus, & infinitorum non raptorum in innocentia, sed pereuntium in suis peccatis, actus peccaminosi revelati non sunt, & par est ratio de omnibus aliis rebus. Et quis neget, DEUM scire, an Christus venisset, si Adam non peccasset? quis neget, DEUM adhuc longè plura conditionata revelare potuisse?

Quod autem hæc scientia debeat esse infallibilis, patet ex eo, quod DEUM dedecet omnino cognitio fallibilis: dein ex eo, quod hæc ratio ejus providentia esset exposita periculo erroris, sicut gubernatio humana. Accedunt Scripturæ; nam 3. *Regum 11. v. 2.* dicitur, DEUM dixisse, quod uxores alienigenæ certissimè essent averisuræ filios Israël. Et hoc dictum est relatè ad alium textum *Exodi 34.* ubi tamen particula certissimè non est addita, ergo signum est, quod, quandocumque DEUS aliquid revelat conditionatè, id faciat infallibili certitudine. Accedunt etiam SS. PP. quos hinc inde afferemus.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

386. **O**B. 1. Scientia conditionalis aliquid fingit: ergo est imperfecta, & DEUM dedecens. *prob. ant. Dicere: Si Petro occurrat, ejus inimicus, ille hunc occidet, est idem, ac dicere: Ponamus existere occursum inimici. Scilicet: sed hoc est fingere, seu cognoscere conditionem per modum existentis: ergo. Confirm. 1. Scientia conditionalis ex conditione inferit conditionatam: ergo est discursiva, adeoque DEO non conveniens. Confirm. 2. Hæc scientia est conceptus compositivus; quia componit conditionem cum conditionato: ergo repugnat DEO. Resp. neg. ant. ad prob. neg. maj. non enim per modum existentis, sed tantum per modum requisiti, aut conducentis, cognosci à DEO debet conditio, sicut etiam cognoscitur à scientia simplicis intelligentiæ. An aliquando cognitio creata ita fingat, parum sum sollicito. Ad 1. confirm. neg. ant. quia cognitio conditionis non illuminat DEUM ad cognoscendum conditionatum necdum notum. vide dicta num. 281. & 297. & seq. imò neque in conditione contingenti DEUS potest conditionatum cognoscere; quia non est medium infallibiliter connexum.*

Neque etiam verum est, quod veritas cuscunque propositionis conditionalis stet in bonitate illationis, seu consequentiæ, ita, ut ex conditione rectè inferatur conditionatum; hoc enim tantum est verum in propositionibus condi-

itionalibus necessariis, non autem in contingenti- bus; nam istæ non afferuntur in sensu illativo, hoc est, inferente ex connexionem conditionatum: sed purè enuntiativo, hoc est, enuntiante rem futuram sub conditione conducente. Quare DEUS debet conditionatum videre in se ipso, ut inferius dicemus: fundaturque infallibilitas hujus scientiæ, tum in intrinseca perfectione essentiæ Divinæ, non potentis, nisi infallibiliter cognoscere, tum in ipsa futuritione conditionata objecti, posita tali conditione, quæ necessitate consequente non potest non esse. Ex eo autem, quod non sit necessaria necessitate antecedente, adeoque possit absolutè non esse, tantum sequitur, hæc scientiam esse impeditibilem, non autem fallibilem; quia, si non esset res illa futura, DEUS tunc cognosceret non futuram. Ad 2. confirm. neg. ant. quia est unus indivisibilis conceptus, & simplicissimus actus, simul cognoscens plura, scilicet conditionem, & habitudinem eorum ad invicem.

387. **O**B. 2. Scientia conditionalis est præcivisa: ergo repugnat DEO. Resp. 1. retorq. argumentum in scientia simplicis intelligentiæ. Resp. 2. dist. ant. est præcivisa realiter sumpta, neg. ant. formaliter, aut virtualiter sumpta. subdist. est præcivisa præcivisione propriè dicta, seu dicente aliquam abstractionem. neg. ant. dicente tantum aliquam indeterminatorem. om. ant. & neg. conf. Vel scientia hæc versatur circa objectum tantum conditionatè futurum; & non est præcivisa, nisi improprè; quia cognoscit objectum quantum cognoscibile est: & licet fortè non cognoscat conditionatum in individuo, tamen ille modus cognoscendi non est abstractivus, sed tantum indeterminatus, de quo plura *art. 4. ad object. 5.* Vel versatur circa objectum absolutè futurum, aut etiam existens: & iterum, realiter sumpta, non est præcivisa; licet enim cognoscat ut conditionatè futurum, tamen realiter simul cognoscit ut absolutè futurum, aut existens; quia scientia conditionalis in hoc casu habet realiter identificatam scientiam visionis.

Quamvis autem juxta valde probabilem multorum sententiam detur distinctio virtualis inter scientiam mediam, & visionis, tamen hæc nulloatenus obest perfectissimæ identitati reali, ut patet in Divinis Personis, & essentia Divinæ; nam non minus e. g. Filius Divinus est omnipotens, quam natura Divina; vel ipsa omnipotentia, quamvis ab his virtualiter distinguatur. Sic quoque scientia conditionalis, vel etiam simplicis intelligentiæ, in sensu reali non minus videt rem existentem ut talem, quam scientia visionis; quia virtualis distinctio tantum excludit eas denominationes ab alterutro ex ita distinctis, quorum unum realiter capax non est, quamvis sit alterum: atque casu, quo objectum est absolutè futurum, tunc in DEO tam scientia media, quam visionis, quin & scientia simplicis intelligentiæ, in sensu reali vident, & conditionatè, & absolutè objectum, sive statum conditionatum, & absolutum ut talem objecti. Aliud est, quod nos imperfectè cognoscendo scientiam mediam, apprehendamus eam quasi præcivisam: & sic ipsa in sensu aliquo formaliter sit præcivisa: hoc autem non arguit imperfectionem in cognitione Divina; sed tantum in nostra,

388. **D**ices. Saltem, quando objectum est absolutè futurum, est inutilis, ridicula, & DEO indigna cognitio conditionata; nam lepidè quis, dum actum scribit, diceret, si haberem calamam, scriberem. Resp. iterum totum retorqueri in scientia simplicis intelligentiæ: dein nego illatum: Non esset absurdum ad descriptionem dicere, si haberem calamam, scriberem: & si cognitio, semel concepta, deberet etiam esse æterna in homine, non foret absurdum, eandem etiam cum actuali scriptioe perseverare: atqui in DEO omnis cognitio necessariò est æterna. Insuper hæc cognitio conditionata debet in DEO dari, tum quia hic rem debet omni modo possibili cognoscere, tum quia illa debet præcedere decretum DEI, ut infra dicemus, ubi ejus utilitatem monstrabimus. Si semel autem existat, debet manere etiam cum scientia visionis. Accedit, quod in DEO una cognitio non impediatur alteram; at verò homo ob limitatam potentiam non possit omnia simul cogitare: quare, licet homo cesset à cognitione conditionata, ne impediatur ab absoluta, aut aliis magis utilibus, non ideo debet DEUS cessare.

389. **O**B. 3. Scientia conditionalis est tantum apprehensio conditionis, non verò affirmatio: ergo est imperfecta. Conf. Per cognitionem tantum conditionalem redderet DEUS suspensus, & nesciens, an res sit absolutè futura, vel non: hæc est magna imperfectio: ergo. Resp. iterum retorquendo argumentum in scientia simplicis intelligentiæ. Resp. 2. neg. ant. saltem eo in sensu, in quo à Logicis sumitur apprehensio simplex pro prima mentis operatione, quæ nihil affirmatur, aut negatur; nam reverà DEUS judicat per scientiam mediam, rem conditionatè futuram, vel non: licet absolutè non judicet, conditionem dandam, vel non. Et hoc fit per scientiam mediam formaliter acceptam, seu per nostrum conceptum præcivisum consideratam. At verò, quia in sensu reali semper scientiæ mediæ identificata est alterutra scientiæ visionis de absoluta futuritione, vel non futuritione conditionis, & conditionati; hinc in sensu reali DEUS semper simul absolutè judicat, conditionem, & conditionatum vel exiturum, vel non exiturum: & sic in sensu reali DEUS nunquam est suspensus. Quòd autem à nobis in signo scientiæ mediæ concipiatur præcivisè suspensus, sive necdum determinatus ad ullam scientiam visionis, non probat DEUM esse imperfectum, sed nostram cognitionem: ex quo patet etiam responsio ad confirmationem.

390. **O**B. 4. Hæc propositio: *Si Petrus vocetur auxilio A, consentiet:* æquivaleret huic: *Causus vocationis est casus consensûs.* sed hæc non spectat ad scientiam conditionalem contingentem: ergo nulla; quia aliæ eodem modo similibus æquivalent, prob. min. vel propositio sumitur universaliter, & est falsa, ut patet: vel sumitur particulariter, & est necessariò vera; quia necessariò aliquis casus vocationis est casus consensûs; nam casus vocationis conjunctus cum consensu etiam est aliquis casus vocationis, & est necessariò casus consensûs. Resp. omni. maj. neg. min. ad prob. neg. utrumque membrum; nam debet sumi singulariter, ut sensus sit: *Hic casus vocationis scilicet.* (nam utique DEUS habet scientiam

de individuo auxilii, & libertatis) & debet sumi casus vocationis specificativè acceptus, ut ex parte subjecti veniat tantum datio auxilii specificativè accepti: tunc ruunt omnia illata. videatur Ulloa *de DEO disp. 3. cap. 8. num. 169.*

Nec dicas, scientiam mediam non attingere individuum; Resp. enim. Etsi non attingat individuum ex parte conditionati, seu actus liberi creaturæ futuri, attingit tamen individuum libertatis, vel auxilii, à DEO solo liberè dandi: quin imò etsi non attingeret individuum auxilii, sed tantum speciem infimam, tamen non esset necessarius consensus; cum sub tota aliqua specie auxiliorum possit prævideri, & sæpe prævideatur dissensus.

391. **O**B. 5. Possit dici, DEUM quidem subjective scire certè contingentia conditionatè futura, non verò certè scire objective: ergo. Resp. neg. ant. vel enim per hoc intelligitur, quòd in DEO, tanquam certo aliquo subjecto, detur aliqua cognitio, sed eum non certificans de objectis contingentibus conditionatis: & sic quævis cognitio, etiam falsa, est certa subjective: vel intelligitur, quòd DEUS quidem certè cognoscat conditionem, non verò conditionatum: & sit abusus vocabulorum; nemo enim dicit, quòd, qui certè cognoscat adesse nubes, nescit autem, an secutura sit pluvia, habeat cognitionem certam de futuritione intrinseca pluviarum, etiam tantum conditionali: vel tandem intelligitur, quòd DEUS talia objecta cognoscat in decreto subjective absoluto, objective autem conditionato: & sic jam admittitur scientia certa de futuris contingentibus, quaquam hic modus cognoscendi conditionata libera probabilis DEO repugnet, de quo infra.

392. **O**B. 6. Possit dici, DEUM non cognoscere certè eventus ipsos conditionatè futuros; sed tantum inclinationem causarum ad illos. Resp. in Scripturis citatis num. 393. non revelatur tantum inclinatio causarum, sed ipse effectus; aliàs DEUS respondisset, quod non quærebatur, Sciebat utique David Saulem inclinatum ad descendendum; cum, ut ibi dicitur, Saul præcepit omni populo, ut descenderet in Ceilam, & David hoc audiverit: unde interrogavit de ipso descensu, & ipsa traditio: verba Davidis sunt ista. *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus, & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus, responditque DEUS: Descendet: tradent.*

Certè non aliter respondit DEUS eodem loco 1. *Reg. 23. v. 4.* eidem Davidi quærenti, an DEUS traditurus esset in manus suas Philistæos; respondit enim: *Tradam Philistæos in manu tua:* quo casu revelavit ipsum eventum postea secutum: ergo etiam in priorè casu: vel etiam possit negari, quòd eventum revelaverit in hoc secundo, & sic eluderetur omnis vis prædictionis Divinæ; quia DEUS sapissime tantum prædiceret, quod quilibet homo dicere posset, vel quod aliunde jam notissimum: quæ sunt DEO indigna. Rursus, vel DEUS revelavit tantum inclinationem causarum præsentem, e. g. Tyriorum ad penitentiam, & hæc potest mutari quovis tempore, nihilque prodest revelatio: vel revelavit inclinationem futuram sub conditione, si miracula ibi herent: & est eadem difficultas, ac de ipso eventu, ut patet consideranti,

393. Ob. 7. In sacris Scripturis, ubi revelantur conditionate futura, sæpe adhibetur particula forte: ergo de illis datur tantum scientia conjecturalis in DEO. ant. prob. *Math. 11. v. 23.* ait Christus. *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, urbe Capharnaum, forte mansissent usque in hunc diem.* Genes. 3. v. 12. ait DEUS de Adamo. *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vite.* &c. Resp. neg. conf. audiatur S. August. tract. 37. in Joannem, ubi ait: *Ille, qui omnia scit, quando dicit: forsitan: non dubitat, sed increpat. . . . Dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante, quia nesciente. Cùm verò dicitur à DEO verbum dubitationis, cùm DEUM nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas. Similia habent SS. Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, alique. PP. complures apud Hennao de scientia media theologice propugnata sect. 10. Adde, particulam forte quoque adhiberi à DEO in rebus, quas esse ei notas dubitare non possumus, ut, cùm Christus dicit Joann. 8. v. 19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.**

Dices, DEUS Exod. 4. v. 8. ait Moyse, quòd si Judæi non sint credituri signo primo, credituri sint secundo: ergo non infallibiliter scivit, an primo signo sint credituri, an non. Resp. neg. conf. potest enim facile dici cum Suarez in Opusculo de scientia conditionata l. 2. cap. 1. num. 12. DEUM præcivisse, aliquos primo, alios secundo signo credituros, adeoque de pluribus signis providisse: vel dic cum Abulensi, DEUM locutum esse more humano ad valde contentandum (ut ait hic Author) Moyse, quem pluribus signis voluit securissimum reddere.

394. Ob. 8. S. Augustinus lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 14. exponens illud Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. ait: Dicitur enim secundum pericula vite & hujus, non secundum præscientiam DEI, qui hoc præcivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Resp. ut notat Eximius in Opusculis l. 2. de scientia futurorum condit. contingent. c. 2. n. 8. & ex ipso Gormaz de DEO num. 557. vox præscientia, vel verbum præscire aliquando ab antiquis sumitur pro omni scientia præcedente objectum: aliquando strictius tantum pro scientia antecedente objectum, re ipsa postea secuturum. Sic Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 2. cap. 16. ait. *Ipsa, que præscientia est, scientia fuisset, etiam si præscientia non fuisset, quoniam futurum aliquid non fuisset.* Item S. Prosper in celebri epistola ad S. Augustinum culpatur in Semipelagianis, quòd conditionate futura dicant præcisa, & sic habet. *Sed in tantum quibuscumque commentis meritis electionem DEI subjiciunt, ut, quia præterita non exstant, futura, que non sunt futura, consingant, novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præcisa sint, & præcisa non adta sint.* vid. Martinez contro. 4. disp. 1. sect. 1.

395. Hanc autem præscientiam, strictius dictam, tantum hoc loco negat S. Augustinus, non verò negat eam in priori sensu, ut patet ex num. 393. ubi clarè assertit S. Doctor, Christum scivisse infallibiliter futura conditionata, etiam quæ revelata sunt cum particula forsitan. & ex num. 385. ubi docet, DEUM vidisse conditionate quorundam

mala, ita, ut potuisset per raptum ea impedire, quòd non potuisset itante scientia visionis: ergo pro priori ad hanc habuit de iis aliam scientiam, scilicet conditionatam, quæ repræsentabat ea, ut conditionate futura, & ab actuali existentia adhuc impedibilia. Rursus lib. de bono perseverantia. c. 9. ait. *Nunquid possumus dicere, etiam Tyrios, & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cùm eis ipse Dominus attestetur, quòd acuri essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent Divinarum illa signa virtutum.* Ubi ex testimonio DEI infert ista infallibiliter futura fuisse, adeoque manifestè supponit, ea à DEO infallibiliter præcisa fuisse.

ARTICULUS III.

An DEUS futura contingentia conditionata videat per Scientiam Mediam.

396. Scientia Media est, qua DEUS infallibiliter cognoscit veritates conditionatas contingentes in se ipsis, nullo præcedente decreto DEI libero, actualiter existente, & aliquid de iis decernente. Hanc scientiam negant Thomistæ, & ejus loco adstruunt aliquod decretum DEI, tanquam medium videndi dicta futura. Distingunt autem duplex decretum. Unum vocant simpliciter absolutum, quòd non tantum absolute in DEO existit, sed quo etiam DEUS simpliciter, absolute, & absque limitatione statuit, ut res aliqua sit. Tale est decretum e. g. de creando mundo: & in hoc dicunt, videri absolute futura. Alterum vocant subjective absolutum, & objective conditionatum: hoc est, decretum absolute in DEO, quasi in subiecto, existens, sed objectum suum conditionate tantum decernens; si scilicet talis, vel talis conditio ponatur. Tale juxta ipsos est e. g. decretum in DEO absolute existens, at non absolute, sed tantum conditionate decernens pœnitentiam Tyriorum, si que tendens. *Ego prædetermino, ut, si coram Tyriis Christus miracula faciat, convertantur.* Hoc decretum, juxta modernos Thomistæ, efficacè, & inimpedibile est, estque medium, in quo juxta eosdem DEUS infallibiliter videt contingentia conditionata futura. At nostri hoc negant, & adstruunt scientiam mediam.

397. Dico itaque cum omnibus nostris, & pluribus aliis. Datur in DEO scientia media. Conclusio prob. 1. sic. Etsi DEUS cognosceret ista conditionate futura in alio, tamen posset etiam cognoscere in se ipsis, ut diximus de possibilibus in ordine ad scientiam simpliciter intelligentiæ num. 323. nam habent etiam ista determinatam veritatem in se ipsis; quia etiam non possunt verificari contradictoria de conditionate futuris, sicut non possunt de absolute futuris: de quo vide num. 355. & 384. ergo. Hæc est ratio doctissimi Idiotæ Abbatis Cellensis ex ordine Canonici. Regul. S. August. tract. de oculo mystico cap. 15. n. 12. apud Martinez de DEO scientie contro. 4. disp. 3. sect. 2. sic scribentis: *Nec tantum oculus DEI ea prospicit, que aliquando erunt, sed etiam, que re ipsa non erunt, essent tamen. & aliquid*

An Deus futura contingentia conditionata videat per Scientiam Mediam. 79

aliquid aliud poneretur: & post pauca rationem subjungit: *Nimirum illud, quòd fieret, aut non fieret, si conditio aliqua poneretur, est aliquid verum determinate; non enim utrumque contradictorium, aut neutrum, sed alterum duntaxat verè tunc accideret: cùm igitur oculus Divinus perspiciat omne verum, non potest DEUS hoc ignorare.* Confirm. Non potest DEUS actum nostris liberos conditionate futuros videre in alio tanquam medio: ergo debet videre in se ipsis, prob. ant. Omnis causa antecedens, & totus actus primus proximus est indifferens ad actum liberum: ergo non potest hunc in iis videre &c. nec est assignabile aliud medium. Si dicas, esse decretum subjective absolute, & objective conditionatum. Resp. hoc decretum non posse admitti, ut infra probabimus.

398. Prob. conclusio 2. Admissa scientia media, inprimis nullum sequitur inconveniens. 2. Solvuntur commodius, quam in aliis sententiarum difficultates circa libertatem. 3. Salvatur dominium DEI in nostros actus liberos: ergo debet admitti. Ant. quoad 1. partem patebit ex solutione objectionum. Quoad 2. probatur ex eo, quòd positâ scientia media, planè explicetur, quomodo possimus resistere gratiæ, eique dissentiri; quia scilicet non est ex se necessarium connexa cum consensu, & connexio, quam habet ratione scientiæ mediæ, vel decreti prædefinitivi, est impedibilis. Quoad 3. probatur sic. Nulla creatura est, quæ non prævideatur per scientiam mediam multis auxiliis confutura: ad esse modò DEUS illa velit dare, potest pro libitu actum quemvis obtinere: adeò, ut cor hominis sit proflus in manu DEI, tanquam plenissimè Domini.

399. Prob. conclusio 3. ex S. August. cujus præsertim auctoritatem adversa pars sibi modis omnibus vendicare conatur. Hic lib. 1. ad Simplicianum quest. 2. per totam (quæ ultimam legetur ab omnibus adversariis) fusè, & copiosè disputat, quomodo bene operans non possit sibi attribuere sua merita: sed debeat ea adscribere DEO, juxta illud Roman. 9. v. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI:* aitque, ibi esse intentionem Apostoli ostendere, quòd nemo debeat de operum suorum meritis gloriari: qua occasione multos modos assertit conciliandi gratiam cum libertate, eosque refellit. Inde explicat gratiam, seu misericordiam DEI valde fusè, sed per hoc, quòd DEUS volens hominem efficaciter trahere, det ei gratias, per scientiam mediam prævisas congruas.

Primo itaque loco cit. sibi objicit, cùm positum sit in hominis potestate, obedire vocationi, vel non, cur non etiam dici possit: *Igitur non miserentis DEI, sed volentis, atque currentis est hominis:* & respondet per hæc verba: *An forte illi, qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut & illud verum sit: multi vocati, pauci electi: ut, quamvis multi uno modo vocati sint, tamen, quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiende reperiunt idonei.* Ex quibus verbis habemus 1. non adstrui à S. Doctore prædeterminationem, vel decretum absolute prædeterminans, nec etiam conditionate prædeterminans (quòd adjecta inimpedibiliter

purificatione conditionis idem facit, ac prius) nam alias omnes uno modo vocati, hoc est, per gratiam prædeterminantem, sequerentur: aut certè sequentes, & non sequentes non eodem modo vocati essent. 2. Habemus, adstrui scientiam mediam; nam dicere eos sequi, qui reperiuntur idonei, est idem, ac dicere, sequi eos, qui erant conditionate prævisi consensuri, seu quibus idem modus vocandi prævisus erat futurus congruus, qui aliis, qui non sequuntur, non erat ita congruus prævisus.

Non autem te turbet in hoc textu particula forte; non enim est dubitantis, sed interrogantis; cùm enim in sequentibus S. Doctor hanc responsonem non, ut priores, rejiciat, sed eam plenius explicet, confirmet, ex ea alia concludat, & post conclusionem ad alia transeat, signum planè est, ipsum ei acquievisse. Videatur Thyrsus Gonzalez tom. 2, select. quest. disp. 3. sect. 15. num. 276. ubi probat, S. August. non disputando tantum, sed asserendo, scientiam mediam hoc loco amplexum.

400. Pergit S. Doctor sic colligens. *Et illud non minus verum sit: Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem.* Ecce misericordia DEI specialis in eo stat, quòd DEUS vocet, habens scientiam de eo, quòd vocatio congrua sit, quæ est ipsissima scientia media. Sequitur in textu: *Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed, quia talis fuit, qua moveri non possent, ut eam capere apti essent* (hoc est, modo eo, qui ipsis congruus erat prævisus) *vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* En iterum scientiam mediam de dissensu. Nec te turbet illud: *non possent;* significat enim tantum impotentiam consequentem. Sic se explicat S. Doctor tract. 53. in Joannem in illa verba: *Propterea non poterant credere; quia iterum dicit Isaias &c. Joan. 12. v. 39.* in quæ sic scribit S. Antistes: *Quare autem non poterant, si à me queratur, citò respondeo; quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem prævidit DEUS, & per Prophetam prænuñtavit.* Paulò post eodem loco ad Simplicianum iterum scientiam mediam asserit de præcито futuro consensu sub aliis auxiliis, quæ tamen noluit DEUS conferre, sic scribens: *Quia, si vellet ipsum misereri, posset ita vocare, quo modo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.*

401. Concludit tandem his verbis notatu dignissimis: *Verum est ergo: multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI; quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quo modo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit: Igitur non miserentis est DEI, sed volentis, atque currentis est hominis; quia nullius DEUS frustra miseretur. Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quo modo scit ei congruere, ut vocentem non respuat.*

Quæ omnia, si sine præjudiciis, intellectum obfuscantibus, legantur, sanè evincunt, S. Augustinum assertorem esse scientiæ mediæ, adeò, ut M. Ferre è Sacro Prædicatore Ordine dicat. S. Augu-

Augustinum ibi tenere nostram doctrinam, quamquam dein vellet, ea S. Doctorem non ex sua mente dixisse, vel ea postea revocasse. At hoc probari minime potest, & opus est tantum inspicere ipsum S. Augustinum, ubi patebit, eum sua ex mente loqui, & nihil revocasse: præterquam, quòd incredibile sit, S. Doctorem priori parte questionis tradidisse falsam doctrinam, disputandi tantum gratiâ, nec tamen ea de re lectorem ullatenus monuisse. Videri meretur P.N. Thyrsus citatus. Cardinalis etiam Sfondratus in *Nodo prædestinationis soluto part. 1. num. 2. in fine* ait, esse certum, quòd nunquam S. Augustinus retractaverit, quæ ad Simplicianum scripta.

Plura ex S. August. dabimus, itemque ex aliis PP. inferimus, ubi de decreto subjective absoluto, & objective conditionato, ac de ipsa prædeterminatione: omittere tamen nequeo alium adhuc textum S. Augustini *lib. de bono perseverantiae cap. 14.* ubi occasione Tyrionum & Sydoniorum sic ait. *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant: Et tamen, si DEI altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis addibentur vel dicta Divina, vel facta, per que possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.* Ubi plane supponit dari, & consequenter à DEO cognosci (quia omnia cognoscit) congrua humanis mentibus media, quibus abique omni prædeterminatione converterentur. Nec vel à longè facit mentionem ullius decreti, in quo hæc videantur, vel quod ab illa congruitate supponeretur: ergo supponit dari scientiam mediam.

402. Quod attinet ad Angelicum, omnes ii textus adduci ex eo hic possunt, quibus docet, voluntatem non ab alio, quam à se ipsa determinari, qui sunt plurimi: & plures afferemus paulò inferius, agendo de prædeterminatione physica. Hic unicum adduco, qui habetur in *4. dist. 49. quest. 1. art. 3. questiunculâ 2. ad 1.* ubi S. Doctor ait. *Potentia rationalis se habet ad opposita in bis, que ei subsunt: Et hæc sunt illa, que per ipsam determinantur. Non autem potest in opposita illorum, que sunt ei ab alio determinata: Et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex Divina impressione determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi: potest autem in oppositum eorum, que ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, que ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.* Ex quo habetur, prædeterminationem, quamvis à DEO immixtam, adeoque etiam decretum prædeterminativum illam inferens, tollere voluntati potentiam ad oppositum, hoc est, libertatem. Plures S. Doctoris textus exhibet Platelius de *scientia media*, & alii.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones.

403. **O**b. 1. Actus tantum conditionatè futurus nihil est: ergo non potest determinare scientiam DEI. Resp. dist. ant. nihil est per statum. conc. ant. nihil est per alienationem. neg. ant. & conf.

Eadem enim est de his ratio, quæ de futuris absolutis. vide *num. 372. Et seq.* Adde tamen hic, DEUS intrinsecè determinatur ad cognoscendum, & quidem infallibiliter, omne cognoscibile per essentiam suam, quæ est infinita vis intelligendi infallibiliter omnia: estque ex se necessitata ad cognoscendum omne cognoscibile: extrinsecè autem terminatur (si objectum est necessarium) vel determinatur (si objectum est contingens), quale est objectum scientiæ mediæ) ab objecto, determinatio intrinsecè datur per statum: extrinsecè non debet dari per statum ex *num. 329.* Quando igitur dicitur, DEUM actu determinatum esse, vel determinari ad cognoscendum aliquid conditionatè futurum, hoc plus non significat, quam hic, & nunc dari omnia eo modo, quo necessaria sunt ad cognitionem Divinam, scilicet vim intellectivam Divinam physice per statum, objectumque actuè per alienationem.

404. Ob. 2. Omnis scientia debet esse, vel necessaria, vel libera DEO: neutrum convenit scientiæ mediæ: ergo hæc omnino non datur. Confir. Quidquid absolute existit, vel existit necessario, vel liberè: neutro modo existit scientia mediæ: ergo nullo modo existit. Resp. neg. maj. Ideo dicitur scientiæ mediæ; quia est medium quoddam inter scientiam necessariam, & liberam ex *num. 284.* Ad confir. dist. maj. in creatis. conc. maj. in Divinis. subdist. ita, ut supponat actuale exercitium libertatis. neg. maj. ut supponat tantum conditionatum exercitium libertatis. conc. maj. & dist. proportionaliter. min. neg. conf. Scientia mediæ nec est absolute necessaria, nec libera DEO, sed est tantum illi contingens; quia potuisset abesse. Dicitur autem libera creaturæ, non, quòd præsupponat actuale exercitium libertatis creatæ (quia scientia ista datur de plurimis actibus, qui nunquam sunt absolute exitum, imò quorum principia, e. g. homines, nunquam sunt exitum) sed, quòd præsupponat tantum exercitium libertatis conditionatum; quia scilicet in potestate creaturæ, si existat, est, sub ea conditione differtire, vel consentire: qua ratione DEUM suo modo determinat ad hanc potius, quam illam scientiam mediam habendam.

405. Ob. 3. Scientia mediæ non est impedibilis à DEO: ergo implicat. prob. conf. Quod non est impedibile à DEO, non cadit sub providentiam DEI: ergo nec scientia mediæ: atqui omne contingens cadit sub providentiam DEI: ergo etiam scientia mediæ contingens cadit sub illam: ergo cadit, & non cadit, consequenter implicat. Resp. neg. conf. ad prob. omisso primo enthymemate. dist. subsumpt. omne contingens in creatis. conc. in Divinis. neg. subsumptum, & conf. Si supponitur scientia mediæ, quamvis contingens, adæquatè identificari cum DEO, non debet cadere strictè loquendo sub providentiam DEI; quia illa terminatio libera non præsupponit decretum DEI: sicut neque cadit sub eam scientia visionis de existentia hujus scientiæ mediæ, quæ tamen non est plus, quam formaliter, distincta ab ipsa scientia mediæ. Neque tamen ideò scientia hæc cadit sub providentiam creaturæ; quia nec istius actualis electio, vel volitio requiritur, sed tantum conditionata quædam determinatio: non autem propriè disponit, aut ordinat de aliquo illo, qui sæpe non existit,

An Deus futura contingentiã conditionata videat per Scientiam Mediam. 81

existit, vel cujus saltem nulla physice, & actualiter existens dispositio, vel ordinatio requiritur, ut patet in omnibus aliis. Si autem supponatur scientia mediæ compleri per aliquid creatum, tunc illud si sufficienter cadit sub providentiam DEI, quatenus à potestate libera DEI, ejusque ordinatione dependet, ut absolute illud complementum existat, vel non potestque DEUS etiam, ut voluit Patroni hujus complementi, pro suo libitu idem complementum ordinare ad varios fines sibi placitos.

406. Ob. 4. Creatura potest impedire scientiam mediam: ergo etiam DEUS. prob. conf. Sicut creatura potest, stante conditione, oppositum facere, ita etiam potest DEUS: sed propterea potest illa impedire scientiam mediam: ergo idem potest DEUS. maj. prob. DEUS debet ad omnes actus creaturæ concurrere: ergo, quemcumque potest facere creatura, eundem potest etiam facere DEUS. Resp. neg. conf. ad prob. neg. maj. quoad particulam *sicut*; creatura enim id potest facere per liberam immediatam determinationem, quòd DEUS non potest. Et ex hac immediatè libera determinatione oritur, aut positio, aut impeditio scientiæ mediæ; illæ enim tantum potest eam impedire, in cujus libera electione est, ut detur, vel non detur; alias dicemus, quòd etiam habitus, vel circumstantiæ quæcumque, constituentes actum primum, possint impedire scientiam mediam.

Dices 1. Et si DEUS non influat liberè in actum absolute existentem, tamen potest eum impedire, & scientiam visionis de illo: ergo à pari &c. Resp. neg. paritatem. Actus actualiter existens exigit pro priori actum primum proximum etiam actualiter existentem, quem si DEUS, ut liberè potest, non velit ponere, impeditur actus, & ejus visio. At actus conditionatè futurus non exigit actum primum proximum absolute existentem, sed tantum conditionatè existentem, quæ existentia non impeditur, impedita actuali existentia actus primi; quia tamen semper manet verum, quòd actus daretur, si ille, vel illæ circumstantiæ forent. Unde mediata libertas DEI circa actus liberos (quæ est immediata circa actum primum) potest impedire scientiam visionis, non autem mediam. Certè, quando DEUS noivuit absolute fieri miracula coram Tynis, & consequenter impeditur actum primum ad hanc speciem conversionem illorum, non propterea impeditur scientiam mediam de conversione conditionata eorum; & aliis non potuisset eam revelare.

407. Dices 2. Absurdum est dicere, quòd creatura possit aliquid facere, quòd non potest DEUS: ergo etiam absurdum est dicere, quòd creatura possit aliquid impedire, quòd non potest impedire DEUS. Resp. dist. ant. quòd non potest DEUS facere eodem modo, quo creatura. neg. ant. in quòd non potest ullo modo influere. conc. ant. & neg. conf. Licet DEUS influat necessario in omnes effectus creatos, tamen non influat in omnes liberè, vel determinando ad illos; alias deberet esse causa moralis omnium scelerum. Sic etiam DEUS non influat in effectus vitales vitaliter: nec etiam semper suscipit denominationem ab effectu; quia non dicitur vivens ab actu vitali creato, nec currens à

curso Petri &c. Ut autem dictum *num. præced.* non quicumque influat, sed tantum, qui liberè ad actum conditionatum determinat, potest scientiam mediam impedire.

Dices 3. Hoc ipsum est absurdum, quòd aliquid sit liberum creaturæ, & non sit liberum DEO. Resp. ex suppositione, quòd DEUS velit creaturæ relinquere libertatem, non esse absurdum, quòd aliqua sint creaturæ immediatè libera, DEO autem tantum mediatè, seu in libertate ponendi, vel non ponendi actum primum; quia non possunt duo esse immediatè liberè agentia respectu ejusdem actus. Si urgeas, actum conditionatum, qui determinat ad scientiam mediam, DEO neque mediatè esse liberum; cum non prærequirit actum primum proximum absolute existentem, circa quem tamen versatur libertas DEI, ut dictum *n. præced.* Resp. actum conditionatum neque esse creaturæ liberum per statum, sed tantum per alienationem, vel ampliationem, eumque nunquam posse absolute existere, nisi prius DEUS suam libertatem exercuerit, quod sufficit.

408. Dices 4. Si non est impedibilis à DEO omnis veritas conditionata contingens, tunc neque est impedibilis omnis veritas absoluta contingens: sed hoc dici non potest: ergo. prob. maj. Ex veritate hujus propositionis conditionalis: *Si Petrus habuerit hanc libertatem, non eliciet actum bonum:* sequitur hæc absoluta: *Non dabitur actus bonus Petri cum hac libertate:* ergo etiam ista non erit impedibilis, consequenter non omnis veritas absoluta. Resp. Hæc ipsa veritas, seu propositio, quoad modum enunciandi absoluta, est implicitè, vel æquivalenter conditionata, ex hoc ipso, quòd prior conditionalis ipsi prorsus æquivaleret: unde in forma dist. ma. neque est impedibilis omnis veritas absoluta, quæ est æquivalenter conditionalis, & plus non dicit, quam conditionalis. om. ma. alia simpliciter absoluta, quæque plus dicit, quam conditionalis. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Quòd veritas contingens debeat posse impediri à DEO, auctores consentiunt ideo; quia videtur indecens dicere, quòd creatura possit actualiter exercere suam libertatem, antequam ipsam exercent DEUS: at hoc non fit in his propositionibus, quoad modum enunciandi quidem absolutum, implicitè autem, & quoad sensum conditionatis; quia circa harum objecta creatura nullam prorsus exercet actualiter libertatem: neque requiritur ad veritatem similibus propositionum negativarum, ut creatura ullam libertatem exercent: sed tantum, ut eam exerceret, si libertatem actualiter collatam haberet: ad quam tamen habendam prius opus est exercitio libertatis DEI eam conferentis.

409. Si fors velles contendere, sensum propositionis objectæ non esse æquivalenter conditionatum, sed omnino absolutum, non posses alium assignare, quam istum: *Datur absolute libertas, Et tamen non datur consensus.* Sed 1. hæc propositio non inferitur ex illa conditionalis: *Si Petrus habuerit &c.* ut est clarum. 2. Hanc veritatem potest DEUS impedire; nam, ut vera sit illa propositio, debet jam DEUS exercuisse suam libertatem, dando eam libertatem creaturæ: quam si dare noluisse, eam veritatem complexam impedivisset. Imò etiam, si adstruatur hic sensus negati-

vus absolutus: Non datur absolute libertas, neque consensus (qui tamen iterum ex conditionali, si Petrus habuerit &c. non infertur) iterum hæc veritas copulativa est impediibilis à DEO; cum hic pro libitu suo possit eam libertatem conferre: quamvis eadem veritas complexa etiam sit impediibilis ab homine; quia hic alteram partem potest impedire, nempe negationem consensus.

Alii respondent, quòd DEUS veritatem illam negativam: Non dabitur actus bonus Petri cum hac libertate: non quidem possit impedire: possit tamen ad eam determinare. Hoc sic intelligi debet, quòd DEUS possit negare libertatem, qua negata necessariò verum est, quòd non datur cum illa consensus; & sic ajunt, illam veritatem esse liberam DEO, non impediitivè, sed determinativè. Addunt, DEO etiam liberam esse eandem veritatem quoad modum; nam DEO liberum est, ut hæc veritas detur liberè, vel necessariò; liberè enim veritas dabitur, si DEUS det Petro libertatem prorsum cum negatione actus; hoc enim casu Petrus liberè actum omittet: necessariò dabitur, si DEUS non conferat libertatem; tunc enim Petrus necessariò omittet actum. Adjungunt, quòd, sicut DEUS non debet posse determinare ad omnem veritatem contingentem (e. g. non potest determinare ad istam: Antichristus peccabit) ita neque debeat posse impedire omnem veritatem contingentem. Hanc responsionem, nec impugno; nec defendo; solum noto, videri eam urgeri posse, quòd, quamvis DEUS ad illam veritatem absolutam de peccato Antichristi non debeat posse determinare, debeat tamen prius suam libertatem exercere, antequam eam absolute Antichristus exerceat: cui tamen replicæ prior responsio clariùs satisfacit.

410. Ex occasione hæc nota duo. 1. Quando dicitur scientia media præcedere omne decretum, non intelligitur, quòd prius tempore existat, quam decretum (nam vel decretum nunquam existit, vel ab eadem æternitate existit) sed tantum, quòd non connectatur, aut necessariò exigat decretum actu existens. 2. Distinguenda sunt hæc duo *primum liberum*, & *immediatè liberum*, item *primum determinans*, & *immediatè determinans*. Primum convenit DEO, non autem secundum; est enim DEUS primum liberum; quia ipse semper debet prius exercere suam libertatem, dando, vel negando actum primum proximum: & tunc primum potest creatura liberè ad aliquid determinare. Eodem modo debet DEUS prius determinare ad actum primum, vel dando, vel saltem permittendo illum, quem dein potest creatura determinare ad actum secundum. Quoad actus autem creaturæ liberos DEUS non potest esse immediatè liber, vel immediatè determinans; quia sic actus non amplius essent creaturæ liberi; cum antecesserim impedibile tollat libertatem, ut infra agendo de prædeterminatione pluribus probabimus: tale autem esset antecesserim libera DEI determinatio: nec dominium DEI in creaturas se extendit ad usus Chimericos: sic etiam DEUS non potest equitare in equo.

411. Ob. 9. Si scientia media præcedit omne decretum, tunc supposita tanquam verâ sententiâ, quæ dicit, non creaturam, sed DEUM determinare ad individuum, DEUS non potest

per scientiam mediam videre, quisnam actus in individuo sit futurus, sed tantum, quis in specie: hæc ratione autem scientia media est confusa, & DEUM dedecens: ergo. Resp. omnia pro nunc veritate illius sententiæ, & omnia tota maj. nego min. DEUS enim clarissimè videt per scientiam mediam omnia individua, quæ ex illa conditione sequi possunt, quamvis nullum adhuc in individuo videat determinatum; quia hæc determinatio antecesserim ad decretum non est visibilis: atqui hoc tam parum est videre confusè, quam parum est videre confusè omnia possibilis, sed necdum, quænam sint ex illis præ aliis determinatè futura: vel videre omnes equos, sed unum non magis necessarium ad equitandum, quam alterum. Sic etiam, quando DEUS præcepit, ut offerrentur sibi duo turtures, vel duo pulli columbarum, non vidit confusè rem præceptam, quamvis non viderit magis unum, quam alterum præceptum.

412. Quidam non improbabiliter dicunt, scientiam mediam etiam non videre determinatè speciem actus physicè infimam: sed videre determinatè tantum speciem actus moraliter infimam, eò quòd ex parte hypothese tantum veniant principia per se necessaria, seu illa, sine quibus actus, neque quoad substantiam, dari potest, & quæ non determinatè inferunt actum in specie physicè infima; nam hic etiam dependet à principiis per accidens. Explicant se magis sic. Actus contritionis e. g. est quoad substantiam, & moraliter idem, sive producatur ab habitu charitatis in iusto, sive ab omnipotentia specialiter applicata in peccatore: adeoque (ajunt) scientia media non videt ex parte conditionati actum potius ut dependentem ab habitu charitatis, quam ab omnipotentia specialiter applicata: consequenter non videt eum determinatè in specie infima; sed tantum videt indeterminatè, seu disjunctivè.

413. Circa hanc sententiâ hoc noto. Si principia per accidens sint indifferentia ad quodcumque extremum libertatis, etiam contrarietatis, ita, ut cuilibet possint coexistere, non video, cur scientia media non possit ea videre ex parte hypothese: & consequenter etiam determinatè actum in specie infima (seu, ut ab ipsis intrinsicè dependentem, aut saltem extrinsecè denominatum liberum) ex parte conditionati. At, si ea principia, licet non trahant post se actum, tamen neque possint coexistere alteri extremo, vel contradictoriè, vel contrariè opposito (sicut e. g. habitus charitatis non potest coexistere peccato) difficultas est major; quia tale principium non potest constituere potentiam liberam e. g. ad peccandum; nam libera potentia debet posse stare cum actu libero; aliàs eum non posset denominare extrinsecè liberum: minus intrinsicè; quia non posset essentialiter respici ut coexistens, sicut tamen actus intrinsicè liber debet omnia constitutiva libertatis respicere. Quæ autem non constituunt libertatem ad utrumque, non videntur ex parte hypothese scientiæ mediæ; quia hæc hypothesis est formaliter libertas ad utrumque, consequenter neque ex parte conditionati videntur determinatè actus cum iis connexus, seu in specie physicè infima; sic e. g. actus charitatis in specie infima etiam dependet ab habitu charitatis,

tatis, qui, licet non constituat libertatem ad peccandum, constituit tamen potentiam ad actum charitatis eliciendum, & in hunc influit. Videri etiam possunt dicenda inferius. Id hic addo, quòd, si actus non tantum sit conditionatè futurus, sed etiam absolute futurus, scientiæ mediæ conjungatur scientiæ visionis, adeoque scientiæ DEI tota realiter accepta clarissimè videat infimam speciem, & ipsam individuationem actus.

414. Ob. 7. Si scientia conditionalis antecesserim decretum DEI, tunc esset casualis respectu DEI: sed hoc est absurdum: ergo, probant. Eset præter intentionem DEI; ergo casualis. Resp. neg. maj. ad prob. neg. conf. Omnia peccata sunt præter, imò contra intentionem DEI, non tamen casualia; casuale enim est, quod inopinatè advenit: atqui DEO, omnia perfectissimè comprehendenti, nihil inopinatè advenit. Imò DEUS in signo priori per scientiam necessariam cognoscit, se debere habere aliquam scientiam mediam, scilicet de ea parte contradictionis, quæ est vera: ergo in signo posteriori adveniens scientia media non potest inopinatè advenire. Certè ei, qui prius scit, se debere in gravi periculo, aut mori, aut vincere, neutrum est inopinatum.

ARTICULUS V.

An Scientia Media accedat ad Pelagianismum vel Semipelagianismum.

415. Pelagius Monachus è Britannia Majorè, seu, ut S. Hieronymus vult, è Scotia oriundus, turbare cepit Ecclesiam, teste Bellarmino in *Chronolog.* circa annum Domini 415. Negavit I. originale peccatum Adami posteris, præsertim fidelium liberis, nocuisse, nisi forte exemplo malo per illud dato. Hinc dixit, parvulos non baptizandos esse, ut deleatur peccatum, sed tantum, ut aperiat iis janua cœli, quæ non, nisi per aquam renatis, pateat. 2. Docuit, hominem in hac vita posse esse sine omni peccato, quod sæpe S. Augustinus in ipso reprehendit. 3. Erravit præcipuè in eo, quòd ad opera meritorea vitæ æternæ negaverit necessariam esse gratiam. Origo autem mali in Pelagio, ac postea in ejus sequacibus fuit, quòd, ut S. Hieronymus *epist. ad Ctesiphontem* c. 3. scribit, dicerent Pelagiani: *Frustraque dedit DEUS arbitrii potestatem, quam implere non possunt, nisi ipse se semper adjuverit; destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget*: maximè si istam debet tantum ex gratuito alterius favore recipere: quod tamen falsum esse, patet ex Concilio Senonensi; *Decreto 15.* dicente: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo DEUS non stet ad osium, & pulset.*

Accusatus de hæresi ista Pelagius in Synodo, Diopoli in Palæstina habita, Patres ambiguis verbis decept; admisit enim, gratiam necessariam esse: sed eo nomine libertatem naturalem, homini à DEO collatam, inreliecit: atque ita est absolutus. Postea autem detectis fraudibus à Conciliis Africanis, præsertim Millevitano II. damnatus, &

atque à S. Augustino vehementer fuit exagitatus: quin & à Summis Pontificibus Innocentio, Zosimo, ac Celestino anathemate percussus, & ab Honorio Imperatore imperiali edicto Româ, quòd, ut Pontificem deciperet, venerat, cum sociis pulsus. Tandem in patriam suam reversus, erroribus suis pertinaciter immortalis est. Ejus scripta dudum interierunt, nisi, ut Bellarmino *de Scripturis Ecclesiasticis* agens de S. Hieronymo asserit, ejus opus sint *Commentaria in Divi Pauli epistolâ*, S. Hieronymi operibus inserta: itémque *Epistola ad Demetriadem Virginem*, quam etiam S. Augustinus l. de *grat. Christi* c. 22. eidem attribuit, atque impugnat.

Semipelagiani, qui etiam Massilienses vocantur, eo quòd plures eorum fuerint presbyteri illius Ecclesiæ, rejectis pluribus Pelagii erroribus, in hoc tamen ei consentiebant, quòd initium meritorie fidei, ac desiderii salutis haberi possit naturalibus viribus, nulla gratia præveniente adiutus: quo initio volebant, nos posse mereri auxilium ulterius ad observanda mandata Divina, & obtinendam æternam salutem: quod teste S. Hieronymo *epist. ad Augustinum* explicabant similitudine ægri, qui, licet seipsum sanare non possit, tamen possit vocare medicum, & hæc ratione sanitati initium dare &c. Hunc eorum errorem fuisse, fusè ostendit S. Augustinus l. de *Predestin. SS.* c. 2. *Es sequent.* item l. de *bono persever.* c. 23. Hi tamen Semipelagiani, saltem principes eorum Cassianus, & Faustus Regienis, dici non possunt, fuisse formales hæretici; nam eorum tempore necdum hæc res erat, ut nunc est, articulus fidei. Quin Cassianus, & Faustus à quibusdam Dicoecibus inter Sanctos coluntur. videri hæc de re tota potest Theodorus Eleutherius in *Historia de auxiliis Appendice de erroribus Pelagii & Semipelagianorum.*

Jam nos asserimus, atque etiam, DEO volente, ostendemus, scientiam mediam esse longè remotam ab his erroribus, & esse omnino conformem doctrinæ S. Augustini, ut à n. 399. non inefficaciter est monstratum. At contra adversarii scientiam mediam multum impugnant, tanquam his erroribus nimis propinquam: & in primis ajunt, Consultores Romanos tempore Clementis VIII. Cardinales, etiam Paulum V. Pontificem Summum, censuisse, systema scientiæ mediæ esse Semipelagianum: quin imò jam consecutam fuisse Bullam condemnatoriam nostræ opinionis, nihilque ei defuisse præter solemnem promulgationem. Sed hæc, partim sunt falsa, partim infirma: & hinc per ea nihil probatur.

Censura Consultorum non fuit sat maturo judicio confecta. Damnavit I. Coronellus in libro Molinæ 61. propositiones: tum Consultores communi nomine 49. & inter has plures communiter in scholis receptas. Quare SS. D. Clementis VIII. admonitione restricti, restrinxerunt censuram ad 42. tum omnino ad 20 tantum: & tandem tota censura neglecta est. Bullæ illius mentio primò est facta post 40. & aliquot annos à morte Pauli V. quando scilicet omnes, qui testari oppositum possent, mortui jam erant. Nituntur autem assertores ejusdem Actis Pegnaz, & Lemosii, quibus nullam fidem habendam dum L 2

dum decrevit Innocentius X. Similis autoritatis est, quod dicitur de Bellarmino, ac aliis magnis à Societate viris, scientiam mediam exofis, & prædeterminationem amplexis: quæ omnia fufius refellere non est animus, ne vel invito acrius quid contra adversarios excidat. Videri autem possunt refutata apud Theodorum Eleutherium.

416. Dices 1. Tamen Semipelagiani admiserunt scientiam mediam: ergo non est admit-tenda. Resp. etiam admiserunt scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: item mysterium SS. Trinitatis: num ideo ista negemus? Non sunt reprehensi à SS. Patribus, quod scientiam conditionalem admiserint, sed quod ea abusi fuerint; cum enim dicerent; initium salutis dari ex meritis naturalibus, præcedentibus gratiam, & afferrent illud. *Nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nil decernit*; quo dicere volebant, debere præcedere scientiam absolutam de meritis, per vires naturales factis (ut probat. P. N. Thyrsus tom. 1. select. quest. disp. 36. sect. 11. §. 1.) oppugnârunt eos SS. PP. quærendo, cur ergo his potiùs, quàm aliis regionibus prædicatum sit Evangelium? cur isti potiùs, quàm illi veniant ad baptismum? cum in his casibus nulla appareant antecedentia merita, Reposuerunt Semipelagiani, DEUM prævidisse, quinam credituri essent, quinam non: quinam parvuli, si usum rationis acquirerent, bene acturi essent, & quinam non. Hæc quidem non malè.

At addiderunt, ob ista merita, conditionatè prævisa, DEUM aliquibus concessisse gratiam vocationis, aut baptismi: negasse autem aliis, in quibus hæc merita non prævidebat: & hæc pessimè. Si enim ob merita, vel demerita tantum conditionatè futura quis præmiatur, aut punitur, quilibet hominum debet in cælum assumi, & in infernum detrudi; cum quivis conditionatè prævideatur in innumeris circumstantiis bene, & in innumeris malè acturus. Rursus Semipelagiani ex parte conditionis tantum ponebant actum primum, ex meritis naturalibus constitutum: at omnes nostri ex parte conditionis ponunt gratiam supernaturalem, quamvis non prædeterminationem. Unde nimium quantum distantur.

417. Dices 2. Scientia media non adhibetur à S. Augustino ad conciliandam gratiam cum libertate humana: ergo, vel eam ignoravit, vel improbat: primum asserere est immodestum: ergo dicendum est alterum. Resp. dist. ant. scientia media non adhibetur quoad vocem. conc. ant. quoad rem. neg. ant. reculantur dicta num. 399. *Es seq. & judicet eruditus, an magis fa-veat S. Doctor scientiæ mediæ, an prædeterminationi; quam vocem etiam tam parum adversarii invenient in S. Augustino, præsertim in sensu, quem ipsi ei attribuunt, quam vocem scientiæ mediæ.* Certè Franc. Aravio Episcopus Segobien-sis ex S. Ordine Prædicatorum tom. 2. in 1. 2. n. 47. sic scribit de prædeterminatione physica: *Cujus nec Concilia, nec SS. PP. aliquando meminerunt.* Ipse autem tantum moralem admit-tit.

418. Ut autem systema scientiæ mediæ melius intelligatur, & quibusdam difficultatibus apparentibus occurratur, notandum 1. juxta nos

posse DEUM quamlibet creaturam pro libito convertere ex num. 398. saltem in hac providentia, in qua nullam producet creaturam, quam non prævidet alicui auxilio consenturam: quod implicite eo ipso revelavit, dum revelavit, se omnium corda in manu sua habere. Nec Dicat, DEUM non habere potestatem convertendi hominem independentè à scientia media: hæc autem habere ab ipso homine, adeoque accipere debere potestatem ab homine; nam scientiam mediam DEUS non habet ab homine; non enim homo est objectum physicè motivum, vel influens in actum DEI, sed DEUS habet eam scientiam à se ipso, & à sua essentia, tanquam principio metaphysico, & specie intelligibili (si hæc necessaria est) objectum autem est tantum conditio objectiva, sine qua DEUS non haberet scientiam à se ipso: sed istud non tribuit scientiam: sicut scilicet possibilitas rerum non tribuit DEO omnipotentiam. An autem possibilis sit in alia providentia, creatura prævisa omnibus dissensura, infra disputabimus: interim SS. PP. de hoc nihil decernunt.

Notandum 2. DEUM quemcumque actum posse promittere: & sic promississe Abraham fidem posterorum; quia, dum vidit, sub quibus auxiliis essent credituri, & voluit ea auxilia dare, potuit infallibiliter promittere fidem, quam erat ipse facturus, hoc est, gratiam fidei, ut ipsi longè magis, quàm credentibus deberet adscribi fides eorum: sicut scilicet quilibet actus bonus magis debet adscribi DEO, quàm ipsi actum elicienti, ut alibi solet ostendi. Ipsi obiter addo, S. Augustinum, quando ait, promississe DEUM hanc fidem de sua prædeterminatione, eamque præcivisse, non loqui de scientia conditionali, sed absoluta.

419. Notandum 3. quando dicitur, DEUM dare gratiam; quia videt consensum secuturum, per hoc non significari, consensum secuturum ex viribus purè naturalibus; quia hoc effect accedere ad errorem Pelagii: sed secuturum ex gratiâ; quia hypothesis scientiæ mediæ, seu conditio, semper involvit gratiam, & sic tendit. *Si Petrus habuerit gratiam* &c. Rursus: non significatur, consensum habere rationem causæ moralis, sed finalis; non enim DEUS dat gratiam; quia consensus aliunde existit: sed, ut sit, seu per ipsam gratiam elicitur. Ita expressè S. Thomas 2. part. quest. 23. art. 5. ad 1.

Notandum 4. DEUM non debere expectare creaturam, ut eam vocet, vel excitet per gratiam. Hic enim esset error Semipelagianorum, qui dixerunt, DEUM expectare merita naturalia, tanquam dispositiones ad gratiam) at aliquo modo, non tamen strictè proprio, expectare vocatam, ut consentiat; sic enim ait Apocal. 3. v. 20. *Ego sto ad ostium, & pulsio. Ista 1. c. 5. vers. 4. Expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas.* *Es c. 30. v. 18. Expectat Dominus, ut miseretur vestri.* Verùm, strictè loquendo, DEUS nihil expectat ad habendam scientiam mediam; cum ad hanc non debeat præsupponi quidquam absolutè existens, sed tantum objectivè: quæ existentiæ objectiva jam datur ab æterno. Unde per expectare tantum intelligitur præsupponere pro priori rationis ad scientiam: quæ expectatio non dedecet DEUM, cum tantum se-

quatur,

quatur ex ea, quod ideo DEUS cognoscat; quia res sunt futuræ: nec cæco modo suam conferat gratiam.

420. Notandum 5. ipsum nostrum consensum supernaturalem esse gratiam, & donum DEI, ita, ut magis debeat adscribi ipsi, quàm nobis: & hinc in ipsum actum debet DEUS influere gratiosè, adeoque non tantum juvare ad posse, sed etiam ad agere. Not. 6. ex S. August. Pelagianos fecisse gratiam pedissequam naturæ ideo; quia volebant, quod natura debeat præcedere suis actibus naturalibus, & his gratiam mereri, seu tanquam meritis post se eam trahere: quod nos detestamur, & tantum admittimus, quod scientia media, à qua habetur infallibilitas gratiæ, præsupponat, tanquam suum objectum, consensum conditionatè futurum, & quidem non futurum viribus solius naturæ, sed etiam gratiæ.

Notandum 7. propositionem quartam Janfenii: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: Es in hoc erant hæretici, quod velent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: hanc, inquam, propositionem non tantum damnatam esse copulativè: sed quodlibet membrum illius; nam, si primum, se solo sumptum, non est damnatum, sed dici potest, Semipelagianos gratiam interiorem etiam ad initium fidei admisisse, dic, circa quid, vel in quo hæretici fuerint circa materiam gratiæ, circa quam tamen hæreticos fuisse, negari non potest? Certè nihil invenies aliud, quam quod gratiæ resisti, aut obtemperari posse docuerint: quod tamen dici non posse, ex 2. di membri damnatione constat.

421. Quare, quando Gonetus ex S. Prospero vult evincere, aliquos Semipelagianos necessitatem gratiæ prævenientis interioris ad initium fidei admisisse, incassum laborat; nam S. Prosper in celebri epistola ad S. August. expressè ait, Semipelagianos negasse gratiam præviam; quæ sanè eadem est cum præveniente. Manifestum est autem legenti, S. Patrem de his iisdem, & non de aliis Semipelagianis loqui, dum ait, eos non negare, voluntates secundum suamphantasiam à gratiâ esse præventas: per quod intelligit, juxta ipsos voluntates præveniri à gratiâ, non quoad initium fidei, sed quoad sequentia merita: hæc enim erat phantasia hæretica Massiliensium.

Verbis autem illis sub finem epistolæ: *Quia finem uniuscujusque prævidet, Es sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate, Es actione, præserit*: S. Prosper non loquitur de Semipelagianis, sed aliis antiquioribus Doctoribus, ante Augustini ætatem; quia præmittit hæc verba: *Retradatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par reperitur, Es una sententia* &c. Quia autem tempora tunc erant valde periculosa, & hæc verba eum dubium reddebant, an adjutorio gratiæ tantum finis, seu observatio legis totius, subderetur, quo casu erant hæretica: an verò etiam initium fidei, quo casu erant Catholica, petiit S. Prosper à S. Augustino explicationem.

422. Notandum 8. Pelagium nunquam admisisse, necessariam esse gratiam supernaturalem interiorè ad simpliciter posse meritorie operari; sed tantum aliquando ad facilius posse. Et

quamvis Alvarez de auxiliis libri. disp. 1. oppositum probare contendat, non probat. Certè S. Augustinus l. 1. de gratia Cbristi cap. 47. contra Pelagium, & Celestium, postquam per plura capita retulisset lecta à se opuscula Pelagii, hanc tandem crisin universalem subjungit: *Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, & post pauca: Ipsum verò auxilium, quo possibilitatem naturalem perhibet, adjuvari, in lege constituit, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam S. Spiritu revelari, propter quod Es orandum esse concedit. Sed hoc adjutorium legis, atque doctrinæ, etiam prophetis fuisse temporibus: adjutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur.*

Ex quibus patet, Pelagium non admisisse gratiam interiorè, sed tantum exteriorè legis, ac doctrinæ, seu exempli Christi, & Evangelii, quod ait nobis prædicari, scilicet exteriorè proponi. De qua lege S. Aug. cap. 24. dixerat, quod DEUS in cordibus nostris non operetur lege, ac doctrina insonante forinsecus: patetque insuper ex aliis capitibus sequentibus ejusdem libri, S. Augustinum tantum requirere, ut gratiam interiorè, quæ ipsam voluntatem, seu actionem bonam operetur, Pelagius admittat: nam cap. 45. multis probat, Christum non corporalibus oculis respexisse S. Petrum: sed ait: *Intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est*; quod parum ad mentem S. Augustini probaret, si plus, quàm interiorè gratiam, scilicet intrinsecè efficacem requireret. Tandem cap. 47. ait, si Pelagius admittat gratiam per Jesum Christum, quæ non tantum juvet posse, sed etiam det ipsum velle, ita, ut sine ipsa nihil bene velimus, nihil amplius controversiæ relinquit.

423. Nec te turbet, quod textu citato num. præced. S. Augustinus dicat, Pelagium admisisse legem, atque doctrinam Spiritu Sancto revelari, Es propterea orandum esse; nam, ut manifestum est ex pluribus locis S. Augustini, Pelagius verbis æquivocis sæpissimè usus est, quæ dein discipulis suis in malum sensum exposuit. Hinc, licet ejus verba possent catholicè accipi, tamen ab eo non ita accipiebantur: & sic ipse non intellexit revelationem internam in mente, sed externam, quæ fit per libros sacros, & prædicatores fidei, aut pœnitentiæ &c. per quos etiam dicitur Spiritus Sanctus cordis aures aperire, revelare, illuminare. Et hæc quoque ejus, per suos Ministros, vel instrumenta, facta revelatio, est aliqua gratia: sed ordinis inferioris, propter quam etiam agenda sunt gratiæ, & orandum Spiritus Sanctus: sed non est illa gratia, quam SS. PP. ad meritum necessariam dicunt. Hanc revelationem agnoscit etiam Gonetus tom. 4. de Hæres. Pelag. tr. 7. disp. 1. art. 4. n. 47. vocatque illuminationem, quæ se teneat ex parte objecti, seu sit objectiva, stètque in applicatione, seu propositione aliqua objecti, & pertineat ad legem, atque doctrinam: adeoque est tantum naturalis.

Plura de Pelagianorum, & Semipelagianorum, seu Massiliensium erroribus videri poterunt apud Theodor. Eleutherium in appendice, vel in Lucubrat. S. August. Doctor gratiæ, Es libertatis part. 1. à num. 39. Hucusque allata abunde

abunde sufficiunt pro defendenda præfenti conclusione.

ARTICULUS VI.

An admittendum Decretum subjective absolutum, & objective conditionatum.

424. **D**ico. Decretum istud, de quo aliquo modo jam actum n. 381. & magis explicatum n. 396.

non debet admitti circa actus creaturæ liberos. Non nego posse, vel etiam debere aliquando admitti in quibusdam casibus, soli DEO liberis, (de quibus n. 381.) tale decretum, vel talia decreta, sive virtualiter, sive formaliter distincta: circa quæ tamen non semper eodem modo discurrendum; nam vel conditio illorum sicut prævisa implenda, ut illa Joan. 16. vel non, ut altera 4. Reg. 13. (vide cit. n. 381.) Si primum: DEUS non habet duo decreta, quorum prius sit conditionatum, & alterum absolutum, sed tantum unum, idque rem absolutè decernens; nam, cum in casu purificatæ conditionis absolutum decretum elicere velit, ad quid quasi cunctabundus prius conditionatè decernat, quod supposita scientia simpliciter intelligentiæ, ac media directè potest statim, & in tali casu vult, absolutè decernere?

425. Cum autem ex tali decreto absoluto, respiciente aliquam conditionem absolutè etiam ponendam, legitime inferatur hæc veritas, quòd DEUS decreverit id facere, & facturus sit, si ea conditio ponatur, adeoque decretum objective conditionatum, virtualiter, vel eminenter, contineatur in absoluto; ideo DEUS, qui non tenetur sua decreta quoad omnes formalitates, seu totaliter revelare, potest tale decretum revelare tanquam objective conditionatum, præsertim si id prodest ad excitandos homines, ut eas conditiones ponant, vel evitent. Sic DEI decretum salvandi omnes homines, si bene vivant (sicut dicemus inferius, quando de eo agemus) non est conditionatum respectu prædestinatorum, nec effectivè inefficax: & tamen id DEUS revelavit tanquam voluntatem conditionatam. Si autem fiat secundum, sive, si conditio prævideatur non implenda, ut in casu superiori 4. Reg. 13. & iterum Gen. 18. in decreto parandi ad preces Abrahamæ Sodomitæ, si decem in ea urbe sint probi; tunc talia decreta, quamvis sint subjective absoluta, tamen respectu illius effectus conditionati manent objective conditionata, hoc est, continent aliquam inclinationem, vel præparationem animi in DEO, vi cuius poneretur effectus, si poneretur conditio: re ipsa tamen etiam hæc decreta sunt absoluta, & absolutè decernunt negationem effectus; quia absolutè prævidetur conditio non ponenda.

426. Quamvis autem aliqua Decreta, juxta modo datam explicationem, subjective absoluta, & objective conditionata admittenda sint, non tamen admitti debent in DEO talia Decreta infinita circa omnia possibilia, etiam in alio, vel infinitis aliis mundis: quibus decretis DEUS Angelos, & homines tunc creandos prædestinaret, vel reprobarer, talia, vel talia bella, regimina, peccata

permitteret &c. quæ tamen omnia ut conditionatè futura DEUS scire debet: ad quid enim DEUS infinitis decretis, etiam tantum formaliter distinctis, omnes creaturas in infinitis aliis mundis possibiles, quas nunquam producturus est, jam præstinet, vel reprobet, eorum actus bonos & malos prædeterminet &c. præsertim, cum hæc decreta conditionata non videantur bene convenire cum decreto absolutè prædeterminante, & hæc omnia excludente: ad quid DEUS dicat? Ego prædetermino, quòd, si Judas in his vel illis circumstantiis (quæ essent plurimæ) ponatur, convertatur: quando absolutè dicit: Ego prædetermino, ut non convertatur.

Dicunt aliqui: DEUS habet totum actum primum proximum ad elicienda ea decreta, & quidem circa actus creaturæ non liberos, inimpedibilia, circa actus creaturæ liberos, saltem impedibilia: ergo ea elicit. Ita aliqui ex nostris, contra quos modo ex primaria intentione non pugnamus, & utique admittunt impedibilitatem decretorum potissimè nostræ rationes vim amittunt: sed quia tamen tot talia decreta, etiam impedibilia, non censo admittenda, Resp. neg. conf. Non est imponenda DEO necessitas, etiam tantum ad elicienda decreta indeterminatè sumpta, nisi aperte monstretur; perfectior enim est libertas in actu imo, quæ potest liberè purè omittere.

Sed contra hoc idem iterum dicunt: DEO debet tribui perfectissimum exercitium libertatis, quod est positivum: ergo non potest purè omittere. Resp. dist. ant. debet DEO tribui exercitium formaliter perfectissimum, conc. ant. perfectissimum materialiter, subdist. si velit libertatem suam positivè exercere. conc. si hoc non velit, neg. ant. & conf. Si DEUS ex jure suæ libertatis in actu imo se habeat tantum negativè, erit hoc pro his circumstantiis formaliter perfectissimum; quia Divinæ voluntati tunc præ aliis maximè conforme. Et sic etiam alia, quamvis materialiter minus perfecta, dicimus formaliter perfectiora; quia sunt magis conformia regulæ omnis honestatis, nempe Divinæ voluntati. Nec tamen propterea DEUS manet irresolutus; quia per puram omissionem liberam est negativè determinatus, nec jam manet indifferens; quia status indifferentiæ non dicit negationem, sed tantum præcisionem; quia debet esse, & est compossibilis cum decreto, & ejus negatione. Aliqui videntur velle scientiam reflexam evitare, ejusque difficultates, admittendo ista decreta: sed imprimis eam non evitant; quia hoc ipsum decretum, non tantum ut absolutè, sed etiam ut conditionatè existens est cognoscibile, consequenter per scientiam medium reflexam. Dein hoc ipsum decretum cum scientia media directè, vel collatione auxilii, habet easdem difficultates, quas scientia media reflexa, ut patebit consideranti.

427. Probatur jam assertio, quòd non debeat admitti tale decretum explicatum num. 396, seu inimpedibile circa actus creaturæ liberos, de quibus potissimum instituitur hic quæstio. Probatur autem I. sic. Decretum hoc repugnat libertati: ergo non datur, prob. ant. Decretum hoc est antecedens, à creaturæ inimpedibile, & ex se necessariò connexum cum actu conditionatè futuro: insuper, si accedat purificatio conditionis, quam etiam creatura impedire non potest, est absolutè

absolutè necessariò connexum cum actu absolutè futuro: sed quidquid est tale, repugnat libertati: ergo, maj. est adversariorum, min. prob. Quidquid est essentialiter connexum cum uno libertatis extremo, & inimpedibile, facit, ut actus primus proximus non possit esse indifferens ad utrumque; quia est essentialiter determinativum ad unum, & impedimentum inaufertibile, ne voluntas possit amplecti extremum alterum, non minus, ac catena ferrea facit, ut potentia ambulativa, per illam ligata, non possit esse indifferens ad ambulandum: ergo repugnat libertati, quæ est potentia ad utrumque pro libitu amplectendum. Plura in hanc rem afferemus inferius, agendo de ipsa prædeterminatione.

Probatur 2. Juxta assertores hujus decreti Christus Matth. 11. v. 21. malè reprehendisset Corozaim, & Bethsaidam, sive earum urbium incolas præ Tyriis & Sidoniis, eoquòd ad visa tot Christi miracula conversi non fuerint, cum tamen conversi fuissent Tyrii, & Sidonii, si ea prodigia coram ipsis facta fuissent: hoc dici non potest: ergo, prob. ma. Corozaitæ potuissent se excusare, dicendo: DEUS efficaciter decrevit conditionatè, & decreverit absolutè conversionem Tyriorum: at respectu nostri decrevit oppositum: atque hinc nobis negavit prædeterminationem, quam dedisset Tyriis: his autem positus, Tyrii non potuissent non converti: nos è contra habuimus impedimenta inaufertibilia conversionis. Nec retorqueri potest in assertores scientiæ mediæ hoc argumentum, dicendo, etiam juxta hos Corozaitis non desuissent excusationem; cum potuerint dicere, se non habuisse gratiam prævisam cum consensu; nam facile refelli potuissent, reponendo, hoc ipsum imputandum ipsis esse ad culpam; cum potuissent facere, ut hæc gratia prævisa fuisset cum consensu; si scilicet ei cooperari voluissent, ut potuissent.

428. Probatur 3. DEUS deberet in hoc decreto quoque videre actus peccaminosos, etiam quoad formale peccati; quia etiam formalem malitiam revelavit, tam absolutè, quam conditionatè in SS. Scripturis, ut constat ex n. 383. & seq. ergo deberet prædeterminare conditionatè (& sæpissime etiam absolutè, quotiescunque scilicet absolutè sunt peccata) ad ipsam formalem malitiam, quod nemo admittit; sic enim DEUS esset author peccati, magis, quam, si istud præciperet; nam consilium, vel præceptum non ita efficaciter determinat. Quidquid autem sit de formali malitia, quæ forte dicitur, non videri in decreto, tanquam aliquid prædeterminatum, sed tantum, tanquam aliquid consequens ad materiale peccati prædeterminatum, tamen hoc decretum DEO minimè dignum est; nam determinare ad aliquid essentialiter, & inimpedibiliter connexum cum alio est æquivalenter determinare etiam ad hoc alterum: quod DEUM in nostro casu utique dedecet. Si hoc neges, dic, quare DEUS non potest suadere, aut præcipere materiale peccati? quod tamen DEUM posse, assertit nemo. Discrimen quidem aliquod conatur Gonetius assignare: sed illud non subsistere, patebit inferius n. 463.

Confirmatur. Juxta adversarios DEUS circa quodvis peccatum habet duo decreta, scilicet conditionatum, & absolutum (nam si, ut aliqui

volunt, circa actum absolutè futurum non prius habuit decretum conditionatum, DEUS illum non prævidit conditionatè futurum, adeoque eum quasi cæco modo absolutè prædeterminavit, quod inconvenientissimè dicitur) quomodo ergo DEUS potest, ut sæpe in Scripturis facit, protestari, non esse voluntatis suæ peccata hominum, ea in cor suum non ascendisse, &c.? Certè, si homo sic loqueretur, dum taliter determinaret, nemo ei crederet, præsertim, si adderet aliquid inimpedibiliter inferens actum, quale est prædeterminatio.

429. Probatur conclusio 4. ex SS. Patribus. Hi varias movent quæstiones de rebus, quas DEUS, licet de illis præciverit, quòd ex ipsis securum sit aliquod malum, tamen posuit. e. g. quærent, cur DEUS produxerit Luciferum, quem præciebat lapsurum: cur Adamo imposuerit præceptum, quod præciebat esse violandum: cur Christus Judam elegerit in Apostolum, quem præciebat, se proditurum &c. (textus SS. PP. Damasceni, Chrylostomi, Nisseni, Basilii, Augustini, Cyrilli &c. vide apud Suarez in *Opusculis* l. 2. de *scient. futur. condit.* c. 2. n. 2.) Ergo supponebant, hæc præcisa fuisse scientia conditionali, quæ directus DEUS potuisset ea impedire: atqui non scientià fundatà in decreto conditionatè prædeterminante: ergo, prob. subsumptum, aliàs enim, ut rectè ait *Banholzer de Scientia Dei* q. 4. a. 3. n. 95. non debuissent Patres laborare, ut ostenderent, malum non fuisse, posità eâ præcipienti, res eas ponere, e. g. Adamum creare; sed potius laborandum ipsis fuisset, ut ostenderent, non fuisse malam præcipientiam fundatam in decreto, conditionatè ad malum, & lapsum prædeterminante. Certè nullo ullius Patris estato probari potest, DEUM mala ita conditionatè decrevisse. Et quis credat S. Augustinum, quando *tr. 73. in Joannem* ait: *Malè ergo asseritur eo, quòd vult accipere, DEO potius miserare non accipit*: quis, inquam, credat, eum supponere, quòd DEUS talem hominem conditionatè prædeterminaverit ad malum usum donorum suorum, & propterea absolutam collationem negaverit? Quis credat, SS. PP. dum cum Scripturis citatis n. 383. dicunt, raptum esse justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, supposuisse, quòd ex decreto Divino malitia deberet pervertere ejus intellectum, posita conditione, cuius positio penderet à solo DEO; quia scilicet erat ommissio raptus? Quis credat, quòd S. Augustinus, supposuerit, DEUM peccata conditionatè prædeterminasse, quando de *prædest. Sanctorum* c. 10. ait: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientiæ; prædestinatione quippe DEUS ea præcivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est: fecit, quæ futura sunt: præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata.*

430. Unde ex mente Sanctorum Patrum præscientia ista conditionatè futurorum non fundatur in tali decreto: insuper ipsa præcedit decretum absolutum, adeoque est ante omne decretum, & consequenter est scientia media. Quòd autem præcedat omne decretum absolutum, ipsi Patres sæpissime docent, dum ajunt, multa esse præcisa, quæ non sint prædestinata, (nam prædestinatio est absolutum decretum) & præscientiam latius pate-

tere, quam prædestinationem: item hanc non posse esse sine præscientia, quamvis ista possit esse sine prædestinatione: sic docet Augustinus loco paulo ante cit. de prædest. SS. c. 10. Idem c. 9. sic ait: *Utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit DEUS, querere, ac differere, tunc necessarium non putavi.* Iterum in expositione quorundam propositionum in Ep. ad Rom. propositione 55. *Nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit credendum:* ubi planè supponit præscientiam præcedere prædestinationem, adeò, ut fateatur Alvarez, ex hoc textu inferri scientiam mediam; sed simul neget, esse verba S. Augustini, & velit, esse cuiusdam Arborei: verum opus est tantum, inspicere locum citatum, & clarè videbitur, loqui S. Augustinum. Similia habent S. Fulgentius, & S. Prosper ad capitula Gallorum c. 15. Angelicus autem in c. 8. ep. ad Rom. lect. 6. sic scribit: *Non quia omnes præscitos prædestinavit, sed quia eos prædestinare non poterat, nisi præsciret.* Idem 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. ait: *Dicendum, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum.* Ex his abunde claret, ex mente SS. Patrum scientiam conditionatè futurorum antecedere eo modo, quo in DEO fieri potest, ipsa decreta, adeòque esse scientiam mediam. Quidam hoc loco etiam agunt de Decreto Concomitante Scotifico: sed de hoc nos agemus inferius.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

431. **O**B. 1. S. Augustinus l. 2. de bono persever. c. 18. ait: *quòd, quando apud aliquos verbi DEI tractatores reperitur nomen præscientie, & agit de vocatione electorum, nomine præscientie intelligi debet prædestinatio:* ergo (infern Gonetus tom. 1. tr. 3. de scientia DEI disp. 6. a. 7. §. 2. n. 187. quando S. Augustinus, à nobis n. 401. citatus, ait, DEUM vocare sic hominem, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat: *Hoc ita intelligendum est, DEUM sic eos vocare, quomodo lo prædestinat eis congruere, ut vocantem non respuant.* sive, quomodo præscivit scientia fundata in decreto, & prædestinatione: ergo S. Augustinus admittit decretum subjektivè absolutum, & objectivè conditionatum.

Resp. Verba S. Augustini habentur c. 19. at non habentur, ut citantur: sed sic: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi DEI tractatores legimus DEI præscientiam, & agit de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?* Ex his autem non inferitur, voluisse S. Augustinum, omnem præscientiam fundari in aliquo decreto; nam in primis oppositum aperte desumitur ex initio antecedentis capituli 18. ubi sic habetur: *Unde aliquando eandem prædestinatio significatur etiam nomine præscientie:* ecce dicitur aliquando, non semper: 2dò in verbis paulo ante n. præced. citatis clarè præscientiam, & prædestinationem distinguit: item eodem libro c. 14. dum ait: *Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia scilicet, & preparatio beneficiorum DEI, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur:* manifestè supponit, præscientiam nudè sumptam nondum esse prædestinationem. Unde ad summum voluit, per præsci-

entiam intelligendam prædestinationem tunc, quando ad hoc aperta non ratio cogit, ut cogit circa textum, quem ibi affert ex ep. ad Rom. c. 11. n. 2. *Non repulit DEUS plebem suam, quam præscivit:* ubi Apostolus clarè innuit electionem, seu prædestinationem Israëlitiæ populi.

432. Nullo modo autem inferitur, præscientiam conditionalem, seu scientiam conditionatè futurorum fundari in decreto; cum de hac re ibi profus non agat: insuper scientia ista prædestinatio dici non possit; quia, posita etiam scientià de conditionatè futuris plurimis bonis operibus, DEO adhuc liberrimum est, ea opera bona, vel hominem prædestinare. Certè, licet de Juda DEUS præsciverit, eum sub certis conditionibus plurima bona opera facturum fuisse, tamen nec illa bona opera, nec ipsum prædestinavit. Ex quo ulterius inferitur, quòd, quoad præscientiam conditionalem, electi & reprobi sint pares, & indiscrimini (cum tamen prædestinatio ex mente S. Augustini, & omnium, sit discretio inter istos) adeòque saltem sit certum, quòd non omnis præscientia conditionata sit prædestinatio, seu decretum. Quare S. Augustinus loc. cit. de decreto hoc Thomistice non cogitavit. Intendit ibi monstrare, merita non præcedere gratiam, sed hanc præviam esse ad omnia merita: item prædestinationem ad gratiam (de qua eum ibi loqui est clarum) gratuitam esse; ex occasione autem dicit, à DEO præsciri bona opera in prædestinatione: & clarum est, tum ex c. 17mo tum ex 18vo tum ex hoc ipso 19mo, eum loqui de operibus absolutè futuris, quæ sola in sensu strictiore asserit præsciri S. Augustinus citatus n. 394. quæque in decreto, ea prædestinante, seu prædefiniente, posse videri non negamus: quamvis simul etiam videantur in se ipsis. Nos autem hic non agimus de scientia absolutè futurorum, sed tantum de scientia conditionatè futurorum, de qua S. Augustinus ibi nulla est mentio; sed mentio est hoc ipso libro c. 14. ex quo textum adduximus n. 401. utpote scientiæ mediæ sat clarè faventem: & adhuc copiosior mentio est l. 1. ad Simplicianum q. 2. vide à n. 399.

433. Ob. 2. Nihil potest concipi futurum, nisi concipiatur ut præsupponens suas causas: ergo neque conditionatè futurum potest concipi, nisi concipiatur ut præsupponens decretum DEI subjektivè absolutum. Conf. Futurum absolutum prærequirit decretum absolutum actu existens: ergo futurum conditionatum prærequirit decretum conditionatum actu existens. prob. conf. aliàs posset etiam dici, quòd futurum absolutum non requirit decretum actu existens, sed tantum futurum, sive existens per ampliationem. Resp. omiff. ant. dist. conf. nisi concipiatur, ut præsupponens decretum DEI absolutè actu existens, neg. conf. conditionatè tantum existens, hoc est, quod daretur, si res absolutè esset futura. omit. conf.

Si enim res est tantum conditionatè futura, tunc sicut nunquam absolutè existet, ita nunquam prærequirit causas absolutè existentes. At si aliquando realiter actu est exitura, tunc causas pro sua temporis differentia actu existentes prærequirit: & quia decretum DEI, quod aliquando debet dari, debet ab æterno dari, quodlibet

libet absolutè futurum prærequirit decretum ab æterno actu existens. Ad conf. neg. conf. ad prob. neg. illatum ex ratione modò assignata, quam etiam Pontius Scotista affert apud Martinez contr. 4. disp. 3. sect. 5. Eodem modo futurum conditionatè non debet esse determinatum in causis per statum existentibus, sed tantum existentibus conditionatè, & per alienationem. Ubi nota, quando voci determinatum additur de futuro, vel conditionatè, hæc esse addita diminuentia, ut verbum est non sumatur pro statu, sed per alienationem, vel ampliationem. vide Martinez contr. 4. disp. 2. sect. 4.

434. Dices. Futurum conditionatum non præsupponit decretum merè possibile: ergo actu existens. Confirm. Futurum conditionatum jam ab æterno transit à statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ: ergo jam ab æterno debuit dari causa ejus translativa: atqui nulla datur ab æterno, nisi decretum DEI: ergo. Resp. Supposito, quòd illud non sit etiam absolutè futurum, dist. ant. non præsupponit decretum merè possibile per statum. neg. ant. per alienationem. conc. ant. & neg. conf. A parte rei non magis datur per statum decretum conditionatè existens, quam merè possibile; quia utriusque nunc datur negatio. Discrimen tantum est, quòd negatio decreti merè possibilis semper detur: negatio autem decreti conditionatè existentis absolutè quidem semper detur, non tamen detur semper conditionatè; si enim poneretur conditio, non amplius daretur negatio, sed existeret ipsum decretum: & quidem tunc, cum res absolutè esset futura, existeret decretum jam ab æterno.

Ad confirm. neg. suppositum; neque enim pura possibilitas, neque futuritio conditionata propriè loquendo sunt status, sed utraque est alienatio; & hinc etiam transitus fit tantum per alienationem, etque in utroque casu verbum est sumitur tantum in vi copulæ. Hinc potest etiam distingui ant. transit per statum. neg. ant. per alienationem. conc. ant. & dist. conf. debuit dari causa per statum. neg. conf. per alienationem. conc. conf. hoc est, si fieret, deberet dari causa: at quia absolutè non fit, neque absolutè debet dari causa. Nec dicas, hac ratione futurum conditionatum esse tantum ens rationis, & nihil reale. Resp. enim, esse aliquid reale, sicut scilicet possibile, non quidem per statum, sed per alienationem. Sed neque ex eo, quòd conditionatè futurum debeat (si velit absolutè existere) dependere à decreto, debet haberi à DEO decretum jam existens; nam etiam omne possibile debet dependere à decreto, si velit existere, quin tamen DEUS habeat decretum actu existens circa omnia possibilìa.

435. Ob. 3. Actus conditionatè futurus, & absolutè futurus, imò & actu existens, sunt unus, idemque realiter actus: sed actus absolutè futurus, vel existens non potest videri ante decretum DEI: ergo neque actus conditionatè futurus potest videri ante decretum DEI. Quidam videntur negare, quòd sint idem, res possibilis, conditionatè futura, absolutè futura, & existens: sed hoc puto, non satis congruere cum communi in nostris scholis sententia, quòd essentia, & existentia realiter identificentur. Insuper existit

sentia non est forma physica, seu physiccè distincta ab existente: sed tantum est forma metaphysica, ut animalitas respectu animalis; est enim impossibile, & imperceptibile, quòd aliquid existat per existentiam sibi superadditam, & realiter à se distinctam, ut cuilibet consideranti patet, & saltem in nostris scholis est indubitatum. Nec replicari potest, quòd tantum essentia possibilis, & existentia possibilis, non verò essentia possibilis, & existentia actualis identificentur; nam hac ratione esset tantum quæstio de nomine inter nostros, & Thomistas, qui facile dicere possent, se per essentiam intelligere possibilem, per existentiam verò intelligere actualem, adeòque realiter distingui possibilitatem rei, & existentiam actualem ejusdem, quod tamen nostri non concedunt, neque concedere possunt.

436. Probatur. Si inter se realiter distinguuntur possibile, & actualiter existens, tunc non existit id, quod fuit, vel est possibile, sed aliquid realiter distinctum: neque producitur, quòd fuit possibile, adeòque non Antichristus, qui nunc est possibilis, sed aliquis ab eo distinctus existet. Nec dici potest, eundem quidem esse Antichristum, sed non eandem possibilitatem; nam sic possibilitas non esset intrinseca, sed extrinseca, contrà quam sentiunt isti, quibuscum disputamus. Ulterius, si possibilitas est distincta ab existentia actuali, tunc ex eadem ratione erit distincta cognoscibilitas, ut videtur clarum: ergo DEUS non cognoscit defecto Antichristum, qui existet, sed aliquid distinctum, scilicet cognoscibilitatem ejus realiter distinctam: quæ mihi saltem videntur minimè vera.

Rursus, si possibile, & actualiter existens distinguuntur, tunc etiam distinguuntur futurum, non tantum quidditivè (sic enim involvit negationem utique distinctam) sed etiam denominativè sumptum, ab actualiter existente: ergo alius est Antichristus nunc, quam sit ille, in fine mundi venturus: vel certè est aliud: ex quo sequeretur, quòd non iste in fine mundi, sed alius à DEO prævideatur, & consequenter, quòd DEUS nondum habeat scientiam visionis de Antichristo illum, quam habeat coexistentem Antichristo jam extra causas posito. Item sequeretur, quòd non sit prædictum illud Antichristi peccatum, cujus mensura temporis, seu existentia, est finis mundi, sed aliud distinctum: vel debet admitti, quòd DEUS videat duo entia distincta, quorum unum sit peccatum nunc futurum, alterum sit peccatum tunc existens. Si diceret, haberi duplicem quasi scientiam visionis, unam de futuro, alteram de existente, in primis hoc gratis dicitis: dein redit argumentum de cognoscibilitate existentia, seu præsentia; si enim hæc est distincta, tunc non cognoscitur præsens: si non est distincta, debes ipse solvere argumenta tua.

437. Adde: si actus conditionatè futurus, est distinctus realiter ab absolutè futuro, vel existente, debet admitti, quòd scientia media videat aliquid distinctum ab eo, quòd Deus postea decernit, vel permittit: cum scientia media videat conditionatè futurum, & DEUS decernat actu absolutè futurum, vel existentem: quæ omnia mihi videntur durissima. Quare facile concedo maj. & admitto, quòd idem realiter objectum sit scientiæ simplicis intelligentiæ, media

diæ (saltem quoad conditionatum) ac visionis, supposito, quòd res realiter existat, vel absolute existura sit; aliàs enim scientia simplicis intelligentiæ, & media, habent plura objecta, scilicet omnia etiam absolute non existura: at verò in hoc casu omnes tres istæ scientiæ videntur possibilitatem rei, & existentiam actualem: nec est diversitas ex parte objecti materialiter sumpti, sed tantum ex parte modi tendendi, uti expressè, & fuse docet Martinez *controv. 2. disp. 5. sect. 2. §. 3.* cui consentit Banholzer de DEO sciente *quæst. 2. art. 2. num. 26. ob. 3.* Platellus *part. 1. cap. 3. num. 91.* Hennaò de Scientia Media theologicè propugnata *part. 1. sect. 145. num. 1498.* ubi per objectum affirmatum intelligit formaliter distinctum, ut patet ex contextu, & explicat Martinez loco cit. Rhodes *disp. 3. de DEO quæst. 2. sect. 1. §. 2.* Arriaga de DEO *disp. 24. num. 40. §. 43.* Nec inveni ullum ex nostris impressum, qui admittat possibilitatem intrinsicam, & in hoc puncto contrarium teneat.

438. Scilicet scientia simplicis intelligentiæ tendit conditionatè, sed sub conditione necessaria: scientia media tendit etiam conditionatè, sed sub conditione contingentis; scientia visionis tendit absolute, sed in idem objectum. e. g. hæc propositio: *Antichristi peccatum in his circumstantiis est possibile:* quæ æquivaleret huic conditionali: *Si existat actualiter peccatum Antichristi, existit actualiter nihil repugnans:* est simplicis intelligentiæ. Altera propositio: *Si Antichristus existet in his circumstantiis, existet ejus peccatum:* est scientiæ mediæ. Tertia *Antichristus existet in his circumstantiis, & ejus peccatum absolute existit:* est scientiæ visionis. Est omnium trium eadè idem objectum, scilicet peccatum Antichristi. Ne autem dicas, scientiam mediã habere pro objecto etiam circumstantias &c. jam præoccupavi dicendo, hanc scientiam habere idem objectum cum aliis, sumendo tantum ejus conditionatum: quamvis etiam hæ ipsæ circumstantiæ ut possibiles sint objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, & ab hac affirmantur conditionatè; sed non sub illa conditione, sub qua eas affirmare potest scientia mediã.

Replicant, tamen esse realiter separabiles istas veritates objectivas: *Antichristus est possibilis: Antichristus est existens:* & quidem possibilitatem Antichristi jam nunc dari, non verò ejus existentiam. Resp. neg. quòd hæ veritates sint realiter separabiles, si sumantur in eodem sensu; nam, sicut possibilitas, ita existentia datur nunc per alienationem, vel ampliationem, & neutra nunc datur per statum: & quidquid de possibilitate est affirmabile, eodem modo est affirmabile de existentia actuali.

439. Dicunt, objectum simplicis intelligentiæ esse necessarium: objectum scientiæ visionis esse liberum. Resp. utrumque esse eodem modo necessarium, scilicet conditionatè, si existat: & esse contingens, vel liberum, ut existat absolute. Hinc, cum scientia simplicis intelligentiæ affirmet objectum tantum conditionatè, & hoc sit conditionatè necessarium, ipsa etiam est necessaria: at, quia scientia visionis est scientia absoluta, & affirmat objectum absolute: objectum autem absolute non est necessarium,

sed contingens; hinc etiam ipsa non est scientia necessaria, sed contingens.

Dicunt iterum, Antichristum de facto habere, quidquid requiritur ad terminandam scientiam simplicis intelligentiæ, non autem habere, quidquid requiritur ad terminandam scientiam visionis. Resp. propriè loquendo Antichristum nunc nihil habere per statum: sed etiam nihil requiri existentis per statum ad terminandam scientiam simplicis intelligentiæ.

Sed petes, quomodo ergo jam vera est propositio: *Antichristus est possibilis:* non autem altera: *Antichristus existit?* Resp. priorem esse implicitè conditionatam, & verbum est sumi tantum in vi copulæ: at verò alteram ex communi acceptione esse absolutam, & verbum est sumi in vi verbi: adeoque unam non affirmare aliquid, quod non affirmet altera, nec affirmare alium modum objectivum seu se tenentem ex parte objecti, & realiter distinctum: sed affirmare alio modo, se tenente ex parte propositionis, seu alio modo tendendi. Neque ad hoc, ut una propositio sit vera, altera falsa, requiritur, ut habeant diversum objectum: sed tantum, ut habeant diversum modum tendendi, ut patet in contradictoriis, quæ juxta omnes debent habere idem subjectum, & prædicatum, hoc est, idem objectum ex parte subjecti, & prædicati. Idem saltem communiter admittitur in propositionibus, quarum una est conditionalis, altera absoluta. Et hoc Martinez *locis cit. num. 437.* putat esse clarum, & certum. probatque ex paritate cum aëlibus voluntatis, quæ, licet habeant idem objectum, tamen propter modum tendendi diversum, unus est malus, alter bonus, e. g. bonus actus est amor DEI, malus actus est ejus odium.

440. Dices, Aliud est à parte rei, rem dari per statum, & aliud eandem dari per alienationem: sed scientia visionis habet pro objecto rem per statum: scientia simplicis intelligentiæ habet eam per alienationem: ergo. Resp. neg. suppositum, quòd aliquid à parte rei detur per alienationem; nam, ut dictum *num. 329.* alienatio non est realis status, sed præcisivus ab existentia, & non-existentia: seu est status indifferentiæ (extrinsecæ, quam in simili explicavimus *num. 371.*) ad existendum, vel non existendum: quæ indifferentia formalis non datur, saltem adæquatè, à parte rei; omnis enim res à parte rei, vel actu determinatè existit, vel determinatè non existit, adeoque semper est determinata: datur tamen indifferentia fundamentalis, hoc est, res contingens ratione suæ contingentis præbet fundamentum intellectui, ut possit eam concipere, præscindendo, an existat, an non existat; quæ tamen præcisio non datur à parte rei, hoc est, independentè ab intellectu, sed fit per cognitionem. Et hinc scientia simplicis intelligentiæ, formaliter accepta, est suo modo præcisiva: quamvis non sit præcisiva realiter accepta; quia semper habet secum identificatam scientiam visionis, vel de existentia, vel de non-existentia objecti, sicut scientia mediã, de qua re vide *num. 387. & 389.*

Aliud est, si dicas, objectum dari tantum per alienationem; nam particula *tantum* significat, dari nunc suo modo per statum negationem obje-

jecti, quòd hic, & nunc præcisivè, vel conditionatè cognoscitur: & utique aliud est à parte rei negatio, & res, quæ sola res. Sed hæc negatio, suo modo per statum existens, non est objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, cum sit objectum contingens.

441. Habet itaque scientia simplicis intelligentiæ pro objecto rem, præscindendo, an per statum, an per alienationem existat; quia vera est, quocumque modo objectum existat. Quòd autem scientia visionis non attingat objectum, nisi per statum existat, non probat, eam habere aliud objectum, quàm habeat scientia simplicis intelligentiæ: sed tantum, quòd minus latè pateat, ut jam insinuatum *num. 437.* sicut etiam terminus homo minus latè patet, quàm terminus animal. Addendum tantum, quòd scientia visionis de re absolute quidem futura, necdum tamen existente, sit quasi propositio duplex, quarum unã DEUS affirmat negationem pro tali temporis differentia, alterã verò existentiam pro aliã: & hæc altera tantum habet idem objectum cum scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate rei, ut per se patet.

His propter inferiùs dicenda fusiùs deducitis, Resp. ad objectionem *num. 431.* propositam, conc. maj. dist. min. actus absolute futurus non potest videri ante decretum DEI absolute, conc. min. non potest videri conditionatè, neg. min. & conf. ad hoc enim, ut eadem res affirmetur tantum conditionatè, non requiritur absoluta voluntas illud faciendi, quamvis requiratur ad hoc, ut affirmetur absolute. Sic ad hoc, ut verè affirmes absolute, quòd velis te convertere, opus est absoluta voluntate, vel decreto; ut tantum affirmes id conditionatè, si libereris à morbo, non requiritur absoluta voluntas, nec etiam absoluta liberatio.

442. Ob. 4. Si non datur decretum prædeterminativum Thomisticum, vel Scotisticum, debet dari decretum indifferens, applicativum omnipotentis Divinæ: sed hoc non potest admitti: ergo. prob. min. Decretum hoc haberet hunc sensum: *Concurrat, si creatura agat:* sed hunc sensum habere non potest: ergo. prob. min. vel intelligitur: si creatura agat per actionem distinctam: & non potest dari actio, in quam DEUS non influat: vel intelligitur: si agat per eandem actionem: & esset sensus: *Concurrat, si concurrat:* indignus decreto DEI: ergo. Resp. neg. maj. Inferiùs, quando explicabimus applicationem omnipotentis Divinæ, patebit, non esse necessarium decretum taliter indifferens. Juxta Patronos decreti sic indifferentis, istud non habet unum ex dictis, sed hunc alium sensum: *Volo concurrere ad actum bonum: nolo impedire actum malum.* Alii dicunt, habere hunc sensum: *Volo concurrere pro jure electivo creature ad actum ab ea determinandum:* in quo posteriore, si non involvatur aliqualis inclinatio ad actum malum (ut opponit Sagara in manuscriptis) nihil est DEO indignum. In nulla autem harum explicationum decretum hoc est conditionatum, sed semper absolutum.

ARTICULUS VIII.

An detur Prædeterminatio Physica.

443. Non abs re judicavi, quæstioni de decreto conditionatè præde-

terminante subjungere controverfiam de ipsa Physica Prædeterminatione, de qua, & Scientia Media, lis diuturna agitata est inter RR. PP. Dominicanos, & nostros, primò coram Cardinali Madrutio, deinde coram Clemente VIII. ac tandem coram Paulo V. Pontificibus Maximis. Hæc juxta Antonium Goudinum, ex Ordine S. Dominici, acrem ejus defensorum, *q. p. Philosophiæ q. 3. a. 2. est influxus causæ primæ, in causis secundis receptus, quo illa ista: physicè, activè, & (ut statim explicat) præviè, movet, applicat, & ad agendum determinat.* Requiritur autem hæc prædeterminatio, seu præmotio, juxta suos Patronos ad omnes actiones creaturarum, tam naturales, quàm supernaturales, tam necessarias, quàm libera: & in ordine ad actiones supernaturales est supernaturalis.

444. Cæterum, non quidem ab omnibus ejus afortioribus, omnia eadem prædicata ei tribuuntur: attamen in his communiter conveniunt: 1. Prædeterminatio est entitas quædam creata, five absoluta, five modalis, 2. Distincta ab actione causæ 2dæ: & hinc etiam non est actio vitalis, ut patet: item est à DEO liberrimè causæ 2dæ immiffa; quia ratio hujus DEUS debet esse primum liberum, primum agens, primum determinans: & si præmotio etiam causæ 2dæ libera foret, ruerent omnia argumenta, quæ contra nos afferre solent adversarii, ut patebit consideranti: 3. Est creaturæ impressa transeunter, non permanentè; quia non est per modum habitus. 4. Præmotio est essentialiter necessaria, ut repugnet dari ullam actionem, & non dari prædeterminationem; cum aliàs auferretur DEO, ut ajunt, perfectio primi determinantis, & primi liberi. 5. Est essentialiter connexa cum actione creaturæ, ita, ut posita prædeterminatione sit metaphysicè impossibile, non dari actionem; aliàs enim non posset DEUS in decreto prædeterminante infallibiliter videre actiones liberas creaturarum absolute futuras. Tandem 6. non est prior tempore ad actionem creatam: an sit prior naturâ, seu ex parte actus primi proximi (hæc enim synonyma sunt, nisi omnia nova quæstione de nomine obfurentur) modò in dubium vocatur; quamvis etiam antiquiores Thomistæ admiserint, atque etiam Goudin *loc. cit. num. præced.* ubi sic habet: *Quia motio, & applicatio virtutis activæ ad agendum est prius natura, quàm ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, & omnis causa suo effectu; ideo motio illa dicitur prævia motio: seu præmotio.* item Gonetus *tom. 4. tr. 7. de hæres. Pelag. disp. 1. a. 3. n. 27.* ubi docet, non dari in homine potestatem perfectam, atque completam ad actus salutares, nisi ei conferatur supernaturalis aliqua virtus, qua voluntas, saltem prius naturâ, physicè moveatur ad eos eliciendos. Sed de hoc inferiùs iterum.

445. Hanc Præmotionem ita explicatam acriter tuentur Thomistæ, & quidam etiam addunt præcipuos Societatis Doctores, Bellarminum, Suarezium, Pererium, & alios plures: ipsum etiam Molinam, qui tamen aliàs apud eosdem ob scientiam mediã, ut ajunt, inventam minimè honorificè audit; sed ista, & alia plura, quæ hinc inde sine fundamento sparguntur, refutata abundè sunt à Theodoro Eleutherio, & aliis, qui infu-

insuper plures insignies Dominicani Ordinis Doctores prædeterminationem dictam rejecisse testantur: neminem autem ex nostris, saltem qui alicujus nominis sit, eam defendisse commonstrant. Mihi, cui fixum est scribere sine amaritudine animi, & sine aliorum offensione, non lubet similes controversias ingredi, quæ sæpe sunt causæ, ut lites non intra limites intellectus consistant, sed ad voluntatem etiam transeant, non sine omni charitatis mutua vulnerè. Tantum dico, Bellarminum in Ascetico Opusculo *De Ascensione mentis in DEUM* (quod senex ultimis annis scripsit) ita habere *Grado 12. c. 4. Possit fortasse responderi, DEUM videre cogitationes ipsas futuras in æternitate sua, cui omnia sunt presentia, vel in prædeterminatione voluntatis sue. Sed, si ita esset, non esset mirabilis scientia ista; nam & nos possumus facile scire, quæ facturi sumus, vel quæ nobis presentia sunt.* Alludit autem ad illud *Psal. 138. v. 6.* quod præmiserat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* De cætero omisiss hisce, & restringendo insuper assertionem ad actus liberos creaturarum,

446. Dico cum omnibus nostris, & plurimis aliis. Non datur prædeterminatio physica. Probatur. 1. auctoritate S. Thomæ, qui pluribus locis docet, voluntatem in actionibus liberis non ab alio, sed à se ipsa determinari. 1. modo de omni motione DEI universaliter loquens sic ait *Quodlibeto 1. a. 7. ad 2. Sic DEUS movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere: at non potest, si vera est sententia opposita, ut infra pluribus ostendetur. 2do. l. 1. contra Gentiles c. 68.* sic habet: *Dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum; & violentiam cause externi agentis.* Ecce! non tantum violentiam, sed etiam determinationem excludit libertas, quam superior non excludit, ut ibi ait, influxum cause superioris: ergo hic non determinat ad unum. 3to *l. 3. contra Gentiles c. 159.* *Cum hoc sit in potestate liberi arbitrii impedire Divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire:* atqui prædeterminationis immisionem, & hac posita consensum, impedire nemo potest. 4to *in 2. sentent. dist. 28. q. unica. a. 1. in corp.* *Non enim esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc, aut illud:* ergo non DEUS, sed homo determinat. 5to iterum in *2do. dist. 39. q. 1. a. 1. in corp.* *Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante:* ita habet teste *Gormaz de DEO n. 634.* exemplar Parisinum: & ita etiam habet exemplar, quo ego usus sum, Gothicis typis excusum: adeoque non legendum ab alio determinatè: ut aliqui volunt; quia esset sensus hiulcus, nec etiam adversariis favens, juxta quos esset à DEO determinatè. 6to eadem questione *l. 1. a. 2. in corp.* scribit: *Hoc autem (dominium in actus) est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati convenit.* 7mo in *4. dist. 49. a. 3. quæstioncula 2. ad 1. ait:* *Potentia rationalis se habet ad opposita in 1. quæ ei subjunct, & hac sunt illa, quæ per ipsam de-*

terminantur: non autem potest in opposita illorum, quæ sunt ei ab alio determinata: & ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod est Divina impressio determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi; potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet. Plures similes textus videre potes apud Platenum *de scientia media.* Ex quibus patet, Angelicum asserere, quod voluntas habeat dominium suorum actuum liberorum, nec ad hos ab alio, quàm à se ipsa determinetur: & si etiam à DEO, seu Divina impressione ad aliquid determinetur, non possit oppositum liberè facere: ergo juxta S. Thomam prædeterminatio physica non stat cum libertate, adeoque non datur.

447. Confirm. S. Augustinus *l. 12. de civitate DEI c. 6.* ait, quod, si duo sint æqualiter animo, & corpore affecti, & æquali tentatione ex appetitu puritudo in corporalis tententur, si unus succumbat, alter non, ratio alia non fit, quàm, unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere: ergo S. Doctor supponit, omnia in lapsu, & stante, antecedenter fuisse æqualia in animo, & corpore; aliàs non probaret suum intentum, quod erat, ipsam voluntatem se facere malam; si enim non omnia forent æqualia, & uterque non habuisset æqualem libertatem, seu æqualibus constitutivis constantem, facile posset assignari disparitas, ut est clarum: atqui hæc non stant cum sententia adstruente prædeterminationem; nam juxta illam neutriquam sententia omnia in his duobus tentatis; eum unus haberet prædeterminationem ad vincendum, alter ad succumbendum: quæ esset disparitas plusquam palmaris. Huc spectant etiam omnia illa S. Augustini dicta, adducta à n. 399. ubi adstruit scientiam mediam, qua posita non datur prædeterminatio.

S. Chrysostomus *homil. 12. in epist. ad Hebræos post medium* de DEO, ejusque efficacitæ decreto sic ait: *Non antecedit nostras voluntates, ne ledatur liberum arbitrium.* S. Damascenus (ut eum citat Angelicus *l. 1. p. q. 23. a. 1. in 2. lib. de fide orth. c. 30. in principio:* *Omnia quidem præcognoscit DEUS, non autem omnia prædeterminat; præcognoscit enim ea, quæ in nobis sunt, non autem prædeterminat ea:* sed merita & demerita humana sunt in nobis, in quantum sumus nostrorum actuum domini per liberum arbitrium. Ubi tamen addo, versionem S. Damasceni, qua ego usus sum, non habere prædeterminat, sed præsentit.

De cæteris SS. Patribus sufficit in memoriam revocare, quod supra n. 429. de variis questionibus ab iis propofitis diximus, dum de decreto objectivè conditionato egimus; nam sicut ibi diximus, quod ipsis non de aliis excusandis, quod non sint mala, fuisset laborandum: sed potius de eo, quod non fuisset mala præsciencia in decreto illa fundata: ita hæc dicimus, quod ipsis etiam fuisset potissimum laborandum, ut excusarent prædeterminationem ad illos eventus, si hanc à DEO immitti censuissent.

448. Prob. conclusio 2. ratione. Prædeterminatio physica non stat cum libertate: ergo non potest admitti. prob. ant. Ille non est liber ad agendum, vel non agendum, (quæ est libertas contradictionis) vel ad oppositum agendum, (quæ est libertas contrarietatis, quæ utraque in homi-

homine latere sapissime, imò fermè ordinariè debet admitti) qui non habet pro libitu suo aliquid essentialiter requisitum ad agendum, & simul habet essentialiter impedimentum actionis: atqui habens prædeterminationem e. g. ad amorem, non habet pro libitu suo prædeterminationem essentialiter requisitam ad odium, sed habet essentialiter impedimentum odii, scilicet prædeterminationem ad amorem: ergo non est liber ad agendum, seu ponendum odium. Eodem modo facile probatur, talem hominem non esse liberum ad amorem, si habeat prædeterminationem ad odium, minor syllogismi est adversariorum: major habet duo membra (quorum tamen quodlibet sufficeret ad probandum conclusionem) & probatur utrumque à pari. Pone tyrorem pictorem, aut scribam, qui, ut lineam rectam ducat, essentialiter indigeat manu ductione Magistri, qui liberrimè, & invitabiliter possit ejus manum ad rectam, vel curvam lineam determinare: pone insuper, quod Magister discipulum dirigat ad ductum lineæ curvæ: num quis prudenter censere poterit, discipulum liberum esse ad lineam rectam ducendam, vel etiam non necessitatim ad lineam curvam? Certè nemo id dicet, & certius nemini, si quis id etiam dicat, persuadebitur.

449. Probatur conclusio 3. Ne hic misceatur quæstio, in quo stet libertas, certum est ex Scripturis, & Patribus, hominem ita esse liberum, ut ei actiones, vel omissiones sint impurabiles ad laudem, vel vituperium, ad præmium, vel poenam: atqui prædeterminatus e. g. ad amorem objecti inhonesti tam parum potest castigari propterea, quod eum amorem non omiserat, vel objectum illud non oderit, quàm parum tyro, invitabiliter directus à Magistro ad lineam curvam, potest castigari, quod non duxerit rectam, vel omiserit curvam. Confirmatur. Juxta opinionem adversam saltem non posset quis reprehendi comparativè, e. g. non potuissent meriti reprehendi à Christo *Mathei 11. v. 21.* incolæ urbium Bethsaida, Capharnaum, & Corozaim, præ Tyriis, & Sydoniis (qua de re egimus supra *num. 414.*) quia illi facile excusare se potuissent, eo quod non fuerint prædeterminati ad conversionem, uti tamen prædeterminati fuissent Tyrii. Sicut tyro, determinatus ad lineam curvam, facile ostenderet, se non esse vituperandum præ alio, qui manu tractus ad rectam, non duxisset curvam.

Non autem potest retorqueri argumentum in nostram sententiam dicendo, Corozaitas etiam juxta nos excusationem potuisse prætere, eo quod non fuerint positi in iis circumstantiis, in quibus DEUS prævidit, eos convertendos, sicut tamen positi fuissent Sydonii; nam reselluntur facile, reponendo, eos positos fuisse in iis circumstantiis, in quibus fuissent ponendi Sydonii, & habuisse gratiam æqualem, cui, si voluissent, non minus, ac illi, cooperari potuissent, quo casu prævisi fuissent consensuri: adeoque culpam omnem penes ipsos manere, ob quam merito vituperentur. Confirmatur 2. in adversa sententia non potest explicari, quòd, & quomodo detur auxilium purè sufficiens: atqui hoc debet explicari (nam etiam, qui non bene agit, adeoque prædeterminatus non est, debet sæpe vi præcepti Divini, vel humani bene agere,

adeoque debet habere auxilium purè sufficiens, hoc est, quod non conjungitur cum effectu: & certè post decreta Innocentii X. & Alexandri VIII. non potest negari, quòd sapissime tale auxilium detur) ergo. prob. ma. Si datur prædeterminatio, e. g. ad amorem præceptum, tunc essentialiter sequitur actus amoris, & auxilium non est purè sufficiens: si non datur prædeterminatio ad amorem, tunc deest aliquid essentialiter requisitum, quod pro libitu hominis non potest acquiri: ergo non est explicabile, quomodo, aut quando habeatur pura sufficientia, seu auxilium purè sufficiens.

450. Probatur conclusio 4. Prædeterminatus non tantum (quod hucusque probatum) non habet potentiam ad oppositum, sed habet necessitatem ad actum prædeterminatum; ergo non habet libertatem. Antec. quidem fuit ex jam dictis, probatur tamen adhuc claris. Qui non potest impedire præmissas syllogismi legumini, neque potest impedire conclusionem ex iis ritè illatam: sed juxta adversarios prædeterminatus non potest impedire præmissas, ex quibus legitime inferitur actio: ergo neque potest hanc impedire: ergo est necessitatus ad eam. ma. negari non potest; qui enim non potest impedire identitatem in tertio, neque potest impedire identitatem inter se. Sanc, qui non potest impedire veritatem istarum præmissarum: *Omnia in peccato mortali mortuus damnatur: sed Petrus est in peccato mortali mortuus:* neque potest impedire, quò minus vera sit conclusio: *ergo Petrus damnatur.* probatur jam min. superioris syllogismi. Juxta adversarios nullus homo potest impedire circa se veritatem istarum præmissarum: *Omnia prædeterminatus consentit: sed ego sum prædeterminatus:* ergo neque potest impedire conclusionem: *ergo ego consentio:* subsumo: sed consensus, quem non possum impedire, est mihi necessarius: ergo.

Idem argumentum brevius sic proponitur. Qui habet antecedens inimpedibile, & essentialiter connexum cum aliqua actione, & necessario eam ponit: sed prædeterminatus habet tale antecedens: ergo. ma. si negetur, etiam negabo, ligatum vinculis insolubilibus necessario manere in loco, cui alligatus est: negabo etiam, Beatos in celo necessario amare DEUM &c. Confirm. solidè ex Tridentino. Hoc *sess. 6. c. 5.* docet, quòd homo possit gratiam illam, cui hic & nunc cooperatur, abjicere. & *Can. 4.* quòd possit ei dissentire, si velit: ergo hæc gratia non stat in prædeterminatione physica (ut tamen adversarii supponunt, & ex SS. Patribus, præsertim Augustino, & Thoma probare contendunt) prob. cons. Est impossibile, ut prædeterminatio sit sine suo actu: ergo non potest ei homo dissentire, nec eam abjicere; quia dissentire est conjungere cum illa dissentum: & abjicere significat hic idem, ac rejicere, seu non assentiri; hoc enim est rejicere incitamentum ad aliquid. Quod si etiam abjicere intelligi vellent in sensu physico, tamen prædeterminatio non posset abjici; quia nec potest expelli ab homine, nec impediri.

451. Prob. conclusio 5. Ex principiis adversariorum sequitur, debere etiam dari prædeterminationem ad actum malum; sed hoc non potest admitti: ergo. ma. negat Zummel cum paucis,

ARTICULUS IX.

Expenduntur Responsa Adversariorum.

paucis, de quo vide Theodorum Eleutherium *Histor. de auxiliis l. 2. c. 12.* sed non servat consequentiam doctrinæ; nam rationes, quæ pro prædeterminatione afferuntur, e. g. ratio primi liberi, primi determinantis in DEO &c. vel universaliter probant, vel nihil. Unde alii distinguunt inter formale, & materiale peccati, sive inter formalem malitiam, & inter physicam entitatem actûs: & concedunt quidem, dari prædeterminationem ad physicam entitatem actûs, sed non ad formalem ejus malitiam, quam plures statuunt, esse negationem debitæ bonitatis in actu.

Verùm omisâ hac distinctione actûs, & ejus malitiæ (de qua *in tract. de peccatis*) sic prob. mi. Juxta adversarios DEUS liberrimè immittet talem prædeterminationem, qua determinaretur homo ad actum, ex quo sequeretur necessitate metaphysica formalis malitia, in quocumque tandem hæc consistat: ergo per ipsum staret, atque ab ejus voluntate proveniret, ut peccatum potius datur, quàm non datur: ergo ipsi peccatum imputabile esset. & non homini, qui se conformaret voluntati Divinæ, adeoque potius bene, quàm malè ageret. Nec adversarii distinguunt iterum materiale peccati in formaliter sumptum, & materialiter sumptum; quia quomodo-cumque distinguatur, aut sumatur, semper manet metaphysica connexio cum formali peccato, saltem mediata: unde sicut, qui trahit primum anulum catenæ, trahit etiam ultimum, qui mediata colligatus est primo: ita DEUS prædeterminans ad entitatem actûs, sive immediatè, sive mediata, attamen metaphysicè connexam cum formali malitia, etiam ad hanc imputabiliter, quia scienter, determinat: & non homo, qui nec malitiam formalem ab actu separare potest, nec ad entitatem actûs determinare: DEUM autem, & non hominem, imputabiliter determinare ad malum, adversarii constantissimè negant cum Tridentino *sess. 6. can. 6.* anathema dicente illi, qui *dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, DEUM operari.* ergo debent etiam negare id, unde hoc sequitur.

452. Conf. 1. DEUS non potest præcipere, aut fuadere materiale peccati; quia esset author peccati: ergo multò minùs potest ad illud prædeterminare. prob. conf. Longè minùs determinat præcepta, & suasiones, quæ non necessariò inferunt actum, quàm physica prædeterminatio: ergo. Confir. 2. DEUS juxta adversarios præciperet impossibilia, & quidem sub poena ignis æterni; dum ex una parte præciperet, ne peccaremus: & ex altera nobis immitteret determinativum metaphysicè connexum cum peccato: hoc de DEO ne quidem cogitari potest: ergo. Planè, si quis ligato vinculis insolubilibus, præciperet sub poena capitis, ut ambularet, aut tyroni, à Magistro inevitabiliter determinato ad lineam curvam, præciperet, ut duceret rectam, censeretur immitissimè impere Chimærica. Confir. 3. Saltem ridiculè, & imprudenter eo in casu immisâ prædeterminationis DEUS nos interiùs, & exterius hortaretur ad non peccandum, ut consideranti facilè patet: & tamen hoc semper facit, quocumque peccamus: ergo.

453. PRout variè à nostris Patroni prædeterminationis impugnantur, ita varias hinc inde responsiones, quibus vim argumentorum se evitare posse sperant, opponunt, quarum plures hic afferemus. Itaque primò plures, Recentiores præsertim, negant, prædeterminationem se tenere ex parte actûs primi: sed ajunt, eam se tenere, vel ex parte actûs secundi, vel ex parte actûs intermedii inter primum, & secundum, & esse tantùm aliquam applicationem, seu determinationem causæ secundæ ad agendum, ita, ut sine illa habeatur totus actus primus proximus completus, seu tota potentia expedita, adeoque tota libertas. Addunt, hinc voluntatem, etiam non prædeterminatam, habere omnia requisita ad posse, licèt non habeat omnia requisita ad agere. Sed in primis non videntur ita locuti antiquiores, neque etiam Gonetus, ut indicavimus suprâ *num. 444.* 2dò hæc ratione pro ipsi non stant SS. Patres, quos nobis opponunt, quasi gratiam efficacem physicè prædeterminantem aditruant; nam hi eam gratiam vocant *vires efficacissimas*, & Cathichimus Romanus (quem adversarii sibi valde favere existimant) *virtutem intimam & vim occultissimam* appellat: sed planè vis, vires, & virtus simpliciter dicta, se tenent ex parte actûs primi; cum synonyma sint cum potentia; nisi antiquiorum significatio penitus invertatur: 3tò Prædeterminatio est essentialiter requisita ad actionem, non quidem pro priori temporis, tamen pro priori naturæ, estque ab actione creaturæ realiter distincta: est applicatio causæ ad agendum: cur ergo non constituat actum primum; cum alia, ita se habentia, præsertim omnis applicatio causæ, constituat semper actum primum? Sic etiam dici possent, manuductionem Magistrî, vel motum, ab hoc in manu tyronis scribæ productum, non constituere actum primum, adeoque dari potentiam totam expeditam ad scribendum, vel lineam ducendam absque ea manuductione. Adde, quòd adversarii explicare non possint actum primum expeditum ad posse, in quantum diversus est ab expedito ad agere, nisi per illum intelligant tantùm potentiam remotam, vel impeditam, qualem habet lapis e. g. ad decidendum, eam actu projicitur sursum: quæ potentia utique non est proxima, nec sufficiens ad liberè merendum, vel demerendum.

454. 4to. Dato, & non concesso, quòd prædeterminatio non se teneat ex parte actûs primi, est saltem effectus simultaneus, cum actione creaturæ essentialiter connexus, & ad hanc essentialiter requisitus, à DEO tamen liberrimè producendus, ita, ut creatura eum pro libitu suo acquirere non possit: atqui, cui non est liber unus effectus ita simultaneus, illi nec est liber alter effectus connexus ergo creaturæ non est libera sua actio. minor patet intelligenti terminos. sic e. g. qui non potest movere unam rotam in curru, vel horologio, non potest movere alias inter se implicatas: & sic de aliis. 5to. Saltem ex parte actûs primi debet esse omni-

niopotentia parata ad concursum: sed, si DEUS prædeterminet e. g. ad amorem, non potest omniopotentia esse parata ad concurrendum ad ejus omissionem, vel ad odium; quia vellet metaphysicè opposita: ergo saltem non haberetur actus primus expeditus. 6to. Esti prædeterminatio non se teneat ex parte actûs primi ad amorem, tamen est impedimentum essentialiter, & inaufertibile ad ejus omissionem: adeoque cum illa non datur actus primus liber, seu expeditus ad utrumque; sic, licèt vincula, quibus quis ligatus est ad sellam, non dent potestatem sedendi; quia potest aliquis sine illis federe; tamen tollunt potentiam liberam ad ambulandum, non tollendo pedes, sed ponendo impedimentum. Unde talis nec est liber ad sedendum; quia non potest non federe. Ad ultimum additamentum dico, nisi quis abutatur verbis, planè non esse intelligibile, quomodo quis habeat omnia prærequisita ad posse, si non habeat prærequisita ad agere. Est quidem ad agere etiam requisita actio; sed non est prærequisita; quia est ipse actus secundus: at prædeterminatio est prærequisita: vel si dicatur esse effectus simultaneus, non est effectus liber creaturæ, nec in hujus potestate, eaque negatâ non potest voluntas agere, adeoque est requisita ad posse.

455. Respondent alii 2dò, prædeterminationem ab homine esse obtinibilem, & impedibilem, & plenè in potestate creaturæ: quod si verum sit, utique ruunt porissima nostra argumenta. Quæstio igitur est, quomodo impedibilis, vel obtinibilis sit. Goudinus dicit, nos posse eam semper à DEO accipere. Sed etiam possumus à DEO accipere potentiam volandi; quia tamen hanc DEUS non dat pro libitu nostro, non sumus liberi ad volatum. Addit idem Auctor, axioma esse, quòd, quæ per amicos possumus, censeamur posse per nosmetipsos. Sed hoc tantùm est verum, quando amici sunt ita dispositi, ut nobis semper velint dare, quod cupimus. At DEUS inimicis non est amicus peccatoribus: sed hoc omisso, juxta adversarios semper habet efficax decretum non dandi prædeterminationem ad bonum, quotiescunque homo istud non agit, vel peccat.

Alii dicunt, prædeterminationem ad bonum esse obtinibilem per preces, & impedibilem per peccata. Sed, quod attinet ad preces, quomodo eas fundet, qui ad eas prædeterminatus non est, ut plurimi non sunt? si dicant, priùs jam debuissè orâsse, ut ad posteriores preces prædeterminaretur: reponitur, ad illas quoque priores preces desuissè prædeterminationem, quotiescunque quis non oraverit (aliàs infallibiliter orâssset) & sic ascendendo usque ad primum instans morale usûs rationis; in quo si data fuit prædeterminatio, officio suo homo non desuit: si tunc data non fuit, ex illa negatione, tanquam radice, omnes omissiones precum, & negationes prædeterminationum secutæ fuerunt; adeoque reipsa prædeterminatio non est liberè obtinibilis ab homine. Insuper multùm facient adversarii, si probent, DEUM semper orantibus infallibiliter dare gratiam efficacem, seu juxta ipsos prædeterminantem, quamvis det semper, vel immediatè, vel saltem mediata sufficiens.

456. Jam quod attinet ad impedibilitatem prædeterminationis ad bonum per culpam, in primis difficulter explicatur, quomodo prædeterminatus ad materiale peccati culpam contrahat, ut probatum superius; cum actionem præcedentem omittere non poterit, utpote ad eam etiam prædeterminatus, & sic ulterius ascendendo iterum usque ad primum instans morale usûs rationis. Et quæstio, quæ culpâ suâ quis caret illa prædeterminatione, qua primâ vice aliquid boni, graviter præcepti, omittit? vel quæ culpâ promeruit prædeterminationem ad materiale peccati, quo prima vice DEUS offenditur? Si dicant, talem saltem non satis orâsse, vel aliter non fecissè, quantum fuit in se, redit argumentum; nam, vel ad hoc prædeterminatus fuit, vel non; si ita, omnia fecit: si non, tunc nequè liberè omisit. Si vellet recurrere ad originale peccatum, urgeri efficaciter possent ex eo, quòd hæc ratione ad demeritum, vel peccatum, sufficeret libertas habita in Adamo; cum tamen inter 31. propositiones ab Alexandro VIII. damnatas prima hæc sit: *In statu nature lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Præterquam, quòd hæc quæstio posset transferri ad ipsum Adamum, respectu cuius etiam DEUS fuit primum agens, primum liberum &c.

457. Alii recurrunt ad mutuum prioritatem naturæ, volentes, actionem creaturæ esse priorem naturâ ad illam ipsam prædeterminationem, quæ prior naturâ est ad ipsam actionem. Neque volunt, actionem esse priorem in genere morali; quia, ut actio esset ita prior, deberet aliunde existere, quod est impossibile: præterquam, quòd hæc ratione daretur prædeterminatio, seu gratia propter actionem, seu ex merito hujus, quod esset Pelagianum. Neque etiam volunt, actionem tantùm esse priorem in genere causæ finalis (quam aliqui valde improprè dicunt esse naturâ priorem) nam hæc ratione creatura non potest determinare DEUM ad dandam prædeterminationem; cum DEO liberrimum sit hunc finem intendere, vel non: & in infinitis non intendat; nam omnes bene agerent, si DEUS eos ad id prædeterminaret: præterquam quòd absurdè diceretur, DEUM ab actione mala, tanquam sine à se intento, determinari ad dandam prædeterminationem ad materiale peccati. Quare adversarii volunt, actionem creaturæ, & prædeterminationem DEI esse mutuo ad se naturâ priores in genere physico quoad primum esse.

Verùm primò ad homines: Si creatura equaliter determinat per suam operationem DEUM ad dandam prædeterminationem, DEUS non magis, quàm creatura est primum agens, primum liberum, primum determinans: quod tamen eum esse debere toties nobis inclamant. Si dicant, creaturæ actionem esse tantùm priorem in genere causæ passivæ, respondeo: vel creatura tamen per hanc causalitatem liberè determinat ad prædeterminationem: & manet argumentum: vel non determinat, & physica prioritas nihil prodest ad salvandam libertatem. Et sanè causa passiva non potest esse liberè determinare ad effectum producendum, sed tantùm jam productum recipere: unde claret, quòd

quod quidem creatura possit prædeterminationem recipere, non verò DEUM ad eam dandam determinare. Secundò. Creatura non potest pro libitu suo determinare ad dandam prædeterminationem, maxime ad bonum, quæ esset efficax gratia; nam hæc non est *volentis, neque currentis, sed miserentis DEI*. Tertio. Hæc mutua prioritas esset in eodem genere physico, qualis à nemine admittitur (cùm nihil possit physicè ad seipsum mediàtè, vel immediatè præsupponi: quod ex Physica hæc meritò suppono) ergo non debet hæc adstrui: prob. ant. Actio esset prior tanquam dispositio ad prædeterminationem, ut ajunt, adeoque prior ut recepta in voluntate: quæ prioritas, mea pace, poterit reduci ad prioritatem causæ, vel quasi causæ materialis, seu passivæ: sed in eodem genere esset prior prædeterminatio: ergo, prob. min. Ista etiam nihil efficit; aliàs esset causa, manifestè spectans ad actum primum, & quidem causa necessaria: sed tantum est applicatio, vel determinatio voluntatis, tanquam causæ efficientis, & in hac recepta: ergo in eodem genere physico esset prior naturà.

458. Alii cum Reverendissimo Godoia dicunt, libertatem nostram eminenter contineri in libertate Divina, adeoque hanc esse eminenter libertatem nostram: consequenter, cùm prædeterminatio sit terminus libertatis Divinæ, etiam esse terminum libertatis nostræ: adeoque, quando eam DEUS liberè dat, nos etiam liberè eam recipere. Contra est. Licet libertas Divina sit eminenter libertas nostra, tamen exercitium libertatis Divinæ non est exercitium libertatis nostræ, imputabile nobis. Sic, licet omnipotentia DEI sit eminenter potentia nostra, tamen ejus exercitium non est exercitium nostrum; aliàs etiam patratio miraculorum nobis posset adscribi, seu imputari. 2. Sic DEUS per omnem suam potentiam non posset nos ad aliquid necessitare, neque per visionem beatificam ad se amandum; quia semper, quod ille liberè fecit, etiam nos liberè fecissemus: quod est absurdum.

459. Alii reponunt, prædeterminationem tantum afferre necessitatem ex suppositione, quæ non tollit libertatem, uti eam juxta omnes non tollit actio. Contra est. Alia est suppositio antecedens, & independens à libero arbitrio: alia est suppositio consequens, & dependens ab illo: Ista utique non tollit libertatem; quia est ejus exercitium: & talis est ipsa actio; altera verò tollit libertatem; nam ex S. Anselmo, necessitas, quam non facit actio, sed quæ facit actionem, est necessitas antecedens, & tollens libertatem: & talis est prædeterminatio; aliàs nec visio beatifica necessitabit ad amorem.

Alii dicunt, DEUM prædeterminare non tantum ad actionem, sed etiam ad ejus modum, seu libertatem, sive prædeterminare, ut libera sit: consequenter prædeterminationem non tollere, sed promovere libertatem. Idem volunt, qui dicunt, DEUM prædeterminare voluntatem, non per modum naturæ, sed per modum liberi, hoc est, non prædeterminatione, quæ conveniat causis necessariis, sed quæ congruat liberis. Contra est. DEUS non potest prædeterminare ad contradictoria: atqui hæc duo sunt contradictoria; actionem creaturæ esse liberam, & esse à DEO prædeterminatam; quia, si argumenta nostra quid probant, liberum est idem, ac non

prædeterminationem, seu expeditum quavis aliena determinatione. Si dicas, hoc ipso argumenta nostra nihil probare, eoque DEUS determinet etiam ad modum actionis, respondes, quod vel maxime est in questione; quia vel maxime hæc de hoc est, an talis prædeterminatio congruat causis liberis. Certè pari modo posset dici, DEUM etiam visione sua beatifica determinare ad modum amoris beatifici, seu ad eum liberum.

460. Alii satis communiter afferunt distinctionem inter sensum compositum, & divisum, dicentes, prædeterminatum habere libertatem ad oppositum, non quidem in sensu composito, sed in sensu diviso. Contra est 1. Ut voluntas sit libera in sensu diviso, debet habere potestatem faciendi sensum divisum, sive se dividendi, & separandi à præmotione: hanc autem non habet; quia non potest eam impedire, nec à se abjicere: ergo, maj. patet ab exemplis. sic licet non sim liber in sensu composito actionis, ut non agam, tamen sum liber in sensu diviso; quia possum actionem omittere, & me ab illa dividere, sic ligatus funibus, quos potest ipsemet solvere, est liber in sensu diviso; quia licet manente alligatione non possit fugere, potest tamen eam solvere, & abire. At verò, si vincula sint ab ipso insolubilia, non est liber, nec in sensu diviso: & quamvis licet possit ea solvere, si tamen ligatus non potest pro suo libitu eum ad illa solvenda inducere, propterea liber non est. Contra est 2. Tridentinum, n. 450. citatur, ait, hominem posse resistere gratiæ jam receptæ, & quidem efficaci, cui scilicet cooperatur, atque posse eam abjicere, quæ clarè denotant sensum compositum: quis enim dicitur resistere ei, qui non est præsens? quis abjicere id, quod non habet? Nec dicas cum aliis, voluntatem, etiam stante prædeterminatione, sive in sensu composito illius, esse liberam ad oppositum, potentia possibilitatis, non futurationis, hoc est, posse quidem oppositum facere, sed non facturam; nam contra: inexplicabile est, & imperceptibile, quod prædeterminatus possit oppositum facere, saltem potentia proximè expedita, ut fuscè probatum. Certè eodem modo dicam, ligatum vinculis insolubilibus habere potentiam liberam ad fugiendum.

461. Quidam dicunt, non tolli libertatem per prædeterminationem, eoque per ipsam non tollatur judicium indifferens, hoc est, quod proponat rem, ob aliquas rationes eligendam, ob alias negligendam. Addunt etiam DEUM esse liberum eo ex capite; quia habet judicium indifferens, & consequenter etiam liberam fore creaturam, si id habeat. Sed contra. Nemo hucusque ethnicus, vel hæreticus negavit judicium indifferens, & tamen negarunt libertatem; quia scilicet putarunt, libertatem etiam non advertentibus posse tolli. Equidem universaliter judicium illud non est componibile cum necessitate; aliàs consilia, præcepta, minæ &c. essent frustranea: at nondum video, quod essentialiter in nullo casu, etiam per accidens, possint componi. e. g. qui nescit, se jam circumdatum custodiâ, sub specie fervorum adstante, potest putare se liberum, & deliberare, an velit aliò abire: item qui dormit, dum ligatur insolubili vinculo, si evigilet, potest non statim illud advertere, & se liberum putare. 2. vel judicium illud est componibile cum

cum necessitate, vel non: si primum, non infert dari libertatem: si secundum, ex hoc ipso probatur, quod non detur prædeterminatio, quæ non potest stare cum libertate, adeoque nec cum his, quæ supponunt, vel post se trahunt libertatem. Quod additum de DEO, negatur; non enim ideo formaliter est liber, sed propterea, ut habet Angelicus in 2. disp. 25. q. unica a. 1. ad 1. Quod determinatio sui actûs, non est sibi ab alio, sed a seipso: unde ipse verissime sui operis dominus est. Quando iterum dicunt, voluntatem non posse ferri necessariò in bonum indifferenter propositum, id tantum est verum, si supponatur cum illo iudicio nullum posse stare antecedens necessario connexion cum uno, & inimpedibile; aliàs enim intellectus, judicans posse utrumque fieri, deciperetur: & voluntas deberet necessariò unum determinatum facere.

462. Sed dicunt, has paritates desumptas à ligato vinculis, à puero scriptore, & ductu Magistrum indigente, esse nullas ex hac ratione; quia hæc impedimenta se tenent ex parte actûs primi. At repono: vel etiam prædeterminatio se tenet ex parte actûs primi, vel neque ista se ex parte illius tenebunt; quia eodem modo de his loqui potero. Dicent, potentiam locomotivam non esse formaliter liberam, adeoque esse disparitatem inter ipsam, ac voluntatem. Respondeo 1. me non tantum attulisse paritatem à vinculis, seu impedimentis potentia locomotivæ, sed etiam à visione beatifica, & à gratia necessitate, quam hæretici adstruunt, & adversarij constantissimè, & optimè negant: interim tamen disparitatem non satis assignare videntur; quia si eorum distinctionibus, & responsis uti velim, de nulla gratia, quam heterodoxi adstruunt, poterit monstrari, quod libertatem tollat. Dein, etsi homo non agat formaliter liberè per ambulationem, eoque formale exercitium libertatis sit sola volitio, tamen ab omnibus absolute dicitur liber ad ambulandum, & est etiam liber, saltem mediatè: ergo, sicut vincula tollunt libertatem mediatam, ita prædeterminatio tollit immediatam, illa impediendo potentiam locomotivam ab ambulatione, hæc potentiam volitivam à volitione.

463. Ad argumenta nostra, præsertim contra prædeterminationem ad materiale peccati, respondent 1. DEUM tantum determinare ad unam formalitatem, non verò ad alteram: sed, etsi hoc omitteretur, tamen saltem formalis malitia, upote metaphysicè connexa, necessariò sequeretur, foretque ab homine inimpedibilis: & hoc DEUS infallibiliter sciret: ergo tamen ipsi malitia imputabilis esset. Et quæso, cur non posset DEUS eodem modo suadere, vel præcipere materiale peccati, præscindendo à formali? Respondet Gonetus tom. 1. tr. 4. disp. 8. de voluntate DEI. a. 6. §. 11. per totum maxime autem num. 247. prædeterminationem physicam esse præcisivam, & sistere intra ordinem physicum, at non ita esse consilium, aut præceptum. Sed quis credat, actionem, seu entitatem purè physicam, præscindere posse unam formalitatem effectûs ab altera, & hoc non posse actionem intentionalem? Sanè multò perceptibilis est, præcipientem præscindere à variis prædicatis operis præcepti, quæ dein præcipienti imputari non possint (nec enim omnia prædicata actionum, quæ à Legato nomine Prin-

cipis, vel etiam à ministro Sacramentorum nomine Christi, non sine peccato fiunt, Principi, aut Christo Domino imputantur) quam ita posse præscindere physicè, & scienter determinantem ad ad aliquam actionem. Si ergo DEUS nequit præcipere materiale peccati, minùs poterit ad illud physicè prædeterminare.

Resp. Gonetus tom. 3. tract. 5. de vitis & peccat. disp. 3. a. 1. §. 4. n. 64. Divinam causalitatem, seu præmotionem posse præscindere entitatem materiale peccati ad ejusdem formalitatem; quia malitia formalis non est intra spheram causalitatis, vel determinationis Divinæ, bene verò entitas materialis: sicut scilicet productio in Divinis terminatur ad Personalitatem Filii, & non ad naturam Divinam; quia scilicet hæc est extra spheram productionis Divinæ, non autem Personalitas. Sed contra. Inprimis hoc etiam omisso non evitatur, quod non metaphysica necessitate, & inimpedibiliter, sequatur ex entitate materiali formalis malitia; adeoque DEO imputabilis esset, ut modò dictum. 2. Singularis illa, & humano intellectui incomprehensibilis perfectio SS. Trinitatis, quæ stat in eo, quod de duobus realiter identificatis verificentur prædicata contradictoria, non debet attribui enti vilissimo, scilicet peccato: imò nulli rei debet attribui, quando fides non cogit: at in nostro casu omnia possunt absque omni distinctione virtuali satis faciliter salvari, dicendo, DEUM moraliter tantum permittere suum concursum, quamvis in aliquo sensu physico eum ponat, seu producat. Dicunt quidem, ex hoc ipso, quod DEUS suam concursum (qui juxta nos est realiter formalis malitia) physicè ponat, hoc ipso illum ponere ut agens morale; quia agit cum perfecta cognitione. Sed resp. DEUS, licet in talem actum influat cum perfectissima cognitione, tamen non influit liberè, sed ut determinatus à creatura: adeoque non influit ut agens strictè morale: per quod intelligitur id, cui actio est imputabilis, vel ad laudem, vel ad vituperium. Aliud est, quod DEUS ut agens morale permittat eam actum: at hoc, nec ex se necessariò trahit post se actum, nec est inhonestum; sicut neque est inhonestum permittere occasiones peccandi; in quibus homo videtur lapsurus; quia in his homo liberè labitur, nec DEUS eas permittit ex intentione lapsûs, sed victoriæ, quam consequendam intendit, & ad eam hortatur, ac gratias sufficientes confert.

464. Respondet idem tom. 1. tr. 4. de volunt. DEI. disp. 8. n. 247. prædeterminationem physicam venire à DEO, ut provisorie universaliter, dante necessaria: consilia vero, aut præcepta, venire ab ipso, ut provisorie speciali, dante non tantum necessaria, sed etiam utilia. Sed contra 1. Inprimis prædeterminatio ad bonum non est à DEO ut provisorie universaliter; quia non universaliter eam omnibus dat: neque videtur absolute necessaria; cùm sine ipsa detur etiam juxta adversarios gratia sufficientes: & par est ratio de prædeterminatione ad malum; quia nec ista universaliter datur, nec necessaria est: certè, etsi nemo peccaret, DEUS tamen impleverit officium causæ primæ, & universalis provisorie. Contra est 2. Si decet provisorie speciale dare medium tantum utile ad peccandum, dedecet etiam

etiam proviforem univerfalem, dare medium effentialiter determinans ad aliquid faltem effentialiter poffe fe trahens peccatum.

465. Quidam Clariffimus Recentior Saliburgenfis ait, DEUM poffe quidem phyficè, non tamen moraliter, determinare ad malum; nam fic faceret moraliter actionem malam, quod non potest, ex hoc capite; quia fic non tantum faceret actionem propriè modo fuo, five indefectibili: fed caufaret, feu efficeret, ut creatura faceret actionem modo fibi proprio, hoc est, defectuofa: atqui DEUS non potest facere, ut creatura actionem faciat modo defectuofa: ergo. Sed contra 1. Tamen DEUS potest moraliter facere, ut creatura faciat actionem bonam modo creaturæ proprio, qui defectibilis est. Contra 2. DEUS juxta adverfariam tamen phyficè determinat creaturam, ut ipsa agat modo defectuofa, & peccaminofa: ergo redit tota quæftio, quare non poffit ad idem determinare moraliter; cum plus videatur effe phyficè agere, & determinare, quam tantum moraliter fuadendo, hortando, præcipiendo &c.

466. Dicunt iterum, DEUM determinare tantum ad actum, qui malus est, non quæ malus est: confequenter effe tantum caufam phyficam, non moralem, & influere effectivè, non defectivè. Contra. Etiam à voluntate creata fæpiffime elicitur, & intenditur actus tantum, qui malus est, non quæ malus est: certè pauci funt ita fcelerati, ut velint peccatum; quia peccatum est: communiter autem voluntas in iftud tendit; quia delectabile, vel utile est: & tamen, quia fcienter illud agit (uti etiam DEUS fcienter determinat) ipsi imputatur, estque caufa illius mali, non tantum phyfica, fed moralis: non folùm effectiva, fed defectiva. Nec dicas, DEUM non poffe agere defectivè, & actionem, prout procedit à DEO, non poffe effe defectuofam; nam ex hoc ipfo, quod iftud veriffimum fit, infertur, DEUM non poffe ad talem actum prædeterminare. Et sanè necdum perceptibile est, cur DEUS, fi poffit phyficè determinare ad malum, quin agat defectuofè, non etiam poffit idem fuadere, quin fuadeat defectuofè, & quin etiam fuasio, prout procedit à DEO, fit defectuofa: & cur actio magis imputetur fuadenti, quam phyficè ad eam prædeterminanti.

467. Goudinus afferit voluntatem creatam ex eo, quod mutabilis fit, exigere quandoque determinari ad bonum, quandoque ad malum, etiam morale. Sed hoc non est verum; aliàs voluntas ex fua natura exigeret effe moraliter mala, quæ ipsa exigentia effet jam moraliter mala; adeoque à DEO creatore non potuit voluntati identificari. Quare voluntas non exigit, determinari ad malum, fed, quia libera est, exigit, poffe feipfam determinare, feu poffe deficere: quod non est malum morale, fed potest effe origo maximi boni, fcilicet meriti fupernaturalis, quando voluntas, potens deficere, tamen non deficit, fed tentationem vincit. Neque hæc afferat Goudinus paritatem de tibia clauda, quam anima movens determinet ad claudicationem; fi enim tibia effet indifferens ad motum rectum vel claudum, imputaretur animæ, eam determinanti ad claudicationem, fi claudicaret: cum autem

tibia fupponatur jam diforta & clauda, non est paritas cum voluntate indifferente.

Alii dicunt, formale peccati effe extra fphæram omnipotentia DEI, non verò materiale. Contra. Etiam formale peccati est extra fphæram voluntatis Divinæ, non verò juxta adverfarios materiale, ad quod DEUS liberè volens determinat; ergo etiam poterit amare, & fuadere materiale, quin amet, aut fuadeat formale. 2. Hoc ipfo, quod formale fit extra fphæram DEI prædeterminantis, etiam materiale, quod illud prius effentialiter fecum trahit, est extra eandem fphæram. Nec dicant, actum phyficè fumptum non effe effentialiter connexum cum malitia, eo quod poffit fupponi extrinsecè liber, adeoque feparabilis à malitia morali; nam respondetur, actum illum, faltem in circumftantiis libertatis effe neceffariò malum, adeoque DEUM in illis circumftantiis non poffe ad eum prædeterminare.

468. Tandem ad illud, quod loco ultimæ confirmationis addidimus n. 452. nempe, forendiculas, & imprudentes exhortationes DEI ad bonum, dicunt, hoc effe falsum; cum iftæ, uti & præcepta, proveniant à DEO; quia fortè DEUS adhortans dabit prædeterminationem ad bonum. Contra est 1. DEUS fupposito jam decreto prædeterminativo, & immiffa prædeterminatione ad malum, non potest dare prædeterminationem ad bonum: hocque decretum, & hæc prædeterminatio femper inimpedibiliter datur, quandounque peccatur: & tamen fæpiffimè, dum actualiter peccatur, DEUS intus monet, & dehortatur à malo, faltem per remorum confcientia: ergo fæpiffimè imprudenter ageret. 2. Licet homines infcii, quid DEUS facturus fit, poffent alios hortari ad bonum, non tamen poffet DEUS, omnium præfcius, prudenter hortari eos, quibus non vult prædeterminationem ad bonum immittere. 3. Sic etiam ij, qui negant omnino libertatem, dum impugnantur ex eo, quod diftra darentur confilia, præcepta, &c. poffent dicere, fortè DEUM neceffitarum homines ad bonum. 4. Saltem forent adhuc imprudentes, & nimis duræ poenæ omnes, actum malum prædeterminatum fubfequentes, ut patebit confideranti.

ARTICULUS X.

Solvuntur Objectiones.

469. **O**B. 1. Si prædeterminatio phyfica tolleret libertatem, id fieret; quia est inimpedibilis, & connexa cum actu fecundo: hæc ratio nil probat: ergo. prob. min. Hæc propositio Petri de Rivo Licentiatii Lovaniensis: *Quidquid per neceffarium confequentiam fequitur ex inimpedibili, hoc est inimpedibile, & neceffarium*: est damnata à Sixto IV. ergo actus, neceffariò fequens ex prædeterminatione inimpedibili, tamen non est inimpedibilis, & neceffarius: ergo est liber, adeoque prædeterminatio non tollit libertatem. Resp. neg. min. ad prob. neg. antec. Etfi Auguftinus le Blanc in fua *Historia de auxiliis* id dicat, tamen Theodorus Eleutherius in fua *Historia*, & Cardinalis de

Lugo

Lugo de *Incarnatione disp. 26. fec. 6.* ostendunt contrarium: & his pluri fidei tribuendum est, quam priori, qui potiffimum nititur autoritate Actorum Pegnæ, atque Lemofii, quibus nullam fidem habendam Innocentius X. dudum decrevit, ut probat Eleutherius. Meretur hæc de re legi ipse de Lugo loc. cit. ubi refert, primò Didacum Alvarez, deinde etiam fe fcriptiffe Lovanium, & tandem post multam indagationem inventum quandam librum, ex quo intellectum, propositionem Lovanii rejectam, aut Romæ profcipitam, fuiffe non fupradictam (quæ neque fuit reperta inter cenfuratas, aut à Rivo revocatas) fed aliam, fcilicet: *Quod neceffariò fequitur ex aliquo præcedenti ordine fucceffiva durationis, neceffarium, & inevitabile est*: quæ utique falfa est; cum fic præfcientia DEI, præcedens duratione noftrorum actus liberos, eos redderet neceffarios, & inevitabiles: & hinc Rivo videbatur non bene fenfiffe de præfcientia DEI, ut fufius apud memoratum Cardinalem videre est.

470. Dices 1. Chriftus habuit præceptum grave moriendi, fimulque unionem hypoftaticam, ac vifionem beatificam, per quas erat inpeccabilis: & tamen fuit liber ad mortem, feu præceptum illud implendum: ergo antecedens inimpedibile, & effentialiter connexum cum morte, feu adimpletione præcepti, non fuffulit libertatem. Respondent aliqui negando tmam partem antec. dicuntque, Chriftum Dominum non habuiffe præceptum rigorofum: quo pofito, ruit argumentum. Alii diftinguunt 2dam partem antec. & dicunt, Chriftum fuiffe liberum, non ad ipsam mortem in fubftantia, fed tantum ad modum mortis, qui non fuit præceptus; qua ratione tamen potuerit mereri. Alii, & fortè optimè, dicunt, præceptum moriendi fuiffe à Chrifto impedibile per petitionem difpenfationis. Alii alia afferunt, fed nemo ex noftris admittit, datum fuiffe antecedens inimpedibile, & effentialiter connexum cum illo, ad quod Chriftus fuit liber: quid absolute tenendum, ftatuendum est in *tractatu de Incarnatione*.

Dices 2. Saltem Chriftus habuit vifionem beatificam, quæ neceffitat ad bene agendum, & tamen fuit liber ad bene operandum: ergo, Resp. dift. 2. p. antec. fuit liber quoad genus bene operandi. neg. antec. quoad fpeciem, conc. antec. & neg. conf. Non potuit Chriftus malè agere, fed debuit bene: fuit tamen liber ad hoc potius bonum, quam aliud faciendum, ad magis, vel minus intensè operandum; quia vifio beatifica non neceffitat ad actum bonum in infima fpecie. Nec liber fuit Chriftus ad omnem amorem DEI, fed tantum ad magis, vel minus intenfum: quæ libertas etiam fufficit ad meritum.

471. Ob. 2. Tridentinum à nobis adductum n. 450. definit, libertatem stare cum illa gratia, cum qua eam stare negabant Lutherus, & Calvinus: fed hi negabant, eam stare cum gratia antecedente, & effentialiter inferente actum: ergo, ma. prob. Concilium loquebatur de gratia, de qua loquebantur illi hæretici; aliàs non iftos, fed alios, aut phantasma, damnasset: ergo, min. etiam negari non potest. Resp. retorqueo argumentum. Concilium Nicænum definivit, Filium DEI, de quo loquebatur Arius, effe confubftantialem Patri Divino: fed Arius loqueba-

tur de Filio DEI creato, & juniore, quam fuerit Pater: ergo Concilium definivit, Filium DEI creatum, & juniorem, effe confubftantialem Patri. In forma dift. ma. Tridentinum definivit, libertatem stare cum illa gratia, accepta fecundum prædicata certa, & dogmatica. conced. ma. cum illa gratia, accepta fecundum omnia prædicata, quæ illi affingebant illi hæretici. neg. ma. & conc. vel om. mi. neg. conf. ad prob. ma. fub eadem diftinctione. conc. vel neg. antec. atque etiam conf. Sicut Concilium Nicænum tantum definivit, verum Filium DEI, & non aliquem fectum, habentem prædicata pura creaturæ, effe Patri confubftantialem, ita Tridentinum definivit, veram gratiam Chrifti stare cum libertate: non verò definivit, etiam stare, fi affingantur ei qualiacunque prædicata, à Luthero, vel Calvino ei malè attributa.

Dices: Si non ftaret libertas cum prædeterminatione, deberet hæc dici condemnata à Tridentino: fed hoc dici non potest; cum fit à Summis Pontificibus permiffa doceri, & prohibita cenfurari: ergo. prob. ma. Si est damnatum confequens, etiam est damnatum antecedens, ex quo illud confequitur: atqui damnatum est hoc confequens: *Non datur libertas: ergo debet etiam effe damnatum hoc antecedens: Datur prædeterminatio*. prob. ma. Ex vero non potest fequi falsum: ergo, fi confequens est falsum, etiam tale est antecedens. Resp. retorqueo argumentum. Si fcientia media inferret Pelagianifmum, vel Semipelagianifmum, deberet etiam dici damnata ab Arauficano, & Tridentino: at non potest dici damnata; cum pari jure fit permiffa doceri: ergo. In forma dift. ma. fi effet hoc evidens. conc. ma. fi tantum fit probabilis. neg. ma. & conc. min. neg. conf. ad prob. dift. ma. debet dici damnatum antecedens, ex quo evidenter infertur damnatum confequens. om. ma. ex quo tantum probabilis infertur. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. Juxta adverfarios nulla fententia, adhuc probabilis, poffet impugnari ex Scripturis, aut Conciliis; quia femper poffet fieri exceptio hæc, quod non fit fententia condemnata, adeoque non fit Scripturæ, vel Concilii contraria. Nempè Ecclefia non ftatim condemnat propositiones, aut fententias Doctorum, quando non evidenter conftat effe contrarias Conciliis, vel Scripturæ, aut communi Patrum testimonio: contra Doctores, fimilium opinionum defensores, conantur oftendere, Scripturam, aut Concilia &c. non effe fibi contraria.

472. Ob. 3. Sacra Scriptura fæpius dicit, DEUM corda noftra movere: ad fe convertere: cor regis effe in manu DEI: DEUM omnia operari: fed hæc indicant prædeterminationem phyficam: ergo. Resp. neg. min. DEUS per fcientiam mediam fcit, quibus mediis, & in quibus circumftantiis quodlibet cor humanum infallibiliter confenturum fit: unde, fi velit hominem convertere, opus tantum est, ut pro libitu fua eam media conferat, eumque in iis circumftantiis ponat, in quibus juxta S. Auguftinum cit. n. 399. repertus est auxiliis capiendis idoneus, Cùmque omnipotentia Divina in fuis thefauris habeat auxilia faltem fyncategorematicè infinita, quæ, licet in fe indifferencia, ita ut nemo iis fpecifi-

cificativè tantum sumptis possit resistere, tamen per scientiam mediam videntur cum consensu conjungenda; hinc habet cor Regis, & cujuslibet alterius in manu sua: imò habet, ut Augustinus docet l. de corr. § grat. c. 14. *humano- rum cordum, quò placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem.* hinc etiam minimè nobis contrarium est illud ejusdem S. Augustini esatum in *enchiridio* c. 98. *Quis porro tam impiè desipiat, ut dicat, DEUM malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Imò DEUS magis habet in sua potestate voluntates nostras, quam nos ipsi, qui non possumus aliquid velle, imò nec cogitare ex nobis sine gratia DEI: neque est in nostra potestate habere, aut actum primum proximum, aut circumstantias congruas. Aliqua, quæ serviant ad hanc dicta magis explicanda, dabimus inferiùs, ubi de Prædeterminatione ante merita conditionatè prævia.

473. Ob. 4. Catechismus Romanus p. 1. de 1. artic. *Symboli non longè à fine (mibi n. 20. alius 22. quia varia est divisio) de DEO dicit: Quæ moventur, & agunt aliquid, intimè virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficiantur non impediatur, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat:* hæc doctrina salvari non potest sine prædeterminatione physica: ergo. Confirm. S. Augustinus variis locis tradit, DEUM physicè prædeterminare ad bonum: ergo. Resp. neg. min. In primis si verba Catechismi omnino strictè acciperentur, non tantum prædeterminatio (si hæc intelligeretur) deberet esse ex parte actûs primi, utpote virtus, & vis: sed deberet vi impellere ad actionem: quod utique adversarii non concedent. Insuper, ut rectè notat Suarez p. 2. de grat. l. 3. c. 37. n. 11. est incredibile, auctores Catechismi voluisse loqui de prædeterminatione Thomistica; cum enim vellent doctrinam proponere communem, quæ à Parochis proponeretur populo, utique non voluerunt miscere quæstionem tam controversam, & à pluribus Parochis minimè intellectam. Tandem tota difficultas reducitur ad vocem *Impellit*, quæ cum in sensu stricto accipi nequeat ex modo dictis, rectè explicatur de impulsu, aut motu proportionato causarum naturæ, qui efficientiam his propriam, hoc est, in causis necessariis necessariam, in liberis liberam, non impediatur, aut tollatur; sive qui causas impellat, vel moveat, conformiter ad earum actiones, & hinc ad liberam motionem, vel impulsu indifferente. Et sanè intentio Catechismi ibi est, docere, DEUM ad omnia opera concurrere, & nullam creaturam operari sine DEO, & præviè per datum actum primum proximum, & concomitanter per concursum simultaneum, operante. Ad confirmationem interim neg. antec. Textus S. Augustini, ne bis explicari debeant, necdum afferimus, allaturi in tractatu de Gratia disp. 1. q. 3.

474. Ob. 5. Multiplex auctoritas S. Thomæ, quæ tamen reduci potest ad sex ejus assertiones. 1. ma. DEUS movet causas secundas ad agendum. ita p. 1. q. 105. a. 5. in corp. 2da. DEUS applicat causas secundas ad operandum. ita *ibidem* ad 3. 3tia. Causæ secundæ agunt in virtute causæ primæ. ita loc. modò; cit. in corp. 4ta. Causæ

creatæ sunt instrumenta causæ primæ. ita de verit. q. 24. a. 1. ad 5. § l. 3. contr. gent. c. 70. 5ta. A providentia DEI omnia sunt prædeterminata. p. 1. q. 23. a. 1. 6ta. DEUS causis secundis non solum dat posse, sed etiam agere. ita Angelicus ex S. Augustino, qui hoc frequentissimè repetit: hæc assertiones stare non possunt sine prædeterminatione physica: ergo. Resp. Comparet æquus Lector hos textus cum citatis à n. 446. pro nostra sententia: & judicet, pro qua parte stet Angelicus. In forma. neg. mi. & explicato textus. Quod ad 1mum spectat: eo articulo, unde tres primi desumpti sunt, S. Doctor vult probare, quòd DEUS operetur in omni operante, & hoc probat ex eo, quòd DEUS moveat causas secundas &c. per movere autem intelligitur, ut ibidem explicat Angelicus, hoc quòd scilicet DEUS non tantum applicet formas, & virtutes causarum ad operationem, sed eas etiam formas, seu virtutes creaturis agentibus tribuat, easque conservet: quod nullatenus est physicè prædeterminare.

475. Quod ad 2dum, qui de applicatione agit, per applicationem probabilissimè intelligi potest cum Suarez p. 2. de gratia l. 3. c. 38. § 39. concursus simultaneus; sicut enim causæ liberæ dici possunt, et ipsas per actionem suam applicare ad agendum, ita potest etiam DEUS per suum concursum eas applicare. Ulteriùs, ut rectè Eximius loco modò citato docet, applicatio ista talis debet intelligi, ut per eam DEUS operetur omnia in omnibus, & omnes nostras actiones etiam ipse producat; hoc enim eo articulo S. Doctor intendit contra Durandum probare, ut est manifestum ex probatione ex *Isaia* c. 26. § *Job*. c. 10. adducta, & ex responsis ad objectiones: & hinc per operari in operante non intelligitur, quòd DEUS in ipso aliquid præviè producat, sed quòd eidem operanti intimè prævens, simul cum ipso, omnes ejus actiones operetur. Hæc autem applicatio, per quam DEUS omnia operatur, habetur per concursum simultaneum. Accedit, quòd, nisi per applicationem intelligeretur hic concursus, S. Thomas de isto nullam mentionem faceret eo ipso loco, ubi eum vel maximè vult probare, quod est incredibile; item quòd præter collationem virtutis, ejusque conservationem, duo adhuc motus à DEO provenientes, semper deberent dari, nempe influxus prævius, & concursus simultaneus; cum tamen S. Doctor nunquam duorum meminerit, nec etiam quidquam contra illos, e. g. quòd unus superfluous foret, vel quid simile, sibi objecerit.

476. Confir. S. Thomas non loquitur de applicatione in rigore dictæ, seu materialiter tali (nam nec prædeterminatio talis est) sed tantum de aliqua sic dicta per similitudinem, & quidem spectante ad actum secundum, utpote propter quam DEUS dici possit immediatè omnia operari; cum ibi S. Doctoris intentio tota sit probare, quòd DEUS immediatè omnia operetur: cumque id DEUS non faciat per collationem, aut conservationem virtutis; quia per hanc tantum mediatè operatur; debet immediatè operari ratione applicationis, quæ sola supersit: talis autem applicatio est concursus simultaneus, qui rectè applicatio dicitur, tum, quia, ut num. 475. dictum, causæ liberæ se ipsas applicant per actionem

iden-

identificatam concursui, tum, quia per ipsum fit, ut causa creata in actu secundo immediatè sua actione contingat passum: & sine qua eadem causa creata non potest ita actione sua passum contingere. Sicut autem applicatio potest in hoc concursu stare, ita & motio, saltem inadæquate; quia hæc ex S. Doctore præter applicationem dicit etiam collationem, & conservationem virtutis. Et sanè DEUS præter collationem, & conservationem virtutis, movet causas secundas concursu simultaneo, quatenus eas reducit ad actum, non per aliquid præviuum casualiter, sed per ipsum concursum formaliter. Nec objicias, S. Thomam l. 3. contr. gentil. c. 149. dicere: *Motio moventis præcedit motum mobilis ratione & causæ;* tantum enim per hæc significatur prioritas aliqua formalis, ut patet ex eo, quod S. Doctor 3. Physic. lect. 5. ait: *Est manifestum, quòd actio & passio non sunt duo motus, sed unus, & idem motus:* cum tamen illa sit motus moventis: ista autem motus mobilis. Hinc Ferrariensis, optimus Commentator, textum objectionem exponit dicendo, motum moventis priorem esse ratione; quia priùs intelligitur actio produci, quam recipi: & esse priorem causam; quia prior concipitur causa agens, quam patiens.

477. Si velis, potes cum Suarez loc. cit. & Didaco Ruiz de scientia DEI disp. 49. sec. 4. à n. 2. addere concursui volitionem Divinam, ordinantem causas ad hos, vel illos effectus: qua ratione etiam dici potest DEUS eas applicare. Difficultati, quæ ex hoc oritur circa actiones malas, ad quas DEUS per suam volitionem creaturas applicare non potest: responderi potest, quòd DEUS possit, malas actiones prævias ad varios providentiæ suæ fines dirigere, & ob hos illas permittere: sicque causas negativè applicare, hoc est, non impedire, qua non impeditione posita cum concursu simultaneo creaturæ agunt, & aliàs non.

Hæc explicatio placet præ altera, qua quidam per hanc applicationem volunt intelligi collationem actûs primi proximi, in quo etiam involvitur applicatio, sive physica, sive intentionalis, prout requiritur pro varietate causarum e. g. ignis per approximationem localem applicatur stupæ ad comburendum, & voluntas applicatur per cognitionem obiecto ad illud amandum; nam per hanc applicationem DEUS non operatur. Si quis tamen velit modò dictam applicationem, in collatione actûs primi proximi positam, defendere, non me opponam, & omnia transmittam, modò non asseratur, S. Doctorem adstruere aliquam applicationem, quæ necessariò determinet, vel post se trahat effectum liberum; nam hæc est contra S. Doctorem, qui longè aliter loquitur in 2. disp. 25. q. unica a. 1. ad 3. ubi explicat hoc ipsum, (quod articulo obiecto docet, & cujus occasione motionem, & applicationem adstruit) scilicet, quomodo DEUS in omnibus operetur; sic autem ait: *Dicendum, quòd DEUS operatur in omnibus, ita tamen, quòd in unoquoque secundum ejus conditionem: unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi: & sicut determinans naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante libero arbitrio agat: sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrii constituitur:*

unde remanet sibi dominium sui actûs: sed non ita sicut primo agenti, scilicet; quia hoc habet virtutem agendi à seipso. Similia habet r. 2. q. 10. a. 4. in corp. unde motio, & applicatio DEI operantis in arbitrio libero, non est determinatio, vel prædeterminatio ad actionem.

478. Quod spectat ad 3tium textum, hic juxta quosdam tantum probat, creaturas agere in virtute, vel per virtutem à DEO acceptam: & sic ipsi Thomistæ dicunt, causam instrumentalem agere in virtute causæ principalis: non quòd ista physicè illam determinet; cum sapissimè non amplius existat: sed quòd virtutem alteri contulerit. Suarez tamen loc. cit. exillimat, mentem Angelici esse, quòd causæ secundæ agant in virtute DEI, non per hoc, quòd agant per virtutem acceptam à DEO, sed, quòd nantur virtute DEI cooperante, qua indigent; & hoc ex eo vult evincere, quòd S. Doctor ibi velit probare, quòd DEUS omnia immediatè operetur, (hoc enim S. Doctor ultimò inferit), quod non inferretur ex collatione virtutis, quæ tantum probaret influxum mediatum in actiones creatas. Sic quoque ait, creaturas dici instrumenta DEI; quia ab eo ut primam causam pendunt, & illius cooperatione tanquam præcipua motione indigent. Et certè S. Thomas celebri loco. *quæst. 3. de potentia a. 7.* (ubi probat, quomodo causa prima sit altior, & aliæ sint instrumenta ipsius, atque agant per virtutem ipsius) concludit tandem, DEUM in qualibet re operari, in quantum quælibet res ejus virtute indiget ad operandum, & ejus virtute (hoc est, ipso cooperante) omnis alia virtus agit: sicut, ait, instrumentum non agit, nisi per virtutem artificis, hoc est, eo movente, ac cooperante. Explicatio hæc est bona, quamvis non a sum rejicere priorem, eoque S. Thomas cit. r. 1. p. q. 105. a. 5. dicat, DEUM etiam per hoc operari, quòd det virtutem, eamque conservet, adeoque videatur etiam loqui de mediata operatione.

479. Ex 4to, non inferitur, causas liberæ esse, vel se habere ut instrumenta inanimata, e. g. securis, & ferra, quæ ab impressione causæ principalis necessariò ad actionem determinantur (hoc enim esset contra Tridentinum, quod *sess. 6. canon. 4.* anathema dicit afferenti, liberum arbitrium velut inanime quoddam se habere) sed tantum, quòd se habeant, ut instrumenta animata, & libera: sicut servus est instrumentum domini; quia liberè ejus voluntati cooperatur, eamque exequitur. Unde DEUS causis liberis utitur accommodatè ad earum conditionem, ut ipsemet ait S. Doctor cit. n. 477. Paritas tamen inter instrumentum liberum, & necessarium stat in hoc, quòd utrumque debeat habere virtutem, & applicationem à DEO, & quòd neutrum possit gloriari de rectè factis, nisi in DEO. Huc spectant etiam quæ n. 478. ex Suarez attulimus, quæque explicant, qua ratione creaturæ dicantur instrumenta DEI.

Textus 5tus loco citato non habetur, neque æquivalenter. Ibi S. Doctor vult probare, dari prædeterminationem, & objicit sibi dictum S. Damasceni dicentis: *Omnia quidem præcognoscit DEUS, non autem omnia prædeterminat:* & respondet ad 1mum. *Damasceus nominat prædeterminationem impositionem necessitatis:* quasi diceret: *Esti DEUS non prædeterminet homines, tamen*

prædestinat eos (hoc enim eo articulo quæritur) quia, licet prædeterminatio ex mente S. Damasceni imponat necessitatem, tamen eam non imponit prædeterminatio, & hinc magnum est inter eas discrimen: unde, concludit, *prædeterminatio non excluditur*: cumque Angelicus nullo verbo refellat S. Damascenum, quali sensum incongruum vocibus *prædeterminatio*, vel *prædeterminare* tribueret, signum est, quod non negat, prædeterminationem imponi necessitatem: sed potius, negat, hanc ipsam prædeterminationem in ordine ad actus liberos: quod roboratur ex eo, quod eodem loco solas causas naturales, (hoc est, necessarias) dicat, esse prædeterminatas ad unum. Sextum textum congruentius explicabo in *Tractatu de Gratia*. Interim certissimum teneo, DEUM non tantum dare posse, sed etiam agere: nec est ulla difficultas id in systemate scientiæ mediæ explicandi.

480. Urgent. Saltem, quæ habet Angelicus q. 3. de Potentia a. 7. in corp. cogunt admittere prædeterminationem physicam: ergo, prob. ant. Docet ibi, quod DEUS operetur in operatione naturæ multipliciter 1. quia dat vires, per quas agere possunt creaturæ. 2. quia eas vires conservat. 3. in quantum voluntatem movet ad agendum, in quo, ait, non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Respondeo, ad hæc tria responsum esse facilem ex modò dictis de collatione virtutis activæ, de motione, applicatione &c. ut consideranti patebit. At, instant, saltem sine prædeterminatione physica exponi non possunt, quæ S. Doctor subiungit ad 7. num. dum ulterius explicat, quid sit illud, quod DEUS tribuit causæ secundæ, quando illam movet, & applicat ad agendum, atque ita ait: *Id quod à DEO fit in re naturali, quo actualiter agit, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aère, & virtus artis in instrumento artificis*. At si S. Doctor hic vellet, prædeterminari creaturam à DEO, & non determinari à se ipsa, eodem articulo bis sibi contradiceret; nam ad 12. sic ait: *DEUS non dicitur hominem devoluisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur: sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis, & ad 13. sic ait. Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam. Et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis. unde Angelicus verbis in objectione allatis non adstruit prædeterminationem physicam, sed aliquid aliud, quod determinationem actuum voluntati relinquit: quid autem id sit, controversitur.*

481. P. Evangelista Rasler in sua *Concordia Prædeterminationis verè Thomisticæ cum Libertate* existimat, S. Doctorem verbis in objectione adductis velle, quod DEUS cuilibet creature, seu liberæ, seu necessariæ, habenti jam cætera omnia ad agendum requisita immittat aliquam entitatem realem, fluentem tamen, & incompletam, quæ constituat actum primum, & ultimò determinet causam, non ad

speciem, sed ad genus: adeoque indifferentiam causæ liberæ non tollat. At quamvis authoris huius ingenium maximopere æstimem, non potui tamen huicque inducere animum, ut huic ejus opinionis assentiret, ob sequentes in contrarium rationes.

Primò. Ista entitas realis ad intentionem S. Thomæ non servit; quia finis ipse hoc præfertim articulo 7. q. 3. de potentia, & 1. p. q. 109. a. 5. ac etiam aliis, quibus potissimum docere deberet eam opinionem, est, tantum ostendere, quod DEUS in omnibus operetur, hoc est, ad omnes actiones concurrat: ad quem finem longè magis servit concursus simultaneus. 2. Si per illam entitatem fluentem, incompletam, non intelligitur concursus simultaneus, tunc (ut supra jam diximus n. 475. & author hic ipse agens de Suarezio ostendit) S. Doctor nunquam mentionem fecit huius concursus, quem tamen ibi principaliter probare intendit: quod utique incredibile est. 3. Si Angelicus per illam *intentionem* &c. intelligit entitatem verè realem, & pro priori impressam causæ secundæ, eique intrinsicam, tunc etiam per vim, vel virtutem spiritualem incompletam, quam 3. p. q. 62. a. 4. in corp. ait, inesse Sacramentis ad efficiendum gratiam, intelligit entitatem realem Sacramentis intrinsicam; nam eodem modo de ista, ac de priori loquitur: sed etsi Raslerus hoc positivè asserat, tamen hæc vis, vel virtus ex S. Thoma non est aliquid realiter intrinsicum Sacramentis: sed est aliquid tantum extrinsecè denominans Sacramenta, sive est denominatio merè extrinseca proveniens ab ordinatione DEI ordinantis Sacramenta ad effectum spiritualem; ita hunc locum celeberrimus Angelicus interpres Cajetanus exponit dicens, *vim spiritualem consistere in hoc, quod Sacramenta ordinantur à DEO ad effectum spiritualement*. & ipse S. Thomas loc. modò cit. ad 1. ait: *Vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur à DEO ad effectum spiritualement*. Dein S. Doctor ibidem dicit, hanc vim spiritualement talem esse, qualis est vis spiritualis in voce sensibili ad excitandum intellectum hominis, nempe ad producendum intellectionem: atqui hæc vis in voce est præcisè denominatio extrinseca proveniens ab institutione hominum: nec est credibile, voluisse S. Thomæ voci externæ, quam etiam pñtacus, æque aptam ad excitandum intellectum, efformare peccat, attribuere aliquam vim spiritualement verè realem, quamvis in ipsius sensu (de quo infra) incompletam; quia est inexplicabile, quam vim, vel entitatem spiritualement possit pñtacus voci suæ imprimere.

482. 4to. S. Doctor eodem modo ait, loco in objectione adducto, virtutem artis esse in instrumento, quæ sanè in hoc non est per entitatem ipsi intrinsicam, sed tantum per extrinsecam denominationem à directione intellectuali artificis: seu quatenus instrumento intrinsicus est motus ab arte directus; cum perceptibile non sit, quomodo ars aliter, & intrinsicè recipiatur in instrumento. Adde, quod S. Doctor ibidem dicat, virtutem artis non posse esse permanentem in instrumento, nisi hoc haberet intellectum: sed eadem ratio probat, quod nec possit ei realiter intrinsicè inesse transeunter, nisi habeat intellectum, ut rectè observat Ruiz *disp.*

49. de scient. DEI sec. 4. n. 7. aut, si illa virtus transeuntis possit intrinsicè denominare instrumentum agens ex arte, quin hoc sit artis intelligens, cur non possit similis entitas dari, & conservari diutius à DEO, quæ denominet instrumentum permanentem saltem potens agere, ut ars denominat artificem? Quare S. Thomas tantum intelligit transeuntem artificiosam intentionem, & directionem artificis, quæ, cum involvat aliquam cognitionem, si intrinsicè inhereret ipsi instrumento, deberet in hoc dari intellectus, tanquam subjectum necessarium cognitionis: qui non debet in instrumento dari, si huic tantum extrinsecè adjungatur directio: quæ simul est transeuntis cum motu, quem dirigit, adeoque transeunter datur. Et sic iterum interpretatur S. Doctor Cajetanus, dum in 3. p. q. 13. a. 2. ait, per usum artificiosum instrumenti (qui est idem cum motu instrumenti) ingredi artem in instrumentum, & propterea hunc usum habere rationem vis, & virtutis, & intentionis artis: utique non somniat Cajetanus, artem physicè ingredi, & physicè intrinsicè recipi: ergo hæc omnia tantum afferunt denominationem extrinsecam.

483. 5to. Videtur mihi entitas superaddita omnino superflua; cum enim non determinet ad speciem, non habet, quod agat; nam causa creata ex seipsa jam est determinata ad genus: imò causa necessaria jam est determinata ad speciem, consequenter multò magis ad genus: causa autem libera jam est determinata ad genus: e.g. voluntas jam est determinata ad bonum, verum ubi apparens; ad genera autem, vel species subalternas seipsam determinat. Quod si etiam contendas, causam liberam ad supremum genus boni determinari à DEO, respondeo, eam ad hoc ex mente S. Doctoris determinari permanentem, sicut intellectus per prima principia est permanentem determinatus ad verum: vide S. Thomam in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. quæstioncula 2. ubi harum potentialium determinationes æquiparat. Si quis urgeat, hanc entitatem necessariam esse ad complendum actum primum. Respondetur, hoc gratis dici, & causam esse satis expeditam ad agendum per principia habentia esse completum, unà cum omnipotentia DEI parata ad concurrendum, quin talis entitas fluens requiratur, quæ nec experientiâ, nec ratione probatur; alias possit quis nescire quæ necessaria fingere. Nec dicant, species coloris, & virtutem artis, quibus S. Doctor comparat hanc intentionem, necessarias esse ad actum primum. Respondetur enim, aliunde probari, has necessarias esse, & actum primum constituere, non autem superadditam illam entitatem. Addo tantum: etsi aliqua inter ista disparitas esset, parùm referret; cum inter hæc non detur identitas, sed similitudo, quæ omnis claudicat.

484. Itaque textus q. 3. de potentia a. 7. sic exponitur. Id quod fit in re naturali, quo ista non tantum fit potens agere, sed quo actualiter agit, seu, per quod actualiter educitur è potentia ad actum, est actio, seu concursus simultaneus; nam non nisi per actionem, seu concursum, fit causa actualiter agens. Debet autem hic concursus concipi à DEO per suam intentionem, vel decretum directus, aut ordinatus: & sic con-

ceptus cum hac directione, vel ordinatione, est ut intentio sola, hoc est, habet se, sicut secunda intentio, seu res secundò intentionaliter accepta: & ideo habet esse incompletum, seu diminutum, sicut etiam colores in aère, & virtus artis in instrumento, habent esse incompletum.

Nota. Per intentionem solam, ut probat Ruiz *loc. cit.* S. Thomas intelligit intentionem secundam; nam intentio simpliciter sumpta, nisi addatur terminus distrahens *prima*, significat intentionem secundam: consequenter multò magis eam significat *intentio sola*. Juxta S. Thomam autem in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 3. *intentiones ipse non sunt in rebus, sed in anima tantum: sed habent aliquid in re respondens, scilicet naturam, cui intellectus hujusmodi intentiones attribuit*. Unde colligitur, quod intentio secunda concretivè, seu quidditivè, vel secundum rectum, & obliquum, materialiter & formaliter, accepta involvat rem, & conceptum, vel intentionem animæ: & sic res secundò intentionaliter accepta vocantur secundæ intentiones. Hinc etiam talis secunda intentio potest dici concursus simultaneus ut à DEO intentus, vel decretus, aut ad suos fines ordinatus: quam disjunctionem hic pono propter actus multos, qui non possunt dici à DEO intenti, sed tantum aliquo modo permittivè decreti, & ad certos fines ordinati: quod tamen sufficit, ut etiam concursus simultaneus ad actum malum possit dici secunda intentio; præsertim, cum ordinatio DEI, quæ est aliqua providentia, probabilis dicat, etiam actum, vel conceptum intellectus Divini; nam actus intellectus absque dubio dicuntur intentiones, quod ad nostrum intentum sufficit: quamvis non dubitem, actus voluntatis, cum etiam sint in anima, posse quoque dici intentiones.

485. Hic autem concursus simultaneus, ita acceptus, habet esse incompletum in sensu Angelici ex duplici capite. 1. quia est actio seu motus. *Motus autem* (sunt verba S. Thomæ in 4. dist. 1. q. 1. a. 4. quæstioncula 2. in corp.) *non est ens completum, sed est via in ens quasi medium quid inter potentiam puram, & actum purum*. 2. quia est intentio: de intentionibus autem, seu de ente in anima, dicit S. Doctor loco modò citato: *Quod est ens diminutum: & statim ad 1. ait: Ens incompletum, quod est in anima, dividitur contra ens distinctum per decem genera, ut patet in 6. metaphys. & ideo talia entia incompleta per se loquendo non sunt in aliquo genere*. Sic etiam habet esse incompletum virtus artis in instrumento, quæ, ut jam diximus, est motus artificiosus, atque est denominatio extrinseca involvens intellectualem directionem artificis, adeoque conceptionem mentis, seu intentionem, quæ habet esse incompletum ex dictis: imò, cum etiam sit motus, etiam ex hoc capite, ut modò diximus, habet esse incompletum. Pariter colores in aère habent esse incompletum: circa quos tamen rectè advertit Ruiz *cit. disp. 49. sec. 4. n. 20.* S. Thomam non dicere, *per modum, quo species coloris sunt in aère: sed, quo colores sunt in aère*; nam species habent esse reale, & completum in aère, ut alia accidentia: non ita colores, qui non existunt in aère, nisi intentionaliter, & per denominationem, extrinsecam, seu ut repræsentantur per species: quæ repræsentatio, & ipsæ etiam species sunt coloribus

loribus extrinsecis. Et licet hæc representatio non sit strictissime intentio (hæc enim est in anima) est tamen, & dicitur, ob similitudinem inter species istas externas, & internas in anima, etiam intentio, seu existentia intentionalis; & ipsæ species externa vocatur etiam, saltem quandoque, intentionales. Verbo: sicut objecta existunt intentionaliter in speciebus, vel conceptibus intellectualibus, hoc est, ab his representantur, similiter colores existunt intentionaliter in speciebus externis; quia etiam ab his representantur: consequenter habent etiam esse intentionale, id est, incompletum.

486. Dices: sæpius adducta q. 3. de potentia a. 7. in corp. dicit Angelicus, creaturam non posse per virtutem propriam in effectum causæ primæ, hoc est, non posse istum producere. Resp. illam causam ab omnibus simpliciter dici non posse effectum per virtutem propriam producere, quæ id se solâ non potest: atqui hoc creatura non potest; quia nil potest, nisi moveatur à DEO, non quidem per motum prævium in causa productum, sed per concursum simultaneum; pro priori rationis præsuppositum, quatenus bona est illatio: datur actio creaturæ: ergo datur concursus DEI, & non vicissim; quia DEUS potest operari absque causâ secundæ concursu. Instabis: *ibidem ad 3.* Angelicus dicit, in operatione DEI non operari naturam. Resp. S. Doctor hic vel vult, creaturam non operari per virtutem propriam, ut modò explicatum: vel vult, naturam non operari in priori, vel etiam in eodem signo cum DEO, licet operetur eandem actionem; nam ad 4. tum ait, quod tam DEUS quam natura immediate operentur, licet secundum prius, & posterius: vel vult, naturam non operari eundem effectum similiter, seu secundum formalitatem universalissimam entis; sic enim ibi in corp. S. Thomas dicit: *Ipsium enim esse est communissimum effectus, primus, & intimior omnibus aliis effectibus: & ideo soli DEO competit secundum virtutem propriam talis effectus.*

487. Urgebis. Concursus non potest dici vis & virtus; nam ista, ut ipsimet diximus n. 453. spectant ad actum primum: ergo non intelligitur hic à S. Thoma. Resp. dist. antec. concursus in se materialiter, denominativè, & primò intentionaliter acceptus, conc. antec. concretivè, vel quidditivè, aut secundò intentionaliter unâ cum conceptu DEI, & ejus volitione, aut ordinatione ad suos fines. neg. antec. & consequ. Scilicet: ut concursus artificiosus artificis cum instrumento, e. g. musico, est virtus artis secundum obliquum, secundum quem dicit artem in intellectu artificis existentem: ita etiam concursus DEI, ut ordinatus à DEO, secundum obliquum, secundum quem dicit ordinationem DEI (intentionam respectu actus boni, permissivam respectu actus mali, & directivam ad suos fines respectu utriusque) potest dici virtus causæ primæ, ut dirigentis, vel providentis. Et hæc ordinatione DEI, cum sit aliqua providentia, stat verosimilius in intellectu, & volitione Divina: quæ quidem non obstat libertati, ut patebit ex dicendis infra de providentia, (& multò minùs ipse concursus, adeoque in toto complexo nil obest libertati) attamen se tenent ex parte actus primi, saltem remoti. Quòd autem existentia co-

lorum in aère, & virtus artis videantur non tantum secundum obliquum, sed etiam secundum rectum stare ex parte actus primi; è contra concursus à DEO ordinatus &c. tantum secundum obliquum acceptus stet ex parte actus primi, etiam si transmittatur, parum refert; quia, ut notum est, omnis similitudo claudicat. Et hæc de hoc S. Thomæ textu, per se non adeò claro, ob quem nollem, S. Doctorem aliquam sententiam, oppidò difficilem, & incredibilem attribuere, quam nec ipsi author, qui eam S. Thomæ adscribit, defendere vult: & mallem ejus verba, si quandoque opus esset, minùs propriè explicare.

ARTICULUS XI.

Solvuntur reliquæ objectiones.

488. **O**B. 1. DEUS est causa prima: ergo debet agere ante omnes causas secundas: ergo debet eas physicè prædeterminare. Confirm. Aristoteles. l. 8. phys. c. 2. text. 33. ait, à primo moveri ultimum, sed non ab ultimo primum, & ultimum sine primo non movere. Rursus text. 30. docet, agentia creata non movere, nisi ut mota: ergo. Resp. neg. ult. consequ. DEUS semper debet agere ante causas secundas, eas producendo, conservando, actum primum proximum conferendo &c. non autem debet eas physicè prædeterminare. Ad confir. neg. consequ. vel per moveri intelligitur, causam concursu juvari, ut diximus supra n. 474. & seq. vel intelligitur eam produci: & utrumque DEO tribui potest absque eo, quòd physicè dicatur prædeterminare.

489. Ob. 2. Causæ creatæ superiores, quando operantur cum inferioribus, semper imprimunt aliquid in causas inferiores: ergo magis DEUS. Confir. Quælibet creatura habet aliquod prædicatum universalissimum, quod non potest tribui à creatura: ergo debet DEUS ad illud determinare. Resp. antec. non videtur universaliter verum: cur enim sol, producens cum igne alium ignem, priùs illi imprimat aliquam qualitatem? sed, eo omisso, neg. conf. Si enim antecedens est verum, ideo est; quia sine illa qualitate non haberet expeditus totus actus primus proximus: at hic habetur absque prædeterminatione: quæ si daretur, eum tantum impediret. Ad confir. Resp. 1. om. antec. neg. consequ. Ratio illa tantum probat, DEUM debere concurrere; nam e. g. habitus fidei tribuit actui fidei prædicatum supernaturalitatis, quod voluntas non habet; nec tamen habitus voluntatem determinat. Resp. 2. dist. antec. quod non potest tribui formaliter. om. antec. quod non potest tribui realiter, neg. antec. & conf. nam etiam prædicatum entis identificatur realiter cum aliis essentialibus, ut suppono ex Physica.

490. Ob. 3. DEUS est primum liberum: ergo debet ipse determinare ad omnem actum liberum. Confirm. Juxta nos prædeterminatio creaturæ esset prior naturâ ad concursum DEI: sed hoc est absurdum; sic enim ageremus, antequam DEUS ageret: ergo. Resp. neg. conf. ex antecedenti tantum sequitur, quòd DEUS semper priùs debeat exercere suam libertatem, antequam

quam suam exerceat creatura: atqui hoc fit; quia DEUS priùs liberrimè confert creaturæ actum primum proximum. Hinc DEUS debet semper esse primum exercens libertatem, & primum determinans ad aliquid: at non debet esse respectu cujuscumque actionis immediatum liberum, & immediatè determinans: sed quando ipse suam libertatem exercuit, relinquit dein in ordine ad actus liberos immediatam determinationem creaturæ. Ad confir. neg. maj. cum enim actio creaturæ, & actio DEI sint realiter unum & idem, non potest una formalitas ejusdem entitatis esse realiter prior naturâ ad alteram: sed tantum hoc verificatur, quòd actus ille procedat à creatura, ut determinante, & eistente: non verò ita procedat à DEO.

491. Dices. hoc ipsum non potest capi, quòd in eandem actionem una causa possit influere eligendo, & non altera. Resp. neg. illatum. Omnes hoc capere debemus in anima influente cum habitu in aliquem actum, etiam ab habitu causatum: quo casu anima eligit, & determinat, non autem habitus. Urgebis, disparitatem esse magnam, eoquòd habitus non sit principium liberum, nec cognoscens, adeoque facillè intelligi possit, quòd non eligat, aut liberè influat. Resp. certum esse, quòd voluntas etiam influat in motus primò primos, quos tamen non eligit, nec determinat, etsi sit principium liberum: item Beati in cælo nec eligunt, nec determinant ad visionem, vel amorem beatificum. Instabis, nec voluntatem, nec Beatos esse in ordine ad hos actus principia libera. Resp. nec DEUM esse principium immediatè liberum respectu actuum nostrorum liberorum; quia priùs libero suo decreto concecit voluntati libertatem, & reliquit determinationem: quo posito non potest amplius ipse immediatè liberè determinare.

Si petas, cur potius voluntas, quam DEUS, dicatur liberè determinare, cum simul influant. Resp. etiam DEUS & anima simul influant in actum vitalem, aut meritorem, quin tamen DEUS per hanc vivat, aut mereatur; quia nempe DEUS non influit modo sibi immanenti, vel cum intentione obsequium suum deferendi, quod requiretur, ut per illum actum viveret, vel mereretur: sic etiam simul influant DEUS, & voluntas in eundem actum liberum, vel eandem liberam determinationem, quin DEUS liberè determinet; quia non influit modo requisito ad recipiendam hanc denominationem, qui modus est, ut principium influat cum jure eligendi, & exercendo hoc jus: qua ratione in actus nostros liberos influat voluntas, non autem DEUS.

492. Ob. 4. In nostra sententia DEUS subordinaretur voluntati creatæ: hoc est falsum: ergo. Confirm. 1. Actus nostri essent tantum nobis liberi, non autem DEO: hoc est absurdum: ergo. Confir. 2. DEUS subjiceret nobis suam omnipotentiam: hoc est damnatum ab Innocentio XI. ergo. Resp. neg. maj. Subordinari DEUM, vel gratiam nobis, strictè loquendo, non tantum significat, quòd voluntas ex viribus gratiæ, à DEO benignè collatis, habeat potestatem eidem gratiæ cooperandi, vel non cooperandi: sed significat aliquam superioritatem in

DEUM, & gratiam, & ut voluntas, quando bene agit, agat præcipuè nomine suo, & non nomine, vel virtute gratiæ dantis posse, & agere. At juxta nos habet quidem voluntas ex beneficio DEI potestatem cooperandi, vel non cooperandi gratiæ: at non habet superioritatem in DEUM, vel gratiam: sed tantum agit ut instrumentum animatum, nomine, & virtute gratiæ, nec habet à se, sed à DEO per gratiam, potentiam agendi. Sic servus à Domino justus occidere alium, quando mandatum exequitur, non subordinat sibi mandatum, aut dominum suum, licet habeat potentiam physicam, & liberam, exequendi mandatum, vel non exequendi.

Nec dicas, quòd talis servus saltem sibi subordinet gladium, vel scloppum, quo dominus eum ad occisionem instruit: consequenter etiam voluntas sibi subordinet gratiam. Resp. enim, dubitari posse, an, si dominus gladium dedit ad hunc unicum usum, eum servo strictè subordinaverit. Sed quidquid de hoc sit, disparitas tamen est inter gladium, & gratiam, quòd gladius sit causa instrumentalitatis minùs principalis: non enim tam dicitur occidere gladius, quam servus: at gratia est causa principalior actus boni; unde quilibet dicere debet juxta Apostolum: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum. 1. Cor. 15. v. 10.* Contra ridiculè servus occidens diceret: *Non ego occidi, sed gladius mecum.*

Ad 1. confir. dist. maj. actus essent tantum nobis immediatè liberi conc. maj. mediatè liberi neg. maj. & dist. sic mi. neg. conf. sufficit autem DEO mediata libertas ad hoc, ut tamen quemlibet actum possit pro libitu obtinere, ut exposuimus supra n. 398. & 418. Ad 2. confir. neg. ma. *subjicere*, aut *subordinare*, significat aliquid amplius, ut modò explicavimus. Et quis dicat, quòd Rex subjiciat alteri regiam suam potestatem, si promittat e. g. quòd velit eum in certo negotio ad finem deducendo juvare: maximè, si ita se habeat, ut licet relinquat alteri electionem modi, quo res facienda sit, tamen ipse Rex sit principalis agens, cui potius, quam illi alteri attribuat actio, uti se habet DEUS respectu actuum nostrorum bonorum.

493. Ob. 5. Actus elicited post cognitionem necessariam, vel necessitantem, e. g. visionem beatificam, non est liber: ergo elicited post cognitionem indifferentem non est necessarius: ergo modò, prædeterminatio non tollat judicium indifferens, salva est libertas. Confir. Voluntas necessitata ad actum stante judicio indifferenti non dirigeretur ab ulla cognitione ad illum actum: sed voluntas non potest elicere actum, nisi à cognitione præviè illustrante dirigatur ad illum: ergo, prob. ma. cognitio necessaria in hoc casu non adest: indifferens non potest dirigere ad actum necessarium: ergo. Resp. neg. conf. Modò unum principium necessitet, vel aliquid necessarii desit, jam actus non est liber; hinc posita cognitione necessitante liber esse non potest: at, licet cognitio non necessitet, possit necessitare prædeterminatio, vel aliquid aliud: consequenter cum cognitione indifferenti potest actus esse necessarius. Sic omnis ligatus vinculis insolubilibus non potest fugere: non tamen omnis non ligatus potest fugere; quia potest a-

illis modis teneri, e. g. ægritudine, carcere clauso, appositâ custodiâ &c. Ad confirm. neg. ma. ad prob. neg. 2. p. antec. cognitio indifferens jam faceret, ut voluntas non ferretur in rem incognitam, adeoque sufficienter dirigeret: neque enim voluntas vellet necessitatem objecti, quam non cognosceret; sed tantum ipsum objectum, quod sufficienter cognosceret. Deceptio autem, qua putaret voluntas, se liberam esse, non impediret, quo minus objectum amplecti posset.

494. Ob. 6. DEUS prædeterminat voluntatem ratione domini sui: ergo non tollit libertatem. prob. conf. Voluntas ipsa, quando ratione domini sui determinat seipsam, non tollit sibi libertatem: ergo neque DEUS. Confirm. 1. DEUS prædeterminans ordinat ad effectum causas contingentes: ergo actus manet liber. Confirm. 2. Voluntas est per se indifferens: sed ab indifferenti non potest procedere actus determinatus, nisi indifferentia prius determinetur: ergo. Resp. neg. conf. ad prob. nego iterum conf. Voluntas exercendo suam libertatem non quidem hanc sibi tollit: at si per hoc exercitium determinaret alium, ut hic ejus determinationem non posset evitare, vel impedire, tolleretur istius libertatem, ut est per se clarum. Sic etiam DEUS prædeterminando non tolleret sibi libertatem Divinam, sed eam exerceret: at tolleretur libertatem creaturæ, quam prædeterminaret. Ad 1. confir. dist. antec. jungendo causas aliquid necessitans, vel tollendo aliquid essentialiter requisitum ad oppositum conc. antec. nil tale jungendo, vel tollendo neg. antec. & conf. Licet igitur causæ in se manerent contingentes, tamen totus actus primus non maneret contingens; quia vel sola prædeterminatio ipsum redderet necessitatum ad unum, & impeditum ad alterum; ut enim diximus, non sufficit, unum, vel plura constitutiva actus primi esse indifferencia, si vel unum non sit tale. Ad 2. confirm. dist. maj. voluntas est indifferens indifferentiâ passivâ, neg. maj. indifferentiâ activâ, conc. ma. & dist. mi. nisi determinetur ab ipso principio activè indifferenti conc. mi. nisi determinetur ab alio. neg. mi. & conf. Voluntas non est indifferens ad volitionem, ut murus ad albedinem; nam ad hanc iste se habet tantum passivè, non autem voluntas ad volitionem se habet tantum passivè; hoc enim damnatum est à Tridentino *sess. 6. can. 4.* sed habet se activè, hoc est, potest eligere, & seipsam determinare.

495. Ob. 7. DEUS, ut habetur *Act. 2. v. 23.* prædefinit mortem Christi: sed hæc ex parte Judæorum fuit peccatum Deicidii: ergo prædefinit peccatum, saltem quoad materiale peccati. Confir. Caiphas, ut habetur *Joan. 11. v. 50.* ex instinctu Spiritus Sancti prophetavit, & dixit, expedire, ut Christus moreretur pro populo: consequenter ex eodem instinctu hortatus est Judæos, ad necem Christo inferendam: ergo. Resp. Argumenta hæc, si quid probarent, manifestè probarent, quod DEUS possit suadere materiale peccati, quod Adversarii minimè volunt. In forma dist. ma. DEUS prædefinit mortem à Christo acceptandam, sive ejus acceptationem, conc. ma. à Judæis inferendam, sive sceleratissimam ejus illationem, neg. maj. & conc. mi. neg.

conf. Suppositâ scilicet scientiâ mediâ de peccata voluntate Judæorum, inferendâ necem Christo, si tales, vel tales darentur circumstantiæ, DEUS permisit eas circumstantiæ, & simul permisit hoc scelus: supposita jam hac permissione, & prævisa necesse inferendâ prædefinit, ut Christus patienter eam acceptaret, quæ acceptatio fuit infinite bona. Ad confir. neg. 2. dum membrum antecedentis. S. Spiritus non intendit, Caipham movere, ut hic hortaretur Judæos, ad necem Christo inferendam: sed tantum intendit, eum movere ad explicandam utilitatem mortis Christi: Caiphas autem non intellexit sensum prophetiæ à Spiritu S. intantum: & hinc occasionaliter (occasione ex propheta desumpta) ex suo privato malo spiritu hortatus est Judæos ad occidendum Christum: Spiritus S. autem hunc ejus errorem tantum permisit. Sed hæc, & similia potius spectant ad Tractatum de peccatis, ubi solet agitari quæstio de autore peccati.

ARTICULUS XII.

An detur Scientia Media Reflexa.

496. Sensus quæstionis potest esse duplex, 1.º, an DEUS, sicut per scientiam mediam videt actus liberos creaturæ conditionatè futuros, ita etiam videat actus sibi liberos conditionatè futuros, e. g. an habeat hunc actum intellectus: *Si crearem alterum mundum, crearem tot Angelos, vel tot homines prædestinarem.* Hæc autem non est scientia media reflexa, strictè dicta, sed est directâ, de actibus Divinis. Hinc addo sensus quæstionis esse potest, an DEUS sciat, quid ipse esset factururus, positrâ hæc, vel illâ scientiâ mediâ directâ de actu libero creaturæ: e. g. an habeat hunc actum intellectus: *Si viderem, Petrum in his circumstantiis cum hoc auxilio bene acturum, darem ipsi hoc auxilium.* Et hæc dicitur scientia media reflexa strictè dicta; quia assumit pro conditione scientiam mediam directam, & reflectendo se suo modo in illam videt, quale conditionatum sequatur.

Notat autem Ulloa, scientiam hanc debere dicere: *Si viderem, vel, si haberem libertatem constitutam per hanc scientiam mediam &c.* non autem debere dicere: *Si videro, si habuero &c.* quia hoc exprimeret aliquam expectationem in DEO &c. de quo vide ipsum Ulloa *tom. 1. de DEO. disp. 3. num. 165.* Æque bene etiam notat Pater noster Thyrsus *tom. 1. select. quest. disp. 21. sect. 2. num. 11.* scientiam hanc, quatenus versatur circa actus DEI liberos, non videre propriè conditionatè futura; quia in DEO nihil potest esse futurum, sed, vel est præsens, vel impossibile: unde hæc scientia in DEO videt conditionatè præsentia.

497. Dico cum Suarez in *Opusculis lib. 2. de scientia condition. cap. 8. num. 5.* Ruiz de *Scientia DEI disp. 77. per totam.* Granada in 1. part. *controv. 2. tract. 5. disp. 3. sect. 4. num. 29.* Arrubal *quest. 14. art. 13. disp. 47. cap. 2.* Ulloa *tom. 1. de DEO disp. 3. n. 165.* *Æ seq. Gormaz de DEO. num. 728.* *Æ seq. Martínez de DEO Scientie. controuv. 4. disp. 5. sect. 2.* & communiore notorum

An detur Scientia Media Reflexa.

strorum. Datur hæc scientia media reflexa in utroque sensu. Prob. conclusio rationibus iisdem, quas *num. 397.* adduximus pro scientia media directâ; nam etiam actus DEI conditionatè futuri habent aliquam veritatem, sicut actus conditionatè futuri creaturæ, & tam parum potest dari suspensio veritatis circa illos, quàm circa istos. DEUS etiam est infinite cognoscitivus non tantum creatorum, sed etiam Divinorum actuum, & insuper necessitatus ad cognoscendam omnem veritatem: ergo.

Certè, ut non male ait Martinez, qui adstruitur scientiam mediam directam, & negat reflexam, videntur iterum subruere, quod prius extruxerunt. Sanè, si nulla ratio efficax est negandi DEO hanc scientiam, debet admitti: at qui, licet afferantur in oppositum rationes valde subtiles, tamen non sunt absolute efficaces; quia potest cuicque sua solutio congruè reddi: ergo.

498. Ob. 1. ex Molina. Ad cognoscendum, quid liberum arbitrium in omni hypothesi esset facturum, requiritur, ut arbitrium supercomprehendarur: at non potest à DEO supercomprehendi arbitrium suum Divinum: ergo, maj. prob. Esti Angelus comprehendat arbitrium humanum, tamen, quia non supercomprehendit, non cognoscit, quid ipsum in omni hypothesi esset facturum: ergo requiritur supercomprehensio. Resp. neg. maj. sed requiritur, ut illud futurum sit aliqua veritas, & intellectus sit necessitatus ad omnem veritatem cognoscendam, quod utrumque datur etiam circa actus DEI. Ad prob. imprimis fortè Angelus, saltem supremus, habet cognitionem supercomprehensivam de homine; quia multò inferior jam habet comprehensivam. Verùm, hoc omitt. neg. ant. sed ratio est; quia quicumque Angelus non est infinite cognoscitivus, adeoque non est necessitatus ad omnem veritatem cognoscendam.

499. Ob. 2. dō ex Haunoldo. Si possibilis est scientia media reflexa, tunc possunt simul dari istæ duæ scientiæ mediæ, scilicet directâ. *Si Petro darem auxilium A, dissentiret: & altera reflexa. Si Petrum viderem dissenturum auxilio A, non darem ei auxilium A:* ex quibus inferitur hæc conclusio impossibilis: *ergo si Petro darem auxilium A, non darem ei auxilium A.*

Resp. 1. retorq. arg. in hoc casu, quo sciam, quod, si Paulo redderem suum gladium, is seipsum occideret, & consequenter nolim ei reddere gladium, ex qua voluntate absoluta bene inferitur hæc conditionata: *Si seipsum Paulus occideret, tunc ei gladium non darem:* ergo construitur hic syllogismus sophisticus similis priori, quem efformarem: *Si Paulo darem gladium, tunc se occideret: sed si is se occideret, non darem ei gladium: ergo, si Paulo darem gladium, non darem ei gladium.*

Resp. 2. omitt. quod scientia directâ dicat, *si darem &c.* nam non ita tendit, de quo infra. neg. conf. Sicut ex duabus præmissis probabilibus, sed quæ simul, dempto modo, non possunt esse veræ, nihil inferitur, ita nihil inferitur ex duabus propositionibus conditionatis, quarum altera est negativa, & invertens priorem, hoc est, habens pro conditione id, quod prior habuit pro conditionato: & vicissim pro conditionato,

quod prior habuit pro conditione; nam semper inferitur contradictio, ut patet consideranti. Et ratio ulterior est: omnis syllogismus bonus hypotheticus, debet posse reduci ad unum, vel plures syllogismos categoricos bonos, ut reductus à nobis est syllogismus hypotheticus demonstrativus DEI *num. 87.* atqui hunc syllogismum Haunoldi in æternum non reduces ad unum, vel plures syllogismos legitimos categoricos, in quorum ullo hæc conclusio, vel æquivalenter tantum inferatur. Videri etiam potest Ulloa *de DEO disp. 3. num. 172.* ubi examinat similem objectionem.

500. Ob. 3. ex P. Thyrsio *tom. 1. select. quest. disp. 21. sect. 3. num. 17.* Scientia media strictè reflexa, deberet esse prior scientiâ mediâ directâ: sed non est ulla ratio prior: ergo, maj. prob. ex eo, quod de objecto jam existente non detur scientia conditionata, sed absoluta, seu visionis, prob. etiam minor. non est prior tempore; quia utraque, si datur, est æterna; non causalitate, aut origine; quia ex reflexa non oritur directâ, nec ab ea causatur: non prioritate majoris necessitatis; quia reflexa est magis libera DEO, quàm directâ: ergo.

Resp. Inprimis hoc argumentum vim non habet contra scientiam reflexam, quæ versatur circa scientiam mediam directam non absolute, sed tantum conditionatè existentem, ut patet consideranti. Resp. 2. neg. min. & dico, esse sufficienter priorem prioritate aliqua rationis per hoc, quod in illo signo rationis, in quo est cognoscibilis scientia media directâ, ut conditionatè existens, jam detur actu scientia media reflexa, quamvis nondum concipiatur actu dari directâ; quia quodlibet, quando concipitur ut conditionatè existens, nondum concipitur ut absolute existens.

addo. Est etiam scientia media reflexa prior directâ à subsistendi consequentia, non quidem ita, ut ex sola scientia media directâ inferatur scientia media reflexa (non enim esset bona illatio: *si Petrus habet hæc gratiam, consentit: ergo si DEUS hoc videt, dat eam gratiam*) sed, ut ex complexo scientiæ mediæ, tanquam conditionis, & decreti, seu dationis, tanquam conditionati, absolute posito, bene inferatur scientia media reflexa. Et sic est bona illatio: *DEUS videt, quod, si Petrus habeat hoc auxilium, consentiet, & propterea dat hoc auxilium: ergo, si DEUS hoc viderit, dabit hoc auxilium.* Non autem vicissim: *si DEUS viderit, quod, si Petrus habeat hoc auxilium, consenturus sit, dabit hoc auxilium: ergo DEUS jam illud videt, & dat auxilium.* Sic etiam, & non aliter, scientia media directâ, tanquam veritas conditionalis, est prior scientiâ visionis, tanquam veritate absoluta; neque enim bona est hæc illatio ex sola conditione absolute posita: *Datur Petro hæc gratia: ergo, si habuerit hæc gratiam, consentiet:* sed tantum bona est hæc ex complexo. *Datur Petro hæc gratia, & ipse consentit: ergo, si Petro detur hæc gratia, consentit.*

501. Dices, scientia media reflexa est libera DEO: scientia directâ est necessaria DEO: sed in DEO necessaria sunt priora liberis: ergo scientia directâ est prior reflexâ. Resp. dist. 2. p. ma. est necessaria absolute, etiam quoad existentiam, neg. ma. est necessaria, hoc est, non est libera.

libera. conc. ma. & dist. min. sunt priora necessaria absolute, sive, quæ non possunt non existere; conc. min. tantum necessaria in hoc sensu, quod non sint DEO libera, interim tamen sunt absolute contingencia, sive possunt abesse à DEO. neg. min. & conf. Scientia media non est necessaria DEO, sicut omnipotentia, aut æternitas, quæ non possunt à DEO abesse; sed tantum in hoc sensu, quod non sit libera DEO, quamvis sit contingens. Quare scientia directa potest saltem à subsistendi consequentia esse posterior, ut supra explicatum. Neque obstat huic responsioni, quod scientia directa, tanquam objectum reflexæ, sub ratione objecti sit aliquo modo prior reflexæ; quia hæc duæ prioritates intentionales diversi generis non implicant.

ARTICULUS XIII.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

502. **O**B. 4. Scientia media reflexa deberet esse libera DEO: sed non potest esse DEO libera: ergo. prob. min. nihil est DEO liberum, nisi præcedat liberum decretum DEI, quo DEUS illud velit: atqui scientiam mediam non potest præcedere liberum decretum DEI; est enim de ratione scientiæ mediæ, ut ipsa sit ante omne decretum: ergo. Resp. omisâ interim maj. propter inferius dicenda de impedibilitate scientiæ mediæ reflexæ. dist. min. non potest esse libera DEO immediate, & ratione sui. conc. min. mediæ, & ratione objecti. neg. min. & conf. ad prob. dist. maj. nihil DEO est liberum immediate in se, aut ratione sui, nisi præcedat decretum DEI. conc. maj. nihil est liberum mediæ, & ratione objecti. neg. maj. & conc. min. neg. consequ.

Scientia ista reflexa, utpote actus intellectus, qui est potentia necessaria, non est immediate, & in se libera, sed tantum mediæ, seu eatenus, quatenus repræsentat objectum DEO liberum, hoc est, ipsum decretum, quod DEUS pro sua libertate potest ponere, vel non ponere. Quia autem hoc non repræsentat ut actu existens, sed tantum ut conditionatè existens, non exigit illud jam actu physice existens, sed tantum conditionatè, seu objective existens. Unde hæc scientia antecedit omne decretum actu existens (quod solum requiritur ad scientiam mediam) quamvis non præcedat decretum conditionatè, seu objective existens: quod non requiritur ad scientiam mediam reflexam, quæ conditionatè decretum affirmat. Sic etiam scientia media directæ, & non aliter, est libera creaturis, scilicet quatenus objectum illius scientiæ creaturis est liberum.

Si autem ulterius queras, quomodo objectum, seu actus sit DEO liber. Resp. esse liberum DEO in ordine ad scientiam mediam reflexam, sicut nobis liber est actus noster in ordine ad scientiam mediam directam. Ut autem actus noster in ordine ad scientiam mediam sit nobis liber, non requiritur, ut objectum scientiæ, seu actus noster sit nobis liber per statum; nam etiam scientia media, cujus conditio nun-

quam purificabitur, eoque nunquam dandus sit actualiter per statum actus primus proximus liber, tamen dicitur nobis libera, e.g. scientia media, qua DEUS vidit, quod, si haberet Judas auxilium A, conversus fuisset, est, & dicitur Judæ libera; quia potuisset auxilium cooperari, vel illud negligere, quamvis nunquam datum fuerit illud auxilium, adeoque Judas nunquam habuerit per statum actum primum proximum liberum. Quare sufficit, ut objectum sit nobis liberum per alienationem, seu conditionatè, hoc est, ut, si daretur actus primus proximus liber, esset in nostra potestate, actum ponere, vel omittere.

503. Ob. 5. Si datur scientia media directæ, & reflexa, sequitur, quod aliquis possit esse absolute prædestinatus ante omne decretum DEI: hoc est falsum: ergo. prob. maj. possunt dari istæ duæ scientiæ: Si Petrus consentiret auxilio A, darem ipsi hoc auxilium, & cum prædestinarem. & altera: Si Petrus haberet auxilium A, consentiret: sed ex his ambabus manifestè sequitur, Petrum esse absolute prædestinatum; nam scientia directæ est purificatio conditionis respectu reflexæ, & hæc, posita conditione, transit in absolutam: ergo. Resp. neg. maj. ad prob. dist. maj. possunt dari, quin detur etiam decretum absolutum; conc. maj. ita, ut etiam detur decretum absolutum; conc. maj. & dist. mi. ex his sequitur, Petrum esse prædestinatum ante decretum; neg. min. per decretum, quod geminæ scientiæ inferunt, conc. mi. & neg. conf. Scientia media reflexa infert decretum conditionatè; quia hoc est objectum conditionatum; & scientia directæ, utpote purificatio conditionis, illud infert absolute.

Nec dicas, scientiam mediam non exigere decretum absolute existens; nam quamvis id non exigit præcisè, ut scientia media est, exigit tamen in hoc casu, ut purificatio conditionis est. Et quamvis neutra ex his, seorsim sumpta, exigit decretum, exigunt tamen simul, sicut neutra præmissa se solâ infert conclusionem, inferunt tamen simul.

504. Dices, ergo jam antecederet ad decretum haberetur aliquod complexum essentialiter connexum cum gloria danda Petro. Resp. dist. illatum, cum gloria danda per decretum adhuc prius naturâ ad gloriam. omitt. illatum, in alio sensu, neg. illatum. Prima scientia jam dicitur: *Et prædestinarem ad gloriam*, hoc est: *Elicerem decretum conferendi gloriam*: unde nunquam Petrus est, aut videtur consecutus gloriam, quin prioriori ad dationem gloriæ videatur decretum. Et multo minus videtur absolute prædestinatus antecederet ad decretum; nam prædestinatus idem significat, ac affectus decreto prædestinativo. Si replices, saltem antecederet ad decretum haberi antecederens infallibiliter inferens gloriam. Resp. dist. ita tamen, ut per illud prioriori inferatur decretum; omitt. fecus, neg. illatum. Ubi nota, quod, cum DEUS omnia comprehensivè cognoscat, videat, quæcunque possunt inferri: & quidem; si unum pro priori inferatur ad alterum, etiam hanc prioritatem videat.

Dixi: omitt. illatum; nam hoc complexum, saltem quatenus constituitur ex scientia media reflexa,

reflexa, non est antecederens, nisi prioritate aliqua rationis, ut explicatum est *num. 500.* non autem prioritate quasi naturæ; quia non constituit actum primum metaphysicum ad eliciendum decretum DEI: sicut scilicet scientia directa non constituit actum primum ad nostras actiones liberas; sed est impedibilis pro libitu DEI ista scientia reflexa, sicut directæ est impedibilis à nobis. Insuper hoc quæcunque antecederens nunquam facit, ut ulla creatura videatur exitura, quin existat, aut etiam pro priori videatur exiturum decretum DEI: & sic semper est saluum liberrimum DEI dominium in creaturas.

505. Ob. 6. Scientia ista reflexa tollit libertatem DEI: ergo non datur. prob. ant. vel DEUS esset liber ante ipsam, vel post ipsam: neutro modo est liber: ergo nullo. prob. min. non ante; quia scientia media præcedit omne decretum, seu exercitium libertatis Divinæ: non post; quia posita semel scientiâ, non potest non poni decretum; aliâs falsificaretur scientia. Resp. retorq. argumentum in scientia media directæ, & quæro, quomodo creatura sit libera circa actum suum. Dein neg. ant. ad prob. neg. min. ad hujus prob. dist. 1. partem antec. scientia media præcedit omne decretum absolute existens. conc. conditionatè existens. neg. Dist. etiam 2dam partem antec. posita scientiâ, non potest non poni decretum in sensu composito. conc. in sensu diviso; neg. Inprimis ante scientiam mediam reflexam DEUS est absolute liber in actu 1mo; quia hæc libertas est prædicatum absolute necessarium, quod præcedit omne contingens, adeoque etiam quamcunque scientiam mediam. Dein ante scientiam mediam, sive in priori signo rationis, DEUS est liber in actu 2do, non quidem absolute, sed conditionatè; quia ipsum decretum, seu actus liber DEI, non quidem, ut absolute, sed tamen ut conditionatè existens, præsupponit tanquam objectum ad scientiam mediam. Rursus DEUS est liber in actu 1mo, & 2do etiam stante scientiâ; quamvis enim non possit oppositum agere in sensu composito; potest tamen in sensu diviso, quem sensum divisum potest facere; quia potest eam scientiam impedire. Videri potest de his Martinez de DEO scientie. *contr. 4ta disp. 5. sect. 4.* ubi ait, actum liberum, ut absolute existentem, non esse priorem ad scientiam mediam; quia ista ad sui verificationem non exigit, eum absolute existere: neque scientiam esse priorem ad actum absolute existentem; quia non est causa illius: quod respectu DEI circa scientiam mediam reflexam facile concedo; quia independenter ab illa scientia DEUS jam habet totum actum primum proximum: at non concedo respectu creaturæ circa scientiam mediam directam; nam creatura dependenter ab illa habet actum primum proximum; cum enim DEUS à scientia media directæ dirigatur ad actum primum conferendum, ista scientia media ad hunc est prior naturâ, saltem mediâtè.

Quod autem scientia media reflexa sit intrinseca DEO, non impedit libertatem; nam tamen manet purè speculativa, & præsupponit objectum suum conditionatè futurum, ac est impedibilis. Sic omnes admittunt, quod Christus ab instanti suæ conceptionis habuerit sibi intrinse-

cam scientiam visionis de actibus à se eliciendis, & perficienda redemptione humana: & tamen ejus libertas propterea læsa non fuerit.

506. Ob. 7. Scientia media reflexa tollit libertatem creatam: ergo non datur. prob. ant. iste actus scientiæ reflexæ: Si viderem, Petrum non conferendum auxilio A, non darem auxilium A, juncta datione auxilii, seu hac altera propositione: Sed do ipsi auxilium A, infert necessario consensum: atqui nec scientia media reflexa, nec collatio auxilii est impedibilis à creaturâ; quia utraque est DEO libera: ergo datur necessitas à creatura impedibilis, quæ juxta nostram principia semper tollit libertatem. Resp. neg. ant. ad prob. neg. min. saltem quoad 2dam partem (nam quoad primam mox plura) & dico, collationem auxilii in his circumstantiis esse impedibilem.

Cum enim DEUS ponatur nolle conferre auxilium, nisi ut conjunctum cum scientia media directæ de consensu, & homo possit impedire istam conjunctionem, utpote potens impedire istam scientiam mediam de consensu, etiam potest impedire, ne DEUS absolute conferat auxilium; DEUS enim in his circumstantiis non vult uti absoluta sua libertate circa collationem auxilii, sed eam suo modo alligat conditioni, scilicet consensui, quem quia homo potest impedire, etiam potest impedire absolutam voluntatem conferendi, auxilium: impedita autem collatione auxilii non amplius datur antecederens necessariò connexum cum actu: & sic, ut quidam ajunt, evitatur scientia media, seu declinatur; quia ipsa manente tamen non incurritur necessitas; quia aliâ viâ hæc vitatur, scilicet impediendo auxilium.

507. Dices, Petrus non potest impedire scientiam, nisi jam habeat auxilium: sed quando hoc actu jam habet, non potest impedire ejus collationem: ergo. Resp. dist. maj. non potest impedire physice, seu per actionem physicam. conc. maj. non potest impedire tantum objective, seu per actionem tantum objective existentem; subdist. nisi habeat auxilium absolute per statum. neg. maj. nisi habeat conditionatè per alienationem. conc. maj. & omitt. mi. neg. conf. Sicut diximus *num. 358.* quod impoenitentia Judæ ut objective existens impedit scientiam visionis de ejus salute, sic etiam dicimus, quod Petrus cum auxilio objective existens impedit scientiam mediam.

Rursus auxilium ipsum ut objective conditionatè existens, non quidem nudè, seu specificativè sumptum, sed ut conjunctum cum dissenso, seu prævisum cum isto conjungendum, impediret seipsum, ne per statum, sive absolute detur, supposito, quod DEUS habeat decretum de illo absolute non ponendo, si prævideat cum illo dissenso. Nec est absurdum, quod aliquid ita impediatur seipsum; quia, sicut finis intentionaliter causat se ipsum, bonitate sua alliciendo, & movendo, ita potest aliquid impedire intentionaliter se ipsum, deterrendo, vel displicentiam causando. Sic ipsa turpitudine peccati ut existens objective conditionatè, vel intentionaliter, efficacissime movet ad id absolute non ponendum.

508. Dices: Impeditio tantum auxilii, & sequens

sequens evitatio, seu, ut ita dicam, [declinatio scientiæ mediæ, non sufficienter salvat libertatem: ergo. prob. antec. Ex Tridentino *sess. 6. c. 5. & can. 4.* debemus posse resistere ipsi auxilio efficaci, illudque abjicere: ergo debemus in sensu composito illius, seu illi ut collato, posse dissentiri: ergo non tantum debemus posse illud impedire. Nec dicas, debere nos tantum posse illi resistere, si non detur scientia media reflexa de eo non dando, nisi consensus sequatur; nam DEUS prædestinatis eas gratias actu seligit, & dat, quibus prævidet consensus, daturus alias, si videret his non consensus: (ita docere nostros iussit P. Claudius. *an. 1613.* de quo decreto plura inferius, n. 654. quando agemus, an prædestinatio sit certis mediis alligata) ergo saltem circa collationem gratiæ prædestinatis factam datur hæc scientia, & tamen etiam isti collato jam auxilio debent posse dissentire: ergo hæc scientia debet esse à prædestinatis impediibilis: ergo etiam ab aliis; quia nulla est ratio in oppositum.

Uterius ponatur casus, quod DEUS habeat hanc scientiam reflexam: *Si non viderem consensus, non darem hoc auxilium:* simul per directam videat consensus, & det auxilium: in tali casu non potest evitari auxilium, postquam illud collatum jam est: & tamen etiam tunc in statu physico debet homo, quando jam habet auxilium, esse liber: ergo neque potest evitari scientia, sed debet posse impediri. prob. ant. auxilium constituit actum primum proximum: ergo non potest impediri salva libertate; quia libertas evitanda, vel impediendo auxilium, impediret, vel destrueret seipsam. verbo: debet homo esse liber, non quidem in sensu composito cuiusque scientiæ, sed tamen in sensu composito cujusque auxilii, si libertas ei per statum, sive actualiter, collata est: ergo ad salvandam libertatem non sufficit impeditio auxilii, seu evitatio scientiæ mediæ reflexæ. Resp. concedo, quod responsio prior, nempe, posse impediri auxilium, & evitari scientiam dictam, non sufficit pro omni casu: est tamen bona pro casu, quo nondum ponitur collatum auxilium: in altero autem casu debet scientia media esse impediibilis: quod quomodo fieri possit, ostendetur solutione sequentis objectionis.

ARTICULUS XIV.

Solvitur ultima obiectio.

509. **O**B. ultimo. Prædictus actus scientiæ mediæ reflexæ se solo tolleret libertatem hominis, saltem quoad speciem: & simul esset impediibilis: ergo non potest dari. prob. ant. libertas quoad speciem est, quod Petrus habeat potentiam consentiendi, & dissentiendi auxilio; atqui, data eâ scientiâ mediâ, potest quidem Petrus consentire, vel etiam pure non consentire, & non consentiendô impedire collationem auxilii, tamen nunquam potest dissentire, seu conjungere cum auxilio dissentium positivum; quia alias falsificaret scientiam DEI: ergo non habet libertatem quoad speciem.

Obiectio hæc Hispanorum Recentiorum

est valde subtilis. Et potest quidem hæc difficultas obijci, supponendo omnia in statu pure conditionato seu objectivo, ita, ut etiam collatio gratiæ concipiatur tantum conditionatè existens; quia reipsa est eadem difficultas, nisi quod tunc Petrus non debeat ostendi absolute liber ad impediendam scientiam reflexam, sed tantum conditionatè. Si tamen ostensum fuerit, quod Petrus, si absolute acceperit gratiam, possit absolute liberè eam scientiam impedire, facile inde inferetur, quod futurus sit etiam conditionatè liber ad eandem impediendam, si ponatur gratiam tantum conditionatè accepisse, & non ipsam gratiæ collationem impeditam fuisse: qua ratione, ut supra diximus, scientia reflexa evitata fuisse.

Et hinc (quia sic clarior videtur futura hujus rei satis ex se obscuræ (solutio) supponamus, Petrum actu habere auxilium, datum sub scientia media reflexa, de eo non dando sub prævisione dissensus, & simul sub scientia media directâ de futuro consensu; si enim ostendatur, Petrum ut actualiter instructum eo modo gratiâ, posse absolute impedire dictam scientiam mediam reflexam, facile inferetur, eundem etiam posse idem conditionatè sub conditione: si esset instructus tali gratiâ sub tali scientia. Ubi insuper noto (quod est aliàs clarum) Petrum, si actu gratiâ instructus non sit, non habere actu ullam libertatem, nec ad speciem, nec ad exercitium: consequenter nec potentiam impediendi scientiam mediam reflexam. Et si ponatur nec conditionatè instructus gratiâ, nec habeat in statu conditionato, vel objectivo, talem libertatem, aut potentiam impediendi eam scientiam. His positis

Resp. neg. ant. ad prob. conc. maj. dist. min. quoad 2dam partem. Petrus non potest dissentire in sensu composito scientiæ. conc. min. in sensu diviso. neg. min. & insuper nego, hanc scientiam esse impediibilem à Petro, si detur in DEO, ita Gormaz de DEO num. 890. Thyrsus Gonzalez tom. 1. *select. quest. disp. 21. sect. 3. num. 15.* & alii contra Martinez de DEO *controv. 4. disp. 6.*

510. Ad hæc intelligenda notandum, quod veritatem propositionis conditionalis non possit impedire ille, qui tantum potest impedire purificationem conditionis. e. g. veritatem hujus propositionis: *Si Paulus mihi daret gladium, ego ipsum occiderem:* non potest impedire Paulus, licet possit negare gladium; nam, etsi neget, & sic impediatur veritatem absolutam, seu occisionem absolute factam, non tamen impedit veritatem conditionatam, seu occisionem conditionatè faciendam; quia tamen manet verum, quod occiderem, si gladium daret.

Unde veritatem supradictæ scientiæ mediæ reflexæ: *Si viderem, quod Petrus dissentiret, & haberet auxilium A, non darem hoc auxilium:* non potest Petrus impedire, præcisè ex eo, quod possit impedire purificationem conditionis, seu scientiam mediam directam de dissensu; quia semper manet vera propositio conditionalis, licet non purificetur conditio. Igitur, ut quis possit impedire veritatem conditionalem, requiritur, ut possit impedire, ne, posita etiam conditione, sequatur conditionatum. e. g. in superiore exemplo, debet posse impedire occisionem, etiam

am posita datione gladii: quod posset ille, qui me instructum gladio e. g. ligaret, ne gladio uti possem: & in nostro exemplo scientiæ mediæ reflexæ, ut quis possit eam impedire, debet posse facere, ut, posita etiam scientiâ mediâ directâ de dissensu, tamen DEUS non negaret auxilium: seu debet posse facere, ne detur auxilium tantum per decretum prædefinitivum: sed ut etiam daretur per decretum pure permissivum. Uno verbo: decretum DEI de non dando auxilio, nisi sub prævisione consensus, debet esse impediibile à Petro: at hoc quomodo?

511. Resp. Petrum quidem non posse antecedenter ad omnem suppositionem impedire decretum DEI de dando auxilio: sed tamen id posse, supposita voluntate Divina, qua DEUS Petrum voluit liberum; hæc enim supposita, potest impedire omne decretum essentialiter connexum cum actu suo libero, ne scilicet evertatur ejus libertas: ergo casu, quo detur ipsi quod auxilium in ordine ad eliciendum actum liberum per decretum essentialiter connexum cum eo actu, debet illud posse impedire: ergo etiam debet posse impedire decretum DEI consentientis auxilium ita, ut id non conferret, si prævideret dissensum: sive hoc decretum debet esse à Petro impediibile, & Petrus debet posse hoc auxilium conjungere cum dissensu. Quia ratione etiam potest impedire scientiam mediam reflexam ex dictis num. 510. quia potest facere, ut stante scientia media directâ de dissensu, tamen detur auxilium. Dico: debet posse hæc facere, quamvis nunquam sit facturus: sicut etiam potest impedire scientiam mediam directam, quam DEUS habet, quamvis nunquam impediturus sit.

512. Dices 1. Petrus tantum potest impedire scientiam mediam directam, vel ad eam determinare; adeoque tantum potest impedire, vel purificare hypothesein scientiæ mediæ reflexæ; ergo non potest impedire veritatem conditionalem, seu scientiam mediam reflexam. Resp. neg. ant. Hoc ipso, quod possit Petrus, etiam facta jam collatione gratiæ, pro libitu impedire, vel verificare quamlibet scientiam mediam directam, potest veritatem scientiæ mediæ reflexæ impedire; nam si habens gratiam impediatur scientiam directam de consensu, eo ipso conjungeret gratiam cum dissensu, adeoque faceret, ut verum sit, quod gratia hæc collata sit per decretum, etiam post prævisionem dissensus; quia sine omni decreto gratia conferri non potest.

Hoc autem non potest verum esse, stante scientia media reflexa sæpius dicta: ergo ipsam impediatur: atqui Petrus post acceptam gratiam potest illam scientiam mediam directam pro libitu impedire: ergo. Unde in casu collati auxilii Petrus, determinando DEUM ad scientiam mediam de dissensu, non impediatur conditionem, seu hypothesein, sed eam purificaret; faceret tamen, ut hac posita non sequeretur conditionatum, seu negatio auxilii; quia supponitur jam collatum, adeoque impediatur veritatem propositionis conditionalis.

Quare, licet is, qui præcisè potest impedire, vel etiam ponere conditionem, non possit impedire veritatem conditionalem, tamen potest eam is impedire, qui potest facere, ut pu-

rificata^o etiam conditione non sequatur conditionatum: quod Petrus potest, si auxilium sit collatum. Nempe in hoc casu res ita quasi contingit. Habet DEUS scientiam mediam reflexam de non dando auxilio sub scientia media directâ de dissensu: habet dein scientiam mediam directam de futuro consensu: consequenter auxilium confert. Hoc collato Petrus est liber ad impediendam scientiam mediam directam de consensu, & determinandum DEUM ad scientiam de dissensu: quod si faceret, haberet gratiam cum præviso dissensu, adeoque per decretum permissivum; consequenter impedita fuisset scientia media reflexa de non dando gratia per decretum permissivum (non enim falsificari posset) ergo. Repeto iterum, Petrum posse impedire ista, sed non impediturum, & scientiam impediibilem esse, sed non impediendam.

Dices 2. Scientia media directâ non est prior, nec præsupponitur ad scientiam mediam reflexam: ergo ista non potest per illam impediri. Resp. dist. ant. non est prior, nec præsupponitur ut physicè, vel actu existens. conc. ant. non est prior, nec præsupponitur ut conditionatè, vel objectivè existens, neg. ant. & consequ. Scientia media reflexa est quidem prior ad directam prioritate aliqua rationis, & suo modo à subsistendi consequentia, ut explicatum num. 500. at verò sub alia ratione scientia media directâ est prior, & præsupponitur ad reflexam, scilicet ut conditionatè, & objectivè existens: in qua mutua prioritate diversi generis nullum est inconveniens: sicut nullum est in eo, quod scientia visionis sit prior tempore ad actum absolute futurum, & idem actus sit objectivè prior ad eam scientiam. Et par est ratio de actu conditionatè futuro respectu scientiæ mediæ directæ.

Jam verò sicut actus noster liber conditionatè futurus præsupponitur objectivè ad scientiam mediam directam, & ratione hujus actus potest voluntas libera impedire scientiam mediam directam: sic hæc ipsa scientia media directâ præsupponitur objectivè, seu tanquam objectum conditionatè existens, ad scientiam mediam reflexam, & ratione ipsius potest homo (ut supra jam explicatum) scientiam mediam reflexam impedire; nam scientia media directâ est objectum reflexæ: & quidem non tantum ex parte hypothesein, sed etiam, ex parte conditionati; cum conditionatum sit decretum, sive prædefinitivum, sive permissivum, quod utrumque est essentialiter connexum cum scientia media: adeoque ista, saltem tanquam terminus connexionis, ex parte conditionati videtur.

513. Dices 3. Scientia media reflexa est de actibus soli DEO liberis, sicut scientia media directâ est de actibus soli homini liberis: ergo, sicut scientia media directâ non est impediibilis à DEO, ita reflexa non est impediibilis ab homine. Resp. dist. ant. scientia reflexa, latius dicta, omitt. ant. strictè dicta, subd. est de actibus liberis DEO, respicientibus tamen, & suo modo præsupponentibus exercitium libertatis humanæ. conc. ant. est de actibus non ita respicientibus exercitium libertatis humanæ. neg. ant. & cons. nam sicut DEUS, supposito, quod hominem velit liberum (quod hæc, & nunc supponitur) non potest circa actus liberos hominis facere



facere decreta connexa cum actibus, & inimpedibilia, sed debet facere impedibilia, & suo modo respicientia libertatem humanam; ita neque potest per scientiam mediam reflexam praevidere, se elicitorum decreta connexa, & inimpedibilia, sed tantum impedibilia, vel non connexa.

Dices 4. Petrus nihil potest impedire ex actu primo proximo requisito ad scientiam mediam reflexam: ergo neque potest impedire ipsam; prob. conf. qui non potest impedire potentiam completam, neque potest impedire ejus actum: ergo. Resp. neg. antec. potest enim impedire statum objecti ita se habentis, prout scientia affirmat, qui status vel maxime spectat ad actum. Imum scientia necessarii veræ; cum hæc dari non possit, nisi objectum se habeat, ut ipsa affirmat. Hic autem status in nostro casu est conjunctio conditionis, & conditionati talis, ut sine illa hoc non daretur. Potest autem (ut modo ostensum) Petrus facere, ut conditionatum tamen daretur, etsi non daretur conditio, adeoque potest statum objecti necessariæ prærequisitum ad veritatem illius scientiæ impedire, consequenter aliquod constitutum actus primi.

Dices 5. Petrus non potest hunc statum impedire, nisi habeat libertatem: sed hanc non habet antecedenter ad scientiam hanc reflexam: ergo. prob. mi. Petrus non habet libertatem, nisi per decretum DEI: sed hæc scientia præcedit omne decretum: ergo non habet libertatem antecedenter ad hanc scientiam: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. iterum neg. mi. in sensu mox exponendo. Hæc scientia media non dirigit ad decreta Divina, neque præsupponitur pro priori naturæ ad ista, sed potius ipsa supponit decreta saltem objectivè existentia: & præsertim ista numero scientia ex parte hypothesis supponit collationem libertatis; hypothesis enim est ista: *Si Petrus cum hac libertate constituta ex hac gratia &c. liberè dissentiret, non darent ei hanc gratiam &c.* ergo jam supponitur conditionatè habens libertatem, & consequenter etiam supponitur decretum collativum libertatis, saltem mediæ, vel implicitè: ergo jam est Petrus sufficienter libertate instructus ad impediendam hanc scientiam in statu objectivo, in quo libertatem habet conditionatè. Poterit autem illam impedire absolute, si absolute acceperit libertatem per decretum neutiquam à priori dependens à scientia media reflexa, ut jam dictum. Quod autem scientia media reflexa sit sub alia ratione prior directâ, ut dictum *num. 500.* non refert; neque enim ulla est implicatio in hac neutra prioritate.

Non tamen ex hoc sequitur, quod scientia media reflexa, strictè dicta, etiam sit libera homini; nam, licet hic possit eam impedire, non tamen potest eam verificare; quia ad quamcunque scientiam mediam directam homo determinet, non potest DEUM potius ad hoc, quam aliud decretum determinare, neque ad ipsam collationem auxilii; unde hæc verificatio est in potestate DEI. Potest etiam DEUS quamcunque scientiam mediam reflexam determinatè sumptam immediatius, quam homo impedire; quia potest, posita quacunque scientia directâ, plena libertate hoc, vel illud decretum elicere. Quare absolute dicenda est hæc scientia libera DEO, sed cum aliquo respectu ad libertatem creatam, si-

cut etiam prædefinitio subsequens scientiam mediam est ipsi libera: sed etiam cum tali respectu. Adde insuper, quod homo, ut eam scientiam possit impedire, debeat id habere ex concessione DEI, libertatem ei gratuito concedentis.

Explicatur ulterius responsio. DEUS confert auxilium, vel per decretum indifferens, vel per decretum permissivum, vel per decretum prædefinitivum. Primum est, quo DEUS confert auxilium indifferenter, & est conjungibile tam cum consensu, quam cum dissensu. Hoc autem decretum (si datur) non est conditionatum illius scientiæ mediæ reflexæ, ut est manifestum; quia per hoc DEUS dat, etiam daturus cum dissensu. 2dum est, quo DEUS dat auxilium prævisum cum dissensu. Et neque hoc potest esse conditionatum in nostro casu, ut patet, sed ejus negatio; quam tamen negationem non minus potest homo impedire, quam ipsum decretum; consequenter potest DEUM determinare ad dandum auxilium per decretum permissivum ex suppositione, quod auxilium det, (nam non potest dare absque omni decreto) si enim Petrus instructus auxilio, sicut potest, dissentiret, & consequenter verificaret scientiam de dissensu (quo casu purificaret conditionem scientiæ mediæ reflexæ) eo ipso haberet auxilium per decretum permissivum, secus, ac affirmat scientia mediæ reflexa: adeoque hanc impediret, cum falsificaret non possit.

Ubi obiter noto, DEUM nunquam dare auxilium prævisum cum dissensu, ita, ut non daret, si prævideret cum consensu; hoc enim decrederet DEUM; quia esset æquivalenter velle dissensum. 3tium, seu prædefinitivum est, quo DEUS dat auxilium prævisum cum consensu; at hoc juxta nostros, cum quibus etiam infra sentiemus, est impedibile ab homine: ergo à primo ad ultimum nunquam DEUS dat auxilium, nisi, vel per decretum non connexum cum auxilio, vel per impedibile.

P. Martinez de DEO sciente *controv. 4. disp. 6. sect. 1. § 2da* præcludens suis principiis de prædefinitioe antecedente scientiam mediam directam contendit, hanc scientiam mediam reflexam esse inimpedibilem: sed rationes ejus positivas jam solvimus. Addenda tamen aliqua ejus quasi responsio ad nostra argumenta. Sic autem discurre. Ista argumentatio est mala: *Petrus potest credere fide Divina, Spiritum Sanctum non fuisse incarnatum: sed, si hoc credit fide Divina, Spiritus sanctus non est incarnatus: ergo potest facere, ut Spiritus sanctus non sit incarnatus: ergo etiam ista nostra est mala: Petrus potest dissentire huic auxilio: sed si dissentit huic auxilio, non datur scientia illa mediæ reflexa: ergo potest facere, ut non detur scientia illa mediæ reflexa.* Sed si hæc argumentatio est mala, scientia illa non est impedibilis ergo.

Resp. conc. ant. neg. conf. disparitatem assignat ipse Author *sub finem citatæ sectionis 2de §. interim.* In prima argumentatione potentia credendi in Petro sequitur negationem incarnationis Spiritus Sancti, & hanc jam præsupponit; nisi enim hæc præsupponeretur, non posset credi; unde non sequitur, quod Petrus possit eam negationem facere; quia non debet posse

facere,

facere, quod aliunde supponit jam factum. At in 2da argumentatione potentia dissentendi in Petro præcedit scientiam mediam reflexam; quia præcedit decretum prædefinitivum; hoc enim dari non potest, nisi Petrus consentiat, qui tamen potens est dissentire: adeoque habet potentiam suo modo antecedentem impediendi hoc decretum; quo impedito impediretur scientia illa reflexa; quia impediretur conditionatum stante conditione.

Hoc tamen concedendum Patri Martinez, quod Petrus non possit collationem auxilii, nudè sumptam, impedire, vel etiam acquirere; quia, stante quacunque scientia mediæ directâ, potest illud DEUS conferre, vel negare (at hæc collatio, nudè sumpta, non est connexa cum actu) potest tamen facere Petrus, ut ex suppositione, quod DEUS velit auxilium dare, det potius per decretum prædefinitivum, quam permissivum, vel econtra, insuper DEUS ipse per suam voluntatem, qua voluit hominem liberum, facit, ut, si auxilium dare velit, non possit illud dare per decretum simul connexum cum uno libertatis extremo, & inimpedibile.

DISPUTATIO IV.

De Voluntate DEI.

§16. Tres potissimum quæstiones complectitur hæc disputatio; sed quarum quælibet in suas quæstiones subdividi possit. Ima agit de Libertate DEI, præsertim in actu 2do, adeoque de complementis, & distinctionibus actuum contingentium DEI. 2da de Providentia DEI in genere, & actibus eam constituentibus: itémque effectibus in omnes creaturas inde profluentibus. 3tia de Providentia DEI in specie, scilicet prædestinatione, ac reprobatione: qua occasione agendum de Decretis prædefinitivis, aut permissivis: itémque de antecedentia, vel consequentia meritorum ad prædestinationem, vel peccatorum ad reprobationem. Materia ampla est, & apud plures adimplet grandes tomos: nos eam, quantum fieri poterit, succinctius trademus.

QUÆSTIO I.

De Libertate DEI.

ARTICULUS I.

Exponitur difficultas circa Libertatem DEI.

§17. Suppono imò, in DEO dari Voluntatem; hæc enim definitur à Philosopho. *1. Rhetor. 10. appetitus boni cum ratione*, qualis utique datur in DEO, tum respectu sui, tum respectu creaturarum: non tamen est potentia physica; sed tantum metaphysica, vel logica volendi: quæ probari debent proportionaliter, sicut probatum est à *num. 278.* dari in DEO scientiam, intellectum &c. Accedit, quod Scripturæ, & PP. passim DEO attribuant voluntatem, tum per modum actus

primi, tum etiam actus 2di, seu volitionem, amorem, odium &c. Distinguuntur etiam in DEO voluntas signi, & voluntas beneplaciti, de qua distinctione S. Thomas *1. part. quæst. 19. art. 11.*

Objectum autem materiale voluntatis Divinæ, & quidem primarium, ac necessarium, est ipse DEUS à se necessario amatus: 2darium autem, & liberum sunt creaturæ, quas DEUS, saltem efficaciter, non debet amare (quidquid sit de inefficaci complacencia, de qua vide Arriagam de DEO *disp. 24. sect. 6.* an autem eam *num. 44.* ritè probet, ipse tecum staves) nec enim voluntas infinita necessariò rapitur ad amandas efficaciter creaturas limitatæ perfectionis. Objectum autem formale, non physicè, sed intentionaliter motivum, iterum primarium est DEUS: 2darium etiam aliquando creaturæ, quas DEUS, licet amet propter se, tanquam finem ultimum, tamen etiam amat propter ipsam earum bonitatem, tanquam finem non ultimum: quæ iterum proportionaliter accipienda sunt, sicut dicta *num. 301.* & sequentibus de objecto cognitionis Divinæ.

Suppono 2do, DEUM esse liberum, tum ex dictis *num. 130.* tum quia Scripturæ passim DEO tribuunt libertatem, & electionem. Sic *psal. 93. v. 1. DEUS ultionum liberè egit. 1. Reg. 16. v. 8. Nec hunc elegit Dominus &c.* & consentiunt unanimiter Patres apud Ruiz, & Petavium. Suppono 3tio, DEUM esse simplicissimum omnis compositionis expertem *ex n. 131.* adeoque nullam ei volitionem posse uniri (nam sic daretur compositio) sed vel debere esse identificatam, vel non posse ei inesse, sicut tamen nobis insunt actus vitales per unionem. Quod idem etiam inferitur ex immutabilitate DEI, quam probavimus *num. 132.* quia esse subjectum receptivum alicujus actus vitalis, per unionem intrinseci, esset mutari; hæc enim de causa creaturæ mutantur.

§18. Ex his jam oritur difficultas gravissima, cui nullus Theologus hucusque plenè satisfacere potuit: Arriaga autem de ejus solutione profusus desperavit; unde imprudenter à me expectaretur aliquid, cui intellectus omnino acquiesceret. Scilicet difficultas est maxima, combinare simplicitatem DEI cum libertate, seu ens absolute necessarium cum decretis, seu volitionibus contingentibus, aut defectibilibus. Et eadem est ratio de actibus scientiæ mediæ, vel visionis creaturarum absolute existentium, etiam defectibilibus, ut facile patet consideranti.

In hoc tamen Theologi communissimè conveniunt, quod volitiones liberæ DEI, vel scientiæ contingentes, non sint realiter adæquatè distinctæ à DEO; cum enim sint actus vitales DEI, adeoque ipsius vita in actu 2do, debent saltem inadæquatè esse intrinseci, adeoque identificati; cum uniri non possint, uti diximus *num. 517.* & confirmant SS. PP. ex quibus Augustinus *tract. 99. in Joannem paulò ante median scribit. Et ideo non est ista substantia humana verissimè simplex, cui non hoc esse, quod nōsse; potest enim esse, nec nōsse: at illa Divina non potest; quia id, quod habet, est: ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia, qua scit, aliud essentia, qua est, sed utrumque unum est.* Accedit, quod DEI

volitio, & scientia debeat dari ab æterno; nihil autem à DEO distinctum ab æterno detur, ut habetur ex primis statim S. Scripturæ verbis: *In principio creavit DEUS cælum, & terram;* quæ ab omnibus ita exponuntur, ut nihil creatum detur ab æterno: item ex Concilio Rhemenfi contra Gilbertum Porretanum præsentè Eugenio III. ubi dicitur: *Credimus, solum DEUM, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquam omnino res, sive relationes, sive singularitates, vel unitates dicantur, & huiusmodi alia à DEO esse, quæ sint ab æterno, & non sint DEUS.*

Arriaga quidem videtur velle, ista esse tantum verba S. Bernardi: at quamvis Otto Frisingensis id aliquo modo videatur asserere, aliter tamen habet Goffridus in vita S. Bernardi, de quo videri potest Severinus Binuius tom. 3. *Conciliarum part. 2da. in editione Colonienf. fol. 13. 34.* Est insuper hæc receptissima Theologorum doctrina, solo fortè excepto Cajetano, quem tamen alii aliter explicant. Questio igitur tantum esse potest, an volitiones Divinæ contingentes (& idem est de intellectibus) sint adæquatè intrinsecè DEO, adeoque adæquatè identificatæ: an verò tantum inadæquatè, ita, ut præter essentiam Divinam involvant pro constitutivo aliquid aliud, quod communiter vocatur complementum extrinsecum.

§ 19. Ribadeneira (teste Gormaz de DEO n. 787.) refert disp. 17. de voluntate DEI. quindecim diversas sententias. Izquierdo tract. 10. de DEO disp. 31. quest. 4. num. 82. ad quinque classes reducit omnes hæc de re diversas opiniones. Gormaz adhuc pressius disp. 14. sect. 2. ad quatuor classes reducit omnes hæc de re diversas opiniones. Prima est dicentium; volitionem DEI esse ens accidentale, creatum, DEO adjectivè unitum, quo Divina voluntas denominatur contingenter volens, sicut Persona Verbi denominatur adjectivè unita humanitati: Christiper unionem hypostaticam. Sed, cum nihil creatum possit esse ab æterno ex num. 518. DEUS autem sit sciens, & volens ab æterno, non autem unitus ab æterno humanitati, hæc sententia, vel ex hoc solo, non potest subsistere.

Altera est quorundam, adstruentium entia diminuta, seu purè denominativa, quæ neque sint simpliciter identificata cum DEO, neque simpliciter distincta, quamvis sint ante operationem intellectus distincta distinctione diminuta, uti etiam identificata identitate diminuta. Sed istæ entitates diminutæ, mediè inter realiter tales, & præcisè in conceptu tales, nec simpliciter identificatæ, nec simpliciter distinctæ, in nostris scholis dudum exulare iustæ sunt, utpote imperceptibiles. 2do. Vel talis entitas est simpliciter DEUS, vel non est DEUS: si est DEUS, tunc non est opus dicere ens diminutum, sed erit realiter ens perfectissimum, quamvis denominativè, vel terminativè contingens, de qua sententia postea: si non est DEUS, debet admitti, quòd aliqua creatura sit ab æterno: qua ratione hæc sententia coincidit cum prima, modò impugnata. Confirm. Hæc entitas, vel habitudo, non est simpliciter identificata cum DEO: ergo non est vera hæc propositio: *Hæc entitas est DEUS*: adeoque vera est ejus contradictoria: *Hæc entitas non est DEUS*: sed quidquid aliquid est per

statum, & non est DEUS, est creatura: ergo hæc entitas esset creatura ab æterno. Rursus, vel talis entitas potest deficere: & actus contingens DEI etiam poterit deficere; quod tamen isti Authores videntur nolle: vel non potest deficere: & actus DEI contingentes confundentur cum necessariis.

§ 20. Itaque controversia maximè solet esse circa reliquas duas opiniones, quarum una actum contingentem DEI vult inadæquatè tantum identificatum DEO, ita, ut præter essentiam DEI involvat adhuc creatum complementum: e. g. decretum liberum creandi mundum præter essentiam, aut voluntatem Divinam necessariam involvit adhuc aliquid aliud creatum: in quo tamen assignando Authores isti variant, dum alii ipsum mundum, alii actionem productivam mundi, alii aliquam aliam entitatem modalem adstruunt. In hoc tamen satis communiter conveniunt, quòd istud complementum asserant, non esse neque partialiter formam, vel quasi formam volendi, sed tantum esse applicationem formæ ad denominandum hoc potius, quam aliud objectum volitum: formam autem adæquatam dicunt esse volitionem DEI necessariam.

Ultima verò, seu quarta opinio, asserit, quòd volitiones DEI liberæ sint adæquatè identificatæ cum DEO, ita tamen, ut, licet DEUS necessarius sit, volitiones tamen illæ deficere possint, non quidem consequenter, seu ex suppositione, quòd jam existant: sed antecedenter in primo signo libertatis Divinæ in actu 1mo: & quidem in hoc signo tantum deficere possint, non verò essentialiter, hoc est, secundum aliquam terminationem, formalitatem, virtualitatem, habitudinem, respectum (quæ hæc sunt synonyma) non verò secundum essentiam: eo ferè modo, quo Filiatio Divina est realiter identificata cum natura Divina, ita tamen, ut, licet natura Divina non sit producta, tamen Filiatio sit producta: & hinc juxta hanc sententiam admittitur in libertate Divina mysterium simile mysterio SS. Trinitatis. Utrique difficultates sunt maximæ. Quia tamen aliquid dicendum est, sit

ARTICULUS II.

Quid in hac questione dicendum videatur.

§ 21. Videtur interim, donec clarior lux caliginem istam discutiat, dicendum, actus contingentes DEI esse adæquatè identificatos cum DEO. ita Aldrete tom. 2do disp. 9. sect. 4. n. 1. & Authores plurimi citati ab Izquierdo tract. 10. de DEO disp. 31. quest. 4. num. 95. quibus ipse accedit, & postea accessere adhuc alii multi, ut Gonetus, Esparza, Antonius Perez, Compton, Haunoldus, Illung, Ulloa, Viva, Gormaz, & apud hunc adhuc alii necdum ab Izquierdo allati: & possent addi adhuc insignes Recentiores in hac nostra, & Dilingana Academia hanc sententiam amplecti, quamvis non negem, etiam oppositam magna auctoritate firmari. Videtur tamen sententia nostra conformior Angelico; nam quest. 6. de verit. que est

de prædestinatione art. 3. ad 9. admittit, missionem Personæ Divinæ, eoque involvat aliquid effectum temporalem, licet involvat etiam aliquid æternum, tamen etiam ipsam esse temporalem: at tamen vult, prædestinationem DEI esse æternam, & hinc dat disparitatem his verbis: *Sed prædestinatio non importat productionem alicujus effectus temporalis secundum suum nomen, sed tantummodo ordinem ad aliquid temporale, sicut voluntas, potentia, & hujusmodi: ergo decretum prædestinativum non completur per extrinsecam productionem rei temporalis.* Rursus quest. 23. de veritate. art. 4. ad 2. de Divinæ voluntatis respectu ad creata sic ait: *Dicendum, quòd illa habitudo importata est necessaria, & æterna ex suppositione, non autem absolute, & non solum secundum quod terminatur ad volitum, prout est exemplariter in ratione volendi, sed prout est temporaliter in propria natura: ergo respectus iste ad temporale, in propria natura acceptum, est jam ab æterno, licet non absolute necessariò, sed liberè, & ex suppositione, quòd DEUS velit: atqui creatum complementum non est ab æterno: ergo in hoc non stat ille respectus.*

Idem quest. eadem de veritate & eodem articulo ad 15. tum de eadem voluntate Divina ait: *Voluntas ad volitum habet duplicem respectum. Primum quidem habet ad ipsum, in quantum est volitum. 2dum verò habet ad idem, in quantum est producendum in actum per voluntatem: & hic quidem respectus præsupponit primum. Primum enim intelligimus, voluntatem velle aliquid, deinde ex hoc ipso, quòd vult illud, intelligimus, quòd producat ipsum in rerum natura, si voluntas sit efficax: ergo respectus DEI producentis, seu actio, quæ esset complementum creatum, est posterior respectu DEI volentis, adeoque non sunt idem, sed totum velle præsupponitur ad producere, consequenter volitio non constituitur per productionem, & multò minus per terminum productum.* Rursus 1. part. quest. 23. art. 2. in corpore ait: *Prædestinatio non est aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum.* Item quest. 34. art. 3. ad 2dum ait: *Quædam nomina important relationem DEI ad creaturam, quæ consequitur actionem DEI in exteriorem effectum transcurrentem, sicut creare, & gubernare: & talia dicuntur de DEO ex tempore. Quædam verò relatio est, que consequitur actionem non transcurrentem in exteriorem effectum, sed manentem in agente, ut scire, & velle: & talia non dicuntur de DEO ex tempore: quibus verbis docet, scientiam, & volitionem DEI non constitui ex actionibus ad extra transeuntibus, seu ad extra productivis creaturarum: sed ex actionibus metaphysicis ad intra. Item 1ma parte quest. 20. art. 3. ad 3. ubi facit discrimen inter amare, & velle, sic ait: *Intelligere, & velle significant solum actus, non autem in sua significatione involvunt aliqua objecta, ex quorum diversitate possit dici DEUS magis, vel minus scire, aut velle, sicut circa amorem dictum est: ergo actus intellectus, aut voluntatis Divinæ non constituuntur ex objectis, quæ DEUS scit, & vult: & affectus ille, quo DEUS unum præ alio amat, est totus DEO intrinsecus. Plures alios textus breviter gratià omitto.**

§ 22. Ut tamen ritè percipiatur conclusio nostra, sciendum, juxta nos actus DEI contingentes, sive voluntatis, sive intellectus, realiter adæquatè esse DEO identificatos, sine ulla distinctione reali inter essentiam DEI, & illos actus, ita tamen, ut antecedenter potuissent dicti actus deficere, sive non esse, non quidem quoad essentiam, sed tantum quoad terminationem, vel, ut infra milles distinguemus, non essentialiter, sed tantum terminativè. Quare concipi debet in signo libertatis Divinæ in actu 1mo essentia Divina indifferens indifferentià liberà ad identificandam sibi, aut terminationem volitionis, aut terminationem nolitionis e. g. mundi, ferè sicut nostra voluntas in signo libertatis in actu 1mo est indifferens ad uniendam sibi volitionem, aut nolitionem objecti. Ex quo sequitur, quòd in illo signo priori nec una, nec altera terminatio, concipiatur DEO identificata, adeoque utraque adhuc antecedenter defectibilis. Pariter in illo priori signo neutra concipitur ut Divinæ; quia neutra concipitur ut identificata, vel metaphysicè connexa cum essentia Divina.

In posteriori verò signo, seu libertatis Divinæ in actu 2do, DEUS sibi identificat pro lubitu suo ex his terminationibus unam, e. g. terminationem volitionis præ nolitione: qua ratione redditur volitio mundi Divina, & consequenter indefectibilis; quia, quòd DEUS vult, immutabiliter vult. Hinc actus DEI contingentes, etsi sint antecedenter, seu in primo signo libertatis, aut quasi in actu 1mo, defectibiles, non sunt defectibiles consequenter, seu in signo posteriori, aut ex suppositione, quòd semel existant. Proportionaliter discurrendum est de actibus contingentiis DEO non liberis, e. g. scientiæ mediæ; nam in signo libertatis creata in actu 1mo, quando voluntas creata adhuc concipitur indifferens ad faciendum e. g. peccatum sub conditione, essentia Divina etiam concipi debet ut indifferens ad hanc, vel oppositam scientiam: at in signo posteriori, in quo peccatum est determinatè futurum, DEUS sibi identificat, non pro lubitu, sed ex necessitate suæ omniscientiæ infallibilis, hujus potius, quam oppositæ scientiæ terminationem.

§ 23. Quòd si contingentiam, vel defectibilitatem sumamus rigorosius, ut accipitur communius, (quia communius dicitur de creaturis) si, inquam, sumamus pro corruptibilitate, pro qua accipit S. Thomas 2. contra Gentil. cap. 29. arg. 3. actus isti DEI nullo modo sunt defectibiles; quia nullatenus sunt corruptibiles; corruptio enim significat, rem prius existens, & rursus destrui, quod in hos actus non cadit. Imò, si etiam defectibilitatem sumamus minus rigorosè pro eo, quòd tantum antecedenter ad existentiam possit non esse quoad essentiam, tamen actus Divini, quos DEUS habet, non sunt dicendi simpliciter defectibiles; quia non sunt antecedenter defectibiles quoad suam essentiam, sed tantum quoad terminationem: quæ est tantum defectibilitas secundum quid; nam ex communi acceptione simpliciter defectibile dicitur id tantum, cujus etiam essentia, & existentia potest deficere: atqui essentia horum actuum, quæ

est ipsissima essentia Divina, non est defectibilis. Non tamen ex hoc velis inferre, quod Filius Divinus non sit simpliciter, sed tantum secundum quid productus; quia essentia ejus non est producta; nam non est paritas ab una denominatione ad alteram, ut patet in millenis exemplis: & debent denominationes explicari juxta communem acceptionem Authorum, præsertim SS. PP. juxta quam illud dicitur productum, cujus hypostasis, vel Persona producitur. Quod autem hinc sequatur, aliquid realiter identificatum cum necessario, seu indefectibili, esse terminative contingens, & defectibile, est quidem mysterium superans captum nostrum: sed hoc mysterium non gratis admittitur.

§24. Nam in primis per complementa extrinseca non videtur, posse explicari libertas Divina, nisi admittendo aliqua, quæ partim ipsi adversarij alibi, saltem in Philosophia, negant, partim SS. PP. planè non videntur admittere, partim etiam, quæ alias difficultates gravissimas inferunt, ut colligere licebit ex probationibus nostræ sententiæ. 2do. Omnes Theologi agnoscunt mysterium ingens in eo, quod DEUS sit simul perfectissimè liber, ac perfectissimè simplex: quare, ut ait Elparza *quæst. 21. art. 2. in solut. objection.* intellectus instructus fide circa unum mysterium, debet sequi ductum fidei circa alterum: & sic nos mysterium libertatis explicamus ad modum mysterij SS. Trinitatis; ut enim in isto identificatur realiter Filius productus cum natura Divina non producta, ita in altero identificatur terminatio contingens cum natura, seu essentia non contingente: & sicut ex eo, quod DEUS cum necessitate unitatis sit sæcundus ad intra, unitas naturæ identificatur cum multiplicitate Personarum: ita ex eo, quod DEUS cum necessitate simplicitatis sit liber, identificatur necessitas, vel indefectibilitas naturæ cum contingentia, vel defectibilitate terminationis. Et hinc etiam Angelicus *1. part. quæst. 25. art. 1. ad 3. videtur dicere*, quod operatio DEI (quod intelligendum est de interna, & contingente) se habeat ad potentiam (scilicet intellectum, & voluntatem) sicut Persona ad naturam, 3to. Debet admitti in DEO plus quam unum mysterium; nam datur mysterium Dualitatis, seu Spiratoris activi, quod prædicatum identificatur realiter Patri, & Filio, realiter inter se distinctis. Nec dubito, dari adhuc plura, quam ista, quæ præsentent in cœlis. Sed & SS. PP. non sunt valde difficiles in admittendo aliquo mysterio in DEO: & saltem mihi videtur, quod longè citius admittent mysterium aliquod ineffabile, quam ea, quæ adversarij dicunt. Interim tamen hoc etiam verum est, quod de hac quæstione apud PP. altum silentium.

§25. Sicut autem supra *num. 522.* diximus, quod in signo libertatis Divinæ in actu primo nulla terminatio concipiatur identificata, ita etiam dicendum, quod tunc nulla concipiatur distincta; quia, cum illud signum sit signum indifferentiæ Divinæ, neque concipitur ulla terminatio identificata, neque ulla distincta, sed indifferens, ut identificetur, vel distinguatur: neque ulla concipitur strictè jam negabilis, aut affirmabilis: sicut etiam in creatis in signo primo, seu actu imo ad volendum, vel nolendum, ne-

que concipitur volitio, neque negatio ejus: sed præcinditur ab utraque. Equidem in creatis, quidquid est distinguibile, est etiam distinctum: at non ita in Divinis, sed tantum illud est distinctum, quod non est identificabile: five sine quo DEUS non tantum in aliquo signo rationis concipi potest; sed sine quo actu aliquando existit. Et hinc defecto nolitio mundi est distincta à DEO; quia non est amplius identificabilis, non, quod natura Divina ex se sola antecederet exclusiver ejus identitatem, sed quod consequenter ad identificatam volitionem non amplius possit identificari. Et hinc Haunoldus ait, naturam Divinam non per se ipsam, sed per volitionem esse formaliter separatam à nolitione, Quare nunquam DEUS identificat sibi aliquid antecederet distinctum.

Neque etiam DEUS potuisset nolle per nolitionem distinctam; quia in signo priori nondum concipi potest nolitio distincta, sed primum in 2do, in quo data fuit volitio, quoposita DEUS non potuit amplius nolle. Si autem in hoc signo DEUS noluisse, exclusa eodem modo, & consequenter impossibilis reddita fuisset volitio. Nolitio autem mundi, si fuisset DEO identificata, non habuisset aliam essentiam, & existentiam, quam modò habeat volitio, scilicet essentiam Divinam: sicut tres Personæ habent eandem. Non autem inferas: ergo actu datur nolitio; ad hanc enim illationem non sufficit, dari essentiam, & existentiam nolitionis; sed debet dari etiam terminatio: sicut ad hoc, ut Filius Divinus sit Pater, non sufficit, ut essentia Filij sit Pater; sed deberet etiam Filiatio esse Paternitas. Neque enim in Divinis essentia, & existentia communicat omnia sua, aut recipit omnia prædicata identificabilium.

§26. Addendum hinc aliquid circa sententiam Cajetani, cui consentire quibusdam nefas videtur. Hic Author commentans in *1. part. quæst. 19. art. 2do.* paucis verbis, sine probatione, & objectione, docet, quod volitio contingens DEI sit perfectio voluntaria, & libera, quod prædicatum voluntariæ, ac liberæ, ait esse conditionem diminuentem: unde, licet DEO potuerit deesse hæc perfectio, non tamen, ait, potuisse ei deesse perfectionem, scilicet simpliciter talem. Dein *super art. 3.* vocat hanc perfectionem non intensivam, sed extensivam. Hanc sententiam, teste Haunoldo *lib. 1. tractatu 1. num. 324.* quidam exponunt, quasi voluerit Cajetanus, volitionem DEI esse DEO superadditam realiter, saltem modaliter. Alii putant, eum voluisse, quod talis perfectio sit simpliciter etiam quoad essentiam, & existentiam defectibilis. In utroque sensu rejicitur à nobis. Alii aliter eum explicant, & ab omni censura vindicant, de quo non debemus multum esse solliciti. Vide Izquierdo *tract. 10. disp. 31. num. 107.* Hic etiam adverte, quod per Congregationem IX. Generale non stram in nostris scholis prohibitum sit doceri, *aitum liberum DEI dicere aliquam rationem positivam DEO intrinsecam, & in existentem contingentem.* Hæc autem propositio debet intelligi, ut habet Gormaz *num. 831.* de ratione, vel prædicato simpliciter quoad existentiam contingentem, non autem tantum quoad terminationem &c. nam hoc secundo modo contingentem de-

ferunt plurimi ex nostris etiam Romæ in facie Generalis, & nuperrimè Ulloa. Quare etiam nobis non erit prohibitum, cum plurimis nostris sentire. His præmissis.

ARTICULUS III.

Probatur nostra conclusio.

§27. Probatur autem sic. Volitio libera DEI (& proportionaliter est eadem ratio de aliis actibus contingentibus) non potest compleri per aliquod complementum extrinsecum: ergo debet esse adæquatè intrinseca: sed neque potest stare in solis prædicatis sub omni ratione necessariis: ergo debet stare in prædicato secundum quid, seu terminative defectibili. Prima consequentia post rejectas *num. 519.* duas priores sententias non indiget alia probatione: subsumptum autem probatur ex eo, quod prædicata necessaria sint prorsus indifferentia ad volendum, vel nolendum contingenter, adeoque ipsa sola non possunt DEUM potius denominare volentem, quam nolentem. Nec dicas, prædicata necessaria posse hanc denominationem tribuere propter eminentem suam æquivalentiam; quia non minus æquivalent nolitioni, quam volitioni: unde, nisi aliud accedat, est intelligibile, quomodo determinatè hanc præ opposita denominationem tribuant. Dein denominatio DEI volentis e. g. hunc mundum, potuisset deficere, sicut defecto non datur denominatio nolentis: atqui nihil ex prædicatis necessariis potest deficere: ergo. Dices, potuisse deficere connotationem ad objectum. Sed hæc connotatio, vel est aliquid extra prædicata necessaria, vel nihil: si prius, deferis sententiam tuam: si 2dum, etiam hæc non potest deficere; quia non deficiunt prædicata necessaria.

Si dicas, esse aliquid virtualiter distinctum, non autem realiter, facile convenimus; quia etiam nos non dicimus, terminationem esse realiter distinctam: sed ad terminum dicimus, esse virtualiter distinctam ex suppositione, quod existat, quamvis antecederet potuisset à parte rei deficere. vide Gormaz *de DEO à num. 801.* Nec dici potest, superaddi debere tantum respectum, seu relationem rationis; vel enim intelligitur tantum cognitio aliqua, quæ DEUM cognoscit liberè volentem: vel fundamentum ejus cognitionis. Primum est falsum; quia DEUS volens præsupponitur ad nostram cognitionem, imò datur, etsi nemo cognoscat. Si 2dum dicitur; explicandum est, in quo consistat illud fundamentum. Ultima consequentia etiam legitime sequitur: restat probandum imum antecedens, in quo tota stat difficultas.

§28. Prob. igitur primum ant. Volitio libera DEI (idem est de scientia contingente) datur ab æterno adæquatè per statum: ergo non completur per aliquod extrinsecum. consequentia patet ex *num. 518.* ant. prob. DEUS ab æterno est adæquatè liberè volens per statum: ergo volitio libera debet adæquatè dari ab æterno. conf. iterum non potest negari. ant. prob. ex communi sensu, quem omnes habent de

DEO antecederet ad hanc controversiam: & hinc omnes apprehendunt magnum mysterium in libertate Divina, conjuncta cum simplicitate. Et quæso quis non præoccupatus opinione contraria sibi imaginaretur, quod denominatio DEI volentis, e. g. existere hunc annum 30. non magis detur per statum, quam ipse annus; nec aliter possit dici DEUS volens, quam annus 30. existens, adeoque una, & altera denominatio sit tantum successiva, & neutra simultanea, neutra existat adæquatè per statum, sed tantum utraque denominativè, sicut existit veritas propositionum de futuris contingentibus.

Certè omnes apprehendimus concretum liberè volentis, & scientis, tanquam concretum adæquatè vitale, physicè inexistentis voluntati, vel intellectui: & nemo sibi persuadet, quod ipsum objectum, e. g. truncus, vel saxum, possit esse pars hujus concreti; aut quod denominatio DEI necessariò volentis, & liberè volentis, differat tantum ratione objecti, & quidem necdum existentis, & fortè nunquam exituri.

Conf. 1. Wicleffus, & alij hæretici, aut ethnici, non negarunt DEO scientiam necessariam: neque negarunt rem, vel actionem productivam suo tempore extituras; non enim, ut ait Arriaga, fuere tam stupidi, ut de hac re dubitarent: & tamen negarunt DEO præscientiam futurorum, atque ut eam negantes sunt damnati: ergo scientia contingens est aliquid aliud, quam tantum scientia necessaria, & objectum extrinsecum; nisi velimus dicere, illos hæreticos quidem rem admisisse, nomen autem negasse, adeoque Concilii, & Patres tantum de nomine cum illis certasse.

§29. Confir. 2. ex Izquierdo. Quamvis ratione complementi extrinseci fortè DEUS possit aliquo modo denominari liber ab æterno, sicut de facto Antichristus potest denominari aliquo modo liber in ordine ad peccatum, scilicet per alienationem; tamen DEUS non potest denominari ab æterno exercens libertatem; quia exercere libertatem planè significat actuale exercitium, quod, cum ab æterno in hac sententia non detur, non potest ab æterno DEUS dici exercere libertatem: atqui debet ab æterno dici exercens libertatem, ut videntur omnes SS. PP. & Theologi cum communi omnium sensu unanimiter dicere, & ipsi adversarij in explicandis aliis quæstionibus: ergo.

Confir. 3. Exercitium libertatis Divinæ præsupponitur ad exercitium omnipotentæ Divinæ, seu est causa istius: sed hoc in ista sententia non esset verum: ergo. min. puto admitti ab adversariis; quia five per actionem, five per effectum productum compleatur volitio libera, utrumque est exercitium omnipotentæ Divinæ, & nihil potest ad se præsupponi. maj. saltem in aliis materiis ab ipsis adversariis videtur supponi: item clarè traditur à S. Thoma *cit. num. 521.* insuper à Scripturis, & Patribus adstruitur, ut multis allatis textibus probat Izquierdo *tract. 10. de DEO disp. 31. quæst. 4. num. 195.* Sic *Psal. 134. vers. 6. Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit. Psalm. 17. v. 20. Salvum me fecit, quoniam voluit me. Ecclesiastici 39. v. 8. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebitur.*

illam. Certè, ut notat Izquierdo, SS. PP. hos textus ita exponunt, ut non causa formalis, sed moralis, aut efficiens, seu saltem efficientem applicans, aut expediens, significetur: sanè ita exponunt, ut prorsus videantur dicere, voluntatem DEI completam præsupponi ad effectum extrinsecum. Accedit, quod aliàs sensus esset hic: *Omnia, quæcumque DEUS fecit, ea fecit. Salvum me fecit, quoniam salvum me fecit. Si Dominus magnus posuerit actionem repletam spiritus intelligentiæ, tunc replebit illam spiritu intelligentiæ: quæ videntur omninò inconuenientia.*

530. Confirm. 4. Si DEUS potest denominari ab æterno volens absolute, etiam si complementum absolute ab æterno non existat, sed tantum per alienationem; tunc etiam, & magis poterit denominari volens conditionatè, seu habens decretum subjective absolute, & objective conditionatum, etiam si complementum tantum existat per alienationem: sed hoc, saltem in nostrorum principiis, non videtur admittendum: ergo. maj. videtur ab adversariis admitti, imò cum aliqua talia decreta in Scripturis legantur expressa, ut illud, de quo n. 321, cui adjungi potest illud *Psalm. 131. v. 11. Juravit Dominus David veritatem. . . si custodierint filii tui Testamentum meum. . . Et filii eorum sedebunt super sedem tuam:* hæc, inquam, decreta videntur ipsi explicare debere per essentiam Divinam, & per statum conditionatum objecti, tanquam complementum.

Prob. jam min. Inprimis, ut observat Izquierdo *tract. 10. disp. 31. num. 181. Et num. 258.* dantur hac ratione infinita decreta subjective absolute, & objective conditionata, quot scilicet dantur scientiæ mediæ; quia sicut scientia mediæ actu existens ab æterno, & DEUM denominans actu scientem, juxta adversarios nihil dicit, nisi intellectum Divinum necessarium, & statum conditionatum objecti, ita etiam decretum subjective absolute, & objective conditionatum, nihil aliud dicit, quam voluntatem Divinam, vel simplicem complacentiam necessariam: (si hæc detur) & statum conditionatum objecti &c. tot autem decreta de rebus omnibus, in quavis prævidentia conditionatè futuris, nostri saltem communiùs, negant. Accedit aliquid aliud adhuc difficultius: scilicet, non videtur posse explicari libertas DEI circa hæc decreta; nam nec voluntas, nec ipse status conditionatus objecti DEO est liber, quocumque agitur de actibus liberis creaturæ, sicut scilicet objectum scientiæ mediæ: ergo talia decreta non magis essent libera DEO, quam scientia mediæ directæ de nostris actibus, quæ nobis, non autem DEO libera est: hoc autem dici non potest: ergo.

531. Confirm. 5. ex P. Francisco Rhem in *Theobis anno 1678. Diling. e. editis.* In sententia adversariorum difficillimè, aut omnino non potest assignari discrimen aliquod à parte rei inter scientiam mediæ, & scientiam visionis: & consequenter neque inter unum decretum subjective, & objective absolute: & alterum subjective absolute, objective tamen conditionatum; nam sunt eadem prorsus constitutiva, scilicet voluntas DEI necessaria, & objectum, seu actio: atqui objectum, vel actio conditionatè existens, & absolute existens sunt realiter idem, ut pro-

batum num. 435. Si respondeant, etiam nos admittunt num. 412. quòd objectum scientiæ visionis, & objectum scientiæ mediæ, non sunt idem: replico distinguendo illatum: non sunt idem adæquatè, omitt. inadæquatè, neg. nam omne, quòd est objectum scientiæ visionis, est etiam objectum scientiæ mediæ: sed non vice-versim; quia scientia visionis videt actum absolute futurum determinatè in specie physice infima, imò in individuo: scientia verò mediæ non videt eum determinatè, aut solum, sed indeterminatè, distinctivè, seu cum pluribus aliis ejusdem speciei.

Verum per hoc adversarii non evitant vim istius argumenti; nam etsi actus scientiæ mediæ tendens in plura objecta, juxta ipsos dici possit habere tot complementa, quot habet objecta, tamen nihilominus semper manet verum, quòd, quando datur scientia mediæ, detur etiam complementum scientiæ visionis, & consequenter detur etiam ista scientia, quòd admitti non potest. prob. illat. inter plures illos actus indeterminatè acceptos, qui sunt objectum scientiæ mediæ, est etiam ille determinatè acceptus, qui est objectum scientiæ visionis: cumque hic non debeat existere per statum ad hoc, ut compleat scientiam visionis: per alienationem autem jam detur, nihil deest ad scientiam visionis, seu, ut DEUS actu denominetur sciens scientiæ visionis. Minùs adhuc hæc exceptio adversariorum valet in ordine ad decreta DEI, quæ tendunt determinatè ad individuum, quòd decernunt, & ad quòd determinant: adeoque decretum conditionatum, & absolute habent idem objectum, consequenter etiam idem complementum. Interim tamen ista scientiæ, atque decreta, sunt, saltem antecedenter, realiter separabilia, & potest una sine altera, ac unum decretum sine altero dari, ut negari non potest (& ex hac separabilitate putant adversarii, sententiam nostram efficacissimè impugnari) unde concedere nequeunt, quòd sint realiter indentificata: quin si identificata forent, sequeretur, DEUM habere innumera decreta omnino absolute contingentia circa res nunquam exituras, & quidem non libera: quæ utique non possunt admitti.

532. Prob. aut. superius 2. DEUS non tantum vult res quomodocumque, sed vult propter certos fines, vel suo modo motiva, aut quasi causam morales: vult aliqua tantum permissivè, alia intentivè: hoc est, quædam tantum decernit permittere, alia etiam prædefinit: sed hi respectus decreti Divini ad fines, vel motiva, explicari non possunt per complementa extrinseca: ergo. maj. videtur innegabilis, & oppositum dicere, ait Izquierdo *tract. 10. disp. 31. num. 213.* est DEUM conjicere in indignissimas angustias. min. prob. res ipsa per se, e.g. beatitudo hominis, est prorsus indifferens, ut detur propter merita præcedentia, vel non: peccatum est indifferens, ut permittatur ad ostendendam misericordiam, vel ad ostendendam justitiam; actus aliquis externus, non peccaminosus, est indifferens, ut à DEO intendatur; quia potest esse occasio boni: vel ut tantum permittatur; quia potest homini esse occasio mali: vel etiam; quia DEO magis placet, poni alium: ergo per ipsa sola objecta non determinatur DEUS ad decernenda ista ob hunc

potius, quam alium finem, ob hoc, vel aliud motivum, intentivè potius, quam permissivè.

Respondent adversarii primò. Quando DEUS vult aliquid propter alterum e.g. sanitatem conferre homini propter preces; tunc determinatio, vel connexio sanitatis cum precibus fundatur in hac veritate conditionata: *Si non darentur preces, non daretur sanitas.* Sed contra: hoc est fallum; nam sapientissimè DEUS concedit aliquid propter preces, tamen concessurus, etiam si non rogetur, ut est innegabile; aliàs deberemus dicere, quòd, quando DEUS hominibus orantibus ante mensam dat cibos, eos nunquam daret, si non orarent. Item DEUS dat gratiam, ut homo consentiat, daturus tamen etiam illam, quamvis homo non consentiret: & hoc semper contingit, quando dat gratiam sufficientem, quam etiam dato fine, ut homo bene agat, quamvis iste non velit. Dein potest utique DEUS simul intendere duos fines, saltem in actu primo adæquatos, ita, ut, quamvis deficeret unus, tamen non deficeret effectus. Saltem est innegabile, quòd DEUS possit ita intendere finem, vel rem velle propter duo motiva: quo casu decretum habet specialem modum tendendi, qui non est explicabilis per illam veritatem conditionalem.

Respondent secundò alii, dari in DEO complacentias necessarias de quibuscumque combinationibus possibilibus unius cum altero, tanquam finis cum medio, formaliter infinites (saltem syncategorematicè) distinctas, prout scilicet possibiles sunt combinationes syncategorematicè infinitæ: in actionibus verò dari respectus essentialis, vel transcendentales ad has complacentias, adeoque ipsis actionibus inesse respectum aliquem immediatum ad complacentias, hoc est, cuique actioni speciali ad specialem complacentiam, & consequenter inesse mediatum respectum ad varios fines, unum, vel plures &c. ita, ut una actio habeat respectum ad hunc, vel hos fines, alia verò ad alios &c. ideoque rem produci ex hoc potius, quam alio fine, esse produci per talem, & non aliam actionem.

Sed quidquid sit de hac complacentia, de qua pauca num. 517. isti respectus transcendentales communiter, saltem à nostris, in Philosophia non admittuntur, quando agitur de causa finali, vel morali: unde etiam non tantum quælibet actio non debet respicere omnes has complacentias, sed nullas; sicut juxta adversarios effectus ipse indifferens per actionem productus nullas respicit: & planè hi respectus gratis adstruuntur; quis enim credat, esse physice aliam actionem, si producantur pluvie propter preces in ficitate, quam si producat propter peccata ad puniendos homines inundantia imbrum? quis credat, meam ambulationem esse intrinsecè aliam, si ambulem propter visitationem templi, quam si purè propter sanitatem? aliam intrinsecè comeffionem, si propter honorem DEI, quam si propter gustum meum comedam?

533. Conf. Visio beatifica datur propter merita: estque ipsa actio vitalis, non producta per aliam actionem: ergo juxta adversarios ipsa debet habere essentialem respectum immediatum essentialem ad complacentiam de his meritis, ut dictum est, & consequenter media-

tum ad hæc merita: adeoque debet non tantum quoad intentionem, sed etiam quoad essentialia aliud prædicatum physice differre visio concessa ob duo merita ab alia collata ob tria; item deberet differre multò magis visio beatifica parvulorum, qui eam acceperunt ut hæreditatem, à visione adultorum, qui eam acceperunt, ut coronam, quòd nemo admittit. Conf. 2dò. DEUS peccatum aliquando decernit permittere ad ostendendam suam misericordiam in condonatione: aliquando ad ostendendam justitiam in æterna punitione: ergo peccatum, quòd etiam est actio aliqua vitalis, debet habere essentialem connexionem, aut cum ostensione misericordie, seu condonatione, aut cum ostensione justitiæ, & punitione æterna: ergo unum esset essentialiter impunibile pena æternâ, alterum esset essentialiter irremissibile: cumque aliquem ex his finibus DEUS semper intendat, omnia peccata, aut unum, aut alterum prædicatum haberent: quòd tamen adversarii non facile admittent, nec possunt admittere in hac providentia.

Confir. 3. Anima nostra rationalis creatur, adeoque ex communi, saltem nostrorum, non producitur per actionem distinctam: ergo ipsa debet habere intrinsecum essentialem respectum ad finem supernaturalem, ob quem de facto producta est: adeoque ipsa esset ens supernaturale, quòd non potest ullo modo admitti. Iterum: non potuissent isti homines Adamus, & alii, cum suis animabus, produci in statu puræ naturæ, quòd non convenit cum definitionibus Pontificum. Eadem difficultas est in materia prima. Nec dicas, animas tantum esse essentialiter ordinabiles, non autem ordinatas ad finem supernum; nam posito, quòd ipsæ existant, datur necessariò totum decretum actu ordinans: ergo ipsæ post se trahunt actualem ordinationem, nec possunt sine hac esse: imò, etiam si actu non existerent, cum tamen jam ab æterno detur decretum eas ordinans ad finem supernaturalem, deberent jam esse ita ordinatæ.

Confirm. 4. In hac sententia explicari non potest condonatio peccati habitualis purè extrinseca; cum DEUS, ut hanc faciat, prorsus nihil producere debeat. Dicunt, ipsam revelationem hujus condonationis posse esse complementum decreti condonativi. Sed inprimis revelatio supponit condonationem jam factam, & non constituit. Dein, unde probatur, quòd DEUS id semper revelare debeat; cum utique, saltem absolute, plures casus sint possibiles, in quibus talis revelatio dari non debeat? Certè non video, cur non saltem in statu puræ naturæ potuisset revelationem omittere, maximè circa peccatum leve. Eadem difficultas esse videtur in explicanda purè extrinseca relaxatione, vel remissionem voti.

534. Probatur idem anteced. 3. DEUS non tantum est liber ad volendum, sed etiam ad nolendum, & quidem ad positivè nolendum: sed hoc non potest explicari in adversa sententia: ergo. maj. est S. Thomæ 1. contra Gentil. c. 81. ubi sic ait. *Potest igitur DEUS velle non esse quamcumque rem aliam præter se:* & loquitur de quacumque re collectivè; hoc enim clarè probat ejus ratio, quòd scilicet, quacumque re deficiente, non tollatur totaliter ratio boni

respectu DEI, quæ nunquam tollitur à DEO, si maneat ipse, etiam sublati omnibus collectivè creaturis. Eadem maj. planè videtur supponi à SS. Patribus, qui certè libertatem DEI perfectissimam statuunt circa creanda, vel omittenda, inque eandem voluntatem Divinam referunt facta, & non facta &c. qui certè nunquam negassent DEO possibile hoc decretum positivum: *Nolo creare ullam creaturam; quia nulla indigeo.* Sed hæc maj. confirmabitur adhuc magis ex paulò post dicendis, min. videtur satis clara; cum pura negatio non aliud præstaret, quam puram omissionem; nisi quis velit dicere contra communem, quòd negationes sint aliquid positivum, scilicet ens diminutum.

Conf. DEUS est liber ad nolendum aliquid, vel omnia ex hoc potius, quam alio fine, ex uno, vel pluribus: ergo est liber ad positivè nolendum omnia, & ad decretum, quod non potest compleri per aliquid extrinsecum. ant. negant Quirós, Platelius, & alii: sed Izquierdo *tract. 10. disp. 31. num. 244.* ait, hoc esse dare manus, & devorare absurdum, pro quo vitando tam multa sint inventa. Arriaga autem *disp. 28. sect. 1. subsect. 6. num. 42.* ait, hanc responsionem esse improbabilem. Et sanè nunquam credam, SS. PP. hoc DEO negaturos fuisse: certè longè citius admisissent aliquod mysterium in DEO (cum aliàs in admittendis mysteriis non fuerint adeò difficiles) quam ita restrinxissent libertatem Divinam, in qua tamen omnes agnoscut magnum mysterium. Et quis neget, DEUM posse intendere hos, vel illos fines, dum nullus, neque ad velle, neque ad nolle, necessitat? Et quæso (ut rectè Haunoldus *l. 1. num. 342.* ait) cur DEUS non potuisset sic decernere: *Nolo creare mundum; quia video lapsum Adamum, quamvis non curarem lapsum Luciferi? cum præsertim, ut ait Arriaga, nolitio alicujus rei possit esse utilis ad diversos fines.*

§ 35. Unde non potest recurri ad puram omissionem liberam; per hanc enim nunquam explicari potest, quòd DEUS aliquid nolit ex hoc potius, quam ex alio fine; quia ad hoc requiritur manifestè specialis modus tendendi. Si fors dicas, DEUM tantum cognoscere illos fines, non tamen actu voluntatis in illos tendere, ut dicitur de pura omissione libera voluntatis creatæ. Resp. 1. redire difficultatem de ipsa scientia, ut paulò post patebit: 2. esse valde absurdum dicere, quòd DEUS necessariò debeat purè omittit, & non possit positivè nolle; cum utique DEO debeat possibile esse etiam materialiter perfectius exercitium libertatis suæ, & utique perfectius sit positivè nolle, quam purè non velle: imò ex hac ratione Arriaga *disp. 27. num. 81. de DEO. § disp. 29. num. 23.* infert, in DEO non posse dari puram omissionem liberam, quamvis n. 426. ei quoad hoc non consenserimus.

§ 36. Conf. Casu, quo DEUS nihil creasset, & in æternum nihil creare voluisset, habuisset tamen eandem scientiam mediam, quam modò habet, positivè talem, & quidem contingentem: per quid autem tunc fuisset completa? Adversarii videntur respondere per statum conditionatum objecti. At præter jam dicta *num. 530.* § 37. hæc responsio videtur mihi valde difficilis ex eo, quòd hac ratione denominatio

DEI scientis nunquam per totam æternitatem fuisset data tota per statum, & tamen DEUS debuisset ab æterno, & in æternum dici actualiter sciens scientia contingenti: unde neque fuisset denominatio successiva, sicut annus, & mensis, quorum partes saltem successivè debent realiter existere: sed DEUS actualiter sciens scientia contingenti per totam æternitatem nihil habuisset per statum, nisi scientiam necessariam: quòd sanè est magnum, & mihi imperceptibile mysterium.

§ 37. Argumenta hucusque allata putat se vitare Martinez *in manuscriptis*, & alii, præsertim Recentiores, confugiendo ad certum modum, quem asserunt habere omnes illos respectus, & quasi tendentias, quas nos tribuimus terminationi: & isto volunt compleri volitionem Divinam. Nec sunt foliiti, in quo subjecto recipiatur, quamvis in DEO recipi non possit; nam etsi esset in concavo lune, parum eorum interesset. Alii verò hunc modum vix non explodunt. At ego eum, non quidem explodendum, sed nec sufficientem existimo huic difficultati solvendæ. Et imprimis unus tantum adstrui nequit; nam deberet saltem unus complere scientiam mediam, quæ compleri non potest tantum per statum conditionatum objecti, ut non inefficaciter hucusque videtur ostensum: quòd posito, scientia media debet habere aliud complementum, quam decretum, aut scientia visionis; quia tota separabilis est, & etiam tota præsupponitur ad decretum DEI: & hic etiam modus complens scientiam mediam, deberet esse impedibilis, & determinabilis ab homine; aliàs manifestè rueret libertas humana: alter deberet complere decretum DEI, & scientiam visionis. At modus complens scientiam mediam non levem patitur difficultatem ex eo, quòd est creatura, saltem aliquando absolute existens, vel existura antecedenter ad omne liberum decretum DEI: nec esset liber DEO; quia scientia media DEO libera non est, & decretum liberum antecedit. Et quamvis fortè dici possit esse subjectus libertati Divinæ quoad tempus existentie (quia juxta adversarios denominatio scientis est successiva, nec exigit omnes partes simul existere) tamen non esset subjectus libertati Divinæ quoad existentiam simpliciter talem; quia tandem deberet aliquando necessariò existere; cum denominatio successiva saltem exigat aliquando omnes partes dari: hoc autem non puto conforme esse menti SS. PP. 2do difficillimè explicatur, quomodo hic modus non præsupponat jam scientiam DEI de futuris, ut (cum absolute necessarius non sit) possit à DEO, directo per illam scientiam, contingenter produci: & quidem potius hic habens connexionem cum tot infinitis conditionatè liberè futuris, quam aliis habens connexionem cum aliis, & insuper salva libertate. Certè juxta adversarios videtur cæco modo debere produci, vel quasi resultare ab omnipotentia DEI, supposita futuritione conditionata actuum, vel effectuum creatorum, quæ videntur nullatenus admittenda.

§ 38. Ulteriùs argumenta nostra, saltem plura, hunc, vel hos modos, quicumque admittantur, impugnant; nam & isti non possunt existere ab æterno: & in tempore deberent esse

exercitium non tantum libertatis, sed eodem modo omnipotentia Divinæ: nec videntur congruere communi opinioni, existimanti, totum concretum volentis, scientis &c. esse vitale: minimè autem per hos modos explicari potest decretum DEI omnia nolentis; quia tunc etiam nollet huic ipsum, vel hos ipsos modos: quo casu etiam nullatenus posset per eos compleri scientia media, ut patet consideranti. Antequam autem dicerem (ut aliqui videntur dicere) quòd DEUS, quando nollet quidquam producere, tamen debeat producere modum aliquem, qui compleat ejus volitionem, adeoque, quòd DEUS non possit esse per omnem æternitatem à parte posit sine omni creatura: antequam, inquam, hoc dicerem, mallem admittere, nescio, quot mysteria in DEO; quia videtur mihi nullo modo congruere hæc assertio SS. PP. aut communi Theologorum opinioni, de quo videatur Izquierdo *tract. 10. disp. 31. num. 68.* ubi ait, se existimare, esse de fide, quòd DEUS poterit per totam æternitatem nihil extra se producere.

Confirm. Si DEUS nihil crearet præter illum modum, deberet hic esse identificatus cum sua duratione, adeoque ab intrinseco æternus: item cum sua ubicatione, adeoque immobilis: vel deberet d. i. DEUM debere, plura, & plura entia modalia semper producere. 2. Hic modus non haberet subjectum, quod videtur esse contra essentialiam modi: vel DEUS deberet etiam substantiam aliquam producere. Si etiam dicas, eum supernaturaliter conservari posse sine subjecto, tamen non esset, nec substantia, nec accidens, adeoque in genere entis incognito antiquis. prob. non esset substantia; quia hæc exigit accidentia, quamvis his possit supernaturaliter spoliari: hic autem modus omnia à se distincta excluderet: neque esset accidens; quia hoc saltem exigit naturaliter inesse subjecto substantiali: hic autem modus omnem substantiam excluderet.

Varia alia argumenta adducit Izquierdo *loco cit.* Ulloa, & alii, quæ brevitate causâ omitto. Addo solum, quòd adstruentes complementa extrinseca hinc inde magnas difficultates incurrant circa varias Theologicas opiniones, & ut ait Izquierdo *tract. 10. disp. 31. quest. 4. num. 262.* quasi compedibus præpediti incedant: unde, cum utrinque occurrant difficultates maximæ, malim saltu uno eas transilire, post quas planior dein via occurrit, quæque, saltem mihi, existimatur à SS. PP. magis indigetari: & hinc mihi videtur nostra sententia præ opposita defendenda; quia aliqua defendi debet. Quid absolute verum sit, patebit, ut speramus, in cælis.

ARTICULUS IV.

Respondetur objectionibus.

§ 39. **O**B. I. Evidens signum distinctionis realis est mutua separabilitas: sed inter essentialiam Divinam, & volitionem liberam mundi, datur mutua separabilitas: ergo datur distinctio realis. Confirm. Separabilitas quoad locum, vel tem-

pus, est evidens signum distinctionis realis: ergo etiam separabilitas quoad existentiam. Resp. dist. maj. est signum distinctionis separabilitas essentialis, seu quoad essentialiam, conc. maj. separabilitas tantum terminativa, seu quoad terminationem, aut denominationem, & quidem separabilitas tantum antecedens, non consequens. neg. maj. & dist. min. datur separabilitas essentialis, seu quoad essentialiam. neg. min. tantum terminativa, seu quoad terminationem, vel denominationem, & quidem tantum antecedens, non consequens, conc. min. & neg. conf. Sensus distinctionis patet ex *num. 522.* Hoc argumentum, ut Gormaz, ait, est petitio principii; quia adversarii assunt tanquam principium, quòd aliquid tantum terminativè separabile non possit esse identificatum DEO, idque ulterius non probant.

Ad confirm. neg. conf. Quæ separantur quoad locum, vel tempus, sunt necessariò æternæ; & immensus: ergo separantur simpliciter quoad essentialiam; neque enim in creatis admitti debet mysterium simile mysterio Trinitatis. Ubi tamen nota, nos non admittere, quòd terminatio, & essentialitas distinguantur quoad existentiam, in hoc sensu, quasi darentur duæ illarum existentie separabiles; hoc enim est fallum: sed tantum, quòd essentialitas sit necessariò identificata existentie, terminatio verò potuisset illi existentie non identificari, adeoque nullam habere existentiam. Dices: ergo juxta nos aliquid, quòd de facto est DEUS, scilicet volitio mundi, potuisset non esse, & quòd de facto non est, scilicet nolitio, potuisset esse DEUS: hoc est imperceptibile: ergo. Respondet iterum Gormaz, hoc argumentum esse petitionem principii: ego dist. 1. part. illati, potuisset non esse essentialiter. neg. tantum terminativè, conc. dist. etiam 2. part. antecedenter, conc. consequenter, neg. illatum. & dist. sic min. subsumpta, neg. conf.

§ 40. Ob. 2. Mysterium SS. Trinitatis est longè aliud, quam nos fingimus mysterium libertatis Divinæ: ergo non est paritas ab uno ad alterum, prob. ant. In illo mysterio tantum verificatur, quòd duo realiter distincta identificentur realiter in tertio: non verò, quòd duo realiter distincta sint divisim identificabilia eidem tertio, ita, ut unum sit, & alterum non sit, seu non existat: ergo. Resp. dist. ant. est aliud materialiter, conc. ant. formaliter, neg. ant. & conf. ad prob. neg. conf. Uti que non conveniunt duò hæc mysteria quoad omnia, sed in eo, quòd duo realiter identificata non conveniant quoad omnia prædicata: e. g. in priori *Natura est communis, filiatio non est communis; natura non est producta, filiatio est producta.* in 2do *natura est necessaria: terminatio est contingens.*

Quòd autem in mysterio priori omnia realiter identificata simul existant: in 2do autem etiam quidem realiter identificata simul existant, seu simul sint: non verò simul sint, quæ realiter antecedenter identificabilia fuerunt, ostendit quidem, esse hoc mysterium materialiter, sed non formaliter aliud; neque etiam difficilius; quia, ut rectè Ulloa *de DEO disp. 1. num. 79.* in contradictoriis non datur magis, & minus: ergo si possunt in Divinis vinciri prædicata priora, poterunt etiam

posteriora: nec videtur minus difficultè perceptibilis mediata distinctio à se ipso, quam separabilitas à se ipso; quia tota difficultas etiam separabilitatis à se ipso oritur ex eo, quòd idem non possit simul esse, & non esse: quod eodem modo apparenter opponitur mediata distinctio: vide P. Rhem *num. 39.* Differentiæ autem materialis inter hæc mysteria ratio est, quòd Relationes Divinæ non sint oppositæ quoad existentiam; sed potiùs essentialiter petant coexistere: at verò terminationes liberæ opponuntur quoad existentiam; quia DEUS non potest simul idem velle, & nolle: Ubi nota axioma illud: *In DEO omnia sunt communia:* hoc est, identificabilia, vel identificata: utique intelligendum esse de iis, quæ simul existunt: non verò de iis, quæ non existunt: quare nolitio, & volitio non debent posse invicem identificari.

541. Ob. 3. Non existere essentiam est non existere rem ipsam: ergo etiam existere essentiam, est existere rem ipsam: atqui essentia actuum contingentium omnium possibilem in DEO existit: ergo existunt omnes actus contingentes DEI possibilem, adeoque etiam nolitio mundi: & quidem necessariò; quia ejus essentia necessariò existit: quod est falsum. Resp. retorquendo argumentum. Produci essentiam, est produci rem ipsam: ergo, cum essentia non producat, neque producitur filiatione. Resp. 2dò, dist. 1. conf. in creatis, conc. in Divinis, neg. conf. non enim omnia prædicata sunt communia. Ant. concedi potest; quia nulla deficit, aut producitur essentia, nisi sit creata, in qua non admittitur distinctio virtualis.

542. Ob. 4. Quod existit, ut potuisset non existere, producitur: sed sic existit libera volitio DEI: ergo. Confir. 1. Quod existit, ut potuisset non existere, imperfectè existit, & est imperfectio: ergo non potest identificari DEO. Confir. 2dò ex Pallavicino. Talis volitio posset à DEO contemni: ergo non est aliquid Divinum. Confir. 3. Talis terminatio habet existere, sive esse, ex beneficio DEI: ergo esset creatura. Resp. dist. maj. Quod existit, ut potuisset non existere quoad essentiam. conc. maj. quoad terminationem tantum, neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. Adde, quòd omne, quod producitur tanquam creatura, vel ens ab alio, possit etiam consequenter iterum destrui, vel non existere, saltem de absoluta DEI potentia, quod non convenit huic terminationi.

Ad 1mam confir. redit eam distinctio; cum enim libera volitio DEI, supposito, quòd existat, habeat identificatam essentiam, & existentiam Divinam infinitè perfectam, non potest imperfectè existere. Neque contingentia, aut defectibilitas tantum terminativa, & secundum quid, atque dumtaxat antecedens, ut ait Gormaz *num. 278.* est imperfectio: sed aliquid requisitum necessarium ad conciliandam libertatem Divinam cum simplicitate. Neque est opposita perfectioni simpliciter infinitæ ex hoc ipso, quòd cum ea sit identificabilis. Sed neque esset in DEO major perfectio, si volitio non esset terminativè defectibilis; quia tunciple non esset liber.

Ad 2dam confir. dist. ant. posset contemni

quoad essentiam, neg. ant. quoad terminationem; subdist. antecedenter, aut quando non existeret. omitt. ant. consequenter, & quando existit. neg. ant. & dist. conf. non est aliquid Divinum antecedenter, & quando non existit. conc. conf. consequenter, vel quando existit, neg. conf. Responsionis explicatio habetur ex *num. 522.* & seq. Ad 3. confirm. dist. ant. haberet ex beneficio DEI esse indistinctum ab essentia Divina. omitt. ant. distinctum, neg. ant. & conf. Haunoldus *num. 360.* ait, non terminationem accipere beneficium: sed per eam aliis tribui beneficium, eamque se habere ut quo, non ut quod. Verbo: si per hos terminos non intelligitur aliud, quam esse in libera potestate DEI, ut potiùs detur terminatio volitionis, quam nolitio, totum admittitur: si aliquid amplius, explicatur etiam clariùs.

543. Ob. 5. Implicat, ut DEUS sit indifferens ad esse DEUM, vel non esse DEUM; atqui hoc juxta nos contingeret: ergo. prob. min. Volitio Divina est DEUS: sed volitio Divina est indifferens, ut sit DEUS: ergo DEUS est indifferens, ut sit DEUS. Resp. retorq. arg. Implicat, ut DEUS sit distinctus ab essentia Divina: sed hoc contingeret juxta adversarios, utpote Catholicos: ergo. prob. mi. Filius est essentia Divina: sed Pater est distinctus à Filio: ergo Pater est distinctus ab essentia Divina: atqui Pater est DEUS: ergo DEUS est distinctus ab essentia Divina. Scilicet hic modus argumentandi non procedit in Divinis, ubi non semper identificata conveniunt in omni prædicato. In forma conc. maj. neg. min. ad prob. dist. maj. volitio est DEUS, cum aliqua tamen distinctio virtuali ab essentia, vel cum discrepantia in aliquo prædicato. conc. maj. sine ista. neg. maj. & dist. min. est indifferens volitio essentialiter sumpta. neg. min. terminativè sumpta. subdist. antecedenter. conc. mi. consequenter. neg. mi. & conf. Nec dicas, purè Divinum esse purè necessarium; hoc enim ipsum est, quod negamus, addita tamen semper solita modificatione.

544. Ob. 6. Si possunt identificari essentia simpliciter necessaria, & actus contingens, possunt etiam identificari ens æternum, & temporale: sed hac ratione volitiones Divinæ non deberent esse ab æterno: ergo. Resp. retorq. arg. Si potest identificari Filius productus, & natura non producta: id quod est Pater, & Filius realiter distinctus à Patre &c. potest etiam identificari ens temporale, & æternum: quamcunque adversarii dabunt disparitatem, serviet illa etiam nobis. In forma neg. maj. Ratio negandi in primis est ipsa autoritas gravissima SS. PP. & Theologorum, asserentium, quòd, quidquid in DEO est, æternum sit, à qua recedere non licet: imò neque contra istam auctoritatem admittenda sunt mysteria in DEO, aut distinctiones virtuales, vel discrepantia in prædicatis. Cum ergo, quidquid in DEO est, habeat existentiam æternam, nec fit ulla prolixus ratio dicendi, quòd existentia æterna non communicet prædicatum æternitatis cuilibet identificato, non est ulla ratio dicendi, quòd non omnia sint æterna: temporale autem æternum esse non potest, adeoque nec æterno identificari. Rursus, si temporale identificaretur DEO æterno,

æterno, deberet ipse priùs existisse sine illo temporali, & postea per identitatem acquirere istud: hoc autem esset apertè mutari, quod DEO repugnat: ergo.

545. Dices: Juxta nos DEUS esset mutabilis: ergo. prob. ant. DEUS potuisset habere nolitionem mundi: sed tunc fuisset alius DEUS, adeoque mutatus: ergo. Conf. 1. Si DEUS in tempore identificaret sibi aliquam nolitionem, mutaretur: ergo, si potuit ab æterno eam sibi identificare, potuit ab æterno mutari. Confir. 2dò. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, esset alius, & mutaretur: ergo etiam mutaretur DEUS, si haberet nolitionem, quam modò non habet. Resp. Quomodo ergo adversarii ostendunt, DEUM esse magis immutabilem, quam sit homo, ex quo capite eos impugnat Izquierdo? nam immutabilitas tandem stat juxta ipsos in hoc, quòd detur DEUS, & verum semper sit, rem fuisse, vel esse: quæ immutabilitas datur ferme in quolibet homine. 2dò quomodo non mutatur juxta ipsos volitio DEI, quando objectum destruitur? Sed quidquid de hoc fit, neg. ant. ad prob. neg. min. Sicut non est alius DEUS Pater, & alius Filius, quamvis ille habeat Paternitatem, & iste Filiationem: ita non est alius DEUS nolens, & alius volens, quamvis sint diversæ terminationes; quia scilicet manet eadem essentia Divina, antecedenter capax identificandi sibi terminationem, aut volitionis, aut nolitionis,

Ad 1mam confir. conc. ant. ex dictis *num. 544.* neg. conf. & paritate. Non mutatur illud, quod à parte rei semper eodem modo se habet: atqui DEUS semper à parte rei, in omni instanti imaginabili, eodem modo se habet, & solum in signo aliquo rationis potuisset aliter, terminativè tantum, se habere, non transeundo ab uno statu ad alium, vel ab una terminatione ad aliam, aut à privatione unius ad habitum: sed unum statum præ alio immutabiliter assumendo, unam terminationem præ alia pro tota æternitate sibi identificando. Ad 2dam confirmat. retorquendo arg. & quæro, quare Pater, non procedens à Filio, non sit alius DEUS, quam Spiritus Sanctus ab eo procedens. Debet responderi; quia est in ipso eadem immutata essentia: at si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, mutaretur essentia DEI; quia hæc, ut ex fide habemus, modò tantum est capax identificandi sibi unam Personam procedentem à solo Patre: in altero autem casu esset capax identificandi sibi duas. At verò essentia Divina est antecedenter capax sibi identificandi non tantum unam, sed duas terminationes, non quidem simul, sed divisim; nam essentia Divina exigit posse, tum velle, tum nolle. In forma neg. conf. Hæc responsio suo modo etiam applicari potest ad 1mam confirmat; nam etiam essentia Divina non est capax identificandi sibi aliquid temporale.

546. Ob. 7. Ariani, ut probarent, Verbum Divinum, seu Filium DEI, esse creaturam, dicebant, eum contingenter, & liberè existere: at verò SS. PP. ut tuerentur, eum esse DEUM, & Patri consubstantialem, defendebant, eum necessariò existere: ergo SS. PP. admittebant, quòd omne contingenter existens, non sit DEUS: sed volitio libera ita existit: ergo. Resp. cum Haunoldo, Gormaz, & aliis dist. 1mam. part. ant.

dicebant, eum contingenter existere tantum quoad terminationem aliquam. neg. etiam quoad essentiam. conc. dist. etiam partem 2. ant. SS. PP. defendebant, eum necessariò existere quoad essentiam. conc. quoad omnia prædicata Filii quæ talis; subdist. inferendo id præcisè ex reali identitate cum DEO. neg. ex aliis rationibus. conc. ant. & neg. conf. at subsumptum dist. volitio libera contingenter existit quoad essentiam. neg. secundum quid, quoad terminationem, & tantum antecedenter. conc. & neg. ult. conf.

547. Ariani, ut refert D. Athanasius, ita discurrebant cum mulierculis. Habuistine filium, antequam pareres. Illis respondentibus, quòd non: inferebant: ergo tu major natu es filio tuo: ergo etiam Pater Divinus major natu est Filio suo, seu Verbo. Quare, ut Filium Patre minorem facerent, voluerunt, eum nasci in tempore, & liberè, non aliter, ac generantur homines à suis parentibus. Econtra SS. PP. ut tuerentur Filium Patri æqualem, dicebant, esse generatum ab æterno, & necessariò, ac esse inseparabilem à Patre. Sic Toletanus XI. *Nam si attendamus illud, quod Scriptura Sancta dicit de sapientia: splendor est lucis æterna: sicut splendor lucis videmus inseparabiliter inherere, sic confitemur, Filium à Patre separari non posse.* S. Augustinus contra Maximinum *Arianorum Episcopum l. 3. c. 14. paulò ante medium de Filio Divino ait: Non natus ex tempore, sed dignitè coæternus, sicut splendor ab igne genitus dignitè manifestatur æquævus:* qua ratione PP. ostenderunt, Patrem Divinum non necessariò esse priorem tempore, quam Filium.

Tam Ariani, quam SS. PP. loquebantur maximè de Filio, concretivè sumpto, hoc est, de ipso, ut involvente essentiam; de quo utraque pars maximè erat sollicita: illi, ut probarent, Filium habere essentiam, & substantiam aliam à Patre: isti, ut monstrarent, Filium esse Patri consubstantialem. Ariani volebant, Filium, concretivè sumptum, esse generatum in tempore; sic enim fuisset alterius essentia; quia nihil temporale potest identificari essentia Divina ex *num. 544.* SS. PP. maximè contendebant, ut Filium tuerentur æternum, & ab æterno genitum, & hoc maximè probant textus allati ab Aldrete *disp. 9. de voluntate DEI sect. 3.* quod minimè negamus.

548. Quòd si quæstio instituat de ipsa Personalitate Filii ut distincta ab essentia, etiam concedo, assertam esse à Patribus necessariam, & indefectibilem: at nego, hoc eos intulisse præcisè ex eo, quòd ipsa sit realiter identificata cum essentia Divina: sed intulerunt tum ex hac identitate, tum ex aliis rationibus, saltem implicite, aut tacite subintellectis, scilicet illis, quibus in tractatu de Trinitate probatur, Filium à Patre non liberè, sed naturaliter, adeoque indefectibiliter genitum. e. g. ex eo, quòd Filius sit sapientia, & virtus Patris, & Pater non potuerit esse sine sapientia, ac virtute, probant SS. PP. (quos tacito nomine refert, & sequitur S. Augustinus de *Trinitate l. 6. c. 1.*) quòd non potuerit esse sine Filio &c. de quibus rationibus vide Ruiz de *Trinitate disp. 98. per totam.*

Rursus Patres saltem subintellexerunt, Personalitatem Filii non esse exercitium liberum volun-

luntatis Divinae, neque supponere exercitium libertatis creatæ, aut Divinae, ut supponunt actus contingentes intellectus Divini: aliunde autem esse realiter identificatam essentia: nec esse ullam necessitatem admittendi in ea Personalitate novum mysterium desecrabilitatis, etiam tantum terminativæ, & secundum quid, ac etiam duntaxat antecedentis. Tandem necessitas Personalitatis Divinae, si non haberetur ex ratione, sufficientissime haberetur ex traditione, quæ est aliqua species revelationis Divinae: & ex hac poterunt Patres asserere, Personalitatem Filii necessariam esse: quæ tamen traditio, vel revelatio non habetur circa terminationes contingentes, de quibus loquimur. Imò, an terminatio liberæ volitionis DEI talis, vel talis sit, Patres formaliter non examinarunt, nec declararunt: quamvis ita de libertate Divina passim loquantur, ut putemus, eos potius nostram, quam adversam sententiam amplexuros fuisse, si quam amplexi fuissent.

§ 49. Dices. 1. SS. PP. contra Arianos ita argumentabantur: Filius est DEUS: ergo necessitudo existit: ergo non potuit non esse: ergo non potuit liberè produci: sed hæc argumentatio juxta nos esset nulla: ergo. Respondeo. Arriaga quidem ait, SS. PP. ita argumentatos fuisse, sed non probat: nec etiam textus adducti ab Aldrete citato num. 547. id probant: & SS. Patres potius volebant probare, quod Filius sit DEUS, quam ex hoc alia prædicata inferre; nam, si Ariani admisissent, Filium esse DEUM, de aliis difficultas non fuisset. Unde Filium esse necessitudo genitum, fuit responsio data à SS. PP. ad argumenta Arianorum; cum enim isti vellent probare, eum esse Patre minore genitum ætate, eoquod voluntariè, seu liberè genitus sit, sicut productæ sunt creaturæ in tempore, SS. PP. respondebant, Filium esse necessitudo genitum, sicut nascitur splendor ex luce, vel etiam lux ex sole, adeoque non debere esse ætate minorem.

Dein, si etiam ita argumentati fuissent, maxime volebant inferre, quod existentia ipsius sit necessaria, & indefectibilis, adeoque eadem cum substantia, vel essentia Patris, quod negabant Ariani: nos verò facile admittimus; nam etiam essentia volitionis liberæ est necessaria, ut sæpe jam dictum est. Nec dicas, PP. supposuisse, quod nulla terminatio, vel prædicatum possit identificari essentia Divina, quod non sit æternum, ac necessarium; nam quod nihil non æternum, possit DEO identificari, hoc quidem facile concedimus: quod nihil non absolutè, & antecedenter etiam necessarium possit DEO identificari, negamus, Patres supposuisse: sed ad summum supposuerunt, quod nihil, quod sit Filiatio, & non sit absolutè necessarium, possit DEO identificari. Cur autem potius Filiatio, quam aliud prædicatum, debeat necessaria esse, desumendum est, ut dictum n. 548. ex aliis rationibus, & vel maxime ex traditione, vel revelatione. In forma om. prim. enthym. dist. mi. subsump. argumentatio est nulla, si sumatur in sensu legitimo neg. min. in alio sensu, omitt. min. & neg. conf. Scilicet debent subintelligi illa, quæ diximus, & argumentatio erit optima. Quod autem SS. PP. eas rationes non exprefferint, ideo factum; quia non erat opus; nec enim erat de

his controversia, & si Ariani admisissent, Filium Patri esse consubstantialiorem, non fuissent difficultes in admittendo, Filium à Patre esse inseparabilem; cum mysterium libertatis Divinae non facile transulissent ad Filiationem. Imò de hoc forte Ariani non cogitarunt, qui de essentia Filii maxime cum SS. Patribus contendeabant.

Dices 2. Ariani docuerunt, Verbum esse Filium voluntatis DEI, seu esse liberè productum: SS. Patres hoc negarunt: ergo nihil liberè productum potest DEO esse intrinsecum: atqui terminatio contingens esset liberè producta, & intrinseca DEO: ergo. Resp. conc. imo. enthymemate. neg. min. subsump. quia terminatio non est producta; aliàs foret nova Persona, distincta à producente: sed tantum est identificata, Dein jam responsum à n. 546. ad id, quod objectum de Filiatione, seu Verbo liberè productum. Ut tamen pateat, quid Ariani voluerint dicere per hoc, quod Verbum sit Filium voluntatis, adscribo verba S. Hilarii Pictaviensis. libro contra Constantium jam vitâ functum circa med. editionis Parisiensis a. 1085. folio 293. ubi de Conciliabulo Seleucensis, & de vocibus Homousios & Homousios scribens, refert responsum cujusdam Ariani ad suam questionem: Ego, ait, quendam eorum, qui forte ad me pertentandum accesserat, quæ ignorans rerum gestarum percontatus sum, quid sibi vellet istud, ut, qui unam substantiam Filii esse cum Patre damnassent, vel esse similis substantia denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait, Christum DEO similem non esse, sed similem Patri esse. Rursus hoc obscurius mihi videbatur. De quo eam iterum interrogarem, tunc hæc ita locutus est. Dico, eum dissimilem DEO esse, similem Patri posse intelligi; quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui vellet, & istudcirco similem Patri esse; quia voluntatis esset potius Filius quam Divinitatis; dissimilem autem DEO esse; quia neque DEUS esset, neque ex DEO, id est, de substantia DEI natus esset. Hæc audiens hebui, neque credidi, donec publicè ex consensu omnium eorum prophanissima bujus similitudinis ratio predicaretur. Ex quo patet, Arianos per Filium voluntatis non intellexisse, nisi creaturam voluntati Divinae conformia volentem productam: qualem esse Christum negasse Patres nemo dubitat.

§ 50. Ob. 8. Volitio DEI necessaria, est simpliciter infinita in volendo: ergo sine alia terminatione etiam vult contingentia. Confir. Juxta nos DEUS posset crescere quoad velle: hoc non potest dici: ergo. Resp. dist. ant. est infinita involendo intra suam lineam. conc. ant. extra illam. neg. anr. & neg. conf. Simile quid respondemus de scientia Divina num. 299. Ad conf. neg. maj. Crescere significat additionem successivam, quæ in DEO non datur. Si autem per crescere tantum intelligas habere ab æterno plura decreta, in primis minds propriè loqueris: dein in nostro systemate tantum est unum realiter, & virtualiter decretum, quo DEUS potuit plura, vel pauciora pro libitu decernere, in quo nihil est absurdum. Si etiam supponas decreta virtualiter distincta, juxta Authores ea admittentes non est absurdum, admittere, quod DEUS possit habere pro libitu plura, vel pauciora talia decreta.

§ 51. Ob. 9. Si terminatio contingens volitionis esset realiter identificata DEO, deberet habere omnes perfectiones simpliciter simplices, vel absolutas: atqui istas non potest habere: ergo, prob. mi. Inter perfectiones simpliciter simplices, & absolutas etiam est esse absolutè necessarium: item posse identificari nolitioni actu existenti: atqui has perfectiones non potest habere terminatio contingens volitionis, ut patet: ergo. Resp. retorq. arg. Inter perfectiones absolutas etiam est esse communicabile tribus, esse identificabile cum Filio: sed has non potest habere Paternitas: ergo. In forma dist. maj. terminatio deberet eas perfectiones habere identicè, substantivè, & neutraliter. conc. maj. deberet habere denominativè, vel adjectivè. neg. maj. & dist. sic mi. neg. conf. ad prob. dist. iterum mi. ut prius, & neg. conf.

Prædicata, quæ competunt naturæ, ut virtualiter, vel certè, ut quidam volunt, speciali modo formaliter, distincta à Personalitatibus, vel terminationibus contingentibus, non debent haberi à Personalitatibus, vel terminationibus denominativè, vel adjectivè, seu ita, ut illa prædicata possint eas terminationes, vel Personalitates, immediatè denominare, vel tanquam adjectiva istis attribui; neque enim verum est: Paternitas est communicabilis tribus: est identificabilis Filio: & pariter neque verum est: Volitio mundi est absolutè necessaria: est identificabilis nolitioni ejusdem mundi. Sed ea prædicata debent tantum haberi ita, ut per modum substantivi possint prædicari: & sic verum est: Paternitas est communicabilis cum tribus: Volitio est absolutè necessaria existendi: item Volitio est antecedens identificabilis cum nolitione: scilicet est essentia Divina, quæ est communicabilis tribus, absolutè necessaria, & identificabilis antecedenter nolitioni. Hæc responsio supponit distinctionem virtuales inter prædicata necessaria, & contingentia, quam dari infra probabimus disp. 5. de Trinitate. Qui eam distinctionem negant, distinguunt maj. deberet habere eas perfectiones ipsa terminatio formaliter accepta. neg. realiter accepta. conc. Sed hanc responsonem non sufficere, infra ostendemus.

§ 52. Ob. 10. Vel terminatio contingens, ut distincta ab essentia, est perfectio, vel non est perfectio: neutrum potest dici: ergo. prob. min. Si est perfectio, tunc tam terminatio volitionis, quam terminatio nolitionis erit perfectio: sed utramque DEUS habere non potest: ergo dabitur in DEO privatio alicujus perfectionis, e. g. nolitionis, quod dici non potest: cum DEUS debeat esse summè perfectus. Si autem non est perfectio, tunc erit imperfectio, quæ DEO repugnat: dein videtur esse absurdum dicere, quod id, quod est realiter DEO identificatum, non sit perfectio. Resp. conc. maj. neg. mi. ad prob. aliqui admittunt, illam terminationem, ut distinctam ab essentia, esse perfectionem: alii negant, prout scilicet sentiunt de Paternitate, ac Filiatione, & Spiritatione passiva in Divinis, quas aliqui volunt esse perfectiones, etiam prout sunt distinctæ ab essentia: alii negant, esse perfectiones, prout sunt distinctæ: sed ajunt, esse quidem perfectas, vel habere perfectionem, sed tantum illam, quæ est essentia, sicut sunt

existentes per unam existentiam, non autem habent plures existentias, de qua re videatur Munieffa de essentia, & attributis DEI disp. 3. sect. 4. & Ulloa de DEO disp. 2. cap. 6. § seq. Cum his, & aliis inferius disp. 5. de Trinitate dicam, & ego, non esse perfectiones virtualiter distinctas ab essentia: neque tamen propterea sunt imperfectiones; sed ad summum erunt prædicata neutra. Hæc ratione facile ostenditur, in DEO nunquam dari privationem perfectionis. Sed de hoc plura suo loco.

§ 53. Qui admittunt has terminationes, etiam ut virtualiter distinctas, esse perfectiones, ad primam part. illius probat. minoris omittunt maj. & conc. mi. negant autem conf. quæ non est legitima; quia tamen non datur in DEO privatio alicujus perfectionis, ut ait Gormaz; hæc enim est carentia in subiecto capaci: DEUS autem non caret unquam ulla perfectione, cujus est capax; nam in signo priori, seu indifferenti, non est capax nolitionis; aliàs non esset indifferens, sed jam determinatus: neque in signo posteriori DEUS est capax nolitionis; quia tunc habet jam volitionem, quæ essentialiter excludit nolitionem: neque etiam deinceps est ejus capax ob suam immutabilitatem.

Si dicas, saltem admittendam in DEO carentiam alicujus perfectionis. Respondent isti authores, non esse absurdum, admittere carentiam perfectionis alicujus, cujus capax non est. Sic datur in DEO carentia omnium perfectionum mixtarum. Si urgeas, non debere admitti in DEO carentiam perfectionis simpliciter simplicis. Respondent, terminationem illam, ut distinctam, non esse perfectionem simpliciter simplicem (de qua re num. 12. § seq.) quia melior non est, quam omnis alia cum ipsa non identificabilis; nam, si etiam nolitio perfectio est, ut argumentum supponit, cum ea volitio neque in tertio identificari potest. Si dicas, neque admittendam in DEO carentiam perfectionis simpliciter talis. Resp. dist. ill. si ei determinatè debeatur, vel non aliunde compensetur. conc. secus, neg. illatum. perfectio autem nolitionis compensatur per volitionem. Sic etiam loquuntur de Patre, & Filio, quorum prior non habet filiationem, posterior non habet paternitatem, quin sint imperfecti, aut careant perfectione debita. Si autem ulterius objiceretur, DEUM saltem caritutum aliqua perfectione non compensata per æquivalentem, si haberet puram omissionem liberam, fors respondebunt cum Arriaga disp. 27. de DEO num. 81. § disp. 29. num. 23. (cujus rationem obiter adduximus n. 535.) non esse possibilem puram omissionem liberam in DEO.

ARTICULUS V.

An Decreta DEI distinguantur inter se virtualiter.

§ 54. Questio est, an inter varia decreta DEI, e. g. collativum auxilii, prædefinitivum, permissivum, reprobativum, prædestinativum &c. detur distinctio plus quam formalis, seu rationis cinematicæ, ita, ut verè contradictona de ipsis verifi-

centur, an non: ad quam resolvendam prænoto imò, licet in creatis actus intellectus, & voluntatis plùs quàm formaliter sint distincti, non etiam in DEO debere ita esse distinctos; nam imprimis in actibus Divinis realis distinctio dari non potest: virtualis autem secum affert mysterium simile mysterio SS. Trinitatis; unde nec ista admitti debet, nisi, ut ait Muniessa *disp. 8. sect. 1. n. 7.* mysteria fidei eam cogant admittere, aut, nisi efficacissimis rationibus probetur: atqui ratio, quòd unus sit actus intellectus, alter voluntatis, non est efficacissima ad probandam distinctionem istam: ergo. In hoc communiter nostri consentiunt, dum negant distinctionem virtuales inter prædicata Divina absoluta, & necessaria: qualia etiam sunt cognitio necessaria DEI de sua existentia, & amor sui ipsius: quorum unus est actus intellectus, alter voluntatis.

§ 55. Neque dicas, cognitionem debere præluere, & dirigere ad volitionem, seu amorem, consequenter debere ad hunc pro priori naturæ præsupponi; nam non est cognitio Divina à parte rei prior ad amorem, sed est tantum specialis modus tendendi actus Divini, ex natura sua simul cognoscens, & amans, tali tamen modo, ut amet; quia cognoscit: non vicissim cognoscat; quia amat. Unde illa præluentia, vel directio non est formalis, sed tantum eminentialis: & non præcedit pro priori naturæ, sed tantum pro priori rationis; atque consistit in dicto speciali modo tendendi actus Divini. Sic quoque, & non aliter admitti debet in ordine ad actus Divinos illud axioma. *Nihil volitum, quin præcognitum.*

Unde etiam reduplicaciones, quæ solent hic fieri, à parte rei plus non significant, quam eundem actum esse simul cognitionem, & volitionem, & habere specialem illum modum tendendi. Eadem ratione etiam explicari debet, quòd cognitio alliciat ad amorem, scilicet allicientia æquivalenter tali, seu eminentialis, contenta in speciali illo modo tendendi, ferme sicut quando voluntas creatæ uno eodemque actu vult finem, & media, volitio finis allicit, & determinat formaliter ad volitionem mediatorum. Videatur Muniessa *de essentia, & attributis Divinis disp. 8. sect. 1.* Quod autem dictum hic de scientia visionis necessaria, & amore necessario, idem dicendum de scientia visionis contingente, & amore, seu volitione contingente, ut patet consideranti. Dico: scientia visionis, non scientia media; quia, cum scientia media constituat libertatem DEI in actu imò, non potest esse per identitatem etiam virtuales connexa cum actu 2do, sed debet esse separabilis ab actu secundo, seu potens existere sine isto; alias tolleretur libertas: quæ autem sunt inter se separabilia, sunt virtualiter distincta, utpote verificativa prædicatorum contradictoriorum.

§ 56. Prænoto 2do, DEUM posse objecta separata, vel etiam, quorum unum dependet ab altero, tanquam effectus à causa, vel finis à medio, aut vicissim, unico realiter, & virtualiter indivisibili decreto decernere; nam id potest etiam homo; quamvis enim hic possit per duos actus talia objecta successive velle, e. g. prius sanitatem, postea medicinam, tamen est innegabile, quòd per unicum actum possit simul velle sani-

tatem tanquam finem, & medicinam tanquam medium. Quare ex eo, quòd objecta sint inter se distincta, aut unum sit causa, alterum effectus, unum finis, alterum medium &c. non sequitur, quòd etiam volitio unius sit distincta à volitione alterius, vel causa volitionis alterius &c. nisi forte in sensu purè formali. His notatis

§ 57. Dico. DEUS unico realiter, & virtualiter indivisibili actu omnia simul decernit, nec datur distinctio plùs quàm formalis inter decreta Divina. ita S. Thomas *1. part. quest. 19. art. 5. in corp.* dicens de DEO. *Uno actu vult omnia.* Sequuntur Granadus, Molina, Valentia, Antonius Perez, Borull, Aranda, Haunoldus, Rhem, Sagara, Esparza, Muniessa *de essentia, & attributis DEI disp. 8. sect. 4. num. 58.* & alii ab hoc citati. Sententiam hanc probat Esparza *l. 1. q. 27. de DEO a. 3. & seg.* fusè ex Scripturis, & PP. ut videri potest. Ego probo ratione, & imò negativa. Distinctio virtualis admitti non debet, nisi, ubi fides, aut gravissima ratio nos cogit: atqui in nostro casu neutra nos cogit: ergo, maj. admittitur. min. prob. solutione objectionum. Accedit, quòd admittendæ forent, saltem juxta plurimum sententiam, plurimæ tales distinctiones ratione scientiarum mediatorum, visionis, decretorum indifferensium, efficacium, objectorum sibi invicem subordinatorum, disparatorum &c.

§ 58. Prob. conclusio 2da. DEUS antecederet ad omne exercitium libertatis suæ habet scientiam mediam de omnibus sub quacunque conditione contingenti futuris, adeoque est instructus plenissima, & comprehensiva notitia rerum omnium decernibilium: simul etiam omnipotens est: ergo potest simul omnia decernere unico virtualiter actu: ergo defacto ita decernit. prob. ant. DEUS non potest aliquid decernere faciendum, vel omittendum, nisi sciat illud possibile, & compossibile cum aliis, adeoque cognoscat etiam alia omnia; alias cæco modo decerneret, & cæco modo eligeret unum ex infinitis aliis generibus, speciebus, & individuis possibilium; si hæc antecederet non cognosceret: ergo debet antecederet ad decretum habere omnem completam scientiam simplicis intelligentiæ de omnibus possibilibus. Et de hoc nemo dubitat, etiam ex eo, quòd hæc scientia sit prædicatum absolute necessarium; talia autem prædicata ex omnium sententia præcedant prædicata contingentia, & libera.

Insuper DEUS nihil potest decernere, nisi ut gubernator infinite sapiens, atque prudens: ad hoc autem requiritur, ut, antequam aliquid decernat, sciat non tantum, quid ex illa, sed quid etiam ex qualibet alia, imò ex infinitis cujuslibet rei cum alia combinationibus, aut coexistentia, vel oppositione, aut omissione sequatur; alias non infinite sapienter decerneret; quia alius cum majore notitia sapientius decerneret, ut est ex se clarum; ergo debet DEUS ante omne suum decretum habere totam scientiam mediam de omnibus conditionate futuris. Addo tamen 1. hanc necessitatem habendi ante omne decretum scientiam mediam, ita latè acceptam, non oriri ex eo, quòd aliter libertas creatæ non salvaretur; nam tamen salvaretur sufficienter per partialem, ut ita dicam, scientiam mediam, de eo, quòd hic

& nunc

& nunc concernit libertatem creatam. 2. licet decretum DEI, ut ponitur, indivisibile, sit realiter acceptum impedibile à creatura, non tamen est impedibile formaliter acceptum, saltem quoad omnes formalitates; nam multæ formalitates decreti non habent connexionem cum libertate creatæ; quis enim dicat, impedibile fuisse à creatura e. g. eam formalitatem decreti, qua DEUS decrevit, tot condere stellas, tot species animalium, aut herbarum &c. Hinc si creatura e. g. aliter ageret, quàm fuerit prævisum, & prædefinitum, foret tunc quidem aliud realiter decretum, sed tamen plurimas formalitates haberet easdem cum hoc decreto, quòd modò datur.

Probat jam prima conf. Qui plura comprehendit, & scit de eventibus conditionate futuris, potest plura uno actu decernere; quia objectorum dependentia, causalitas, vel successio &c. non impedit unitatem decreti ex *num. 556.* ergo. Sic, ut ait Granadus, quòd magis architectus comprehendit totam structuram palatii, èd plurimè simul jubet parari: sic, ut ait Sagara, quòd plura Rex prævidet circa expeditionem bellicam, èd pluribus simul providet: ergo, cum DEUS prævideat omnia, simul omnia potest decernere. Et certè assignari non potest, quid DEO omniscio, & omnipotenti desit, quòd minus simul omnia decernere possit. Secunda conf. prob. 1. Posse decernere omnia simul, & id non facere, provenit, vel ex imperfectione potentie physica, aut morali, vel ex levitate animi, aut morositate, vel irresolutione, quæ DEO repugnant. 2do, Omnia simul decernere est modus in genere volendi comprehensivus, perfectissimus, & simplicitati Divinæ conformissimus, ac ipsa sui propositione videtur pulcherrimus, & DEO dignissimus, adeoque debet ipsi tribui. Certè, si Angelis perfectioribus (ex S. Thoma *1. part. quest. 55. art. 3.* & aliis) tribuuntur species universales, ut uno intuitu plura cognoscant, debet DEUS omnia uno intuitu simul cognoscere, quæ cognosci unico actu possunt: cumque voluntas non degeneret à nobilitate intellectus, debet hæc omnia, quæ decernere vult, & unico actu decernere potest, simul per istum decernere. videatur Muniessa *loco cit. num. 557.* Omitto hic brevitate causa argumenta, quæ decretis divisibilibus adhuc objici possunt, quæque difficilem habent solutionem.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

§ 59. **O**B. 1. Decretum dandi præmii propter merita, præsupponit pro priori aliud decretum: ergo non tantum unum decretum datur in DEO. prob. ant. Decretum dandi præmii supponit existere merita absolute prævisa; alias merita non essent causa moralis, sed finalis: atqui merita non possunt ita existere sine præsupposito aliquo decreto; cum nihil possit absolute esse futurum, vel etiam ut absolute futurum prævideri ante decretum absolute existens: ergo decretum dandi præmii propter merita supponit aliud

decretum antecedens, & decernens existentiam meritorum. Resp. neg. ant. intellectum de prioritate plùs quàm formali, seu inferente distinctionem virtuales. ad prob. dist. maj. supponit merita absolute prævisa per visionem plùs quàm formaliter distinctam à decreto. neg. maj. per visionem formaliter tantum distinctam, conc. maj.

Distingo etiam minorem. merita non possunt ita existere sine præsupposito decreto ad eorum existentiam physicam in se actualem. conc. min. ad existentiam eorum tantum intentionalem, quæ est ipsa scientia visionis, subdist. sine decreto formaliter præsupposito. omitt. min. sine decreto realiter, aut virtualiter præsupposito. neg. min. & conf.

§ 60. Quare decretum non debet plùs quàm formaliter præcedere scientiam visionis, nec magis distingui: & actus ille Divinus in se complectitur hæc prædicata, formaliter tantum inter se distincta. 1. Quòd decernat existentiam meritorum. 2. Quòd videat ea absolute futura. 3. Quòd velit præmii conferre merenti, & quidem tali affectu, vel modo tendendi, quo velit præmii propter merita, & non vicissim, quique respiciat merita tanquam causam præmii, non vicissim, in quibus nulla est contradictio.

Unde hic actus Divinus est tam causa meriti, quàm præmii; sed, ut ita dicam, prius causans meritum tanquam causam secundam, & posteriori causans præmii tanquam effectum tam causæ primæ, scilicet decreti, quàm causæ secundæ, scilicet meriti: merita autem sunt causa quidem præmii; sed non sunt causæ affectus, seu decreti Divini: neque hic à meritis causari potest, aut debet. Sic etiam casu, quo quis unico actu intendat tam sanitatem, quàm medicinam, etsi sanitas sit causæ finalis medicinæ, non tamen intentio sanitatis est causæ finalis intentionis medicinæ. Et quamvis in hoc eodem casu medicina sit causæ physica sanitatis, non tamen intentio medicinæ est causæ intentionis sanitatis; cum unus actus non possit esse causa sui ipsius. Sed neque propterea merita sunt causæ finalis præmii; quia non datur præmii, ut existant merita; sed quia hæc existunt independenter à præmio, quamvis non independenter à decreto, cuius causa non sunt.

§ 61. Dices. 1. Est inexplicabile, quomodo merita sint causæ præmii, nisi ut absolute prævisa causent affectum Divinum, seu decretum dandi præmii propter merita: sed absoluta prævisio jam supponit decretum: ergo ad causandum suo modo hunc affectum præsupponitur jam aliud decretum, adeoque unum ad alterum: consequenter virtualiter distinguuntur; quia causa debet distingui ab effectu. Resp. neg. maj. Causalitas meritorum respectu præmii stat in hoc, quòd DEUS velit præmii, non quomodo docunque, sed per talem tendentiam, quæ respiciat merita tanquam causam præmii, sive digna præmio, cui dignitati, seu exigentia velit se DEUS conformare: quæ tendentia est cuique nota ab experientia. Sic actus, volens simul medicinam, & sanitatem, vult medicinam ut medium, & sanitatem ut finem, non per hoc, quòd intentio sanitatis causet intentionem medii (non enim

enim potest actus causare se ipsum) sed per specialem tendentiam.

Hæc responsio est ad mentem Angelici 1. part. quæst. 19. a. 5. ubi querit, an voluntas DEI habeat causam, & respondet negativè. tum in corp. ait, quodd, si quis unico actu intendat finem, & medium, intentio finis non sit causa intentionis medij, quamvis per talem actum medium ordinat ad finem, & consequenter ille sit causa istius. Docet ulterius, quodd, sicut DEUS non discurrit intellectivè, nec cognitio unius in DEO est causa cognitionis alterius, ita nec discurrat affectivè, nec volitio unius sit causa volitionis alterius: sed quodd DEUS velit utrumque simul, ordinando, non unam volitionem ad alteram, sed unum objectum creatum ad alterum: & concludit his verbis: *Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc: quæ aliter reddit ad 1. dicens. Non quodd aliquid sit DEO causa volendi, sed in quantum vult, unum esse propter aliud.*

562. Dices 2do. Juxta nos scientia visionis esset etiam virtualiter identificata cum decreto: ergo esset causa rerum, quod tamen communiter nostri negant, quibus nos non opposuimus *num 361*, prob. conf. Decretum est causa: ergo etiam scientia realiter, & virtualiter identificata, Resp. conc. ant. dist. conf. Scientia visionis in sensu formali accepta, neg. conf. in sensu reali, vel virtuali. omitto, vel conc. conf. Scientia hæc non est causa in sensu formali: quia res non futuræ sunt; quia prævidetur: sed ideo prævidetur; quia futuræ sunt, ut fusè probatum à *num. 360. § seq.* In sensu tamen reali, vel virtuali accepta scientia est causa, sicut decretum, quod est causa remota, & impediibilis respectu actuum liberorum creaturæ, ut infra dicemus. Ubi nota, etiam res futuras non esse causam scientiæ visionis strictè dictam; quia hæc est incausalibilis.

563. Urgebis. Est imperceptibile, quodd scientia visionis realiter, & virtualiter sumpta possit dici causa remota; cum subsequatur objectum creatum. Resp. nego illatum. Scientia visionis non sequitur objectum physicè jam existens: sed tantum objectivè existens: atqui non est absurdum, quodd causa, præsertim remota; sequatur effectum objectivè existentem. Sic cognitio finis supponit finem objectivè existentem, & tamen causat illum saltem remotè; quia causat ejus intentionem.

Si dicas, causam non posse subsequi effectum absolute futurum, quamvis tantum in intentione volentis, aut tantum objectivè existentem. Resp. dist. non potest subsequi sub omni formalitate. conc. sub aliqua tantum. neg. Debet hoc omnes admittere in quocunque decreto efficaci DEI, quod tanquam causa præcedit: tanquam medium autem, in quo videtur necessario effectus absolute futurus, & à quo hic representatur, eundem objectivè existentem aliquo modo subsequitur, sive aliquoties supponit. Nec in hac prioritate, vel posterioritate, tantum rationis, qualicunque mutua, est ulla implicatio: imò, si etiam esset plus quam prioritas rationis mutua, esset ad summum inter causam physicam & intentionalem, vel duas intentionales, quæ per se præcisè non repugnaret; quamvis alia-

de repugnet, aliquid verè esse ad scientiam divinam quam ratione prius.

Paucis sic habe. Postquam DEUS per scientiam simplicis intelligentiæ prævidit, rem esse possibilem: & per scientiam mediam, quodd sub his, vel aliis conditionibus sit, vel non sit futura: tunc liberè identificat sibi terminationem volitionis, vel nolitionis, prædefinitionis, vel permissionis &c. Jam casu, quo DEUS rem vult, terminatio illa simul, & inseparabiliter, est representatio objecti futuri, tam in seipso, quam in seipsa terminatione, seu modo formaliter duplici. Talis terminatio, vel actus prærequiritur ad quocunque objectum creatum, absolute futurum, licet non prærequiritur sub omni formalitate; nam non prærequiritur, ut representatio objecti est: & hinc sub ista ratione dicitur formaliter sequi objectum absolute futurum (intelligi sequi negativè, seu posterioritate rationis, seu ita, ut non ideo sit objectum absolute futurum; quia datur formalitas scientiæ; sed potius ideo detur hæc formalitas; quia datur objectum: non autem positivè, ut ab ea producat, vel eam pro priori naturæ strictè dicto, aut magis, quam pro priori rationis, præsupponat) at verò idem actus, seu terminatio realiter sumpta, objectum tanquam causa saltem mediata antecedit.

564. Dices 1. Ideo res datur; quia DEUS eam vult, vel permittit: non ideo datur; quia eam cognoscit: ergo verificantur contradictoria de decreto, ac scientia. Resp. hæc tam parum esse contradictoria, quam ista: ideo contritio tendit in peccatum; quia est odium: non ideo tendit; quia est amor. Sensus tantum est iste: actus ille contingens DEI est causa rerum; quia volitio est: non est causa rerum; quia cognitio est: in sensu autem reali, vel virtuali, decretum, & scientia sunt causa eodem modo ex *n. 562*. Dices 2. Decretum non supponit objectivè objectum absolute futurum, sed tantum conditionatè futurum: scientia visionis supponit illud absolute futurum: ergo iterum verificantur contradictoria. Resp. dist. ant. non supponit, ut decretum est. conc. ant. ut scientia est, neg. ant. & conf.

Urgebis. Ergo antecedenter ad decretum DEI potest aliquid dici absolute futurum. Resp. neg. illatum ita simpliciter prolatum; quia neque potest simpliciter dari aliquid futurum ante scientiam visionis realiter acceptam; nam tam decretum, quam scientia visionis, realiter accepta, debent semper præcedere positivè tanquam causa physica remota, & impediibilis respectu actuum liberorum creaturæ. Hoc tamen admitto, quodd ens, absolute futurum, sit aliquo modo intentionaliter prius, & præcedat negativè ad decretum, non quidem sub omni formalitate acceptum, sed sub formalitate scientiæ: adeoque detur prioritas aliqua, quæ tamen non repugnat, ut dictum *num. 563*. Accedit, quodd scientia visionis non videat effectum futurum independentem à se ipsa.

565. Quod autem spectat ad id, quodd dictum est, decretum supponere tantum objectum conditionatè futurum, recolenda sunt dicta *num. 435. § seq.* scilicet quodd idem sit objectum absolute futurum, & conditionatè futurum. Et quomodo dici deberet, quodd decretum haberet obje-

vel respiceret objectum alio modo, hic modus non se teneret ex parte objecti, sed ex parte decreti, nec aliud inferretur, quam, ad hoc, ut res decerneretur, non prærequiri scientiam visionis: ut autem absolute videatur, prærequiri decretum; hoc est, unam formalitatem prærequiri formaliter ad alteram, & eminentialiter dirigere ad alteram, ex dictis *num. 555*. Si quæras, quid aliud sit à parte rei cognosci objectum conditionatè futurum ab eo, quando cognoscitur absolute futurum. Resp. esse aliam realiter cognitionem DEI, quæ habet identificatam sibi hanc terminationem, quam potuisset non habere: in objecto autem non est diversitas. Hoc tamen etiam notandum, quodd idem sit objectum, sive existat, sive non existat: & hinc non datur aliud, quando res existit, quam prius cognitum fuerit: sed id, quod prius non existit, nunc existit. Unde nunc non datur à parte rei objectum scientiæ de Antichristo (nec enim negatio est objectum ejus scientiæ) sed primum postea dabitur. Nec aliud præsupponit scientia visionis, aliud scientia media: sed tantum præsupponit alio modo: qui tamen modus non se tenet ex parte objecti, sed ex parte potentiæ intellectivæ. Nempe, ut possit dari absoluta scientia visionis, requiritur, ut intellectus sit pro priori rationis expeditus formalitate decreti: quæ formalitas non requiritur, ut sit expeditus ad scientiam mediam.

566. Ob. 2. Repugnat decretum positivè reprobativum hominis ante peccatum absolute prævisum: ergo absoluta prævisio, seu scientia visionis de peccato, debet præcedere decretum reprobativum: sed ante illam scientiam jam debet dari decretum permittivum: ergo unum decretum debet præcedere alterum: ergo debent esse virtualiter distincta. Resp. dist. conf. prævisio debet præcedere positivè, neg. conf. debet præcedere negativè, hoc est, non sequi. conc. conf. & dist. subsumpt. decretum permittivum debet præcedere positivè, neg. subsumpt. debet præcedere negativè, conc. subsumpt. dist. etiam 1. conf. unum decretum debet præcedere alterum positivè, neg. 1. conf. negativè, seu tantum formaliter, conc. 1. conf. & neg. 2dam.

Scientia visionis, sumpta formaliter, non præcedit rem, cujus est scientia, neque præcedentiâ illâ eminentialiter, quam explicavimus *num. 555*, at verò aliquando præcedit rem aliam præcedentiâ negativâ, hoc est, ut ratio sit prior, & illa res sit; quia datur scientia visionis de alia re: sic datur decretum reprobativum; quia datur scientia visionis de peccato, non vicissim: & sic scientia hæc eminentialiter præcedit decretum istud: nunquam autem præcedit hæc scientia decretum realiter, aut virtualiter. Et de hoc decreto reprobativo, seu puniendi propter peccata, ferme dicendum est, ac de decreto glorificandi propter merita, de quo *num. 559. § seq. Dixi ferme*; nam quale sit discrimen inter reprobationem, & prædestinationem, inferius dicemus: quod tamen discrimen, qualecunque sit, non infert aliam distinctionem inter decreta, quam formalem. Habet ergo actus reprobativus hæc prædicata: 1. quodd permittat peccatum. 2. quodd videat hoc absolute futurum. 3. quodd velit penam peccati. 4. quodd velit per talem tendentiam, quæ tendat in penam propter peccatum, non

vicissim: inter quæ nulla datur profus contradictio.

567. Dices. Juxta dicta DEUS eodem indivisibili decreto decernit absolute hominem creare, & damnare: hoc non stat cum Divina clementia: ergo, prob. min. Fuisse eligibilis homini relinqui in suo nihilo: ergo. Resp. Cur DEUS sit magis clemens, quando hominem damnat per secundum decretum, tamen jam ab æterno coexistens priori, quam, si eum damnat statim per primum? & cur complexum hoc decretorum sit eligibilis, quam unum decretum? Respondebis, alterum subsequi libertatem hominis, & existere propter liberam hominis malitiam. Sed idem tenendum de nostro decreto, quod formalitatem damnationis habet identificatam ex determinatione libera malitiæ humanæ, & impediibilem ab homine. In forma neg. min. ad prob. dist. ant. fuisse eligibilis antecedenter ad liberum abusum beneficii creationis, neg. ant. consequenter ad liberum abusum, conc. ant. & neg. conf. Certè plurimis beneficiis, etiam ipso summo Incarnationis, abutuntur homines: quin propterea simpliciter sit eligibilis carere illis, quam ea habere: sufficit igitur, si antecedenter ad abusum sint magis eligibilia; nec propter abusum cessant esse maximi favores DEI.

568. Ob. 3. DEUS sapientissime permittit peccatum subsequens propter aliud præcedens: hoc non stat sine multiplicatione decretorum: ergo. Conf. 1. DEUS Petrum amat, dum est in statu gratiæ: odit autem, dum est in statu peccatis: hoc explicari non potest sine virtuali distinctione volitionum, scilicet amoris, & odii: ergo. Conf. 2do. Causæ finales, & morales sunt prioris naturæ ad effectum per decretum DEI: ergo etiam decretum DEI debet esse prius naturæ: adeoque constituitur actum primum. Resp. neg. mi. Decretum puniendi debet suo modo explicari, ut decretum premiandi, de quo *num. 559*. Nec scientia visionis de peccato priore causat decretum permittivum posterioris, sed tantum permissionem passivam, seu formalem non impeditorem: quæ sive stet in negatione auxilii efficacis, sive in alio quocunque, non identificatur cum DEO.

Ad 1. confir. neg. min. Difficultas hæc communis est omni sententiæ; quia oritur ex immutabilitate affectus Divini: nec tollitur per distinctionem virtualem; quia hæc non potest facere, cessare priorem affectum, quod tamen rudibus videtur requiri ad hoc, ut Petrus modò sit amicus, modò inimicus DEI. Imò nec per realem distinctionem decretorum, vel affectuum tolleretur hæc difficultas; quia nihil horum consequenter esset defectibile. Solutio communis est, quodd DEUS ab æterno, simul, & semel, pro certo tempore, vel pro certis circumstantiis, Petrum amet, pro aliis autem odio habeat absque ulla distinctione decreti. Sic etiam homo potest aliquid velle pro aliquo tempore, pro quo e. g. delectabile est, cum proposito illud postea alienandi, vel omnino destruendi.

Ad adam conf. neg. ant. Oviedo *controv. 9. de anima punct. 5.* & alii. ego omitt. ant. neg. conf. Non omnis forma, quæ tribuit denominationem subjecto, est etiam capax illius denominationis. Sic effectus posterior tribuit causæ

denominationem prioris, quin sit prior. Saltem decretum non debet esse immediate prius naturā: sufficit, si sit remotè prius; nam tamen sufficenter connectere unum cum altero poterit, eritque hæc dependentia effectūs ab his causis impediibilis, sicut ipsa causalitas. Quare, sicut DEUS per decretum suum vult e. g. dispositiones: & simul vult propter eas paratus esse ad concurrentium (in quo juxta hanc sententiam stat prioritas dispositionum ad effectum) ita vult, vel permittit istas causas, finales, morales &c. & dein propter istas vult, paratus esse ad concurrentium, quin ista volitio, vel decretum, debeat poni ex parte actūs primi proximi. Imò nec ipsa causæ morales, vel finales, debent esse immediate priores, seu constituere actum primum proximum, sed tantum cognitio, vel amor eorum, nondum efficax, sed tantum complacentia (aliàs ipse amor tolleretur libertatem, utpote efficaciter post se trahens actum subsequenter) atque sic causa moralis ad actum sæpe est voluntas DEI, seu decretum, quod non constituit actum primum proximum.

569. Dices. Scientia visionis de peccato Petri constituit libertatem DEI ad puniendum, vel parcendum; quia, supposita illa, DEUS est adhuc liber ad utrumque: ergo est distincta virtualiter à decreto punitivo: ergo etiam decretum permissivum peccati est ab hoc posteriore distinctum. Resp. neg. ant. Scientia visionis, non quidem formaliter sumpta, attamen realiter, aut virtualiter sumpta, determinat DEUM ad puniendum, casu, quo DEUS punit; quia ipsa est identificata etiam virtualiter cum illo decreto. Quare libertatem DEI in actu primo constituit tantum scientia simplicis intelligentiæ, & scientia media directæ, quibus suppositis, DEUS est liber ad determinandum se, ut velit potius absolute habere decretum permissivum, identificatum scientiæ visionis de peccato, vel prædefinitivum, seu collativum auxilii efficacis, identificatum cum scientia visionis de negatione peccati: item est liber, ut, si velit permittere peccatum, habeat scientiam visionis de peccato, identificatam decreto puniendi, vel decreto parcendi: non autem est liber ad habendam scientiam distinctam.

Quando igitur Authores aliqui dicunt, DEUM, supposita scientiæ visionis de peccato, esse liberum ad puniendum, aut parcendum: vel loquantur juxta sententiam nobis oppositam, & non debemus eos sequi: vel loquantur tantum in sensu formali, hoc est, quod formalitas scientiæ visionis, præcisivè sumpta, non determinet DEUM ad puniendum, sed hic adhuc sit præcisivè liber; cum hæc formalitas, præcisivè sumpta, sit indifferens ad utrumque decretum, sicut scilicet animal ad rationale, & irrationale: item quod scientia visionis formaliter præcedat, & sit prior ad decernendam poenam, vel veniam.

570. Ob. 4. DEUS habet voluntatem antecedentem effectivè inefficacem omnes homines salvandi: hæc voluntas distinguitur virtualiter, tum à decreto prædefinitivo, tum à reprobato: ergo, prob. min. Repugnat, idem decretum virtualiter indivisibile velle idem efficaciter, & inefficaciter: ergo illa voluntas debet esse distincta à decreto prædefinitivo. Rursus, si non

esset distincta illa voluntas antecedens à decreto reprobato, DEUS omni sua voluntate vellet damnationem hominis: ergo nullum faceret beneficium reprobis, quod est falsum. Resp. dist. maj. ita, ut sit inefficax etiam respectu prædefinitivorum, neg. maj. tantum respectu reprobatorum, conc. maj. & neg. min. ac cons. ad imam partem probationis omitto ant. & nego cons. vel potius suppositum, quod decretum illud, seu voluntas antecedens, respectu prædefinitivorum, sit inefficax, ad 2dam partem prob. dist. ant. ita, ut simul eadem omni voluntate velit etiam eorum salutem. conc. ant. ut hanc non velit, neg. ant. & cons.

Suppono, idem decretum DEI posse esse efficax respectu aliquorum objectorum, & inefficax respectu aliorum; quia in hoc nulla est prorsus contradictio; sæpe enim homo vult aliquid efficaciter facere; quia facile potest: & aliquid inefficaciter, si non esset nimia difficultas. Suppono etiam, DEUM velle salutem omnium, non decreto confusè tendente in omnes (quod esset imperfectum) sed clarè, & distinctè in quemlibet. His suppositis, facile capitur, quomodo idem decretum respectu prædefinitivorum sit absolute efficax, tum quoad media salutis, tum quoad ipsam salutem: respectu reprobatorum verò sit efficax quoad media salutis sufficientia, quæ effectivè confert, & quæ unice sunt beneficia DEI, ratione quorum hoc decretum etiam reprobis est valde beneficium: item quod sit efficax saltem affectivè quoad eorum salutem; quia DEUS sincerè vult eos salvari, quantum est ex parte sua, & in hunc finem dat media: nec per ipsum stat, quod minus salvetur: quamvis id decretum non sit respectu ipsius salutis efficax effectivè; quia DEUS non decernit eis absolute gloriam: sed hoc provenit ex eorum culpa, ut omnes dicere debent.

571. Ob. 5. Singulæ creaturæ, etiam ut invicem coexistentes, habent suam unaquæque peculiarem amabilitatem, & peculiarem contemptibilitatem: ergo quælibet, etiam ut alteri coexistens, est amabilis à DEO separabiliter, seu per amorem ab aliis separabilem: ergo volitiones DEI, & decreta sunt separabilia, prob. cons. Quælibet res per suam contemptibilitatem potest retrahere affectum Divinum à se: ergo potest amorem sui separare ab amore aliarum rerum: ergo potest etiam amari per affectum separatum ab amore aliarum; quia potest attrahere affectum Divinum, dum aliæ retrahunt. Confir. Juxta nos, si vel musca, quæ de facto existit, non daretur, tunc DEUS totum mundum, ejusque ordinem, ac omnia alia, aliter, seu per aliud decretum decrevisset: hoc est incredibile: ergo.

Resp. Hæc phrasæ paulò obscuriores, in antecedente positæ, tantum significant, quamcumque creaturam posse amari, vel non amari, quin ametur, vel non ametur altera: quod totum conceditur, & dist. cons. quælibet creatura est amabilis separabiliter, seu per amorem, qui sit separabilis ab amore alterius simul existentem, neg. cons. qui non sit amor alterius, conc. 1mam, & neg. 2dam cons. Potest quælibet creatura amari, vel non amari; potest enim DEUS elicere amorem, qui tendat in plures, vel pauciores creatu-

ras pro libitu: at non potest amari creatura per amorem, qui tendat in ipsam solam, nisi DEUS velit eam solam, & nullam aliam amare; quando enim vult plures amare, aut decernere, debet omnes uno amore amare, & uno decreto decernere, ad prob. dist. eodem modo. Ad cons. dist. major. hoc est per decretum habens aliam terminationem, conc. maj. aliter statuens, subdist. de musca illa, conc. maj. de aliis rebus, neg. maj. & sic dist. min. neg. cons.

572. Ob. 6. Leges Divinæ constituunt actum primum proximum liberum: sed hæc sunt decreta DEI; quia lex constituitur ex voluntate legislatoris: ergo. Resp. neg. maj. Actum primum constituit sola cognitio legum, quæ potest dari, quando lex non est, nec essentialiter connectitur cum existentia certæ legis. Dices. Hæc cognitio sæpe stat in actu fidei, essentialiter præsupponente legem, seu decretum. Resp. dist. in actu supponente hoc decretum in individuo, neg. in specie, om. nam hic actus fidei potest dari, sive decretum præcipiens sit prædefinitivum, sive permissivum, modò habeat formalitatem præcepti: unde nihil est ex parte actūs primi essentialiter connexum cum actu 2do; nam actus fidei est indifferens, decretum est impediibile: & quidem stante actu fidei; hic enim potest dari, seu componi cum utroque decreto, sive prædefinitivo, quod infert actum secundum præceptum, sive permissivum, quod infert ejus omissionem, modò, ut dictum est, habeat formalitatem legis, seu præcepti: quæ formalitas etiam non connectitur cum actu, sed est adhuc omnino indifferens. Superest difficultas de applicatione, seu preparatione omnipotentia ad concurrentium, pro qua explicanda sit

ARTICULUS VII.

An Applicatio Omnipotentia constitutiva actūs primi proximi fiet in decreto DEI.

573. Notandum imò, libertatem in actu primo esse potentiam, quæ possit omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere: intellige, in sensu diviso; quia homo liber debet habere simultatem potentia, quamvis non potentiam simultatis. Et siquidem potest agere, & purè non agere, seu purè omittere, dicitur libertas contradictionis: si autem potest agere aliquid positivè oppositum, dicitur libertas contrarietatis. Ex hoc autem sequitur, quod neque ille sit liber, qui non habet, vel non potest pro libitu habere omnia necessaria ad agendum: neque ille, qui habet impedimentum inafferibile agendi: neque etiam ille, qui est necessitatus ad agendum, ut patet. Unde, ut quis sit liber, requiritur, ut habeat principia requisita ad utrumque cum exclusione, tum impedimentorum, tum etiam necessitantium ad unum determinatum exercitium. Hæc supponenda ex tractatu de act. lib. 2.

574. Notandum 2do, ad actum liberum, præsertim, si supponatur extrinsecè liber, non prærequiri tantum principia, à quibus ipse pro-

cedit, seu, quæ in ipsum influunt, sed etiam alia, à quibus non procedit, quæque non influunt. Sic e. g. ad actum amoris DEI liberum non tantum prærequiritur motivum alliciens ad DEUM amandum, sed etiam aliud retrahens, licet hoc nec physicè, nec moraliter influat in actum amoris. Ratio est; quia actus liber ut talis debet procedere à potentia expedita ad utrumque: ergo ab habente principia non tantum ad unum, sed etiam ad oppositum. Unde, licet amor DEI ut sic non exigat motivum retrahens, ut patet in Beatis, qui amant DEUM intensissimè sine motivo retrahente: at exigat hoc ut liber. Hinc actus primus liber componitur ex duobus actibus primis partialibus, quorum unus involvit principia e. g. ad amorem: alter involvit principia ad omissionem amoris, vel odium. Licet autem aliquid non sit influxivum in unum e. g. amorem, tamen potest constituere actum primum liberum ad illud: sicut econtra etiam, licet aliquid non sit activum, potest tamen impedire actum liberum, e. g. catena pedibus injecta non est activa respectu fugæ, sed impeditiva.

Infert ex his Sagara in manu scriptis, non omnia constitutiva actūs primi liberi esse priora naturā ad actum liberum; quia e. g. motivum retrahens non est prius naturā ad amorem; nam ad illum non determinat, neque ut causa, neque ut dispositio, aut conditio, nec in genere physico, nec in morali: sed tantum est prius naturā ad omissionem, vel odium. Si dicas, motivum retrahens saltem esse prius naturā ad amorem ut liberum, respondet hic auctor negando illarum, stando in sententia statuente libertatem extrinsecam actūs; nam amor ut liber est idem, ac complexum ex amore, & actu primo: adeoque illud motivum, cum non sit prius ad amorem, deberet esse prius ad actum primum, seu ad se ipsum, quod repugnat. Quare istud motivum est tantum concomitans actum liberum; quia scilicet, ut voluntas possit dici liberè agere, debet durante sua actione habere motivum retrahens; nam hoc necessarium exigitur à judicio indifferente. Hinc non omne illud est prius naturā ad actum 2dum, quod constituit quomodocumque actum 1mum totalem: sed quod ita constituit, ut influat, vel certè determetur ad actum 2dum. Quidquid autem sit de hac doctrina, de qua etiam potest videri Gormaz de act. hum. num. 328. 329. 372. saltem juxta eos, qui docent actus extrinsecè liberos, non sunt omnia ita priora, ut actus 2dus ea essentialiter respiciat, etiam tantum disjunctivè.

575. Notandum 3to, constitutiva actūs primi liberi diversimodè se habere ad actionem liberam; nam imò aliqua sunt indifferencia, ut conjungantur cum utroque extremo, & in utrumque influant: ita se habet voluntas, omnipotentia, cognitio motivi allicientis, & retrahentis, si sit unica; nam, si alia esset cognitio motivi allicientis, & alia retrahentis; tunc ista non influerent in actum, e. g. amorem. 2do alia sunt quidem indifferencia, ut conjungantur cum utroque: non tamen in utrumque, sed in unum tantum influant: ita se habet cognitio duplex, quarum una repræsentat tantum motivum alliciens, altera retrahens: item gratia actualis, quæ non

non influit in peccatum. 3^{to} alia sunt indifferencia, ut conjungantur cum utroque, sed in neutrum influit: ita se habent negationes impedimentorum, & necessitatum, quæ dicuntur constitutiva negativa: neque constituunt potentiam in ratione activæ, sed liberæ. 4^{to} voluntas præter conjungibilitatem, & potentiam influentem in utrumque, habet insuper indifferentiam electionis, & privativè jus determinandi se, & alia principia ad agendum, vel non agendum &c.

Notandum 4^{to}, etsi quis actus non habeat omnia prærequisita, si tamen possit ea pro libitu habere: vel, etsi adsint impedimenta, si tamen possit quæ ea pro libitu removere, talem esse sufficienter liberam. Sic, licet de nocte non possis legere sine lumine, si tamen hoc pro libitu possis accendere, libera es ad legendum: & sic de aliis; libertas enim, maximè in consideratione Theologica, stat non tam in potestate physice proxima ad agendum, e.g. legendum, sed in potestate moraliter imputativè proxima, quæ constituitur sufficienter per potestatem acquirendi prærequisita, vel tollendi impedimenta, ut patet in modo adducto exemplo.

576. Notandum 5^{to}, alium esse actum primum remotum, alium actum primum proximum. Ille est causa actus primi proximi, & hunc non constituit, saltem non necessariò, nisi fortè consideretur quoad omnipotentiam DEI, quæ constituit omnes actus primos creatos remotos, & proximos, ut consideranti patebit. Ille est causa, vel potentia expedita ad ipsam actionem: e.g. actus primus proximus ad legendum est potentia videndi, & legendi, lux, liber, cognitio &c. actus primus remotus est, pater hominis legentis, typographus, bibliopegus &c., qui non constituunt actum primum proximum; nam modò daretur homo potens legere, etiam per creationem, & sine patre, itè que liber sine illis artificibus, daretur tota potentia proxime expedita ad legendum.

Notandum 6^{to}, alium esse actum primum proximum libertatis creatæ, alium actum primum metaphysicum libertatis Divinæ; quia aliud est, DEUM esse liberum, aliud hominem. Actus primus proximus liber DEI involvit e.g. omnipotentiam, scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam directam de actibus nostris conditionatè futuris; quia DEUS nihil potest decernere nisi post plenissimam, & comprehensivam notitiam finis, mediæ, congruentiæ, disconvenienciæ, proportionis &c. de quo supra n. 558. At verò actus primus liber hominis involvit quidem omnipotentiam, sine cujus concursu nil potest fieri: sed non involvit scientias illas; quia modò homo haberet sufficientia auxilia, & omnipotentiam ad concurrendum paratam &c. etsi per impossibile DEUS nullam scientiam haberet de futuro eventu, jam ille esset liber ad operandum.

577. Si petas, quid igitur libertas creata, seu actus primus proximus liber creaturæ, dicat formaliter, seu quid constitutivè involvat? Resp. Involvit imò ipsam voluntatem creatam, quæ est rectum libertatis, & subiectum recipiens denominationem liberi in actu primo. 2^{do} cognitionem indifferentem, seu boni, & mali, aut al-

licentem, & retrahentem: sive jam una cognitio utrumque motivum repræsentet, sive sint duæ, aut plures pro diversitate motivorum. 3^{to} carentiam omnis impedimenti inaufertibilis à voluntate, vel necessitatis ad unum, & inimpedibilis. 4^{to} præsentiam omnis prærequisiti à voluntate pro libitu inacquiritibilis: tales sunt gratiæ excitantes ad actum supernaturalem, habitus virtutum, vel locò istorum omnipotentia specialiter applicata &c. 5^{to} ipsam omnipotentiam, non quidem ut productivam ipsius voluntatis, vel auxiliariam &c. (nam sub hæc ratione omnipotentia constituit actum primum remotum) sed ut concurrivam cum voluntate ad actum, quem voluntas eligit.

578. Jam verò omnis causa constituens actum primum proximum debet esse applicata, sive præparata ad agendum; aliàs non est proximè expedita; cum tamen actus primus proximus sit idem, ac proximè expeditus ad agendum: ergo etiam omnipotentia Divina, ut constituens actum primum proximum, debet esse ita applicata, seu præparata. Et hæc applicatio debet constituere libertatem proximam: quæstio autem jam est, in quo hæc applicatio, seu præparatio consistat; si enim decretum sit virtualiter unicum, non videtur posse constitui in decreto; quia deberet admitti, quòd hoc decretum constitueret actum primum proximum liberum, quod non videtur posse dici.

Ratio est. Sive decretum hoc sit prædefinitivum, sive permissivum (præcindens enim, sive indifferens indifferentiæ conjungibilitatis cum utroque extremo, in hoc systemate non datur) est semper essentialiter connexum, vel cum actu, vel cum omissione ejusdem: nihil autem essentialiter connexum cum uno extremo libertatis videtur posse constituere actum primum proximum indifferentem, etiam si esset impedibile; quia tamen tolleretur libertatem; vel enim voluntas esset libera in sensu composito talis entitatis, e.g. decreti: vel in sensu diviso: non in sensu composito; quia non potest omitti actus, stante illa entitate, vel decreto: non in sensu diviso; quia eatenus daretur sensus divisus, quatenus impediretur ea entitas, vel decretum: sed sic non daretur amplius libertas: ergo, prob. min. Sublato, vel impedito aliquo constitutivo libertatis, per se requisito, tollitur libertas ipsa; nam, ablata parte, aufertur totum: ergo.

579. Quidam ingeniosus Recentior in *libris de libertate creata Dilingæ anno 1711 editis* disputat, an non possit dici, quòd actus primus proximus liber constituatur per aliquod decretum disjunctum, seu indeterminatè sumptum, sicut e.g. libertas equitandi constituitur per aliquem equum indeterminatè sumptum; atque ingeniosè multa ibi pro affirmativa sententia congerit. Et siquidem defendi id posset, nostræ sententiæ non obesser: at non fido speciosè dictis, quibus ipse auctor non fudit, dum sub finem negativam amplectitur: nam actus primus proximus liber totus est hypothesis, seu conditio scientiæ mediæ, ut est in confesso apud nostros: at non potest DEUS ex parte hypothesis scientiæ mediæ videre, sive disjunctum, sive divisum, decretum prædefinitivum, aut reprobativum; ergo. Prob. min. DEUS deberet ita dicere

e.g. Si Petrus habuerit hanc gratiam, vel omnipotentiam applicatam per aliquod decretum, tunc consentiet: sed DEUS non potest ita dicere per scientiam mediam: ergo, prob. min. DEUS non tendit confusè in aliquod decretum, sed clarè distinguit prædefinitivum, ac permissivum: adeoque, quamvis disjunctum affirmaret ita decreta, tamen sic diceret: Si Petrus habuerit gratiam, vel omnipotentiam applicatam, sive per decretum prædefinitivum, sive permissivum, consentiet: atqui DEUS non potest sic tendere per scientiam mediam: ergo, prob. facile min. Hæc propositio, ut rectè Revisores Romani rescripserunt anno 1709. est DEO indigna, & ridicula; quia esset similis huic: Si mureo induceretur color, sive albus, sive niger, dealbaretur: vel huic: Si haberem equum, vel navim, equitarem, vel: Si Petrus ad me veniret, sive vivus, sive mortuus, me verberaret: quæ sunt ridicula, & inepta; nam omnia, quæ ponuntur ex parte hypothesis propositionis conditionalis, sive determinatè, sive disjunctum, debent esse conducentia ad conditionatum, sicut quilibet equus, etiam disjunctum, conducit ad equitandum: atqui decretum permissivum tam parum conducit ad consensum, imò fortè minus, quàm color niger ad dealbandum, vel navis ad equitandum.

580. Dein dicta propositio partim esset necessariò vera: partim esset falsa. prob. Prima pars propositionis: Si Petrus habuerit gratiam per decretum prædefinitivum se tenens ex parte hypothesis, consentiet: est necessariò vera, adeoque non affirmabilis per scientiam mediam, sed per scientiam simplicis intelligentiæ: altera verò: Si habuerit gratiam per decretum permissivum se tenens ex parte hypothesis, consentiet; est necessariò falsa: ergo non potest ullo modo à DEO affirmari. Et certè eodem modo posset dici, gratiam necessitantem, & insufficientem posse, disjunctum acceptas, constituere hypothesis scientiæ mediæ, adeoque sufficere ad libertatem humanam: & DEUM posse per scientiam mediam dicere: Si Petrus habuerit aliquam gratiam, consentiet &c. ergo gratia Jansenistarum non tollet libertatem.

Si dicas, non esse in potestate hominis, habere gratiam potius hanc, quàm illam. Resp. 1. fors posse dici, esse in potestate hominis, sicut in hoc systemate decretum. Resp. 2. Si res bene consideretur, juxta hoc systema non esse in potestate libera hominis habere decretum; nam non potest homo determinare DEUM ad ullum decretum collativum gratiæ; quia DEUS potest nullam dare. Sed neque juxta adversarios posset homo impedire decretum; quia hoc eatenus posset, quatenus posset determinare ad scientiam mediam de consensu, qua posita DEUS, volens dare auxilium, illud non posset dare per decretum permissivum: vel vicissim, posita scientiâ mediâ de dissensu, non posset illud dare per decretum prædefinitivum: sed juxta hoc systema DEUS non posset habere scientiam mediam de consensu, aut dissensu, ut jam ostensum; quia nunquam daretur hypothesis apta scientiæ mediæ: ergo.

Quare, ut salvetur libertas creata, debent ea omnia, quæ ex parte hypothesis scientiæ mediæ necessariò per se requiruntur, sive quæ con-

stituunt actum primum proximum immediatum & necessariò requisitum, esse indifferentia, sive dein determinatè, sive indeterminatè sumpta requirantur, modò per se requirantur, & non tantum per accidens se habeant, seu ita, ut, in pro libitu voluntatis ablati, tamen adhuc maneat totus actus primus liber, per se, & necessariò requisitus; si enim ita se haberet, etsi essent connexa cum uno extremo, modò essent impedibilia, non tollerent libertatem.

581. Scio, hic dictis opponi paritatem habitus charitatis, influentis in actum sub gravi præceptum, pro instanti determinato, quo casu habitus est incompossibilis cum omissione, ut potè graviter peccaminosa. Sed resp. Omnipotentia Divina in eo casu deberet esse parata ad supplendum quodcumque aliud principium, si quod deficeret ex necessariis ad libertatem: cumque hæc sit conjungibilis cum utroque extremo, per illam in eo casu sufficienter constitueretur libertas, & habitus eo casu se haberet tanquam aliquid per accidens tantum constitutum actus primi proximi. Quare est ingens disparitas inter hunc, & priorem casum, ubi nullum decretum est indifferens, & per nullum seorsim constituitur libertas.

Quòd si tamen fingatur casus esse prorursus æqualis (quod difficile fieret, equòd omnipotentia ex se semper sit indifferens) tunc etiam influxus ille habitus eodem modo posset negari: & negant eum plurimi cum Gormaz de *actib. human. à num. 292.* ubi fuffissimè hanc quæstionem examinat. Quare nollem dicere, quòd aliquod decretum, etiam tantum disjunctum sumptum, constituat actum primum proximum liberum creaturæ, etiam ex eo, quòd anno 1709. Revisores nostri Romani hanc sententiam non permittendam censuerint. Unde in alio reponenda est formalis applicatio, seu præparatio omnipotentia Divinæ in actu primo: quamvis facile concedam, quòd applicatio, vel præparatio causalis, quæ non ingreditur actum primum proximum, sed remotum, possit in aliquo decreto statui.

582. Dico igitur. Formalis applicatio, seu præparatio omnipotentia Divinæ ad concurrendum cum creatura stat, imò in ipsa omnipotentia Divina ex se, seu ex conceptu causæ primæ ita constituta, ut, quodcumque creatura agit, etiam ipsa necessariò agat: sicut immensitas DEI exigit, ut, ubicunque, etiam de novo, est locus, statim adsit: vel æternitas, ut, ubicunque de novo est creatura, ei statim coexistat. 2^{do} stat in ipso actu primo proximo creato completo, qui exigit concursum omnipotentia Divinæ cum voluntate creata, ita, ut sine miraculo negari non possit ille concursus; sicut enim hunc concursum exigunt causæ 2^{dæ} necessariæ, ita etiam liberæ. 3^{to} in negatione omnis impedimenti, sive hoc sit decretum miraculosum, impediens actionem creaturæ, & consequenter concursum omnipotentia, sive aliquid aliud. His tribus positis, habetur, quidquid requiritur ad hoc, ut omnipotentia Divina sit præparata, & applicata ad operandum. ita Sagara, *Munieffa disp. 9. de omnipotentia DEI scilicet. 12.* & communiter illi auctores, qui decretum DEI virtualiter indivisibile statuunt,

§83. Prob. concl. Physicè omnipotentia Divina est applicata per immensitatem identificatam: moraliter autem applicatur sufficienter per ista tria, ex quibus tamen nullum est decretum DEI: ergo. Unde aliquo modo omnipotentia Divina se habet, ut habitus, qui, quodcumque adest, semper cum voluntate, pro hujus determinatione, concurrat, quin per decretum DEI formaliter, & positivè applicetur, aut reddatur expeditus ad concurrendum; sic enim etiam omnipotentia, intimè creaturæ agentis præsens, & physicè applicatissima, semper parata est cum voluntate pro hujus determinatione concurrere, quando hæc per reliqua conprincipia (quæ ipsa etiam exigunt concursum omnipotentia) est expedita; quin debeat per decretum positivum, se tenens ex parte actûs primi proximi, determinari: sed sufficit decretum se tenens ex parte actûs primi remoti, per quod, sicuti debet DEUS conferre habitus, & reliqua principia necessaria voluntati, ita debet etiam nolle impedire omnipotentiam. Dixi tantum, omnipotentiam habere se aliquo modo, sicut habitus; nam habitus, etiam realiter sumptus, non potest impedire actionem voluntatis, neque potest nolle concurrere: potest tamen hoc omnipotentia realiter sumpta, utpote identificata cum voluntate Divina.

§84. Confirm. conclusio positivè, saltem contra nostros, & plurimos alios, negantes prædeterminationem ad materiale peccati. Decretum indifferens, quod ipsi statuunt, non applicat formaliter omnipotentiam ad actionem peccaminosam: ergo debet ipsa per se, vel per aliquod aliud esse applicata, ut agat: atqui nihil assignari potest, nisi ea, quæ à nobis assignata sunt: ergo. prob. ant. Decretum indifferens non potest habere hunc sensum, ut DEUS dicat: *Volo concurrere, vel ad actum bonum, vel ad actum malum*: nam sic voluntas DEI eodem modo se haberet ad bonum & malum, quod est falsum, & contra Tridentinum. Et sanè, ut ait Sagara, si homo diceret: volo ditari, vel per fas, vel per nefas: malè veller: ergo etiam malè veller DEUS, si diceret: volo exercere omnipotentiam, vel per actum bonum, vel per actum malum.

§85. Nec dicas, decretum sic tendere: *Volo concurrere, vel ad actum bonum cum inclinatione, vel ad malum contra inclinationem*; nam, si positivè vult concurrere ad malum, hoc ipso non agit contra inclinationem efficacem; ipsa enim volitio positiva est efficax inclinatio ad malum. Quod autem simul jungatur inefficax volitio, non excusat à malo; nam etiam, qui negat fidem metu mortis, habet inefficacem volitionem suæ negationis; quia autem eam absolute vult, tamen graviter peccat. Agitur decretum tantum possit habere hunc sensum: *Volo concursum ad actum bonum: permitto concursum ad actum malum*: sed hoc decretum tantum non impedit omnipotentiam à concursu: hoc autem non est eam applicare, ut patet millenis exemplis.

Sic, si tantum non impedio, ut alter meo instrumento, vel etiam mea manu, alterum percutiat, ego neutrum applico ad percussorem: qui tantum non impedit peccatum alterius, non positivè illum applicat ad peccandum: neque

est causa physica peccati: imò nec moralis, si non tenetur impedire: ergo, si alter non impeditur peccet, debet supponi aliunde applicatus, aut determinatus: ergo etiam, si DEUS per decretum indifferens, ab adversariis assertum, tantum non impedit omnipotentiam à concursu ad actum malum, debet illa aliunde jam esse formaliter applicata, & præparata ad illum. Quod si autem formalis applicatio omnipotentia ad actum malum non stet in decreto DEI, nulla est ratio efficax dicendi, quod applicatio, vel præparatio necessaria ad actum bonum, debeat in decreto consistere, ut patet consideranti, & magis patebit ex solutione objectionum.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

§86. Ob. 1. Omnipotentia Divina, & decretum DEI sunt realiter idem: ergo, si applicata est omnipotentia per se ipsam, est applicata per decretum. Confirm. Applicatio agentis creati ad passum non consistit formaliter in entitate causæ, & actu primo proximo: ergo neque applicatio agentis increati, seu omnipotentia. Resp. neg. conf. Etiam natura Divina, & Pater, sunt idem, quin natura generet. Datur scilicet distinctio inter omnipotentiam necessariam, & decretum contingens, similis illi, quæ datur in Divinis inter naturam, & Patrem. Ad confirm. neg. conf. Applicatio causæ creatæ neque stat in decreto DEI: ergo neque in hoc stabit applicatio omnipotentia. Scilicet aliquæ denominationes non possunt explicari sine entitate modalis, aliæ non sine decreto: aliæ verò sine utroque: & talis est denominatio omnipotentia applicatæ, quæ non est physica (nam physicè applicata est per immensitatem) sed moralis, significatque omnipotentiam esse expeditam, vel præparatam ad concurrendum: quod totum habetur sine decreto, sicut iuxta adversarios habetur sine modo.

§87. Ob. 2da. Juxta nos omnipotentia Divina esset applicata antecedenter ad decretum DEI: ergo creatura posset absolute agere ante decretum DEI, quod est falsum. Conf. Libertas creata non potest dari sine decreto DEI: ergo nostra sententia est falsa. Resp. 1. neg. conf. quia non solum omnipotentia applicata, sed etiam alia conprincipia requiruntur: neque omnia, etiam ab omnipotentia, suppleri possunt, e.g. cognitio respectu volitionis. Resp. 2. neg. ant. Applicatio formalis omnipotentia, ut dictum, stat partialiter etiam in actu primo, qui non datur ante decretum, sed ab hoc debet causari, licet non debeat constitui. Ad conf. dist. ant. Libertas non potest dari sine decreto eam causante. conf. ant. sine decreto eam constituyente. neg. ant. & conf. Si libertas datur absolute, datur etiam decretum, eam absolute causans: si libertas tantum datur conditionatè, sufficit etiam tantum conditionatè dari decretum.

§88. Ob. 3. Concursus debet esse DEO voluntarius, & liber: talis esse non potest, nisi constituatur per decretum: ergo. Confirm. Si applicatio omnipotentia ad actus creaturæ libe-

ros non involvit decretum DEI, neque applicatio ejusdem ad actus DEO liberos involvet decretum DEI: hoc est falsum: ergo. prob. min. Omnipotentia se habet sicut manus in homine: sed manus non est expedita ad operandum, nisi per volitionem: ergo nec omnipotentia. Resp. om. ma. neg. min. Vel loquimur de concursu in actu primo (hoc est, de applicatione, aut præparatione omnipotentia) & hic non debet esse liber formaliter, & in se, sed tantum per denominationem extrinsecam à decreto illam causante: sicut actus fidei, vel actus externus, non est liber in se, sed per denominationem extrinsecam ab imperio voluntatis eum causante. Vel loquimur de concursu in actu 2do: & hic non debet esse DEO liber, aut voluntarius; quia potest esse peccaminosus. Ad summum debet esse liberè à DEO permixtus, seu permissio ipsius debet esse libera.

Ad confir. om. ma. neg. min. ad prob. om. ma. dist. min. manus non est expedita, hoc est, non est determinata ad agendum. conf. min. non est præparata, ut mox agat pro determinatione voluntatis. neg. min. & sub eadem dist. conf. vel neg. conf. Applicatio omnipotentia, vel præparatio, plus non dicit, quam, ut ipsa parata sit ad mox agendum pro determinatione voluntatis, non autem, ut actu agat; nam, quamvis omnipotentia sit applicatissima, ramen, si voluntas agere nolit, etiam ipsa non agat: & hinc, licet ad actu agendum omnipotentia exigat, vel priori rationis præsupponat, determinationem voluntatis, hæc tamen non constituit applicationem. Et sic etiam manus est applicata, hoc est, parata ad agendum, antecedenter ad actum voluntatis: quamvis ad hoc, ut actu agat, debeat à voluntate determinari. Quod autem actus primus proximus DEI, non quidem ad volendum, sed ad agendum ad extra, involvat decretum DEI, non probat, idem etiam involvi ab actu primo proximo creaturæ; quia aliud requiritur, ut DEUS actum immediate liberè producat, aliud ut eum ita producat creatura.

§89. Ob. 4. Applicatio omnipotentia ad actus bonos debet constitui ex decreto DEI: ergo aliquid decretum constituit actum primum. prob. ant. aliàs DEUS non magis esset propensus ad bonum, quam ad malum: itémque actus primus proximus ab eo collatus eodem modo se haberet ad bonum, & malum: sed hoc est falsum, & partim etiam contra Tridentinum: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. utrumque membrum maj. In actu primo proximo non involvitur volitio DEI: unde in illo nulla est propositio formalis DEI, neque ad unum, neque ad alterum: in actu autem remoto DEUS utique est magis propensus ad bonum, quam ad malum; quia dat actum primum proximum ex intentione boni, suadendo, & præcipiendo etiam illum: alterum verò prohibendo, & tantum permittendo. Ex quo habetur, neque ipsum actum primum proximum, saltem quoad principia, quæ proveniunt à DEO, ad illa determinante, eodem modo se habere ad malum, & bonum; nam illustratio, & inspiratio Divina utique magis tendit ad bonum. Si autem nihil aliud adversarius intelligat, quam actum primum ad neutrum necessitare, facile conceditur maj. & neg. min.

§90. Ob. 5. Saltem applicatio causalis omnipotentia, quæ itat in decreto, se tenet ex parte actûs primi remoti: ergo, si decretum est connexum cum uno libertatis extremo, tollit libertatem. prob. conf. Si non possum impedire liberè causam proximam, neque possum liberè impedire causam remotam: sed hac ratione non possum impedire decretum connexum, quod itat ex parte actûs primi remoti: ergo vult libertas. prob. maj. Videtur imperceptibile, quod possum impedire causam remotam, si non possum impedire propinquiore: ergo. Resp. conf. ant. neg. conf. ad prob. neg. maj. adhujus probationem neg. ant. si sermo sit de causa remota, sine qua potest dari absolute causa proxima; si enim causa remota essentialiter, & determinatè requiretur ad proximam, utique, eâ impedita, impediretur etiam causa proxima: at decretum DEI non prærequiritur determinatè ad ponendum actum primum proximum; quia hic est indifferens, ut ponatur per decretum prædefinitivum, vel permissivum.

Explicatur ulterius. Si impeditur aliqua causa proxima (quæ non sit tantum principium per accidens, de qua re n. 590.) eo ipso impeditur libertas; quia impeditur constitutum ejusdem (de qua re vide etiam num. 578.) ergo non potest impedi libertè: si autem impeditur tantum causa remota, non necessario, aut determinatè requisita, potest stare tota libertas, ab alia causa remota proveniens: ergo potest causa remota liberè impedi. Neque hic est paritas cum causis necessariis, seu in ordine ad actum necessarium, e.g. cum patre, & avo; quia istæ non constituunt ullam libertatem, adeoque non debent esse ullatenus impedibiles.

§91. Si quæras, quomodo decretum DEI, tanquam causa remota, possit impedi. Resp. sicut diximus num. 358. scientiam visionis posse impedi, non tam ratione existentia actualis, & physica, quam ratione existentia objectiva; ita etiam dicendum, posse eodem modo impedi decretum. Scilicet in mea potestate est, ut conditionatè ponatur actus, vel non ponatur, adeoque, ut objectivè ab æterno existat conditionatè, vel non existat. Si existit, datur de ipso scientia media: ex qua tamen non infertur, dari etiam decretum prædefinitivum de ipso; quia DEUS non semper decernit, minus debet decernere, seu prædefinire actum, per scientiam mediam prævisum futurum. Si autem actus non existit objectivè, non datur de ipso scientia media: ex qua negatione infertur, etiam decretum prædefinitivum non existere; quia DEUS non potest prædefinire, salva libertate, actum, nisi per scientiam mediam prævisum: ergo, cum sit in mea potestate impedire scientiam mediam de consensu, est etiam in mea potestate impedire decretum prædefinitivum. Similiter res se habet circa dissensum, quem, quia etiam, quando prævisus sum ponere, tamen possum impedire, possum quoque impedire decretum permissivum.

Itaque quodcumque decretum collativum actûs primi proximi liberi, determinatè sumptum, est impedibile ab homine. Non tamen idè etiam est impedibile pro libitu hominis ipsa libertas, seu ipse actus primus proximus; nam,

nam, licet possim impedire seorsim quodcumque decretum determinatè sumptum (quia possum consentire, & dissentire) tamen non possum impedire pro libitu meo utrumque simul. Unde DEUS semper, posita quacunquē scientia media, est liber ad dandum actum primum proximum per alterutrum decretum, vel ad eum non dandum: sed tamen homo potest eum determinare aliquo modo disjunctivè, ut, si velit dare, deponat per decretum prædefinitivum, quàm permissivum, vel vicissim. Recolantur etiā hic dicta num. 513.

592. Dices. Actus primus proximus includit etiā illustrationes supernas: sed istæ, tanquam cognitiones, adeoque actus vitales, & identificatæ cum actione productiva sui, essentialiter respiciunt actum primum remotum tanquam suam causam: ergo essentialiter etiā respiciunt decretum DEI: ergo hoc non potest impediri, nisi impediantur istæ illustrationes, adeoque, nisi impediatur actus primus proximus. Resp. conc. mai. dist. min. istæ illustrationes essentialiter respiciunt actum primum remotum, adæquatè acceptum. neg. min. inadæquatè acceptum. conc. min. & neg. 1. am. & 2. am. conf. Multa sunt ex parte actus primi, quæ ab actione non respiciuntur essentialiter, e. g. applicatio causæ, causæ morales &c. præsertim sunt multa, quæ actio, etiā vitalis, non respicit determinatè sumpta. Et hinc istæ illustrationes omnino sunt indifferentes, ut, conferantur, vel per decretum prædefinitivum, vel per permissivum.

593. Ob. 6. Scientia media debet ex parte hypothese attingere totum actum primum proximum, prout est existens à parte rei: sed à parte rei est existens dependens à decreto determinatè sumpto: ergo scientia media debet eum videre dependentem ab aliquo decreto determinatè sumpto: adeoque debet videre etiā decretum determinatè sumptum ex parte hypothese: quod stare non potest cum nostris principiis. Resp. dist. maj. scientia media debet attingere totum actum primum proximum quoad prædicata metaphysica, & identificata. conc. maj. quoad prædicata per accidens ei tantum convenientia. neg. mai. & conc. min. neg. conf.

Est per accidens libertati in actu primo, quod conferatur potius per decretum permissivum, quàm prædefinitivum, vel vicissim: unde nullum ex his videri debet per scientiam mediam. Hinc melius explicatur hypothese scientiæ mediæ dicendo: *Si Petrus haberet hoc auxilium, vel hanc libertatem, consentiret*; quàm dicendo: *Si daretur Petro hæc libertas, vel hoc auxilium, consentiret*: ne scilicet videatur aliquod decretum poni ex parte hypothese. Quamvis autem scientia media non videat decretum determinatè sumptum, tamen non est obscura, ut explicatum est num. 211.

594. Dices 1. Ponitur cit. num. exemplum suppositionis confusæ: sed ista hic non habet locum: ergo non est paritas. prob. mi. Hic non agitur de necessitate aliqua, sed de existentia: ergo non est locus suppositioni confusæ. Resp. neg. min. ad prob. dist. ant. hic agitur de existentia absoluta, neg. ant. de conditionata tantum. conc. ant. & neg. conf. Quando enim

agitur de existentia tantum conditionata, habet locum suppositio confusa, si non quoad conditionatum, saltem quoad conditionem, seu causam, & in eo casu, quando idem conditionatum potest oriri ex variis causis, e. g. ut hæc propositio: *Si Petrus habuerit equum, equitabit*: verificetur, nullus equus, determinatè sumptus, est necessarius; quia quilibet sufficit. Quidquid autem sit, an scientia media, ex parte conditionis, respiciat gratiam in individuo determinatè sumptam, saltem non debet respicere ullum determinatè sumptum decretum; quia ad libertatem utrumque sufficit: imò scientia media etiā ex alio capite notato num. 579. neutrum videre potest. Hinc, per quale decretum Petrus gratiam habiturus sit, non est objectum scientiæ mediæ directæ, sed reflexæ: & quidem ex parte conditionati, non conditionis.

595. Dices 2. Scientia media est supercomprehensiva libertatis: ergo debet omnia ejus prædicata cognoscere. Resp. dist. conf. debet cognoscere omnia prædicata, quæ sunt cognoscibilia in linea scientiæ mediæ. conc. conf. extra eam lineam. neg. conf. cum ergo res in statu conditionato sit adhuc indifferens ad prædicata contingentia non identificata, ista non sunt tunc cognoscibilia, sed primum postea in linea scientiæ visionis.

Dices 3. Scientia media debet saltem attingere omnia prædicata identificata, adeoque omnes respectus transcendentales: sed quodlibet auxilium, vel quivis actus primus proximus habet respectum transcendentalem ad aliquod decretum DEI indeterminatè sumptum: ergo scientia media debet hunc respectum transcendentalem cognoscere: ergo etiā debet cognoscere aliquod decretum indeterminatè sumptum; quia respectus transcendentalis, saltem supercomprehensivè, cognosci non potest, si non simul terminus cognoscatur.

Resp. Posset fors dici, quod scientia media istum respectum transcendentalem jam supponat sufficienter attachatum à scientia simplicis intelligentiæ; quia est veritas necessaria, quod omne ens creatum, si exiturum sit, dependeat ab aliquo decreto DEI. Si tamen contendas, hunc etiā debere cognosci à scientia media, cum ista hypothese comprehendat quoad prædicata identificata. Resp. 2. do. omitto totum primum syllogismum, & dist. 2. conf. ergo debet cognoscere aliquod decretum, tanquam constitutum hypothese. neg. conf. tanquam terminum respectum ab hypothese. om. conf. Ex hoc tamen non inferitur, quod decretum aliquod constituat hypothese: sicut nec alia, ad quæ hypothese dicit relationem potentis coexistere, potentis cognosci, quam dicit ad omnes homines, & Angelos &c. constituunt hypothese.

596. Ubi nota magnum discrimen inter hanc propositionem: *Si detur libertas per decretum prædefinitivum, vel permissivum, Petrus consentiret*: & inter hanc: *Si detur libertas, que debet conferri, vel per decretum prædefinitivum, vel per permissivum, consentiret*: prior enim ponit immediatè ex parte hypothese aliquod decretum; quia idem significat, ac: si detur collatio libertatis, vel prædefinitiva, vel permissiva: ita, ut posita sola libertate, sine prædefinitione, vel permissio-

missione, seu sine utraque, non compleretur tota hypothesis: quod admitti non potest ex dictis num. 579. Altera verò propositio libertatem solum ponit ex parte hypothese, ita, ut si hæc sine decreto poneretur, compleret totam hypothese, quamvis simul dicat, libertatem sine omni decreto poni non posse, eoque decretum sit causa necessaria libertatis; unde ista propositio 2da tantum attingit decretum in obliquo, tanquam terminum ab hypothese distinctum, sed tamen ab ea respectum ut suam causam, adeoque se tenentem ex parte actus primi remoti.

Si velles litigare, & dicere, quod etiā prior propositio plus non dicat, planè contraires longè communiore; nam & qui admittunt decretum indifferens, propositionem priorem omnes ita explicant, ut ipsa collatio auxiliij, seu decretum sit constitutum hypothese, & ex hoc volunt probare necessitatem decreti indifferens: qui autem nobiscum decretum indifferens excludunt, non admittunt illam primam propositionem; sed scientiæ mediæ tendentiam potius hanc statuunt: si Petrus habeat libertatem, vel auxilium, præcendendo à decreto, aut certè hoc non nisi in obliquo, & ut terminum ab hypothese respectum cognoscendo. Quod si autem pertinaciter tuam opinionem velis defendere, tandem in questione hac vocabularia non multum litigabo, modò hoc saluum sit, quod decretum DEI non constituat hypothese, seu conditionem scientiæ mediæ.

597. Ob. 7. DEUS potest supernaturaliter extrinsecè elevare voluntatem nostram ad actus supernaturales, quæ elevatio dicitur communiter consistere in omnipotentia DEI specialiter applicata: atqui hæc specialis applicatio debet consistere in decreto DEI, volentis supplere defectum principij intrinseci: & insuper debet constituere actum primum proximum: ergo in casu valde frequenti decretum DEI debet constituere actum primum proximum, adeoque distingui virtualiter ab alio decreto, actum primum non constituyente. Resp. neg. 1. part. min. Etiam ista applicatio non stat formaliter in decreto; sed in ipsa omnipotentia, negatione impedimenti, & actu primo proximo creato, qui in casu elevationis extrinsecæ exigit, ut omnipotentia Divina parata sit concurrere speciali modo, hoc est, supplendo defectum alterius principij, ita, ut non, nisi per miraculum, hic concursus negari possit. Certè quævis illustratio supernaturalis, dum proponit vel obligationem aliquid faciendi, vel saltem complacentiam DEI de aliqua re faciendi, cum sit necessariò vera, exigit omnipotentiam DEI præparatam ad concurrendum, prout pro variis circumstantiis necessarium est, sive supplendo defectum principij intrinseci, si hoc desit; sive eum non supplendo, si addit principium; aliàs non posset proponere obligationem, aut complacentiam DEI de re facienda, quæ tunc fieri non posset.

Imò in hoc casu supernaturali non videtur DEUS posse impedire omnipotentiam suam à concursu casu, quo verè obliget, vel complacentiam suam verè per illustrationem ostendat. Si autem DEUS reverà non obligaret, sed homo tantum putaret se obligari, deberet omnipotentia saltem esse parata concurrere ad con-

tum faciendi id, ad quod homo putaret se obligari; quia ad istum conatum ratione sui determinis tunc verè homo obligaretur: quamvis omnipotentia non deberet esse parata concurrere ad rem ipsam, ad quam etiā homo tunc non deberet esse liber.

Nec dicas, si homo habeat intrinsecam illustrationem &c. non fore elevationem purè extrinsecam. Resp. enim, per hanc non intelligi, quod nihil habeatur intrinsecum (utique enim ad actum liberum, vel etiā voluntarium, debet esse intrinsecæ cognitio) cum nihil volitum, quin præcognitum) sed intelligi tantum, quod principium elevans non sit intrinsecum; seu quod defectum principij, aliàs intrinseci, hic suppleat omnipotentia extrinsecæ.

598. Quæres, quid fieret, si DEUS extrinsecè elevaret creaturam, e. g. hominem, ad actus plures simul liberè eiciendos. Resp. casum hunc esse miraculosum, seu supernaturalem; quia natura non exigit hæc elevationem extrinsecam: insuper, ut homo sit liber, debet cognoscere, quod tales actus possit producere (nam libertas, & electio non dantur sine cognitione) hæc autem cognitio etiā ipsa esset indebita homini; quia esset de potestate agendi indebita, & supernaturali, adeoque supernaturalis, & quidem ordinariè Theologicè, semper saltem Philosophicè, adeoque necessariò vera. Jam dico: si elevatio daretur ad actus plures, sive diversæ speciei, sive ejusdem, deberet dari supernaturalis cognitio de potestate eos eiciendi: quæ cognitio, seu illustratio, exigeret specialem concursum omnipotentia: atque adeò in illa illustratione posset stare specialis illa pars applicationis.

Si inites, posse fieri, ut homo tantum confusè cognoscat, se ad aliquos actus esse liberum. Resp. in tali casu tamen DEUS sciet, ad quot actus homo sit liber: & illa cognitio confusa exigit concursum ad totos actus, ad quot homo est liber. Sic etiā gratia exigit concursum DEI ad actus supernaturales juxta suam intentionem, licet nobis illa intentio incognita sit, & nos toti intentioni gratiæ ordinariè non cooperemur.

Si urgeas, saltem non implicare casum, in quo formalis applicatio omnipotentia stet in decreto. Resp. multum te facturum, si casum asseras, in quo applicatio ista aliter explicari nequeat. Dein omiſſa possibilitate casus, dico, tunc hominem ad illum actum, vel ad ejusmodum, ad quem omnipotentia formaliter applicatur per decretum, non fore liberum: neque hoc est absurdum; quia homo sæpe est liber ad unum actum, non ad alterum: vel etiā ad actum, sed non ad ejusmodum, e. g. intentionem, quam non cognoscit, & ad quam e. g. in ira eum necessariò determinat effervescentia sanguinis.

ARTICULUS IX.

Solvitur objectio ultima.

599. **O**B. ultimò. Actus primus proximus liber creaturæ involvit determinationem ad individuum.

um : sed hæc stat in decreto DEI: ergo, prob. mai. Creatura non potest omnia individua simul producere : neque potest ex infinitis possibilibus aliquid determinate eligere : ergo non est expedita ad agendum , nisi sit determinata ad individuum. Hæc obiectio est fortè difficillima. Resp. neg. maj. quam videntur negare communiter sententia nostræ Patroni : & præsertim Recentior Dilinganus cit. num. 579. in suis thesibus de libertate creata num. 199. & seq. multis probat, quòd determinatio ad individuum non fe teneat ex parte hypothesis scientiæ mediæ, adeoque neque constituat actum primum proximum.

Primo; quia scientia media tamen non est obfcura, nec præcisiva, etsi non videat ex parte hypothesis determinationem ad individuum, ut jam ostensum num. 411. Secundo; quia scientia directiva decreti liberi non debet inter membra eligibilia unum præ altero futurum enunciare; nam scientia directiva est aliquid constitutivum actus primi Divini liberi necessario requisitum: ergo, si effet connexa cum uno extremo, scilicet illo individuo, tolleret libertatem illius decreti, vel electionis inter individua, ex dictis num. 578. atqui scientia directiva decreti Divini, eligentis unum individuum præ altero, est scientia media directiva, sicut scientia simplicis intelligentiæ est scientia directiva decreti, eligentis creare unam creaturam possibilem præ altera: & omnia individua actuum liberorum possibilium, & conditionate futurorum, sunt membra à DEO eligibilia: ergo scientia media non debet unum individuum præ alio enunciare futurum: sicut neque scientia simplicis intelligentiæ unum præ alio possibili creandum enunciat. Hinc unum individuum præ alio futurum non enunciat scientia media directiva, sed reflexa, quæ non est directiva: neque etiam ad electionem ex pluribus omnino similibus indiget DEUS alia directione, quam scientiæ simplicis intelligentiæ, & scientiæ mediæ directivæ.

600. Quare dici potest, determinationem ad individuum fieri per ipsum decretum prædefinitivum, aut permissivum, quatenus DEUS, postea scientiâ mediâ, decernit, ad hunc solum in individuo actum ex hac specie concurrere, vel hunc solum ex altera specie permittere, & ideo actum primum proximum dare: atque nolle impedire omnipotentiam suam à concursu ad unum actum ex qualibet specie, ad quam datur libertas: velle autem eam impedire ad alios actus.

Unde, sicut decretum collativum actus primi creati, non constituit actum primum proximum liberum creaturæ, sed tantum constituit remotum, ut hucusque sæpius diximus; ita etiam decretum determinans ad individuum dici potest, non constituere actum primum proximum, sed tantum remotum. Ulterius, sicut creatura libera potest determinare DEUM, ut, si velit dare auxilium, vel actum primum proximum, potius det per decretum prædefinitivum, quam permissivum, vel vicissim, ita etiam potest eundem determinare, ut det per decretum determinans ad individuum unum, vel aliquando ex eadem etiam specie pura, prout creaturam ad unum, vel plura simul producenda

vult constituere liberam: (semper tamen intra numerum finitum; cum infinitum implicet) Ex hinc creatura sufficienter est libera: sicut si quis filius accipit facultatem à patre; ut equiter in equo, quem ei famulus determinaverit, est liber ad equitandum, si potest famulum determinare, ut aliquem equum determinet: & sicut sum liber ad exeundum, quando porta est clausa, si sum liber ad eam aperiendam, scilicet sufficienter moraliter imputativè, ut dictum num. 575.

Dices 1. Creatura nihil potest agere, quo DEUM determinet ad determinandum ad individuum, sicut tamen filius potest famulo exponere iussa parentis, ut equum determinet: ergo non est paritas, nec datur in creatura moralis libertas. Resp. dist. ant. creatura nihil potest agere in statu absoluto, & reali, conc. ant. nihil potest in statu conditionato, vel objectivo, neg. ant. & conf. In statu objectivo potest creatura ponere actum in specie, hoc est, potest reddere talem actum à DEO cognoscibilem: seu potest facere, ut ipsa prævideatur actum in specie sub conditione positura.

Dices 2. Nihil potest poni tantum in specie, & indeterminatum: Resp. dist. illat. nihil potest poni physicè, & absolute, conc. ill. nihil potest poni conditionatè tantum, objectivè, vel intentionaliter, neg. ill. In statu objectivo, vel intentionali aliquid poni, est tantum illud reddere cognoscibile: potest autem aliquid indeterminatum reddi cognoscibile etiam respectu DEI ex num. 411. Quando autem cognoscit DEUS, quòd creatura pro jure suo electivo positura sit aliquem actum ex hac specie, determinatur per hanc scientiam, tanquam per objectivam determinationem creaturæ, ut ipse determinet ad individuum: si tamen DEUS velit ad aliquem actum ex illa specie concurrere.

601. Dices 3. Creatura, postis omnibus aliis ad agendum prærequisitis, non potest agere sine determinatione ad individuum: ergo ista se tenet ex parte actus primi. Resp. argumentum esse simile huic. Creatura, postis omnibus aliis, non potest agere sine concursu DEI in actu secundo: ergo sic se tenet ex parte actus primi. Repones, creaturam posse agere sine præsupposito concursu DEI in actu 2do; quia antecedenter habet totam potestatem, & potentiam determinandi DEUM ad concurrendum in actu 2do. Resp. sic etiam creaturam posse agere sine præsupposita determinatione ad individuum; quia antecedenter habet totam potestatem (quæ scilicet est hypothesis scientiæ mediæ) & simul potentiam determinandi DEUM, ut ipse determinet ad individuum.

In forma dist. ant. creatura non potest agere sine determinatione ad individuum, quæ sit constitutivum actus primi proximi liberi, neg. ant. quæ sit tantum aliquid subsequens actum primum proximum, conditionatè prævisum, conc. ant. & neg. conf. Scilicet hæc determinatio ad individuum est quid consequens ad scientiam mediam, seu ad actum primum proximum, conditionatè prævisum, imò ad actum 2dum, conditionatè, saltem quoad speciem, prævisum; quia sequitur determinationem creaturæ, sicut prædefinitio, cui est identificata: quam

quamvis simul eodem modo, quo prædefinitio, sit prior ad scientiam visionis.

602. Dices 4. Si ergo DEUS vellet ponere omnia alia, sed nollet determinare ad individuum, quid fieret? Resp. nihil fieret, sicut nihil fieret, si DEUS poneret omnia alia, & nollet concurrere. Petes, quid igitur deesset? Resp. negatio impedimenti; quia, si DEUS non vellet determinare ad individuum, sine qua determinatione creatura tam parum potest agere, quam sine concursu DEI, hoc ipso non vult eam agere: & tale decretum nolens determinare ad individuum est, vel formaliter, vel saltem realiter decretum non concurrenti; cum utique DEUS non possit velle imprudenter: vellet autem in tali casu imprudentissimè concurrere ad actum indeterminatum, hoc est, ad impossibile. Unde debet in eo casu nolle concurrere, adeoque omnipotentiam suam à concursu impedire. Hoc autem decretum impediens omnipotentiam esset utique impediendum actus primi, & quidem, in casu DEI efficaciter nolentis, inamovibile à creatura, adeoque tollens libertatem.

Si velis ulterius tricare, & ponere casum, in quo DEUS per puram omissionem liberam non determinaret. Resp. DEUS in eo casu saltem non posset prudenter conferre actum primum proximum liberum, quem videt, absolute non posse producere actum in his circumstantiis à DEO solo positus: non dato autem actu primo proximo, utique non daretur libertas. 2. Per puram omissionem non potest impediri omnipotentia DEI à concursu; hæc enim ex essentia sua exigit esse parata ad agendum cum libera voluntate creata expedita, absque decreto eam applicante: & pura omisso relinquit intactam totam illam existentiam, vel præparationem, adeoque, ut ista tollatur, necessarium est positivum decretum DEI, volentis eam impedire. Cum autem DEUS imprudenter ageret in hoc casu, conferendo inutiliter actum primum proximum, & relinquendo etiam inutiliter applicatam omnipotentiam suam, debet hanc impedire, adeoque ponere decretum positivum, quod est positivum impediendum libertatis.

603. Dices 5. Juxta nos DEUS primum determinaret ad individuum ex suppositione determinationis factæ à creatura: sed sic determinaret per actionem distinctam: ergo. Conf. Est imperceptibile, quomodo creatura determinet ad speciem, antequam DEUS determinet ad individuum: ergo. Resp. hæc omnia solvenda esse in prædefinitione; si enim DEUS actum primum proximum decernit primum post factam determinationem à creatura, (uti fit juxta nostra principia de prædefinitione) etiam videtur debere determinare per aliam actionem, & etiam modo imperceptibili. In forma neg. maj. non ex suppositione determinationis ad speciem, à creatura jam actualiter factæ, vel actualiter jam existentis, sed ex suppositione determinationis conditionatè faciendæ, sive ex suppositione alicujus determinationis, per scientiam mediam prævisæ, seu ex suppositione prævisi per scientiam mediam consensûs, vel dissensûs, sub aliqua conditione futuri, determinat DEUS. Res hæc ita facile explicatur.

Videt DEUS ab æterno per scientiam me-

diam, quòd, si Petrus hoc auxilium, vel hanc libertatem haberet, ipse aliquem consensum eliceret: ecce determinatio Petri ad speciem, conditionatè prævisæ. Tunc ab æterno pro libitu suo DEUS e.g. decernit eam libertatem, vel auxilium dare, & simul cum Petro ad unum individuum, non ad aliud, concurrere: ecce determinatio ad individuum. Postea in tempore confert Petro actualiter eam libertatem, vel auxilium, & cum ipso per eandem actionem influit: ecce determinatio, seu influxus DEI, non primum consequens, sed simultaneus, per eandem actionem. Ex his patet etiam ad confirmationem responsio.

604. Hæc ex suppositione, quòd DEUS determinet ad individuum: quæ tamen sententia non est adeò certa, ut sibi quidam imaginantur. Eam negant Thomistæ omnes cum nostro Vasquez, & pluribus aliis ex nostris. Suarez ab initio eam sententiam rejicit ut non convenientem Philosophis: quamvis autem postea dicat, eam esse valde probabilem, tamen absolute nihil videtur definire. Illi, qui decreta DEI dicunt compleri per complementa extrinseca (qui sunt satis multi) sanè cum hac sententia non valde conveniunt; nam, licet fors possit utcumque dici, quòd decretum, seu volitio DEI, etiam quatenus intrinseca DEO, determinet ad individuum, tamen ipsa determinatio, vel existentia hujus potius, quam alterius individui, non potest in hac sententia identificari volitioni, quatenus intrinseca DEO; cum eatenus sit penitus indifferens: sed debet ea existentia, vel determinatio stare in complemento creato, adeoque ultima formalis determinatio debet fieri à creatura.

Sed nec rationes pro hac sententia sunt invincibiles; nam, si dicatur, in actu primo proximo creato semper inveniri aliquam entitatem creatam (qualiscunque tandem sit) quæ sit naturaliter compositibilis tantum cum uno individuo, & alia ejusdem speciei excludat, ruunt omnia argumenta, ut patet consideranti. Et fortè potest dici, quòd talis entitas sit duratio causæ liberæ, ad quam producendam, cum DEUS etiam debeat concurrere, posset ipse ad hunc respectum eam determinare. Nec dicas, durationem esse identificatam cum actione productiva rei; hoc enim à pluribus negatur, & in actione creativa, vel effectibus essentialiter affixis suis causis, non potest admitti; cum actio sit identificata cum ipso effectu; hic autem semper sit indifferens ad durandum pro omni instanti, & indifferens ad omnia instantia, neque possit se ipsum determinare ad instans sequens. Neque gratis fingeretur hic respectus essentialis in aliquo ente creato, si absque eo deberet admitti novum mysterium maximum in DEO, unum saltem, vel juxta alios plurima, itemque unum, vel plura decreta, antecedentia scientiam mediam &c. ad hæc enim evitanda utique posset admitti talis respectus; cum ob non majores rationes admittantur alibi modi, qui etiam habent essentialium respectum ad individua singularia. Ego certè, si conclusio de decreto virtualiter indivisibili aliter stare non posset, citius talem respectum admittendum existimarem, quam ei conclusioni contradicendum.

605. Obijciuntur tandem aliqua propositiones ab A. R. P. Carolo Noyelle Generali nostro proscriptæ anno 1682. 26. sept. quasi ex vi nostræ doctrinæ necessariè admittendæ sint. Extant apud Gormaz de DEO num. 877. sũntque sequentes. Prima, quæ huc non pertinet, ab Adversariis omiſſa est, Secunda est: *Dum sit consensus bonus, applicatur omnipotentia salva libertate per prædefinitionem efficacem consensus absque ullo decreto indifferenti: Et talis prædefinitio non est consequens, sed antecedens consensus.* Tertia. *Hujusmodi prædefinitio omnipotentia applicativa non est necessitas physica, necessitas voluntatem ad consensum: sed solum logicè inferens, quod consentiet libere: Et relinquit intactam indifferentiam physicam voluntatis, ex vi causarum proximarum potentis physicè facere dissentium, Et per illum impedire consensum, Et prædictam necessitatem logicam, quæ dicitur consequentiæ.* Quarta. *Prædicta prædefinitio efficaciter volens consensum, Et efficaciter volens dissentium, est sufficiens applicatio omnipotentia ad dissentium.* Quinta. *Quamvis, dum sit consensus prædefinitus, non sit decretum indifferens omnipotentia applicativum, est tamen in voluntate sic constituta per hæc principia undecunque provententia potestas faciendi, quod esset (puta decretum indifferens) pro casu, quo ipsa dissentiret.* Sexta. *Implicat absolute decretum applicativum omnipotentia ad operationes liberas honestas esse indifferens: sed necessario debet esse prædefinitio DEI efficax.*

His addendæ sunt quatuor propositiones proscriptæ ab A. R. P. N. Michaële Angelo Tamburino anno 1706. 7. Augusti. Prima. *Quod DEUS voluntate (seu decreto) efficaci, Et absoluta, prædefinitat immediatè, Et determinatè ad unum omnes, Et singulos actus, seu effectus causarum secundarum.* Secunda. *Quod hæc prædefinitio sit omnino necessaria causis secundis ad agendum.* Tertia. *Quod nulla in DEO sit voluntas propriè indifferens, nulla inefficax.* Quarta. *Quod reprobis DEUS non velit salutem ipsam in se, sed in mediis tantum, Et adduntur hæc verba: Nec excusatur hoc ultimum per adhibitam distinctionem vulgarem voluntatis signi, Et beneplaciti; cum, licet hæc distinctio in se legitima sit, Et à D. Thoma, Et antiquioribus adhibita, tamen ad hanc propositionem accommodari non possit, nisi per abusum, Et sensu planè alieno.*

606. Verùm hæc propositiones non sequuntur ex nostra doctrina, ut patebit consideranti sequentia. Primò. Decretum nostrum indivisibile tantum est prædefinitivum actuum bonorum: malorum autem est tantum permissivum; quia DEUS malos actus non intendit, nec in iis complacentiam habet; & hinc non datur prædefinitio, quæ omnes actus bonos, & malos causarum secundarum decernat. 2dò. Hæc prædefinitio universalis tam actuum malorum, quam bonorum, cum impossibilis sit, non est necessaria causis secundis ad agendum. Sed neque alia prædefinitio, communiter admittitur, est necessaria causis secundis ad agendum; tum, quia ad malè agendum non potest dari prædefinitio: tum quia etiam ad bene agendum non est necessaria prædefinitio, necessitate se tenente ex parte causarum secundarum: sed ad summum necessitate se tenente ex parte DEI; nam modò causæ secundæ haberent actum primum proxi-

um, per quaecunque decretum, esset iis confectum: at verò, cum DEUS, si velit conferre actum primum in ordine ad actum secundum bonum, quem per scientiam mediam vidit conditionatè futurum, videatur non posse talem actum primum conferre, nisi ex affectu ad bonum, hoc ipso etiam videtur non posse eam actum primum conferre, nisi per prædefinitio- nem; nam ipsum decretum conferendi actum primum ex tali affectu est ipsissima prædefinitio: quare videtur esse aliqua necessitas ex parte DEI, ut ad bene agendum detur prædefinitio.

3tiò. Ne admittatur tertia propositio proscripta inter posteriores, sufficit, si doceatur, quòd aliqua sit in DEO voluntas indiffe-rens: nec debet ubique in ordine ad actus omnes liberos adstrui voluntas strictissimè indifferens. Sic rescripserunt Revisores Romani, ita testantur hæc sapius citatis thesibus Dilinganis num. 252. Voluntas autem legislativa, formaliter sumpta, in DEO est indifferens, & conjungibilis cum utroque, scilicet cum actu præcepto, vel ejus omissione: & respectu plurimorum est inefficax: sicut etiam respectu multorum est inefficax effectivè voluntas omnes salvandi. Rursus quælibet voluntas DEI, seu prædefinitiva, seu permissiva, est indifferens, ut ait Sagara, non quidem indifferentià conjungibilitatis cum utroque, sed tamen indifferentià impedibilitatis. 4. DEUS etiam in nostra sententia vult sincerè reprobis salutem ipsam in se ipsa, & non tantum in mediis, ut à n. 570. explicatur.

5tiò. Propositiones prohibita anno 1682 citatæ à P. Gormaz de DEO num. 877. loquuntur de prædefinitione efficaci antecedente consensum, adeoque etiam scientiam mediam, qualem prædefinitionem non admittimus. Patet hoc clarè ex propositione 2da, quæ apertè loquitur de prædefinitione antecedente consensum. 3ta, & 4ta per particulas hujusmodi, prædicta: referunt se ad prædefinitionem in 2da propositione assertam. 5ta, & 6ta explicari possunt de eadem prædefinitione; quia loquuntur in eodem contextu sine ulla distinctione: cui rationi accedit, quòd prohibitiones odiosæ sint strictæ expositionis. 6ta etiam ad nos non attinet; quia juxta nos non est in potestate voluntatis faciendi, ut detur decretum indifferens; quia vel hoc, in sensu adversariorum acceptum, est impossibile: vel omisso, quòd possibile sit, non potest voluntas facere, ut ipsum detur: sed tantum, ut, si DEUS velit aliquid ponere, ponat potius prædefinitivum, quam permissivum, vel vicissim. Ad 7timam resp. Nullum decretum, consequenter nec prædefinitivum, est applicatio formalis omnipotentia: quamvis non implicet, quòd decretum, causaliter applicativum omnipotentia, sit indifferens, non quidem indifferentià conjungibilitatis, sed indifferentià impedibilitatis, quæ æquè servat intactam libertatem creatam: vel indifferentià alià; quia e, g. realiter est simul voluntas legislativa, de qua supra.

607. Tandem addo, sententiam nostram de decreto virtualiter indivisibili, & applicatione omnipotentia in sensu nostro exposita, esse traditam post prohibitiones istorum Generalium à pluribus nostræ Societatis Doctoribus, e. g. Sagara,

Sagara, ac aliis, scientibus Generalibus. Sed & Munieſſa primum suam lucubrationem edidit anno 1687. & quidem in Arragonia, ad quam tamen Provinciam prohibitio anni 1682. primò erat directæ, teste P. Gormaz. Imò in *Theſibus Dilinganis de libertate creata n. 271.* dicitur, potius, & præstantiorem partem Auctorum nostram hanc sententiam tenere.

Adde, quòd recentissimè nostri Revisores, Romani in sua censura citata num. 581. manifestè supponant, quosdam nostrorum sententiam de decreto, etiam virtualiter indivisibili, tradere; quin vel minimè eam suggillant, sed potius disparitatem ostendant inter hanc, & sententiam ab iis rejectam: ut adeò credibile non sit, nostram opinionem quidquam cum propositionibus illis, à Generalibus nostris prohibitis, habere commune.

QUESTIO II.

De Providentia DEI in genere.

ARTICULUS I.

Quid sit Providentia, Et an detur.

608. **P**rovidentia, ut habet S. Thomas 1. part. quest. 22. art. 1. in corp. est Ratio ordinandorum in finem: & hinc S. Doctor providentiam videtur locuere primariò in actu intellectus, quamvis ita cit. ad 2. admittat, quòd præsupponat voluntatem finis. S. Damascenus autem l. 2. de fide orthodoxa cap. 29. scribit: *Providentia est voluntas DEI, per quam res omnes aptè, congruentèque gubernantur:* quibus verbis videtur providentiam constituere in actu voluntatis. Hunc sequitur S. Bonaventura, Scotus, & alii. Divisi sunt ergo Authores: quidam providentiam statuunt in actu intellectus, alii in actu voluntatis. Fortè optimè dicitur cum Gormaz, & aliis, providentiam constitutivè involvere utrumque actum; sic enim conciliantur SS. PP. quorum aliqui providentiam ad intellectum, alii ad voluntatem revocare videntur: præsertim autem sic consentiunt S. Augustino, qui providentiam constituit in utroque actu; nam cap. 14. de bono perseverantia, ait, prædefinitioem, quæ est primaria species providentia, esse præscientiam, & præparationem beneficiorum: quarum prima ad intellectum, altera ad voluntatem spectat. Quinam autem actus sit præcipuus, vel veniat in recto, non videtur multum referre; five enim dicatur ratio ordinandorum cum decreto exequendi, sive decretum exequendi rationem ordinis, utrumque fat bene dicitur. Gormaz de DEO num. 837. ait, providentiam posse considerari, vel ut prudentem, & sic primariò stare in actu intellectus: vel ut liberam, & sic primariò stare in actu voluntatis. Idem putat etiam non malè providentiam sic definiti: *Prudens, Et libera dispositio DEI, per media proportionata dir. gens creaturas ad suum finem.*

609. Dico. Datur in DEO providentia. Constat hoc ex fide, & ratione; nam imprimis Sap. 8. vers. 1. dicitur de DEO: *Atingit ergo à*

fine usque ad finem fortiter, Et disponit omnia suaviter. item cap. 12. v. 13. *Non enim est alius DEUS, quam tu, cui cura est de omnibus.* & cap. 14. vers. 3. *Tua autem Pater providentia gubernat.* quin *Matth. 6.* Christus Dominus fusè ostendit providentiam DEI circa omnia, etiam minimas volucres, & inanes flores. Ratio etiam clara est. DEUS habet de omnibus comprehensivam, & prudentissimam notitiam, simulque omnipotentiam, cui omnes creaturæ subjectissimæ sunt: insuper habet voluntatem liberrimam creandi, conservandi, ordinandi ad suos fines omnia: atque etiam actu hoc facit; ergo habet providentiam. Hinc rectè Clemens Alexandrinus l. 3. Stromat. sub initium ait: *Sunt etiam quedam questiones dignæ, quæ puniuntur, cujusmodi est quæerere probationes, an sit providentia.* Hinc Epicurus pessimè audit, quòd putaverit, beatitudinem DEI stare in eo, quòd non habeat curam ullius rei. Equidem DEUS est sine sollicitudine anxia: at non est sine cura genericè accepta, seu sine providentia.

610. Providentia alia dicitur *physica*, alia *moralis*. Ista diriguntur creaturæ rationales: altera reliquæ. Moralis subdividitur in naturalem, & supernaturalem. *Naturalis* est, qua DEUS dirigit creaturam rationalem ad fines naturales. *Supernaturalis*, qua dirigit eandem ad finem supernaturalem. Supernaturalis alia est *communis*, seu *sufficiens*, qua DEUS omnibus dat media sufficientia ad salutem: alia est *peculiaris*, & *efficacia*, qua DEUS dat electis media efficacia. Item alia est *providentia salvandorum*, & dicitur *prædefinitio*: altera *reproborum*, & dicitur *reprobatio*. Hæc tamen ultima non ita accipienda est, ac si DEUS ex sua determinatione dirigeret homines ad infernum: sed tantum in hoc sensu, quòd DEUS habeat decretum reprobativum aliquorum hominum, suppositis eorum peccatis.

611. Quæri hinc etiam solet, an providentia DEI semper assequatur suos fines: & respondent nostri communissimè, quòd assequatur quidem semper finem suum universalem, non verò omnes fines particulares. ita S. Thomas quest. 6. de veritate (quæ est de prædefinitioe) art. 3. in corp. dicens: *Nihil potest deficere à generali fine providentia, quamvis quandoque deficiat ab aliquo particulari fine.* Finis universalis providentia est gloria DEI, relucens ex eo, quòd DEUS tanquam causa prima aptissimè gubernet causas secundas, iisque provideat de mediis proportionatis, quibus unaquaque possit obtinere suum finem, nisi impediatur à causis secundis aliis, quas DEUS ut provisor universalis non renetur impedire: vel nisi ipsamet nolit liberè finem suum assequi: & hunc finem, ut patet, DEUS semper assequitur. Finis particularis providentia est ille, quem DEUS specialiter per hæc media intendit, e. g. per gratias supernaturales conversionem peccatoris: quem tamen sapius non assequitur, non ex defectu, vel determinatione sua, sed ex defectu creaturæ.

612. Quando autem S. Augustinus ait, creaturam non posse vincere voluntatem DEI, non vult dicere, quòd omne, quòd DEUS, vel ejus providentia, quomodoocunque vult, creatura debeat facere (sic enim non esset libera) sed tantum

tantum vult dicere, quod, quamvis creatura possit impedire finem aliquem particularem providentiæ Divinæ, non possit impedire universalem: & quamvis possit contravenire uni ordinationi, vel voluntati Divinæ, non possit tamen omni. En verba S. Doctoris I. de spir. & litera cap. 33. *Infideles quidem contra voluntatem DEI faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno, & summo bono, malisque poenabilibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.*

Pariter S. Thomas 1. part. quæst. 19. art. 6. in corp. ait. *Unde, quod recedere videtur à Divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium: sicut peccator, qui, quantum est in se, recedit à Divina voluntate peccando, incidit in ordinem Divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.* Neque ea, quæ docet 1. part. quæst. 22. a. 2. his opponuntur: nam in corpore dicit, *omnia debere esse à DEO ordinata in finem.* & ad primum tantum docet, quod nihil possit exire ordinem causæ universalis: intellige omnem; licet enim possit exire unum ordinem, recidit in alium.

613. Ob. 1. Aliæ perfectiones Divinæ involvunt tantum unum actum, pertinentem ad unam potentiam, e. g. misericordia actum voluntatis, omniscientia actum intellectus: ergo etiam providentia non involvit duplicem. Conf. DEUS tantum permittit peccata, non ordinat, aut dirigit creaturas ad illa: ergo vel malè definitur providentia, vel ea non datur circa peccata. Resp. neg. ant. Autoritas DEI loquens in ordine ad fidem est perfectio Divina, consistens tam in infallibilitate in cognoscendo, quæ spectat ad intellectum, quam in veracitate in dicendo, quæ spectat ad voluntatem.

Ad conf. dist. ant. DEUS non ordinat, aut ira dirigit peccata, ut committantur, conc. ant. non ordinat peccata commissa, aut prævisa committenda, ad suos fines. neg. ant. & conf. Si loquamur de peccatis committendis, utique DEUS ea non dirigit positive, sed tantum ea prudentissimè permittit ob suos fines, ad quos etiam dirigit actum primum, ex quo videt oritur peccatum: si autem loquimur de commissis, vel prævisis absolute committendis, DEUS ea ordinat ad magna bona, e. g. ad poenitentiam, vel ad ostendendam justitiam, aut misericordiam suam: imò aliqua absolute prævisa ordinavit ad mortem Christi, & redemptionem generis humani. Hinc nullum peccatum est DEO casuale; quia nullum existit, nisi à DEO prævisum, & permissum; neque enim casuale est, quod fit præter intentionem volentem; sed quod fit præter prævisionem, & intentionem, etiam permittentem, qualiter tamen nullum peccatum fieri potest respectu DEI.

614. Ob. 2. Mali melius habent in mundo, quam boni: ergo non datur providentia. Confir. 1. Saltem melior foret providentia, si DEUS non permitteret peccata: ergo. Confir. 2. Saltem non datur providentia de musicis, aliisque minimis rebus: ergo. Resp. neg. conf. plura vide num. 83. Ad 1. confirm. quæstionem hanc fusius examinat Ruiz tract. de providentia DEI disp. 2da sect. 4. ubi ait, perfectius

reddi universum permissio peccatorum, quam eorum omnimoda exclusio.

Mihi non vacat hoc examinare. Resp. brevius. neg. ant. quia illud est formaliter melius DEUM agere, quod hic, & nunc, vult agere; ipsa enim voluntas Divina est regula honestatis, vel bonitatis moralis: & DEUS non facit semper, quod est materialiter optimum: sed quod formaliter, sive in his circumstantiis, est optimum: cum autem sæpe aliæ circumstantiæ non adfint, optimum est, quod est conformissimum suæ voluntati: & sic se habet providentia permittens peccata. Ad 2. confirm. dist. ant. non datur providentia specialis de minimis. conc. ant. non datur universalis. neg. ant. & conf. Certè Christus Matth. 6. hanc adstruit de minimis, vide etiam num. 286.

ARTICULUS II.

An DEUS omnes homines velit salvos fieri.

615. CERTUM est, ex collectione omnium hominum plures reprobos, quam beatos futuros: & hoc desumitur ex verbis Christi Matth. 7. v. 13. *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & ardua via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam!* item Matth. 20. v. 16. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Ex collectione fidelium omnium plures salvantur, quam intereunt; quia plurimi parvuli baptizati ante usum rationis moriuntur. Ex fidelibus autem adultis plures damnari, quam salvari, existimat P. Segneri in Christiano instructo part. 1. discursu 5. ubi suam opinionem ex PP. Theologis, & ratione probat: quamvis alii benignius sentiant. Quidquid autem de hoc ultimo sit, certum saltem est, ex omnibus hominibus plures damnari; unde oritur jam quæstio, an Deus omnes homines velit salvos fieri.

616. Distingui solet Divina voluntas à Theologis variè, quæ tamen omnes distinctiones, ex principiis superius positis, non nisi formales intelligi debent. Itaque alia dicitur in DEO voluntas antecedens, alia consequens. Illa, ut hic accipitur, est, ut ita dicam, elicita à DEO, motu proprio, non præsupponendo aliquam determinationem creaturæ, atque est formalitas volitionis, ab homine inimpedibilis; quia, licet possit homo facere, ut DEUS habeat aliud realiter decretum, non potest facere, ut habeat aliud, etiam quoad omnes formalitates diversum, ut dictum jam num. 558. Altera est, quæ præsupponit aliquam determinationem creaturæ. Secundò aliqua voluntas dicitur *efficax effectivè: sed inefficax effectivè*: hoc est, quæ, quantum est in se, sincère, & seriò vult aliquid, adeò, ut pet ipsam non stet, quò minus res fiat, quamvis hæc possit aliunde impediri. Alia est *efficax tam effectivè, quam effectivè*: & hæc est, quando effectus, sui res volita, absolute subsequitur.

Tertiò. Aliqua voluntas dicitur *voluntatis signi*, alia *voluntas beneplaciti*, de qua divisione S. Thomas 1. part. quæst. 19. art. 12. & 12. & fu-

An DEUS omnes homines velit salvos fieri.

sius adhuc Ruiz de voluntate DEI disp. 17. & 18. Voluntas beneplaciti est verè volitio DEO intrinseca, qua DEUS vult objectum: voluntas signi non est volitio, sed tantum signum volitionis, DEO extrinseca, ut ait Ruiz cit. disp. 17. sect. 1. solent autem cum S. Thoma cit. a 12. statui signa quinque, *præceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio*, quæ complectitur antiquos vericulus: *Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.* Hæc voluntas signi non semper est conjuncta cum voluntate beneplaciti. Sic DEUS præcepit Abraham, ut immolaret Isaacum, quem tamen absolute noluit occidi. Sic juxta multos PP. citatos à Ruiz loco modo cit. Christus prohibuit cæcis, ne vulgarent miracula, non tamen absolute voluit omitti vulgationem; sed tantum præbere exemplum, ut, quantum in nobis est, fugiamus laudes humanas. Solet tamen cum voluntate signi esse conjuncta aliqua saltem voluntas beneplaciti: e. g. voluit DEUS non quidem mortem Isaac, sed tamen obedientiam Abraham, iter, & reliquam preparationem &c. plura vide apud Ruiz cit. loc.

617. Dico. DEUS voluntate antecedenti, non puri signi, sed beneplaciti, vult omnes homines salvos fieri. ita de facto omnes boni Catholicis. Prob. primò. 1. ad Tim. 2. v. 1. Apostolus ait: *Obsecro ergo tur primam omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate; hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; unus enim DEUS, unus & mediator DEI, & hominum, homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsam pro omnibus.* Ex quo textu habetur primò, orandum pro omnibus, etiam tunc infidelibus Regibus, & quidem ideo; quia acceptum est DEO, volenti, omnes homines salvos fieri: ergo etiam illos vult salvos fieri. Secundò, DEUM velle omnes salvos, etiam infideles, qui nondum ad agnitionem veritatis venerunt. Tertiò, Christum se obtulisse pro omnibus, non tantum fidelibus, sed etiam infidelibus, pro quibus scilicet Apostolus vult orari.

Rursus Matth. 18. v. 14. post parabolam ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut peccat unus de pusillis istis. 1. Joan. 2. v. 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* 2. ad Corinthios 5. v. 14. *Unus pro omnibus mortuus est. 1. Timoth. 4. v. 10. Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Ex quibus textibus habetur 1. nolle DEUM perire etiam pusillos, seu minimos, 2. Christum advocatum etiam esse peccatorum, & quidem mortuum in propitiationem omnium peccatorum totius mundi, adeoque pro peccatoribus omnibus. 3. Fundem esse Salvatorem omnium hominum, non tantum fidelium, quamvis hos magis redemerit in hoc sensu, quòd copiosiores eis gratias meritis sit.

Jam, si Christus pro omnibus mortuus est, vult, quantum est in se, omnes salvos fieri;

quæ enim sincerior posset esse volitio alicujus rei, quam si quis pro illa fundat sanguinem. Certè ipse Christus ait Joan. 15. v. 13. *Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Si Pater æternus voluit pro omnibus tradere filium, quanto magis voluit omnibus dare vitam æternam, quæ est aliquid longè minus? Sic enim argumentatur Apostolus ad Rom. 8. v. 32. dicens: *Qui etiam proprii filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Hinc etiam S. Augustinus serm. 109. de tempore c. 9. propius à finem concludit. *Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire, quos emit. Non emit, quos perdat, sed emit, quos vivificet.*

618. Prob. conclusio secundò. Tridentinum sess. 6. c. 3. expressè docet, Christum etiam mortuum esse pro iis, qui non recipiunt beneficium mortis ejus, hoc est, qui non justificantur: & cap. secundo præmiserat: *Hunc proposuit DEUS propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Innocentius X. in superdammavit hanc propositionem quintam Jansenii: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse, & Alexander VIII. inter 31. hanc quartam: Dedit semetipsum pro nobis oblationem DEO, non pro solum electis, sed pro omnibus, & pro solis fidelibus, & quintam. Pagani, Judæi, hæretici, alique hujus generis nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum: adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficiente.* Similia docent passim Concilia alia: quin tota Ecclesia die veneris sancto sic orat: *Omnipotens sempiterna DEUS, qui salvas omnes, & æternam eis perire &c.*

619. Consentient SS. PP. S. Leo Sermonè 11. de passione ait: *Mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset etiam hic Judas consequi remedium, si non fessisset ad laqueum.* S. Ambrosius in psal. 118. a 1 v. 64. *Mysticus autem Sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit.* S. August. 1. de spiritu. & lit. cap. 33. ait: *Vult autem DEUS, omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium &c.* Quod autem Jansenius dicere fertur, hunc textum à S. Augustino non ex sua mente positum, sed tanquam objectionem Pelagianorum, est omnino falsum, ut patebit ad oculum cuique legenti. Quando idem Irenæus dicit, eum librum tacite à S. Augustino retractatum, est iterum falsum; nam libro Retractationum facit mentionem hujus libri, & nihil aliud corrigi, nisi unicum voculam: *escorum ceremoniam*: quam ait non esse in usu Scripturam.

Rursus idem S. Doctor ad articulos sibi falsè impositos, vel ejus nomine S. Prosper ad capitula Gallorum, seu objection. Vincentian. ad artic. 2. ait: *Remota ergo hac discretione, (hoc est, justorum à reprobis per hoc, quòd illis det gratias prævisas congruas, istis tantum sufficientes) quam Divina scientia intra secretum justitiæ sue continet, sincerissimè credendum est, atque profutendum, DEUM velle, ut omnes homines salvi fiant, sicutdem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissimè præcavit.*

præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut DEO pro omnibus hominibus supplicetur. Item ad art. 7. § 14. ait, DEUM neminem deserere, nisi ab ipso prius deseratur. Iterum enarratione in psalm. 95. ait. Totum mundum iudicare habet; quia pro toto pretium dedit. Item explanatione in psalm. 68. p. 2. post medium de Juda ait: Nec agnovit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.

Idem S. Doctor serm. 4. de Sanctis: Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat, & providebat omnes inimicos, sed multos ex illis futuros amicos providebat: ideo omnibus veniam postulabat. Et l. 2. de symbolo ad Catechumenos c. 8. inducit Christum iudicem sic alloquentem reprobos: Videtis vulnera, quæ inflixistis: agnoscitis latus, quod pupugistis: quoniam & per vos, & propter vos apertum est: nec tamen intrare voluistis. Quando autem addit. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei: sed dicit à me &c. loquitur de redemptione quoad efficaciam; tum quia alias sibi manifestè contradiceret; tum quia post pauca subiungit: Festinet unusquisque, cum vivit, ut vivat: curvat, ut ejus pretioso sanguine redimatur, ne, cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum.

Iterum S. Augustinus contra Julianum Pelagianum l. 6. c. 4. inuicans illud 2. Corinth. 5. v. 14. Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. subiungit: Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligatur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Indigna esset hæc illatio S. Paulo Apostolo, & S. Augustino: unus pro omnibus electis, aut fidelibus mortuus est: ergo omnes omnino homines mortui sunt: ut ergo digna tantis autoribus illatio sit, manifestè in antecedenti debet illud pro omnibus intelligi de omnibus omnino hominibus. Similia habent passim S. Anselmus, S. Fulgentius, S. Prosper de vocat. gent. l. 2. c. 1. § c. 19. apud Cardinalem Sfondratum in Noto prædestinationis soluto p. 1. n. 3. præsertim hanc veritatem confirmant Patres Græci, quos, dum Janfenius ait, in hoc excessisse, injuriam eis infert, quam eisdem olim intulit Calvinus l. 2. institutionum c. 2. S. Thomas variis locis apertissime hæc eadem docet, præsertim lect. 1. in 1. a. Thimoth. 2. item lect. 3. in epist. ad Hebr. cap. 12. item l. 3. contra Gentiles c. 159. § alibi.

620. Prob. conclusio etiam ratione. Sententia opposita tollit fundamentum spei Christianæ: ergo est falsa. prob. ant. Si non sum certus, quod DEUS, quantum est in ipso, velit me salvum, non possum firmissimè sperare ab eo auxilia necessaria ad salutem, consequenter neque hanc ipsam: præsertim, cum plures damnentur, adeoque pro pluribus Christus mortuus non sit, aut auxilia necessaria meritis, & ego facilius possum esse inter plures, quam inter pauciores: ergo. Conf. DEUS plurima media adhiberet ad finem, quem non intenderet, quod esset imprudens: ergo. prob. ant. Omnibus hominibus dat Angelos custodes, omnibus inspirationes internas, & occasiones bonas externas, omnibus instituit Sacramenta, omnibus proposuit præcepta, consilia, exempla &c. verbo: omnibus dat media tam multa, ut dicere possit Isaia 5. v. 4. Quid est, quod debui ultra facere vineæ mee, & non feci? Nec dicas, per vineam

illam intelligi solos electos; est enim falsum; cum DEUS addat, eam tulisse labruscas, & à se destruendam.

621. Respondetur ex Janfenio 1. DEUM dare quidem omnibus gratias externas, & velle omnibus salutem in mediis, at non in se ipsa; voluntate signi, non beneplaciti: hanc autem voluntatem beneplaciti in DEO non dari ideo, ut DEUS possit, non tantum ostendere misericordiam, sed etiam justitiam, & facere vasa iræ, non tantum vasa honoris. Hæc responsio clarè tollit fundamentum spei nostræ: quid enim profunt media ista, si DEUS efficacis, & inimpeabili decreto me excludit à bono eorum usu? quid prodest voluntas signi? quis credat, DEUM crucifigi voluisse, ut habeamus signum, quasi nos salvare voluisset; cum reverà noluerit? Quod spectat ad justitiam vindictivam, hæc non exigit manifestari voluntate antecedente, sed tantum consequente, ex suppositione peccati; hinc Ecclesiastici 15. v. 12. dicitur. Non enim necessarij sunt ei DEO homines impij. Non indiget DEUS ad manifestandam gloriam suam reprobationis decreto antecedenti: potest enim DEUS justitiam ostendere præmiando. Aliud est, si homines sponte sua peccent, tum enim decet, ut DEUS aliquando pœnas infligat.

622. Respondetur 2. textum S. Pauli citatum n. 617. posse explicari de voluntate DEI antecedente peccatum Adami; si enim hic non peccasset, DEUS omnes homines salvari voluisset; at nunc non vult. Sed hoc est profus falsum; nam Apostolus hortatur homines ad orandum in statu naturæ lapsæ. Dein Apostolus ait, DEUM velle omnes salvos, pro quibus Christus se dedit redemptionem pro hominibus, nisi post peccatum, ut est clarum.

Respondetur 3. posse verba illa tripliciter exponi, primo, ut sensus sit: omnes, qui salvantur, eos DEUS vult salvos: sicut (quod est exemplum S. Augustini de natura, & gratia c. 41.) dicitur de Magistro literarum in urbe: Iste omnes docet: hoc est: quicumque in hac urbe docentur, ab illo docentur, quamvis non omnes doceantur. Secundò, ut sensus se extendat, non ad singulos generum, sed ad genera singulorum, hoc est, ut DEUS non velit, quemlibet hominem in individuo salvari, sed tantum aliquot ex quolibet hominum genere, ex Regibus, Ducibus, plebeis, Laicis, Clericis &c. sicut dicitur: omne animal fuit in arca Noë: hoc est, ex omni genere, vel specie aliquid. Tertio, ut sensus sit metaphoricus, sive, quod DEUS habeat tantum voluntatem signi, non beneplaciti.

De ultimo jam diximus num. 621. duo autem priores sensus rejiciuntur merito ex eo, quod verba Scripturæ sumi debeant, ut jacent, nisi aut ratio gravissima, aut autoritas, nos aliud facere cogat: cum e contra in nostro casu, & ratio, & autoritas Pontificum, Conciliorum, & Patrum nos cogat, ea verba accipere in sensu omnino universalis: ipsaque ratio in textu addita non patiat talem restrictionem, ut observatum num. 617.

623. Dicunt. Tamen S. Augustinus modò citatus hunc textum explicat in distributione ac-

commoda. Idem in enchyrid. c. 103. exponit illum de generibus singulorum, non de singulis generum: quod etiam facit de corrept. § grat. cap. 14. Hic est lapis offensiois Janfenitarum. Sciendum, secundum S. Augustinum, textum hunc Apostoli diversimodè exponi posse; sic enim habet de corrept. § grat. cap. 14. Quod scriptum est, quod vult omnes homines salvos fieri, nec tamen omnes salvi sunt, multis quidem modis intelligi potest: ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos commemoravimus. Subiungit dein explanationem textus de solis prædestinationis, inter quos, ait, reperiri omne genus hominum, scilicet genera singulorum. Iterum epist. 107. post medium quasi in 4. p. ita habet de his Apostoli verbis: Ideo dictum est; quia omnes, qui salvi sunt, nisi ipso volente non sunt, & si quo alio modo illa verba Apostoli intelligi possunt, ut tamen hæc apertissime veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, sed nolente DEO, salvos non fieri, contraria esse non possint.

Cum autem locis citatis num. 619. S. Augustinus eundem textum absolute universaliter exponat, debent etiam alia ejus verba ita explicari, ne sibi, aut aliis Patribus, vel Ecclesiæ doctrinæ contradicant. Hoc fiet; si dicamus, quod, quando absolute universaliter loquitur, intelligendus sit de voluntate antecedenti: quando autem aliquos excludit, intelligendus sit de voluntate consequenti. Et ratio ulterior hujus expositionis est, quod, quando S. D. aliquos excludit, loquatur de voluntate etiam effective efficaci, cujus objectum necessariò sit: sed, quæ jam scientiam de actione creaturæ præsupponit; nam in enchyrid. c. 102. antequam textum Apostoli contrahat ad genera singulorum, ei applicat illud Psalmi 113. Omnia, quæcumque voluit, fecit. Et talis etiam est voluntas illa, qua DEUS infideles, contra suam antecedentem voluntatem non credentes, vult damnari, de qua num. 612.

Præter hanc autem admittit etiam Augustinus voluntatem DEI, cui homo possit resistere; nam ejusdem enchyridi cap. 100. de malis ait: Quantum enim ad ipsos attinet, quod DEUS noluit, fecerunt. Idem patet ex textu cit. num. 612. Et hæc est voluntas antecedens, de qua hac loquitur, quando omnino salutem DEUM velle, asserit. Quod autem Divus Augustinus uti tunc voluerit hac expositione restricta hujus textus, rationem dat Cardinalis Sfondratus in suo nodo soluto p. 1. num. 17. quia hæc expositio apta erat refellendis Pelagianis, quibuscum agebat; cum enim isti dicerent: si viribus naturæ non possumus acquirere beatitudinem, DEUS non vult homines salvari: hoc argumentum istorum hæreticorum expeditissime refellebatur, negando, DEUM omnes homines salvos velle: intellige, voluntate consequenti.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

624. O B. I. Christus Joan. 17. v. 9. ait ad Patrem: Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo: sed pro his, R. P. Ant. Mayi Theol. Tom. I.

quos dedisti mihi; quia tui sunt: ergo tantum rogavit Christus pro prædestinatis. Conf. Matth. 26. v. 28. Christus ait: Hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur: ergo non pro omnibus Christus sanguinem fudit, sed tantum pro fidelibus, qui sunt multi. Resp. has illationes dudum damnatas fuisse à Pontificibus. In forma neg. conf. licet enim Christus ibi non oraverit pro omnibus specialiter illa oratione, quam ibi fudit; tamen pro omnibus oravit alibi, & expressè in cruce, ut testatur S. Augustinus cit. num. 619. Ad conf. neg. conf. Omnes etiam sunt multi: quamvis hoc concedi possit, Christum orasse tantum pro multis specialiter, ut dentur illis gratiæ efficaces; cum aliis tantum impetraverit sufficientes.

625. Ob. 2. S. Paulus ad Rom. 9. v. 19. dicit: Voluntati enim ejus quis resistit? ergo, si DEUS omnes vellet salvos, omnes deberent salvari. Conf. ibidem dicitur. v. 16. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI: ergo, quamvis homines velint, non possunt omnes salvari, Resp. Actor 7. v. 51. etiam dicitur: Vos semper Spiritui Sancto resistitis. In forma dist. conf. si DEUS vellet voluntate etiam consequente, omnes salvari, conf. conf. si tantum velit voluntate antecedente, neg. conf. Ad conf. neg. conf. Verba illa significant, quod sine gratia nihil possumus facere conducentes ad vitam æternam, adeoque salus nostra sit à DEO, & non à nobis.

Quamvis autem cooperemur gratiæ, tamen hæc cooperatio respectu illius, quod facit DEUS, est quasi nihil: cui accedit, quod etiam ipsa cooperatio nostra sit ex gratia DEI, nos elevante: adeoque DEO longè magis attribuenda sunt actiones nostræ bonæ, quam nobis. Rectè tamen advertit Sfondratus in nodo soluto p. 1. num. 20. non longè ab initio. quod, cum Hebræi careant comparativis, sæpe, quod dicere vult, minus esse, dicant esse: nihil. sic etiam 1. Corinth. 3. v. 7. dicitur: Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEUS: cum tamen etiam plantans, & rigans aliquid sit, quamvis aliquid longè minus. sed hæc ad tract. de Gratia spectant.

626. Dices. Ad Rom. cap. 9. v. 13. dicitur in persona DEI: Jacob dilexi: Esau autem odio habui: ergo non omnes homines diligit DEUS, adeoque nec vult salvos. Resp. 1. Sfondratus docet, per odium tantum intelligi minorem amorem, eo quod Hebræi careant comparativis: idque probat variis aliis exemplis ex Scriptura petitis. Sic Matth. 5. v. 43. Odio habebis inimicum tuum. Luc. 14. v. 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem &c. Secundò, textus hic literaliter loquitur tantum de bonis temporalibus, quæ majora accepit Jacob; sic enim habetur Malach. 1. v. 3. ex quo Apostolus ea verba desumpsit: Dilexi Jacob: Esau autem odio habui; & posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti: quæ dein Apostolus transfert ad sensum mysticum.

Tertio, cum textus ille loquatur, non de sola persona Jacobi, & Esau, sed de eorum posteritate, non videtur posse dici, quod in sensu adversariorum DEUS omnes posteros Esau oderit; cum inter eos fuerit S. Job: nec totam posteritatem Jacob dilexerit; cum ex hac plurimi sint



sint damnati. Si tamen dicas, etiam juxta nostrum sensum non posse ea verba omnino universaliter accipi de tota posteritate, adeoque omnino contendas, Esau ita odio habitum, ut fuerit reprobatus, id factum est voluntate consequenti, non antecedenti; quia & huic antecederet DEUS voluit salutem, quam acquirere potuisset, si voluisset. Audi S. Augustinum l. 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit: sed etsi voluisset, & cucurrisset, DEI adjutorio pervenisset: qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

627. Ob. 3. S. August. epist. 102. ad Evodiam scribit: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus: ergo non pro omnibus mortuus est.* Conf. S. Fulgentius de Incarn. cap. 29. ait: *Illud verò Apostolicum, ubi dicitur de DEO: Qui vult omnes homines salvos fieri &c. non sicut oportet, intelligunt, qui hanc DEI voluntatem sicut in vasis misericordie, sic & in vasis ire accipiendam existimant:* ergo vasa iræ, sive reprobos, DEUS non vult salvari. Resp. S. Augustinus ea pauca verba vix non incidenter in longè alia quæstione inserit, quæ alibi dictis contraria esse non debent: unde dist. conf. Christus non est mortuus pro omnibus, offerendo pro ipsis mortem ad impetranda auxilia efficacia. conc. conf. ad impetranda media sufficientia. neg. conf. Ad conf. neg. conf. tantum sequitur ex textu, quod DEUS non velit reprobos salvos, sicut electos; hos enim vult salvos etiam voluntate consequenti, illos tantum voluntate antecedenti.

628. Ob. 4. Sicut DEUS habet voluntatem conditionatam omnes salvandi, sic habet voluntatem conditionatam omnes damnandi: ergo nihil speciale ponitur in DEO per voluntatem illam antecedentem. Conf. S. Thomas ait: *voluntatem antecedentem esse magis velleitatem, quam voluntatem: sed in DEO non potest dari velleitas:* ergo. Resp. dist. ant. DEUS habet voluntatem damnandi cum eodem modo tendendi, neg. ant. cum alio modo tendendi. conc. ant. & neg. conf. DEUS ita conditionatè vult homines salvos, ut etiam cupiat poni conditionem, sub qua salvet, id est, vult nostram cooperationem, eam suadet, præcipit &c. at vult conditionatè reprobare, ita ut nolit poni conditionem, eamque prohibeat: unde voluntas Divina longè aliter affecta est ad salutem, quam ad damnationem. Ad conf. dist. maj. & S. Thomas per velleitatem intelligit sinceram voluntatem, quamvis non effectivè efficacem, conc. maj. secus. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf.

629. Ob. 5. Sicut in statu innocentie, ubi nulla fuissent peccata, nulla fuissent decreta supplicia: sic in statu naturæ lapsæ, ubi dantur peccata, debent aliquibus decerni supplicia: sed istos DEUS non vult salvos: & hinc verificatur illud Psalm. 100. v. 1. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine:* ergo. Confitem. Statui innocentie tantum fuit propria gratia, non autem statui naturæ lapsæ: ergo in hoc non datur omnibus gratia sufficiens. Resp. omisso, quod in statu innocentie nulla omnino fuissent peccata; (quia, quamvis Adam non peccasset,

adeoque homines cum originali justitia nati fuissent, tamen alii potuissent peccare) dist. 2dam partem maj. debent aliquibus decerni supplicia antecedenter. neg. maj. consequenter ad prævisionem eorum peccata. conc. maj. & pariter dist. min. & conf. Ad confirm. neg. conf. quamvis enim gratia non fit propria, seu debita huic statui, tamen potuit DEUS eam dare ex misericordia, atque ex meritis Christi Domini: quodque de facto dare voluerit, infertur efficaciter ex nostris rationibus.

630. Ob. 6. Multæ gentes barbaræ videntur à DEO neglectæ sine omni auxilio sufficienti: ergo. Confitem. DEUS dicitur, aliquos indurare, excæcare, deserere: ergo his non dat auxilia sufficientia &c. Resp. neg. ant. Omnes homines habent gratiam, vel proximè, vel saltem remotè sufficientem, ut constet ex propositionibus damnatis cit. num. 618. itémque ex dictis num. 620. Sed etiam ex historici habetur, ubique ferè fuisse legis Divinæ Doctores, & aliqua vestigia veræ religionis. Saltem si barbari illi fecissent, quod erat in ipsis, DEUS ipsos non deseruisset.

Ad confirm. dist. ant. DEUS dicitur indurare aliquos voluntate antecedente. neg. ant. consequente. subdist. indurare positivè. neg. negativè, seu permissivè. conc. ant. & neg. conf. S. August. l. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ita ait. *Ut obduratio DEI sit nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior; sed tantum, quo sit melior, non erogetur.* Ibidem paulò inferius: *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quosdam; quia non eorum miseretur: non quia impedit, ut peccent.* Sed hæc aliò spectant.

631. Ob. 7. Saltem parvulos, qui moriuntur in utero materno, vel ante baptismum, DEUS, etiam voluntate antecedente, non voluit salvos: ergo non omnes homines. ant. prob. isti non habent ullum medium salutis: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. isti non habent medium, ipsis immediatè collatum. conc. ant. collatum aliis in bonum ipsorum. neg. ant. & conf. Parvuli, cum nondum sint capaces rationis, neque sunt capaces gratiæ, seu illustrationis supernaturalis: igitur auxilium non datur immediatè ipsis, sed aliis, scilicet parentibus, curatoribus &c. ita S. Prosper l. 2. de vocat. gent. in titulo capituli 23. dicens: *Parvulis pereuntibus generalis gratia tribuitur, dum ea parentibus datur.* Si jam parentes, vel curatores gratias illas negligant, vel etiam absque culpa iis uti omittunt, vel etiam per causas naturales ab iis impediuntur, jam DEO imputari non potest parvulorum interitus; quippe is fecit, quantum ex sua parte potuit exigere: quin ut auctor naturæ universalis non debet hujus cursui, ac ordini, nimis frequenter sese opponere.

Dices. DEUS sæpe inspirat aliquid matri, ex quo mortem infantis in utero securaturam prævidit: ergo talem infantem non vult salvum. ant. prob. DEUS e. g. inspirat matri ingressum in templum, cujus dein ruit fornix, & matrem cum prole occidit. Resp. dist. ant. DEUS inspirat tale aliquid, si mors jam aliunde securata esset. conc. ant. secus. neg. ant. & conf. ad prob. dist. eadem modo ant. & neg. conf. Si jam infans aliunde, ex alia

causa, v. g. ex universali terræ motu, esset moriturus, DEUS inspirare potest matri talem ingressum, ut ipsa hoc pium opus faciat. At, si infans aliàs non esset moriturus in utero, DEUS hoc non inspirat matri, quamvis faminae aliquando sibi falsò imaginentur, quod à DEO ad aliquid incitentur.

632. Ob. ultimò. Si DEUS vult omnes homines salvos, cur igitur non dat omnibus gratias efficaces? qui enim seriò aliquid vult, facit omnia, quæ potest: & si habeat medium certum illud obtinendi, non omittit hoc adhibere. Hæc obiectio duo tangit. Primum est, an DEUS possit seriò velle omnium salutem, quamvis non omnibus det gratias efficaces. Secundum, cur uni præ alio det gratias efficaces. Ad 1. dico, DEUM tamen efficaciter affectivè, licet non effectivè, velle omnium salutem; licet enim voluntas effectivè efficacis determinet ad omnia profus media adhibenda, non ita determinat voluntas tantum efficacis affectivè; nam etiam seriò dicimur velle ea, in ordine, ad quæ tantum facimus, ut non possit nobis imputari, si res non fiat: quamvis non omnia, quæ possemus, faciamus. Sic pater seriò vult filii sui in literis profectum, si ei de libris, ac Magistro provideat, quamvis eum non aliò mittat, etsi ibi spes major esset hauriendæ doctrinæ: & nos omnes seriò volumus olim esse beati, quamvis non omnia, etiam utilissima, media adhibere velimus, modò necessariis utamur.

Ad secundum repono cum SS. PP. illud Apostoli ad Roman. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus! quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Addo dictum S. Augustini de spirit. & lit. c. 34. *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam non coarctet: cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! & Nunquid iniquitas apud DEUM? Cui responso ista displicet, querat doctiores, sed caveat, ne inveniat presumptores.* Et tract. 26. in Joannem non longè à principio. *Quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige: si non traberis, ora, ut traharis.**

QUÆSTIO III.

De Providentia DEI in Specie.

ARTICULUS I.

Quid sit prædestinatio, & an detur ante merita conditionatè prævisa.

633. **P**ARS providentiæ est prædestinatio, ut tradit S. Thomas 1. part. quæst. 23. art. 1. in corp. Hæc autem, prout restringitur ad homines post peccatum originale, definitur à S. August. l. 2. de bono perseverantia c. 14. *Præscientia, & preparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Unde prædestinatio involvit actum intellectus, scilicet præscientiam: & a-

ctum voluntatis, scilicet præparationem beneficiorum, seu ordinationem gratiarum. Quando autem in Scripturis prædestinatio videtur reduci ad voluntatem, consideratur tantum inadæquatè, seu ut libera; nam adæquatè considerata, seu ut prudens, & libera electio, utique involvit etiam actum intellectus.

Quæritur jam, an actus intellectus prærequisitus ad prædestinationem, inadæquatè sumptam pro acta voluntatis, seu de qua liberandi à malis, aut beatificandi, & quidem ob merita, sit tantum actus scientiæ simplicis intelligentiæ, vel an requiratur etiam scientia media de meritis conditionatè, vel etiam scientia visionis de iisdem absolute futuris. Quod attinet ad scientiam visionis, postea agemus, modò autem de scientia media.

P. Nicolaus Martinez, & post eum aliqui Recentiores, defendunt, posse DEUM post scientiam simplicis intelligentiæ, ante scientiam mediam, hominem prædestinare ad gloriam, tanquam coronam, vel etiam actum bonum prædefinire: quod tamen pluribus modis potest exponi. 1. ut DEUS antecedenter ad scientiam mediam ita decernat: *Volo Petrum salvum, vel liberè, & per merita, si ipse liberè bene agat: vel necessario, & sine meritis, si nolit liberè bene agere.* At hoc decretum non datur in hac providentia, saltem circa eos, quibus usus rationis conceditur (quidquid sit, an DEUS aliquos non finat pervenire ad usum rationis; quia prævidit eà malè usuros, ut verificetur de iis illud: *Raptus est &c.* quod ipsum tamen sine scientia media explicari non potest) DEUS enim nullam rationis capacem vult salvare sine actu libero, seu merito: alii autem carentes usu rationis non ob merita propria prædestinantur. 2. Ut DEUS præscientiam mediam videro eum liberè consensurum. 3. Ut DEUS sic tendat: *Volo eum salvum, vel per hunc, vel per illum actum, quem ipse liberè elegerit.*

634. Dico. DEUS non potest habere ullum tale decretum antecedens scientiam mediam. Prob. conclusio. 1. Datur tantum unicuique decretum virtualiter indivisibile, supponens scientiam mediam, ut probatum à n. 557. ergo non datur alterum, antecedens scientiam mediam, quod ex hoc ipso capite differret in aliquo prædicato intrinseco, & virtualiter distinguere-tur. Conf. I. DEUS nihil potest determinare, nisi plenissimè pro priori comprehendat omnes eventus ex illa re secuturos, ut probatum n. 558. ergo nihil potest determinare ante scientiam mediam.

Probatur Conclusio 2. Hoc decretum, quocunque in sensu ex adductis sumatur, non stat cum ea libertate, quam in hæc providentia homines, saltem ordinariè, habent: ergo in hoc decreto non potest stare prædestinatio universalis, & ordinaria: ergo nulla; nec enim dici potest, quod DEUS B. Virginem, vel adhuc unum, aut alterum Sanctum speciale prædestinatione, & quidem virtualiter distincta, ac novum mysterium involvente, elegerit; quia profus gravis id diceretur; cum potuerit DEUS per eandem reatibit universalem prædestinationem, modò habeat specialem aliquam formalitatem, eos specialiter

cialiter eligere: adeoque gratis, & incongruè novum mysterium admitteretur.

635. Prob. jam ant. Libertas, quam homines in hac providentia, saltem ordinariè, habent, est non tantùm ad modum acquirendi salutem, sed etiam ad ipsam salutem: atqui, posito illo decreto, homines non ampliùs sunt liberi ad ipsam salutem, sed tantùm ad modum, ut scilicet eam acquirant potiùs per hæc, quàm per alia media, aut merita: ergo, maj. habetur ex Scripturis, & Patribus, dicentibus, in hominis potestate esse vitam, & mortem, hoc est; supposità gratià salvari, aut damnari.

Sic omnes exponunt illud *Deutr. 30. v. 19. Testes invoco hodie cælum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem: Elige ergo vitam.* & illud *Ecl. 15. v. 14. DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata, & præcepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te. . . . Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum.* An autem B, V. vel unus, aut alter alius Sanctus, tantùm habuerit libertatem ad modum; non verò ad ipsam salutem, ita, ut non potuerit impedire formalitatem decreti, volentis ipsi salutem, non est quæstio hujus loci: quamvis difficulter probaretur assertio affirmativa.

Prob. jam min. Decretum independens à scientia media esset inimpedibile ab homine; quia homo non potest impedire decretum, nisi, quatenus potest impedire scientiam mediam: insuper esset essentialiter connexum cum salute, vel beatitudine; quia per decretum prædefinitivum, uti & per prædestinativum, intelligitur decretum efficaciter intentivum, sive gloriæ, sive actûs boni, & consequenter necessariò post se trahens objectum prædefinitum: ergo tale decretum inimpedibiliter esset connexum cum salute hominis, eamque necessitate inimpedibili post se traheret: adeoque talis homo non esset liber ad ipsam salutem, sed ad summum ad hoc, uteam per hunc, vel illum actum acquirat.

Sicut, (quod est exemplum P. Gormaz) si quis damnaretur ad mortem, sed relinquere-tur ei optio, ut fune, vel gladio, aqua, vel igne, scilicet, vel ense &c. pro libitu posset mori: vel, si certissimè projiciendus ex fenestris haberet optionem, ut per quamcunque vellet ex innumeris, & non per aliam, projiceretur: talis non esset liber ad mortem simpliciter, sed tantùm secundùm quid, seu ad modum mortis.

636. Confirm. Taliter prædestinatus in fine vitæ non esset liber ad actum graviter peccaminosum eliciendum, vel in priùs electo habitu-aliter perseverandum; nam saltem pro eo casu decretum illud esset impedimentum determinatum, & inimpedibile actûs graviter mali, ut patet dependenti: atqui homo etiam tunc, quamdiu est rationis capax, debet ordinariè esse liber ad peccandum: ergo, Si quis fortè diceret, quòd etiam tunc posset talis homo male agere; sed DEUS deberet ei prorogare vitam, ut iterum poenitentiam ageret: inprimis non satisfieret difficultati, & rediret quæstio de secundo articulo mortis, ac de tertio, ut patet consideranti. Dein deberet admitti, quòd hac ratione esset in potestate hominis impedire suam mor-

tem pro libitu: quod est contra communem persuasionem Doctorum, & Patrum, qui à plenissima libertate DEI nostram vitam pendere supponunt.

Rursus, hac ratione deberet salus hominum prædestinatorum non esse alligata ullis mediis determinatis, sed DEUS esse illimitatè paratus ad danda semper alia, & alia media, donec homo alicui consentiat. Hoc autem infra ob graves rationes negabimus: ex quo ipso capite efficaciter etiam impugnari potest decretum P. Martinez. Ex hæctenus autem dictis habetur, multò magis repugnare decreto antecedens scientiam mediam, & prædefiniens actum aliquem determinatè acceptum; quia tunc nulla prorsus libertas ad talem actum daretur.

637. Quæres, an in hac providentia aliqui salventur sine prædestinatione formali; nam, ut diximus num. 605. nec prædefinitio, nec etiam prædestinatio formalis, necessaria est causis secundis ad agendum, necessitate se tenente ex parte istarum causarum; quamvis prædefinitio videatur necessaria ex parte DEI. Resp. primò, esse fide certum, quòd detur aliqua prædestinatio formalis: quod habetur ex illo ad *Roman. 8. v. 29. Quos præcivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui.* item *act. 13. v. 48. Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Hinc S. Prosper ad *cap. Gall. resp. 1. ait: Prædestinationis autem fides multa sanctorum auctoritate Scripturarum munita est.*

Resp. secundò, etiam certissimum esse, quòd in hac providentia nemo salvetur sine prædestinatione formali. Sic S. Fulgenius *l. de fide ad Petrum (qui habetur inter opera S. Augustini tom. 3.) c. 35. ait. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, nec ququam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari.* Alii quoque Patres, atque Concilia docent, ad vitam æternam præcedere præordinationem ad illam, & hinc universaliter accipitur illud ad *Ephes. 1. v. 5. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ: itémque illud ad Rom. 8. v. 28. Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.* Et sanè, si per prædestinationem intelligitur decretum efficax collativum gloriæ, implicat, hominem sine tali decreto salvari: si autem etiam intelligitur preparatio, & collatio gratiarum in ordine ad conferendam gloriam, hæc semper datur in hac providentia, videturque necessaria ex parte DEI, quamvis non necessaria sit ex parte hominis, ut dictum.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

638. **O**B. 1. Decretum antecedens scientiam mediam non constituit actum primum proximum, sed tantùm remotum, & relinquit omnia principia indifferentia: ergo non obest libertati. Conf. 1. DEUS potest post hoc decretum videre per scientiam mediam, quòd Petrus alicui auxilio sit liberè consenturus: ergo non tollitur liber-

Quid sit prædestinatio, & an detur ante merita conditionatè prævisa.

tas, Confirm. 2. Decretum hoc esset purè intentivum, non influxivum: ergo non obest libertati. Confirm. 3. Decretum hoc penderet à scientia media: ergo esset sufficienter impeditibile. Resp. 1. Si hæc omnia omitterentur, tamen adhuc staret primaria probatio, & confirmatio adducta num. 634. Resp. 2. dist. 1. partem ant. Decretum hoc non constituit actum primum proximum expeditum. conc. ant. non constituit eum impeditum. nego ant. & conf. sicut enim catena non constituit actum primum proximum ad fugam expeditum; quia scilicet eà apposita aufertur negatio impedimenti: ita etiam istud decretum &c. dist. etiam secundam partem ant. Decretum relinquit principia indifferentia ad modum salutis. omitt. ant. ad ipsam salutem. nego. ant. & conf. Ad 1. confirm. omitt. ant. dist. conf. non tollitur libertas ad modum. omitto. conf. ad substantiam salutis. nego. conf. Ad 2. confirm. sub eadem distinct. conc. vel neg. conf. Ad 3. confirm. dist. ant. Decretum penderet à scientia media in ordine ad modum salutis. conc. ant. in ordine ad substantiam salutis. nego. ant. & conf. Explicatio harum distinctionum haberi potest ex num. 635.

639. **O**B. 2. Potest DEUS dicere: *Nolo Petro dare auxilium efficacè:* atqui hoc decretum non minus est inimpedibile, ac connexum cum uno libertatis extremo, quàm decretum superius prædefinitivum: ergo. Resp. dist. maj. potest DEUS hoc dicere ante scientiam mediam. nego. maj. post illam, & dependenter ab illa. conc. maj. & dist. sic min. nego. conf. Certè hoc decretum impediret necessariò consensum; cùmque inimpedibile esset, tolleretur libertatem.

Unde DEUS tantùm, supposità scientià medià, potest sic dicere: video quidem hæc auxilia ex determinatione Petri esse conjungenda cum dissensu, nolo tamen ipsi alia dare, sed volo dare ista: in hoc casu autem Petrus posset, si vellet, hæc ipsa auxilia conjungere cum consensu, & illud decretum permissivum impedire, ut sæpe jam diximus. Accedit, quòd decretum illud antecedens ex alio etiam capite deceat DEUM; quia determinaret ad dissensum: certè ad hunc DEUS affici videretur: præterquam, quòd nullum decretum posset antecedere scientiam mediam.

640. **O**B. 3. DEUS per scientiam simplicis intelligentiæ videt, quòd in cumulo infinitorum auxiliorum possibilium detur necessitas metaphysica vaga ad alicui liberè consentiendum: ergo potest ante scientiam mediam prædefinire aliquem actum bonum liberum, saltem inderminatè sumptum: ergo potest DEUS Petrum prædestinare per tale decretum: Volo, ut Petrus alicum actum bonum eliciat, & propter illum volo illi dare gloriam. Hanc necessitatem vagam admittunt aliqui Authores; eam negant alii, & præsertim Gormaz *de DEO à num. 894.*

Ad clariorem rei notitiam, sciendum, non intelligi cumulum auxiliorum simul collatorum; (in hoc enim non vaga, sed determinata, & à creatura insuperabilis necessitas daretur; quia impossibile est, ut creaturæ vires limitatæ superent infinita, vel certè finita sine fine auxilia,

simul collata) sed intelligi tantùm cumulum auxiliorum, quæ possint conferri seorsim ab aliis, & talia sint, ut cuilibet determinatè sumpto voluntas creata resistere possit; si enim seorsim, & determinatè sumpto resistere nequiret, utique libertas rueret. Unde tantùm quæritur, an non ex isto cumulo aliquod auxilium inderminatè sumptum possit esse necessitas, sicut, supposità implicantià infiniti, aliquis homo, inderminatè sumptus, est impossibilis.

641. Resp. 1. omitt. ant. nego. conf. quia, licet daretur illa necessitas vaga in auxiliis possibilibus, tamen illa se sola non obest libertati: sicut non obest cumulus auxiliorum necessitatum, si nullum conferatur: at, si accedat decretum inimpedibile, & essentialiter connexum, simulque conferens tale auxilium, tunc per hoc complexum tollitur libertas, saltem ad substantiam actûs, si non etiam ad circumstantias: & auxilia, quantumcumque intrinsecè indifferentia, redduntur extrinsecè determinata, ac necessitaria. Sic etiam funis, & gladius sunt intrinsecè indifferentes, & se solis non tollunt libertatem ad moriendum: at tollunt accedente iudicis sententia &c. Unde illi cumulo auxiliorum accedere non posset, stante libertate, decretum antecedens scientiam mediam, prædefiniens actum inderminatè sumptum, & aliquod ex illis auxiliis conferens: præterquam, quòd tale decretum etiam ex alio capite repugnet ex num. 634.

Responderi potest 2. nego. ant. quia valde inclino in sententiam Doctoris Eximii *l. 1. de prædestinatione cap. 7.* ubi *n. 15.* supponit, in multitudine auxiliorum non posse videri effectum necessariò futurum, atque, non implicare, ut ex tota collectione auxiliorum effectus non sequatur. Idem docet Gormaz *de DEO n. 894.* Arriaga, Marrinon, Ripalda, & teste Quirros, communis nostrorum, quòd scilicet illa vaga metaphysica necessitas non detur; nam, si applicaretur homini per decretum antecedens scientiam mediam, tolleretur libertatem: adeoque non servit ad eum finem, ad quem est excogitata, consequenter est superflua, & inutilis. Si autem detur tantùm decretum subsequens scientiam mediam, eo ipso non applicatur illa inderminata necessitas; quia ipsum decretum est impeditibile, & quodlibet auxilium conjungibile cum dissensu: præterquam, quòd nulla efficaci ratione necessitas illa probetur. Nec dicas, eam probari ex dominio DEI in actus liberos. Resp. enim, hoc dominium DEI non esse tale, ut libertati obstat, vel medià, aut impossibilia, aut inutilia adhibere queat.

642. Dices 1. Necessitas moralis, etiam vaga, unà cum decreto prædefinitivo, vel permissivo, non tollit libertatem: ergo nec necessitas metaphysica. Resp. dist. ant. necessitas moralis vaga non tollit libertatem, conjuncta cum decreto antecedente scientiam mediam. nego. ant. cum decreto subsequente, conc. ant. & nego. conf. Si decretum subsequitur, eo ipso est impeditibile: necessitas autem moralis est physice vincibilis, non autem necessitas metaphysica: unde illa stat cum libertate physica, non vero ista. Necessitas metaphysica est indivisibilis, nec potest vinci per partes; alias non esset Chi-

maricum, eam vincere. Necessitas moralis est divisibilis, potestque per partes vinci. Hinc, si e.g. necessitas metaphysica daretur in cumulo sex auxiliorum; si quis quinque fuisset dissentiens, tota necessitas devolveretur ad sextum auxilium: & huic deberet quis metaphysicè consentire. Non ita se habet necessitas moralis, quod propter utilitatem doctrinæ pluribus explicò ex Gormaz.

643. Necessitas moralis aliud non est, quam fundamentum ad prudenter judicandum, effectum in his circumstantiis existiturum: quamvis physicè impediri possit, sed non, nisi valde difficulter, & per modum agendi extraordinarium. Fundamentum hoc aliquando desumitur ab intrinseco, e.g. à pravis habitibus, inclinantibus ad malum, vel à virtutibus, inclinantibus ad bonum: sic, si videmus hominem, solum quotidie nimium bibere, prudenter judicamus, etiam hodie idem facturum. Aliquando stat fundamentum hoc in extrinseco, nimia scilicet difficultate objecti, e.g. in metu gravissimo incusso. Aliquando stat partim in intrinseco, partim in extrinseco, e.g. in intrinseca naturæ fragilitate, & tentationibus extrinsece allicientibus. Et hac ratione homo moraliter est necessitatus ad peccandum venialiter, factum aliquando, ut habet Trident. sess. 6. cap. 11. & can. 23. quippe moraliter certum est, fragilem naturam intra plures durationes, accidentibus tentationibus, semel saltem in istis venialiter lapsuram.

Sicut autem una natura fragilis, & plures durationes, dant fundamentum judicandi, illam leviter intra istas peccaturam: ita etiam plures naturæ fragiles, & una duratio, dant simile fundamentum, aliquam, saltem indeterminatè sumptam, ex his naturis intra eam durationem leviter peccaturam. Dixi unam, non omnes; quia in priori casu necessitas tangit unam determinatam naturam, intra plures durationes existentem: in hoc posteriori autem casu necessitas fundatur, non in una, sed in pluribus naturis; hinc nullam naturam determinatè sumptam tangit, aut adæquatè illam respicit; sed tantum in adæquatè quamlibet, & tantum totum cumulum naturarum adæquatè. Cum autem cumulus hominum, adæquatè sumptus, non possit esse necessitatus ad peccandum, nisi vel omnes, vel saltem aliquis ex illo peccet, debet saltem aliquis, indeterminatè sumptus peccare; cum nullus determinatè sumptus peccare debeat.

Est tamen hæc necessitas moralis etiam divisibilis, & vincibilis per partes; hinc si quis, necessitatus moraliter ad peccandum intra diem, per viginti tres horas non peccasset, ultimà horam non haberet amplius totam moralem necessitatem vincendam, sed tantum aliquam partem, quam longè facilius, & moraliter potest vincere. Et eodem modo, si ex cumulo centum hominum, intra quos datur necessitas moralis, ut aliquis indeterminatè sumptus peccet, si, inquam, nonaginta novem non peccassent, centesimus non deberet vincere totam moralem necessitatem, sed tantum centesimam partem. Neque haberetur amplius tam prudens fundamentum judicandi, quod hic centesimus esset peccaturus: quare, si etiam iste non peccaret, nullum factum esset miraculum: sed tantum iste modus agendi

horum centum hominum fuisset extraordinarius, quem nemo judicasset eventurum: qui tamen modus extraordinarius non stetit in singulis omissionibus peccatorum, sed in tota collectione omnium. Non ita se res habet in necessitate metaphysica, ut dictum num. 642.

Dices 2. Necessitas vaga peccandi aliquando saltem in vita aliquo veniali indeterminatè sumpto, quæ juxta Trident. sess. 6. can. 23. & cap. 11. omnibus inest, non tollit libertatem ergo neque necessitas vaga, & metaphysica consentiendi alicui auxilio indeterminatè sumpto, Resp. neg. conf. Illa necessitas, ut antecedens, est tantum moralis, nec est metaphysica, nisi ut consequens.

Ut ait Gormaz de DEO num. 897. Tridentinum ibi respicit ad necessitatem moralem antecedentem, quæ libertatem non destruit: dein etiam respicit ad necessitatem metaphysicam consequentem, quæ etiam non obest libertati, quæque stat in eo, quod DEUS prævidens per scientiam mediam, homines non consensuros his auxiliis, ad vitanda per totam vitam venialia omnia sufficientibus, ex inscrutabili tamen judicio, alia dare noluisset, excepta B. Virgine, cui privilegium hac in re concessum: quod an etiam aliis quibusdam Sanctis concessum sit, divinate non asum. videatur Gormaz loc. cit.

644. Dices 3. Si non datur illa necessitas metaphysica vaga, posset dari creatura, quæ prævideretur aulli auxilio consensura, adeoque, à qua DEUS non posset obtinere liberum consensum: hoc est contra S. Augustinum Enchyrid. c. 98. ubi ait: *Quis tam impie desipiat, ut dicat, DEUM malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* ergo. Resp. 1. cum Gormaz, & Ariaga tract. de scientia DEI disp. 21. sec. 6. n. 36. neg. maj. Cum hoc ipsum ex moraliter impossibilibus maximum moraliter impossibile sit, retè dicitur, fieri non posse, adeoque neque à DEO prævideri. Responderi potest 2. cum eodem Gormaz, dist. ma. posset dari talis creatura in hac providentia, neg. maj. in alia providentia. omit. maj. & dist. sic min. neg. conf.

Quod nulla talis creatura sit possibilis in hac providentia, habetur ex eo, quod DEUS revelaverit, se omnium corda habere in manu sua; hoc ipso enim implicite revelavit, se nullam creaturam in hac providentia producturum, quam non, stante libertate, possit convertere. Et de hac providentia intelligi possunt S. Scripturæ, & PP. nam qui de hac re maxime agit, S. Augustinus, relinquit in medio, an talis creatura absolute, vel in alia providentia possibilis sit; nam l. 1. ad Simplicianum quest. 2. circa medium ait: *Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurecat mentisaversio, queritur etiam, utrum de Divina pena sit ipsa duritia: nihil autem decedit. Addit quidem S. Doctor: Quis etiam dicat modum, quo ei tali creaturæ persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti desuisse?* sed, cum talis creatura ponatur omnibus vocationibus, libertati congruentibus, resistere, hæc verba intelligi debent de modo vocandi necessario.

Sic etiam idem S. Doctor contra Faustum l.

22. c. 28. ait: *Utrum autem sit aliqua rationalis creatura, quam nihil possit illicitum delectare, magna questio est. Quod si est, non in eo genere factus est homo: nec illa natura Angelica, que in veritate non stetit.* Ecce hic etiam relinquit in medio, an creatura sit possibilis, quæ à nulla tentatione possit vinci, adeoque omnibus auxiliis ad fugiendum malum, vel faciendum bonum esset consensura: & tantum dicit, tales non esse homines, vel Angelos, factos.

Huc spectat censura, quam affert Amicus tom. 1. in 1. part. disp. 12. sect. 12. n. 238. editam à Revisoribus nostris Romanis, jussu A. R. P. N. Vincentii Caraffæ, qua prohibetur, ne quis in scholis Societatis doceat, etiam Beatissimam Virginem sub nullo auxilio prævisam esse dissenturam; cum omnis creatura libera peccabilis sit, & de facto peccet, nisi adsit auxilium DEI efficax. Additur ibidem, privilegium B. Virginis, à Tridentino assertum, stetit in eo, quod DEUS elegerit gratias prævisas in his circumstantiis (quas etiam elegit) conjungendas à B. Virgine cum consensu.

645. Quod si igitur questio ad aliam providentiam transferatur, & queratur, quid in ea possibile esset, responderet aliqui, quod ad dominium DEI non spectet, ut in omni providentia possit ab omni creatura habere consensum liberum: sed sufficere, si possit habere necessarium. Quo casu tamen posset, creaturam quamlibet facere vas, vel in honorem, vel in contumeliam; nam creaturam, omnibus auxiliis indifferentibus dissentientem, posset facere vas in honorem, dando ei gratiam ad consensum necessarium, & dando gloriam, non quidem ut coronam, sed tamen ut hereditatem. Eandem posset facere vas in contumeliam, dando ei gratiam sufficientem, & permitiendo peccatum, ac eam damnando.

Sicut econtrà creaturam, auxiliis indifferentibus omnibus consentientem, posset facere vas in honorem, ut patet, & vas in contumeliam, non quidem permittendo peccatum, & eam damnando; quia hæc nullum unquam peccatum esset factura: sed non elevando ad statum gratiæ, quo casu esset vas in contumeliam, saltem negativè; quia careret gloria. Imò DEUS probabiliter posset talem creaturam etiam ob peccatum originale, eo modo, quo infantes ante baptismum mortuos, damnare,posito, quod talis creaturæ voluntas potuerit alligari voluntati Adami, in quo necdum video repugnantiam.

Addendum hic, hominem auxiliis omnibus dissentientem, tamen non posse vincere voluntatem DEI; quia non vincit voluntatem DEI ille, qui non facit, quod DEUS vult, sed qui non faciens voluntatem DEI, in super effugit pœnas, quas ei propterea DEUS vellet infligere: ita S. Augustinus de corrept. & gratia c. 14. dicens: *Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem; de his enim, qui faciunt, que non vult, facit ipse, que vult. & l. de spir. & lit. c. 33. infideles quidem contra voluntatem DEI faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt: verum se ipsos fraudant magno, & summo bono, malisque*

pœnalibus implicant, experturi in suppliciiis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas DEI semper invicta est.

646. Ob. 4. Potest dici, quod scientia media se habeat ad decretum, sicut scientia visionis, consequenter non, nisi formaliter, distinguatur: sed sic non est absurdum dicere, quod formalitas decreti antecedit formalitatem scientiæ mediæ, sicut contingit respectu scientiæ visionis: ergo potest admitti decretum, antecedens scientiam mediam. Resp. 1. omit. maj. neg. min. quia tamen non potest formalitas decreti præcedere formalitatem scientiæ mediæ; nam scientia media deberet saltem eminentialiter dirigere ad decretum, quam directionem explicavimus num. 555. Resp. 2. neg. maj. Scientia media non potest tantum eminentialiter dirigere DEUM ad decretum; nam eminentialiter directio tantum datur tunc, quando cognitio, & volitio sunt inter se inseparabiles, ita, ut non possit dari hæc cognitio, quin detur hæc volitio: quod contingit in cognitione, & volitione necessaria, item in scientia visionis, & decreto: non autem in scientia media, & decreto; nam, cum scientia media constituat actum primum liberum DEI ex num. 576. volitio autem DEI, seu decretum, constituat actum secundum DEI, debet utique scientia media posse antecederet separari à volitione, & independentem ab hac existere; quia totus actus primus liber debet antecederet esse separabilis ab actu secundo, & independentem ab hoc posse existere; aliis enim esset necessariò connexus cum actu secundo, & hic non esset liber. Certè est imperceptibile, quod actus secundus, necessariò connexus cum primo, sit liber. Hinc posita scientiæ mediæ, DEUS adhuc est liber ad decretum (aliis est inexplicabilis libertas DEI) quamvis non ita sit liber, posita scientiæ visionis. Unde etiam num. 569. negavimus, quod scientia visionis constituat libertatem DEI in actu primo.

647. Nec replices, DEUM quidem esse liberum ad decretum, habens identificatam hæc scientiam mediam præ alia, sed non ad decretum, nullam habens scientiam mediam identificatam; contra enim est 1. DEUS non potest sibi identificare ullum decretum liberum, à quo non sit separabilis scientia media quælibet, determinatè accepta, tanquam actus primus à secundo: ergo non potest sibi identificare decretum, virtualiter etiam identificatum cum scientia media determinatè accepta: cumque nulla indeterminatè accepta possit actu existere, non potest DEUS sibi identificare decretum, cum ulla scientia media actu existente identificatum.

Secundò ipsa scientia media non est libera DEO, sed impedibilis ab ipso: ergo DEUS non potest eam pro libitu suo sibi, vel decreto suo libero identificare; cum hoc ipsum complexum ex scientia media, & decreto non posset esse liberum, nisi antecederet præsupponeret scientia media: ergo hæc deberet præsupponi ad se ipsam, nisi quis absurde adstrueret duplicis generis scientiam mediam, unam à DEO impedibilem, quæ præsupponatur, alteram à DEO impedibilem, quæ posterior ad priorem sit, & cum decreto identificetur: unde non est paritas cum

cum actu, qui simul esset scientia, & fides, quem multi possibilem admittunt, ut patet ex-
pediti.

Hinc non tantum in sensu quocunque formali, sed etiam virtuali, scientia media in uno, aut pluribus predicatis discrepat à decreto, atque etiam à scientia visionis, quæ est realiter, & virtualiter identificata decreto; nam scientia media constituit actum primum liberum DEI: item est antecedenter separabilis à decreto, vel scientia visionis: est necessaria DEO, & impedibilis per impediendum actus primi proximi, absolute collati: præsupponitur ad actum secundum liberum DEI &c: quæ prædicata non conveniunt decreto, vel scientiæ visionis.

648. Instabis. Complexum ex scientia media reflexa, e. g. Si Petrus confertur huic auxilio, illud ei darem: & ex directa: Si Petrus haberet hoc auxilium, confertur: est inseparabile à decreto conferendi hoc auxilium, & decretum istud ab hoc complexo; quia mutuo ex se inferuntur: ergo non est ratio ea virtualiter distinguendi: subsumo: Si complexum non est virtualiter distinctum à decreto, tunc neque ejus partes: ergo nec scientia media. Resp. 1. dist. ant. hoc complexum formaliter, seu reduplicative sumptum, est inseparabile. conc. ant. materialiter, seu specificative sumptum. neg. ant. & conf. Singulæ hujus complexi partes, seu melius termini intrinseci, sunt separabiles, non tantum à decreto, sed etiam inter se; quia scientia media directa potest esse sine reflexa, casu, quo DEUS nolit auxilium etiam visum efficax conferre. Sed & potest dari reflexa sine directa, casu, quo creatura nolit consentire. Et hæc virtualis distinctio scientiarum istarum non tollitur per additionem decreti: adeoque complexum ex his tribus, nempe ex duabus scientiis, & decreto, tanquam tertio, manifestè involvit distinctionem virtualem.

Resp. 2. omitt. ant. neg. conf. Neutra scientia per conjunctionem perdit ullum ex suis predicatis essentialibus, num. priore relatis, in quibus differt à decreto: ergo huic neutra potest virtualiter identificari. Si autem nulla pars, seu nullus terminus intrinsecus, potest virtualiter identificari decreto, tunc neque totum. Imò ipsi complexo ut tali conveniunt prædicata, in quibus intrinsecè differt à decreto, e. g. quod, saltem inadæquate sumptum, constituat actum primum liberum DEI: item quod, saltem inadæquate sumptum, non sit liberum DEO: ergo. Si replices, posse etiam dici, quod totum complexum ex decreto, & scientiis, habeat etiam ista omnia prædicata, nempe, quod inadæquate sumptum non sit liberum DEO &c. Resp. sic nec in mysterio SS. Trinitatis daretur distinctio virtualis; quia etiam posset dici, quod toti SS. Trinitati in complexo convenient omnia prædicata, & tota Trinitas in nullo discrepet. Quare hoc ipso, quod non omnibus partibus metaphysicis, seu terminis intrinsecis, convenient omnia eadem prædicata, hæc ipse partes, seu termini intrinseci, inter se virtualiter distinguuntur, & in eo complexo datur distinctio virtualis: sicut etiam datur in complexo ex utraque dicta scientia.

Dices. Quæ in DEO inseparabiliter exi-

stunt, & virtualiter distinguuntur, debent differre in aliquo prædicato reali, quod prædicatum habeat unum ex illis inseparabiliter existentibus, alterum verò ex his illud prædicatum non habeat: hoc autem non potest assignari in nostro casu: ergo. Resp. 1. Non video, cur hoc magis necesse sit in duobus in DEO inseparabiliter existentibus, quam in duobus, vel pluribus separabiliter existentibus. Resp. 2. Jam ostensum est, complexum hoc, saltem materialiter sumptum, esse separabile à decreto. Resp. 3. Ostensa etiam jam sunt prædicata, in quibus differant illæ scientiæ, aut earum complexum, & decretum; quæ prædicata realiter affirmantur de scientiis, aut complexo, & negantur de decreto; si tamen ad distinctionem virtualem semper requirantur contradictoria absolute talia, & non sufficiant conditionate talia, de quæ infra, cum de distinctione virtuali Personarum Divinarum ab essentia.

Nullo modo autem timendum, ne prædicatum tale, in quo inseparabiliter in DEO existentia differunt, inferat novam Personalitatem, & consequenter in DEO detur quaternitas; nam, cum persona, ut suo loco dicitur, sit rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia, clarè requiritur, ut forma denominans Personam, seu Personalitatem, sit realiter ab aliis Personis distincta: atqui, & complexum ex scientiis distinctis, & decretum, omniæque horum prædicata, tam in quibus differunt, quam in quibus conveniunt, sunt realiter identificata tam essentia, quam omnibus tribus Personis Divinis, licet ab iisdem, tanquam contingentia à necessariis, virtualiter distinguantur. Hæc aliquanto fusius deducenda erant ad confirmanda dicta 2. 539.

ARTICULUS III.

An Prædestinatio sit alligata certis mediis.

649. Hujus Controversiæ, quæ ex n. 636. connexionem habet cum præcedenti, sensus est, an, si

DEUS vidisset, Petrum e. g. non consentire his auxiliis, dedisset semper alia, donec aliquibus consensisset: an verò non dedisset alia, sed permisisset ejus interitum: quo casu prædestinatio Petri esset alligata his auxiliis. Non autem querimus de prædestinatione extraordinaria aliquorum maximorum Sanctorum, quibus Lugo existimat, DEUM contulisse auxilia tanto affectu, ut semper alia, & alia dedisset, si hæc inefficacia prævidisset: sed, abstrahendo ab illis, loquimur hic de prædestinatione ordinaria.

Neque etiam quaritur, an cuius in particulari medio DEUS alligavit salutem; nam, si hoc esset, tunc, qui semel lapsus esset, jam non esset prædestinatus: quod in innumeris falsum est. Quare quaritur, an alicui collectioni determinatæ mediorum, præsertim ad finalem perseverantiam disponentium, sit annexa prædestinatio: & intelligitur prædestinatio ad ultimum, rationis capacium; nam infantes, & amentes, prædestinantur sine respectu ad merita, aut auxilia.

An Prædestinatio sit alligata certis mediis.

650. Dico. Prædestinatio, saltem ordinaria, est alligata certis mediis. ita Haunoldus l. 1. tract. 1. num. 519. & hoc teste, Recentes com-munit: item omnes, qui cum Vasquezio sentiunt, prædestinationem fieri post prævisa merita. Prob. 1. 2. Petri 1. v. 10. dicitur: Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Apocal. 3. v. 11. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam &c. atqui, si DEUS non alligasset prædestinationem certis mediis, sed haberet affectum illimitatum dandi semper plura, & plura auxilia, non deberemus multum satagere, aut anxie curare certitudinem prædestinationis; cum hæc incerta non foret, nec periculum, ne alius coronam nostram acciperet.

Conf. 1. ex SS. PP. S. Damascenus dialogo adversus Manicheos prope finem ait: Quocirca bona agere, ac boni effici contentamur, ut in eorum numero simus, quos DEUS bonos fore prænovit, atque ad æternam vitam præordinavit. S. August. serm. 1. de S. Stephano dicit: Si S. Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Idem S. cit. num. 632. ait: Si non traberis, ora, ut trabaris: plura vide apud Haunoldum loc. cit. at ex his habetur, prædestinationem ex mente SS. Patrum esse connexam cum nostris bonis operibus, & posse à nobis impediti, aut certam fieri: quod non stat cum illo affectu DEI illimitato.

651. Confirm. 2. Saltem in illo, qui oppositam opinionem amplecteretur ut veram, tolleretur, vel multum minueretur studium bonorum operum; nam planè hic tui posset sophismate illo notissimo: vel sum prædestinatus; vel non. Si sum prædestinatus; DEUS ex affectu suo illimitato dabit certissimò gratiam finalem; unde non debeo esse sollicitus: si non sum prædestinatus, & prædestinatio non est connexa cum meis bonis operibus, etiam illam non possum acquirere; quia non possum facere, ut DEUS illum affectum erga me habeat: ergo quid frustra volo me fatigare bonis operibus faciendis? Hoc sophisma communiter solvitur, dicendo, quod sumus prædestinati dependenter à nostris meritis, sive absolute, sive saltem conditionate prævisis, non quidem, quasi opera bona, conditionate prævisa, mererentur prædestinationem; hoc enim esset Pelagianum: sed quod decretum prædestinativum suo modo connectatur cum bonis operibus conditionate prævisis, tanquam puris terminis: cum iisdem autem absolute prævisis, tanquam meritis ponendis: & quod ideo in nostra potestate sit, prædestinationem impedire.

Sed hoc adversarii respondere non possunt; cum affectus ille illimitatus impediti non possit, saltem quoad formalitatem prædestinationis; nam volitio Divina non est impedibilis ab homine, nisi ratione scientiæ mediæ, quam homo potest impedire: sed hunc affectum non posset homo impedire ratione scientiæ mediæ; quia, quemcunque consensum, & quamcunque scientiam mediam homo impedit, tantum impedit, ne DEUS prædestinet ipsum sub hoc, vel illo auxilio: non tamen impedit, ne ipsum, supposito illo affectu illimitato, absolute prædestinet.

652. Dices. Homo, non prædestinatus, tamen potest salvari; si enim cooperaretur auxiliis colla-

tis, prædestinaretur. Resp. tamen nondum ostenditur, quomodo possit absolute prædestinatus impedire suam salutem: quod ipsum jam est absurdum. 2. Est imperceptibile, quod possit quis facere, ut sit prædestinatus, nisi prædestinatio connectatur cum certis mediis, vel auxiliis. 3. Ex hoc ipso sic instat Haunoldus. DEUS reprobis non dat de industria gratias inefficaces, ita, ut, si videret fore efficaces, eas negaret; aliàs positive excluderet eos à cælo: sic si vidisset, Judam his auxiliis, e. g. osculo, convertendum, tamen ea ipsi dedisset, & prædestinasset: ergo tunc Judas fuisset prædestinatus, sed cum alligatione ad hæc media (& idem dicendum de omnibus reprobis) ergo possibile est talis prædestinatio. Unde ergo probant ad-versarii, quod nullus cum ea salvetur?

Confirm. 3. ex communi sensu fidelium, qui sæpe, ut observat Lugo, & quidem omnium opinione prudenter, dicunt: si hic non esset factus Religiosus, periisset: si non venisset hic Missionarius, isti barbari periissent: ergo ex sensu communi prædestinatio est alligata certis mediis. Nec dicas, ex sensu fidelium probari, esse alligatam prædestinationem uni medio. Responderi enim potest, esse alligatam aliquando uni principali, quamvis non culibet; quia non judicant fideles, quemvis semel peccantem non amplius salvari: modò autem aliquando uni medio, etiam principali, aligerit prædestinatio, jam non datur affectus ille illimitatus.

653. Ob. 1. Qui vult efficaciter finem, ita vult, ut, si videret, per ista media cum non obtinendum, adhiberet alia: sed DEUS prædestinatis vult efficaciter finem, seu gloriam: ergo ita vult media, ut, si videret ista inefficacia, alia adhiberet. Resp. dist. maj. qui vult finem affectu illimitato, ita vult, conc. maj. qui vult affectu limitato ad certa media. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. ut enim observat Haunoldus l. 1. num. 540. media, à DEO in ordine ad salutem prædestinatorum adhibita, habent etiam rationem partialis finis; eoque jùd DEUS salutem velit, sed per hæc media; sive velit complexum ex gloria, & his mediis; seu gloriam his mediis obtinendam. Unde affectus DEI non est illimitatus, vi cujus sit paratus ad omnia media: sed est affectus suo modo restrictus.

654. Dices. Hic affectus limitatus non est illa specialis benevolentia, quam SS. Patres, & præsertim S. Augustinus, in prædestinatione agnoscunt, quamque non jubet docere P. Claudius in suo decreto anno 1613. die 14. Decemb. quo injungit nostris, ut doceant, quod postã scientiã conditionalium, ex efficaci DEI proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus; si hæc inefficacia prævidisset. Resp. quidem Patellius p. 1. c. 4. §. 2. n. 174. in hoc decreto esse dispensatum, sed minimè probat: imò, cum primum anno 1709. Revisores Romani in censura (de qua num. 579.) idem decretum P. Claudii contra illam sententiam, ibi adductam, attulerint, signum est, tempore Patellii, qui diu antè scripsit, in eo minimè dispensatum fuisse: sed nec interea revocatum est.

Declaravit ita quidem P. Mutius anno 1616.

fed non aliter, quam sequenti rescripto: *Non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere, DEUM sua voluntate prædeterminasse, vel prædeterminasse aliquod nostrum opus bonum independentem à cooperatione libera nostræ voluntatis: neque etiam, quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis, aut aliquis modus physicus in actu primo, qui non sit in gratia sufficiente: sed hoc tantum, quod fuerit speciale beneficium DEI, dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore, & loco, quo scientiæ conditionalium præscribit, illum eâ gratiâ bene usurum. Quod beneficium non contulit alteri, v. g. Joanni, cui dedit gratiam eo tempore, & loco, quo præscribit, illum suâ culpâ eâ non usurum.*

655. Resp. igitur 2. affectum, quamvis limitatum, esse tamen specialem prorsus benevolentiam; nam utique specialis benevolentia est, quod DEUS dei auxilia, prævisa cum consensu, & salute hominis; cum liberrimè dare possit alia, prævisa cum diffusu, & interitu. 2. Et si omittatur, DEUM, si hæc media inefficacia videret, daturum alia; non propterea admitti debet, quod daret alia, & alia in infinitum, sed intra suos limites, quod admittere possumus: & sic satisfit decreto P. Claudii, juncta præsertim declaratione P. Mutii, quæ rationem specialis beneficij, potissimum ponit in collatione auxilij, prævisi ut congrui: satisfit etiam S. Augustino, qui, ne contradicat dictis suis citatis num. 650, non potest alibi exigere affectum DEI omnino illimitatum.

Ubi etiam noto, verba illa in decreto P. Claudii *ex efficaci DEI proposito, atque intentione efficiendi certissime in nobis boni*, significare tantum affectum, seu prædefinitionem, subsequentem scientiam mediam, & non antecedentem; tum quia P. Mutius ita declaravit; tum quia P. Claudius expressè præmisit ea verba: *positâ scientiâ conditionalium*; adeoque significare tantum affectum, seu prædefinitionem impedibilem: & quidem in individuo per dissentium auxilio collato præstitum: in specie autem, (hoc est, ut neque daretur aliud simile decretum, vel etiam plura, quæ conferrent plura auxilia) saltem per plures dissentus prævisos.

656. Ob. 2. Ex nostra sententia sequeretur, quod detur ex parte hominis causa prædestinationis, vel quod hæc ipsa sit in ejus potestate: sed hoc est contra communem Theologiam, & videtur accedere ad errorem Massiliensium: ergo, prob. maj. In hominis potestate est uti, vel non uti his auxiliis, adeoque facere, ut sint efficacia, & ipse prædestinatus: ergo. Resp. neg. maj. prædestinatio enim stat præcipuè in speciali illa benevolentia DEI, vi cuius dat potius auxilia, prævisa congrua, quam incongrua: cuius benevolentia ratio nulla datur ex parte hominis, qui nihil potest ponere, quod DEUM per modum causæ moralis determinet ad illum benevolam affectum, & dationem potius istorum auxiliorum, quam aliorum; hoc enim, suppositâ quavis scientiâ mediâ, est DEO liberrimum.

Nos autem tantum possumus facere, ut ex illo speciali affectu possint conferri hæc potius, quam alia auxilia: quia est in nostra potestate, ut DEUS videat ista auxilia conjungenda cum consensu, & ut DEUS nos possit per illa præ-

destinare: si enim non consentiremus, non posset DEUS ea auxilia per decretum prædefinivum, aut tanquam effectus prædeterminationis conferre, ut patet. Quando autem aliqui, citati ab Haunoldo, videntur admittere, quod prædestinatio aliquo modo sit in nostra potestate, plus dicere non volunt, quam quod modò diximus.

ARTICULUS IV.

Qualis admittenda sit Prædestinatio actuum bonorum liberorum.

657. **V**aria à variis adstruitur. Prima dicitur Prædestinatio Thomistica, quæ aliud non est, quam decretum DEI, absolute prædeterminativum ad actum bonum, sic tendens: *Volo hunc actum bonum: & hinc volo dare Petro prædeterminationem, intrinsecè, & metaphysicè comexam cum eo actu.* Hoc decretum, objectivè etiam absolutum, impugnatur, ut objectivè conditionatum à n. 424. nam si tollit libertatem decretum objectivè conditionatum, æquè saltem eandem tollit decretum objectivè absolutum, præsertim, cum hoc inferat absolute prædeterminationem incompossibilem cum libertate, ut facile patebit expeditum. Quare de hac prædefinitione plura dicere supersedeo.

658. Secunda est Prædestinatio Scotistica. Hæc à Schola Subtili vocatur aliquando *Decretum Sympathicum*, læpius autem *Concomitans*, aut *Con-determinans*. Quamvis autem aliqui Scotistæ apud P. Thyrsium tom. 1. *selectarum disp. 11. sect. 12. num. 99.* dicant, suum decretum esse consequens actum liberum creaturæ; cum, ut ait Montepilosus, ideo DEUS ab æterno decernat actum; quia voluntas nostra in tempore se liberè ad eum determinat (qui Authores respiciantibus convenit) Maftrius tamen (quem sequuntur alii) in *1. sententiarum disp. 3. q. 3. a. 8. n. 167.* negat, decretum esse consequens, atque, esse concomitans, quamvis articulo cit. num. 179. admittat, quod DEUS ex sua lege (scilicet statuentè, libertatem creaturis conferre) teneatur se accommodare causis secundis liberis, & quod, ut salvetur libertas creata, non debeat nostra voluntas concordare cum Divina; sed e contra Divina debeat concordare cum nostra, sese illi accommodando in decernendo, ut dicatur velle conformiter nostræ voluntati. Hæc autem planè videntur insinuare, decretum DEI suo modo pendere à libertate creata, & hæc subsequi, adeoque decretum DEI esse subsequens, non concomitans.

659. Quidquid tamen de hoc sit, Maftrius, & ei adherentes Scotistæ, volunt suum decretum, quo DEUS vult cum creatura agere, vel actum prædefinit, esse intrinsecè efficax: non tamen antecedens, ne tollatur libertas: nec consequens, ne admittatur scientia media: sed concomitans, aut condeterminans. Unde immediate liberè, tam DEUS, quam creatura, simul eligunt, aut determinat ad eundem actum liberum. Verùm in primis non video, quomodo hac ratione DEUS magis sit primum liberum, aut determinans, in ordine ad hunc actum, quam in nostra

nostra sententia; nam non prius determinat in hoc systemate DEUS, quam creatura, nec est prius liberum: unde non videtur hoc decretum servire ad finem, à suis authoribus intentum. Ad summum salvatur, quod DEUS etiam sit immediatum liberum: at hoc non videtur ita æstimabile: imò nec possibile in DEO, præsertim respectu peccati.

660. Dico 1. Hæc prædestinatio, vel hoc decretum concomitans, non datur. ita Thomistæ, & Nostri, quamvis ex diversis principiis. Prob. Hoc decretum non esset in potestate voluntatis creatæ, simulque esset intrinsecè efficax: ergo esset impedimentum inauferrabile oppositi: ergo tolleretur libertatem. ant. est doctrina Maftrii, qui negat, decretum esse consequens: & sanè consequens dici non potest, nisi admittâ, quam Maftrius negat, scientiâ mediâ, ut patet consideranti: prima, & secunda consequentia inferuntur ex intrinseca efficacia decreti, atque ex eo, quod libertas in actu primo excludat omne impedimentum essentialè, & inauferrabile cujuscunque extremi.

661. Nec dicas, impedimentum hoc non esse antecedens; nam videtur hoc decretum plus quam sufficienter antecedens; cum antecedat actum secundum liberum, eumque inferat: imò omnipotentiam Divinam reddat applicatam, conferat actum primum proximum &c.

Sed dato, & non concessio, quod non sit antecedens, saltem est aliquid simultaneum, à creatura inauferrabile, & essentialiter incompossibile cum altero libertatis extremo: ergo creatura non habet potentiam expeditam ad alterum extremum; non enim habet eam in sensu composito, ut patet: nec in diviso; quia hunc pro libitu habere non potest. Rursus: istud decretum esset saltem actus aliquis DEI liber, & ita simultaneus, ut sine ipso actus liber creaturæ dari non possit: atqui, quando actus aliquis simultaneus, sine quo alter dari non potest, non est mihi liber, neque liber est ipse actus alter: ergo, maj. est innegabilis. min. prob. Qui non potest movere unam rotam in horologio, nec potest movere alias: qui in bilance non potest elevare unam, neque potest deprimere lancem alteram &c: ergo.

662. Prob. conclusio 2. Implicat, duo principia libera circa eundem actum immediatam libertatem exercere: ergo implicat decretum, quo DEUS immediate liberè eligat, vel decernat actum, quem etiam creatura immediate liberè eligit, cons. patet. ant. prob. Electio immediate, & plene libera, præsertim digna DEO, supponit in eligente privativè potestatem eligendi, vel determinandi: sed hæc non potest dari penes duos: ergo, prob. maj. Qui non habet privativè potestatem determinandi, sed tantum cum alio, potest ab hoc impediri: ergo non est plene liber; quia debet suo modo expectare determinationem alterius, & huic attempèrare suam actionem: vel si hoc non debet, aut si impediri non potest, eo ipso habet privativè dictam potestatem eligendi. min. est clara: quia non potest uterque privativè liberè disponere; nam sic quilibet alterum excluderet: ergo.

663. Confir. 1. Sententia adversariorum infirmam reddit demonstrationem unitatis DEI,

quam Theologi cum magno Athanasio communiter afferunt, quamque attulimus num. 134. & stat in eo, quod duo Divi non possent circa gubernationem ejusdem universi esse perfectissimè liberi; consequenter, si plures gubernatores forent, ab invicem penderent; cum videatur lumen naturæ ostendere, quod non possit una voluntas, reliter distincta ab altera, inevitabiliter esse determinata ad volendum, quod vult altera, quin aliquo modo ab ista pendeat, eique subordinetur: hoc tamen contingeret in sententia adversa, in qua DEUS esset ita determinatus ad volendum, quod vult creatura.

Neque dicas cum Maftrio, DEUM ex liberalitate sua liberè se ad hoc obligasse, dum creaturæ concessit libertatem; nam, licet per hoc explicetur, DEUM esse antecedenter, & mediatè liberum, ad actum creaturæ: non tamen per hoc ostenditur libertas immediata in actum, quam tamen adversarii DEO attribuendam contendunt. Patet hoc in millenis exemplis: e. g. dum liber sum ad promittendum, sum etiam liber ad solvendum: at, facta promissione, non amplius sum immediatè moraliter liber ad non solvendum.

Confir. 2. Est inexplicabile, quomodo electio DEI semper coincidat cum electione libera creaturæ; nisi id fiat per aliquam sympathiam necessariam: quo casu electio DEI non esset libera. Et quamvis fors non omnino casu id fieret; quia DEUS in complexo ex sua voluntate, eminenter continere libertatem creaturæ, & decreto constituendi creaturam liberam (ut quidam adversarii volunt) videre potest, se semper determinaturum id, quod creatura determinat; tamen cæco modo, adeoque nec liberè, determinaret hoc potius, quam oppositum, si non prævideat per scientiam mediam; quid creatura sit determinatura; nam in sua voluntate, & decreto constituendi creaturam liberam, non potest videre creaturam ad hoc potius, quam ad aliud se determinaturam; quia est indifferens, uti & ipsa libertas creata in actu primo, adeo, ut nec in ista unum præ altero possit videri.

Confir. 3. Si supponitur, hoc decretum compleri per complementum extrinsecum, deberet hoc esse ipse actus futurus: ergo deberet iste in se ipso videri per scientiam mediam; nam in altero hujus decreti constitutivo, scilicet in voluntate DEI, prorsus indifferente, utique videri non possit. Equidem Maftrius hoc non vult; sed sanè aliud assignare complementum non potest; non enim dicit, id complementum esse aliquid antecedens actum; cum enim deberet id necessariò esse connexum cum actu secundo, esset aliqua prædeterminatio physica Thomistarum, quam Scotistæ nolunt. Si autem decretum, ut in nostris principiis, est adæquate intrinsecum, sic arguo. Vel DEUS per hoc decretum decerneret actionem creaturæ, atque ab eo determinaretur ad eam cum creatura ponendam; & tunc decretum actionem creaturæ præcederet, adeoque esset prius naturâ, quod Scotistæ iterum nolunt: vel DEUS non ita determinaretur à suo decreto ad ponendam actionem creatam cum causa creata, neque hoc decerneret; & tunc nequit intelligi, quid hoc de-

eretur decernat, aut velit, & quid in eo videri possit.

664. Prob. conclusio. 3. Juxta hanc sententiam DEUS deberet etiam liberè condeterminare ad peccatum, & quidem per decretum efficac, à nobis inimpedibile, ex num. 661. sed hoc non congruit sanctitati Divinae, & difficulter explicatur, quomodo DEUS non sit æquè auctor peccati, ac creatura: ergo. Retorquet quidem Maftrius argumentum in concursu simultaneo, sed malè; nam si loquitur, ut de concursu in actu secundo, hunc DEUS nullatenus vult, sed tantum permittit, ut à se invito ratione physici influxus habeatur, & à creatura quasi rapiatur: sic enim loquitur S; Anselmus tom. 3. de casu diaboli c. 28. dicens: *Nempe non solum hoc habet aliquis à DEO, quod DEUS sponte dat, sed etiam, quod injustè rapit, DEO permittente.* Confirm. Hæc efficac determinatio plane non videtur posse stare cum sincera intentione actus boni, quem tamen sincerè intendit DEUS, conferendo actum primum: ergo.

665. Tertia est Prædefinitio mixta motivis moraliter infallibilibus, quam aliqui defendunt cum Francisco Aravio Episcopo Segoviensi, de quo vide Theodorum Eleutherium *Histor. de auxiliis l. 2. c. 22.* Granado, & Ruiz. Sumi autem possunt motiva illa, vel ex necessitate vaga in cumulo auxiliorum, de qua num. 640. vel ex vehementia vocationis, vi cujus DEUS dicitur compellere rebelles etiam voluntates: vel ex complexo illustrationis, & circumstantiarum, genio, & indoli hominis vocati congruentissimarum, adeoque moralem necessitatem consentiendi afferentium: quam moralem necessitatem, utpote veritatem necessariam, ut ajunt, potest cognoscere DEUS per scientiam simplicis intelligentiæ, & hac supposita, actum prædefinire: sed contra hos

666. Dico 2. Non datur prædefinitio dicta, motivis moraliter infallibilibus mixta. Prob. Licet sit veritas necessaria, quod auxilia &c. moraliter necessitent, tamen non est veritas necessaria, quod actus sit absolutè, & liberè secutus; quia necessitas moralis potest absolutè vinci ex num. 643. ergo DEUS per scientiam simplicis intelligentiæ de illis auxiliis &c. nondum habet sufficientem notitiam, ut possit actum, tanquam infallibiliter liberè secutum, prædefinire: sed debet prius habere scientiam mediam: ergo non est possibilis prædefinitio, antecedens scientiam mediam, fundata in illis motivis. Conf. Non experiuntur homines, etiam quando bene agunt, talem moralem necessitatem ad bonum, sed sæpe magnam difficultatem: ergo universaliter non potest fundari prædefinitio in ista morali necessitate.

667. Quarta assignatur Prædefinitio subsequens scientiam mediam: & hanc docent nostri communissimè. Hæc aliud non est, quam decretum effective efficac, & intentivum alicujus actus boni, supposita scientiâ mediâ, à DEO elicited. Dico itaque 3. cum communissima Nostrorum. Datur prædefinitio hæc, consequens scientiam mediam. Probatur. Inprimis ex allatis rationibus habetur, quod alia prædefinitio dari non possit: ergo ista debet admitti. Dein ista sola non obest libertati creaturæ, utpote im-

pedibilis ratione scientiæ mediæ: nec aliud inconveniens secum trahit; quia tantum datur ad actus bonos, non ad malos &c.

Nec dicas, posse negari, quod datur aliquæ prædefinitio; nam, hoc jam probavimus num. 606. & iterum probatur ex Scripturis, & Patribus, qui, prædestinationem dari, apertissimè tradunt, quæ sæpe est eadem cum prædefinitio- ne, vel hanc secum trahit. Sic dicitur ad *Ephes. 2. v. 10. Creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ preparavit DEUS, ut in illis ambulemus.* in quæ verba S. Augustinus de prædestinat. SS. c. 10. *Creati in Christo Jesu in operibus bonis: gratia est: quod autem sequitur: Quæ preparavit DEUS, ut in illis ambulemus, prædefinitio est.* S. Prosper ad capitula Galorum respons. 14. ait: *Meritis autem, & caritatis opera, atque in eis usque in finem perseverantia, quia homini per DEI gratiam conferuntur, rectè & ista, & quæ eis retribuenda sunt, prædestinata dicuntur ex auctoritate Apostoli.* S. Fulgentius l. 1. ad Monimum longè ante medium: *Propterea sicut Salomon dicit: Quia preparavit voluntas à Domino: sic etiam bona opera nostra Paulus Ephef. 2. à Domino asserit preparata, hoc est, in prædestinatione disposita.* S. Thomas lect. 3. in cap. 2. epist. ad Ephes. ad verba superius citata, ait: *Nihil enim aliud est prædefinitio, quam preparatio beneficiorum DEI, inter quæ beneficia computantur & ipsa bona opera nostra: Dicitur autem DEUS nobis aliqua preparare, in quantum disposuit se nobis daturum.* consentiunt Theologi communissimè.

668. Neminem autem turbet, quod SS. PP. in citatis textibus non utantur voce prædefinitio, sed prædestinatio, aut preparatio; nam nondum tunc erat in usu hæc distinctio; sed in usu erat vocabulum latius patens: ad modum per prædestinationem intellegitur decretum, decernens homini simul auxilia, merita, & gloriam: per prædefinitioem autem nunc intelligunt Theologi decretum, pure intentivum actus boni, quale dari etiam potest respectu hominis non prædestinati: qui, licet nunc bene agat, non tamen perseverabit.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

669. **O**B. 1. contra 1. concl. pro decreto condeterminante. DEUS potest velle decreto efficaci, & inimpedibili effectum, quem scit, sibi esse possibilem: sed scit, sibi esse possibilem conversionem Petri sub quovis auxilio sufficienti: ergo potest eam ita velle. Confir. Implicat in terminis, quod DEUS volendo efficaciter, & inimpedibiliter, impediatur effectum, quem videt sibi possibilem: ergo. ant. licet per se clarum, tamen probatur. Implicat, ut potens donare reddat se impotentem ad donandum per efficacem voluntatem donandi: ergo à pari. Hoc argumentum æquè probaret decretum prædeterminativum, quod tamen Scotiæ negant, tanquam eversum libertatis.

Resp. dist. maj. DEUS potest ita velle effectum sibi possibilem ex sola libera determinatione

sua conc. maj. possibilem ex libera determinatione creaturæ. neg. maj. & dist. mi. hæc conversio est possibilis ex sola libera determinatione DEI. neg. min. ex libera determinatione DEI. conc. min. & neg. conf. Non potest DEUS velle aliquid per modum improporcionata: unde non potest velle actum liberum per decretum efficac inimpedibile. Ad confirm. dist. ant. ut supra, & neg. conf. ad prob. neg. conf. nam donatio non est libera determinatio alterius; sed est aliquid dependens à sola libera determinatione donantis. Quod si poneretur ea constitutivè involvere liberam acceptationem alterius, tunc quidem esset paritas, sed falsum antecedens, si efficac inimpedibilis volitio donandi post se infrustrabiliter traheret eam acceptationem, ut patet consideranti.

670. Ob. 2. Non potest ostendi repugnantia in sympathia voluntatis Divinae cum creatura: simul explicatur per eam melius dominium DEI in actus nostros liberos, & libertas creata: ergo debet admitti. Resp. neg. ant. Repugnantia ostenditur per nostras rationes, quibus ostendimus, repugnare talem sympathiam; eoquod 1. libertatem creaturæ tolleret, quam tamen salvam servare deberet. 2. quod esset cæca, & saltem immediatè in se, necessaria; cum tamen libera DEO esse deberet, qui ex mente adversariorum immediatè liberè omnia decernere debet: insuper alia inconvenientia afferret: dominium autem DEI non debet esse Chimæricum.

671. Dices. In creatis est perfectio, si duo coincident in eandem sententiam, aut voluntatem; nam magna ingenia dicuntur conspirare: ergo. Resp. dist. ant. est perfectio formaliter, neg. ant. aliquando arguitivè. conc. ant. & neg. conf. Coincidere duos in idem sine prævisione, sæpe casus est, & nulla perfectio: aliquando autem arguit utrumque prudentem, eoquod uterque rationes, & eventus, ritè ponderant: & hoc casu dicuntur magna ingenia conspirare: aliquando etiam potest arguere imprudentiam, si scilicet volitio, vel electio fuit imprudens. In DEO autem nulla argueretur perfectio; tum quia sæpe electio creaturæ est imprudens; tum quia, quamvis esset prudens, non tamen esset perfectio in DEO condeterminare, ex rationibus, modò contra sympathiam adductis.

672. Ob. 3. Etiam si DEUS non prævideat, quid creatura sit determinatura, tamen non cæco modo condeterminat: ergo malè ex hoc capite adversarios impugnamus. prob. ant. Determinatio voluntatis creata non est objectum voluntatis Divinae, sed est actus, & effectus ejus: ergo non debet præcognosci; quia non est volita, nisi implicite, & virtualiter. Confir. DEUS, ut primum intelligens, debet omnia à se distincta cognoscere: ergo ut primum liberum debet omnia primò decernere, sive cognoscat, sive non. Resp. neg. ant. ad prob. neg. iterum ant. nam determinatio voluntatis creata est actus externus respectu DEI: ergo debet præcognosci, ut debent alia objecta à DEO factibilia.

Non autem sufficit, præcognosci eam determinationem tantum scientiâ simplicis intelligentiæ; quia per hanc non sufficienter cogno-

scit DEUS objectum creaturæ liberum, ut illud possit salva libertate efficaciter decernere, ut hucusque sæpius dictum. Quamvis autem illa determinatio non sit à DEO semper volita; quia aliquando est mala: debet tamen esse permessa, adeoque præcognita. Ad confirm. neg. conf. Cognitio DEI relinquit actum liberum in suo esse: non autem ita relinqueret decretum DEI immediatè liberum, & efficac: Sed neque etiam æqualiter se habent ad objecta creata Divinae perfectiones; alias cur non etiam DEUS, sicut debet omnia cognoscere, ita debet omnia velle, & producere? quare non, sicut debet cognoscere omnia, se solo absque influxu ullo physico creaturarum, ita etiam omnia debet se solo producere?

673. Ob. 4. Libertas Divina eminentè, & virtualiter continet libertatem creatam: quin etiam liberum decretum DEI continet eminentè, & virtualiter, liberam volitionem creaturæ: simul habet DEUS decretum conservandi libertatem creatam: ergo, etiam si condeterminet, non id facit cæco modo. Ita Maftrius. Resp. conc. ant. neg. conf; nam, nisi admittatur scientia media, tamen in dicto complexo non potest DEUS videre, creaturam ad hunc potius, quam illum actum, se determinaturam; nam libertas Divina non minùs continet libertatem creatam ad actum oppositum: & sicut liberum decretum volens continet eminentè volitionem creatam, ita decretum DEI nolens continet nolitionem creatam: quomodo ergo DEUS scit, aut dirigitur, ut potius elicit nolitionem, quam volitionem, concordem actui libero creaturæ; nisi antecederet præscit, creaturam se potius determinaturam ad volitionem, quam nolitionem? Certè cæco modo unum eligeret præ altero; vel ex complexo illo resultare deberet in DEO necessitas sympathica eliciendi unum decretum præ alio, quam rejecimus num. 663.

674. Dein non video, quid per illam virtutalem, aut eminentialem continentiam libertatis creatae, vel etiam actus liberi, intelligi possit, quam, quod DEUS habeat libertatem perfectiorem, vel omnipotentiam, potentem producere libertatem creatam, & etiam actum creatum liberum, non quidem ex sua; sed ex creaturæ determinatione: quæ etiam simul sumpta cum decreto conservandi libertatem creaturæ non determinant potius ad eliciendum, vel etiam videndum, hoc potius decretum, quam alterum; quia omnia sunt prorsus indifferentia: adeoque in his non potest DEUS videre unum præ altero futurum: consequenter non potest, nisi cæco modo, aliquid determinare.

675. Dices 1. DEUS per simplicem intelligentiam scit, se posse coincidere cum creatura in eandem determinationem. Resp. dist. ill. scit, se posse coincidere, quin pro priori habeat scientiam mediam. neg. si pro priori habeat scientiam mediam. conc. non enim potest scire, se cæco modo posse aliquid determinare. Dices 2. DEUS ex intentione servandi illam libertatem creaturæ concidit cum creatura in eandem determinationem: ergo non casu, nec cæco modo. Resp. quamvis per hoc evitetur omnimoda casualitas: non evitatur cæcitas. Sic fiet

intentione sanitate reparanda Medicus det pharmacum, nesciens tamen, an sit congruum, vel non, certe cæco modo medetur.

676. Ob. 5. contra 2. conclus. S. Thomas *quæst. 6. de veritate art. 3. in corp.* ait: *Liberum enim arbitrium deficere potest à salute, tamen in eo, quem DEUS prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat; vel si cadat, quòd resurgat*: ergo ex mente Angelici certitudo prædefinitionis fundatur in auxiliis moraliter necessitantibus. Resp. neg. conf. Ex S. Doctore eo loco tantum colligi potest, prædestinationem esse certam, & fundari in scientia media, vi cuius DEUS scit, hominem his auxiliis consensusurum, vel dissenturum: & dein ex misericordia sua tribuit illa, quibus videt consensusurum, vel certe post aliquem dissentum iterum penitentiam acturum. videatur totus contextus *loco cit.* & videbitur, plus ex eo erui non posse.

677. Ob. 6. Quod homines certo inferunt ex aliquo medio per discursum, id DEUS cognoscit certissimè in eodem medio: sed homines ex morali necessitate certo inferunt eventum futurum: ergo. Conf. Posita morali certitudine de mediis efficaciam ad finem, homines prudentissimè decernunt finem: ergo etiam DEUS potest eundem decernere, posita morali certitudine, orta ex morali necessitate. Rep. dist. maj. quod homines inferunt certitudine absoluta metaphysica. conc. maj. quod tantum inferunt certitudine morali. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. Medium moraliter certum, cum possit esse falsum, non potest movere ad assensum omnino infallibilem, qualem solum DEUS habere potest: unde in tali medio non potest DEUS videre effectum, quamvis hunc videat tunc in se ipso, casu quo reverà futurus est.

Ad conf. neg. conf. Prudentiæ humanæ sufficit, abesse morale periculum frustrationis: non autem idem sufficit prudentiæ Divinæ, cuius decretum est infrustrabile. Nec dicas. DEUS potest defectum principiorum, tantum morale necessitatem afferentium, supplere per specialem præparationem omnipotentia. Resp. enim neg. illatum; nam omnipotentia Divina, quomodocunque sit parata, debet esse indifferens, & non necessitans: adeoque etiam in hac non potest infallibiliter videri eventus futurus.

678. Ob. 7. contra 3. conclus. S. Damascenus l. 2. de orib. & axi. *cap. 30.* ait. *Illud scire interest, DEUM omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire: præscit enim ea etiam, que in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt: ut non item ea præfinit.* Idem S. Pater *Dialogo adversus Manichæos sub finem* ait: *DEUS ea, que voluntariè à nobis futura sunt, hoc est, ea, que in potestate nostra sita sunt, nimirum virtutes, ac vitia præscit, ea demum præfinit, que in arbitrio nostro minime consistunt*: ergo non datur prædefinitio. Resp. dist. conf. non datur prædefinitio antecedens, & impedibilis. conc. conf. subsequens scientiam mediam, & impedibilis. neg. conf. Per prædefinitionem S. Pater non intelligit id, quod nunc Theologi intelligunt (nam nemo admittit ex Theologis, quòd prædefinitio virtuti vim inferat) & hinc S. Damascenus nec intelligit id, quod alii SS. PP. per prædefinitionem (nam nec isti admittunt, per prædefini-

tionem vim virtuti inferri) sed singulariter intelligit decretum DEI, independens à libertate creata, & necessitans; nam *citato loco de fide* statim subdit. *Nec enim vitium admittit vult, nec versus virtutem vim offert.* Similiter discurre contra Manichæos, ut patebit legenti.

Dices. 1. Si prædefinitio, hinc asserta, non tollit libertatem, tunc neque eam tolleret prædefinitio, si eam DEUS conferret post scientiam mediam de consensu aliunde per principia indifferentia futuro: e. g. si DEUS ita diceret. *Quia video Petrum sub hoc actu primo libero consensusurum, volo ipsi addere prædeterminationem, que essentialiter inferat eum actum.* Resp. 1. patros prædeterminationis nunquam concesserunt, quòd scientia media antecedit collationem prædeterminationis.

Resp. 2. Ut rectè ait Gormaz *de DEO n. 449.* potest scientia media DEUM dirigere etiam ad evitendam libertatem, e. g. si ita decernat. *Quia video Petrum sub his auxiliis indifferentibus dissenturum, volo et dare absolute necessitantia, ut debeat consensusurum; hoc enim casu everteret libertatem; quia hoc decretum, seu ejus formalitas, intendens actum, non est impedibilis; nam in hoc casu Petrus non potest evitare auxilia necessitantia; quia non consenturum ei actu auxiliis indifferentia. Insuper in hoc casu DEUS absolute vult consensusurum, & quidem impedibiliter: nec finit se ab hac voluntate impediri per scientiam mediam de dissentu, ut patet consideranti. Unde etiam, si DEUS in casu objecto det prædeterminationem per decretum impedibile, tollitur libertas.*

Sed petes: si DEUS decerneret prædeterminationem dare; quia vidit consensum aliunde futurum, illum non daturus, si hunc non prævidisset: quid tunc dicendum? Resp. vicissim quærendo, cur DEUS adhiberet medium superfluum ad finem jam aliunde certò obtinendum? Resp. 2. Si hoc ponatur, videri prædeterminationem taliter collatam non obstruam libertati; eoquòd se haberet ut prædefinitio: nec esset principium per se, sed tantum per accidens, ac impedibilis per dissentum.

Dices 2. Ergo, si DEUS prævideret, quòd Petrus se præcipitaret in flumen, posset, hac supposita scientia, eum necessariò impellere, non impulsurus, nisi hæc scientia daretur: & tamen Petrus liberè se submergeret. Resp. Sic susponitur, quòd DEUS solus producat impulsus in aquas, tunc, cum iste non strachio Petri, neque potest esse libera actio ejusdem; præsertim, cum etiam hypothesis scientiæ mediæ non fuerit actus primus proximus ad hunc impulsus, à DEO solo provenientem: unde per hunc Petrus non se submerget liberè. Et quamvis Petrus potuisset hunc impulsus impedire, tamen non potuit eum liberè producere, tum ex rationibus adductis, tum etiam ex eo, quòd non habuerit ullam cognitionem de eo producendo.

Si autem casus ponatur, quòd DEUS, supposita illa scientia, ponat aliquam prædeterminationem in Petro ad se præcipitandum, & Petrus ita prædeterminatus se præcipitet, seu producat impulsus submersivum sui, tunc liberè se præcipitabit, & prædeterminationis hæc subsequens

quens scientiam mediam, se habebit ut prædefinitio; quamvis ex alio capite; quia scilicet hæc submersio peccatum esset, ea prædeterminatio repugnaret.

Dices 3. Ergo si DEUS sic decerneret: *Quia video, Petrum in his circumstantiis hanc actionem peccaminosam positurum, volo ipsam privare usu rationis*: etiam in hoc casu erit impedibilis privatio usus rationis, & Petrus eam actionem liberè faciet; consequenter sine vii rationis peccabit: quod est aperte falsum. Resp. neg. illatum. Est in hoc casu in statu conditionato impedibilis sit privatio usus rationis, tamen tollitur libertas; quia tollitur ex actu primo proximo necessarium ejus constitutum, nempe ipse usus rationis; nec datur in statu physico libertas, quæ data fuit in statu intentionali, tanquam hypothesis scientiæ mediæ.

Dices 4. Etiam non datur eadem libertas in casu prædeterminationis ad submergendum. Resp. neg. nihil enim aufertur, sed tantum additur prædeterminatio, quæ non constituit actum primum proximum necessarium: & quamvis sit impedimentum, est tamen aufertibile. Dices 5. Actus habet essentialem respectum ad prædeterminationem: ergo, si hæc impeditur, impeditur principium per se. Resp. ant. multos negare: si tamen hoc verum est, debet admitti, quòd Petrus non esset liber ad actum in hac specie physice infima; quia hunc non posset liberè producere, sicut non est liber ad producendum hoc individuum: esset tamen liber in specie moraliter eadem, de qua re vide *n. 412.*

679. Quæres, quem sensum habeat decretum prædefinitivum, à nobis admissum? Resp. posse convenienter sic explicari: *Quia video am per scientiam mediam, Petrum huic auxilio consensusurum, volo, ut hunc actum sic at, & ideo ei confero hoc auxilium ex speciali benevolentia, ex qua volo ei dare ullum auxilium prævisum cum dissentu: quo modo implicite, & æquivalenter saltem dicitur: Darem hic, & nunc aliud; si viderem istud conjungendum cum dissentu*: exponiturque specialis quedam energia decreti benevoliti, vi cuius DEUS indicat, quòd in casu dissentus dedisset alia auxilia.

Quæ tamen alia auxilia non dedisset DEUS per hoc decretum; quia hoc, quod defacto datur, est essentialiter connexum cum his tantum auxiliis, & hinc non potest conferre alia auxilia: unde tantum ex energia decreti defacto existentis colligitur, quòd DEUS habuisset antecedenter aliud decretum, per quod alia auxilia contulisset. Nec est absurdum, quòd decretum hoc indicet suam impedibilitatem antecedentem, sive indicet, quòd, si ipsum fuisset antecedenter impeditum, tunc elicited fuisset aliud decretum: quamvis non possit indicare, futurum aliud decretum consequenter, seu supposito, quòd aliquod actu existat; nam hoc clarè dicitur mutabilitatem: hæc tamen ipsa benevolentia, & energia decreti, cum sequatur scientiam mediam, est ab homine impedibilis.

Ubi adverto, quòd ea energia decreti præcipue detur in ordine ad actus bonos finales prædestinatorum, quos DEUS specialis efficacia intendit: at non detur in ordine ad actus finales

reprobatorum, quos DEUS neque prædefinit. Dubitari autem potest, an hæc specialis benevolentia decreti detur etiam ad omnes actus intermedios bonos prædestinatorum; cum enim DEUS etiam prædestinatos sæpius sinat omnino graviter labi, non videtur fatum, quòd, quando dat gratiam, etiam efficaciam, ad actus intermedios bonos, eam semper eo affectu det, ut, si inefficacem prævidisset, aliam daturus fuisset. Et adhuc incertus est, an, quando DEUS reprobis dat gratiam efficaciam in ordine ad actus intermedios bonos (nam multi multa bona præstant in vita) eam det eo affectu, ut, si illam inefficacem fore prævidisset, aliam dedisset. Quod autem de his sit, nunquam admittendum, quòd DEUS etiam prædestinatis dedisset affectu prorsus immitato in infinitum alia, & alia auxilia: neque concedendum, quòd ea dedisset per decretum inimpedibile, etiam tantum quoad formalitatem prædestinationis, de quo plura *num. 649.*

680. Hic etiam noto, Gonerum ex Caramuelis *Theologia fundamentali cap. 1. num. 26.* retorquere in nostram prædefinitionem argumentum, quod obijcit decreto prædeterminationis; ait enim, nos sic argumentari: si DEUS determinat creaturam, tunc non est libera: ergo etiam (repliat Caramuel) si creatura determinat DEUM, tunc hic non est liber: quod magis est absurdum. Sed resp. facile. dist. conf. DEUS non est liber ad eum actum, ad quem determinatur à creatura. conc. conf. ad actum prævisum. neg. conf. Hoc ipsum est, quod milites dicimus, DEUM non immediate liberè influere in actus creaturæ liberos, ad quos à creatura determinatur: at creatura deberet immediate liberè influere in actus à DEO prædeterminatos; nam hi ipsi deberent esse immediate liberi creaturæ; alias nec essent meritorii, nec peccaminosi.

ARTICULUS VI.

An prædestinatio ad gloriam detur ante, vel post prævisa merita.

681. Quæritur hic, an decretum prædestinativum hominis ad gloriam, supponat jam scientiam visionis de meritis absolute futuris, saltem ut eminentialiter directivam (de qua directione *num. 555.*) vel an tantum supponat scientiam mediam de meritis conditionate futuris, quam supponi jam probavimus *num. 634.* an scilicet decretum ita tendat: *Quia video, Petrum absolute bene acturum, & in gratia decessurum, eum prædestino ad gloriam*: vel an ita: *Quia video, quòd, si Petrus haberet hæc auxilia, bene ageret, & in gratia moreretur, eum prædestino ad gloriam, eique in hunc finem hæc auxilia confero.*

682. Non autem hic sermo est de prædestinatione ad gratiam, quæ à Platelio vocatur radicalis, estque decretum DEI, volens homini dare gratiam finalem; quia hanc omnes concedunt, non dari ob merita; sic enim habet S. August. *lib. de bono perseverantia cap. 17. Videtur jam, à veritate quam sit alienum, negare, donum DEI*

DEI esse perseverantiam usque in finem huius vite, cum vite huius, quando voluerit, ipse det finem: quam si dat ante imminens lapsum, facit hominem perseverare usque in finem: ergo donum perseverantiae, seu praedestinatio ad gratiam finalem datur antecedenter ad merita absolute praevia: quod etiam probat fuscus Bellarminus de gratia, & libero arbitrio l. 2. cap. 12. Gormaz de merito disp. 4. num. 222. Verum de hac modo sermo non est, sed de praedestinatione ad gloriam, seu de decreto immediate decernente gloriam, & quidem ut coronam; nam praedestinatio infantum, ante usum rationis morientium, vel perpetuo appetitum, utique est ante merita.

Quamvis autem Haunoldus l. 2. num. 903. contendat, possibile esse casum, in quo etiam adultus, rationis capax, salvenit sine meritis condignis, e. g. si elicito actu fidei, & attritione baptizaretur, & mox moreretur; posset tamen in dubium vocari, an non talis homo jam antecedenter ante baptismum sub gravi obligatus fuerit, actum charitatis elicere, utpote jam diu habens usum rationis; quem, si non eliciisset, neque actum attritionis verum supernaturalis elicere potuisset, utpote non volens implere mandatum grave, hic, & nunc obligans. Licet autem supponeretur, post elicito actum iterum in grave peccatum lapsus meritum perdidisse, tamen dein per baptismum id meritum reviviceret. Sed, quid quid de hoc sit, sermo est de praedestinatione ordinaria, & communi: non de ita extraordinaria.

683. Nota hic discrimen inter volitiones; nam una est volitio subjective liberalis, & objective onerosa: altera est volitio subjective, & objective liberalis: tertia est volitio subjective, & objective onerosa. Prima est, quando ipsa volitio liberaliter, seu absque debito concipitur, habet tamen pro objecto aliquod debitum, seu obligationem: e. g. Petrus elicit volitionem, Paulum potius architectum assumendi ad fabricandam domum, quam alium, & postea, constructa domo, eum solvendi. Volitio haec est subjective liberalis; quia existit in Petro, tanquam subiecto, pure liberaliter; potuisset enim hic liberrime alium eligere, cui lucrum cederet. At vero habet objectum debitum, seu onerosum, scilicet solutionem praestandam, non ante, sed post constructam domum; adeoque est objective onerosa; quia, finito labore, tenetur Petrus ex iustitia mercedem rependere. Secunda volitio est, quae neque ex debito, seu onere concipitur, neque habet objectum debitum & c. talis est voluntas pure liberaliter aliquid donandi. Tertia est, quae concipitur ex obligatione, & habet objectum onerosum: e. g. si quis post contracta sponsalia elicit volitionem, vel consensum matrimonialem, vi cuius se obligat ad onera matrimonii.

Ubi etiam nota, non propterea spectare actum aliquem ad virtutem liberalitatis; quia est subjective liberalis; sed debere etiam objective esse liberalem; quia honestas, specificans actum, desumitur ex eius objecto. Hinc decretum, subjective liberale, sed objective onerosum, spectat simpliciter ad iustitiam, qualis datur inter DEUM, & hominem; quia pro objecto habet honestatem conferendi coronam iustitiae; & sic

respicit ius hominis ad gloriam, quamvis non ius ad actum voluntatis Divinae: sicut scilicet voluntas solvendi architectum etiam spectat ad iustitiam. Sic etiam actus charitatis, quamvis absque praecocepto charitatis, liberrime elicitor, non spectat ad virtutem liberalitatis. Sic idem actus charitatis, quamvis sit praecoceptus, non spectat ad obedientiam; quia eius objectum formale ad eam non spectat; e contra voluntas solvendi quodcumque debitum spectat ad iustitiam, licet ipsa saepe non debeat, & eoque iustitiae satisficeret, si debitum necessarii solveretur: quamvis, si actus, liberaliter subjective conceptus, reflecteret in se ipsum, & suam hanc honestatem, etiam aliquo modo spectaret ad liberalitatem; quia potest idem actus ad duas virtutes spectare: & idem dici potest de decreto DEI in nostro casu. His praemissis

684. Dico. Praedestinatio ad gloriam, ut coronam, fit ante merita absolute praevia, ita S. Thomas 1. part. quest. 23. art. 4. in corp. ubi discrimen facit inter praedestinationem, & electionem: atque per hanc intelligit, quod non per praedestinationem; per illam autem intelligit actum voluntatis, ordinantis media ad finem: sic autem habet: Praedestinatio aliquorum in salutem aeternam praesupponit secundam rationem, quod DEUS illorum velit salutem: & infra: Dilectio praesupponit electioni secundam rationem, & electio praedestinationi: clarius adhuc in 1. disp. 41. quest. 1. art. 2. ad 1. dicens. Electio enim Divina est, qua aliqui ex ordine suae sapientiae ordinantur ad finem beatitudinis: sed praedestinatio est, secundum quod preparantur eis ea, quae perducunt in finem: & ideo, sicut voluntas, ordinans in finem, praecedit actum voluntatis, preparantis ea, quae ducunt in finem, ita electio praedestinationem praecedit, videatur de mente S. Doctoris Fasolus in 1. part. quest. 23. art. 1. dub. 3. num. 26. ubi testatur, Thomistas omnes consentire.

Accedit Scotus in 1. disp. 41. quest. unica, potest aliter: ubi ait, DEUM ante gratiam, & alia media, velle creaturae beatitudinem, tanquam finem. Doctorem suum sequuntur Scotista. Ex nostris idem sentiunt Bellarminus, Toletus, Suarez, Ruiz, Granadus, Recupitus, Ariaga, Gormaz, Haunoldus, Ulloa de DEO disp. 3. num. 113. P. Thyrsus tom. 2. select. disp. 8. sect. 2. & alii valde communiter. Quamvis autem opposita quoque sententia non destituatur sua auctoritate, tamen multos, ab adversariis citatos, non stare pro ipsis, ostendit Fasolus, modo citatus.

685. Prob. conclusio. Ad Ephef. 1. v. 4. dicit Apostolus: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius: ergo elegit, hoc est, ex mente S. Thomae cit. num. 684. ordinavit ad beatitudinem, non quia eramus sancti, seu habebamus iam merita absolute praevia; sed, ut essemus, & haberemus merita, adeoque ante scientiam visionis. ita exponit hunc textum S. Augustinus de praedest. SS. c. 19. dicens: Cum dicat Apostolus, non quia futuros tales nos esse praecitavit, sed ut essemus tales per ipsam electionem gratiae suae. item S. Hieronymus in hunc locum S. Pauli scribens: Non enim ait Paulus: elegit nos ante constitutionem mundi; cum essemus sancti, & im-

maculati; sed elegit nos, ut essemus sancti, & immaculati, hoc est: qui sancti, & immaculati ante non sumus, ut postea essemus.

Nec dicas, tantum hoc textu probari electionem immediatam ad gratiam; nam hoc contra S. Thomam (qui per electionem intelligit ordinationem ad beatitudinem) & communionem, gratis dicitur. Dein saltem debet hic intelligi electio ad gratiam finalem; quia S. Paulus loquitur de sanctitate finali, per quam immaculati comparebimus in conspectu DEI in caelis: ergo electio ad gratiam finalem datur ante merita absolute praevia: sed ante hanc electionem ad gratiam, iam datur electio ad gloriam: ergo multo magis ista datur ante merita absolute praevia: prob. min. subsumpta. Gratia est medium ad gloriam: ergo, cum ex S. Thoma cit. num. 684. prius DEUS eligat finem, quam media, etiam prius eligat gloriam, quam gratiam, adeoque etiam prius eligat hominem ad gloriam, quam ad gratiam: praeterquam, quod nulla ratio sit negandi immediatam praedestinationem ad gloriam.

686. Conf. 1. Matth. 24. v. 22. dicit Christus. Sed propter electos breviantur dies illi: ne scilicet etiam ipsi electi pervertantur, & gratia excidant: ergo electio non fit propter merita, absolute praevia. prob. conf. Deberet ea fieri maxime propter merita finalia, seu perseverantiam finalem, ut patet: atqui propter ista non fit: ergo. prob. min. Ipsa electio est causa, ut electi citius moriantur, & habeant perseverantiam finalem; quia ideò DEUS eos vult citius mori, seu eorum dies brevianti; quia electi sunt: ergo non merita sunt causa electionis, sed electio est causa meritorum, & perseverantiae eorum. Plura ex Scripturis videantur apud Fasolus questione citata num. 52. Haunoldum l. 1. num. 500. Gormaz de DEO disp. 16. sect. 3. n. 946.

Conf. 2. ex S. Augustino, qui praeter dicta num. 685. relata, iterum de corrept. & gratia c. 7. dicit, hominibus praedestinatione discretis à massa perditionis, seu ab originali damnatione, procurari auxilia ad salutem: adeoque supponit, ipsam praedestinationem ad gloriam esse radicem omnium auxiliorum, consequenter etiam meritorum: & addit: Quicumque enim electi, sine dubio vocati: non autem quicumque vocati, consequenter electi: ubi iterum supponit, electionem esse rationem vocationis, seu gratiae, adeoque meritorum. Ne autem dicatur, eum agere de electione ad gratiam, sub finem capit se explicat, dicens: Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus, cui congruebat. Rufinus cap. 12. ait: Nunc vero sanctis, in regnum DEI per gratiam DEI praedestinati, non tantum tale adiutorium perseverantiae datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa doneatur: ergo non perseverantia est causa electionis, sed haec illius, adeoque praecedit.

687. Prob. conclusio 2. ex Concilio Valentino XIII. sub Leone IV. Pontifice anno 855. quod sic definit cap. 3. Fidenterque fatemur, praedestinationem electorum ad vitam, & praedestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordiam DEI praecedere meritum bonum: in damnatione autem peritorum meritum

malum praecedere iustum DEI iudicium. Non autem dicas, sermonem hic tantum esse de meritis naturaliter, vel moraliter bonis: non autem de supernaturaliter bonis; nam & Concilium, & PP. universalissimè loquuntur, nec restringunt sua dicta ad opera naturalia: imò nec restringere possunt; cum loquantur etiam de sanctitate, in qua coram DEO apparere debebimus.

Sic S. Fulgentius l. de fide ad Petrum cap. 3. sub finem. Illi autem cum Christo regnabunt, quos DEUS gratuita bonitate sua praedestinavit ad regnum; quia enim tales praedestinando preparavit, ut regno digni essent, preparavit utique secundum propositum vocandos, ut obediant &c. Idem l. 1. ad Monimum multum ante medium: Quos praedestinavit ad gloriam, praedestinavit ad iustitiam: ubi priorem praedestinationem assignat tanquam radicem secundae. Hugo de S. Victore in epist. ad Roman. quest. 225. ex occasione explicans illud Matth. 22. v. 14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi: docet, effectum praedestinationis esse vocationem specialem, quae fit, ait, secundum propositum, secundum quam nullus vocatur, nisi electus, & praedestinatus: ergo ista vocatione, scilicet ad merita, supponit praedestinationem ad gloriam. Plura in hanc rem, praesertim ex SS. PP. Prospero, Hilario, &c. vide apud Fasolus loco cit. ubi hanc quaestionem fuscè pertractat.

688. Probat conclusio 3. etiam aliqua ratione. Praedestinatio, ut subsequens scientiam mediam, non obest libertati humanae: ut autem antecedens scientiam visionis, magis commendat misericordiam DEI, & specialem benevolentiam erga electos, quam Scriptura, & Patres adeò commendant: insuper gloria, conferenda ut corona, est finis dignissimus, qui ametur, & intendatur à DEO, potestque immediate post scientiam mediam intendi: nec est ulla ratio, cur DEUS quasi cunctanter, & suspensivè agat, prius una formalitate actus Divini intendendo media, dein altera videndo merita, & territi primùm decernendo gloriam; cum finis soleat intendi ante media, quando potest: ergo longè convenientius admittitur nostra sententia.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

689. Objicitur 1. Matth. 25. v. 34. dicitur: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. ergo merita praecedunt praedestinationem. Confirm. Eodem capite superius v. 23. dicitur. Enge serve bonae, & fidelis; quia super pauca fuisi fidelis, super multa te constituam: ergo debet praecedere fidelitas, seu merita. Resp. neg. conf. Non praedestinationem, sed collationem gloriae praecedunt merita. Ad summum absoluta praevio meritorum debet formaliter praecedere formalitatem decreti ut executionis, seu formalitatem executionis in mente Divina: sicut voluntatem, absolute hic, & nunc praestandi solutionem, praecedit visio fabricae absolute factae, vel operum jam exhibitum: non autem debet ea praevio praecedere formali-

malitatem decreti intendentis, seu prædestinantis ad gloriam. Ad confir. eadem est responsio.

690. Ob. 2. S. Paulus 2. ad Timoth. 2. v. 21. ait. *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem*: ergo emundatio debet præcedere prædestinationem. Confir. Jacob. 2. v. 5. dicitur *DEUS elegit pauperes in hoc mundo, divites infide, & heredes regni*: ergo supponitur, ut paupertas, ita & fides, seu merita, ad electionem. Resp. neg. conf. Ut rectè Bellarminus de grat. & liber. arbit. l. 2. cap. 13. Apostolus non dicit, quod per emundationem fiant vasa in honorem, sive, quod emundatio, absolute prævisa, præcedat prædestinationem; sed Apostolus tantum ponit signum, ex quo possit cognosci vas in honorem: sicut, si diceretur: qui portaverit magnum pondus, erit fortis, vel sanus.

Ad confir. retorq. argument. Ergo etiam ante prædestinationem debent esse hæredes regni; quia, sicut dicitur DEUS elegisse pauperes, & divites in fide, ita etiam hæredes regni. In forma neg. conf. cum S. Aug. de prædest. Sanctorum c. 17. circa finem dicens, ipsam prædestinationem esse causam fidei, ita enim ait: *Elegit ergo DEUS fideles; sed, ut sint; non, quia jam erant.* Apostolus Jacobus dicit: *Nonne DEUS elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod promissit DEUS diligentibus se? Eligendo ergo facit divites in fide, sicut heredes regni.* Hæc Augustinus, quibus clarè exponitur pro nobis textus S. Jacobi,

691. Ob. 3. 2. Petri 1. v. 10. dicitur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: ergo electio sequitur merita absolute prævisa. Resp. neg. conf. Ut rectè Bellarm. l. 3. de iustificat. c. 9. sub finem, Apostolus ibi non agit de certitudine ex parte subjecti; quia respectu DEI, quasi subjecti, prædestinatio est subjective certissima; sed agit Apostolus de certitudine objectiva, sive ex parte objecti, seu effectus, ut scilicet faciamus bona opera, per quæ prædestinationem ipsam faciamus certam, hoc est, firmam, & consequenter impedibilem; nam antecedenter, utpote dependens à scientia media de bonis operibus, potest à nobis impediri: quod si fieret, prædestinatio, nec firma, nec certa foret. Idem quoque docet Fafolus in 1. p. quest. 23. art. 1. dub. 3. n. 70.

692. Ob. 4. S. August. l. 1. ad Simplicianum quest. 2. ait. *Non tamen electio præcedit iustificationem; sed electionem iustificatio; nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur*: ergo merita iustificationis præcedunt electionem. Resp. dist. conf. merita præcedunt electionem, de qua ibi S. Augustinus loquitur. omitt. conf. electionem, de qua nos loquimur, & S. Augustinus alibi. neg. conf. Per electionem S. Augustinus ad Simplicianum non intelligit tantum benevolam DEI, uni præ altero gloriam decernentis, affectum, independentem à meritis absolute prævisis conceptum (nam hunc affectum illo libro ad Simplicianum manifestè admittit, dum exemplum Jacobi, & Elau, ad hanc ipsam veritatem adstruendam centies adducit) sed intelligit ibi S. Doctor electionem strictius dictam, quando unus jam dignus, seu, ut ait, distans ab altero, scilicet per merita sua, alteri præfertur: & hinc

dicit, sibi non videri, inter Jacob, & Elau, electionem fuisse: quamvis sub finem ejusdem questionis dicat, si electio in talibus casibus intercedat, eam esse nobis omnino occultam.

Neque nos talem electionem, aut prædestinationem, ante merita absolute prævisa, adstruimus: sed aliam, quæ tantum sit benevolus affectus DEI, hominem ante merita, absolute prævisa, præordinantis ad gloriam: quem affectum S. August. in psal. 30. & illa verba: *In manibus tuis sortes meæ: conc. 2. de medio ejusdem psalmi appellat fortem*: sic enim habet. *Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam, qua salvati sumus. Quare fortis nomine appellat gratiam DEI? Quia in sorte non est electio, sed voluntas DEI; nam ubi dicitur: Iste facit, iste non facit, merita considerantur: & ubi merita considerantur, electio est, non fors. Quando autem DEUS nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit; quia voluit, non quia digni fuimus.* Hanc autem sortem alibi etiam S. Doctor electionem, scilicet latius sumptam, vocat: & hanc tantum assensimus. Hæc responsio melior est illa, quam tradit Haunoldus, admittens, S. Augustinum scripta ad Simplicianum alibi retractasse; nam hoc probari nullo modo potest: imò nihil eum circa hæc retractasse probavimus num. 401.

693. Ob. 5. Autoritas aliorum PP. ut SS. Ambrosii, Hilarii, Fulgentii, Prosperii; sed quoniam textus eorum afferre nimis foret longum, & videri possunt apud Bellarminum l. 2. de grat. & liber. arbit. c. 14. ubi Patres etiam explicat, ut pateat, nostræ sententiæ eos non obesse: vel apud Fafolus in 1. p. q. 23. a. 1. dub. 3. n. 71. & 78. ac seq. ad eos lectorem remitto: solum dico, SS. Prosperum, Hilarium, ac Fulgentium nobiscum sentire, ut probatum: consequenter non existimandos sibi statim iterum contradicere: insuper S. Augustino familiarissimos fuisse, ejusdemque doctrinæ addictissimos, adeoque censendos esse, idem cum illo sentire: & hinc, si aliquando velint, merita prædestinationem antecedere, intelligendos esse de prædestinatione secundum formalitatem executionis juxta dicta num. 689.

Sic S. Ambrosius dum l. 5. de fide c. 2. ante finem scribit: *Non enim ante prædestinavit, quam præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* exponendus: nam hæc scripsit in illud Matth. 20. v. 23. *Non est meum dare vobis: scilicet sedere ad dexteram, vel sinistram*, ubi, ut ait Fafolus, clarè sermo est de executione gloriæ; cumque executio gloriæ, ex nostris operibus pendens, nos magis incitare videatur ad opera bona, quam prior Divina intentio, hinc SS. PP. eam sapius inculcant. Aliquando etiam scientia, vel præscientia quodque, potest significare solam scientiam conditionalem, ut ex Suarez observavimus num. 394.

694. Ob. 6. Quod decernitur ante merita, decernitur gratis dandum: sed gloria non decernitur gratis danda: ergo. Confir. Actualis executio, vel collatio gloriæ sequitur merita absolute prævisa: ergo etiam decretum conferendi gloriam. prob. conf. Sicut merita debent movere ad actualem collationem gloriæ, ita etiam debent movere ad decretum conferendi gloriam: atqui non movent, nisi ut absolute prævisa: ergo. Resp. dist. maj. quod decernitur ante

ante merita, decernitur gratis subjective. conc. maj. semper objective. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. Modo ipsa gloria non detur in executione gratis, jam est corona justitiæ. vide num. 683.

Ad confir. neg. conf. ad prob. neg. maj. merita enim tantum debent causare ipsam gloriam, non autem decretum ex num. 559. & seq. Nec est verum, quod etiam ipsa voluntas præmiandi sit debita juri meritorum; hæc enim esse potest subjective liberalis, & objective onerosa, ut explicatum num. 683. Sed neque verum est, quod decreta Divina servant inter se ordinem, quem servant objecta; nam imprimis est tantum unicum decretum, consequenter non potest servare ordinem plus quam formalem: dein neque hunc debet servare; cum unice formalitas intentiva finis sæpe prior sit formalitate intentiva mediorum, quamvis in executione media sint priora.

695. Ob. 7. Præmium est bonum non debitum antecedenter ad merita: sed juxta nos, sive, si esset jam decretum ante merita, etiam jam esset ante ista debitum: ergo. Confir. Præmium est aliquid, quod potest negari, etiam postquam jam merito, & non sequitur propter necessariam connexionem ex merito: sed non ita se haberet in nostra sententia: ergo. Resp. dist. maj. Præmium est bonum non debitum antecedenter, hoc est, non debitum independentem à meritis. conc. maj. nullo modo debitum antecedenter, neg. maj. & dist. min. juxta nos esset aliquo modo debitum antecedenter, sed tamen dependenter à meritis. om. min. independentem ab his. neg. min. & conf.

Præmium, cum sit merces meritorum, non potest deberi independentem ab istis: potest tamen aliquo modo deberi antecedenter ad merita absolute prævisa, si per antecedenter deberi nihil aliud intelligatur, quam deberi ratione decreti, suo modo antecedentis merita absolute prævisa, sed tamen non volentis conferre præmium, nisi intuitu meritorum; in hoc enim sensu juxta nos debetur præmium antecedenter ad merita; sed non independentem ab illis, quod solum repugnat conceptui præmii. Ad confir. dist. maj. præmium est tale aliquid, si spectetur præcisè quoad prædicata intrinseca. conc. maj. si spectetur etiam quoad prædicata extrinseca. neg. maj. & dist. sic min. neg. conf. In nostra sententia gloria, spectata tantum quoad prædicata intrinseca, posset negari: at non potest negari, si spectetur etiam quoad prædicata extrinseca, sive ut prædefinita, aut promissa à DEO: quod tam parum obest conceptui meriti, quam parum promissio ducis, facta militi de eo promovendo, si benè se gerat.

696. Ob. 8. Talia sunt decreta DEI interna, qualia nobis manifestantur externè: sed externè tantum nobis manifestantur decreta salvandi homines post merita: ergo decreta DEI interna tantum sunt decreta salvandi homines post merita. Resp. intelligenda decreta tantum formaliter distincta, omitt. maj. neg. min. Sufficiens ex Scripturis, & Patribus (ex quibus debet colligi revelatio) habemus, quod DEUS habeat decretum, antecedenter ad merita præ-

stinativum. Quod autem DEUS de aliquo in particulari non revelet, quod sit prædestinatus ante merita, non obest; quia DEUS non omnia revelat, quæ decernit: insuper aliqua revelationes, quæ videntur indicare prædestinationem post merita, ritè explicantur de executione gloriæ, & non præcisè de intentione.

697. Ob. 9. Juxta nostram sententiam non potest quis se facere prædestinatum: ergo, si non est prædestinatus, frustra laborat, nec est ipsius potestate salvari. Resp. retorq. argum. ipsa prædestinatione ad gratiam efficacem finalem, quæ ab omnibus admittitur antecedere merita, & necessariò post se trahit prædestinationem ad gloriam; nec magis est in potestate hominis, quam prædestinatio ad gloriam, adeoque involvit eandem difficultatem, ut patebit consideranti. Resp. 2. ex S. Prospero responsione 3. ad Capitula Galorum, ubi ait: *Non ex eo necessitatem peccandi habuerunt; quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt; quia tales futuri ex voluntaria peccatione præsciti sunt.* Idem S. Doctor ad objectiones Vincentianæ responsione 12. ait: *Quia præsciti sunt casari, non sunt prædestinati: essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate, ac veritate mansuri: ac per hoc prædestinatio DEI multis est causa standi, nemini est causa labendi.*

In forma dist. ant. Non potest quis se facere prædestinatum, in hoc sensu, quod possit determinare DEUM ad hæc potius auxilia, quam alia danda. conc. ant. non potest se facere prædestinatum, in hoc sensu, quod possit DEUM, quando hic vult dare auxilia, determinare ad ea danda potius per decretum prædefinitivum, quam permissivum. neg. ant. & conf. Unde ex suppositione, quod DEUS det gratiam homini, est ipsius potestate facere, ut sit prædestinatus. videatur Aldrete in 1. part. tom. posteriori disp. 23. sect. 4. ubi num. 15. & 16. etiam quarit, an hæc prædestinatio, existens suo modo in potestate hominis, sit prædestinatio antecedens merita absolute futura, an consequens: de qua non sum sollicitus; quia etiam subsequens esset sufficiens ad salvandam libertatem, prout docet Gormaz de DEO n. 964. videatur etiam Haunoldus l. 1. tract. 1. num. 553. ubi ait, esse in potestate nostra, ut DEUS videat hæc auxilia, si conferantur, fore efficacia, nosque per illa prædestinet: & in hoc sensu prædestinationem esse aliquo modo in nostra potestate: additque, sic sentire Molinam, Valentiam, Arrubal, Lugo, Elparzam, Pallavicinum, Granadum, & alios.

Consentit Fafolus tom. 2. in 1. part. quest. 22. art. 5. dub. 2. n. 19. & seq. docens, prædestinationem, formaliter sumptam pro benevolus affectu DEI, non esse in nostra potestate, esse tamen sumptam terminativè, seu in ordine ad executionem, quatenus DEUS nos prædestinavit ad gloriam, executivè ob merita conferendam, quæ merita sunt in nostra potestate. Sic etiam non est in hominis potestate prædestinatio, ut est collativa gratiæ: sed iterum est in potestate hominis, ut ea gratia conjungatur cum consensu, & sit in actu secundo efficac. Videtur etiam posse dici, quod in nostra potestate sit prædestinatio, non absolute, & determinatè, sed conditionatè, & disjunctivè; quia est in potestate

state nostra, ut, si DEUS det gratiam, det potius per decretum prædestinativum, quam reprobativum.

698. Ob. 10. Juxta nos prædestinatus non posset amplius DEUM graviter offendere: hoc est falsum: ergo. prob. maj. Prædestinatus non posset offendere DEUM usque ad dissolutionem amicitia: ergo non graviter. prob. ant. DEUS tali homini semper vellet efficaciter summum bonum, independentem à meritis: neque posset illum privare vitâ æternâ, quam decreto immutabili ei jam destinavit: ergo non posset illum odisse, quasi rupta esset amicitia. Hoc argumentum Platellii retorquetur in prædestinatione radicali, seu ad gratiam finalem, quæ etiam juxta adversarios merita præcedit; DEUS enim talem tam parum potest privare vitâ æternâ, quam parum immediate prædestinatum ad gloriam.

Resp. neg. maj. Etiam prædestinatus DEUS aliquando dat gratias tantum inefficaces; aliàs nemo esset prædestinatus, qui semel mortaliter peccasset. Has tamen gratias Hæmolus vult, non esse effectus prædestinationis; quia non ordinantur ut media efficacia ad illam tanquam finem. Ad prob. neg. ant. dissolveretur enim amicitia pro aliquo tempore, sed esset iterum ante mortem redintegranda. Ad hujus prob. omitt. ant. (de quo posset disputari ex eo, quod prædestinatio sit impedibilis ab homine, & alligata certis mediis) neg. conf. Rupta tamen esset amicitia, sed remaneret benevolentia, vi cujus DEUS talem hominem non privaret gloriâ, sicut juxta adversarios non privaret gratiâ finali, & consequenter nec gloriâ.

Discrimen namque faciendum est inter benevolentiam, & amicitiam. Benevolentia tantum requirit benevolum affectum amantis erga amatum, & stat cum odio; nam DEUS utique habet benevolum affectum erga peccatores omnes; quia dat omnibus gratias sufficientes, plurimis etiam efficaces: & tamen eos odit, ut est innegabile. Amicitia insuper requirit aliquam proportionem in natura: & hinc inter hominem, ac brutum non potest dari amicitia, sed tantum benevolentia. Non tamen proportio debet esse arithmetica, sed sufficit geometrica, quæ respectu DEI, & hominis, juxta omnes stat in gratia sanctificante, & in peccatore, etiam prædestinato, non datur, adeoque nec amicitia.

Ob. 11. Juxta nos formalitas Decreti intentiva gloriæ præcederet absolutam visionem meritorum, & esset subjectivè liberalis: at verò formalitas executiva gloriæ, & collativa præmii, esset subjectivè onerosa: ergo daretur distinctio virtualis decretorum, quam non admittimus. ant. quoad 1. p. est nostra conclusio: quoad 2. probatur. Formalitatem decreti absolute conferendi præmii debet præcedere absoluta visio meritorum, & illam, saltem eminentialiter, dirigere: ergo hæc formalitas est subjectivè onerosa. prob. conf. Post visionem absolutam meritorum non potest DEUS non concipere voluntatem præmiandi: ergo hæc voluntas est subjectivè onerosa. Resp. neg. 2. p. ant. ad prob. conc. ant. neg. conf. ad hujus prob. dist. ant. non potest DEUS non concipere voluntatem præmiandi ex suppositione, quod jam antecedenter liberaliter voluerit præmii

premittere. conc. ant. non posita hac suppositione. neg. ant. & conf. Potuisset DEUS absolute nolle præmiare merita: unde ipsa volitio præmiandi est subjectivè purè liberalis; neque enim, ut jam diximus à n. 560. merita possunt causare actum voluntatis Divinæ, sed tantum hujus objectum, seu passivam collationem præmii.

Urgebis. Formalitas intentiva gloriæ non supponit scientiam visionis de meritis absolute futuris: formalitas executiva gloriæ eam supponit: ergo adhuc distinguuntur virtualiter. Resp. neg. conf. Hæc præsuppositio, vel non præsuppositio, tantum infert distinctionem formalem, ut jam diximus à n. 560. nam decretum DEI virtualiter indivisibile habet plures formalitates, tum scientiæ, tum volitionis, invicem formaliter, non autem realiter, aut virtualiter, ad se priores, vel posteriores: & decretum, de quo modo agimus habet 1. formalitatem intentivam gloriæ, 2. collativam gratiæ. 3. visionis absolute meritorum. 4. collationis absolute præmii, seu gloriæ. videatur etiam n. 555. & infra n. 709. Ad do tantum, hanc difficultatem æquè premeret eos, qui, admissio decreto virtualiter indivisibili, volunt, ad gloriam prædestinari homines primum post merita absolute prævisa; nam hi debent tamen admittere, quod prædestinantur homines ad gratiam ante merita absolute prævisa, adeoque jam una formalitas decreti, nempe collativa gratiæ, est subjectivè liberalis: consequenter debent isti auctores nostris hæc responsis objectioni simili satisfacere.

ARTICULUS VIII

An reprobatio positiva detur ante peccata absolute prævisa.

699. Sicut Prædestinatio, ita & Reprobatio potest aliqua radicalis, alia formalis dici. Reprobatio radicalis est, qua DEUS vult homini tantum inefficacem gratiam conferre, non quidem, ut intendatur ab ipso inefficax quæ talis, sed, quæ talis fit ex malitia hominis. Reprobatio formalis est, qua DEUS non vult homini conferre gloriam, & iterum in negativam, & positivam subdividitur. Negativa est pura negatio prædestinationis, seu electionis ad gloriam, quando scilicet DEUS aliquos non eligit. Positiva (quæ intelligitur per reprobationem strictè dictam) est ex Magistro Sententiarum lib. 1. dist. 20. Præscientia iniquitatis quorundam; & præparatio damnationis eorundem: scilicet, ut addit Magister ibidem, DEUS alterum præscit, & non præparat, id est, iniquitatem: alterum præscit, & præparat, scilicet æternam penam. Unde reprobatio, sicut prædestinatio, stat in actu intellectus, & voluntatis. Reprobi autem communiter dicuntur præsciti, non prædestinati: licet aliquando S. Augustinus, & etiam Concilium Valentinum cit. num. 687. dicant, prædestinationem impiorum ad mortem.

700. Dari reprobationem, etiam positivam, est innegabile; quia utique DEUS multos positivè damnat, & propter eos, præsupposita ipsorum iniquitate, præparavit infernum.

Sic

Sic pluribus Matth. 25. v. 41. dicit Christus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo.* Multo minus negari potest reprobatio negativa, quæ ex positiva sequitur, quæque ad minimum infertur ex illo ad Rom. 9. vers. 22. ubi quidam vocantur *vasa iræ apta in interitum*, scilicet ij, in quibus DEUS voluit ostendere iram, & notam facere potentiam suam: hoc est, quos voluit damnare. Iterum Ecclesiastici 9. v. 11. dicitur: *Speciem mulieris alienæ multi admirant reprobi facti sunt.* item 1. Corinth. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, & in servitatem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar:* Et quamvis fortè vox reprobus possit accipi tantum pro improbo, ut observat Suarez l. 5. de reprobatione c. 1. num. 1. tamen etiam optimè cum S. Anselmo exponi potest in significatione Scholasticis usurpata pro reprobato.

701. Jam reprobationis negativæ comparativæ, id est, horum potius, quam illorum, nulla datur causa ex parte hominum. ita S. Thomas citandus num. 705. & alii. Ratio est; quia DEUS pro sua libertate alios eligit, alios non eligit. Certè negatio primæ gratiæ congruæ, ex qua videtur secutura finalis injustitia, non datur ob peccatum præcedens; quia nullum præcedit. Nec recurrit ad peccatum originale; quia in primis hoc non est datum in Angelis, inter quos tamen plures fuere negativè reprobi: dein hominibus tam prædestinatis, quam reprobis commune est.

Unde quamvis, ut probat Fafolus tom. 2. in primam partem quæst. 23. art. 5. dub. 1. peccatum originale possit esse causa negativæ reprobationis absolute, in hoc sensu, quod DEUS homines in originale lapsos, atque, ut ait D. Augustinus, in damnationis massa inclusos, potuerit justè in ea relinquere: non tamen potuit esse causa, ut DEUS ob illud potius hunc, quam alium, in ea relinqueret. Quare autem DEUS hos eligat, alios negligat, spectat ad abyssum judiciorum Divinorum. videantur dicta n. 632. Reprobationis autem positivæ causa se tenet ex parte hominis, & sunt peccata ipsius, infernum promerita. Queritur tamen hic, an decretum DEI, positivè reprobativum hominis, detur ante peccata absolute prævisa, sicut prædestinatio, vel ante primum post scientiam visionis de illis.

702. Dico. Repugnat reprobatio positiva ante absolutam prævisionem peccati: unde ea datur primum post peccata absolute prævisa (quamvis jam ab æterno detur; quia nempe omne decretum DEI debet dari ab æterno.) ita S. Thomas quæst. 6. de veritate art. 1. ad ultimum. Secus in primum dist. 41. quæst. unica §. potest aliter. Suarez l. 5. de reprobatione cap. 3. ubi plures citat acriter censurantes oppositam sententiam, Fafolus tom. 2do. in 1. part. quæst. 23. art. 5. num. 10. & alii communissimè. Probatur 1. autoritate Concilii Valentini citati num. 687. & plurium Patrum, quos citat Suarez. Prob. 2. ratione. Reprobatio positiva est præparatio pœnæ inferni pro homine, & est positiva ordinatio, vel adjudicatio ejusdem ad pœnas inferni: sed hæc repugnat ante absolutam prævisionem peccati: ergo. prob. min. Adjudicare hominem pœnis, vel ordinare ad illas, ante culpam absolute prævisam, ut rectè ait Scotus loco cit. sapit inclinationem

animi ad puniendum, vel crudelitatem, quæ DEO repugnat: ergo. ant. cuilibet intellectui ritè disposito per se patet: certè, sicut ordinare hominem ad præmii, & felicitatem, sapit benignitatem, & liberalitatem, sic econtra ordinare eum ad pœnam sapit proclivitatem ad puniendum.

Hoc magis patet ex ipso modo tendendi decreti, qui esset iste: *Quia video, si Petrus haberet hæc auxilia, dissentiret, & peccaret, ideo volo ipsum damnare ad infernum, & propterea volo ipsi conferre dicta auxilia, & ejus peccatum permittere:* qui modus utique indicat inclinationem ad puniendum, seu crudelitatem; quia intendit pœnam ut finem, auxilia, & peccata, ut media. Quod DEUM insuper etiam ex eo capite decidere videtur; quia hac ratione hæret, & vellet aliquo modo peccata, ut media ad finem à se intentum, nempe damnationem. Confirmit. Si DEUS ante peccata actu puniret, ageret contra benignitatem effectivè: ergo, si ante peccata absolute prævisa jam decerneret punire, agit contra benignitatem, saltem affectivè.

703. Jam effectus reprobationis, ut docet Suarez lib. 5. de reprobatione cap. 7. debent esse illius, qui reprobatur, adeoque DEI: unde peccata non sunt effectus reprobationis, ut impie docuit Calvinus: sed tantum permissio peccati, & insuper pœna inferni. Permissio peccati, ut habet Suarez, est effectus reprobationis negativæ, saltem, si non sit pœna alterius peccati; quia permissio ista datur ante culpam: adeoque non potest infligi per judicium punitivum, quale est reprobatio positiva. Pœna inferni autem est effectus reprobationis positivæ; quia ob culpam infligitur. Potest etiam reprobationis positivæ effectus esse mors, si infligitur in pœnam peccati, maximè finalis. Non tamen omnis permissio peccati est effectus reprobationis; quia etiam in electis DEUS sæpè permittit peccata gravia: sed tantum illa permissio est effectus reprobationis, quæ connexa est cum finali peccato, & æterna damnatione. Vide Suarez loco citato.

ARTICULUS IX.

Solvuntur Objectiones.

704. Ob. 1. Ad Rom. 9. v. 22. dicitur, *DEUS volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum:* ergo, ante absolutam prævisionem peccati, DEUS aliquos aptat in interitum, ad ostendendam scilicet iram suam. Confirmit. Ibidem v. 12. dicitur: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei;* quia major serviet minori, sicut scriptum est: *Jacob dilexit, Esau autem odio habuit:* ergo, sicut independentem à meritis DEUS Jacob dilexit, hoc est, prædestinavit, ita Esau odio habuit, hoc est, reprobavit. Resp. neg. conf. Textus tantum significat, DEUM, etiam post absolute prævisa peccata, non statim punire, sed patienter differre pœnam ad ostendendam clariùs pœnæ justitiam, & iram post peccata. S. Thomas etiam 1. part. quæst. 23. art. 5. ad 3. illud sustinuit exponit per vocem *permisit*. Ad confirmit. neg. conf. In primis hoc textu non usi sumus ad probandam præ-

prædestinationem ante merita absolutè prævisa: sed, si etiam per eum probaretur prædestinatio illa, non statim probaretur reprobatio; quia non eodem modo de una, ac de altera, accipiendum eum textum probatur ex bonitate DEI. Ad summum probaretur reprobatio negativa. vide etiam de hoc textu *num. 626.*

705. Ob. 2. Idem Apostolus *ad Rom. 9. vers. 17.* inducit DEUM loquentem de Pharaone: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam:* ergo Pharaon fuit à DEO antecedenter ad peccata ordinatus ad ostendendam iustitiam DEI. Confir. 1. *Proverb. 16. v. 4.* dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum:* ergo. Confir. 2. ex S. Thoma 1. part. *quest. 23. art. 5. ad 3.* ubi ait: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi Divinam voluntatem:* ergo reprobatio datur antecedenter ad merita. Resp. neg. conf. Illud *excitavi* non significat positivam excitationem, sed tantum permissivam; nam sæpe Scriptura loquitur de permissione DEI, quasi de actione positiva, vel etiam præcepto, ad declarandam ejus certitudinem: unde hic textus communissimè exponitur: *Ego permisi tua scelera, quæ dein ordinavi ad ostendendam meam potentiam.*

Neque etiam particula *ut* ibi accipienda est causaliter, ut significet finem, antecedenter à DEO intentum; sed tantum consecutivè, ut significet eventum futurum, non quidem ex intentione DEI antecedente, sed ex alia suppositione, ita Suarez *l. 5. de reprobatione c. 4. n. 10.* Huc facit S. August. *l. 1. ad Simplicianum quest. 2.* agens de obduratione Pharaonis, & sic scribens: *Ut obduratio DEI sit nolle misereri: ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum, quo sit melior, non erogetur: & paulò inferior: Ob hoc DEUS dicitur obdurare peccantes quosdam; quia non eorum miseretur, non quia impellit, ut peccent.*

Ad 1. confir. neg. conf. Non operatur DEUS impium quàm talem; aliàs esset auctor peccati: sed tantum operatur hominem, quem negativè reprobando permittit fieri improbum, eumque post absolutè prævisa peccata consequenter ordinat ad diem vindictæ malum. Ad 2. confir. dist. conf. reprobatio positiva datur antecedenter ad merita. neg. conf. negativa. conc. conf. De hac enim tantum loqui S. Doctorum patet ex verbis his statim subjunctis: *Unde Augustinus dicit super Joannem: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Ecce per reprobare intelligit non trahere, seu negare auxilium efficac.

706. Ob. 3. Bonitas DEI non minus relinquitur ex pœna peccati, quàm ex præmio boni operis: ergo, si DEUS ad ostendendam bonitatem potest prædestinare ante merita absolutè prævisa, poterit etiam ante eadem reprobare. Confir. DEUS ratione supremi domini potest innocentem cruciare pœnis æternis inferni: ergo etiam ante peccata absolutè prævisa damnare. Resp. dist. ant. Bonitas DEI relucet non minus, & eodem modo. neg. ant. non minus, sed diverso modo, conc. ant. & neg. conf. Bonitas iustitiæ elucet tunc; quando supponuntur peccata absolutè prævisa; si enim hæc non supponantur,

elucei in puniendo crudelitas. At bonitas liberalitatis, & misericordiae, elucet in beneficiendo, etiam, imò magis ante merita.

Ad conf. neg. ant. Si homo bestiam ita torqueret, conferretur crudelitas. Dein homo ita cruciatus esset in morali necessitate desperandi, in quo DEUS non potest eum ponere ex sua determinatione. Respondent alii 2. omiff. ant. neg. conf. Reprobare positivè, significat per sententiam juridicam destinare ad pœnas illas, tanquam punitionem, seu pœnam, non tantum tanquam ad cruciatum: quam sententiam DEUS ferre non potest, ante peccatum absolutè prævisum.

707. Ob. 4. DEUS pro libitu, ante omne prævisum peccatum, potest homini negare bonum indebitum, quale est gloria: ergo potest etiam decernere pœnam. Resp. 1. neg. conf. illud enim non sapit crudelitatem, saperet autem istud. Resp. 2. neg. ant. si sermo sit de hac providentia, in qua negatio gloriæ est conjuncta cum incurfu pœnæ æternæ, & in qua DEUS vult omnes salvos fieri. Dices, posse homines reprobati ratione contracti peccati originalis, Resp. hoc negat Suarez *lib. 5. de reprob. cap. 3. n. 11.* & dicit, quòd DEUS in hac providentia neminem positivè excludat à regno ratione peccati originalis, ut præcisè contracti in Adamo; quia DEUS stante inclusione nostrarum voluntatum in Adamo, & hujus peccato, tamen adhuc omnes homines vult salvos fieri; quamvis dein aliquos reprobet, ratione peccati originalis, in iis habitualiter perseverantis usque ad mortem, cujus tamen perseverantiæ causa DEUS non est.

Id certè falsum est, quòd Janfenius voluit, nempe omnes reprobos positivè reprobandi ob originale peccatum; nam plurimis hoc in baptismo remissum est, & tamen postea ob actualia peccata gravia damnati sunt. Quando autem S. Augustinus variis locis ait, per peccatum originale genus humanum factum esse quandam massam damnatam, plus non vult asserere, quàm, DEUM relictis in ea massa, hoc est, negativè reprobatis, non facere injuriam: extractis autem, seu prædestinatis, exhibere magnam misericordiam.

708. Ob. 5. contra 2. partem conclusionis. DEUS non potest, etiam post peccata absolutè prævisa, ante actualem eorum existentiam, jam infligere pœnam: ergo neque potest eam ab æterno decernere. Confir. Ante peccatum absolutè existentis, nemo est pœnâ dignus: ergo nemo potest damnari; quia injustum est damnare necdum pœnâ dignum. Resp. neg. conf. DEUS non potest primum in tempore concipere decretum, & aliunde est metaphysicè certus de peccato futuro: ergo potest ab æterno hominem damnare; quia per hoc nulla injuria inferitur homini; si damnatio non mandetur executioni ante actualem existentiam peccati: secus, si ante commissum peccatum jam sententia mandaretur executioni; nam tunc fortè esset crudelitas: at hoc DEUS non facit. Ad confir. neg. conf. Si cognoscitur infallibiliter futurus pœnâ dignus, potest damnari, præsertim ab eo, quòd non potest, primum in tempore damnare.

709. Pro coronide tandem, & simul exactiore intelligentia prædestinationis, & reprobationis, revoco in memoriam, quòd sæpius supra dictum, scilicet, solam scientiam mediam, in sensu strictiore, præcedere decretum; quia scilicet sola constituit actum primum metaphysicum ad illud: non autem præcedere scientiam visionis, quæ, ut explicatur *num. 555.* tantum formaliter præcedit, & eminentialiter dirigit ad decretum. Unde in complexo ex scientia visionis, & decreto, concipi debent formalitates, modò scientiæ, modò decreti; five, modò formalitates actuum intellectus, modò formalitates actuum voluntatis, inter se succedentes, vel suo modo subordinatæ, ut magis declaratum *num. 559.*

Series autem istarum formalitatum, supponendo præviam scientiam mediam, sic se habet. Loquendo de prædestinatione, 1. DEUS prædestinat, seu eligit hominem ad gloriam, tanquam ad finem. 2. Prædestinit meritum, seu actum bonum, tanquam medium ad gloriam, & tanquam finem gratiæ, & actus primi liberi. 3. Simul prædestinit statim individuum actus, seu ad hoc determinat; ad quid enim tantum indeterminatè prædestinat; cum statim possit determinatè prædestinare? 4. Decernit conferre actum primum liberum creatum, qui includit gratiam prævisam congruam. 5. Ad exigentiam libertatis creatæ collatæ decernit non impedire suam omnipotentiam: qua ratione hæc applicatur. 6. Videt actum absolutè futurum. 7. Decernit ipsam executionem, seu collationem gloriæ, existentibus jam meritis, suo tempore faciendam.

At in reprobatione aliter se res habet; quia neminem DEUS eligit ad infernum, nec intendit, vel prædestinat actum malum. Unde, primò confert DEUS libertatem creatam, & in hac gratiam. Secundò decernit non impedire omnipotentiam. Tertio permittit peccatum. Quarto, quia hoc facit invitus, non permittit plus, quàm necessarium sit ad salvandam libertatem, hoc est unum: adeoque determinat ad individuum. Quintò videt peccatum absolutè futurum. Sextò decernit executionem, seu inflictionem pœnæ æternæ, suo tempore executioni mandandam.

DISPUTATIO V.

De Mystero Sanctissime Trinitatis.

710. DE hoc Mystero S. Augustinus *l. 1. de Trinitate c. 3.* rectè ait. *Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid queritur, nec fructuosius aliquid invenitur.* Circa idem varii hæretici in varios errores prolapsi sunt 1. Sabellius docuit, unum esse DEUM, ut in natura, ita etiam in Persona: & dicit trinum, duntaxat ob diversas operationes, scilicet Patrem, ut Principium omnium, Filium, ut sapientiam, Spiritum Sanctum, ut auctorem sanctitatis. Ex hoc autem, cum inferretur, Patrem etiam esse passum pro nobis, & Sabellii asectæ id concederent, Patropassiani sunt dicti. Hanc hæresin suscitavit denuo Michaël Servetus

Genevæ ob blasphemias in SS. Trinitatem, adnitente etiam Calvinio, combustus.

2. Arius dixit tres Personas, sed solum Patrem voluit esse DEUM, Filium verbè esse primam creaturam, ac per hunc Spiritum Sanctum, & reliquas dein creaturas esse productas. 3. Macedonius admisit quidem Filium Patri per omnia similem, sed voluit, Spiritum Sanctum esse creaturam. 4. Græci schismatici Spiritum Sanctum negant à Filio procedere, 5. Tritheïta dixerunt, tres Personas Divinas esse tres DEOS, etiam quoad essentiam distinctos: cum quibus videretur sensisse quidam Clericus in Francia, ut habet S. Anselmus *l. de incarnatione Verbi cap. 1. § 3.* 6. Anastasius Imperator edicto sanxit, non Trinitatem, sed Quaternitatem adorandam esse. De his, aliisque hæreticis, mysterium hoc impugnantibus, videri potest Ruiz *de Trinit. disp. 19. sec. 1. item disp. 20. sec. 2.*

At Catholica Ecclesia contra omnes hos errores in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. C. *Dammamus de summa Trinitate* sic definit: *Nos autem, sacro approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro Lombardo, quòd una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul Personæ, ac sigillatim quælibet earundem: & ideo in DEO solummodo Trinitas est, non quaternitas; quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura Divina: quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus Sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud: sed id, quòd est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino, ut secundum orthodoxam, & Catholicam fidem consubstantialia esse credantur. Hucusque Concilium.*

QUESTIO I.

De Cognoscibilitate hujus mysterii.

ARTICULUS I.

An hoc mysterium, & quomodo possit cognosci.

711. Dico 1. Mysterium hoc ratione naturali non est cognoscibile. ita communissima cum Sancto Thoma *q. 10. de veritate (quæ est de mente) a. 13.* contra Raymundum Lullum, de cujus doctrina vide Vasquium *in 1. p. disp. 133. c. 4.* & Ruiz *disp. 41. sec. 1.* quorum prior eum excusat, alter inculcat. Prob. conclus. 1. *Luc. 10. v. 22.* dicitur: *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* quòd testimonium ad nostram assertionem confirmandam assert Concilium Nicanum: hinc etiam *Matth. 16. v. 17.* Sancto Petro, Christum Filium DEI profertem, reposuit Dominus:

aus: Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus. Hoc idem magno consensu docent Patres, ex quibus Cyprianus (vel quisquis est auctor eruditus, atque antiquus) de Cardinalibus operibus Christi in prologo circa medium de Sanctissima Trinitate dicit: Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem, nisi incarnati Verbi Magistrum accessisset, humana defecissent ingenia. S. Gregor. Nazianz. oratione 35. quæ est tertia de Theologia, ante medium. Quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem Angelis, nedum tibi intelligere concesserim. Plura vide apud Ruiz disp. 41. sec. 3.

712. Prob. conclus. 2. ratione, DEUS nec ex se ipso, seu unitate ipsius, nec ex creaturis potest inferri Trinus: ergo non potest naturaliter cognosci ut Trinus. conseq. pater; quia intellectus creatus aliud medium naturale non habet. ant. prob. non ex se ipso, seu unitate; nam hæc rationi naturali magis videtur excludere, quam inferre Trinitatem: non ex creaturis; quia ex his non habetur ulla ratio, vel similitudo cum identitate duorum, vel trium, realiter distinctorum in tertio, ut ratione hujus possit simile quid de DEO affirmari: neque etiam ex creaturis, tanquam effectibus, inferatur DEUS Trinus; nam ex his tantum inferatur omnipotens, sapiens, providus &c. Hinc nullum est objectum creatum, quod Angelis, aut hominibus potuisset vel suspitionem movere de hoc mysterio. Confir. Es- se unum, identificatum cum tribus realiter distinctis, est tam sublime mysterium, ut intellectui creato, solis naturæ viribus relicto, appareat prima fronte impossibile, utpote de quo non procedunt prima principia, quæ tamen videntur debere universaliter procedere.

713. Dico 2. Mysterium hoc non est contra, sed supra rationem naturalem. ita Catholici. prob. Ratio naturalis in creatis est participatio sapientiæ Divinæ: ergo mysterium hoc, summè conforme sapientiæ Divinæ, non potest esse oppositum ejus participationi; quòd enim participatio hæc sit limitata, non facit, ut mysterium sit contra, sed supra ipsam, ita, ut ad id non possit ista peringere. Confir. Nulla veritas potest esse contra lumen rationis naturalis; alias nos hoc lumen ex natura sua deciperet: sed etiam hoc mysterium est aliqua veritas: ergo. Quòd autem quandoque decipiamur in nostris discursibus, inde sit, quòd aliquando lumen naturale velimus ultra suos terminos extendere: (quod etiam fieret, si considerarem hoc ipsum mysterium, præcisè secundum rationem naturalem) vel, quòd non omnia ritè consideremus: vel, quòd fallaci similitudine decepti falsa pro veris accipiamus, ut contingit in pluribus.

714. Dico 3. Hoc mysterium dari constat ex revelatione Divina. ita omnes Catholici. Prob. Matth. 28. v. 19. ait Christus: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* ubi tres Personæ clarè distinguuntur: unitas autem naturæ per verba in nomine designatur; non enim dicitur *in nominibus*: cum autem hoc nomen (per quod significatur autoritas) debeat esse tantum, ut in eo possit conferri gratia sanctificans, non potest esse creatum; cum in nullis creaturæ auctoritate possit con-

ferri amicitia aut filiatio DEI, vel jus ad gloriam.

Pariter Luc. 1. v. 35. sic habetur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideòque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI.* Ubi Filius, & Spiritus Sanctus clarè nominantur: Pater autem per altissimum intelligitur. Rursus Joan. 14. v. 26. *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo: ubi Pater, & Spiritus Sanctus, clarè exprimentur: Christus autem loquens per vocem meo intelligitur.* 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.*

715. In veteri etiam testamento Sanctissimæ Trinitatis mysterium sæpius revelatur: & quamvis id aliquoties non adeò clarè fiat, ut in novo: attamen juncta expositione Patrum (quæ etiam debet juvare intelligentiam textum novi testamenti) satis cognoscibiliter proponitur. Licet autem plurimi, in antiquo testamento, ea testimonia non intellexerint, id non obest; nam nec intellexerunt alia multa de Christo clarè prædicta. Loca autem S. Scripturæ antiqui testamenti sunt. Gen. 11. v. 7. DEUS Pater ait: *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* in quem locum S. Chrysost. serm. de Trinit. ait: *Dicendo: venite: pater honore exhortando vocat: neque enim, si Angelis imperasset, dicere debuit: venite: sed imperando: ite. Vide autem, & scro, quomodo Patris vox Filium, & Spiritum vocet; nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere: veni, & descendamus &c. . . . Quia autem dixit: venite: unus est vox ad duos honore æquales.* Rursus Gen. 18. v. 1. dicitur dominus apparuisse Abrahamo, & paulò inferius v. 2. dicuntur: apparuisse ipsi tres viri: & subjungitur v. 3. eum adorantem dixisse: *Domine, si inveniri gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum:* in quæ verba S. Hilarius l. 4. de Trinitate ait: *Abraham conspexit tribus unum adorat, & Dominum constituitur.* Hoc est, ut communiter explicant, tres Personas, & unam naturam: quod etiam inde deducit S. Athanasius. Jam verò testimonia SS. PP. & Conciliorum sunt innumera ab exordio Ecclesiæ: & omnium loco sufficit definitio Lateranensis cit. n. 710.

716. Ob. 1. contra 1. conclus. Aliqui ex gentilibus Philosophis videntur agnovisse hoc mysterium: ergo agnoverunt naturali ratione. ant. prob. ex Trimegisti, Platonis, & aliorum testimonio de hoc mysterio. Confir. S. Athanasius videtur dicere, ethnicos fuisse inexcusabiles, quòd non agnoverint Verbum: ergo debet esse naturaliter cognoscibile, adeoque etiam totum mysterium. Resp. om. ant. neg. conseq. Vel gentiles illi non habuerunt notitiam: vel habuerunt ex lectione S. Scripturæ, quam Plato fertur legisse: vel ex oraculis Sibillarum, aut dæmonum: non autem ex sola ratione naturali. Hæretici etiam iam non agnoscunt, nisi ex Scripturis, vel testimonio aliorum, supposita revelatione id docentium. Ad confir. neg. conseq. DEUS enim, aut immediate, aut saltem mediatè, eis obtulit gratiam cognoscendi Verbum; si DEUM, ut oportuisset, coluissent.

717. Ob. 2. Gen. 1. v. 26. dicit DEUS: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* ergo homo factus est ad imaginem SS. Trinitatis: ergo ex cognitione hominis, tanquam similitudinis, potest deveniri in notitiam illius mysterii. Confir. Creaturæ essentialiter connectuntur cum Trinitate Personarum: ergo Angelus, comprehendens creaturas, naturaliter cognoscit hoc mysterium. Resp. dist. conseq. factus est homo ad imaginem obscuram, & imperfectam SS. Trinitatis. conc. conseq. ad claram, & quæ ingeneret notitiam illius mysterii. neg. conseq. Ex cognitione hominis tantum inferatur, dari in DEO plures perfectiones, formaliter distinctas: non verò dari Personas, realiter distinctas, & in tertio identificatas.

Ad confir. duplex est responsio: quidam negant antec. voluntque, creaturas tantum connecti cum DEO, ut Uno, non verò ut Trino: neque ideo verificantur contradictoria de creatura, sicut non verificantur de unione hypostatica, vel de cognitione cognoscente Patrem, non verò Filium: sed tantum verificantur de ipsa essentia, ac Personis. Alii negant consequentiam; quia ad comprehensionem creaturæ, Angelo naturaliter debuit, non requiritur, ut cognoscatur formaliter, & explicitè omnia prorsus prædicata relativa, formaliter distincta: aut omnes termini, ad quos res comprehensa supernaturaliter refertur: ut etiam omnes termini, ad quos refertur quidem naturaliter, tales tamen sunt, ut totam naturæ cognoscitivæ sphaeram transcendant. Certè aliàs Angelus deberet cognoscere terminos relativos, vel prædicata relativa formaliter distincta infinita. Quare ad cognitionem comprehensivam non requiritur cognitio omnis prorsus relationis, etiam intrinsecæ: sed tantum cognitio tam perfecta in genere cognoscitivi, quam perfectum est objectum in genere cognoscibilis.

718. Ob. 3. Ratione naturali cognoscitur, quòd eadem anima sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte: consequenter in pluribus partibus corporis, realiter distinctis: ergo etiam potest capi, quòd eadem essentia sit in pluribus Personis, realiter distinctis. Confir. Eadem natura humana etiam est in pluribus individuis, realiter distinctis: ergo multò magis natura Divina in Personis. Resp. neg. conseq. Anima pluribus partibus tantum inest per unionem, natura Divina inest per identitatem: ibi non deficit principium: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* at deficit in secundo casu.

Ad confir. dist. ant. Est in pluribus individuis eadem natura singularis, seu individua. neg. ant. eadem tantum in specie. conc. ant. & neg. conf. Debet autem eadem individua natura Divina esse in pluribus Personis; alias darentur plures Dii, sicut dantur plures homines. Dices. Quòd natura humana sit in pluribus tantum per speciem, vel similitudinem, est imperfectio: ergo natura Divina debet inesse per identitatem. Resp. om. ant. neg. conseq. si enim est imperfectio existere in pluribus per similitudinem, & ista imperfectio est naturæ lumine cognoscibilis, non cognoscitur esse imperfectio ex eo, quòd non existat per identitatem in pluribus; sed ex eo, quòd existat in pluribus: seu

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. 1.

quòd non superemineat omnibus, sed habeat æqualem.

719. Ob. 4. Bonitas infinita est infinitè communicabilis: atqui non potest esse communicabilis infinitè ad extra: ergo debet esse communicabilis ad intra. Confir. 1. Generare sibi simile est perfectio: ergo debet DEO tribui: atqui hic non potest generare simile ad extra: ergo debet ad intra. Confirm. 2. Perfecta felicitas exigit societatem: ergo debent esse plures Divinæ Personæ; cum non possint esse naturæ. Confirm. 3. In DEO dantur actiones immanentes, scilicet velle, & intelligere: sed omnis actio terminatur ad aliquod productum: ergo istæ duæ actiones terminantur ad Filium, & Spiritum S. Resp. dist. ma. & hæc communicabilitas infinita ratione naturali cognoscitur. neg. maj. cognoscitur tantum per revelationem. conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. Ratio naturalis plus non monstrat, quàm DEUM posse infinitè syncategorematicè communicari ad extra.

Ad 1. confir. servit eadem distinctio; quia naturaliter non cognoscitur, posse generari Personam distinctam, habentem tamen eandem individuum essentiam cum generante. Ad 2. confirm. iterum redit eadem distinctio; naturalis enim ratio putaret, unam Personam Divinam debere sibi soli esse omnibus modis sufficientissimam ad omnem felicitatem. Ad 3. confir. conc. mai. dist. mi. omnis actio, realiter distincta ab operante, terminatur ad aliquod productum. om. mi. actio etiam indistincta, subditi. & hoc naturaliter cognoscitur. neg. mi. non cognoscitur naturaliter. conc. mi. & neg. conseq. In creatis actio etiam immanens est distincta ab operante, secus in DEO; unde non est paritas. Quare istæ quidem sunt aliqua congruentiæ, quæ, supposita revelatione, possunt afferri: sed quas ratio naturalis, sibi soli relicta, non excogitaret: & adhuc minus, dum, saltem apparenter, stant in oppositum principia lumine naturæ nota, illis assentiretur.

720. Ob. 5. contra secundam conclus. Hoc mysterium est contra principium lumine naturæ notum: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* ergo est contra rationem naturalem. Resp. neg. ant. Mysterium hoc non est contra, sed supra illud principium. In creatis non datur identitas capax discrepantiæ, vel distinctionis in tertio; & hinc circa ista procedit illud principium: at ex fide habemus, quòd in Divinis datur alia species identitatis, quæ admittat illam discrepantiæ, seu distinctionem. Principium illud habetur aliquo modo ex inductione à creaturis; unde in istis debet sistere, nec ad DEUM extendi: & tamdiu similia principia sunt infallibilia, quamdiu intra sphaeram suam, hoc est, intra creaturas, & circa identitatem incapacem discrepantiæ, vel distinctionis in tertio, sistunt: secus, si ultra extenduntur. Nec propterea datur ansa sectariis cavillandi Catholicos, quòd evertant principia syllogismorum, quibus tamen velint constringi hæreticos; nam, licet in uno, aut altero casu, debeat admitti aliquid supra captum nostrum, non tamen esset rationabile, ubique mysteria fingere. verbo: omnes scimus, aliqua mysteria supra captum

nostrum debere in religione nostra admitti; non tamen propterea omnia, quæ fides docet, sunt talia mysteria.

QUÆSTIO II.

De Processionibus, Relationibus, ac Notionibus Divinis.

ARTICULUS I.

Quid, & quot sint in DEO Processiones, Relationes, Notiones.

721. Theologi statuunt in DEO unam Naturam, seu essentiam: duas Processiones: tres Personas: quatuor Relationes: quinque Notiones. De natura, seu essentia, diximus jam multa in disputationibus antecedentibus: de Personis dicemus inferius. *Processio est emanatio, seu origo unius ab alio.* vocatur alia *activa*, alia *passiva*: scilicet ad aliquam similitudinem actionis, & passionis, quæ concipitur intervenire inter causam, & effectum: secludi tamen debent à processionibus Divinis omnes imperfectiones dependentiæ, mutationis &c. In creatis quidem actio, & passio, realiter identificantur: at in Divinis processio activa, & passiva, realiter distinguuntur: & illa producenti: hæc autem productio identificatur: complexum autem ex utraque dicitur *processio totalis*.

Itaque in Divinis dantur duæ processioness totales ad intra, veræ, vel reales, ut fides docet, scilicet datur una per intellectum, altera per voluntatem: per illam generatur Verbum; per alteram spiratur Spiritus S. Prob. Cum sint tres Personæ, ex quibus una est improducta, debent dari duæ Processiones pro reliquis duabus, maxime, cum tertia sit procedens à duabus. Rursus, cum processioness sint actus vitales DEI ad intra, & isti sint duo, scilicet actus intellectus, & actus voluntatis, etiam tot erunt processioness. Quod autem sint reales, docet fides in Symbolo Nicæno, ubi fatemur, Filium à Patre, Spiritum sanctum verò à Patre, Filioque, procedere. Idem habetur Joann. 8. v. 42. ubi Christus ait: *Ego enim ex DEO processi.* item Joann. 15. v. 26. dicitur de Spiritu S. *Qui à Patre procedit:* quæ verba in sensu literali, & reali accipiuntur à tota Ecclesia. Tandem, quod una processio sit per intellectum, seu intellectionem: altera per voluntatem, seu volitionem, constat ex sacris literis, in quibus Filius vocatur *Verbum*, & *Sapientia*, Spiritus S. *Charitas*, & *Amor*: quorum prius ad intellectum, alterum spectat ad voluntatem: vide Ruiz *de Trinitate disp. 2. sec. 2. n. 5.* Idem unanimiter tradunt PP. & Concilia, de quibus vide Haunoldum l. 1. n. 604. Suarez *de Trinit. l. 1. c. 5.*

Ubi insuper nota, quod, etsi natura Divina, & intellectus, ac voluntas, nec virtualiter distinguantur, tamen processioness dicantur potius esse per intellectum, & voluntatem, seu intellectionem, & volitionem, quam per naturam; quia scilicet ratio formalis procedendi est intellectus, vel voluntas, ita, ut si natura Divina per impossibile esset in aliis omnibus lineis in-

finitè perfecta, si non simul esset infinitè perfecta in linea intellectiva, & volitiva, non possent ab ea, tanquam principio ut quo, procedere Filius, aut Spiritus S. Quando autem dicitur, quod Filius tantum procedat per intellectionem, & Spiritus S. procedat tantum per volitionem, tunc intelliguntur intellectio, & volitio notionales, hoc est, ut conjunctæ relationibus, illa generationis, ista spirationis activæ: quæ inter se virtualiter distinguuntur, ita, ut de voluntate, & intellectione notionalibus, seu in complexo cum relationibus, possint verificari prædicata contradictoria.

722. *Relatio est ordo unius ad aliud*, seu est ratio, per quam unum refertur ad aliud. Talis in Divinis, & quidem reales, dari, est de fide; quia datur Pater, & Filius, qui referuntur ad se invicem: Spiritus Sanctus, qui refertur ad Patrem, & Filium: suntque istæ relationes reales, quia sunt identificatæ SS. Personis, realiter existentibus: numerantur autem quatuor, *Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio passiva*: per duas primas referuntur ad se invicem Pater, & Filius: per posteriores referuntur ad se, ex una parte Spiritus Sanctus, & ex altera parte Pater, & Filius, tanquam unus Spirator. Istæ quatuor vocantur etiam *Origines*, quatenus dantur generans, & generatum, spirans, & spiratum.

723. *Notio* apud Theologos ad mentem SS. Patrum aliud non est, quam *nota, seu prædicatum, quo una Persona discernitur ab alia* communissime autem assignantur quinque, nempe 1. *innascibilitas*, seu *improductibilitas* etiam à principio ejusdem naturæ. 2. *Paternitas*: & hæc duæ conveniunt soli primæ Personæ. 3. *Filiatio*, quæ competit soli secundæ Personæ. 4. *Spiratio activa*, quæ competit primæ, & secundæ Personæ simul, tanquam uni principio spiranti. 5. *Spiratio passiva*, quæ competit soli tertiæ Personæ. Hæc notiones non distinguuntur virtualiter à relationibus, sed tantum formaliter: imò quatuor ex illis sunt formaliter etiam relationes: sola prima, seu innascibilitas, non est formaliter relatio; quia sub hoc conceptu Pater non refertur ad alium. Quamvis autem fors possent notiones plures, vel pauciores statui, non tamen in re gravissima est recedendum à communi.

724. Ob. 1. Productio dicit ab aieitate: ergo non datur in Divinis: ergo neque processio, quæ esset productio. Confir. Productio, & causalitas sunt idem: ista non datur in Divinis: ergo nec illa. Resp. dist. ant. productio dicit ab aieitate secundum naturam, vel essentiam, neg. ant. secundum Personam. conc. ant. & neg. conseq. Productio in Divinis non significat, quod productum sit secundum naturam ens ab alio: & hinc natura non potest dici producta: sed tantum dicit Personalitatem esse ab alio, in quo nihil est absurdum; cum enim Filius sit verè genitus, debet esse genitus ab alio, qui sit Pater. Idem proportionaliter dicendum de Persona Spiritus S. Ad confirmationem neg. ma. Causalitas dicit dependentiam, & imperfectionem: & hinc apud Latinos in Divinis non datur causa, aut effectus. Aliud est apud Græcos, apud quos vox, quæ redditur latinæ voci: *causa*: non habet eandem omnino significatio-

tionem; quia nullam indicat imperfectionem.

725. Ob. 2. Persona producens esset perfectior, quam producta: ergo non essent æquales, quod est contra fidem. Confir. Filius vel produceretur ex nihilo, vel ex subjecto: neutro modo potest produci: ergo, prob. mi. Filius nec potest creari, nec ex subjecto educi: ergo, Resp. neg. ant. etiam in creatis causa non est semper perfectior effectu. Dein omnes Personæ habent eandem Divinam naturam, infinitè perfectam, adeoque omnem perfectionem absolutam, & essentialem, per identitatem: omnem autem relativam (si tamen relatio sit perfectio) æquivalenter, vel eminenter. Ad confirm. neg. mai. non enim educitur Filius ex natura Divina; quia ista non potest esse subjectum; hoc enim debet esse perfectibile, & distinctum ab educto: quæ non competunt naturæ Divinæ: nec etiam Filius produceretur ex nihilo sui; cum enim sit realiter, & indefectibiliter identificatus naturæ Divinæ, seu aieitati, non potuit unquam fuisse nihil.

726. Ob. 3. Si processioness Divinæ essent per intellectum, vel voluntatem, etiam Filius generaret, & Spiritus S. spiraret: hoc est falsum: ergo, prob. ma. Intellectus, & voluntas est etiam ipsis communis: ergo, Confir. Substantiæ intellectivæ non generant, quatenus intellectivæ sunt; nam etiam non intellectivæ generant: ergo etiam DEUS non generat ut intellectivus. Resp. 1. retorq. arg. contra Durandum, qui vult processioness fieri per naturam; n-m & Filius, & Spiritus S. etiam habent eandem naturam Divinam. In forma neg. mai. ad prob. dist. ant. intellectus ut absolutus est ipsis communis. conc. ant. ut secundus. neg. ant. & conseq. Non sufficit ad producendum habere tantum intellectum, & voluntatem, ut perfectioness absolutas; sed opus est, eas habere ut secundas, hoc est, conjunctas cum generatione, aut spiratione activa. Ad confir. neg. conseq. Generare ut incium, seu ignorantem, est imperfectio à DEO remota.

727. Ob. 4. Processiones sunt actus notionales: intellectio, & volitio non sunt actus notionales, sed absoluti, & essentialis: ergo non sunt processioness. Confir. 1. Productioness Personarum realiter inter se distinguuntur: non autem intellectio, & volitio: ergo, Confir. 2. Natura Divina est prior intellectu, & voluntate: sed Filius, & Spiritus S. immediate procedunt per naturam: ergo non per intellectum, aut voluntatem. Respondet 1. Platellus conc. torum; vult enim, quod processioness sint aliquid purè notionale, nec involvant etiam in obliquo actus essentialis intelligendi, vel volendi: sed istos supponant tanquam sua principia, si hoc non placeat, quoniam non vacat rem fusiùs examinare.

Resp. 2. cum Ruiz *de Trinit. disp. 2. sec. 4.* dist. mi. intellectio & volitio, ut præfixæ à relatione producentis ad terminum productum, non sunt actus notionales. conc. mi. ut conjunctæ, & consideratæ simul cum illa relatione. neg. mi. & conseq. sub hac enim ratione sunt notionales, & peculiariè principio producenti, Nec necesse videtur, admittere, præter intellectionem, & volitionem essentialem, alias notionales, ut probat Ruiz *disp. 59. sect. 1.* Ad 1. confir.

dist. ma. realiter inter se distinguuntur productioness adæquatæ, seu complexæ ex intellectione, volitione, & relatione. conc. ma. productioness inadæquatæ, seu intellectio, & volitio, ut præfixæ à relatione. neg. ma. & dist. mi. non distinguuntur intellectio, & volitio, ut præfixæ à relatione, conc. mi. ut conjunctæ cum intellectione, volitione, & relatione. neg. mi. & conseq. Intellectio, vel volitio, ut producens, sive productio adæquatæ, involvit etiam generationem, vel spirationem activam.

Ad 2. confirm. dist. ma. natura Divina, tanquam immediatum principium ut quo, est prior intellectu, & voluntate. neg. ma. tanquam principium tantum remotum, om. ma. & dist. min. Filius, & Spiritus S. procedunt per naturam, tanquam principium tantum remotum, seu quatenus natura formaliter est distincta ab intellectu, & voluntate. neg. mi. per naturam, ut constitutum immediatum principium ut quo per intellectum, aut voluntatem. conc. mi. & neg. conseq. Natura Divina, nisi intelligatur ut essentialiter includens intellectum, & voluntatem, vel intellectionem, & volitionem, non intelligitur principium ut quo proximum Filiationis, aut Spirationis passivæ. Quando autem aliqui ex SS. PP. dicunt Filium productum, vel genitum, naturam, non voluntate, tantum volunt dicitur, quod sit Filius naturalis, non adoptivus: necessario, & non liberè genitus.

728. Ob. 5. Si dantur quatuor relationess, dantur etiam quatuor Personæ: hoc est contra fidem: ergo, Resp. neg. ma. Spiratio activa non est nova Persona, sed est identificata cum Patre, & Filio, licet sit ab eisdem virtualiter distincta (sicut scilicet natura est identificata cum tribus Personis) & in hoc stat mysterium dualitatis. Unde non dantur quatuor relationess, realiter inter se distinctæ, sed tantum tres; quia spiratio activa est realiter identificata cum aliis duabus, ut dictum. Sunt tamen quatuor relationess reales; quia ad numerum relationum realium non requiritur, ut ipsæ relationess sint inter se realiter distinctæ; sed tantum, ut termini earum sint realiter distincti: atqui Spiratio passiva est realiter distincta ab activa. Adde, spirationem activam non esse proprietatem, saltem in sensu strictiori; quia per hanc significatur id, quod uni tantum Personæ est proprium: in sensu tamen latiori potest utique dici proprietas; si hæc confunditur cum notione, sicut etiam innascibilitas: strictissime autem loquendo, tantum dantur tres proprietates; quia per proprietatem intelligitur id, quod est proprium uni tantum Personæ, & simul constitutum Personæ: ita se habent Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva. Unde innascibilitas, cum non constituat Personam, nec est relatio, nec origo, vide S. Thomam 1. p. q. 32. a. 3. in corp. & q. 40. a. 1. ad 1.

729. Ob. 6. Natura Divinæ etiam competit innascibilitas, itémque Spirationi activæ: ergo non est notio Personæ. Confir. Spiratio activa est communis duabus Personis: ergo non est notio: Resp. dist. ant. Naturæ competit aliqua innascibilitas. conc. ant. competit eadem. neg. ant. & conseq. Suarez *de Trinit. l. 5. c. 10. n. 4.* rectè ait, per innascibilitatem hæc intelligi

telligi aliquam propriam Patri, scilicet improducibilitatem etiam à principio ejusdem naturæ, simulque incommunicabilem: at verò in-nascibilitas naturæ, vel spirationis activæ, communicabilis est Filio: & in hac intelligentia vocum standum est autoritate. Ad confir. neg. conseq. Non est de ratione notionis, ut non sit communicabilis, sed hoc tantum est de ratione proprietatis: ad illam sufficit, si sit discretiva duarum Personarum à tertia.

Dices. Ergo sunt plures notiones, quàm quinque; quia ingenerabilitas, & inspirabilitas etiam erunt notiones, ex quibus prima Patri, & Spiritui Sancto: secunda Patri, & Filio convenit. Resp. neg. illatum. Notio debet esse unum realiter simplex prædicatum; non autem duplex: at non eadem ingenerabilitas, quæ est in Patre, est realiter etiam in Spiritu Sancto (sicut tamen eadem realiter spiratio activa est in Patre, & Filio) sed tantum formaliter per conceptum: sicut humanitas eadem in pluribus individuis. Vide Suarez l. 5. c. 10. & Haunold, l. 1. n. 621. Addo tandem ex Ruiz, & Esparza; ideo istas quinque notiones potius, quàm alias, aliis nominibus significabiles, poni; quia istæ habent majorem quandam vim ingenerandi audienti apprehensionem specialem dignitatis in Personis Divinis: & consequenter per has Divinæ Personæ decentissimè notificantur, tanquam per aliquid, quod specialiter spectat ad earum dignitatem.

ARTICULUS II.

Quid, & quotuplex sit in DEO Persona, aut substantia?

730. **P**ersona definitur à Boëtio lib. de duabus naturis ante medium. *Nature rationalis individua substantia*: à Richardo à S. V.lore autem l. 4. de Trinitate c. 22. definitur Persona Divina: *Nature Divine incommunicabilis existentia*: at vero c. 23. ejusdem libri definitur persona creata: *Rationalis nature individua substantia*. Differunt autem suppositum, & Persona, sicut genus, & species; suppositum enim est omne incommunicabile subsistens; nam etiam dicitur suppositum equinum, aut leoninum: at Persona debet esse insuper quid rationale; non enim dicitur persona equi, aut leonis. Tres dari in DEO Personas, inter se realiter distinctas, & eidem naturæ Divinæ realiter identificatas, est de fide (& in hoc stat mysterium SS. Trinitatis) sic enim docemur in Symbolo S. Athanasii: *Non confundentes Personas, neque substantiam separantes; alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti: & insit: Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales*. Quod autem non sint plures, habetur ex Lateranensi citato n. 710, videri de hac re potest Ruiz de Trinit. disp. 33. sec. 2.

731. Lis olim fuit inter Patres de voce *Hypostasis*; cum aliqui per eam significari velent substantiam, seu essentiam: adeoque unam tantum in DEO admitterent: alii verò velent

significari Personam: adeoque tres hypostases in DEO adstruerent: de quo videatur Baronius ad annum Christi 362. n. 188. & ann. 372. n. 27. & seqq. Tandem prævaluit secunda sententia, & defecto omnes admittunt, in DEO tres hypostases; quia hæc vox determinata est nunc ad significandum suppositum, vel Personam. Hanc vocem *hypostasis* Latini sæpe exprimunt per vocem *substantia*: & hæc sæpe, præsertim antiquioribus Patribus, significatidem, ac suppositum, aut subsistens in concreto: at nunc in scholis sæpius sumitur in abstracto pro forma denominante rem subsistentem.

Multi Theologi inter *suppositum*, & *substantiam* faciunt discrimen. *Subsistens*, dicunt, debet esse substantia, vel ens per se existens, sive sistens in se, ita, ut non trahatur per unionem ad aliud dignius compositum tanquam pars, vel ad subjectum tanquam forma; hinc nec accidentia, nec partes essentialis, vel integrales compositi naturalis, neque humana natura in Christo, sunt substantia, ut patet consideranti; quamvis Verbum in Christo sit subsistens; cum hoc non uniarur digniori. *Suppositum*, seu *Persona* debet insuper esse substantia individua, id est determinata, & incommunicabilis per identitatem pluribus realiter distinctis.

732. Jam dari in DEO tres substantias relativas, est de fide; quia quilibet Persona est substantia, sicut scilicet quisvis homo est animal, sed quaritur ulterius, an præter has tres substantias relativas detur absoluta, sive, an ipsa essentia, seu natura Divina, ut distincta à Personalibus, dicat aliquam substantiam, & in se subsistens dici possit: an vero tantum dici possit subsistens, ratione Personarum. Hæc tamen substantia absoluta, nec esset suppositum, nec Persona, hoc ipso, quod esset communicabilis tribus realiter distinctis, & actu communicareur Personis Divinis: unde ex ea admissa non sequitur quaternitas in Divinitate. His suppositis

733. Dico. Probabilius datur hæc substantia absoluta in DEO, ita S. Thomas pluribus locis, ubi non tantum, ut ait Valquez, agit de excellentia, sed de ipsa substantia. Sic in 1. disp. 21. q. 2. a. 1. in corp. ait: *iste terminus DEUS prædicat naturam Divinam de tribus Personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nulla Personarum distinctione intellecta*. Rursus q. 9. de potentia a. 5. ad 13. ait: *In Divinis autem proprietates personales hoc solum habent, quod supposita Divinæ nature ab invicem distinguuntur: non autem sunt principium subsistendi Divinæ essentie; ipsa enim Divina essentia est secundum se subsistens*. Item 1. p. q. 39. a. 4. ad 3. *Forma significata per hoc nomen DEUS, scilicet essentia Divina, est una, & communis secundum rem*: ergo Deitas, & DEUS, sunt formaliter idem: sed DEUS significat aliquid subsistens ergo. Plures textus citat Suarez l. 4. de Trin. c. 11. n. 13. Granadus in 1. p. tom. 3. tract. 4. disp. 5. sec. 3. Sequuntur Thomistæ satis communiter cum Gonetio. Accedit Scotus, Suarez loc. cit. Granadus loc. cit. Molina in 1. p. q. 29. a. 2. disp. 3. Bellarminus, & plurimi alii, adeo, ut Suarez *ibidem*, citatis quibusdam in oppositum, addat, nostram sententiam esse communem aliorum Theologorum: Granadus autem asserat *ibidem*,

dem, majori Scholasticorum numero comprobata, & communiorem esse, & Valquium malè aliquos autores ei abjudicare.

734. Probatur conclus. Subsistere per substantiam propriam aliud non est, quam existere per se, sive sistere in se, & non existere in alio, tanquam partem in toto, neque trahi per unionem ad aliud, tanquam ad dignius totum: sed hoc totum convenit essentiæ Divinæ absolute, ut præcisè à relationibus: ergo, mi. habetur ex eo, quod essentia Divina, utpote infinite perfecta, non potest esse pars, neque existere in digniori. ma. prob. ex eo, quod satis communiter sic explicetur in tractatu de Incarnat. substantia, quando agitur de supposito, præsertim ab iis, qui substantiam creatam constituunt in negatione unionis cum digniori, & ex hoc conceptu inferunt, quod humanitas Christi non subsistat per substantiam propriam, sed per substantiam Verbi, tanquam dignioris.

Favent etiam huic conceptui (uti & ipsi huic conclusioni) SS. PP. S. Hieronymus ep. 57. que est ad Damajum, & incipit: *Quoniam vetusto. ait: Una est DEI, & sola natura, que verè est; id enim, quod subsistit, non habet aliud, sed sum est*. SS. Cyrillus Alexandrinus, & Anastasius Theopolitanus tom. 4. Bibliotheca Patrum in compendiarium orthodoxæ fidei explicatione de essentia Divina (de qua ibi totus sermo) sic habent: *Quid est autem essentia? Res, que per se est, neque altero indiget ad hoc, ut ipsa subsistat*. S. August. l. 7. de Trinit. c. 4. sub fine ait: *Hoc est DEO esse, quod subsistere: & paulò post: Omnis enim res ad seipsam subsistit, quanto magis DEUS*.

Agatho Papa in epistola decretari, que habetur in Synodo VI. actione 4. & inscribitur: *Præsentis Dominis: incipit autem: Omnium bonorum: ante medium ait: DEUM Patrem consentes, DEUM Filium, DEUM Spiritum Sanctum: non tres Deos, sed unum DEUM, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: non triam nominum substantiam, sed triam substantiarum in unam substantiam*: at non ideo satis probatum est, quod priores editiones per errorem duntaxat habeant voce *n. subsistentiam*; cum tot auct. res stent pro nostra sententia: itémque sine omni absurdo Pontifex potuerit intelligere, trium relationum unam substantiam, esse absolutam. Verum quidem est, nostram sententiam non ideo esse de fide; cum non sit certum, an non error irrepperit: attamen est probabilior. Confir. Essentiæ Divinæ, utpote infinite perfectæ, non debet negari perfectio, vel prædicatum ipsa dignum, nisi positivè probetur, quod ei non possit competere: atqui non potest positivè probari, quod ei non possit competere perfectio, vel prædicatum substantiæ absolute: ergo.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

735. **O**B. 1. SS. PP. & Concilia, præsertim post litem compositam circa vocem *Hypostasis* (de

qua n. 731.) non admittunt in DEO aliquam substantiam absolutam: ergo non debet admitti. Resp. Illalis, teste Baronio, fuit jam agitata tempore S. Athanasii, & circa annum 362. quando S. Augustinus vix fuit puer: & S. Cyrillus adhuc junior est S. Augustino; Synodus etiam VI. primum diu postea celebrata fuit. Equidem tempore S. Augustini cuique adhuc licebat loqui suo modo, dummodo in re conveniret; & tandem consuetudine sola videtur obtinuisse significatio illius vocis, quam nunc habemus: quando autem id contigerit, & lis finita fuerit, non satis compertum est. Adversarii autem non ostendunt, substantiam absolutam fuisse negatam à PP. nec ante, nec post eam litem terminatam: imò, cum eam admittant S. Thomas, Scotus, & alii, in SS. PP. lectione valde versati, non videntur isti eam ullo modo negasse. In forma negant. Quamvis fortè aliqui Patres eam positivè non asserant, tamen neque negant.

Si dicas, aliquos, ut e. g. Sophronium, negasse unam substantiam. Resp. esse manifestum, quod isti substantiam acceperint pro personate; quia statim vocant personam, aguntque contra Sabellianos: verba Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani in ejus epistola, que refertur in Synodo VI. actione 11. sunt ista. *Neque eundem quod Trinitas unus DEUS est, & agnoscitur, & substantia tres pronuntiantur: tres. habentur Personæ, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, dicitur coæternus, sive consubstantialis, vel consubstantialis in unam seipsam colligens substantiam, in unamque coærens non numerandam Personam (Sabellianorum ista est pravitas, in unam substantiam tres consistere substantias, & in unam Personam easdem res consurgens Personas) ubi enim est Trinitas, & missime, si in unam Personam secundum vocem Trinitas ipsa colligitur, & in unam concurrat consubstantiam? Unde nec Sophronium, nec alii, qui minus, quàm ille, adversarii favent, loquuntur de substantia in nostro sensu accepta: neque opponuntur sententiæ nostræ; nam nos cum aliis SS. Patribus per substantiam absolutam non intelligimus Personam. Et certè SS. Patres, qui dicunt naturam in se subsistere, non possunt per substantiam intelligere Personam; alijs admitterent plures Personas, quàm tres in DEO: unde hi formaliter stant pro nobis: at illi, quos adversarii allegant, non stant contra nos.*

Quod autem SS. Patres ordinariè trium substantiarum meminerint, ratio est, (ut ait Granadus *señ. 6. loco cit. n. 733.*) quod agant de substantia tantum relativa, seu personali. Ubi nota, SS. PP. aliquando vocem *substantia* tribuere Personis, id quod adductis exemplis probat Granadus, præsertim ex edito *Justiniani*, quod habetur tom. 2. Conciliorum, ubi dicitur. *Trinitatem haberi secundum proprietates, vel substantias, sive Personas*; item ex S. Hilario l. de synodis, ubi in *Consequenter Evangelice*, qui desumptus est ex Concilio orientali, Antiochiæ celebrato, dicitur, nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti significari propriam, uniuscujusque nominatorum substantiam, & ordinem, & gloriam, ut sint quidem per substantiam tria: Hilarius autem subjungit: *Idcirco tres substantias esse dixerunt, substantiarum Personas per substantias edocentes: atramen hæc vox substantia, sine addito prolata, frequen-*

quantitas sumitur pro essentia. Pariter etiam SS. Patres vocem *subsistentia* tribuunt essentia, quamvis sine addito prolata frequentius sumatur pro Personalitate: & hinc quoque SS. PP. ordinariè per eam vocem, sine addito prolata, intelligunt relativam subsistentiam, etiam ex eo capite, quòd ordinariè agant contra Sabellium, qui unam tantum in DEO Personam, seu subsistentiam relativam admittebat.

736. Ob. 2. Si datur subsistentia absoluta, dantur quatuor Personæ in DEO: hoc est contra fidem: ergo. Confir. illa subsistentia esset saltem semipersona: hoc ipsum jam est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. nam Persona præter subsistentiam dicit incommunicabilitatem: hæc incommunicabilitas in creatis habetur per ipsam limitationem naturæ, quæ non est capax identitatis cum pluribus, realiter distinctis: at in natura Divina, quæ ratione fecunditatis est capax identitatis cum pluribus, habetur incommunicabilitas per Personalitatem, seu subsistentiam relativam. Addo, abstinendum ab his, vel similibus locutionibus: *Dantur in DEO quatuor subsistentia*, aut: *Datur quarta subsistentia*; quia, nisi talia verba restringantur, significant, dari quatuor subsistentias Personales, aut quartam, à tribus relativis realiter distinctam: quod utique falsum est. Ad confir. neg. ma. Sicut enim leo, quamvis habeat animalitatem, quam quoque habet homo, non dicitur semihomo: sic nec subsistentia absoluta, quamvis in aliquo predicato conveniat cum Persona, non dicitur semipersona, nisi valde impropiè.

737. Dices, Subsistentia ista absoluta deberet iterum subsistere per relativas: hoc non potest admitti: ergo. prob. maj. Natura per illas subsistit: ergo etiam subsistentia illa absoluta, realiter, & virtualiter identificata. prob. etiam mi. Forma non potest recipere suum effectum formalem ab alia superaddita forma; nam albedo non potest fieri alba per aliam albedinem, nec actio per aliam actionem produci: ergo neque subsistentia una potest subsistere per aliam.

Resp. cum Granado loco cit. n. 733. sec. 7. n. 41. dist. ma. subsistentia absoluta deberet iterum subsistere per relativas, tantum absolute, neg. ma. deberet subsistere relativè, & incommunicabiliter. conc. ma. & dist. sic min. neg. conseq. ad prob. min. in primis S. Thomas cit. n. 733. neg. ant. sed potest etiam distingui: forma non potest recipere effectum formalem, prorsus eundem, ab alia forma. om. ant. alium diversum, quamvis in aliquo genere cum priori convenientem. neg. ant. & conseq. Certè unio naturalis inter animam, & corpus Christi, licet per se ipsam uniat, tamen iterum uniat per unionem hypostaticam Divinitati; imò ipsa natura Divina, subsistens per subsistentiam Paternitatis, redditur etiam subsistens per subsistentiam Filiationis; quia scilicet Filiatio præter subsistentiam ut sic, tribuit subsistentiam aliquam specificam, scilicet Personæ Filii: sic etiam, licet natura Divina per seipsam subsistat absolute, & incommunicabiliter, tamen potest per subsistentias relativas subsistere incommunicabiliter.

Ex quo præoccupatur alia obiectio, quòd scilicet, vel subsistentia absoluta, vel subsistentia relativæ, essent superflua; nam nulla est su-

perflua; cum natura reddatur semper alia ratione subsistens, nempe per absolutam absolute, per relativas relativè: quem utrumque modum subsistendi exigit natura Divina: sicut exigit subsistere, non tantum per unam, sed per tres Personalitates. Neque etiam ex eo, quòd essentia Divina exigit adhuc tres subsistentias relativas, sequitur, quòd ipsa per se non sit subsistens; quia eas exigit, non præcisè, ut subsistat genericè: sed ut specificè, seu relativè, & incommunicabiliter subsistat, in tribus suppositis, quibus ratione fecunditatis Divina exigit unam. Retorsio iterum est clara in natura, subsistente per Paternitatem, & tamen adhuc exigente subsistentiam Filiationis.

738. Ob. 3. Subsistentia non potest esse communicabilis: ergo nulla absoluta potest dari in DEO. prob. ant. Subsistentia est forma, per quam aliquid sistit per se, & in se: ergo habens subsistentiam non potest subsistere in alio. Confir. Subsistentia creata est incommunicabilis alteri: ergo multò magis Divina; Resp. neg. ant. ad prob. om. torum. Sicut humana natura, habens suam propriam subsistentiam, five positivam, five negativam, dicitur subsistere in se, & non dicitur subsistere in sua subsistentia, ac multò minus in alio: sic etiam natura Divina, seu absoluta subsistentia, habens tres Personalitates sibi debitas, non subsistit in his strictè loquendo, sed potius in se per ipsas: & minimè subsistit in alio. Si autem velis, id, quod per se, & in se sistit, non posse subsistere per aliam subsistentiam, tunc distinguitur, ut superius, conseq. sicut subsistentia ejusdem ordinis, ac speciei. conc. fecus. neg. nullo modo enim subsistentia est ita ultimus terminus naturæ, ut hæc non possit communicari alteri subsistentia (alias una subsistentia relativa excluderet alteram) sed tantum, ut non possit communicari alteri, cum quo componat dignius totum. Ad confirm. retorq. arg. Subsistentia creata reddit naturam incommunicabilem etiam alteri subsistentia relativæ: ergo etiam Divina. In forma neg. conseq. Disparitas fundatur in ipsa infinita perfectione naturæ Divinae, necessariò exigentis sistere in se, & non potenus trahi ad nobilius compositum, simulque exigentis identificari cum tribus Personis.

739. Ob. 4. Si natura Divina independenter à relationibus est subsistens, posset ipsa immediate assumere ad unionem hypostaticam aliam naturam, e. g. humanam: sed hoc est contra SS. Patres: ergo. Resp. cum Granado loco cit. n. 733. sec. 6. n. 36. dist. ma. ipsa posset assumere aliam, ita, ut fieret una natura. neg. ma. ut tantum fieret natura humana subsistens per Divinam, om. ma. & dist. sic mi. neg. conseq.

Patres negantes, naturam Divinam posse assumere naturam humanam, vel ipsi uniri, agebant contra Eutychem, qui volebat, unam tantum in Christo esse naturam, sicut est una tantum Persona: quod utique fieri non potest. Nam, vel natura Divina, vel humana, deberet corrumpi, ut inde nova fieret, sicut ex elementis dicitur fieri mixtum: atqui natura Divina corrumpi non potest: & quamvis humana corrumpi possit, non potest ex ea fieri Divina. Sed neque potest dici, quòd Divina, & humana natura

natura, conveniant in unam naturam, sicut anima, & corpus; nam natura Divina non potest esse forma, aut subjectum. Quòd autem tantum possit fieri, ex natura Divina, & humana, aliud subsistens, Patres illi non negarunt. Accedit, quòd, ut ait idem Granadus, unio in subsistentia absoluta, non quidem immediate est: unio in Persona (nam subsistentia absoluta, ut dictum est, non esset Persona, nec suppositum, nec hypostasis, quæ in rationalibus pro eodem accipiuntur, & significant etiam incommunicabile) sed tamen mediatè; quia, si natura humana immediate subsisteret in subsistentia absoluta, eo ipso etiam mediatè subsisteret in tribus Personis. videatur etiam Gormaz de Incarnat. n. 718.

740. Ob. 5. Juxta nos, antecederet ad subsistentiam absolutam, natura jam esset subsistens, per suam existentiam perfectissimam, vel per suam simplicitatem: ergo daretur subsistentia ante subsistentiam, vel certè esset superflua subsistentia absoluta. Resp. 1. Si adversarii admittant, antecederet ad Personalitates, jam naturam Divinam, ratione alicujus prædicati absoluti, dici posse subsistentem, tunc quoad rem jam nobiscum conveniunt: neque multum litigabimus, an hoc prædicatum sit existentia, vel simplicitas, vel aliquid aliud: quamvis dici possit, quòd perfectissima existentia, in sua ratione formali, dicat tantum perfectissimam actualitatem, non verò existentiam in se sistentem: item, quòd simplicitas dicat negationem compositionis, à qua adhuc aliquo modo formaliter diversa est ratio sistendi in se, vel, (ut ait Molina in 1. p. q. 29. a. 2. disp. 3.) ratio existendi independenter ab alio, cui inexisteret, quæ est formalis subsistentia. Sic etiam alia perfectiones absolutæ, radicaliter, non verò prorsus formaliter, inferunt hanc subsistentiam, ut patebit consideranti.

741. Ob. 6. Juxta nos vera esset hæc propositio: *Deitas generat*: sed hæc est contra fidem, ut habetur C. Damianus. de summa Trinitate: ergo. prob. ma. Vera est ista propositio: *DEUS generat*: sed juxta nos DEUS, & Deitas sunt idem: ergo. Resp. esse de fide, quòd Deitas, & DEUS sint idem, ut habetur in Concilio Rhemensi, contra Gilbertum Porretanum sic profutente: *Credimus simpliciter, naturam Divinitatis esse DEUM: nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Divinitas sit DEUS, & DEUS Divinitas*. Cur ergo non est vera propositio supradicta, etiam juxta adversarios? In forma neg. ma. ad prob. dist. maj. vera est propositio: quia sub nomine DEUS intelligitur DEUS Pater, conc. maj. non subintelligitur DEUS Pater, neg. maj. & dist. etiam mi. sunt idem DEUS, & Deitas realiter. conc. mi. etiam virtualiter, ut non discrepent in aliquo predicato. neg. mi. & conseq.

Optimè Angelicus 1. p. q. 39. a. 4. in corp. ait, hoc nomen *DEUS* per se supponi pro natura communi (ex quo etiam confirmatur nostra conclusio) sed ex adjuncto determinari ejus suppositionem ad Personam: unde cum dicitur: *DEUS generat*, ait Angelicus, supponi hoc nomen *DEUS* pro Persona, scilicet Patris. videatur etiam Granadus in 1. p. tom. 3. tract. II. disp. 2. & 3. ubi docet, ex adjuncto predicato debet colligi, an hæc vox *DEUS* supponat pro

natura communi, an pro Persona, & quali. Ibdem docet, quòd hæc propositio sit vera: *Essentia Divina* (consequentè Divinitas) *creat, vel producit creaturas*; quia in Concilio Lateranensi C. Damianus, dicitur: *Essentia, seu natura Divina, que sola est univerforum principium, præter quòd aliud inveniri non potest*. Molina quoque in 1. p. q. 29. a. 2. disp. 3. §. *Nulla enim*: admittit essentiam Divinam, & subsistere in seipsa, & pariter operari ut quod. Addendum ex Angelico 1. p. q. 40. a. 1. sumpto simul arg. 3. & reipsonse ad idem, seu ad 3. non verò dici: *Paternitas est generans*. Idem S. D. in 1. dist. 33. a. 4. in corp. alferit, esse impropiè dictum: *Paternitas creat*: sicut &: *Paternitas generat*; quia, ut ait, actiones sunt suppositorum; proprietates autem, seu Personalitates, non sunt supposita; quia non sunt concreta, nec Personæ, sed tantum Personalitates. Unde tantum dicendum: *Pater generat*: & idem est de hac propositione; *Paternitas intelligit*: ut observat Granadus modo citatus disp. 3. num. 3.

ARTICULUS IV.

Quare potius Processio secundæ Personæ sit Generatio, quam Processio tertiæ?

742. Fide certum est, secundam in Divinis Personam, seu Verbum generari; nam psalmo 2. v. 7. dicitur. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te*: quæ, & similia plura, literaliter esse accipienda, est sensus omnium Conciliorum, & PP. atque totius Ecclesiæ. Fide item certum est, tertiam Personam, seu Spiritum S. non generari; quia sapissime Christus vocatur in Scripturis *Unigenitus*, e. g. Joann. 1. v. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*. Et licet Salomon etiam vocetur *Prov. 4. v. 3. Unigenitus coram matre*: hæc ipsa tamen verba non significant simpliciter unigenitum, sed tantum dilectum instar unigeniti à matre sua. Quando autem Christus vocatur *primogenitus* (qui videtur debere habere fratres) Suarez 1. n. de Trinitate, c. 5. n. 2. ait, communiore esse interpretationem, quòd vocetur primogenitus ut pretatio: quæ hæc iterum mens omnium Catholicorum; hinc processio Filii vocatur *generatio*: at verò processio Spiritus S. termino generali, quasi appropriativè, vocatur *processio*, ferè sicut Angeli infimi chori vocantur simpliciter Angeli.

743. Jam verò discriminis hujus, inter unam, & alteram processionem, rationem dare perspicuam, & adequatam, omnino non possumus. Et hoc apertè fatentur SS. PP. apud Granadum in 1. p. tom. 3. tr. 2. disp. 5. sect. 3. ex quibus S. Aug. 1. 3. contra Maximinum c. 14. sub initium ait, *Quid autem inter nasci, & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest?* & post pauca: *Distinguere autem inter illam generationem, & hæc processionem, nescio, non valeo, non sufficit*. Sed & difficile est, tantum aliquam pro captu nostro rationem congruam discriminis hujus afferre. Unde Haunoldus merito improbat eorum studium, qui totum in

in refutantibus aliorum sententiis: quod in materia adeò obscura conferre facile est: potius igitur plures rationes afferemus, quæ, si non seorsim, saltem simul, mereantur prudentem assensum.

744. Intelligitur autem hic non generatio physica, seueductio ex subiecto, quæ utique non compeit Filio DEI, ut vel ipsi Ariani sunt fassi, teste S. Augustino l. 3. contra Maximin. c. 14. sed intelligitur *Generatio viventis*, quæ definitur cum S. Thoma 1. p. q. 27. a. 2. in corp. *Origo viventis à vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ.* Est autem processio Spiritus S. origo viventis à vivente, ut patet: & quidem à principio conjuncto; per hoc enim intelligitur, quòd producens communicat producto aliquid de sua substantia: & utique Spiritus actus communicat Spiritui S. suam substantiam. Quare huic processioni debent non congruere particulae *in similitudinem naturæ*: cum autem Spiritus S. etiam habeat per identitatem eandem naturam Divinam, quam habet Filius, videtur difficile, cur hic, non verò ille, procedat in similitudinem naturæ.

745. Primum igitur discrimen, seu ratio, quare secunda Personæ processio sit generatio, non verò tertia, est; quia Filius procedit ab uno, & non à duobus, & sic procedit in similitudinem producentis unius. Hanc rationem insinuat S. Augustinus l. 15. de Trinit. c. 27. ubi ait, nullum filium esse duorum, nisi patris, & matris: Spiritus S. autem non procedere à duobus, tanquam patre, & matre, adeoque non esse filium. Eandem rationem adducit S. Anselmus in *Monologio* c. 53. atque etiam amplectitur Magister Sententiarum l. 1. dist. 13. §. 1. Antonius Perez de SS. Trinitate disp. 3. c. 7. eandem quoque adducit, & ulterius sic explicat.

Quotiescunque ad generationem alicujus proles concurrat duplex persona, tunc utraque tribuit aliquid proli diversum, scilicet aliam partem patris, aliam mater: & proles ratione illius sit similis patri, ratione alterius sit similis matri: adeoque procedit in similitudinem duorum. Cum igitur Spiritus S. necessariò à duobus procedat, deheret ab uno aliud accipere, quàm ab altero, si generaretur: at non aliud, sed eandem naturam accipit ab utroque: ergo. Aliud est, si ad generationem tantum una persona concurrat; quia tunc generatus tantum ab una debet aliquid accipere, eique esse similis, ut contingit in generatione Christi temporali, & æterna. Huic explicationi opponit Granadus loc. cit. n. 743. sec. 3. cum in generatione Divina multa sint diversa à creatura, posse adhuc interrogari, cur in Divinis non possit dari generatio à duobus, quin unus sit Pater, altera Mater.

746. Alterum discrimen affert S. Thomas 1. p. q. 27. a. 2. §. 4. in corp. ubi docet, Verbum generari; quia procedit per modum intelligibilis actionis, quæ actio, seu conceptio, est similitudo rei intellectæ: at verò Spiritus S., ut ait, procedit per modum amoris, qui non est similitudo cum re, sed impulsus, seu motio ad rem: & hinc ista processio non est in similitudinem. Hanc sententiam plures amplectuntur, & fusè exponit Granadus loc. cit. n. 743. Ad ejus meliorem intelligentiam noto, quòd, quamvis Filius, & Spiritus S. accipiant eandem naturam Divinam,

& per hanc non sit unus similis præ altero: tamen non eodem modo procedant in similitudinem naturæ; quia hoc, ut ait Suarez, significat, habere similitudinem in natura, non quomodocunque, sed ex vi processionis suæ, seu per productionem formaliter assimilativam, qualis est processio per intellectum, non verò per voluntatem; quia operatio intellectus per se tendit formaliter ad terminum similem suo principio adæquato, id est, intellectui, ut completo per objectum ipsi conjunctum, vel se ipso immediatè, vel per speciem vicariam sui.

747. Si dicas, intellectum, & voluntatem in DEO esse realiter, imò virtualiter idem, adeoque, si Filius per intellectum procedat, pereundem procedere etiam Spiritum S. Resp. ab eodem principio posse produci realiter diversa. Certè eadem anima humana producit cognationes, & volitiones, quæ inter se plurimum differunt: unde quidem tam Filius, quam Spiritus S. procedunt per intellectum, realiter sumptum, sed non per ipsum, ut formaliter sumptum; quia Spiritus S. non procedit ut intellectio, sed ut amor.

Si urgeas, tamen etiam Spiritum S. habere identitatem sibi intellectioem Divinam, adeoque etiam procedere ut intellectioem. Resp. non sufficere præcisè identitatem cum intellectioem (nam etiam natura habet identitatem cum illa, quin ita procedat) sed requiri identitatem, realem, & virtuales, cum relatione, specialiter procedente per intellectioem, seu cum Verbo: ab hoc autem Spiritus S. realiter distinguitur: natura verò Divina saltem virtualiter. videantur dicta in simili n. 726. §. seq.

748. Si autem ulterius quæras, unde probetur, quòd secunda Persona procedat specialiter per intellectum, tertia verò per voluntatem. Resp. hoc probari 1. omnibus illis Scripturæ locis, in quibus vocatur Verbum, non vocale, & accidentale, sed mentale, & substantiale, utpote identificatum intellectui Divino. 2. ex iis, in quibus Spiritus S. vocatur amor, & charitas, quæ spectant ad voluntatem: nunquam autem in Scripturis Spiritus S. vocatur Verbum, sed solus Filius. 3. ex omnibus SS. PP. & Conciliis, quibus hæc est certissima fidei veritas. S. Basilius quidem l. 5. contra Eunomiam c. 11. scribit, quòd Spiritus S. sit Verbum Filii: sed, ut ait S. Thomas 1. p. q. 34. a. 2. ad 5. est locutio impropria, & figurata, per quam scilicet omne id potest dici verbum alicujus, quod est ejus manifestativum: Spiritus S. autem Filium manifestat.

Hæc differentia inter generationem Filii, & spirationem Spiritus S. assignata, præter auctoritatem Angelicam, etiam pro se habet auctoritatem SS. PP. qui generationem Filii ordinariè deducunt ex eo, quòd sit Verbum, consequentem similitudo, & imago Patris &c. Et hinc valde probabilis, & magni ponderis hæc sententia est. Sed forte tamen adhuc illi obijci potest, hæc ratione tantum dici, generationem esse specialem modum procedendi per intellectioem, per quam, realiter saltem sumptam, etiam procedit Spiritus S., & sic non afferri determinatum aliquod, & magis explicitum prædicatum, in quo

differant hæc duæ processiones: videatur Derkennis tract. de Trinit. disp. 4. c. 4. §. 2.

749. Tertium discrimen inter processionem Filii, & Spiritus S. affert S. Bonaventura in 1. dist. 13. a. 1. q. 2. ad 1. Richardus à S. Victore, Major, Alensis, Hurtadus, Derkennis tract. de Trinit. disp. 4. c. 4. §. 3. Platellius, Zuniga, & alii (quos citat, & approbat Haunoldus l. 1. n. 720.) & adhuc alii, præsertim Recentiores, qui dicunt, ideo Filium generari; quia procedit in similitudinem naturæ ut sæcundæ: seu, quia accipit naturam ut sæcundam, sive productivam alterius Personæ: quo modo naturam non accipit Spiritus S. habet tamen Pater Divinus, atque communicat Filio: adeoque Filius magis procedit in similitudinem naturæ cum Patre.

Declaratur, & probatur ulterius ex Derkennis loco modo citato. Similitudo naturæ, quam in humanis accipit per generationem Filius, importat sæcunditatem; si enim filius non possit per se ex natura sua (aliud est, si per accidens tantum impediatur) producere alium hominem, utique non esset similis suo Patri in natura; at verò, ut rectè observat idem Auctor, in humanis generatio filii in similitudinem naturæ involvit duplicem imperfectionem, scilicet primò, quòd non tantum Pater, & Filius sint similes in natura; sed etiam naturæ sint similes; ex quo inferitur, naturas esse realiter distinctas: in Divinis autem non datur natura similis, sed tantum Pater, & Filius, similes in natura; quia datur identitas naturæ. Secundò, quòd in humanis filius possit generare alium filium: non item in Divinis; cum filiatio sit in multiplicabilis: & si Filius in Divinis possit generare alium filium, eo ipso necessariò generaret: cumque hic iterum possit generare, adeoque necessariò generaret alium, sequeretur infinitas filiorum: quod est absurdum. Demptis autem istis duabus imperfectionibus, manet conceptus generationis, etiam generationi Divinæ conveniens, *Origo viventis à vivente, principio conjuncto, in similitudinem naturæ secundæ.*

750. Hæc sententia videtur etiam esse S. Basilii l. 5. contra Eunom. c. 12. ubi docet, Spiritum S. non esse Filium; quia ex eo alius non procedit: itémque Patrum Latinorum in Concilio Florentino, cujus sessione ultima, & primis literis, quibus Latini sententiam suam, de processione Spiritus S. ex utroque, Græcis transcripserunt, sic habetur: *Nam credentes S. Spiritum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, ut intelligant, Spiritum ex solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium:* quæ postrema verba non possunt intelligi, quasi dicta de Spiritu S. nam hæc ratione intellecta non potuissent Græcis obijci, tanquam absurdum aliquod, quod deberent admittere; cum verissimum sit, Spiritum S. non esse Filium.

Imò, si voluissent Latini ea verba de Spiritu S. intelligi, debuissent dicere: *Consequenter esse Filium.* Sunt quidem aliqui, qui asserunt, textum mendosum esse, ac particulam non per errorem adjectam: sed Vasquez in 1. p. tom. 2. disp. 147. c. 3. eos refutat ex eo, quòd illa particula negativa in omnibus exemplaribus habeatur: Unde verba illa intelligenda sunt de ipso Filio, quasi diceretur: si Spiritus S. à solo Patre procedit, non

datur Filius; hoc autem idem est, ac dicere, de ratione Filii esse, accipere naturam ut sæcundam.

Addit Platellius p. 1. n. 248. certum esse, quòd Filius accipiat naturam ut sæcundam: incertum autem, an processio ad intra per intellectum sit magis formaliter, & magis perfecte, in substantialem naturæ similitudinem, quàm processio per voluntatem: adeoque hæc sententiam priori præferendam. Idem adjungit n. 249. Patres, qui frequenter docere videntur discrimen secundo loco ex S. Thoma adductum, huic tertio discrimini posse accomodari, dicendo, quòd ideo secunda Persona procedat in similitudinem, seu ut imago patris; quia accipit naturam ut sæcundam, & ideo accipiat naturam ut sæcundam; quia origine est prior Spiritu S. ideo autem sit prior; quia procedit per intellectum, seu ut Verbum. Tandem n. 250. non malè concludit, priorem, id est, secundam sententiam, esse communiorem, posteriorem verò, seu tertiam, esse faciliorem, & attentam sola ratione, probabiliorem.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

751. **O**B. 1. Productio muli est generatio: sed non est in similitudinem naturæ: ergo hæc similitudo non requiritur ad generationem. Resp. 1. cum Granado in p. 1. tom. 3. tr. 2. disp. 5. sect. 1. n. 1. neg. ma. Sic etiam in sententia eorum, qui negant, omnia animalia nasci ex seminibus, quando nascuntur vermes ex homine, vel equo, non est generatio vitalis; quia non est in similitudinem naturæ. Qui admittunt, mulum vitaliter generari, dicunt, non requiri similitudinem in specie infima; at neque sufficere in specie quavis subalterna, sed requiri similitudinem in specie propinqua infimæ, vel talem, qualis datur inter mulum, & equum, aut asinum.

Verum ex alio etiam capite videtur mulus non propriè generari; quia non est sæcundus: quòd tamen requiritur, si subsistere debet discrimen n. 749. assignatum. Respondet tamen Derkennis tract. de Trin. disp. 4. c. 4. n. 27. quòd, vel muli per se sint sæcundi, quamvis per accidens hic impediatur (sicut e. g. leones ex defectu calidioris regionis in Germania, imò fors in Europa tota, non generant: & sanè Vasquez in 1. p. tom. 2. disp. 113. c. 1. n. 8. ex Theophrasto tradit, mulos in Asia frequenter generare) vel, si sæcundi non sint, non generentur vitaliter, sed tantum in aliquo sensu physico, scilicet producuntur ex subiecto.

752. **O**B. 2. Verbum non est simile Patri in natura: ergo non generatur. prob. ant. Verbum habet eandem naturam, & non similem; nihil enim est simile sibi ipsi: ergo. Confir. Verbum non est simile cognoscenti, sed cognito: ergo non est simile Patri, qui cognoscit, sed objecto, quod cognoscitur. Resp. cum Haunoldo, & aliis, neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. conseq. Non debet dari similitudo naturæ, sed tantum productus, & producti in natura: sic, si eadem ab-

do esset replicata in duplici muro, tamen muri essent similes, quamvis albedo non esset similis sibi ipsi. In creatis quidem etiam natura generati est similis; quia non potest natura identificari pluribus: non autem in Divinis ob contrariam rationem.

Ad confir. om. ant. neg. conf. Objectum cognitum est etiam Pater: nec tamen propterea etiam Pater est Verbum; quia ad Verbum, & imaginem, maximè naturalem, non sufficit similitudo: sed debet simul dari productio, vel processio ab eo, cujus est imago. vide Suarez de Trinit. l. 9. c. 9. n. 1. 2. & 5. Nota insuper, quod productio huius Verbi sit formalissimè productio Verbi loquentis objectum, realiter identificatum cum intelligente, adeoque hoc Verbum formalissimè vi suæ productionis sit simile intelligenti, seu Patri.

753. Dices. Principium productivum Verbi completum est sola essentia Divina; nam potentia cognoscendi, & objectum, & species, quæcunque datur, est essentia Divina: ergo Verbum deberet esse simile essentia Divina: atqui non potest huic esse simile; cum sit identificatum: ergo. Resp. dist. ant. principium ut quo est essentia. om. ant. principium ut quod. neg. ant. & conseq. dein conc. subsumptum, & neg. conseq. Verbum debet esse simile Personæ producenti, seu principio ut quod, quod præter principium formale, seu productivum ut quo, dicit insuper Personam producentis, cui debet esse similis Persona producta, Dixi: om. ant. quia, an principium ut quo, seu potentia productæ, dicat, præter naturam etiam Personalitatem, saltem ut conditionem, seu complementum necessarium: vel, an dicat solam naturam cum negatione productionis, videri potest apud Suarez l. 6. de Trinit. c. 5.

754. Ob. 3. Similitudo ratione intellectio- nis, vel imaginis, quam habet Verbum cum Patre, est tantum similitudo intentionalis: sed hæc non sufficit ad generationem: ergo. prob. ma. Cognitio, qua Angelus cognoscit seipsum, est similitudo intentionalis Angeli, & tamen non generatur eo in sensu, in quo loquimur: ergo. Resp. neg. ma. est enim similitudo naturalis, seu in natura; cum Verbum habeat eandem naturam, quam Pater, & quidem vi productionis, tendentis ad producendum suppositum habens eandem naturam. ad prob. conc. ant. neg. conseq. quia illa cognitio non habet eandem naturam cum Angelo: nec est suppositum substantiale vivens, productum à supposito substantiali vivente.

755. Ob. 4. Spiritus S. est magis similis Patri Divino, quam quivis filius humanus patri humano: ergo etiam est filius. Respondent 1. ij, qui fecundum discrimen assignant, dist. ant. Spiritus S. est magis similis materialiter, & in facto esse, conc. ant. formaliter, & velut in fieri. neg. ant. & conf. Licet Spiritus S. sit similior in hoc, quod non tantum similem, sed eandem habeat naturam, tamen non est tam similis formaliter, seu ratione productionis; nam generatio filii humani ex sua natura formaliter tendit ad assimilationem filii cum patre: non autem processio Spiritus S. tendit ad assimilationem, sed est quidam impulsus vitalis.

Nec verum est (quod aliqui hæc opponunt)

in humanis generationibus sufficere quancun- que similitudinem; nam debet esse aliqua peculiaris, præ similitudine cum aliis hominibus, ab hoc Patre non generatis: & hæc intervenit communicatio alicujus partis generantis: quæ communicatio est apta inducere peculiarem similitudinem, & secum fert actionem, specialiter tendentem ad similitudinem geniti cum generante. Resp. 2. ad hanc objectionem, qui tertium discrimen assignant, neg. ant. quia filius in humanis accipit naturam ut faciendam.

756. Ob. 5. Verbum non est simile Patri in facultate: ergo discrimen assignatum est nullum. prob. ant. Verbum non potest generare: ergo. Confir. Facultas in Divinis nihil dicit præter naturam Divinam, & Paternitatem ex una, & Filiationem ex altera parte: atqui Pater non est similis Filio in Filiatione: ergo tantum est similis in natura: ergo ratione facultatis non est magis similis Filio, quam Spiritus S., cui etiam est similis in natura. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Verbum est simile Patri in facultate possibili, non verò impossibili, adeoque non in facultate generandi, sed spirandi. vide num. 749.

Ad confir. Respondet Derkennis tr. de SS. Trinitate disp. 4. c. 4. n. 29. neg. maj. & dicit, quod facultas dicat inspirationem activam, quæ determinat naturam in Patre, & Filio ad faciendam: sed, quia libenter vito novas questiones, qualis hæc oriretur, an scilicet inspiratio activa spectet ad virtutem spirandi: an tantum eam consequatur, quorum prius vult Derkennis loc. cit. potius autem Suarez l. 11. de Trinitate c. 6. n. 4. om. ma. dist. mi. Pater non est similis in Filiatione, hoc est, in omnibus ejus prædicatis, conc. mi. in prædicato determinantis naturam ad esse faciendam. neg. mi. & conseq. cum enim hoc prædicatum determinantis naturam ad faciendam, seu adtribuendam denominationem faciendi, conveniat tam Paternitati, quam Filiationi, istæ sunt inter se quoad hoc similes, & ratione huius magis similes, quam inspiratio passiva, cui hoc prædicatum non competit. Quod autem Spiritui S. sit realiter identificata facultas naturæ, non probat, quod etiam ipse denominetur, aut sit facundus: tum quia Spiritus S. virtualiter ab ea distinguitur; tum quia non est capax ejus denominationis, ratione lux Personalitatis, non potentis aliquid ad intra producere.

757. Ob. 6. Prius innouit Filius DEI, quam Spiritus S. ut loquuntur SS. PP. ergo facultas non est de conceptu Filii. prob. conseq. aliàs debuisset statim cognosci terminus facultatis, scilicet Spiritus S. Confir. Similitudo Divinarum Personarum non est notionalis, sed essentialis: ergo non involvit facultatem, quæ aliquid notionale involvit. Resp. dist. ant. prius innouit Filius, quam explicitè innouit Spiritus S. conc. ant. quam hic implicitè innouit. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. eodem modo ant. & neg. conseq. Sæpe aliquid innouit, quin explicitè innouit omnia ejus prædicata, aut cur, tale, vel tale prædicatum ei conveniat: adeoque etiam potuit innouescere Filius; sed tamen nondum clarè, ob quam rationem ei hoc prædicatum conveniat, an ob facultatem, an ob

An detur distinctio plus quam formalis inter prædicata absoluta, & necessaria DEI. 177

ob aliam rationem, de quo adhuc disputatur. Ad confir. dist. ant. non est notionalis similitudo communis omnibus tribus Personis. conc. ant. similitudo tantum communis duabus Personis. neg. ant. & conseq. De similitudine autem communi, seu essentiali loquitur S. Thomas 1. p. q. 35. a. 2.

Agitari hæc etiam solet Questio, an, si Spiritus S. non procederet à Filio, esset ab hoc realiter distinctus. At quia hæc questio non est contenta in Elencho, & Tractatus hic aliàs non est parva molis, breviter tantum pro aliqui notitia dico, verosimilius Spiritus S. in eo casu non fore distinctum à Filio: quia in Divinis non admittitur realis distinctio, ubi non datur oppositio producentis, & producti, qualis in illo casu non daretur inter Filium, & Spiritum S. Neque tunc esset eadem generatio Filii, quæ nunc datur; cum Filius non acciperet naturam ut faciendam, seu conjunctam cum inspiratione activa: nec essent duæ processiones, sed una tantum, per intellectum, & voluntatem simul: sicut suo modo, non per productionem realem, sed tantum per formalem, seu per emanationem aliquam metaphysicam, ab intellectu, & voluntate, realiter identificatis, emanant cognitio, & volitio DEI, realiter identificata: & sicut in homine ab intellectu, & voluntate, juxta nostra principia realiter identificatis, id est, à tota anima, procedit quilibet actio vitalis. Plura, qui cupit, adeat Ruizium, vel Suarezium.

QUESTIO III.

De Distinctione inter Prædicata DEI Absoluta, & Relativa.

ARTICULUS I.

An detur distinctio plus quam formalis inter prædicata absoluta, & necessaria DEI.

758. Hanc questionem ex Disputatione prima, ubi aliàs solet tradi, in hanc quintam transtuli, ut simul agi queat de utraque distinctione, tam absolutorum inter se, quam relativorum inter se, itémque de distinctione relativorum ab absolutis, & contingentium à necessariis. Quid autem sint hæc prædicata, & quid discriminis inter illa sit, diximus n. 99. Jam, ut à facilioribus incipiamus, prima conclusio sit circa distinctionem absolutorum inter se.

Dico itaque cum communi nostrorum. Inter prædicata absoluta, & necessaria DEI non datur distinctio nisi purè formalis; adeoque nulla de iis verificatur prædicata contradictoria. Dixi: inter prædicata absoluta, aut necessaria; quia, quid sciendum de relativis, aut contingentibus; postea trademus. Conclusio autem probatur: Distinctio plus quam formalis, vel etiam talis, ut verificentur prædicata contradictoria, inferit mysterium aliquod, simile mysterio SS. Trinitatis, imperceptibile nostro in-

tellektui, viribus suis relicto; ergo non debet admitti, nisi, aut fides, aut saltem ratio efficacissima, cogat: atqui neutra nos cogit, ut patebit ex solutione objectionum: ergo. Unde tantum admittenda est distinctio formalis, rationis ratio- cinata, seu cum fundamento in re: non quidem cum fundamento, vi cuius possint suscipi contradictoria: sed vi cuius intellectus humanus possit per diversos conceptus præcisivos diversimodè cognoscere Divinam naturam, e. g. ut potentem omnia producere, adeoque formaliter omnipotentiam: vel ut consciam rerum omnium, seu formaliter omniscientiam &c.

759. Ob. 1. Verum est dicere: Misericordia DEI non est justitia DEI: ergo verificatur contradictoria. Confir. 1. Plus distinguitur DEUS justus, & misericors, quam justus, & justitia: sed ista distinguuntur formaliter: ergo illa plus, quam formaliter. Confir. 2. Ordo non datur sine distinctione plus, quam formali: sed in DEO datur ordo: ergo. prob. mi. In creatis datur ordo, & est perfectio: ergo magis datur in DEO. Resp. neg. ant. Propositio hæc, ita simpliciter prolata, non est vera: sed tantum vera est, si limitetur, addita particulâ *formaliter*.

Ad 1. confir. om. ma. dist. mi. ista distinguuntur formaliter distinctione rationis ratiocinantis. conc. mi. rationis ratiocinata, hæc min. & conf. Explicatio non additur; quia lupus notus nota ex Logica. Ad 2. tantum, etiam distinctionem rationis ratiocinata unam esse majorem, quam alteram, sed adhuc infra limites distinctionis formalis; quia scilicet unum objectum potest præbere intellectui humano majus fundamentum, quam alterum, in ordine ad diversos conceptus. Ad 2. confir. dist. ma. ordo realis non datur sine distinctione plus, quam formali. conc. maj. ordo purè formalis, & solum in conceptu. neg. maj. & dist. sic mi. neg. conseq. ad probationem dist. ant. in creatis, inter quæ datur realis distinctio, datur ordo realis. conc. ant. inter quæ tantum datur distinctio formalis, neg. ant. & conseq. Nec tamen in DEO est aliquid inordinatum; hoc enim significat privatum ordine debito: DEO autem, nec ordo realis debetur, nec ipse est ejus capax quoad prædicata necessaria &c.

760. Ob. 2. DEUS est cognitio sui, & objectum suum: sed objectum debet esse præ priori ad cognitionem, adeoque plus, quam formaliter, ab ista distinctum: ergo. Confir. DEUS est cognitio, & volitio sui absoluta, & necessaria: sed cognitio est prior naturâ ad volitionem: ergo. prob. mi. nihil volitum, quin præcognitum: ergo. Resp. neg. mi. Potest cognitio habere seipsum pro objecto. Sic statim docemur in summulis, quod se ipsam pro objecto, saltem inadæquato, habeat hæc cognitio: *Omnis intellectus est actus vitalis*. Quare sufficit, objectum esse formaliter prius. Ad confir. dist. mi. cognitio est prior naturâ in creatis. conc. mi. in Divinis, subdist. est prior formaliter. conc. min. plus, quam formaliter. neg. min. & conseq. ad prob. dist. ant. nihil volitum, quin præcognitum, hoc est, formaliter prius cognitum, conc. ant. plus, quam formaliter prius cognitum, neg. ant. & conseq. Plura vide n. 555.

761. Ob. 3. DEUS intelligit per intellectum; non intelligit per voluntatem: ergo datur prædicata contradictoria: Confir. Cognitio DEI fertur in peccatum: volitio DEI non fertur in peccatum: hæc sunt iterum contradictoria: ergo. Resp. dist. 2. p. ant. DEUS non intelligit per voluntatem, realiter acceptam. neg. ant. per voluntatem, formaliter acceptam. conc. ant. & neg. conseq. Sic etiam homo intelligit per animalitatem, realiter acceptam, & sentit per rationalitatem, realiter acceptam, sine ulla contradictione: sed non intelligit homo per animalitatem, formaliter acceptam, ut suppono notum ex Logica.

Ad confir. dist. eodem modo ma. & mi. & nego consequentiam. Hoc argumentum est simillimum illi de actu contritionis, quod in Logica ad nauseam ventilari solet: scilicet, tam cognitio, quam volitio DEI, realiter sumpta, fertur in peccatum, denominando illud cognitum, non amatum; ad hoc enim, ut denominet amatum, non sufficit quæcunque tendentia; sed requiritur tendentia specialis, vi cuius actus amplectatur motiva, impellentia ad complacendum sibi in peccato: quæ tendentia est longè remota ab actu contritionis in homine, & longissimè ab omni actu Divino.

762. Ob. 4. Pater producit Filium per intellectum, & non per voluntatem: ergo de his verificatur contradictoria. prob. ant. Si Pater produceret Filium per voluntatem, tunc Filius esset volitio, & de linea volitiva: sed hoc est falsum: ergo. Confir. Filius est realiter identificatus cum volitione: ergo, si etiam produceretur per voluntatem, erit de linea volitiva: quod tamen competit soli Spiritui S. Resp. neg. 2. membrum antec. in sensu reali acceptum. ad prob. dist. ma. si Pater produceret Filium per voluntatem, tantum realiter acceptam. neg. ma. si per eam formaliter acceptam. conc. ma. & mi. ac neg. conseq. Ad confir. iterum nego consequentiam. Scilicet potest eadem realiter causa, vel idem principium, producere realiter diversa, & ab his etiam diversas denominationes accipere. videantur dicta n. 747. ubi plura in hanc rem diximus. videantur etiam dicta n. 551. ubi explicatum, quomodo prædicata aliqua habeantur adjectivè, alia substantivè &c. Ex his inferes, neque admittendas esse inter prædicata absoluta, & necessaria DEI, præcisiones objectivas; quia non potest realiter cognosci unum, quin realiter cognoscatur & alterum: uti scilicet communiter nostri docent de animalitate, & rationalitate in homine. Reliqua, quæ hic obijci possent, aut jam sunt nota ex Logica, aut inferens melius declarabuntur.

ARTICULUS II.

Explicatio multiplex Identitatis, & Distinctionis in Divinis.

763. **M**ultiplex assignatur divisio distinctionis; alia enim est distinctio realis, alia formalis ex natura rei, alia virtualis, alia purè formalis, & hæc vel rationis ratiocinantis, vel rationis ratiocinatæ.

quæ omnia supponerem ex Logica nota, si ibi explicarentur hi termini, non tantum, prout affirmantur, vel negantur de creatis, sed etiam prout affirmantur de Divinis, de quibus sæpe aliter loquendum. Juxta quosdam *Distinctio realis est distinctio in aliquo prædicato intrinseco*: at hoc, quamquam verum sit in creatis, negatur à plurimis in Divinis; nam, ajunt, Pater, & natura Divina realiter identificantur, quamvis in aliquo prædicato dissentiant. Et hinc etiam videtur, difficile posse admitti, saltem non sine adjecta expositione, illa definitio distinctionis realis *Negabilitas unius de altero in re*; nam videntur aliqua prædicata in Divinis esse negabilia de natura; cum tamen nullum possit esse realiter distinctum, ut ex dicendis patebit.

P. Ulloa in sua *Logica majore disp. 1. c. 1. num. 4.* asserit, ea distingui realiter, quæ, independenter ob omni operatione intellectus, talia sunt, ut etiamsi existerent in rerum natura, non posset unum affirmari de altero. Supponit autem hic Authorem, quæ nondum existunt, e. g. possibilitatem, & existentiam Antichristi, non identificari, strictè loquendo; hinc ait, ea negativè distingui. Idem Author cit. c. num. 1. sic ait: *Identitas realis est unitas, seu indivisibilitas in esse . . . Distinctio realis est multiplicitas, seu divisibilitas in esse*: item *disp. 1. c. 2. n. 70.* inquit: *Identitas realis in genere consistit in eo . . . quod extrema, quæ identificata dicuntur, habeant unicam, simplicem, atque indivisam essentiam à parte rei, quin extrema identificata habeant ullam actualem inter se distinctionem.*

764. Mihi tamen convenienter videtur posse definiiri identitas realis, prout abstrahit ab identitate in creatis, & Divinis, *Affirmabilitas determinata unius de altero in re, vel in concreto, vel saltem in abstracto, metaphysicè accepto*, sive, ut paulò aliis terminis dictum est num. 551. *vel adjectivè, vel substantivè*: hoc est, ut vel per modum adjectivi possit prædicari: e. g. *Natura Divina est communicabilis tribus*: vel saltem per modum substantivi, seu formæ metaphysicæ: e. g. *Natura Divina est generatio*; hæc enim propositio vera est, quamvis vera non sit ista: *Natura Divina est generans.*

Ubi tamen adverte, prædicationem per modum substantivi non satis exactè exponi, dicendo, *Paternitas est id, volitio est id &c.* quamvis enim aliquando pro aliqua objectione solvenda ea responsio sufficiat, universaliter tamen falsum est, illam prædicationem per particulam id &c. sufficere ad identitatem realem; nam vera est hæc propositio: *Pater est id, quod est Filius*: quin detur identitas realis inter Patrem, & Filium. Unde melius dicitur: *Pater, vel Paternitas est communicabilis cum tribus: volitio est absoluta necessitas existentia Divina.* Hæc definitio identitatis videtur mihi saltem evitare aliquas tricas, ortas ex eo, quòd quidam velint aliqua prædicata esse contradictoria, alii non, de quo forte inferiùs.

765. Supposita hac definitione identitatis, rectè definitur distinctio realis, quòd sit *Negabilitas determinata unius de altero in re, tam in concreto, quam in abstracto metaphysico*: hoc est, ut possit negari alterum tam ut substantivum, quam ut adjectivum. Et sic Pater in Divinis potest

potest negari de Filio; nam verum est: *Pater non est Filius*: item etiam: *Pater non est Filiatio*. Dixi: in abstracto metaphysico, sive quando forma est metaphysica, quæ scilicet realiter identificatur cum concreto; nam si substantivum esset tantum forma physica, non requireretur ad distinctionem etiam negabilitas in abstracto hoc physico; verè enim sunt hæc propositiones: *Visio non est visum: Albedo non est album, & Albedo est distincta realiter, saltem inadæquatè, ab albo*: quavis negari non possit de visione, vel albedine hoc prædicatum tantum in abstracto; non enim verum est dicere: *Visio non est visio: Albedo non est albedo*: at, quia hæc forma est tantum physica, definitio nostra tamen est vera; quia de albedine negabile est tam concretum album, quam quodlibet abstractum metaphysicum, hoc est, realiter adæquatè identificatum cum albo, quæcunque excogitetur.

766. Jam *Distinctio Scotistica*, seu *formalis ex natura rei*, juxta suos auctores est illa, quæ datur antedeceder ad operationem intellectus, non inter plures res, sed inter plures formalitates: plures autem res ex Mastro in *logica disp. 1. q. 5. a. 2.* sunt, quæ habent propriam existentiam, vel producuntur per physicum influxum à causa, & multiplicata faciunt plura simpliciter: formalitates verò sunt, quæ non habent propriam existentiam, sed existunt per existentiam rei, in qua per physicam identitatem radicantur: nec producuntur per productionem physicam, sed tantum per metaphysicam: & multiplicata non faciunt plura simpliciter, sed tantum secundum quid, sive formaliter ex natura rei. Alii verò magis intelligibiliter docent, plures res esse, quæ sunt separata, vel actu, vel potentiâ, vel proportione: separata autem proportione vocant, quorum unum est causa, vel principium alterius, ut scilicet defendi possit realis distinctio inter Personas Divinas, quæ reipsa non sunt inter se separabiles, sed tantum se habent proportionaliter, quasi essent separata; quia habent oppositionem producentis, & producti. Alia verò, quæ non sunt ita separata, habent tamen diversas definitiones, ajunt, esse plures formalitates.

767. Sequitur *Distinctio virtualis*, quæ re ipsa ex parte objecti, seu antedeceder ad operationem intellectus, non est distinctio: sed est tantum æquivalentia distinctionis, in ordine ad certos effectus, vel denominationes: sicut (quod est exemplum Ulloæ) prorex non est rex, æquivaleret tamen in ordine ad certas functiones regi; nam, sicut realis distinctio tribuit ita distinctis capacitate recipiendi prædicata, vel absolute, vel conditionatè contradictoria, vel, ut unum habeat denominationem, quam alterum non habet: ita tribuit distinctio virtualis; sicut enim ob realem distinctionem de patre, & filio in creatis verificantur hæc propositiones: *Pater non est filius. Filius est filius*: ita ob virtuales distinctionem de essentia, ac Patre in Divinis verificantur hæc propositiones: *Pater non est Filius: Essentia est Filius*: videtur autem mihi cum Ulloa in *logica maj. disp. 1. n. 78.* distinctio virtualis commode posse definiiri: *Identitas realis duorum capacium suscipiendi prædicata, vel absolute, vel saltem conditionatè contradictoria*: quid autem per prædicata conditionatè contradictoria intelligatur, explicabimus n. 777.

Interim noto ex eodem Ulloa. Quemadmodum sæpe idem effectus potest provenire, tam à causa univoca, quam à causa æquivoca: ita potest capacitas ad prædicata contradictoria, vel denominationes diversas, provenire, tam à distinctione reali (vel, si datur, à formali ex natura rei, quæ etiam se tenet ex parte objecti) tanquam à causa univoca, quam à distinctione virtuali, tanquam causa æquivoca. Unde distinctio realis, Scotistica, & virtualis, conveniunt in effectu, hoc est, in capacitate ad prædicata contradictoria: at differunt ex parte causæ; nam realis, & Scotistica, est causa univoca: virtualis autem est causa æquivoca: prior utraque est rex, posterior prorex.

768. Hinc est, quòd S. Thomas, & alii, præsertim antiquiores, etiam SS. Patres, atque Concilia, quamvis prædicata contradictoria inter Personas, ac naturam Divinam admittant, tamen easdem Personas, ac naturam, tantum ratione inter se distingui, asserant: non utique tantum eo modo, quo animalitas, & rationalitas in homine distinguuntur ratione; alii non admittent verificari contradictoria de ipsis, uti tamen admittunt: neque mysterium SS. Trinitatis esset ineffabile, ac supra nostrum captum; cum etiam tyro Logices capiat illam distinctionem: sed ita, ut quidem à parte rei, seu ante operationem intellectus, non detur vera distinctio; sed primum nos cognoscendo imperfectè naturam Divinam, & Personalitates, eas per nostros conceptus, hoc est, *ratione, ac secundum nostram intelligentiam* (ut loquitur Joannes Theologus in Concilio Florentino *sess. 18. post medium*) distinguamus: interim tamen detur à parte rei æquivalentia distinctionis, seu capacitas ad suscipienda prædicata contradictoria.

769. Jam *Distinctio rationis*, seu *formalis, genericè accepta*, definitur communiter *distinctio realis, vel æquivalenter talis, duorum conceptuum idem objectum diversimodè representantium*, cujus explicationem suppono ex Logica, uti & notitiam divisionis in distinctionem *rationis ratiocinantis*, sive sine fundamento in re; & distinctionem *rationis ratiocinatæ*, sive cum fundamento in re. Sed quia in uno objecto datur longè majus fundamentum ad diversos conceptus faciendos, quam in altero; hinc etiam unum magis distinguitur hac distinctione, quam alterum. Inter alia autem fundamenta est etiam capacitas subjecti ad suscipienda prædicata contradictoria, quæ capacitas vel maxime præbet fundamentum ad diversos, imò oppositos conceptus: & hinc inter distinctiones rationis ratiocinatæ, ea, quæ est cum fundamento hujus capacitatis, est maxima, eamque Ulloa *disp. 1. c. 2. n. 57.* vocat distinctionem rationis Theologicam, ut contradistinguat à Logica.

770. Hæc quidem distinctio in creatis non admittitur: admittitur tamen in Divinis, ex SS. PP. & Conciliis, cum S. Thoma, & aliis, qui distinctionem, quæ modò frequentius vocatur virtualis, reducant ad distinctionem rationis, tanquam speciem ad genus. videatur Ulloa in *logica majore disp. 1. c. 2. n. 58.* & c. 4. n. 145. & seq. maxime n. 148. Et juxta hinc dicta explicandi sunt omnes textus Conciliorum, SS. PP. S. Thomæ, & aliorum antiquiorum, qui dicuntur

naturam Divinam, & Personas non re, sed tantum ratione differre, præsertim dicta Patrum Latinorum, & Joannis Theologi in Concilio Florentino, quos exhibet Ulloa in modo citata logica n. 146.

Sic sanè exponendus est S. Thomas, qui 1. p. q. 39. a. 1. ad 2. ita loquitur: *In quantum essentia, & Persona in Divinis differunt secundum intelligentie rationem, sequitur, quod aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero.* Ecce admittit S. Doctor, quod vi distinctionis formalis hujus specificæ in DEO, scilicet virtualis, possint verificari affirmatio, & negatio de realiter identificatis, hoc est, contradictoria. Et certè secundo loco sibi objecerat, quod affirmatio, & negatio non simul, & semel verificentur de eodem, & tamen verificentur de essentia, & Persona, adeoque istæ non sint identificatæ: nec respondet, non affirmari, & negari, realiter idem, sicut fit circa animalitatem, & rationalitatem, quando concipiuntur ut distinctæ: sed ait, posse idem affirmari, & negari ob distinctionem rationis, scilicet peculiarem, quæ vocatur virtualis. Similia habet S. Doctor in 1. disp. 34. q. 1. a. 1. ad 2. *Et alibi.* Quando autem S. Doctor videtur dicere, quod in ipsa perfectione essentia Divinæ contineatur, & Verbum, & principium Verbi, & omnia ad ejus perfectionem pertinentia, plus certè non vult dicere, quam omnes Personas esse realiter naturæ identificatas, & Filium non accepisse à Patre naturam distinctam.

771. Huc spectat etiam, quod fusè tradit Ulloa de DEO disp. 2. c. 3. scilicet, quod antiquitus cognita tantum fuerit una species identitatis, nempe, quæ excluderet omnem discrepantiam in tertio, vel capacitatem ad prædicata contradictoria, & quæ datur in creatis: at, sicut multa modò per experientiam nobis innotuerunt, quæ antiquos latebant, e. g. alius major numerus planetarum, alius motus solis, vel Mercurij &c. ita nobis multa innotuerunt per fidem, quæ Aristoteli, & præcis illis sapientibus, incognita fuerunt: & inter alia innotuit nobis species identitatis realis, quæ simul esset capacitatis ad prædicata opposita, vel discrepantia in tertio: item alia species distinctionis realis, quæ stare simul cum identitate in tertio. Quare modò distinguimus inter *identitatem tantum realem*, & inter *identitatem etiam virtualem*, de qua re Aristoteles nihil scivit. Per illam intelligimus identitatem quamcunque realem duorum, quamvis cum discrepantia in tertio: per istam intelligimus identitatem exclusivam discrepantiæ in tertio (intellige, vel absolute, vel conditionate talis) utraque datur in Divinis, attamen respectu diversorum prædicatorum; in creatis autem tantum datur posterior.

772. Ubi etiam notandæ ex eodem Ulloa de DEO disp. 2. c. 3. n. 24. sunt sex veritates, ab Ecclesia definitæ, quæ in hac materia semper præ oculis habendæ sunt. Prima: *Personæ Divinæ sunt realiter ab invicem distinctæ.* ita definitum in pluribus Conciliis contra Sabellium, docentem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, esse tria vocabula, significantia unam Personam, sed diversa munera. Secunda: *Una, indivisa, & singularis est substantia, seu natura Divina.* ita defini-

nitum in Lateranensi sub Innoc. III. *C. Damianus* contra Joachimum Abbatem, docentem, Divinas Personas esse unum DEUM unitate collectionis, sicut multi homines sunt unus populus. Tertia: *Nulla Persona Divina realiter distinguitur à natura.* ita definitum in Concilio Rhemeni, & Lateranensi contra Gilbertum Porretanum, docentem, Personas Divinas realiter distingui à natura. Quarta: *Filius est DEUS, & Patri consubstantialis.* ita definitum in Nicæno I. contra Arium, docentem, quod Filius sit creatura. Quinta: *Spiritus S. est DEUS.* ita definitum in secundo Generali Concilio, seu Constantinopolitano I. contra Macedonium, docentem, quod Spiritus S. sit creatura. Sexta: *Filius procedit à solo Patre, & Spiritus S. ab utroque.* ita definitum in Florentino contra Photium, jam olim damnatum, & contra Marcum Ephesinum, atque sequaces Græcos Schismaticos.

Addendum, quod Ruiz citatus in *theistis Dilinganis, de SS. Trin. myster. an. 1709. editis, q. 3. a. 3. n. 142.* asserit, & per se clarum esse videtur, nempe, quod ex communi Doctorum sensu Theologus in suis discursibus circa SS. Trinitatem edè propiùs accedat ad veritatem, quod difficultates hujus mysterii explicat conformibus ad fidei propositiones: è contrario autem edè magis recedat, quod laboriosius luctari debet, ut, nescio quibus limitationibus, aut difficillimis, si non etiam periculosis, expositionibus, opinioniones suas cum veritatibus fidei conciliet.

ARTICULUS III.

Qualis distinctio detur inter Naturam, & Personas Divinas.

773. Dico 1. Inter Personas Divinas, & Naturam, non datur ulla distinctio realis. ita certissima omnium; quamvis enim secundum fidem distinguatur inter se realiter ipsæ Personæ, nulla tamen distinguitur realiter à natura. Probatur primò ex Lateranensi cit. n. 710. ubi definitur, quod omnes tres Personæ sint essentia: & antecederent damnatur Joachimus Abbas oppositum docens, de quo n. preced. Secundo ex Concilio Rhemeni apud Severinum, *Bnium tom. 3. p. 2. edit. Coloniae, fol. 1232. non longe ante finem.* ubi refertur Pontifex Eugenius III. definitivè: *Ne aliqua ratio in Theologia inter naturam, & Personam divideret, néve DEUS Divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi.* Idem supponitur in Concilio Florentino, in quo sess. 18. Joannes Theologus sic pronunciat: *Divina substantia, & Persona re quidem sunt idem: secundum autem modum intellectio- nis nostræ differre videntur.*

Tertiò S. Augustinus de Trinitate l. 7. c. 6. ait: *Non enim aliud est DEUS esse, aliud Personam esse, sed omnino idem.* Ibidem sub medium ait: *Tres Personas ejusdem essentia, vel tres Personas unam essentiam dicimus: tres autem Personas eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod esse*

essentia est, aliud, quod Persona. Similia habent etiam alii SS. PP. & Concilia passim: item, quæ Sanctus Thomas cit. n. 770. & alii auctores, qui communissimè docent, tantum dari distinctionem rationis inter Personas, ac naturam: imò in hoc stat difficultas mysterii SS. Trinitatis; si enim inter essentiam, & Personas daretur distinctio realis, non esset minùs perceptibilis natura Divina in tribus Personis, quam natura humana in tribus individuis. Confirm. ratione S. Bernardi apud Ulloam disp. 1. log. major. c. 2. n. 28. Si Paternitas est distincta ab essentia, vel est major, vel minor, vel æqualis essentia Divina: major esse non potest, ut patet: nec minor; quia aliàs esset creatura: nec æqualis; quia aliàs essent duo Dij æquales.

774. Dico 2. Inter Personas Divinas, & naturam, non datur distinctio Scottifica, seu formalis ex natura rei. Ita extra scholam subtilem reliqui Theologi communissimè. Prob. Hæc distinctio juxta suos auctores est major, quam distinctio rationis: atqui ex Conciliis, & PP. habetur, tantum dari distinctionem rationis in Divinis, ut ex dictis probatum est: ergo. Nec dicas, terminum ratione à Conciliis, & PP. usurpari pro ratione objectiva, seu quidditate rei: nam hæc est violenta expositio; cum enim dicant PP. sola ratione, aut intelligentia differre, & vox intelligentia significet modum nostrum cognoscendi, hoc solo, non autem etiam objective, distinguatur naturam à Personis asserunt. Confir. Major distinctio, quam rationis, admitti non debet, nisi probetur: sed non probatur, ut patebit ex solutione objectionum: ergo.

775. Dico 3. Datur inter naturam Divinam, & Personas distinctio virtualis propriè dicta. ita Valentia tom. 1. disp. 2. generali q. 1. punct. 2. in fine. Tannerus tom. 1. disp. 4. q. 3. dub. 2. num. 12. Ulloa in log. majore disp. 1. c. 2. num. 37. & plurimi recentiores. Arriaga autem de SS. Trinit. disp. 42. sect. 5. n. 51. ait, non posse negari ipsa nostram sententiam à Catholicis: quamvis negari non possit, etiam magnam autoritatem stare in oppositum. Dixi: inter naturam Divinam, & Personas; quia, si de his verificantur contradictoria, tunc multò magis verificantur de ipsis Personis inter se; quod notandum propter aliquos, qui etiam inter Personas negant contradictoria, etiam si realiter distinctæ sint. Dixi autem insuper: distinctio virtualis propriè dicta; nam Ulloa in log. mai. disp. 1. c. 1. n. 7. distinguit triplicem distinctionem virtualem. Prima est quæcunque distinctio rationis ratiocinata, seu cum fundamento in re; in ordine ad diversos conceptus de re illa formandos. Secunda est æquivalentia rei in ordine ad plura munera, aliàs realiter distinctis convenientia: sic, ait: virtualiter distinguitur sol; quia potest calefacere, & illuminare, quæ munera præstat calor, & lux inter se realiter distincta: sed hæc iterum est distinctio tantum rationis ratiocinata logica, quamvis cum majore fundamento. Tertia est æquivalentia rei in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria absolute talia, vel saltem conditionate talia, seu, ut Ulloa vocat, illativa.

776. Per prædicata contradictoria absolute talia intelliguntur illa, quæ sunt negatio; & af-

firmitio ejusdem prædicati, e. g. *Homo est rationalis: Lapis non est rationalis*; item *Titius est doctus: Cæsus non est doctus.* Ubi statim noto discrimen inter prædicata contradictoria, & propositiones contradictorias; nam prædicata contradictoria possunt verificari, ut manifestum est in realiter distinctis: at propositiones contradictoriae non possunt unquam verificari, ut suppono; quia sunt negatio, & affirmatio ejusdem prædicati de subiecto omnino eodem: hoc est, nec realiter, nec virtualiter distincto. Dico: nec virtualiter distincto; nam cum subiectum, virtualiter distinctum, in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria, æquivalent duobus realiter distinctis, ut dictum n. 767. possunt utique de tali subiecto contradictoria verificari: adeoque vera esse de tali subiecto affirmatio, & negatio ejusdem, sine contradictione propositionum; tunc enim tales propositiones se habent, ac si haberent duo subiecta realiter distincta, de quibus absque dubio prædicata contradictoria verificari possunt. Unde etiam principium: *Idem non potest simul esse, & non esse*; tantum procedit, quamdiu manet intra suam sphaeram, scilicet intra identitatem tam realem, quam virtualem, qualis datur in creatis: non autem, quando altius, quam decet, vult ascendere ad identitatem tantum realem, cum virtuali distinctione. Quare in illo principio intelligendum est, idem, tam realiter, quam virtualiter acceptum: patet ratio de aliis hujusmodi principiis, ut observat rectè Ulloa de DEO disp. 2. c. 3. n. 30.

777. Per prædicata contradictoria conditionate talia, seu illativa, Ulloa in log. major. disp. 1. c. 2. intelligit illa, quæ hic, & nunc contradictoria quidem non sunt: essent tamen, nisi in illo subiecto daretur distinctio virtualis. Exemplum sit in his propositionibus (ut docet hic auctor) *Essentia Divina communicatur: Paternitas non communicatur*, vel: *Essentia est communicabilis: Paternitas non est communicabilis*: hæc prædicata communicabilis, non communicabilis in his propositionibus, ait Ulloa, non sunt prædicata contradictoria. Probatur. In prima propositione, sub termino communicabilis intelligitur communicabilitas essentia: in secunda vero intelligitur communicabilitas Paternitatis: illa est prædicatum reale, & verum: ista est Chimæricum: ergo non affirmatur, & negatur idem prædicatum, adeoque non sunt contradictoria absolute talia.

Probatur aut. ab Ulloa cit. disp. 1. n. 76. De essentia non prædicatur qualibet communicabilitas; non enim prædicatur communicabilitas alicujus e. g. qualitatis, vel rei cujuscunque creatæ; sed tantum communicabilitas essentia: item de Paternitate non negatur qualibet communicabilitas; nam Paternitas est realiter communicabilitas essentia: sed tantum negatur communicabilitas Paternitatis: adeoque affirmatur, & negatur communicabilitas diversa, una possibilis, altera Chimærica, consequenter absque contradictione prædicatum. Et eodem modo videtur hic auctor loqui de propositionibus: *Pater generat: Essentia non generat.* quia etiam in prima intelligitur generatio vera, à Patre, tanquam Principio ut quod, proveniens: in secunda intelligitur generatio Chimæ-

mærica, proveniens à natura, tanquam principio ut quod. Quòd autem ita intelligatur propositiones illæ, habetur ex ipso usu, ac intelligentia Ecclesiæ, & ex ipsa ratione modò adducta.

778. Si dicas, ergo saltem dici potest: *Pater est communicabilis communicabilitate essentia: Natura est generans generatione Patris.* Resp. mihi non videri has propositiones simpliciter ita proferendas; quia ex usu, & communi acceptione non significant, quòd Pater secundum essentiam, seu quòd essentia Patris sit communicabilis, aut quòd natura tantum sit identificata cum generatione activa; sed videntur significare, quòd communicatio essentia sit ratio communicandi ipsam Paternitatem: & natura sit principium ut quod, generans per generationem Patris: quæ non sunt vera. Vide Ulloam de DEO disp. 2. c. 3. num. 38. ubi ait, has propositiones implicare, eoquòd jungatur utraque communicabilitas, vide etiam eundem disp. 1. c. 2. num. 95.

Quare ad mentem Ulloæ ista prædicata generans: non generans: communicabilis: non communicabilis, in supradictis propositionibus, non sunt absolute contradictoria, sed conditionatè; hoc est, essent talia; nisi daretur inter essentiam Divinam, & Paternitatem distinctio virtualis; nam, si essentia, & Paternitas essent realiter, & virtualiter identificatæ, tunc communicabilitas essentia esset realiter etiam communicabilitas Paternitatis, & utraque esset possibilis, vel utraque impossibilis. Quòd autem realiter diversæ sint hæ communicabilitates, habetur à distinctione virtuali, sine qua tam parum communicabilitas essentia esset diversa à communicabilitate Paternitatis, quam parum similitudo animalis est realiter diversa à similitudine rationalis, in eodem individuo, & respectu ejusdem termini relativi. His explicatis

779. Probatur conclusio. Esse Filium Divinum, & non esse Filium Divinum, sunt prædicata contradictoria absolute talia: Esse communicabile, & non esse communicabile, sunt prædicata contradictoria saltem conditionatè talia: atqui antecedenter ad omnem operationem intellectus datur capacitas ad ea verificanda in essentia Divina, & Persona e. g. Patris (& omnino similis est ratio circa alias duas Personas) realiter inter se identificatis: quin etiam hæc prædicata contradictoria, vel absolute, vel conditionatè talia, actu verificantur de essentia, ac Persona: ergo ex num. 767. datur inter illas distinctio virtualis strictè dicta. maj. quoad secundam partem, seu quoad prædicata communicabile, & non communicabile est jam explicata num. 778. quoad primam partem, seu quoad esse Filium, & non esse Filium, probatur. Prædicata contradictoria sunt illa, quorum unum est contradictoriè oppositum alteri, vel exclusivum alterius, & hinc juxta omnes sunt contradictoria prædicata, *albus, non albus, homo, non homo:* ergo etiam ista sunt contradictoria *Filius, non Filius.* Confirmatur. Istæ duæ propositiones: *Homo est rationalis: Equus non est rationalis:* habent prædicata contradictoria: ergo etiam istæ duæ propositiones: *Essentia Divina est Filius: Pater non est Filius.*

780. Respondent quidam apud Vasquez (ut citat Ulloa in log. ma. disp. 1. c. 2. num. 45.)

propositionem hanc: *Pater non est realiter à parte rei Filius:* esse falsam; eoquòd sensus sit: *Pater non est quidpiam, quod est Filius:* cum tamen sit essentia Filii. Confirm. Istæ Propositio: *Essentia non est ingentia:* ideo est falsa; quia sensus est: *Essentia non est id, quod est ingentium:* cum tamen essentia sit Pater, qui est ingentium. Sed contra. Hac ratione etiam falsa esset hæc propositio: *Essentia non distinguitur à Filio;* quia etiam haberet sensum: *Essentia non est quidpiam, quod distinguitur à Filio:* quod est falsum; cum essentia sit Pater, qui distinguitur à Filio.

Dein falsum est, quòd propositio negativa semper significet, quòd id, de quo negatur alterum, non sit quidpiam illius; nam juxta omnes est vera propositio: *Anima non est homo:* licet anima sit aliquid hominis. Rursus saltem verificabuntur ista contradictoria: *Pater non est Filiatio: Essentia est Filiatio.* Si replicare velles, Filiationis essentiam esse in Patre, urgeri potest argumentum de eo, quòd saltem reale superaddit essentia Filiatio; nam, quidquid dicitur, saltem in Filio est aliqua realitas, realiter distincta à Patre (aliàs non distinguerentur inter se realiter) & tamen illa ipsa est essentia, non verò est Paternitas: ergo redeunt contradictoria: *Pater non est realitas, quæ est in Filio realiter distincta à Patre: Essentia est realitas, quæ est in Filio realiter distincta à Patre.*

Ad confirm. neg. ill. illa propositio non ideo est falsa; aliàs esset falsa & ista: *Essentia non est genita:* si sensus esset: *Essentia non est id, quod est genitum;* cum essentia sit Filius, qui, est genitum. Unde ratio falsitatis illius propositionis est definitio Ecclesiæ, cui occasionem dedit sequens ratio: Si natura, propter identitatem cum generante, deberet dici generans, etiam, ob identitatem cum generato, deberet dici genita: atqui non potest dici generans, & genita; quia inter prima principia hujus mysterii est, oppositionem generantis, & geniti, inducere distinctionem realem; & consequenter, si naturæ utrumque conveniret, deberet esse realiter distincta à se ipsa, quod implicat.

781. Respondent alii, etiam in his propositionibus: *Pater non est Filius: essentia est Filius:* prædicari duo diversa: in priore Filius Chimæricus, qui deberet esse identificatus cum Patre: in secunda Filius verè Divinus, qui sit identificatus cum essentia. Sed hac ratione neque essentia prædicata contradictoria: *Homo est rationalis: Equus non est rationalis;* quia possit dici, in priore propositione prædicari veram, in secunda tantum Chimæricam rationalitatem: & sic nunquam prædicatum, quod affirmatur de uno, negaretur de alio: quod est contra omnem Philosophiam. Dein est certum ex fide, quòd Pater non sit verus Divinus Filius: ergo hic potest de eo negari: adeoque propositio: *Pater non est Filius:* intelligendo verum Filium, est verissima: & tamen etiam vera est altera: *Essentia est Filius verus Divinus:* unde non negatur Filius Chimæricus identificatus; sed negatur identitas inter verum Filium, & Patrem: nam habet quidem Filius identitatem secum ipso, & cum essentia: non autem cum Filio identitatem habet Pater. Sic etiam, quando dico: *S. Petrus non est S. Paulus:* non venit ex parte prædicati Chimæri-

cus S. Paulus, sed verus, qui tamen negatur de S. Petro; aliàs nunquam negaretur aliquid possibile de altero possibili, sed tantum de impossibili, quod est omnino falsum. Quare semper verum est, quòd essentia habeat aliquam identitatem, quam non habet Paternitas: quæ iterum sunt contradictoria.

782. Neque dicas, supra ex Ulloa dictum, propositiones: *Essentia communicatur: Paternitas non communicatur:* non habere prædicata contradictoria; nam, etiam supposità illà doctrinà, est disparitas magna inter illas propositiones, & istas; sibi enim saltem abstractum prædicati, scilicet communicabilitas naturæ, non potest negari de Paternitate: at in his propositionibus potest, & debet negari; nam verissimum est, non tantum: *Pater non est Filius:* sed etiam: *Pater non est Filiatio.* Accedit, ut advertit Ulloa, quòd similibus explicationibus adversariorum tandem tota difficultas mysterii reduceretur termè ad distinctionem purè formalem, quod est contra omnem sensum Catholicorum.

Sanè, si admittatur cum aliquo Recentiore, relato in cit. Theoph. Dillingan. de SS. Trinitate n. 142. ista propositio: *Essentia realiter spectata est eodem, sed non alio modo, generans, genita, & procedens, quo Pater est generans, Filius est genitus, & Spiritus S. procedens:* tunc difficultas in mysterio hoc capiendi, non est major, quam illa, quam capit Logicus quilibet in animalitate, & rationalitate, eodem, & non diverso modo, cognita. Uterius, admittà ista propositionem, vix videtur, servatà doctrinæ consequentià, posse negari ista: *Essentia realiter spectata est eodem modo, sed non alio, distincta, quo est distinctus Pater, Filius, & Spiritus S.* quæ tamen admitti neutiquam potest. Et cur non etiam admittitur ista: *Pater realiter est Filius?* quæ propositio utique, ut prior, admitti nequit; quamvis referatur loco citato Recentior ille eam non omnino horere.

783. Confirmatur conclusio 1. SS. PP. & fideles videntur sanè inter naturam Divinam, & Personas agnoscere aliquam oppositionem prædicatorum; aliàs cur ita extollerent sublimitatem hujus mysterii? cur ita inculcarent necessitatem captivationis intellectus; si non superaret principia lumine naturæ nota, & omnia possent salvati per distinctionem purè formalem, qualis datur in creatis, & quæ certè supra captum non est? Sanè nostra sententia videtur longè simplicius, ad mentem Conciliorum, & Ecclesiæ, atque etiam longè conformius conceptui, quem de hoc mysterio habent fideles, explicare propositiones fidei, dum adversarii, nescio quas, expositiones adhibent, de quibus apud SS. PP. & Concilia nulla est mentio: est autem, si verba saltem simpliciter accipiantur, frequens assertio prædicatorum contradictorium: ergo nostra sententia ex n. 772. est præferenda.

Confirmatur conclusio 2. negativè. Si de natura, & relationibus non possent verificari prædicata contradictoria, tunc ideo; quia etiam deberent verificari propositiones contradictoria: sed hoc non sequitur: ergo minor probata jam est n. 776. Nec dicas, nos facere circulum vitiosum, dicendo, ideo verificari tantum prædicata contradictoria, & non propositiones con-

tradictoria; quia datur distinctio virtualis: & ideo dari distinctionem virtualem; quia verificantur de eodem realiter ente prædicata contradictoria. Resp. enim, nos quidem assignare distinctionem virtualem, tanquam rationem à priori, quare sola prædicata, non autem propositiones contradictoria verificentur: non tamen hæc prædicata contradictoria assignare, tanquam rationem à priori distinctionis virtualis; hujus enim ratio (si tamen aliqua à priori esse potest) est ipsa sublimissima essentia Divina, capax sibi identificandi tres Personas realiter distinctas, vel terminationes diversas &c. quæ capacitas innotuit nobis per fidem.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

784. **O**B. 1. contra primam conclusionem. Relationes, seu Personalitates sunt modi essentia

Divinæ; sed modi sunt realiter distincti à modificato: ergo relationes ab essentia. ma. habetur ex Patribus, quos citat Ruiz. Confir. Ubi datur contradictio, debet dari realis distinctio: atqui juxta nos inter essentiam, & relationes datur contradictio: ergo etiam realis distinctio. Resp. disting. ma. Relationes sunt modi physici, neg. ma. metaphysici, sive tantum ratione distincti. conc. mai. & dist. sic min. neg. conseq. Nec plus volunt Patres, qui tunc pugnant contra Arianos, negantes, posse communicari naturam sine Paternitate: atque dicebant, cum Paternitas sit modus essentia, ratione distinctus, (hoc est, juxta nostram explicationem virtualiter) posse unum sine altero communicari. Ad confirm. neg. ma. de contradictione tantum prædicatorum acceptam; nam hæc capacitas potest provenire etiam à distinctione virtuali, de qua re n. 767. jam dictum.

785. Ob. 2. contra 2. conclus. *Essentia est in Patre: Filiatio non est in Patre:* sunt veræ propositiones, antecedenter ad operationem intellectus: ergo inter eas datur distinctio antecedenter ad operationem intellectus, seu formalis ex natura rei. Confir. Unum actu ex natura rei distingui ab alio, est actu ex natura rei non esse istud: sed hoc verificatur de essentia, & Paternitate: ergo. Resp. 1. cum Ulloa in logica majore disp. 1. c. 2. n. 32. Paternitas, vel Filiatio, & essentia suscipiunt realiter, simpliciter, & absolute contradictoria: ergo, si distinctio deberet proportionari susceptioni contradictorium, deberent realiter distingui. vide etiam eundem de DEO disp. 2. c. 3. n. 25.

Resp. 2. in forma neg. conf. ex jam sæpe dictis. Ad confir. Major iterum probat, vel omnino realem distinctionem, vel nullam obiectivam: quare dist. ma. unum ita distingui est actu non esse istud, ita, ut negari de ipso possit omnis identitas, tam realis, quam virtualis, vel unum de altero, tam in concreto, quam in abstracto metaphysico. conc. ma. ut tantum negari possit identitas virtualis, vel tantum in concreto quomodocunque. neg. ma. & distinctio sic mi. nego conseq. Accedit, quòd nondum

videam, quomodo immediate possit dici, quod essentia ex natura rei non sit Paternitas: quamvis de aliquo identificato cum essentia possit dici, quod non sit Paternitas, scilicet de Filiatione, quæ tamen est realiter distincta à Paternitate: unde etiam videtur posse negari minor.

786. Ob. 3. Capacitas ad verificanda prædicata contradictoria, seu distinctio virtualis, datur à parte rei: ergo est aliqua distinctio objectiva, seu antecedens operationem intellectus; non autem est realis: ergo formalis ex natura rei. Confir. Distinctio Scotistica nihil est aliud, quam capacitas ad contradictoria, antecedens operationem intellectus: sed hanc nos admittimus: ergo. Resp. retorq. argum. Etiam capacitas objecti, ad recipiendas denominationes diversas à conceptibus diversis, datur à parte rei, quin sit distinctio ipsius objecti à parte rei: & si aliqua esset, cum capacitas detur realiter, esset distinctio realis. In forma neg. conseq. quia non est distinctio objectiva, sed tantum virtualis; quamvis realiter, sive à parte rei existens. Ad confir. neg. maj. Juxta Scotitas datur vera aliqua distinctio, antecedens operationem intellectus, quæ est causa illius capacitatis contradictoriorum. Sic etiam in creatis distinctio realis non est formaliter capacitas verificandi contradictoria: sed est causa, seu radix hujus capacitatis. vide Ulloa in log. maj. disp. 1. c. 2. n. 33.

787. Ob. 4. In DEO non datur tantum una perfectio, sed plures: non plures realiter: ergo plures formaliter ex natura rei. prob. mai. In DEO non tantum datur sapientia, aut tantum justitia &c. sed sapientia, & justitia &c. ergo. Confir. S. August. 1. 6. de Trin. c. 5. fertur dicere (quamvis ibi non invenitur) Non eo Pater, quo DEUS, neque eo DEUS, quo Pater. S. Damascenus de fide l. 1. c. 4. ait, sapiens, justum &c. non esse naturam DEI, sed circa naturam: ergo distinguuntur ista saltem formaliter ex natura rei. Resp. neg. conseq. Illæ perfectiones sunt tantum pure formaliter, seu per conceptum nostrum distinctæ, ad prob. conc. ant. neg. conf. non quidem datur tantum sapientia, seu perfectio, tantum habens formaliter sapientiam: sed tamen perfectio, quæ in DEO datur, est realiter tantum una: atamen complectitur in se ipsa omnes formalitates omnium perfectionum DEO possibilem, sine ulla distinctione plus quam pure formali. Ad confirm. nego consequentiam. S. Damascenus tantum adstruit distinctionem pure formalem, S. Augustinus ad summum virtualem. vide Ulloam in log. maj. disp. 1. c. 2. n. 36.

788. Ob. 5. contra 3. conclusionem. Si verificantur prædicata contradictoria de essentia, & Personis, tunc debet aliquid verè negari de essentia, quod verè affirmatur de Personis, & vicissim: sed hoc non potest dici: ergo, prob. mi. Quod verè affirmatur de Persona, & verè negatur de essentia, debet esse realiter distinctum ab ista: sed nullum prædicatum in Divinis potest esse realiter distinctum ab essentia: ergo, mi. prob. mi. ergo nullum prædicatum Divinum potest esse realiter distinctum ab essentia: Confir. S. Pater est realiter generans, & oppositus Filio: natura autem realiter non est gene-

rans, nec opposita Filio, debent prædicata generans, & oppositi esse realiter distincta à natura: ergo hæc prædicata non erunt DEUS.

Responderi potest 1. insistendo principiis Ulloæ, neg. ma. nam tantum de Persona, non autem de essentia debet aliquid negari; quia, si prædicata sint verè contradictoria, non negatur aliquid de essentia, e. g. non negatur Pater, aut Filius. Quando verò negatur aliquid de essentia, tunc prædicata non sunt absolute contradictoria; sed tantum conditionate. e. g. esse generans, non esse generans: esse oppositum, non esse oppositum, ut explicatum n. 777. nam etiam hic negatur tantum oppositio essentia, non Paternitatis; nam oppositio Paternitatis est realiter identificata essentia, ad prob. mi. omittitur totus syllogismus, & negatur suppositum, quod prædicatum generans generatione essentia, vel oppositi oppositione essentia detur in Divinis. ad prob. mi. secundæ, iterum omittitur totum. Ad confir. dist. antec. si ista prædicata sint absolute contradictoria. conc. ant. si non sint, neg. antec. & conseq.

Responderi potest 2. dist. maj. si verificantur contradictoria, debet negari aliquid de essentia tantum in concreto. om. ma. debet negari etiam in abstracto metaphysico. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. mi. disting. ma. quod verè negatur de essentia tam in concreto, quam in abstracto, debet esse distinctum, conc. mai. quod tantum negatur in concreto, neg. mai. & conc. mi. neg. conseq. ad prob. min. 2da concedo totum; quia non est contra nos. Ad confir. dist. ant. si natura non est generans &c. nec est generatio in abstracto, om. antec. si saltem est generatio in abstracto, neg. antec. & conseq. Explicatio responsionis petenda est ex n. 704.

Ne quis autem putet, hanc responsionem esse inusitatam, Ulloa in log. majore disp. 1. c. 2. n. 77. ait, à plerisque negari, vel certe distingui hanc propositionem: *Omne, quod verè negatur de altero, existente in rebus, distinguitur realiter ab illo altero.* Videtur etiam coincidere cum his P. Junius apud Ulloam in log. maj. disp. 1. c. 1. n. 17. ubi distinguit inter *identitatem prædicativam, & identitatem entitativam*: atque, entitativam stare in eo, quod duo conceptus objectivi dicant easdem entitates, quamvis de se invicem prædicari nequeant; nam si prædicari possint, ait, dari etiam identitatem prædicativam. Quare etiam ad talem negationem videtur sufficere distinctio virtualis.

789. Dices. Si aliquid potest prædicari de essentia substantivè, vel in abstracto, non autem concretivè, eo ipso debet concretum aliquid involvere, quod in essentia non datur: sed illud debet realiter ab essentia distingui: ergo debet juxta nos adhuc admitti prædicatum aliquod in Divinis, quod realiter distinguitur ab essentia. Resp. 1. om. ma. neg. mi. Non debet distingui ab essentia prædicatum, quod realiter datur in Divinis; sed tantum debet deesse forma concreti, requisita ad denominandam essentiam e. g. generantem: hæc autem non datur in Divinis; nam ad denominandam essentiam generantem non sufficit generatio quæcumque activa; hæc enim propositio: *Essentia est generans: ex communi acceptione Conciliorum, & ex dis-*

Etis n. 777. & 778. significat, quod essentia sit generans, generatione respiciente ipsam essentiam, tanquam principium ut quod: quæ generatio est Chimærica, & nullatenus datur in Divinis: deficiente ergo forma deficit concretum.

790. Responderi etiam potest 2. cum aliis, & quidem in ordine ad hanc objectionem circa essentiam, & Personalitates bene, quamvis fors aliis casibus de terminationibus contingentibus aliquanto difficilius applicetur responsio: responderi, inquam, potest, ad hoc, ut concretum possit prædicari, vel dare suam denominationem, requiri formam denominantem, unionem formæ, & simul capacitatem subjecti ad eam denominationem: & quacumque ex his deficiente, deficiere denominationem, seu concretum non posse prædicari.

Sic, licet color uniretur Angelo, non posset hic dici coloratus; quia, licet haberet formam, & unionem ipsius, tamen non haberet capacitatem ad eam denominationem, quæ stat in materialitate: sic etiam, licet Christo Domino unita sit gratia sanctificans ejusdem speciei cum nostra, quæ est forma denominans Filium adoptivum, tamen Christus Dominus, neque ut homo, potest dici Filius adoptivus, ut habet Concilium Francofordienle sub Adriano Papa; quia scilicet deest Christo capacitas ad hanc denominationem, nempe natura extranea, seu non unita Divinæ, de qua re solet agi in tract. de incarn. Quare, etiam si naturæ, seu essentia Divinæ, sit non tantum unita, sed etiam realiter identificata forma, seu quasi forma, denominans generantem, scilicet generatio activa, tamen deest ipsi capacitas ad hanc denominationem, quæ stat in eo, quod generans sit realiter distinctus à generato, sive quod non sit Filius.

Ut enim rectè ait Ulloa in log. major. disp. 1. c. 2. n. 47. unus ex cardinibus hujus mysterii est, necessariò intercedere distinctionem realem inter principium producens, & productum: atqui essentia Divina non est realiter distincta à producto, seu generato, sive est Filius: quare non deficit ei aliquid positivum, ad eam denominationem requisitum, sed tantum aliquid negativum, scilicet negatio prædicati Filii: adeoque non sequitur, quod aliquid positivum prædicatum sit in Divinis, quod non realiter identificetur cum natura. In forma disting. ma. debet concretum involvere aliquid negativum, quod in essentia non datur. om. ma. aliquid positivum, neg. ma. & om. mi. disting. conseq. debet admitti in Divinis aliquid prædicatum negativum, quod non datur in essentia. conc. conseq. debet admitti aliquid prædicatum positivum, neg. conseq. Quod autem Persona habeat aliquam negationem, quam non habet natura, innegabile est. Tandem essentia Divina ad minimum, quicquid est in Divinis, habet substantivè, si non adjectivè.


791. Ob. 6. Si inter naturam, & Filium verificarentur contradictoria, tunc Filius esset verè realiter productus, natura non esset verè realiter producta: sed hac ratione realiter distinguerentur: quod est contra fidem: ergo illa contradictoria non verificantur. prob. mi. Productus, & productum in Divinis realiter distinguuntur: sed productam, & non productum

magis opponuntur, quam producens, & productum: ergo multo magis debent realiter distinguere productum, & non productum. Confir. Ideo producens realiter distinguitur à producto; quia producens non potest esse productus; neque enim potest produci à seipso, neque ab eo, quem producit: & hinc necessariò est non productus: sed etiam productum non potest esse non productum: ergo etiam productum realiter distinguitur à non producto: ergo, si verè in sensu reali ista contradictoria verificarentur de essentia, & Filio, etiam deberent realiter se distinguere Filius, & essentia: quod est contra fidem: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. mi. saltem sumptam de produce Divino; quia hic necessariò est non productus. Quamvis autem in creatis possit idem esse productum, & producens (intellige, quod possit esse producens respectu alterius) quin idem simul possit esse productum, & non productum, & sic ista videantur magis inter se distinguere: tamen, cum in creatis nihil sit necessariò non productum, & nihil necessariò distinguatur pro semper à producto: in Divinis autem producens sit necessariò non productus, & necessariò pro semper distinguatur à producto, hinc magis distinguitur in Divinis producens, & productus, quam in creatis productum, & non productum.

Dices: Saltem ista sunt æqualiter opposita. ergo debent esse æqualiter distincta. Resp. om. ant. neg. conseq. De hac re agit Ulloa in log. maj. disp. 1. c. 2. n. 65. & seq. atque distinctionem virtualem ex principiis fidei deduci: & ex iisdem etiam debere desumi, ad quæ prædicata se extendat, ad quæ non. cum ergo ex fide habeamus, producens, & productum, seu Patrem, & Filium realiter distinguere, debemus dicere, ad ea prædicata distinctionem virtualem se non extendere; cum iterum ex fide habeamus, naturam non productam, & Filium productum, realiter identificari, debemus dicere, ad hæc prædicata se extendere distinctionem virtualem.

792. Ad confir. dist. mi productum non potest esse id, quod est quomodocumque non productum. neg. mi. non potest esse id, quod simul est producens, & non productum. conc. mi. & neg. utramque conseq. Productum non distinguitur in Divinis ab omni non producto, ut est fide certum; quia Filius non distinguitur realiter ab essentia: sed tantum distinguitur ab aliquo certæ speciei non producto, hoc est, ab illo non producto, quod simul est producens. Quænam autem prædicata contradictoria in Divinis inferant distinctionem realem, quænam tantum virtualem, non potest desumi ex lumine naturali solo; quia hoc caligat ad illa mysteria: sed debet desumi ex lumine naturali, ut illustrato per principia fidei; hæc autem nobis per suam illustrationem monstrant, quod producens, & productum, in Divinis dicant distinctionem realem, non verò productum, & non productum, quamvis videantur æqualem haberet oppositio, nem.

Jam, an aliqua prædicata sint contradictoria absolute talia: an tantum conditionate, seu illative talia: vel omnino nulla, debet, ut ait Ulloa in log. maj. disp. 1. c. 2. n. 51. desumi ex legitima terminorum expositione, juxta commu-



nam acceptationem, & usum, ex quo defumendum, quamquam intelligitur forma concreti. Difficillimè autem, vel omnino non potest probari, quòd aliqua contradictio prædicatorum sit major, quam altera; quia tandem omnis oppositio, & contradictio, reducit ad esse, & non esse. Quamvis autem etiam probaretur, una esse major, quam altera, tamen fides adhuc juberet quiescere, & dicere, quòd una, quamquam fortè appareat major, tantum exigat distinctionem virtualem, altera realem. Si dicas, sic respondere esse confugere ad latibula, & mysteriorum sacraria. Resp. istud non esse in hac materia absurdum; cum veritas, seu cognitio naturæ distinctionis virtualis, ut ait Ulloa in log. mai. disp. 1. c. 2. n. 68. lateat in sacrario fidei, ibique quæri debeat.

793. Ob. 7. Quælibet Persona est totum id, quod est in DEO: ergo non potest differre in aliquo prædicato ab essentia. antec. prob. Sic SS. PP. passim loquuntur: & S. Bernardus episc. 190. ad Innocentium Papam cap. 2. sic ait: Totum nempe est Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus S. totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus S. totum Spiritus S. quod ipse, & Pater, & Filius. ergo. Resp. dist. ant. quælibet Persona est totum id, quod est in DEO essentiale, conc. ant. est totum id, quod est in DEO personale, subdist. est totum id formaliter, ita, ut una Persona sit formaliter altera. neg. ant. (hoc enim est clarè falsum) est totum id eminenter, vel æquivalenter. conc. ant. & neg. conseq. ad prob. disting. ant. ut supra. S. Bernardus loc. cit. manifestè, & fusè loquitur de essentia, vel substantia DEI, quam ait omnibus communem: agitque contra Peirum Abailardum, quem, ait, negare, Spiritum S. esse de Patris, & Filii substantia: & statim post verba objecta sic ait: Nec enim verum, summumque bonum, quod sunt, inter se particulariter dividunt, quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt: & mox ulterius distinctionem Personarum sine præjudicio unitatis affirmat. Quando autem idem S. Pater l. 5. ad Eugen. c. 8. ait, Personarum proprietates non aliud esse, quam Personas, ipsasque non aliud, quam unum DEUM esse, iterum (ut manifestum est legenti contextum) plus non vult, quam omnes Personas esse realiter identificatas cum Divinitate, quamvis inter se realiter distinguantur, & numerum faciant: quæ fusè ibi deducit.

794. Ob. 8. Propositiones: *Essentia est Filius: Pater non est Filius*: possunt exponi, quin verificentur contradictoria: ergo nostra probatio est nulla. antec. prob. Prima propositio sic potest exponi: *Datur in DEO identitas, qua Verbo communicatur cumulus omnium perfectionum absolutarum, & tota ratio boni simpliciter infiniti*: secunda propositio autem sic: *Pater, quæ præcisè Pater est, non est Filius quæ Filius*: hæ propositiones non habent prædicata contradictoria: ergo. Confir. Ut hæc secunda propositio negativa verificetur, debet aliquid ostendi, quod dicatur non dari, & quod reverà non detur: sed hoc non potest esse Persona Filii, quæ reverà datur: ergo debet esse aliquid aliud, scilicet Chimærica identitas, quæ daretur inter Patrem quæ Patrem, & Filium quæ Filium: ergo.

Resp. neg. ant. ad prob. nego, posse dari hæc explicationem primæ propositionis; quia illa non tantum significat, quòd essentia communicet omne bonum Filiationi, sed etiam quòd Filiatio se communicet essentia: adeoque deberet addi: *Et vicissim cumulo omnium perfectionum absolutarum communicatur formaliter Filio*. Resp. 2. pro nunc omiſsa primæ propositionis explicatione, nego explicationem secundæ:

Vel enim tantum intelligitur Pater quæ Pater, hoc est, ut substans certo nostro conceptui, non est Filius quæ Filius, hoc est, non est substans alteri nostro conceptui, diverso modo eum representanti: & nullo modo est sensus ab Ecclesia intentus in illa propositione: *Pater non est Filius*; quia antecedenter ad omnem operationem intellectus, Pater non est Filius: & essentia communicatur: Paternitas non communicatur. Certè negare, istas propositiones esse veras, antecedenter ad operationem intellectus, videtur non posse conciliari cum propositionibus fidei; nam sic evacuat totum mysterium SS. Trinitatis, ut patet ex dictis num. 782.

Vel intelligitur: Pater quæ Pater à parte rei: at quid est discriminis à parte rei inter Patrem quæ Patrem, & Filium quæ Filium? Saltem erit hoc, quòd Paternitas, & Filiaio sint realiter distinctæ. Bene: ergo sunt ista prædicata contradictoria. *Essentia est Filius, vel Filiaio: Paternitas non est Filius, vel Filiaio*: reditque totum argumentum. Ad confirm. dist. ma. debet aliquid ostendi, quòd non detur, hoc est, non existat in reum natura. neg. ma. quòd non detur in Patre, vel Paternitate. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Sic, quando dico: *Petrus non est Paulus* non nego Paulum existere, neque etiam necesse est Paulum non existere: sed tantum necesse est, eum non inesse Petro. vide etiam n. 781.

795. Dices 1. Propositio: *Pater non est Filius*: tantum significat: *Non datur inter Patrem, & Filium tanta identitas, ut adinatur ipsi vera oppositio generantis, ac geniti*. Resp. neg. illa licet enim omitteretur, aliquo modo æquivalentes has propositiones, vel saltem unam ex altera inferri, tamen formaliter non idem sonant; nam non identitas, sed Filius ipse est prædicatum illarum propositionum, ut observat benè Ulloa in log. ma. disp. 1. c. 2. n. 92. (ubi loco termini identitas ponit terminum communicatio, quæ hic synonymia sunt) aliàs neque rationale erit prædicatum in his propositionibus: *Homo est rationalis: Equus non est rationalis*: contra communissimam. Dein, etiamsi omitteretur illa explicatio propositionis, deberet ab adversariis tamen admitti etiam hæc propositio: *Datur inter essentiam, & Filium, tanta identitas, ut adinatur ipsi, vel non datur inter ipsos, vera oppositio generantis, & geniti*: at hæc ipsa oppositio, denominans Patrem non identificatum, sed oppositum genito: essentiam autem identificatam, & non oppositam genito, infert prædicata contradictoria, ex dictis n. 777. & 778.

Dices 2. Propositio: *Pater non est Filius*: vel est copulativa, ut sensus sit: *Pater non est natura, & Filiaio*: vel est disjunctiva, ut sensus sit: *Pater, vel non est natura, vel non est Filiaio*: in utroque sensu est falsa: ergo non est à parte rei,

ARTICULUS V.

Solvuntur relique Objectiones.

rei, sed tantum in sensu formali vera. Confir. 1. Pater, & Filius communicant sibi omnia prædicata: ergo non dantur contradictoria. Confir. 2. Filius etiam potest prædicari de Patre in recto; nam vera est hæc propositio: *Pater est id, quod est Filius*: ergo propositio prior est tantum in sensu formali vera.

Resp. neg. ma. quia propositio illa, nec est disjunctiva, nec strictè copulativa; non enim supponit distributivè, ut sensus sit: *Pater nec est natura, nec est Filiaio*: sed est propriè collectivæ: ut sensus sit: *Pater non est natura, & Filiaio simul*, quæ propositio est verissima. Ad 1. confir. dist. ant. communicant sibi omnia prædicata absoluta. om. ant. quia melius diceretur, quòd Pater communicet omnia Filio per generationem, communicant omnia prædicata etiam relativa. neg. ant. & conseq. Certè Didymus Alexandrinus l. 2. de Spiritu S. longè post medium. Paternitatem expressè explicat. Ad 2. confir. neg. ant. Filius non potest prædicari in recto de Patre; quia non potest dici: *Pater est Filius, vel Filiaio*: sed tantum potest de Patre prædicari aliquid realiter identificatum cum Filio, sed tamen virtualiter distinctum ab eodem: quæ ipsa virtualis distinctio secum fert distinctionem realem Filii à Patre, & assert prædicata contradictoria inter hos duos. vide n. 764. ubi dictum, talem prædicationem: *Pater est id* &c. non sufficere in Divinis ad identificationem.

796. Ob. 9. Distinctio virtualis inter essentiam, & Paternitatem, ideo admitteretur; quia de una negatur aliquid, quod de altera affirmatur: sed hoc totum salvari potest per distinctionem purè formalem: ergo. prob. mi. Etiam distinctio purè formalis exigit affirmationem, & negationem ejusdem de eodem: ergo. Confir. Possit dici, naturam in Divinis se habere per modum speciei, Personas verò per modum individuum: sicut natura humana est species, & Petrus, ac Paulus sunt individua: sed inter speciem, & individua datur distinctio purè formalis: ergo. prob. ma. Aliqui SS. PP. apud Ruiz de SS. Trinitate disp. 22. sect. 1. ita loquuntur: ergo. Resp. dist. ma. admitteretur illa distinctio; quia negatur aliquid immediatè, & directè in seipso. conc. ma. quia tantum negatur aliquid reflexè in conceptibus, vel quia tantum negatur diverſi conceptus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. dist. eodem modo. ant. & neg. conseq.

Ad confirm. neg. ma. hac ratione non esset amplius ullum mysterium SS. Trinitatis, contra unanimum fidelium sensum. ad prob. fateor, quòd aliqui Patres videantur alicubi ita loqui: sed ibi potissimum volunt probare, quòd Verbum, quamvis à Patre genitum, non sit minoris perfectionis, quam Pater: sicut quando dicunt, DEUM non esse singularem, agunt maximè contra Sabellianos, adstruentes singularitatem Personæ unius in DEO. Cæterum idem Patres apud eundem Ruiz cit. disp. sec. 3. clarè adstruunt unitatem individuum naturæ Divinæ: & in Concilio Florentino sess. 18. Joannes Theologus sic loquitur de Divina Natura: *Que cum una numero sit, idcirco non est ratione communis dicitur esse, quæ est humanitas: sed rationem tantum habet communis, quatenus communicabilis est*.

797. Ob. 10. Distinctio virtualis non potest admitti sine processu in infinitum prædicatorum: hunc nemo admittit: ergo. prob. ma. Ideo hoc prædicatum *communicabile pluribus* distinguitur virtualiter ab essentia; quia ex una parte realiter identificatur cum essentia: ex altera parte est negabile de Paternitate, de qua non est negabilis essentia: sed rursus hoc prædicatum *negabile de Paternitate* debet virtualiter distingui ab esse communicabile; quia communicabile affirmatur de essentia, non item negabile: & sic in infinitum: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. inprimis hoc prædicatum *communicabile*, neutraliter acceptum, non est negabile de Paternitate: præsertim, si sit subiectum propositionis; quia verum est: *Communicabile est Paternitas*; hinc potest negari suppositum. Secundò, ex doctrina Ulloæ relata n. 777. ista prædicata, *esse communicabile, non esse communicabile: esse negabile, non esse negabile*, non sunt absolute contradictoria; quia non intelligitur eadem communicabilitas, vel negabilitas, in utraque propositione, ut cit. numero est observatum. Unde nego ma. hoc enim prædicatum non est negabile, saltem in abstracto metaphysico, de Paternitate, sed tantum aliud Chimæricum, scilicet *communicabilitas Paternitatis*. verbo: quando dicitur: *Essentia est communicabilis*, adjectivum *communicabilis* pro recto habet ipsam essentiam, saltem implicite: quia significat: est id, quod est communicabile: per hoc id autem in hac propositione intelligitur essentia: quando autem dicitur: *Paternitas est communicabilis*, adjectivum *communicabilis* pro recto habet Paternitatem, ex eadem ratione, & communis acceptione; si enim intelligeretur idem rectum, quod fuit in priori propositione, tunc hæc propositio esset vera: nam significaret: *Paternitas est essentia communicabilis*: quod est verissimum. Hinc istud prædicatum non distinguitur virtualiter ab essentia, & Paternitatis, propter Filiationem realiter distinctam à Patre, & tamen realiter identificatam cum essentia.

798. Dices 1. De ipsa Filiatione redit argumentum; nam hæc, ut virtualiter distincta, debet habere prædicatum, quod realiter iterum est identificatum cum essentia, & virtualiter ab eadem distinctum, de quo iterum redit questio. Resp. Filiationem non habere prædicatum positivum, quod natura, vel essentia, non habeat, saltem realiter in abstracto metaphysico: sed habere negationem alicujus prædicati, scilicet Paternitatis, quæ est realiter identificata cum natura, & virtualiter distincta: quæ Paternitas etiam habet negationem prædicati, scilicet Filiationis. Verbo: Pater est virtualiter distinctus à natura; quia non est Filius: & Filius est virtualiter distinctus; quia non est Pater: nec in eo, quòd sibi mutud sint ratio distinctionis virtualis à natura, est ullum inconveniens.

Dices 2. Sunt tamen prædicata contradictoria communicabile, non communicabile, saltem conditionatè talia, & fundant distinctionem virtualem, ex definitione data num. 767. item communicabile pluribus saltem non potest prædicari in concreto, seu adjectivè de Paternitate ex num. 777. § 778. ergo debet habere aliquod constitutum, quod realiter identificatur naturæ, & virtualiter ab ea distinguitur. Resp. om. interim conseq. & ostendo tale prædicatum absque processu in infinitum; habet enim essentia prædicata Filii, & Spiritus S. quæ Pater non habet: quæque sunt ratio mutua distinctionis virtualis naturæ à Personis: atque in his sistitur processus: & quæcumque tandem excogitentur prædicata, communicabile, negabile &c. eorum qualicumque distinctio, ratione hujus mysterii, reducitur ad hoc, quòd natura possit dici Pater, & Filius, & Spiritus S. non autem isti possint prædicari omnes de quavis Persona.

799. Ob. 11. argumentum hoc transfereudo à mysterio SS. Trinitatis ad mysterium libertatis Divinæ. Absolutè antecedenter necessarium, est virtualiter distinctum ab essentia, eò quòd possit prædicari de essentia, non autem de terminatione contingente, realiter identificata: ergo debet esse prædicatum aliquod affirmabile de absolutè necessario, non autem de essentia: & sic ulterius. R. 1. ut supra, neg. ant. Falsum est, quòd absolutè antecedenter necessarium neutraliter non possit prædicari de terminatione; nam verum est: *Absolutè antecedenter necessarium est terminatio contingens*: item: *Terminatio contingens est absolutè antecedenter necessarium*: hoc est, est id, quòd est absolutè antecedenter necessarium: vel est absoluta antecedens necessitas essentia: vel est essentia absolutè necessaria (nam in propositione: *Essentia est absolutè necessaria*: adjectivum vel in recto significat essentiam, vel in obliquo non necessitatem quamcumque, sed necessitatem essentia: quamvis non possit concretivè, seu adjectivè dici: *Terminatio contingens est absolutè antecedenter necessaria*).

Si urgeas argumentum in his propositionibus: *Essentia est absolutè antecedenter necessaria*: *Terminatio non est absolutè antecedenter necessaria*: Resp. iterum ex doctrina Ulloæ, has propositiones non esse absolutè contradictorias; quia in prioris propositionis prædicato intelligitur antecedens necessitas essentia: in prædicato verò secundæ propositionis intelligitur necessitas antecedens terminationis. vide n. 777. § 778. nam falsum esset dicere: *Terminatio contingens non est absolutè antecedens necessitas essentia*. Si istæ propositiones sunt saltem conditionatè contradictoria: ergo adhuc redit argumentum. Resp. neg. conseq. quia hoc ipso nihil affirmatur de uno, quòd negatur de altero; sed tantum negatur aliquid aliud distinctum ab essentia, & terminatione, scilicet absoluta necessitas terminationis in seipsa, seu a ratione sui: quòd tamen ipsum potest sufficere ad distinctionem virtualem, ut diximus *numeris modo citatis*.

Hinc Ulloa in logica majore disp. 1. c. 2. à n. 72. & iterum à n. 87. fuse contendit, ad distinctionem virtualem non requiri distinctionem

realem in tertio, neque immediatam disconvenientiam in aliquo prædicato: sed sufficere mediatam, quam n. 87. asserit tunc dari, quando prædicatum, verè affirmatum de uno, distinguitur realiter à prædicato negato de altero, ita tamen, ut non possit distingui, nisi daretur distinctio virtualis: talia prædicata sunt *absoluta necessitas essentia*, *absoluta necessitas terminationis*: quarum una dari non possit sine altera, nisi daretur distinctio virtualis inter essentiam, & terminationem ex n. 777. § 778. Fors etiam dici posset, sufficere disconvenientiam conditionatam, ita, ut scilicet daretur absoluta contradictio vel disconvenientia prædicatorum, nisi in subiecto daretur distinctio virtualis.

800. Si petas: quare ergo non possit in concreto prædicari, & dici terminatio absolutè necessaria. Resp. conformiter ad dicta n. 789. hæc propositio simpliciter prolata, ex communi acceptione, itémque ex dictis n. 777. § 778. significat, quòd ipsa terminatio in ratione terminationis sit necessaria: sive, quòd datur absolutè necessitas ipsius terminationis ut talis: quòd tamen est falsum; quia hæc necessitas est Chimærica: unde non datur forma requisita ad hanc denominationem: sicut tamen datur forma requisita ad denominandam essentiam absolutè necessariam; quia datur absoluta necessitas essentia.

Si ulterius quæras, an non etiam possit dici, deesse capacitatem subiecti. Resp. me jam dixisse n. 790. eam responsum difficultus applicari ad hunc casum; cum nullum prædicatum actu sit in essentia Divina, quòd non realiter, saltem substantivè, & tanquam abstractum metaphysicum, sit prædicabile de terminatione, adeoque asserri non possit distinctio in tertio realiter existente. Verum quidem est, quòd essentia antecedenter poterit habere Prædicatum, quòd terminatio, e. g. volitio, habere non potest, scilicet nolitionem: at nolitio actu non datur, potentia autem habendi nolitionem est realiter etiam identificata volitioni; est enim vera hæc propositio: *Volitio est potentia habendi nolitionem*: quare non video, quale prædicatum actu habeat essentia, & realiter, saltem abstractivè, aut substantivè, non habeat etiam terminationem.

Si tamen quis vellet, defectum capacitatis in subiecto posse refundi in prædicatum possibile, sive in possibilitatem alicujus prædicati, potentis excludere volitionem, non autem potentis excludere essentiam, adeoque asserat, capacitatem, ad denominandam essentiam absolutè necessariam, dicere etiam negationem, seu potius impossibilitatem prædicati, excludentis essentiam: e contra capacitatem, ad denominandam terminationem contingentem, dicere possibilitatem prædicati, excludentis volitionem: talis deberet admitti (quod fortè alicui durum videbitur) denominationem necessariam non esse adæquatè DEO intrinsecam: sed formaliter, & non tantum argutivè, dicere aliquid negativum extrinsecum, nempe impossibilitatem Chimæricæ, seu prædicati excludentis essentiam Divinam (de possibilitate nolitionis abstracto; quia disputari posset, an possit DEO dici extrinseca, de quo vide n. 522. § 525.) unde fortè prior responso in hoc casu est expeditior.

Hoc

Hoc tamen addo, eos etiam, qui non admittunt distinctionem virtualem sine distinctione reali in tertio (de quo vide Gormaz de DEO n. 129. § seq.) asserere, quòd non debeat dari realis distinctio in tertio actu existente: sed sufficere, si detur in tertio possibili, seu præcendente à reali existentia, & possibilitate: & hinc isti dicunt, essentiam Divinam, & volitionem contingentem, distingui realiter in nolitione, & inter volitionem, & nolitionem, illam existentem, hanc verò possibilem, dari distinctionem impediens, & impediti: quæ non sit minor, quam producentis, & producti, attamen non exigat terminos coexistere, eo ipso, quòd unus sit impeditus: quos tamen terminos coexistere exigit distinctio, vel oppositio producentis, & producti; cum producens, & productum necessario semel, & in Divinis semper coexistant.

801. Ob. 12. Potest dici, quòd detur inter essentiam, & Paternitatem distinctio aliqua inadæquata realis: ergo non debet admitti virtualis. Resp. quærendo, quid intelligatur per distinctionem inadæquatam: certè non distinctio partis à parte; quia in DEO non dantur partes: ergo tantum intelligitur talis distinctio, vi cuius unum prædicatum, realiter identificatum essentia, tamen non realiter identificatur Paternitati, e. g. Filiatio: sed hæc non est distinctio realis essentia à Paternitate, sed tantum est distinctio realis Filiationis à Paternitate: quæ Filiatio, si intelligatur ut præcisa ab essentia, est realiter adæquatè distincta à Paternitate. Unde nulla datur distinctio realis, saltem immediata, inter Paternitatem, & essentiam, sed ad summum datur mediata aliqua in tertio, eaque adæquata. Dein ex hac ipsa (ut adversarii vocant) inadæquata distinctione essentia à Paternitate, sequitur distinctio, ut modò explicatum, adæquata Paternitatis, & Filiationis, ex qua oritur distinctio virtualis inter essentiam, & Personas.

802. Ob. 13. Istæ propositiones: *Tota essentia Patris identificatur cum Filio*: *Tota essentia Patris non identificatur cum Filio totaliter*: non habent prædicata contradictoria: ergo non verificantur prædicata contradictoria, neque inter ipsas Personas, multò minus inter essentiam, & Personas. prob. ant. Non sunt contradictoria prædicata in his propositionibus: *Tota anima hominis est in pede*: *Tota anima hominis non est in pede totaliter*: ergo neque in prioribus. prob. etiam conseq. Tantum verificantur dictæ illæ propositiones; nam Filius habet quidem totam essentiam Patris, sed non totaliter; quia essentia etiam est Paternitatis, quam Filius non habet. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. Isti termini *totum*, *non totaliter*, non habent locum in expositione hujus mysterii; aliàs non magis ineffabile, vel supra capium esset hoc mysterium, quam unio totius animæ simul cum capite, & simul cum pede: quam tamen unionem quilibet facile capit. Et quamvis fortè existentiam animæ totius, simul in pluribus membris realiter distinctis, attamen unitis, non capiat homo sensibus immerfus, tamen facile capit naturaliter quivis Angelus, qui tamen non capit naturaliter hoc mysterium. Unde tota essentia Patris est totaliter identificata Filio; quia Pater-

nitatis, utpote virtualiter distincta ab essentia, est suo modo, ut ita loquar, extra totalitatem essentia, prout hæc identificatur cum Filiatione.

803. Ob. 14. Distinctio virtualis debet fundari in infinitate perfectionis Divinæ: sed in hac non potest fundari: ergo. prob. mi. Infinitas illa non potest esse causa, cur aliqua perfectio negetur de infinite perfectio: atqui, si fundaretur in ea distinctio virtualis, deberet esse causa, cur de Paternitate, infinite perfecta, negatur Filiatio, quæ est perfectio: ergo. Resp. 1. Istud quoque debet solvere adversarii, qui utique etiam admittunt, distinctionem realem inter Personas fundari in infinita perfectione; si ergo potest infinita perfectio esse causa, cur ab infinite perfectio possit realiter distingui perfectio, poterit etiam esse causa, quòd eadem de illo negetur. Resp. 2. neg. mi. ad prob. (om. interim, quòd falsum est, Filiationem, aut Paternitatem, ut distinctas ab essentia, esse perfectiones) neg. mi. quia ex fide habemus, Patrem, licet infinite perfectum, tamen realiter non habere Filiationem. Ex quo tamen non sequitur, eum esse imperfectum, etiam tantum negativè; quia, quamvis non habeat Filiationem formaliter, habet tamen vel æquivalenter, vel, ut alii ajunt, eminenter; quia habet essentiam infinitam, quæ est realiter identificata etiam Filiationi.

804. Ob. 15. Contradictoria prædicata non possunt habere identitatem inter se: ergo non possunt convenire eidem realiter enti, Confir. Contradictio excludit omnem identitatem: ergo, ubi datur aliqua identitas, scilicet realis, non potest dari contradictio. prob. ant. Tantum isti duo termini contradictoriè opponuntur *aliquis*, *nullus*: ergo etiam tantum isti: *aliqua identitas*, *nulla identitas*: ergo ubi datur aliqua identitas, non potest dari contradictio, seu nulla identitas: Resp. disting. ant. contradictoria non possunt habere identitatem immediatam inter se. om. ant. mediatam in tertio. neg. ant. & conseq. quia in eodem realiter ente potest dari tertium, virtualiter distinctum. Ad confir. disting. ant. contradictio excludit omnem identitatem immediatam. om. ant. mediatam. neg. ant. & conseq. ad prob. dist. 1. conf. tantum contradictoria opponuntur aliqua identitas, & nulla identitas ejusdem rationis. conc. diversæ rationis. neg. 1. conf. & neg. suppositum ultimi consequentis, quòd scilicet quælibet prædicata contradictoria tam universalem oppositionem inferant, ut excludatur omnis identitas; nam in Divinis quædam prædicata contradictoria tantum asserunt oppositionem aliquam minorem, qua excludatur tantum identitas immediata, vel virtualis. Sic etiam, licet sint contradictorii termini *aliquis homo*, *nullus homo*: tamen non omnis contradictio inter homines excludit omnem hominem: e. g. *Petrus*, *non Petrus*: non excludit identitatem cum Paulo.

805. Ob. 16. Quando dicimus, verificari contradictoria de eodem ente, identificato cum duobus realiter distinctis, vel volumus tantum, quòd verificentur de illis duobus realiter distinctis, vel de eodem ente indivisibili: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. Non potest dici primum; quia sic non verificarentur de virtualiter distincto, sed tantum de realiter distinctis:

Etis: non secundum; quia sic verificarentur de eodem realiter, & virtualiter indivisibili ente, quod nec nos admittimus. Confirm. Essentia Divina, & Paternitas sunt una simplicissima entitas: ergo non possunt de iis verificari contradictoria. Resp. neg. mi. & dico secundum. ad prob. neg. ill. non de eodem, etiam virtualiter indivisibili, sed tantum de realiter indivisibili, & virtualiter multiplici (quale est complexum ex natura, & Paternitate) verificantur contradictoria.

Ad confirm. neg. conseq. hæc enim entitas simul est virtualiter multiplex: unde de ipsa essentia, non quidem virtualiter, sed tamen realiter accepta, sive de ipsa, & prædicato, realiter ipsi identificato, e. g. Patre, præsumunt verificari prædicata contradictoria. Dices: ergo eadem natura identificatur cum esse Patrem, & non esse Patrem: hoc clarè implicat: ergo. Resp. dist. ma. ita ut natura identificetur cum Patre, & formali ejus negatione. neg. ma. cum negatione tantum radicali, hoc est, cum aliquo positivo, à Patre distincto. conc. ma. & dist. sic minore, neg. consequent. Quando autem dicitur, non posse dari simul, esse & non esse, intelligitur formale ejusdem rei; quia non esse radicale, seu aliquid non identificabile cum altero, datur in quovis, realiter ab altero distincto.

806. Ob. 17. Juxta nos veræ essent istæ propositiones: *Paternitas non est virtualiter DEUS: Paternitas est virtualiter Chimæra*: sed hoc nequit admitti: ergo. prob. ma. quoad primam propositionem: Hæc propositio est vera: *Paternitas non est virtualiter Divinitas*: ergo etiam illa prior. prob. etiam ma. quod secundam propositionem. Virtualis distinctio æquivaleret reali: ergo vera est hæc propositio: *Paternitas æquivalenter est realiter distincta ab essentia Divina*: atqui Paternitatem realiter distinctam ab essentia est esse Chimæram: ergo Paternitas est æquivalenter, vel virtualiter Chimæra. Resp. neg. ma. quoad secundam, & probabiliter etiam quoad primam propositionem.

Prima enim propositio videtur habere hunc sensum: *Subsistentia Patris non est virtualiter subsistentia terminans naturam Divinam*: quod falsum est; quia subsistentia Patris est realiter, & virtualiter secum identificata. ad prob. conc. ant. neg. conseq. nam, ut jam dictum, terminus DEUS, quando prædicatur de Patre, vel Paternitate, videtur in recto dicere subsistentiam Patris; quia sicut ex num. 741. nomen DEUS per adjectionem prædicati determinatur ad certam Personam, ita etiam per adjectionem subjecti videtur ad eandem determinari. Si tamen efficaciter probares, per nomen DEUS hic tantum intelligi Divinitatem cum subsistentia absoluta, de qua num. 733. tunc Paternitas distingueretur virtualiter, nec foret absurdum dicere, quod Paternitas non sit virtualiter DEUS, sicut non est virtualiter Divinitas.

Ad probationem secundæ propositionis dist. ant. virtualis distinctio æquivaleret reali quoad aliqua. conc. ant. quoad omnia. neg. ant. & disting. etiam consequens. est vera propositio: Paternitas est æquivalenter realiter distincta in ordine ad aliqua prædicata. conc. conseq. in ordine ad omnia. neg. conseq. concedo dein subsumptum, & neg. conseq. Sic etiam est nul-

la argumentatio: Esse virtualiter distinctum ab omnipotentia, est esse æquivalenter realiter distinctum ab ea: sed esse realiter distinctum ab omnipotentia, est non esse omnipotentem: ergo esse virtualiter distinctum ab omnipotentia, est æquivalenter non esse omnipotentem. Jam vero in ordine ad quæ prædicata æquivalent hæc distinctiones, debet desumi ex principiis fidei 807. Ob. 18. Ista propositio: *Essentia est Filius*: necessariò involvit sensum formalem: ergo non verificantur contradictoria, nisi tantum formalia, prob. ant. Filio non identificatur essentia, nisi ut præcisa à cæteris Personalitatibus: ergo natura, ut identificata Filio, involvit præcisionem formalem. ant. prob. Filio non identificatur natura, ut involvens reliquas duas Personalitates: ergo. Resp. neg. ant. prob. neg. ant. quia utique antecederet ad omnem operationem, seu præcisionem intellectûs, essentia Divina realiter identificatur cum Filiatione. ad prob. quid intelligitur per illud *ut involvens*? non enim essentia involvit Personalitates ut partes, vel constitutiva; quia essentia non constituitur ex Personis: ergo tantum intelligi potest *ut identificata*.

Jam istud, *ut identificata*: si facit sensum formalem istum, ut significetur, quod identitas cum aliis Personis sit ratio formalis immediata identitatis cum Filio, conc. ant. neg. conf. quia, licet non identificetur essentia Filio, ut identificata Patri, vel Spiritui S. modo identificetur Filio essentia, quæ est identificata Patri, & Spiritui S. habentur omnia, quæ requiruntur, ut propositio: *Essentia est Filius*: in sensu reali sit verissima, absque omni præcisione formali: neque inde sequitur, etiam Patrem identificari Filio, propter distinctionem virtualem. Si autem adversarii intelligunt alium sensum, explicent, & respondebimus.

808. Ob. 19. Ista propositio: *Pater non est Filius*: ideo juxta nos est vera in sensu reali; quia Pater non est omnne, quod est Filius: sed etiam non est omnne id, quod est essentia: ergo etiam vera esset propositio: *Pater non est essentia*: quod est omnino falsum. Resp. dist. mai. tantum ideo est vera. neg. ma. ex alia etiam ratione. conc. ma. & om. mi. neg. conseq. & paritatem. Propositio affirmativa: *Pater est Filius*: ex communi acceptione Conciliorum, Patrum, & Theologorum, est suo modo collectiva, & significat identificari Patri, non tantum naturam, seu essentiam Filii, sed omnia, quæ identificantur Filio, & præcipue Filiationem ipsam; quia hæc venit in recto prædicati: unde est falsa: consequenter contradictoria ejus est vera, scilicet: *Pater non est Filius*, ut dictum n. 795. Ubi obiter notato, licet propositionis copulativæ contradictoria debeat esse disjunctiva, non tamen ideo etiam contradictoria propositionis collectivæ debere esse disjunctivam, ut cuique consideranti facile patet: unde obijci non potest, propositionem: *Pater non est Filius*: non posse esse collectivam, contra quod diximus n. 795. Econtra ista propositio: *Pater est essentia*: ex eadem communi acceptione non significat, Patri identificari omnia, quæ sunt realiter identificata essentia: imò oppositum supponunt omnia Concilia, PP. &c. sed tantum significat, identificari ipsam essentiam, quæ venit in recto: ergo

ergo vera est ista propositio, adeoque falsa ejus contradictoria: *Pater non est essentia*.

809. Ob. 20. Si de essentia, & Personis verificantur prædicata contradictoria, verificantur etiam aliqua de creaturis: hoc est impossibile; ergo. prob. ma. Dabitur cognitio creata cognoscens essentiam, & non cognoscens e. g. Filium: ergo cognoscens idem, & non cognoscens idem: item unio hypostatica creata uniet immediatè Filiationem humanitati: non uniet immediatè naturam: ergo dabitur unio immediatè uniens, & non immediatè uniens idem: ergo &c. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ult. conf. & hæc contradictoria cadunt in cognitionem, vel unionem creatam. neg. conseq. cadunt in idem Divinum. conc. conseq. Cum eadem realiter entitas DEI, virtualiter distincta, se habeat in ordine ad certa prædicata contradictoria, quasi esset realiter duplex, seu quasi essent duo, potest eadem creatura virtualiter indistincta habere respectum ad unum, & non ad alterum: sicut eadem unio Petri virtualiter profus indistincta habet essentialem respectum ad Petrum, non ad Paulum, realiter distinctum. Sic etiam explicari debet connexio creaturæ cum DEO ut uno, non verò ut trino, si hæc secunda non detur.

ARTICULUS VI.

An Personalitates Divinæ sint perfectiones virtualiter distinctæ ab essentia.

810. Dico. Personalitates Divinæ sunt realiter ipsa infinita perfectio essentia: sed non sunt perfectiones virtualiter distinctæ ab essentia. ita S. Thomas, quem teste Goneto tom. 2. tract. 6. disp. 3. de relat. Divin. n. 132. sequuntur communis Thomistæ, (quibus etiam ipse Gonetus consentit n. 133.) & plurimi alii, præsertim antiqui, cum pluribus Recentioribus. Accedit Scotus ex professo quodlibeto 5. sub initium, & fufius art. 2. atque Scotistæ, teste Mastro disp. 7. de SS. Trinit. q. 1. n. 1. Ex nostris Molina in 1. p. q. 42. a. 6. disp. 2. ubi ait, esse communiorum Scholasticorum, & plures citat, præsertim ex Thomistis. Becanus tr. 2. de SS. Trinitate c. 2. q. 6. Ulloa de DEO disp. 2. c. 6. n. 70. & plures alii. Quamvis autem non negem, quod etiam opposita sententia suam habeat magnam auctoritatem, tamen, ut mihi videtur, tantam non habet, quantam nostra. Suppono etiam hæc necessariam terminorum quorundam intelligentiam ex n. 99. § 122.

811. Prob. conclus. 1. auctoritate SS. Patrum, atque etiam Angelici, qui dicunt, dari in DEO unam tantum bonitatem, magnitudinem, dignitatem, veritatem &c. qui termini sunt convertibiles cum perfectione: & si quavis relatio, vel terminatio contingens, ut distincta, & seorsim, esset perfectio distincta à perfectione essentia, essent sanè plures.

Dicta SS. Patrum sunt sequentia. S. August. l. 5. de Trinit. c. 8. Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus Sanctus, nec tres boni, sed unus est bonus. item l. 7. de Trinitate c. 2. Pater igitur, & Filius simul, una essentia, & una ma-

B. P. Ant. Mayr Theol. Tom. 1.

gnitudo, & una veritas. S. Damascenus l. 1. de orthodoxa fide c. 11. Una enim est essentia, una bonitas, una potestas, una voluntas, una facultas, una auctoritas, una, & eadem: non tres inter se similes. S. Bernardus serm. 80. in Cantica. Pater est verus, id est, veritas, Filius est verus, id est, veritas, Spiritus S. est verus, id est, veritas. Et hi tres unus verus, id est, una veritas. S. Fulgentius lib. de fide orth. ad Donat. paulo post medium: Una quippe veritas unus veri DEI, imò una veritas unus verus DEUS. Boëtius ad Joannem Diaconum: an Personalium nomina de essentia prædicentur. Pater veritas est, Filius veritas est, Spiritus S. veritas est. Pater, Filius, Spiritus S. non tres veritates, sed una veritas. S. Thom. quest. 2. de potentia a. 4. ad 14. Sicut Paternitas in Patre, & Filiatio in Filio, sunt una essentia, ita & sunt una dignitas, & una bonitas. Rursus 1. p. quest. 42. a. 4. ad 2. Dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet: sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio, ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio: dein ex hoc ad 3. sic infert: Unde neque omnes relationes sunt majus aliquid, quam una tantum: nec omnes Personæ majus aliquid, quam una tantum; quia tota perfectio Divinæ nature est in qualibet Personarum.

Nec dicas, S. Doctorem in 1. dist. 25. q. 1. a. 4. admittere tres res; nam repono: ibidem negat, in DEO dari tria entia, atque, terminatus, si sumatur substantivè, non posse in plurali dici de DEO: unde terminum res etiam ibi non accipit substantivè, sed adjectivè, ut significet tres reales (intellige relationes) & sanè se ipsum explicat ibidem ad 3. dum ait, per rem se intelligere relationem, in DEO realiter existentem, quæ multiplicetur in DEO: verbo: non intelligit per terminum res, in his circumstantiis positum, aliquam entitatem, vel perfectionem, quæ multiplicetur in DEO. Confir. 1. A Concilio Lateranensi C. Damianus admittitur tantum una quedam summa. . . res, quæ . . . est Pater, & Filius, & Spiritus S. nec fit ulla mentio de pluribus rebus: ergo Concilium tantum agnoscit unam rem, consequenter etiam tantum unam perfectionem.

812. Respondent adversarii, istos textus intelligendos esse, tantum de magnitudine, bonitate, re &c. absoluta, non autem relativa; sed contra, ut ait Ulloa, mirum est, quod ista distinctio fugerit Concilium Lateranense, etiam post accuratum examen hujus controversiæ; cum tamen, si ritè adhiberi potuisset, valde conduxisset ad componendam litem, inter Petrum Lombardum, & Joachimum Abbatem: quin sine illa mancam nobis doctrinam Patres illi dedissent. Eandem etiam distinctionem, inter bonitatem relativam, & essentialem, non asserit S. Augustinus, quamvis hiinc inde uratur termino relativè. Dein, si possunt admitti plures entitates, res, perfectiones, &c. relativæ, poterunt etiam admitti plures Divinitates, essentia, existentia, substantia relativæ, item infinitates, increationes, immensitates, æternitates, &c.

Nam eodem modo possumus adversarios urgere; ut illi nos. Personalitates, ut distinctæ

ab essentia, non sent creatur, non sunt accidentis, non sunt nihil, non sunt finitæ, non sunt creatæ, non sunt loco terminatæ, non sunt temporales: adeoque debent esse Divinæ, seu habere aliquam Deitatem, esse substantiæ, ac essentia, esse existentis &c. ergo, ut vix non iocatur Ulloa de DEO disp. 1. c. 5. n. 71. habemus quatuor Deos, unum absolutum, tres relativos: item quatuor substantias, essentias, ac existencias Divinas: item quatuor infinitos, & increatos, immentos, ac æternos. Et ista multiplicabuntur non tantum adjectivè: sed etiam substantivè; quia concreta etiam substantia multiplicabuntur; si subjectum, & forma multiplicatur, quod in hoc casu fieret: hoc autem videtur prorsus absurdum, nec satis conforme symbolo S. Athanasii, ubi profitemur tantum unum DEUM, unum increatum, unum immentum, unum æternum, unam Divinitatem, essentiam, ac substantiam. Est etiam aperte contra Angelicum, qui q. 2. de potentia a. 6. in corp. ait: *Non est concedendum, quod aliquid absolutum in Divinis multiplicetur, sicut quidam dicunt, quod in Divinis est duplex esse, essentiale, & personale: omne enim esse in Divinis essentiale est: nec Persona est, nisi per esse essentia.*

813. Confir. ex Ulloa de DEO disp. 2. n. 79. In DEO uno non debet admitti multiplicitas, nisi quam ex Scripturis, aut Ecclesia, vel Patribus docemur; quia mysteria in DEO non sunt regulanda per metaphysicas rationes, quibus omnibus superiora sunt: atqui ex illis docemur, tantum multiplicari in DEO Personas, hypostas, substantias, relationes, proprietates, notiones, origines, processionem: non verò essentiam, existentiam, Divinitatem, substantiam, entitatem, rem, perfectionem: ergo. Quamvis autem intellectus noster non capiat, unum multiplicari sine altero, non refert; quia etiam non capit, quomodo multiplicentur realiter Personæ, sine multiplicatione essentia, realiter identificata. Quod si dicas, istud utcumque explicari ope distinctionis virtualis; respondeo, etiam beneficio ejusdem exponi illud superius.

814. Probatur conclusio 2. Omnis perfectio in DEO debet esse infinita; nihil enim limitatum potest esse in DEO, omnimodè infinito: ergo juxta adversarios præter essentiam dabuntur tres aliæ perfectiones, in sua saltem linea infinita: sed hoc admitti non potest: ergo, prob. mi. subsumpta. Relationes, vel Personalitates non sunt de ratione essentia, ut est communis, & facile probatur; nam tota ratio essentia debet esse communis tribus; cum tamen Personalitates non possint esse communes: ergo ratio essentia non esset tam perfecta, quam ratio Personæ, saltem in concreto, seu ut dicentis Personalitatem, & naturam, e. g. ratio Filii concretivè sumpti, quod est valde absurdum.

Rursus tota Trinitas esset perfectior, quam qualibet Persona seorsim, contra S. Augustinum cit. n. 190. Item tam Pater, quam Filius essent perfectiores Spiritui S. quia hic tantum haberet unam perfectionem relativam, scilicet spirationis

passiva; & cum Pater habeat duas, scilicet generationis, & Spirantis: Filius etiam duas, geniti, & Spirantis. Taceo, quod vel hoc absurdum multis videatur, quod in una Persona non sit aliqua perfectio infinita, quæ revera in DEO existit; cum hac ratione non sit perfecta omni modo possibili. Videatur Molina in 1. p. q. 42. a. 6. disp. 1. § 2.

815. Dicunt quidem adversarii, essentiam Divinam continere eminenter omnem perfectionem, adeoque non esse perfectius complexum ex ipsa, & relationibus, quam ipsam solam, neque unam Personam perfectiorem esse, quam alteram; cum quælibet habeat essentiam. Sed contra: quamvis fat facile percipi possit, quod essentia Divina eminenter contineat aliquam perfectionem creatam, limitatam, & respectu infinitæ perfectionis quasi nihil computandam, tamen non potest infinita perfectio contineri eminenter; nam, ut rectè advertit Mastrius disp. 7. de SS. Trinitate q. 1. a. 1. num. 4. eminenter continere, de rigore sermonis, est continere aliquid dempsit imperfectiorem, vel aliquid perfectius, adeoque dicit excessum, seu eminentiam perfectionis supra rem contentam: quæ utique dari non possunt in nostro casu. Addit Mastrius num. 5, hac ipsa de causa creaturam, additam DEO, nullam addere perfectionem ipsi; quia eminenter continetur à DEO, consequenter nec Personalitatem addere eidem perfectionem, si eminenter contineatur.

Conclusio hæc de Personalitatibus Divinis extendi etiam debet ad terminationes contingentes actuum voluntatis, & intellectus Divini; nam & istæ non sunt perfectiones ab essentia distinctæ, ut ex prima probatione facile colligitur. Quamvis autem secunda ratio in ordine ad has terminationes non sit efficax (nam, cum omnes Personæ à qualibet terminatione eodem modo afficiantur, nunquam ex his potest probari, quod, si essent perfectiones, propterea una Persona posset esse perfectior altera) attamen saltem, cum possibilis sit pura omnis liberia in DEO ex num. 426. sequitur, quod, si hæ terminationes sint perfectiones, essentia Divina possit carere aliqua perfectione intrinseca, sibi possibili: quod non videtur posse admitti.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

816. **O**B. 1. Concilia, maxime Nicænum II. & SS. PP. dicunt, in DEO dari tres perfectas substantias, vel tres perfectos: item dari personalem perfectionem: item tria perfecta &c. quos textus vide apud Mastrius disp. 7. de SS. Trinitate q. 1. a. 4. n. 42. ergo ipsæ Personalitates sunt perfectiones. Confirm. SS. PP. etiam dicunt, DEUM absque relationibus fore imperfectum: ergo. Resp. conc. ant. neg. conseq. Una, eademque perfectio essentialis, cum sit in pluribus per identitatem, reddit plures perfectos; sicut, si eadem albedo per replicationem esse

pluribus muris unita, redderet omnes albos: & defacto eadem cognitio denominat plures cognitos. Quando autem in Synodo VI. seu Constantinopolitana III. a. 18. in edicto Constantini Pogonati Imp. dicitur: *Credimus . . . unitatem quidem propter naturalem unionem, ac diminutionem: Trinitatem verò propter subsistentiarum perfectionem*: hoc ipso, quod non dicitur Perfectiones, innuit, tantum esse unam, scilicet essentialem, quæ tamen sit tribus communicata, & propter quam ita communicatam credenda sit Trinitas; quia sine Trinitate ita communicari non posset: nec aliis verbis admittitur ibi perfectio in subsistentiis, ut oppositis unitati.

Quod atinet ad Personalem perfectionem, de ea S. Damascenus l. 1. de orth. fide c. 11. sic habet: *Quantum ad causam* (fuit enim Græcus, & ideo causam in DEO admittit) *et ea, quæ à causa proficiuntur, ac Personæ perfectionem, hoc est, existendi modum, discrimen animadvertimus: cum autem eodem loco, ut citavimus num. 811. idem S. Pater non admittat in DEO tres bonitates, sed unam tantum: neque hic admittit propriè dictas perfectiones, sed tantum latius aliquo modo dictas, seu aliquos modos existendi, scilicet subsistentias. Tria perfecta admittit S. Epiphanius hæresi 69. circa medium; verùm intelliguntur tria supposita, sed una, eademque perfectione perfecta. Plus certè ex eotextu, si ne omni ulteriori explicatione posito, inferri non potest.*

817. Ad confir. neg. conf. Per illum loquendi modum tantum innuunt SS. PP. essentiam Divinam fore imperfectam, si non esset communicabilis pluribus, aut secunda: & hoc est, quod vult S. Cyrillus Alexandrinus l. 1. thesauri c. 6. paulò ante medium, ubi sic ait de Patre Divino: *Perfectus autem est, non solum; quia DEUS, sed etiam; quia Pater: nam immediatè addit: Quare, qui DEUM negat Patrem esse, is secunditatem affecti à Divina natura, ut jam perfecta non sit; cum generandi virtute caret: quod ulterius pluribus probat. Idem etiam vult, ut patet legenti l. 2. thesauri c. 1. dum ait: Non enim potest esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat.*

Eodem modo exponendus est S. Athanasius orat. 2. contra Arianos circa medium: item S. Hilarius l. 12. de Trinit. circa medium: item S. Ambrosius l. 4. de fide c. 4. quos vide apud Mastrius loco modo citato. S. Gregorius Nazianzenus orat. 5. de Theol. sub initium, scribit quidem, *Deitatem non fore perfectam, si careat sanctitate, hanc autem habere non posse, nisi habeat Spiritum Sanctum*: sed utique Pater est etiam Sanctus per identitatem, etiam non habeat per identitatem Spiritum S. unde S. Doctor non vult dicere, spirationem passivam, ut distinctam ab essentia, esse sanctitatem: sed tantum, Divinam naturam, ut sanctam, exigere etiam spirationem passivam, & si hanc non haberet, caritatem eam infinitudine sanctitatis, quæ ipsi debetur, quæque necessariò se debet per identitatem effundere, seu communicare Spiritui Sancto.

Citatur & alius textus ex hoc S. Patre orat. 3. ubi dicitur de Paternitate sic scribere: *Est gloria auctio, non diminutio, quemadmodum Spiritus*

producentem esse: sed longo labore hunc textum invenire non potui: certè loco citato non haberetur. Si contextum legero, respondebo. Interim Ulloa respondet, quod, sicut rationale in homine dicit perfectionem ultra animalitatem; non quia dicit distinctam, sed quia eandem clariùs explicat: ita etiam DEUS Pater dicit perfectionem, quam non dicit solus DEUS; quia eandem clariùs explicat. S. Athanasius autem oratione contra gregales Sabellii post medium, dum sic ait: *Universa enim plenitudo, et integritas Deitatis est Pater, ut Pater: universa item plenitudo Deitatis est Filius, ut Filius*: est pro nobis; quia vult, omnem plenitudinem perfectionis esse in qualibet Persona, ut distincta ab altera, adeoque stare in sola essentia: quod patet ex hæc adjecta ratione, dum ait: *Quando quidem amborum una forma intelligitur, quæ integrè se in utroque, et solide exhibet.*

818. Ob. 2. Relationes, vel Personalitates, ut distinctæ ab essentia, adorantur: ergo debent esse perfectio, ant. probatur. Ecclesia in præfatione festi SS. Trinitatis sic canit: *Ut in confessione vera, sempiternæque Deitatis, et in Personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoratur equalitas*: ergo adorantur proprietates, seu Personalitates, ut distinctæ. Confir. 1. Si relationes non essent perfectiones, non esset ratio, cur darentur in DEO: ergo. Confir. 2. Videtur ex se absurdum dicere, quod in DEO detur aliquid, quod non sit perfectio: ergo.

Resp. dist. conseq. Personalitates debent esse perfectio essentialis, conc. conseq. debent esse perfectio distincta ab essentia, nego conf. ad prob. dist. conf. adorantur ut distinctæ ab essentia tantum virtualiter. conc. conseq. ut plius, quam virtualiter; distinctæ, neg. conseq. Personalitatem esse virtualiter distinctam ab essentia, & perfectione essentiali, non impedit, quod minus ipsa sit verissime, & realissime, perfectio essentialis; quia distinctio virtualis, cum non sit distinctio à parte rei ex n. 767. non excludit, imò supponit identitatem realem: consequenter adorari Personalitatem, ut virtualiter distinctam, est adorari ut realiter identificatam cum perfectione essentiali, seu, ut habentem istam per identitatem realem, quam cum aliqua discrepantia in aliquo prædicato. Ex quo tamen nullatenus inferetur, adorari aliquam perfectionem distinctam ab essentiali; quia nulla datur. ita Ulloa, & quoad substantiam etiam Molina, atque Becanus.

Mastrius disp. 7. de SS. Trinit. a. 4. n. 48. et 49. ex Scoto addit, omnes tres Personas Divinas adorari, & quidem adoratione, specialiter terminata ad unam præaltera, ut patet ex Litaniis: sed unicam, & eandem esse rationem adorandi in omnibus; quia omnes adorantur ut unus DEUS, & sic explicari potest S. Epiphanius in Ancorato non longè ab initio dicens: *Honoratur autem Pater, secundum quod Pater est: honoratur Filius, prout Filius est: honoratur Spiritus S. prout Spiritus verus est, et Spiritus DEI*: hoc est, honoratur unus, etiam ut distinctus ab alio, quamvis sit eadem ratio omnes adorandi. Quod confirmatur ex eo, quod illa præfatio Ecclesiæ sit maxime composita ad hæreticorum errores confu-

tandus, qui volebant, aut non esse realiter plures, aut non eodem modo adorabiles SS. Personas, de quo Molina *loc. cit. n. 810. sub finem.* Ad 1. confir. neg. ant. Ratio, cur dentur relationes, est ipsa essentia Divina, exigens se per identitatem communicare tribus realiter distinctis, in quo stat infinita, & incomprehensibilis perfectio. Ad 2. confir. disting. ant. videtur absurdum, quod datur aliquid in DEO, quod non sit perfectio essentialis. conc. ant. quod non sit perfectio distincta ab essentiali perfectione. neg. ant. & conf. Re-colantur hic probationes nostræ sententiæ.

819. Dices 1. Persona Verbi sanctificat humanitatem Christi, & infinite dignificat ejus merita: ergo debet esse perfectio. Resp. cum Ulloa, ut supra. dist. conseq. debet esse perfectio essentialis. conc. conseq. debet esse perfectio distincta ab essentiali. neg. conseq. Inprimis Verbum, vel Persona Verbi, seu Filius in concreto, dicit etiam naturam Divinam. Sed, si loquamur etiam tantum de Personalitate, hæc, cum sit tantum virtualiter distincta ab essentia, secum realissimè assert perfectionem essentialem, adeoque sanctificat humanitatem, & dignificat merita: ipsa tamen non est distincta sanctitas, neque (ut S. Thomas citatus *n. 811.* docet) est distincta dignitas. Et hæc iterum id sub oculis habendum, quod jam sæpe dictum. nempe, distinctionem virtualem non esse à parte rei distinctionem, sed tantum æquivalentiam ejus in ordine ad aliqua prædicata.

Dices 2. Verbum magis sanctificat humanitatem, aut dignificat merita Christi, quia n. Pater: ergo non sola essentia sanctificat, vel dignificat. Resp. conc. totum; nam etiam Verbum dignificat, sed non nisi per dignitatem essentialem: quod autem per hanc Pater non sanctificet, sicut Verbum sanctificat, ratio est; quia ipse non unitur humanitati, nec constituit suppositum eliciciens illa merita. Nec est bona argumentatio: Natura Patris dignificat: ergo etiam Pater; aliàs deberet Pater etiam esse Filius; quia ejus natura est Filius.

820. Dices 3. Persona Verbi (& eadem est ratio de Persona Patris, ac Spiritus S.) ut distincta ab essentia, habet aptitudinem, & capacitatem, ad identitatem cum essentia Divina: sed hæc ipsa aptitudo, vel capacitas, est perfectio: ergo. mi. prob. Incapacitas ad eam identitatem est imperfectio: ergo capacitas est perfectio. Confir. Talis capacitas non potest oriri, nisi ex illimitatione Personalitatis; quia in nullo ente finito est reperibilis: ergo. Resp. 1. insistendo principiis Ulloæ. om. ma. dist. mi. hæc aptitudo est perfectio essentialis. conc. mi. est distincta ab illa. neg. mi. & conseq. ad prob. om. ant. dist. conseq. ut prius. Persona, ut virtualiter distincta ab essentia, est realissimè ipsa essentia, nec habet aliam capacitatem ad identitatem cum essentia, quam qualem habet ipsa essentia ad identitatem secum ipsa, quæ est tantum capacitas latius dicta in aliquo sensu purè formali: sicut autem capacitas essentialis non est perfectio distincta ab essentia, ita etiam capacitas Personalitatis. Ad confirm. om. totum in sensu modò explicato.

Respondent alii cum Maftrio ad hanc objectionem neg. mi. nam capacitas, non exigens

identitatem, sed tantum potens recipere perfectionem, seu, ut ipse explicat, non positiva, sed tantum suo modo negativa, non est perfectio. ad prob. conc. ant. negant consequentiam; datur enim medium, scilicet prædicatum neutrum: & sicut Angelus, nec est frigidus, nec calidus, & lapis, nec rationalis, nec irrationalis: sic relatio, nec est perfecta, nec imperfecta. Ad confir. negant ant. dicuntque, capacitatem illam oriri ex ente, nec finito, nec infinito, quales esse Personalitates, volunt Maftrius, Molina, atque Becanus: & Molina addit, divisionem entis in finitum, & infinitum, esse tantum entis, à Philosophis cogniti: Becanus verò assert similitudinem puncti, quod nec sit finitum, nec infinitum in extensione; cum nullam habeat. Responsio Ulloæ est expeditior.

821. Ob. 2. Relationes, ut distinctæ ab essentia, non sunt nihil, sed sunt ens: ergo perfectio. prob. conseq. Omne ens est bonum: ergo bonitas, atque perfectio est, quæ sunt synonyma. Ad hanc objectionem inprimis retorquetur argumentum in omnibus illis, quæ adducta sunt *n. 812.* e. g. Relationes non sunt creatæ, finitæ, temporales, loco terminatæ &c. ergo sunt Divinitates, æternitates, immensitates &c. Dein non minus sunt termini transcendentales, veritates, bonitas, quàm ens, & tamen non multiplicatur in DEO: ergo nec ens. Certè S. Thomas in *1. dist. 25. q. 1. a. 4.* negat, in DEO dari tria entia, & quamvis admitat tres res, videtur intelligere terminum illum adjectivè, hoc est, tres reales; cum enim dicat, non dari tria entia, videtur supponere, terminum *res* adjectivè prædicari: nam si substantivè accipitur *res*, tunc *res*, & *ens* sunt idem, & ex Lateranenſi, citato *n. 811.* tantum datur *unus*. In forma variè respondet.

822. Molina respondet dist. ant. Relationes, ut distinctæ, sunt ens, quale tantum cognoverunt antiqui Philosophi, neg. ant. sunt ens alterius rationis. conc. ant. & neg. conseq. ad probat. dist. eodem modo ant. & neg. conseq. ait enim hic auctor, relationes Divinas non esse capaces perfectionis ex rationibus pro conclusione allatis. Idem ferme volunt Scotiæ, cum distinguunt inter ens quantum, & non quantum, seu inter ens, quod habet quantitatem, si non molis, saltem virtutis, & inter ens non quantum, quod neutram quantitatem habet, quale ens dicunt esse relationes. Respondent alii neg. ant. ajunt enim, dari medium inter ens, & nihil: scilicet, esse connexum cum ente: quod non significat perfectionem, sed tantum esse connexum cum perfectione.

Resp. cum Ulloa de DEO *disp. 2. c. 6. n. 71.* Relationes sunt ens entitate essentialis. conc. ant. entitate distincta ab essentia. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. ad prob. eadem adhibetur distinctio. Ut enim jam diximus *n. 819.* distinctio virtualis assert secum identitatem realem cum essentia: unde etiam relationes, ut virtualiter distinctæ, sunt ens, aliquid, verum, bonum, perfectum, substantiale &c. sed entitate, aliquid iditate, veritate, bonitate essentialis, vel substantiæ: sicut sunt existentes, æternæ, & immensæ &c. sed existentia, æternitate, & immensitate essentialis. Paritas aequalis est cum muro, qui, etiam ut distinctus ab albedine, est albus, dummodo

modo albedo sit unita; sic etiam relatio, ut virtualiter distincta ab ente, & perfectione, tamen est existens, & perfecta, modò sit realiter identificata. Si quaras, quid ergo concipiatur, quando concipitur id, quod habet Pater, & non habet Filius. Resp. non concipi entitatem, vel perfectionem: sed concipi relationem, Personalitatem &c. de quibus *n. 813.* Si dicas, omne id esse ens, cui non repugnat existere. Resp. cum Personalitati repugnet existere per aliam existentiam, quam essentialem, vel absolutam, hoc ipso repugnare, ut sit ens distinctum ab essentia. Si urgeas, Personalitatem concipi ut aliquam perfectionem distinctam: Respondet Ulloa, se apprehensiones non morari; cum etiam DEUS Pater concipiatur ut senex.

823. Dices. Relationes realiter inter se distinguuntur: ergo debent esse res, seu entia. Confir. 1. Quod realiter producit, aut produci-tur, debet esse res: sed Paternitas producit, & Filius produci-tur: ergo. Confir. 2. Filiatio realiter unitur humanitati: & ipsa est terminus immediate unitus, non autem essentia ei identificata: ergo debet esse res. Resp. neg. conseq. non enim in Divinis distinguitur una res ab altera, sicut nec una Divinitas ab altera; nam una summa res ex Lateranenſi est omnes tres Personæ: unde istæ, quatenus inter se distinguuntur, non sunt res; quamvis sint reales, scilicet relationes, proprietates &c. vide supra *n. 813.* & Ulloam *disp. 2. de DEO c. 7. n. 81.* Ad 1. confir. retorq. arg. Quod producit, aut produci-tur, debet esse aliqua essentia. Si neges hoc in Divinis, cur mihi non etiam liceat negare illud? Unde neg. ma. saltem quoad secundam partem, intelligendo id, quod formaliter potest dici productum; sufficit enim, ut productum sit reale, seu realis Filiatio, quamvis non sit res distincta ab essentia: sicut etiam, quod formaliter produci-tur, non est formaliter aliqua essentia.

Quod atinet ad 1. partem minoris: ex S. Thoma cit. *n. 741.* non debet dici: *Paternitas generat*: sed: *Pater generat*. Pater autem non tantum habet ipsam essentiam, quomodo cunque per realem identitatem, sed dicit eam constitutivè; quamvis ipsa natura, seu res, non generet, de qua re actum *n. 789.* & seq. Si hoc tibi non placet, dic cum Ulloa *cit. disp. 2. de DEO c. 6. n. 70.* produci-tur, & productum, esse aliquid reale, perfectum &c. sed realitate essentialis. Ad 2. confir. neg. conseq. intelligendo illam de termino immediate unito: sufficit enim, si hic sit aliquid reale: vel dist. debet esse res realitate essentialis. conc. conseq. realitate relativa. neg. conf. Nec tamen ideo res immediate unitur humanitati, sed tantum id, quod est illa res, seu quod est reale; nam jam sæpe dictum, non omnia prædicata in Divinis convenire omnibus realiter identificatis. vide Ulloa de DEO *disp. 2. c. 7. n. 88.*

824. Ob. 4. Terminationes contingentes actuum intellectus, & voluntatis Divinae, debent esse res, & perfectiones, etiam ut distinctæ ab essentia: ergo multo magis Personæ. prob. ant. Istæ terminationes sunt exercitium intellectus, & voluntatis: sed exercitium est aliqua res distincta ab essentia, quæ non exercetur, seu elicitur: ergo. Confir. Si possunt tres Personæ, aut duæ, vel plures

terminationes, identificari in DEO, poterunt etiam plures res; prius est verum: ergo. Resp. ut supra, quòd sint res, non tamen realitate alia, quam essentialis; sed sint ipsa res essentialis. Unde sub hac distinctione conc. ant. & etiam conseq. ad prob. iterum dist. min. ut prius, & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. Scilicet terminationes illæ sunt exercitium, quamvis essentia identificata non exercentur, seu eliciantur: sicut Filiatio est producta, quamvis natura identificata non producat, de qua re *n. præced.* Ad confirm. neg. ma. Quid multiplicetur in DEO, & quæ plura possent identificari essentialis, debemus habere ex principiis fidei, ex quibus habemus, plures Personas posse identificari essentialis, vel etiam plures terminationes: non autem plures res, vel perfectiones, ut probatum.

825. Ob. 5. Virtualiter distincta debent sub aliquo conceptu apparere ut duo: atqui juxta nos e. g. Paternitas, & essentia, sub nullo conceptu apparerent ut duo: ergo. prob. mi. Sub nullo conceptu apparerent ut duæ res; quia semper essent tantum una res, scilicet essentia: ergo. Confir. Relationes constituunt, & distinguunt Divinas Personas: ergo debent esse aliquid præter essentiam: prob. conseq. Ipsa essentia sola non constituit totam Personam, nec distinguit unam ab altera; aliàs non esset eadem essentia in omnibus: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. neg. conseq. non enim debent sub conceptu duorum entium apparere: sed sufficit, si sub alio conceptu ut duo appareant; & sic essentia apparet tanquam essentia, relatio tanquam relatio. Si etiam dicas, relationem constitui ex essentia, vel istam includere, ut vult Ulloa de DEO *disp. 2. c. 7. n. 81.* tamen apparent ut duo, scilicet ut includens, & inclusum, constituens, & constitutum.

Ad confir. dist. conf. relationes debent esse aliquid præter essentiam, hoc est, aliud ens. neg. conseq. aliquid, id est relatio, hypostasis, proprietates &c. conc. conseq. ad prob. conc. ant. neg. conseq. Nec dicas, rationes distinctivas Personarum inter se, vel unius ab alia, non posse habere eandem essentiam; nam hoc non est verum; cum utique Personalitates omnes habeant eandem essentiam, & ex Lateranenſi eandem rem: & tamen hæc sunt vel maximè rationes distinctivæ Personarum. Nempe eadem essentia, ratione distinctionis virtualis potens verificare prædicata contradictoria, vel contraria, potest per identitatem esse essentia istorum prædicatorum, consequenter contrariorum distinctivorum.

826. Ob. 6. Relationes ut tres dicunt entitatem; non enim sunt entia rationis: ergo dicunt tres entitates. Confir. Adjectivum *tres* debet cadere super aliquod substantivum: sed qualescunque assignetur, semper erit entitas, & non phantasma: ergo debent admitti tres entitates. Resp. 1. retorqueo argumentum, Relationes non minus dicunt veritatem, bonitatem, quin & Divinitatem, de quibus *num. 813.* ergo etiam ista debent multiplicari, Resp. 2. dist. ant. Relationes dicunt entitatem essentialis. conc. ant. distinctam ab essentia. neg. ant. & conseq. Propterea tamen non sunt entia rationis, sed sunt reales, ut sæpe jam dictum, vel, ut ait Molina, sunt tres adjectivè, non substantivè. Nec dicas. Si per impossibile essent realiter

distincta ab essentia, tamen forent aliqua res; nam resp. tunc essent Chimæra, & non res. Ad confir. dist. ma. Adjectivum debet cadere super nomen substantivum quaecunque. om. vel conc. ma. super substantiam, seu entitatem, vel super nomen substantivum, quod significat entitatem aliquam, quæ multiplicetur. neg. ma. quia potest cadere super relationem, proprietatem &c. quæ sunt eadem unica, & neutiquam multiplex entitas. dist. etiam min. erit entitas distincta ab essentia. neg. mi. indistincta. conc. mi. & neg. conseq.

827. Ob. 7. Si Relationes, vel terminationes contingentes, virtualiter distinguuntur ab omni sua entitate, tunc sunt Chimæra: consequens est falsum: ergo & antecedens. prob. ma. Nihil est magis intimum cuique rei, quam entitas sua: ergo profus repugnat eam distingui ab omni ista: ergo saltem præter entitatem absolutam videtur admittenda essentia, vel existentia relativa. Resp. Utiq; etiam adversarii admittere debent, quod ipsa entitas absoluta, seu essentia: sit revera intimè realiter identificata relationibus, sitque verè earum essentia, & tamen ab iis virtualiter distinguitur: & vicissim relationes ab essentia, seu entitate. Et par est ratio de terminationibus contingentibus. In forma neg. ma. ad prob. dist. ant. nihil cuique magis est intimum realiter, quam entitas sua. conc. ant. nihil magis est intimum virtualiter. neg. ant. & conf.

828. Ob. 8. Personalitatibus nihil deest in sua ratione ipsis debitum: ergo sunt perfectæ. Confir. 1. Ipsæ sunt objectum amabile à voluntate Divina: ergo sunt bonæ, atque perfectæ. Confir. 2. Eadem convenient essentia Divina: ergo sunt illi bonæ. Resp. disting. conseq. Personalitates sunt perfectæ perfectione essentia: conc. conf. alià distincta. neg. conseq. Personalitates etiam ut virtualiter distinctæ (quod jam sæpe dictum) habent realiter identificatam essentiam: quam si non haberent, utique ipsis deesset aliquid, vel maximè debitum; quia essent Chimæra: ad oque perfectæ sunt; quia habent perfectionem essentia: Nec retorqueas dicendo, etiam essentiam fore Chimæram, si non haberet relationes, adeoque etiam hanc esse perfectam, non perfectione sua, seu essentia: sed perfectione relationum; nam, cum certum sit, dari in DEO bonitatem, veritatem, perfectionem unam in omnibus, quæ debet esse essentialis, utique essentia jam est perfecta perfectione sua, seu essentiali: neque exigit relationes tanquam perfectiones: sed tanquam hypostasies, quibus perfectionem suam communicet.

Ad 1. confir. ma. Resp. cum Maffrio, Molina, & Becano dist. tant. Personalitates sunt objectum amabile, amabile essentia: conc. ant. amabile distincta. neg. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. si enim essentiam non haberent, amabiles non forent. Adde, quod à voluntate amari etiam possit pura negatio, seu id, quod non est perfectio physica. Unde etiam ex hoc capite, saltem, nisi aliud in antecedente subintelligeret, posset negari consequentia. Ad 2. confir. neg. conseq. Licet essentia: convenient, tamen eam non perficiunt, neque sunt ei bonæ, ita, ut afferant bonitatem distinctam; sed tantum sunt

bonæ quasi negativè, seu non malæ: sicut suo modo est homini conveniens negatio improprietatis in membris, quamvis non sit positivè bona; cum non sit bonitas physica.

829. Ob. 9. Paternitas in creatis est perfectio: ergo multò magis in Divinis. prob. conf. Paternitas in creatis est participatio Paternitatis Divinæ ex illo ad Ephes. 3. v. 15. *Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur*: ergo. Confir. Relatio in genere, abstrahens à creatura, & increata, est perfectio: ergo etiam increata. Resp. neg. conf. intellectam de perfectione distincta ab essentiali. Paternitas creata est actio generativa, quæ habet aliam essentiam, seu realitatem distinctam ab homine, qui est Pater, consequenter utique est perfectio illius hominis, præsertim cum etiam essentia hominis finita sit, & perfectibilis: at in Divinis Paternitas, sicut non habet aliam essentiam, quam Divinam, ita nec debet, aut potest esse alia perfectio. Ad prob. rectè ait Becanus, paternitatem creatam non esse tam participationem Paternitatis Divinæ, quam totius SS. Trinitatis, hoc est, esse hujus effectum; nam non est particula Paternitatis Divinæ, sed tantum effectus, accipiens suum esse à tota SS. Trinitate; cum omnia opera DEI ad extra sint communia. Addit Molina, Apostolum dicere, non Paternitatem creatam esse à Paternitate Divina: sed à Patre, qui includit essentiam. In forma, concedo antec. neg. iterum conf. in sensu superiore; sufficit enim, ut Paternitas, seu Pater, aut SS. Trinitas, sit perfectio essentialis.

Eodem modo responderetur, quando obijciatur. Omne id, quod in creatis dicitur perfectionem limitatam, in DEO dicitur illimitatam. Respondetur enim dist. illat. dicitur in DEO perfectionem illimitatam essentialem. conc. aliam, neg. illatum. Ad confir. dist. ant. Relatio in genere est perfectio semper distincta ab essentia. neg. ant. indistincta. om. ant. & sub data distinctione conc. vel neg. conf. Ubi addo, personalitatem in creatis, seu subsistentiam, si sit negatio tantum, non esse perfectionem physicam: si autem diceretur, esse modum aliquis, erit perfectio ex ratione tali, ex quali Paternitas creata: de qua modo dictum.

830. Ob. 10. Si Relationes Divinæ non sunt perfectiones, non sunt incomprehensibiles à creatura: hoc est falsum: ergo. Confir. 1. Est perfectio essentia: posse subsistere in tribus Personis: ergo etiam ipsæ Personalitates sunt perfectiones, prob. conf. Non esset perfectio subsistere in pluribus, non dicentibus perfectionem: ergo. Confir. 2. Personalitates sunt subsistentia: redduntque naturam subsistentem, præsertim Filiatio reddit subsistentem naturam humanam: ergo debent esse perfectiones. Resp. cum Maffrio, Molina, & aliis neg. ma. nam Relationes realiter sunt Divinitas, quæ comprehendendi non potest: item involvunt mysterium SS. Trinitatis, quod apparenter opponitur principiis naturalibus, & naturaliter comprehendendi non potest. Addit Molina, relationem comprehendendi non posse, quin comprehendatur etiam fundamentum, adeoque essentia Divina.

Ad

Ad primam confir. conc. ant. neg. conf. ad prob. neg. ant. hoc enim ipsum est infinita perfectio, posse suam perfectionem communicare tribus Personis realiter distinctis, easque reddere perfectas. Ad secundam confir. conc. ant. neg. conf. Hoc non probat, quod Personalitates sint entitates, seu perfectiones distinctæ ab essentia: sed tantum, quod sint reales, ac perfectæ, realitate, & perfectione essentia: & constituentur Personas incommunicabiles. Quod autem non sit idem, multiplicari subsistentias, & multiplicari perfectiones in Divinis, quod rectè ratio Personæ, addita essentia: non sit addita perfectio, hucusque jam sæpe diximus: cumque insuper dixerimus à n. 732. ipsam naturam Divinam esse subsistentiam absolutam, ac jam in se subsistentem, quamvis non incommunicabiliter, minor adhuc videtur ratio dicendi, subsistentiam, quæ superaddit incommunicabilitatem, addere perfectionem distinctam ab essentia. Quod autem spectat ad naturam humanam, ea in primis non perdidit aliquid positivum; cum subsistentia humana probabilius stet in negatione unionis cum ente digniori. Si etiam perdidisset aliquid positivum, sufficientissimè id compensaretur per subsistentiam Divinam, quæ, licet non sit perfectio, distincta ab essentiali, est tamen infinite perfecta, per ipsam perfectionem essentia: Opponent tandem aliqui, Personalitatem non minùs esse perfectionem, quam sapientiam, o-

mnipotentiam, vel aliud attributum: at hoc negat Maffrius disp. 7. a. 4. n. 45. ego respondeo ad nostræ scholæ principia meliùs, sapientiam, vel omnipotentiam non esse aliam perfectionem, quam essentialem, seu perfectionem essentia:, à qua tantum formaliter distinguitur. Quod autem formaliter per conceptum distinguatur, non refert; quia tamen reipta est ipsa essentia, & tantum concipitur, ut aliquid formaliter, sive per conceptum superaddens essentia: sed non aliquid, plùs quam formaliter distinctum, sive non rem distinctam, sed tantum formalitatem. Et sic etiam Persona addit essentia: aliquid virtualiter distinctum, quod tamen non est res, aut perfectio, sed realis relatio, proprietates &c.

Hæc de ineffabili hoc Mysterio dicta sufficiant; quia tandem aliquando finem facere debemus; cum infinitum exhaurire non possimus. Toti autem Tractatui id, quod Sanctus Augustinus l. 1. de Trinitate c. 3. pro sua modestia, ego pro necessitate subjungo: *Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, querat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, revocet me.* Et paucis interjectis subjungit. *Quisquis ergo, cum legit, dicit: hoc non bene dictum est. quoniam non intelligo, locutionem meam reprehendat, non fidem: & forte verè potuit dici planius: veruntamen nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus, ab omnibus, intelligeretur.*

I N D E X

Disputationum, Questionum, & Articulorum In Tractatu de DEO.

DISPUTATIO I.

De Essentia & Existentia Dei. 4

QUÆSTIO I.

De Essentia, sive Demonstratione DEI.

- Art. I. An existentia Dei sit per se nota, vel debeat, aut possit demonstrari.* 5
Art. II. An Deus possit ignorari. 17
Art. III. An Deus possit demonstrari à priori, vel quasi à priori. 31
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 38
Art. V. An, & quomodo Deus possit demonstrari à posteriori. 63
Art. VI. Solvuntur Objectiones. 78
Art. VII. Solvuntur reliquæ Objectiones. 88

QUÆSTIO II.

De Essentia & Attributis Divinis.

- Art. I. Quenam prædicata formaliter constituent essentiam metaphysicam Dei.* 99
Art. II. Solvuntur Objectiones. 105
Art. III. An Deus sit infinite perfectus. 122
Art. IV. Solvuntur Objectiones. 135
Art. V. Solvuntur Objectiones contra corollaria. 149

DISPUTATIO II.

De Cognoscibilitate Dei. 169

QUÆSTIO Unica.

De Visione DEI, Modo, Objecto, & Causis ejusdem.

- Art. I. An sit possibilis visio Dei.* 171
Art. II. An visio Dei possit alicui creature rationali esse connaturalis. 179
Art. III. An Deus possit comprehendi ab intellectu creato. 192
Art. IV. Quid videatur in Deo per visionem, & an necessariò per eam videatur ut Trinus. 199
Art. V. An Deus possit videri oculo corporeo. 217
Art. VI. An sit possibilis, vel ad visionem necessaria species impressa Dei. 223
Art. VII. An detur lumen glorie, & quomodo ad visionem sit necessarium, aut vfluat. 244
Art. VIII. An perfectior intellectus cum equali lumine videat perfectius Deum. 260

DISPUTATIO III.

De Scientia Dei. 732

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Scientia DEI in genere.

Art. I. An quod duplex detur scientia in Deo.	274
Art. II. Solvuntur Objectiones.	286
Art. III. Quale sit objectum scientie Divinae.	301
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	309

QUÆSTIO II.

De Scientia Simplicis Intelligentiæ.

Art. I. Quomodo Deus cognoscat creaturas possibles.	319
Art. II. Solvuntur Objectiones.	325

QUÆSTIO III.

De Scientia Visionis.

Art. I. Quid sit futuritio, contingentia, & necessitas.	338
Art. II. Solvuntur Objectiones.	342
Art. III. An, & quomodo Deus videt absolute futura.	352
Art. IV. Solvitur Obiectio primaria contra primam conclusionem.	356
Art. V. Solvuntur Objectiones contra 2. conclus.	366

QUÆSTIO IV.

De Scientia Media.

Art. I. An Deus videat contingentia conditionate futura.	380
Art. II. Solvuntur Objectiones.	386
Art. III. An Deus futura contingentia conditionata videat per scientiam mediam.	396
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	403
Art. V. An scientia media accedat ad Pelagianismum, vel Semipelagianismum.	415
Art. VI. An admittendum Decretum subjective absolutum, & objective conditionatum.	424
Art. VII. Solvuntur Objectiones.	431
Art. VIII. An detur Prædeterminatio Physica.	443
Art. IX. Expenduntur responsa adversariorum.	453
Art. X. Solvuntur Objectiones.	459
Art. XI. Solvuntur relique Objectiones.	488
Art. XII. An detur scientia media reflexa.	496
Art. XIII. Solvuntur Objectiones.	502
Art. XIV. Solvitur ultima Obiectio.	509

DISPUTATIO IV.

De Voluntate DEI.

QUÆSTIO I.

De Libertate DEI.

Art. I. Exponitur difficultas circa libertatem Dei.	517
Art. II. Quid in hac questione dicendum videatur.	521
Art. III. Probatur nostra conclusio.	527
Art. IV. Respondetur Objectionibus.	539
Art. V. An Decreta Dei distinguantur inter se virtualiter.	554
Art. VI. Solvuntur Objectiones.	559
Art. VII. An applicatio omnipotentie constituta actus primi proximi sit in decreto Dei.	573

Art. VIII. Solvuntur Objectiones.

Art. IX. Solvitur Obiectio ultima.

QUÆSTIO II.

De Providentia DEI in genere.

Art. I. Quid sit providentia, & an detur.	608
Art. II. An Deus velit omnes homines salvos fieri.	615
Art. III. Solvuntur Objectiones.	624

QUÆSTIO III.

De Providentia DEI in specie.

Art. I. Quid sit prædeterminatio, & an detur ante merita conditionate prævisa.	633
Art. II. Solvuntur Objectiones.	638
Art. III. An prædeterminatio sit alligata certis mediis.	649
Art. IV. Qualis admittenda sit prædeterminatio actuum bonorum liberorum.	657
Art. V. Solvuntur Objectiones.	669
Art. VI. An prædeterminatio ad gloriam detur ante, vel post prævisa merita.	681
Art. VII. Solvuntur Objectiones.	689
Art. VIII. An reprobatio positiva detur ante peccata absolute prævisa.	699
Art. IX. Solvuntur Objectiones.	704

DISPUTATIO V.

De Mysterio SS. Trinitatis.

QUÆSTIO I.

De Cognoscibilitate hujus Mysterii.

Art. I. An hoc mysterium, & quomodo possit cognosci.	711
--	-----

QUÆSTIO II.

De Processionibus, Relationibus, ac Notionibus Divinis.

Art. I. Quid, & quot sint in DEO Processiones, Relationes, Notiones.	721
Art. II. Quid, & quot duplex sit in DEO Persona, aut substantia.	730
Art. III. Solvuntur Objectiones.	735
Art. IV. Quare potius processio secunde Personæ sit generatio, quam processio tertia.	742
Art. V. Solvuntur Objectiones.	754

QUÆSTIO III.

De Distinctione inter Prædicata DEI, Absoluta, & Relativa.

Art. I. An detur distinctio plus quam formalis inter prædicata absoluta, & necessaria Dei.	778
Art. II. Explicatio multiplex identitatis, & distinctionis in Divinis.	783
Art. III. Qualis distinctio detur inter naturam, & Personas Divinas.	773
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	784
Art. V. Solvuntur relique Objectiones.	797
Art. III. Qualis distinctio Divinae sunt personæ virtualiter distinctæ ab essentia.	810
Art. VII. Solvuntur Objectiones.	816



TRACTATUS THEOLOGICUS

In Primam Partem

D. THOMÆ AQUINATIS DE ANGELIS.



Post examinatas quaestiones de DEO, pergit Angelicus ad considerationem Angelicorum, qui ex genere suo præstantissimæ sunt creaturæ. Nomen Angeli autem non tam substantiam, quam officium Spirituum illorum indigerat, ut habet Divus Gregorius homil. 34. in Evangelia; significat enim nuncium: attamen jam vox hæc per antonomasiam naturas illas spirituales completas, & frequentius quidem Genios Cœlestes significat, aliquoties tamen etiam infernales demones, ut Matth. 25. v. 41. Qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Agnovère Angelos etiam ipsi Gentiles, & Aristoteles quidem eos Intelligentias vocat, Plato secundarios Deos, Animasque cœlorum, Nos de eorum Natura, & Gratia, item Meritis, Peccatis, ac Poenis, sed paucis agemus, Qui plura desiderat, Suarezium adeat, qui tomum prægrandem de Angelis offeret.

DISPUTATIO I.

De Natura, ac Naturalibus Proprietatibus Angelorum.

2. Examinabimus hac disputatione, an Angeli in hac rerum universitate existant: an sint corporei: an spiritus puri: an immortales: an specie, an numero diversi: quam habeant vim se movendi, cognoscendi, volendi, loquendi &c. quæ etsi videantur ad Philosophiam spectare, tamen longa jam consuetudine hanc materiam præscribere Theologi, ex eo etiam titulo, quod doctrina de Angelis, ut plurimum, naturæ principii fidei, aut Theologie, & ex sola ratione naturali exacte hauriri non possit.

QUÆSTIO I.

De Existentia, & Natura Angelorum.

ARTICULUS I.

An Angeli existant.

3. Per Angelum, ut dictum, intelligimus antonomastice substantiam creatam, intellectualem, spirituales, completam, hoc est, substantiam quandam, à DEO productam, intellectualem, & consequenter etiam voluntate, præditam, omnis corporis, etiam tenuissimi, expertem, quæ non sit ordinata ad constituendum cum corpore aliquo compositum, velut anima hominis ordinatur ad corpus, & faciendum cum isto compositum humanum: ex quo ipso capite Angelus, utpote spiritus purus, atque completus, animâ humanâ superior est, habetque naturam altiore, & DEO similiorem: quamvis quoad gratiam aliquando ab homine, e. g. B. Virgine, excedatur.

4. Dico 1. Angeli defecto existunt; consequenter etiam possibles sunt. Conclusio est de fide contra Atheos, qui unâ cum DEO etiam alios spiritus negant: item contra quosdam Philosophos, relatos ab Aristotele 4. phys. t. 52. & Sadducæos, ut habetur Act. 23. v. 8. Prob. Matth. 18. v. 10. dicitur: Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris: innu-meris etiam aliis Scripturæ locis fit mentio Angelorum. Concilium Lateranense quoque C. Firmiter, de summa Trinitate sic habet: Sua omnipotentii virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam. Accedunt Patrum testimonia infinita, in omnibus eorum libris passim obvia.

5. Dico 2. Existentia Angelorum non potest ratione naturali demonstrari. ita Valentia tom. 1. disp. 4. q. 1. punct. 1. Arriagam tract. de Angel. disp. 1. sec. 1. cum pluribus aliis. Prob. Effectus mirabiles, superantes humanam potentiam, si sunt boni, & honesti, e. g. motus cœlorum, gubernatio entium materialium in bonum hominis, possunt adscribi DEO: si sunt mali, vel inordinati, e. g. in energumenis, possunt adscribi animabus separatis: ergo ex his effectibus non demonstrantur Angeli. Sed neque ex perfectione universi evidenter inferitur existentia Angelorum; quia sine istis tamen mundus fuisset sufficienter perfectus, & juxta normam voluntatis Divinae formaliter perfectissimus, etsi Angeli caruisset: materialiter autem perfectissimus mundus esse non debet; cum neque nunc talis sit. Dixi: demonstrari: an enim non possint Angeli naturali ratione probabiliter adstrui, multi Auctores non examinant. vide tamen Arriagam loc. cit. ubi rationem aliis efficaciorum putat esse desumptam ex mendacis energumenum, & magicis effectibus: quamquam nec istam dicat convincere; cum certum non sit.

fit, an non hæc omnia ab animabus separatis provenire valeant.

6. Quantus jam numerus Angelorum existat, dici non potest, ut etiam fatetur D. Dionys. de celesti Hierarchia c. 1. 4. ubi tamen addit, eos numero exsuperare corporea. Maximum esse, constat ex Danielis 7. v. 10. ubi dicitur: *Milia millium ministrabant ei, & decies millies centena milia assistebant ei.* Angelicus 1. p. q. 50. a. 3. in corp. ait: *Rationabile est, quod substantia immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales, quasi incomparabiliter.* hoc Valentia, Granadus, Molina, ita intelligunt, ut excedant omnem multitudinem specierum corporalium, non verò individuum, ut explicat etiam Cajetanus, & seipsum Angelicus q. 6. de potentia a. 6. in corp. dicens: *Substantia incorporea (sicut Dionysius dicit quarto capite celestis Hierarchie) omnem multitudinem materialium specierum transcendunt.* nam individua materialia, successivè existentia, itémque omnes arenæ maris, & pulveres terræ, utique Angelorum numerum excedunt. Quidam ex parabola boni Pastoris, relinquents nonaginta novem oves in deserto, & querentis unam perditam, inferunt, numerum Angelorum saltem nonaginta novem vicibus superare numerum hominum; cum per ovem illam natura humana intelligatur.

7. Ob. 1. contra 2. conclus. Mundus sine Angelis esset imperfectus, & consequenter dedecere DEUM creatorem: ergo evidenter debent dari Angeli. Confirm. 1. Effectus est imperfectus, nisi assimiletur suæ causæ, quantum potest: sed mundus absque Angelis non assimilaretur suæ causæ, sive DEO, quantum potest: ergo. Confirm. 2. Omne agens intendit se propagare, imprimendo effectibus similitudinem, quantum potest: ergo etiam DEUS: sed hic potest majorem similitudinem imprimere Angelis, quam aliis creaturis: ergo debet eam imprimere, & consequenter Angelos producere. Confirm. 3. S. August. de liber. arbitr. l. 3. c. 5. ait: *Quidquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, scias, fecisse DEUM.* ergo DEUS necessariò semper facit, quod est melius: sed melius est, in mundo esse Angelos: ergo.

8. Resp. disting. ant. mundus sine Angelis esset imperfectus negativè, seu materialiter minus perfectus. conc. ant. esset positivè imperfectus, neg. antec. & conf. Ratio hæc probaret, DEUM etiam debuisset producere unionem Hypostaticam. Ad 1. confir. dist. ma. effectus est imperfectus, nisi assimiletur ipsi causæ, neg. ma. nisi assimiletur ideæ, quam causa habet de ipso. conc. ma. & om. mi. neg. conf. Scriptio, quamvis sit effectus hominis, non debet habere maximam similitudinem cum homine, sed tantum cum idea, vel conceptu scribendi. Ad 2. confir. disting. antec. omne agens necessarium, & generans in similitudinem naturæ, intendit se ita propagare. conc. antec. etiam agens liberum. neg. antec. & conf. Ad 3. confir. S. Aug. illo cap. paulo superius hæc præmittit: *Cujus DEI profecto largissima bonitas justissime laudaretur, etiam si aliquo inferiori creaturæ gradu nos condidisset.* in forma dist. 1. conf. DEUS necessariò facit, quod est melius, hoc est, ad finem, hic, & nunc ab ipso intentum, convenientius, conc. conf. melius materialiter, neg.

conf. aliàs DEUS nihil potuisset producere, quam quod produxit; hoc enim esset melius, & ad istud fuisse necessitatis. hac de re plura tract. de Incarnat. ubi de necessitate Incarnationis,

9. Ob. 2. DEUS in omnibus operibus intendit necessariò suam gloriam: sed hunc finem obtinere non potest sine Angelis: ergo, prob. mi. Gloria est clara cum laude notitia: sed hæc non habetur sine Angelis; cum homo non cognoscat perfectè opera DEI: ergo. Confir. Mundus habet aptitudinem passivam, ut terminet cognitionem comprehensivam sui: ergo debet etiam dari potentia activa eliciendi eam cognitionem: atqui hæc non potest dari sine Angelis: ergo, prob. 1. conf. aliàs frustra daretur comprehensibilitas, sicut frustra daretur color, si non daretur oculus: mi. subsumpta non est dubia; quia humanus intellectus non est comprehensivus universi.

10. Resp. dist. ma. DEUS necessariò intendit aliquam gloriam. conc. ma. intendit omnem. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Posset DEUS producere creaturas adhuc magis comprehensivas mundi, & consequenter magis DEUM glorificantes, quam Angeli, non autem propterea debet: unde sufficere DEO potuisset laus ab hominibus. Imò quidam admittit, mundum potuisse creari absque omni creatura rationali: quo casu DEUS tantum habuisset gloriam latius sumptam, quam dare possent creaturæ irrationales. Ad confir. neg. conf. Non omnibus potentis passivis, formaliter talibus, correspondere debet potentia activa, actu existens: sufficit, si sit possibilis. Certè quodlibet ens habet potentiam recipiendi varias perfectiones, quas nunquam recipit, & consequenter per accidens caret hoc fine, licet non careat alio. Quare, etiamsi potentia passiva mundi ad terminandam comprehensionem sui non obtineret hunc suum finem, formaliter sumptum, tamen mundus, realiter sumptus, plurimos alios obtineret.

11. Ad prob. dist. illat. comprehensibilitas mundi daretur frustra per accidens, sicut potentia terminandi nobiliorem comprehensionem, quam habeant defacto Angeli. conc. illat. daretur frustra per se. neg. illat. mundo enim per accidens fuisset, si Angeli non fuissent creati, adeoque ipse à nulla creatura naturaliter comprehendi potuisset. Quod spectat ad colorem, vel iste habet alium finem, prudenter intendibilem, distinctum à visione, vel non: si primum, poterit dari sine oculo: si secundum, hæc ipsa est disparitas; quia utique mundus habet alium finem. e. g. ut creaturæ rationales serviant DEO, irrationales homini. Responderi potest 2. neg. mi. subsumptam. DEUS posset homini infundere species comprehensivas universi, quo casu comprehenderet mundum. Quod autem debeat dari creatura, cui naturaliter debeantur hæc species, unde demonstrabitur?

12. Petes: Quando Angeli creati sint. Resp. imprimis, non esse creatos ab æterno; nam etsi ommitteret possibilis creatura ab æterno, tamen nulla defacto ita producta est, ut habet Lateranense citatum n. 4. ubi dicitur *ab initio temporis* utraque creatura, spiritualis, & corporea condita. Quo verò tempore fuerint crea-

ti, videtur Moyses tacuisse; quia ejus intentio fuit, solum describere creationem mundi cor-porei, nisi dicamus, ut videtur S. Augustinus velle l. 11. de civit. DEI c. 9. § l. 2. super Genes. ad lit. c. 8. relatus à S. Thoma 1. p. q. 62. a. 3. arg. 1. Angelos in sacris Scripturis intelligi nomine cæli, aut lucis.

13. Molina, Zumel, & alii putant, esse de fide, quod non sint creati ante mundum corporeum; cum Lateranense dicat, simul creatam utramque naturam. Sed non videtur Concilium aliquid definire voluisse contra gravissimos Patres Gregor. Nazianzenum, Hieron. Damascenum, & Doctores Græcos, qui teste Angelico 1. p. q. 61. a. 3. ad 1. concorditer oppositum docent: *insuper illud simul, aut intelligi potest de similitate morali, quæ non tollitur intervallo brevissimo: aut significare potest idem, ac pariter, hoc est, tam unam, quam alteram, sicut intelligitur illud Ecclesiastici 18. v. 1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* probabilis tamen Concilium intelligitur de similitate omnimoda: unde communis est opinio cum S. Thoma loc. modo cit. in corp. quod Angeli non fuerint ante mundum corporeum creati, sed simul cum isto. Quod etiam videtur insinuari Jobi 38. v. 7. ubi aliquo modo dici videtur, quod DEUM, ponentem fundamenta terræ, laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii DEI, sive Angeli.

ARTICULUS II.

Quales sint Angeli.

14. Dico 1. Angeli sunt puri Spiritus. ita omnes cum S. Thoma 1. p. q. 50. a. 1. in corp. & sumitur ex Lateranensi cit. n. 4. ubi dicitur creatura spiritualis, distincta à creatura mixta, seu homine, ex corpore, & anima composito, de quo capitulo meretur videri Suarez de Angelis l. 1. c. 6. maxime à n. 9. § 10. ubi ait, saltem nostram assertionem sine temeritate negari non posse. Scriptura etiam sæpe Angelos vocat simpliciter Spiritus: & D. Dionys. de Divinis nominibus c. 4. sub initium loquens de Angelis, ut patet ex inferius dictis eodem capite, dicit: *Mente prædite sunt essentie... vitamque habent sempiternam... ab omni interitu, morte, materia, ortuque solute, ac libere.* Similia habent alii SS. PP. passim, quos vide apud Platelium. Sed neque est ulla ratio assignandi Angelis corpora, etiam tantum subtilissima, præsertim cum integra legio dæmonum in uno homine compenetrata fuisset legatur in Evangelio.

15. Dico 2. Angeli sunt penitus simplices, nullaque ratione compositi ex materia, ac forma. ita S. Thomas 1. p. q. 50. a. 2. in corp. & alii omnes. Prob. Nulla est necessitas adstruendi in ipsis ullam talem compositionem; neque etiam Angelus est substantia incompleta, ut anima rationalis, quæ tanquam forma exigit subiectum: sed est completa substantia, nullo modo ordinata ad corpus. Nota tamen, nos ab Angelis tantum excludere compositionem substantialem materiæ & formæ: non verò naturæ, & personæ, si personalitas sit aliquid positivum, minus excludimus compositionem accidentalem; quia Angelis, tanquam subiectis, uniuntur

cognitiones, & volitiones: minimè autem excludimus compositionem tantum metaphysicam ex genere, & differentia.

16. Dico 3. Angeli sunt immortales, & incorruptibiles, ita iterum S. Thomas 1. p. q. 50. a. 5. & omnes alii. Prob. ex D. Dionysio cit. n. 14. Dein Angeli non possunt destrui manente subiecto; quia non habent subiectum: ergo sunt incorruptibiles. Quod autem sint immortales, habetur, tum ex eodem D. Dionysio supra citato, tum ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. ubi definitur, animam humanam immortalem esse: consequenter magis erunt immortales Angeli: imò pro his militat, & efficacius, eadem rationes, quæ pro anima hominis; neque enim dependent à materia, neque habent ullum contrarium, exigens eorum destructionem, nec etiam pro bono universi: ergo exigunt semper conservari. Eadem immortalitas Angelorum adstruitur in Synodo VI. actione 11. in Epistola Sophronii circa medium, ubi dicitur: *Sic hominum anime permanent incorruptæ, sic Angeli immortales perseverant.*

17. Dico 4. Probabiliter aliqui saltem Angeli inter se specie differunt. ita S. Thomas 1. p. q. 50. a. 4. in corp. & defacto communis. Prob. Angeli habent valde diversam dignitatem, & diversa officia: ergo eam habent, vel ratione diversæ naturæ, adeoque hæc differunt specie: vel habent ratione gratiæ, & tunc iterum differunt specie; nam, ut S. Thomas 1. p. q. 62. a. 6. in corp. & Magister sententiarum l. 2. distinct. 3. § 2. ex Patribus inferit, gratia Angelis data fuit juxta proportionem naturalium, adeoque si diversa fuit in illis gratia, etiam naturalia in ipsis diversa sunt. Rursum SS. Patres Luciferum vocant cæteris perfectionem, & videntur intelligere perfectionem etiam quoad naturam. Sic S. Gregorius l. 32. moral. c. 18. ait, quod alios Angelos quasi vestem ad ornamentum suum habuerit; quod eorum claritatem transcendit, imò comparatione claritatis suæ obumbraverit, & obumbrando operuerit; quod cunctos scientiâ superarit &c. vide Suarez l. 1. de Angelis c. 12. Accedit ratio Magistri sententiarum loc. cit. sicut in corporibus datur multiplex differentia specifica, ita probabiliter etiam datur in spiritibus; neque enim ista minus, quam illa, servit ad pulchritudinem universi. Si autem aliqui Angeli specie differunt, saltem tres Hierarchia ita inter se differunt; quia istæ inter se officiis maximè diversæ sunt.

18. Numerantur autem Angelorum Chori, seu Ordines novem, sc. Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Dominationes, Virtutes, Throni, Cherubim, Seraphim: qui nominantur in Scripturis, ut ostendit S. Gregorius homil. 34. in Evangelia. Hi autem chori rediguntur in tres Hierarchias, quarum quilibet tres ordines complectitur, & suprema quidem Seraphim, Cherubim, Thronos: media Virtutes, Dominationes, & Potestates: infima Principatus, Archangelos, & Angelos. vide Suarez l. 1. c. 13. Licet autem inter hos ordines sit diversitas, non tantum nominis, sed etiam aliqua officii, & dignitatis, tamen quandoque alicui Angelo tribuitur in latiori significatione nomen ordinis, in quo non est: hoc tamen nil probat contra nos; nam sicut nomen Angeli tribuitur omnibus, licet an-

tonomaſticè ſit proprium infimo ordini, ita po- teſt etiam e.g. nomen Virtutis tribui alicui ex inferiore, vel etiam ſuperiore ordine: Sic SS. Mi- chaël, Gabriel, & Raphaël vocantur Archangeli, & tamen videtur eſſe ex altiore, non tantum Choro, ſed etiam Hierarchia. vide Suarez loc. cit.

19. Dico 5. Non tamen omnes Angeli diffe- runt ſpecie, ita contra Thomiſtas communius Scholaſtici, S. Bonavent. Albertus, Scotus, & alii apud Valentia tom. 1. diſp. 4. q. 1. pund. 3. Prob. Non repugnant Angeli, ſolo numero di- verſi, ut patebit ex objectionum ſolutione: ergo non debet dici ſine ratione, quod omnes produ- cti ſint ſpecie diverſi; cum in pluribus non eluceat ullum prædicatum ſpecie diverſum, ſal- tem nullum nobis ſit cognitum: ergo ſicut de corporeis dicimus, quod plura ſint ejuſdem ſpeciei; quia non apparet prædicatum ſpecie diverſum, ita quoque dicendum de ſpirituali- bus. Dein ſuppoſita jam multiplicatione ſpecie- rum, ordo individuorum ſimilium ſervit ad pulchritudinem univerſi, itemque ad ſocieta- tem, & amicitiam naturalem. Rurſus non vi- detur DEUS voluiſſe innumeratas Angelorum ſpecieſ totaliter à ſe abjicere, & damnare: ergo ex eadem ſpecie quidam Angeli ſunt damnati, alii verò ejuſdem ſpeciei ſunt ſervati. Ulteriùs plures Angeli conveniunt in officio, ordine &c. ergo probabiliter etiam in ſpecie. Plures con- gruentias vide apud Suarez l. 1. c. 15. neque ta- men certi quidquam in hac materia exſpectes.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

20. Ob. 1. contra primam concluſio- nem. Patres plures attribuunt Angelis corpora: ergo etiam nos debemus iſtis corpora tribuere. Conſir. in Synodo generali VII. adione quinta approbatur ſcriptum Joannis Epifcopi Theſſalonicensis, qui docuit, Angelos poſſe pingi: quia non eſſent incorporeales omnino, & inviſibiles, ſed ſubtiles corpore, aërei, atque ignei: ergo. Reſp. Eſt aliqui Patres olim, rebus adhuc obſcuris, ita ſen- ſiſſent, modò non amplius ita ſentirent. Sed & plerique pati poſſunt mitiorem expoſitionem.

21. S. Gregorius homil. 10. in Evangelia Angelum quidem vocat animal rationale: ſed per animal tantum videtur intelligere vivens; nam l. 4. Dialogorum c. 29. dæmones vocat incorporeos. S. Auguſt. l. 21. de civit. c. 10. & Epif. 250. ſub ſinem nihil abſolute aſſerit. A S. Baſilio l. de Spiritu S. ad Amphilocheum c. 16. Angeli quidem vocantur ignis: ſed addita limitatione immate- rialis, hoc eſt, metaphoricus, propter ſubtilita- tem nempe, & celeritatem.

22. Ad confir. nego conſeq. nam hæc Synodus non approbavit rationem Joannis illius, ſed tantum concluſionem, ſcilicet An- gelos poſſe pingi. Neque rationes, à priva- to præſertim auctore, & alata in Concilio, ſunt hujus definitiones, ut patet ex hoc ipſo Con- cilio, & in hac quæſtione; nam, cum le- ctus eſſet liber hujus ipſius Joannis, dixit Tha- raſius, præſul Conſtantinopolitanus: Oſtendit autem Pater, quòd Angeli pingere oporteat, quando circumſcribi poſſunt, & ut homines apparuerunt. Sacra Synodus dixit. Etiam Domi-

ne. En nulla approbatio rationis ſuperioris, illud autem: circumſcribi poſſunt: non ſignificat, eos habere quantitatem corporalem, ſed limitationem quoad locum: quod etiam ſpiritibus convenit.

23. Ob. 2. Gen. 6. v. 4. dicitur, quòd Filii DEI, ſeu Angeli, commixti ſint filiabus hominum, & genuerint gigantes: ergo fuere corporei. Reſp. per Filios DEI ibi non intelligi An- gelos, ſed Filios Seth, & Enos, qui dicti ſunt Filii DEI, eo quòd vigeret apud ipſos cultus veri DEI, cum Filia Cain mali genitoris dicerentur Filia hominum. Neque refert, Septuaginta Inter- pretes loco Filii DEI legere Angelii; nam & ho- mines in Scripturis vocantur Angeli, & uſitato etiam modo loquendi parvuli innocentes: imò vox hæc, ut dictum n. 1. ſignificat nuncium. Certè boni Angeli non potuerunt ita peccare: mali non ſunt Filii DEI: ergo non intelliguntur ibi veri Angeli. Quodſi aliquando operà dæ- monis incubi natus eſſet homo, vel aliud animal, id contigiffet medio ſemine, aliunde translato, de quo Delius in diſquiſ. mag. tom. 1. l. 2. q. 15. operà autem dæmonis luccubi non poſſet naſci animal, ut rectè Platelius p. 1. c. 6. n. 325.

24. Ob. 3. Dæmones ligantur, ut à Ra- phaël Tob. 8. v. 3. Angeli boni edunt, ut Tobie 12. v. 19. gaudent locis paluſtribus Job. 40. v. 16. fugantur ſono cytharæ, ut à Davide 1. Reg. 16. v. 23. item odore, ut incenſo jecore pilis Tob. 6. v. 19. cruciantur igne Matth. 25. v. 4. geſtantur in annulis; timent gladios, virgas, gal- los gallinaceos; gaudent nidoribus ſacrificiorum gentium &c. ergo debent habere corpora, Reſp. dæmones non ligari vinculis corporeis, ſed morali- bus, ſcilicet imperio DEI, & Angelorum San- ctorum. Comeltio Angelorum non eſt vera, & phyſica, ſed myſtica, & ſic Raphaël ait ad Tobiam c. 12. v. 19. Videbar quidem vobis cum manducare, & bibere, ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poſſet, utor. Per loca paluſtria intelliguntur myſticè animæ molles.

25. Sonus cytharæ, non phyſicè, ſed ali- quo modo moraliter, poſteſt pellere, ſeu impe- dire dæmonem; nempe diſſipando melancholi- am, quæ eſt diſpoſitio ad recipiendas, præſertim deſperabundas, dæmonis tentationes. Iteur in- cenſum, non naturaliter, ſed miraculoſè, fugavit dæmonem. Poena ignis infernalis eſt miraculo- ſa. Quòd adſit in annulis diabolus, ſit ex pacto ſuperſtitioſo: & qui probabitur, ad eſſe ſemper, pro omni inſtanti phyſico, quaſi in carcere? Ti- morem quandoque fingit dæmon ad demen- tandos magos, ne iſti ſibi timeant à diabolo.

26. Dices, Quomodo igitur ſapiffimè vi- ſibiliter apparent Angeli? Reſp. eos aſſumere corpora, & ſic verè apparere, non tantum ima- ginariè, ſeu tantum movendo ſpecies phantali- cas, & phantaſiam immutando: quanquam etiam ſic apparere poſſint, præſertim, ſi uni tantum vi- deantur, non aliis. Sic vera fuit apparitio S. Ra- phaëlis; quia fuit conſtans, & ab omnibus præ- ſentibus eodem modo percepta; neque enim credibile eſt, S. Angelum omnium obſortium phantaſiam immutaſſe. item verè apparuit dæ- moni Chriſto; quia non habuit poteſtatem in ejus phantaſiam. Corpora autem ordinariè non ſunt carnea, ſed ex aëre, aliisque corpusculis, efformata, ut figurà externà referrent corpora humana ſolida, & palpabilia.

27. Hæc tamen corpora Angeli non affu- munt, ut forma informans; hinc nequeunt vita- liter in illis operari: conſequenter nec poſſunt validè baptizare. Sed neque ea aſſumunt præciſè ut motor qualicumque, ſed ut motor repræſen- tatus per corpus aſſumptum: ad quod tria re- quiruntur: 1. ut Angelus ſit corpori intimè præ- ſens. 2. ut ſpeciali influxu dirigat, moveat, & contineat corpus, ne diſſolvatur. 3. ut in eo aliquid operetur, eoque utatur tanquam ſuo, ſive ad perſonam ſuam ſpecialiter repræſentan- dam. Quare, licet Angelus poſſit aſſumere etiam corpus vivum, exercendo in eo operationes, quæ non poſſunt attribui illi corpori, ſeu ani- mali, ut dæmon aſſumpſit corpus veri, & vivi ſerpentis, non tamen dicitur dæmon aſſumere corpus energumeni; quia non utitur eo corpore, tanquam proprio, ad ſpecialè ſui repræſentatio- nem, & dæmon de energumeno loquitur, tan- quam de perſona à ſe diſtincta: imò etiam ener- gumenus ſapiffimè loquitur in perſona propria.

28. Ob. 4. contra 3. concluſ. In Synodo VI. adione 11. ante verba à nobis citata n. 16. dicitur, Angelos eſſe immortales, non naturà, ſed gratià: ergo. Conſir. 1. Angelus nondum exiſtens non habet jus ad creationem: ergo etiam exiſtens non habet jus ad conſervationem, prob. conſeq. Nihil gratuitum gravat donantem: ergo prima productio gratuita non obligat DEUM ad conſervationem. Conſir. 2. Quòd natu- raliter alicui debetur, debet procedere ab intrin- ſeca ejus virtute: atqui conſervatio æterna non procedit ab intrinſeca virtute Angeli: ergo. Reſp. diſting. antec. dicitur, Angelos eſſe im- mortales, non naturà, hoc eſt, non eſſentialiter, ita, ut nec de abſoluta potentia poſſint deſtrui: ſed gratià, hoc eſt, beneficio creationis gratuito. conc. antec. gratià tantum ſupernaturali, neg. antec. & conſ. Concilium tantum vult, Ange- los non eſſe immortales eſſentialiter, ut DEUS, de quo 1. ad Tim. 6. v. 16. dicitur: Solus habet immortalitatem.

29. Ad 1. confir. neg. conſeq. ad prob. neg. antec. quia gratuita promiſſio gravat pro- mittentem: & ſic Angelus, gratuito accipiens creationem, accepit etiam gratuito jus ad con- ſervationem: ſicut gratuito accipiendo gratiam ſupernaturalem, accipimus jus ad beatitudi- nem. Ad 2. confir. neg. ma. Materia exigit naturaliter formam, quæ non poſteſt produci à materia intrinſeca virtute: quare tantum natura- lis eſt potentia paſſiva, exigens potentiam acti- vam, quæ poſſit ſatisfacere exigentiæ. Alias objectiones, quæ æquè pugnant contra immor- talitatem animæ rationalis, ſuppono ſolutas in Philoſophia: cumque potiſſimum eò tendant; quòd immortalitas animæ non ſit demonſtra- ta, nos autem hic præſcindamus, an immor- talitas Angelorum demonſtretur, an non, nobis objici nequeunt.

30. Ob. 5. contra 4. concluſ. S. Athanaſ. q. 8. ad Antiochum ait: Una eſt, & eadem eſſentia Angelorum, ſicut etiam una tantum eſt eſſentia ho- minum. Similia habent alii Patres apud Suarez de Ang. l. 1. c. 12. ergo. Reſp. 1. eum librum verofi- militer non eſſe S. Athanaſii, ſed alterius longè re- centioris, ut oſtendit Bellarminus de Script. Ec- cleſ. obſerv. in tom. 4. S. Athanaſii. Reſp. 2.

cum Eximio, eandem eſſe naturam Angelorum non in ſpecie infima, ſed ſubalterna. Ex eo au- tem, quòd homines in infima ſpecie conveni- ant, non debet etiam dici, Angelos ita conveni- re; quia inſtituitur quidem in citato textu pari- tas, aut comparatio cum natura humana, at- tamen propterea non debet eſſe ſimilitudo om- ninimoda. Sic etiam in Symbolo dicit idem S. Athanaſius: Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita DEUS, & homo unus eſt Chriſtus. Et tamen non eſt ſimilitudo omnimoda; non enim, ut anima, & caro, ita etiam DEUS, & ho- mo, conveniunt in unam naturam completam, ſed tantum in unam Perſonam. Loquantur ſci- licet PP. de Angelis, tanquam ejuſdem nature ſpiritibus; quia conveniunt in primà, & nobis præcipuè cognita, perfectione nature; ſcilicet in prædicato intellectivi ſpiritualis.

31. Ob. 6. contra 5. concluſ. Juxta Ari- ſtotelem, & D. Thomam differunt individuali- ter illa, quæ differunt materialiter, ſeu per or- dinem ad materiam, præſertim ſignatam certis accidentibus, & alia differunt ſpecie: ſed Ange- li, utpote ſpiritus completi, non differunt per ordinem ad materiam: ergo. Conſir. 1. Quæ non differunt per materiam, differunt per for- mam: atqui diverſitas formæ eſt diverſitas ſpe- cifica: ergo. Conſir. 2. Juxta nos non poſ- ſent Angeli ab invicem diſcerni, & conſequenter tolleretur omnis ordo, & communicatio inter Angelos: hoc admitti non poſteſt: ergo. Con- firm. 3. Ordo per ſe, ſeu ſpecificus, melior eſt; quam ordo per accidens, ſeu tantum individua- lis: ergo ille datur inter entia valde perfecta, ut ſunt Angeli.

32. Reſp. Differre materialiter eſt differre in prædicato non conſiderabili à ſcientiis: ſic re- ſpectu Matheſeos circulus aureus; ac ferreus differunt materialiter: & ſic etiam Angeli diffe- runt materialiter ratione prædicati individualis. Eodem modo exponi poſſunt S. Thomas, & Ari- ſtoteles. Certè Angelicus etiam in Angelis ad- mittit materialitatem; unde per hanc non intelli- git materiam phyſicam. Et quomodo indivi- dualiter inter ſe differunt cognitiones Angelicæ de eodem objecto? Si dicas, ſubſtantiam An- geli reſpectu cognitionum eſſe ſubjectum, & aliquo modo materiam, jam fateris, quòd non exigatur materia phyſica. Ulteriùs ſi ipſa parti- culari materia, quia ſunt ſubjectum, poſſunt indivi- dualiter inter ſe differre, cur non ſubſtan- tiæ ſpirituales? In forma neg. ma. vel ejus ſup- poſitum.

33. Ad 1. confir. diſt. ma. Quæ non differunt per materiam, differunt per formam, hoc eſt, per formalitatem hæccitatis, conc. ma. per formam, vel prædicatum pluribus commu- ne, aut ſpecificum. neg. ma. & diſt. ſic min. neg. conſeq. Ad 2. confir. neg. ma. In primis DE- US, comprehendens ipſam individuationem, non indiget alio diſtinctivo. Si hanc Angeli non diſcernunt, poſſunt diſcerni ex accidentibus ſpi- ritualibus diverſis, quæ æquè poſſunt dari, ac materialia, & ſimilia eſſe aliquo modo caracte- ri baptiſmali &c. Ad 3. confir. Cur non eti- am datur hic ordo inter homines? Sufficit itaque dari ordinem per ſe inter ſpecies: quanquam & hunc

hunc multi negent: cum plures species possint esse æque perfectæ. In forma vel neg. antec. quia melior est ordo mixtus ex specifico, & individuali: vel disting. ant. ordo per se est materialiter melior. om. ant. est formaliter melior. neg. ant. & conseq. Non debet autem DEUS semper intendere, aut facere, quod materialiter melius est.

QUÆSTIO II.

De Potentia locomotiva Angelorum.

ARTICULUS I.

Per quid, & quomodo Angelus sit in loco.

34. **C**onsentiant omnes, Angelum non esse in loco circumscriptivè, hoc est, vel ita, ut pars quæque Angeli correspondeat cuique parti spatii divisibilis, vel ita, ut superficies locati contingatur à superficie loci ambientis; nam utrumque, ut patet, non convenit Angelo indivisibili, & spirituali. At verò Angelus est in loco definitivè, hoc est, indivisibiliter in loco divisibili, & totus in toto, atque etiam totus in qualibet parte spatii, sicut scilicet anima humana est in corpore. Certè Angelus non est nullibi; nam, ut ait S. Augustinus de immortalitate anime c. 1. Quidquid est, nusquam esse non potest. Rursus Angelus dicitur esse in caelo Marci 13. v. 32. vel in sepulchro Christi Matth. 28. v. 2. Accedit, quòd entis creati limitatio non patitur, rem esse sine ubicatione, sicut nec sine duratione.

35. Dico. Angeli sunt in loco formaliter per entitatem modalem superadditam. ita Suarez l. 4. de Angelis c. 2. n. 4. Platelius, & alii, præsertim nostri, communiùs. Probatur eo modo, quo Philosophi probant, ubicationem corporum esse distinctam à corporibus; quia scilicet substantia Angeli est indifferens, ut hic, vel ibi sit. Neque afferri potest, tanquam determinativum, negatio distantia; cum explicari non possit, quid tandem negeretur, nisi ubicatione modalis, certa puncta imaginaria fixa, hac vel illa ratione, respiciens. Quod si afferas decretum DEI, afferes quidem causam locationis, aut loci, non verò formam actu dominantem locatum. Si pertinaciter contendere velis, per decretum DEI Angelum esse formaliter locatum, dic, cur non pariter murus per idem decretum sit formaliter albus sine albedine &c? Certè aliud reponere non poteris, quam quòd quidem denominationes aliquæ morales possint explicari per decretum DEI, ejusque certum modum tendendi, sed non denominationes physicae, & intrinsecæ: at talis denominatio physica etiam est esse hic, & non alibi.

36. Quidam dicunt, Angelum esse in loco per suam operationem: at hi non adstruunt formalem præsentiam, sed potius signum præsentia; ubi enim Angelus operatur, est præsens, saltem nisi operetur miraculosè. At verò Angelus etiam præsens esse potest, ubi non operatur; nec enim

operatur aliquid in cœlum empyreum; gratia enim fingit Cajetanus operationem, nobis incongnitam: quin etiam potest Angelus supernaturaliter operari, ubi non est: item potest naturaliter manens in eodem loco mutare operationem, e. g. si intra locum suum adæquatam moveat corpus sursum, atque deorsum. Insuper potest mutare locum non mutata operatione, e. g. si cum homine moveatur, & semper conferret in ipsum eandem piam inspirationem &c. Tandem, ut observat Vasquez, Angelus, movens cœlum, operatur motum in toto cœlo: non tamen ideo existit in toto cœlo; ergo.

37. Esparza l. 2. de Angelis q. 9. a. 4. vult, Angelum posse dici, physicè præsentem in loco per operationem; cum enim Angelus non possit approximari quantitativè, seu per contactum quantitatis, potest approximari loco, vel corpori per contactum virtutis, seu per applicationem potentia activæ, quatenus in loco corporeo extrinsecò aliquid operatur, & ratione hujus operationis habet specialem habitudinem ad locum, quæ dici potest locatio physica. Idem, saltem quoad substantiam, docet Platelius p. 1. c. 6. n. 338. & sic intelligi potest S. Damascenus, qui l. 1. de fide c. 17. ait, Angelum esse in loco: Propterea, quòd adest intelligibiliter, & operatur secundum suam naturam, ubi vox adest significat præsentiam formalem (quam Esparza loc. cit. vocat metaphysicam) vox operatur alteram physicam. Quidam dicunt, Angelum esse corpori præsentem per unionem physicam: sed gratis hoc dicitur: præterquam quòd nec continuativa, nec informativa unio esse potest; cum spiritus nequeat corpori continuari, nec substantia completa aliam informare.

38. Quæritur ulterius 1. An ubicatione Angeli sit spiritualis? Respondetur affirmativè; quod enim recipitur in puro spiritu, nec habet connexionem cum materia, aut quantitate, est juxta Philosophos spirituale. Ubi nota, ubicationem Angeli hunc non affigere loco extrinsecò; aliàs enim etiam ubicatione turris Academicæ eam affigeret aëri: consequenter hoc mutato, mutaret turris singulis instantibus locum extrinsecum, & intrinsecum, quod non est verisimile.

39. Potest tamen ubicatione Angeli esse divisibilis, ut docet Suarez de Angelis l. 4. c. 17. & Platelius p. 1. c. 6. n. 340. nam divisibile recipi potest in indivisibili; sic enim in anima rationali recipitur unio cum corpore, quæ est divisibilis; aliàs enim quovis instanti, quò homo nutritur, deberet produci unio animæ cum corpore, totaliter nova. Nec etiam repugnat divisibilitas enti spirituali; quia non probatur repugnantia: & ij, qui admittunt habitus intellectuales, distinctos à speciebus, admittunt, eos augeri per additionem gradus ad gradum. Neque hinc sequitur, Angelum non esse totum in qualibet parte spatii; si enim anima, quamvis unione divisibili unita, potest esse tota in qualibet parte corporis, poterit etiam Angelus ita esse in spatio. Nota tamen, sermonem hic esse de ubicatione in spatio divisibili; si enim hoc esset punctum indivisibile, non esset ratio, cur ubicatione divisibilis esset.

40. Quæritur 2. An Angelus possit esse in plu-

pluribus spatiis? Resp. distinguenda esse spatia. Aliud dicitur spatium adæquatam, sive commensuratum Angelo; quò perfectior enim Angelus est, eò majus spatium occupare potest; quantum autem hoc fit, Suarez l. 4. c. 11. n. 3. & Arriaga disp. 16. sect. 3. num. 13. ait, à nobis ignorari: nec inveni Auctorem, qui ausit determinare, quamvis diligenter quaesiverim. Aliud dicitur spatium inadæquatam, seu præter quod Angelus adhuc aliud occupare potest. Sic spatium adæquatam animæ humanæ est corpus humanum, quod, quantumvis magnum, intra limites tamen, naturæ humanæ præscriptos, ipsa totum occupare potest: inadæquatam est brachium. Jam quòd Angelus nequeat esse naturaliter in duobus locis adæquatis, est clarum; nam si esset in duobus, nullus esset adæquatus. Item clarum est, posse esse in duobus locis inadæquatis continuis; quia hi simul componunt unum adæquatam.

41. At verò nequit esse in duobus locis discontinuis, etiam tantum inadæquatis; sic enim esset replicatus: replicatio autem ex communiissima superat limitationem entis creati, quod non potest esse ita in loco, ut quasi à se ipso dividatur. Secundò, si Angelus posset simul esse in locis discontinuis, posset simul esse in caelo, & inferno, quod nemo facile credit. Tertio, Scripturæ sæpissimè dicunt, Angelos transisse ab uno loco ad alium, dæmonem perambulasse terram &c. ad quid autem transissent, si simul potuissent esse in utroque loco. Quando autem S. Gregorius Nazianz. & alii Patres videntur dicere, Angelos esse ubique, intelligendi sunt in sensu morali; quia scilicet propter summam velocitatem ubique in momento adesse possunt. Hac autem intelligenda sunt de præsentia formali; nam præsens suo modo per operationem potest esse Angelus in locis discontinuis; potest enim intra sphaeram sui loci adæquati operari in duobus extremitatibus, quin operetur in medio: imò hac ratione potest Angelus esse in nullo loco; quia potest nihil ad extra operari.

42. Quæritur 3. An Angelus necessario semper occupet totum suum spatium, vel an possit existere in loco tantum inadæquato. Negant Valentia, & Esparza. Melius affirmat Suarez de Angelis l. 4. c. 11. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 191. c. 2. n. 3. Sangallenses, Molina, Tannerus, Cajetanus, & alii. Prob. Nihil necessitat Angelum, ut totum locum occupet, & tota sua virtute producendi ubicationem sibi adæquatam utatur. Dein anima rationalis potest esse in loco, respectu sui inadæquato, ut in infante, pumilo, mutilo &c. quod autem ista facit necessario, ratione connexionis cum quantitate, potest Angelus facere liberè: nec est ratio negandi hanc libertatem Angelo, sicut nec libertatem civitatis, vel tardius de movendi: potestque hac potestas servire, ut ait Arriaga disp. 16. sect. 3. num. 19. ad varios fines, e. g. ut se occultet alteri Angelo, dum coarctando se, extra sphaeram activitatis alterius Angeli extrahitur: vel forte etiam, ut efficacius agere possit in passum, si non se extendat ad alia. Aliud est de DEO, qui non liberè, sed necessario est immensus. Confirmatur. Quando dæmon occupat corpus energumeni, vel quando assumit corpus humanum, ipsi minimè adæqua-

tum, non videtur esse extra illud corpus, ut recitè Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 191. c. 2. n. 3.

43. Videtur etiam, quòd Angelus possit se contrahere ad punctum indivisibile, ut affirmat Suarez de Angelis l. 4. c. 11. n. 34. quia substantia Angeli indivisibilis est, nec exigit extensionem. An autem propterea possit esse in spatio minori, & minori in infinitum, dubium est. Quidam negant possibilia semper minora, & minora puncta in infinitum. Alii, etiam admissa ea possibilitate, negant, Angelum posse semper minorem, & minorem ubicationem producere; nam etiam non quævis causa potest minora in infinitum producere. Alii, ut Platelius, Tannerus &c. admittunt, Angelum semper posse in minori, & minori in infinitum spatio existere. Nos hanc quæstionem, non valde utilem, indecisam relinquimus.

44. Quæritur 4. An plures Angeli possint simul esse in eodem loco? Resp. in primis, quæstionem esse de voce, an unus Angelus possit dici esse in altero, eoque quibusdam videatur, quòd continens, & contentum debeat habere situm corporeum. De re autem loquendo, negant Thomistæ, duos Angelos posse esse in eodem loco adæquato sub eadem ratione, hoc est, per eandem operationem, per quam ipsi præsentiam explicant; cum non possit dari duplex actio adæquata, vel totalis, respectu ejusdem effectus: at verò admittunt, posse esse sub diversa ratione, seu diversa operatione: e. g. bonus potest hominem allicere ad bonum, dum dæmon allicit ad malum.

45. Admittunt etiam, posse Angelos esse simul in loco inadæquato, seu per actionem inadæquatam; cum utique tanquam causæ inadæquatæ concurrere possint ad eundem effectum. Sed loquendo juxta nostram sententiam de præsentia Angeli, Resp. posse duos, imò plurimos simul esse in eodem loco adæquato; nam Marci 5. v. 9. dicitur, integram dæmonum legionem fuisse in unico homine: quis autem dicat singulos occupasse diversas corporis partes? Et si potuerunt esse in eodem loco cum anima rationali, imò cum corpore quanto, cur non secum ipsis, puris spiritibus? Potest quidem, ut habet Suarez de Angelis l. 4. c. 28. n. 9. Angelus superior inferiorum, etiam invitum, excludere loco: at non debet.

ARTICULUS II.

An, & quomodo Angeli possint moveri.

46. **D**ico 1. Certum est, Angelos posse moveri. ita communissima. Prob. Sacra Scripturæ sæpissimè Angelis motum adscribunt. Sic dicitur Luca 1. v. 28. ingressus Angelus. & v. 38. discessit ab illa Angelus, scilicet Gabriel à B. Virgine Matth. 8. v. 32. dicuntur dæmones ingressi porcos. Idem dicunt passim SS. PP. de quibus vide Platelium p. 1. c. 6. n. 341. Prob. etiam ratione. Angeli non sunt immensi, neque etiam totum universum adæquant, & tamen in variis locis adæquatis præfentes sunt: ergo moventur. Quando igitur S. Tho;

Thomas, & S. Augustinus videntur dicere, quod Angeli non propriè, sed tantum æquivoce moveantur; tantum volunt, eos non moveri, sicut moventur corpora, per contactum quantitativum, & divisionem mediæ, quod transeunt.

47. Alius autem est motus continuus, alius discretus: ille datur, quando per partes divisibiles paulatim spatium deseritur, non autem totum simul: hic datur, quando totum spatium simul deseritur. Motu isto nequeunt moveri corpora divisibilia; non enim possunt simul omnes partes transferri in novum spatium: at Angelus potest utroque motu moveri: continuo; quia licet ipse indivisibilis sit, tamen spatium divisibile est; unde potest producere successive novas ubicationes, quæ tam respondeant aliquibus partibus spatii prioris, quam aliquibus partibus spatii novi: discreto; quia, cum indivisibilis sit, & totus in qualibet parte spatii, quando acquirit etiam minimum spatium novum, jam ibi est totus: nec est ratio, cur debeat retinere partem spatii prioris; non enim datur in eo, ut in corporibus, distinctio partium, quæ faciat, ut una post alteram debeat transferri. Aliqui aliter motum discretum accipiunt, & per eum intelligunt motum, non transito medio, de quo paulò post.

48. Dico 2. Angeli possunt moveri instantaneè in alium locum adæquatam, ita plures. Prob. Angelus in instanti potest occupare locum adæquatam; nihil enim obest: sed neque aliquid obstat, quò minus in instanti cesset prior ubicatio: ergo in uno instanti potest moveri ad novum locum adæquatam contiguum, Hoc, ut patet ex dictis, fit motu discreto, non continuo; quia motus continuus in locum adæquatam dicit successionem plurium ubicationum, productarum, & destructarum, quæ in instanti dari non potest. Potest tamen Angelus in instanti moveri motu continuo in spatium adæquatam; quia potest aliquam novam partem spatii occupare in instanti. Si autem dicas, hunc motum esse tantum partialem continuum, eò quod non detur successio plurium ubicationum, nolo tecum de nomine litigare.

49. Quamvis autem motus continuus Angeli sit successivus, tamen est celerrimus, eò quod medium ei non resistat, & ipse perfectionis ingentis sit, minimasque morulas faciat. Motus autem discretus adhuc longè velocior est, ut patet: unde Platelius putat, eos hoc motu in quantumcumque parva temporis mora pluries totum orbem posse circuire. Et hinc SS. PP. Dionysius, Tertullianus, Hieron. Damascen. &c. dicunt, eos, ubicunque voluerint, momento adesse. Adde, Angelos perfectiores posse quoque celerius movere se, & alia etiam corpora; quia facilius vincunt resistantiam, quam corporibus translatis medium facit.

50. Dico 3. Angeli non possunt moveri de loco in locum, non transito medio. ita Suarez, & alii. Discrimen hæc faciunt plures inter medium communicans, & non communicans. Non communicans est, quod nullius extremi est pars: e. g. in linea tripalmari palmus medius est medium non communicans; quia nec primi, nec tertii palmi est pars. Communicans autem medium est pars utriusque extremi, totaliter sumpti: e. g. in linea, longa palmum, & dimi-

dium, si velis designare duos palmos integros, tunc palmus dimidius, qui est in medio, necessariò erit pars palmi primi, & etiam secundi. Hoc obiter indicato, ulterius, & magis notandum, conclusionem nostram loqui de præsentia formali Angeli, non de illa per operationem; quia potest unque Angelus operari in una extremitate spatii adæquati, & postea in altera, quin operetur in medio.

51. Prob. conclusio ex Suarez de Angelis l. 4. c. 19. n. 17. Possè esse in hoc spatio, & ita in remoto, non transito medio, est perfectio difficillimè perceptibilis: ergo, nisi efficaciter probetur, non debet tribui creaturæ; nam ideo etiam non tribuitur ipsi potentia simul existendi in locis discontinuis: atqui non probatur: ergo. Confirm. Si posset Angelus ita transilire medium parvum, non esset ratio, cur non posset ita transire etiam valde magnum, & spatium adæquato saltem æquale: hoc est nimium: ergo. Noto tamen hæc circa partes communicantes, vel circa medium communicans, quod etiam Angelus non possit transire ab una parte spatii ad alteram, non transita parte, vel medio communicante. Vel enim Angelus occupat totum spatium, vel non: si primum, tunc jam occupat etiam partem communicantem, & consequenter non transit ad alteram extremitatem; quin priùs fuerit in medio communicante: si secundum dicitur, seu, quod non occupet totum spatium, adeoque neque occupet partem medium communicantem, tunc tam parùm potest, eam non priùs occupatam, occupare alteram extremitatem, quàm parùm, si non esset medium, vel pars communicans, ut patet consideranti.

52. Dico 4. Angeli possunt etiam movere alia, à se distincta, ita omnes. Prob. ex Scripturis. *Daniel. 14. v. 35.* Angelus transtulit Habacuc in Babylonem. *Actor. 8. v. 39.* alius Angelus transtulit Philippum in Azotum: & in infinitis historiis referuntur dæmones, vel etiam Angeli boni, plures homines, vel alia, transtulisse, imò veritatem conclusionis agnovèrè Philosophi, & hinc intelligentias, seu Angelos, statuerunt motores cœlorum. Nec minus etiam Angeli possunt movere spiritus; quia, ut arguit Suarez, major est proportio inter duos Angelos, quoad motum, quàm inter Angelum, & corpus: & hinc perfectior potest movere imperfectiorem, etiam invitum. Certè est persuasio communis, dæmonem fortiorem pellere minus fortitem: imperfectior autem Angelus potest fortitem movere perfectiorem, sed non invitum.

53. Movent autem Angeli spiritus, producendo in ipsis motum: movent corpora, producendo in ipsis, vel motum, vel impulsum; hæc enim duo accidentia ex communi possunt Angeli producere ad extra. Non verò possunt Angeli producere substantias, aut accidentia alia, ut est communissima opinio; quia nulla est ratio eis tribuendi virtutem producendi substantias &c.; imò est ratio aliqua in contrarium; nam si possent substantias, aut accidentia omnia producere, possent etiam producere formam viventem, vel dispositiones requisitas ad formam, consequenter disponere corpus mortuum, ut naturaliter, vel anima deberet reuniri, vel alia produci: quod nemo

nemo admittit. Quare, quando videntur aliquid producere, id solum faciunt applicando activa passivis. Insuper, ut agere possint Angeli, vel in spiritum, vel in corpus, etiam applicati esse debent; cum actio in distans omni creaturæ impossibilis sit, quod ex Philosophia suppono.

QUÆSTIO III.

De Potentia Intellectiva Angelorum.

ARTICULUS I.

An Angeli indigeant speciebus ad cognoscenda objecta, & unde eas accipiant.

54. Dico 1. Angeli intelligunt. Conclusio est de fide; nam Scripturæ sapissimè inducunt Angelos loquentes, & aliorum dicta intelligentes, plurima sapienter ordinantes &c. Ratio etiam est clara; quia sunt substantiæ spirituales, completæ, viventes: sunt gubernatores cœlorum, custodes hominum, & præfecti provinciarum &c. quæ officia sine intellectu administrare non possent. Hinc etiam Philosophi gentiles Angelos dixerunt per antonomasiam *Intelligentias*.

55. Dico 2. Angeli ad cognoscendos se ipsos non indigent speciebus intelligibilibus, sed ipsa eorum substantia sufficienter objective concurrat ad producendam sui ipsorum cognitionem. ita S. Thomas 1. p. q. 56. a. 1. in corp. & alibi. Suarez de Angelis l. 2. c. 4. n. 7. Pallavicinus, Platelius, & alii plurimi, Prob. Species est tantum vicaria objecti: ergo, si adest ipsum objectum, & quidem intelligibile, ac per unionem, vel identitatem, applicatum potentie, non est necessaria species: atqui ita se habet substantia Angeli; nam est identificata intellectui Angelico, non minus, quàm anima rationalis intellectui humano, ut suppono ex Philosophia, inter nostros communi: itaque est intelligibilis; quia spiritualis: ergo. Confirm. Substantia Angeli ad se cognoscendam deberet juxta adversarios priùs producere speciem sui ipsius, quæ influeret in cognitionem: at non est ulla ratio, aut experientia, quod non possit eadem substantia immediate influere in ipsam cognitionem: ergo gratis dicitur, quod debeat fieri pluribus, quod potest fieri paucioribus.

Aliam rationem videre potes apud Pallavicinum l. 9. de Angelis a. 12. Quod autem anima rationalis unita corpori indigeat specie ad se ipsam cognoscendam, ratio est: quia adhuc immersa carni non potest quidquam spirituale in se intuitivè cognoscere, ut est evidens ab experientia: unde nec se ipsam intuitivè cognoscit, sed tantum abstractivè, seu in alio; hinc indiget speciebus alienis; neque enim objectum potest influere, & se solo juvare ad cognitionem abstractivam sui in alio, sed debet talis cognitio ab illo alio per species sibi proprias produci.

56. Dico 3. Angeli indigent speciebus impressis ad cognoscenda directè in se objecta, ita à se distincta, ut neque sint unita. ita Suarez, Pallavicinus, cum pluribus aliis. Dixi directè; nam

objecta, quæ Angeli possunt indirectè, in sua substantia, tanquam in medio cognoscere, possunt cognoscere sine speciebus; ut enim ipsa substantia sola sufficiens est ad cognitionem sui ipsius directam, ita etiam sufficit ad cognitionem indirectam, vel abstractivam aliorum, in se, seu in eadem substantia, tanquam in medio, ut patet consideranti. Et sic Angeli possunt DEUM indirectè, vel abstractivè cognoscere in seipsis sine speciebus impressis.

57. Conclusio autem de necessitate specierum ad directam aliorum cognitionem sic probatur. Angeli cognoscunt plurima objecta absentia: sed hæc non possunt cognoscere sine speciebus: ergo indigent speciebus. major est certa; nam id conceditur etiam hominibus. minor prob. Objectum absens non potest per se concurrere ad cognitionem: ergo debet concurrere per speciem vicariam sui. prob. ant. ex eo, quod repugnet naturaliter actio in distans, prob. etiam consequenter. Angelus non potest cognoscere sine concursu objecti; soli enim intellectui Divino ratione infinitæ perfectionis conceditur ut objectum, etsi non concurrat, cognoscere possit, modo cognoscibile sit: ergo.

58. Nec dicas cum Platelio, Angelum saltem sine speciebus posse cognoscere objecta præsentia; contra enim est: hæc ratione, ut unus Angelus alios, vel objecta quæcumque, possit cognoscere, deberet priùs vagari per omne cœlum, & terram, ut objecta ei præsentia fierent, vel intra sphaeram intellectivitatis ejus constituerentur, quod esset valde mirabile: aut debet admitti, quod habeat etiam species istorum objectorum, ita, ut, si non sit iis præsens, tamen ea cognoscere possit: at sic jam admittuntur species, & melius, ac uniformius, admittuntur etiam ad cognitionem præsentium præsertim, cum nulla sit ratio tribuendi objecto, nec mediare, nec immediate unito potentie intellectivæ, vim influendi in cognitionem. Confirm. Objecta plurima sunt materialia: ergo, ut ait Suarez, non videtur, quod ad eorum cognitionem sufficiat pura præsentia respectu intellectus creati, ad quem non est paritas ab intellectu Divino.

Jam ulterius quaeritur, unde Angelus has species sibi necessarias accipiat. Quidam volunt, quod ad præsentiam rei materialis, Angelus tanquam causa adæquata, producat speciem spirituales impressam in se ipso. Sed gratis conceditur Angelo hæc virtus, & contra S. Thomam, qui 1. p. q. 54. a. 4. in corp. Angelo negat intellectum agentem, & 1. p. q. 55. a. 2. ad 2. negat, Angelum posse à materialibus species abstrahere. Neque est paritas cum anima rationali; hæc enim, vel non est causa adæquata specierum intelligibilium impressarum, sed etiam concurrunt species phantasticæ: vel istæ saltem non sunt tantum præsentis, sed animæ mediare unitæ: quæ unio facit, ut spiritus possit pati, aut agere ratione objecti materialis, & aliàs non; anima enim non unita corpori non patitur ab illo, nec propter illud. Unde

59. Dico 4. Has species in ordine ad cognitionem sibi naturaliter pro tunc, seu pro illa temporis differentia debitas, Angelus habet à principio productionis sibi à DEO infusas, ita S. Thomas 1. p. q. 55. a. 2. in corp. Suarez, & alii plures.

plurimi. Prob. Angeli, ut habet S. Basilius *homil. in Psalm. 32. Non in infantili statuta sunt creati, deinde paulatim exercitati, atque perfecti*: hoc est, non sunt ut homines, qui ab infantia incipiunt, & crescunt in perfectam ætatem: sed simul, & semel perfecti sunt, ita, ut convenienter suæ naturæ statim possint operari: atque eorum præcipua operatio est intelligere: ergo statim ab initio possunt intelligere ea, quorum cognitio naturaliter pro tunc ipsis debetur: ergo debent statim habere species congenitas. Dixi in ordine ad cognitiones pro tunc naturaliter debitas: quanta autem notitia rerum possibilium, & forte etiam, quanta existentium debeatur, præsertim determinatè, incertum est, de quo videatur Arriaga *disp. 6. sec. 1. 2. § 3.* & Maltrius in *2. d. disp. 2. quæst. 6. n. 132. § 133.* Sed neque Angelus debet omnia entia, etiam aliquando exitura, cognoscere, antequam existant: & si etiam antea jam haberet species de illis, per eas non cognosceret res ut existentes; quia falleretur. Unde forte istæ species rerum futurarum, seu nondum existentium, tunc primum infunduntur à DEO, quando postea res existunt, ut admittit Suarez, Arriaga *loc. cit. sec. 2.* & alii.

60. Has species autem rerum, tum existentium, tum exiturarum, accipiunt Angeli à DEO; nam non potuerunt eas habere tanquam proprietates à sua essentia; quia hæc est indifferens ad hæc, vel alia objecta cognoscenda; Angelus enim est indifferens, ut coexistat his cælis, his Angelis, his creaturis, vel aliis, etiam specie diversis: consequenter non exigit hæc determinatè species præ aliis. Accedit, quod species se teneant ex parte objecti, & non tanquam proprietates ex parte potentia. Neque potuerunt eas habere ab objectis, quorum plurima, vel non existebant, vel saltem nimium distabant, aut erant materialia, à quibus Angelus non potest abstrahere species, ex S. Thoma *cit. n. 58.* Sed neque ipsa objecta materialia sunt apta ad producendas species in Angelis; nam hæc debent esse spirituales, & effectus spiritualis est supra ens materiale, si se solo agat, ut videtur per se clarum, & ab experientia notum: saltem non potest aliquid materiale agere in spiritu non unitum, ut dictum n. 58. atqui nihil materiale est unitum Angelo. Imò non potest probari, quod illud objectum possit producere species in Angelis: & consequenter hæc virtus merito negatur, atque universaliter productio specierum in Angelis DEO attribuitur.

61. Si autem objiceretur, quod omnis substantia possit sibi producere id, quod exigit ad suum statum perfectum, responderi deberet, id esse summè dubium, & ad summum verum de illo, quod substantia exigit determinatè, non verò de illo, quod tantum exigit indeterminatè; neque enim materia prima potest producere formam, indeterminatè sibi debitam: sed debet eam ab aliis causis accipere. Quare etiam sufficit, si Angelus species possit à DEO (nam alia causa assignari non potest) accipere, ita tamen, ut ratione exigentia, Angelo intrinsecè, DEUS eas producat, tanquam naturaliter illi debitas.

62. Dico 5. Angeli etiam habent species rememorativas, relictas ab actibus elicitis. Prob.

Boni, & mali Angeli meminerunt suarum cogitationum, ut patet ex plurimis historiis energumenorum: ergo. Hæc autem species non infunduntur à DEO, sed (ut etiam contingit in hominibus) relinquuntur ab actibus præviis; neque enim ad perfectionem Angeli connaturalem pertinet, statim habere species rememorativas, sicut neque pertinet, habere omnes cognitiones. Unde etiam in Angelis dantur habitus, in bonis virtutum, in malis vitiorum, sive hi stent in speciebus relictis, sive in qualitate superaddita speciebus, de quo Philosophi disputant.

63. Dico 6. Angeli perfectiores probabiliter habent infusæ species perfectiores, & universaliores, quam minus perfecti. ita S. Thomas *1. p. q. 55. a. 3. in corp.* Suarez de Angel. *l. 2. c. 15. § 16.* Granadus, & alii. Major autem perfectio specierum stat in hoc, quod in modo præsentandi, & in numero objectorum, excedant alias. Prob. conclus. Angeli se invicem maxime excedunt in facultate intelligendi; in hac enim præcipue consistit excellentia specifica Angelorum: excessus autem in hac facultate dicitur, vel cerrè exigit, perfectiores dicto modo species: ergo. Equidem potest dici, species Angelorum superiorum præsentare non plura objecta, sed eadem, atamen clarius, & sic esse perfectiores. Verum, ut rectè Suarez *cit. c. 15.* non tantum in hac qualicumque perfectione intelligendi excedunt Angeli, sed probabiliter etiam in altera, scilicet in cognitione plurium; nam, ut observat idem Eximius, Angelus superior magis ad DEUM (cui soli concessum omnia possibilis cognoscere) accedit in vi intellectiva, in qua stat excellentia Angelorum: ergo debet saltem plura cognoscere, quam inferior, consequenter habere species universaliores. Rursus, ut S. Thomas ait *loc. cit. in corp.* qui inter homines accidentaliter sapientiores sunt, cognoscunt in paucioribus, sed universalioribus principiis, longè plura, quam rudes, quibus omnia debent singillatim explicari: ergo à pari. Nec dicas cum Maltrio in *2. disp. 2. q. 7. n. 218.* principium habere connexionem cum pluribus, non autem speciem; nam est innegabile, eandem speciem posse plura objecta præsentare: adeoque ad plura cognoscenda fervire: consequenter perfectioribus Angelis, utpote majore intelligentia præditis, magis accommodatas esse.

64. Oppones. Angelus infimus per unicum speciem intelligit saltem unam integram naturam, e. g. equinam: ergo immediatè superior cognoscit saltem duas: consequenter, cum plures sint Angeli, quæ species rerum corporarum, erit Angelus, qui per unicum speciem cognoscat omnes naturas materiales, quod est incredibile. Confir. 1. Estet possibilis Angelus, qui cognoscat omnia, etiam à se distincta, imò etiam remota, absque omni specie, scilicet ille, qui esset perfectior, quam alius, qui per unicum speciem cognosceret omnes naturas materiales, & immateriales: sed nullus talis Angelus est possibilis; quia ista sine specie cognoscere est solius DEI: ergo. Confir. 2. Si secundus Angelus, immediatè perfectior primo, per unicum speciem cognoscat jam duas naturas integras, habebit duplo minus specierum, quam Angelus immediatè imperfectior: sed hoc est incredibile.

præsertim, si ascensus proportionaliter fiat: ergo.

65. Resp. neg. antec. quod non probatur; non enim species, saltem, quæ præsentant objecta existentia (quidquid sit de possibilibus) dicuntur universales in hoc sensu, quod confusè, & universaliter naturam præsentent, sed quod singularia plura, in quibus, & ex quibus naturas specificas communes Angeli agnoscat. Sufficit igitur, si unica species infimi Angeli præsentet plura individua, v. g. ut Suarez ait, decem, vel viginti; superioris verò species præsentet adhuc plura, sed non omnia existentia, aut exitura. Sic plurimi possunt aliis superiores esse, donec unus aliquis unica specie cognoscat omnia individua existentia, aut exitura, unius tantum naturæ specificæ. Dico, existentia, aut exitura; nam omnia tantum possibilis, cum ista sint infinita in quavis specie, non potest ullus Angelus cognoscere.

66. Angelus autem iterum perfectior poterit per unam speciem cognoscere naturam unam integram, & aliquot individua alterius naturæ; unde, cum Angelorum numerus sit finitus, nullus erit, qui omnes naturas materiales unica specie complectatur. Accedit, quod, in nostra sententia, respectivè pauci sint ordine specifico alii superiores; nam, vel sunt tantum tres classes, quot scilicet sunt Hierarchiæ, vel ad summum novem, quot sunt Chori Angelorum. Cerrè nullatenus omnes Angeli, sicut individualiter, ita etiam specie differunt: unde istud argumentum etiam ex hoc capite non habet vim. Ad 1. confir. Resp. hoc non sequi ex nostra assertione; nam nullus est defecto Angelus, qui per unicum speciem cognoscat omnes materiales naturas. Quid autem de absoluta Dei potentia dicendum, non spectat ad hanc quæstionem, quæ agit de existentibus: & potest DEUS in infinitum perfectiores Angelos producere, quin unus omnes naturas materiales per unicum speciem cognoscat; quia potest semper plura ex possibilibus cognoscere, quæ sunt syncategorematicè infinita. ita Granadus. In forma neg. ma. nam licet fors possibilis sit Angelus, qui unica specie cognoscat omnia individua existentia unius naturæ, tamen non est possibilis, qui cognoscat omnia possibilis: & sic, ut dictum, potest semper dari perfectior, seu universalior species, quin tamen una sit, quæ omnia prorsus præsentet: consequenter nunquam sequitur, possibilem fore Angelum, qui sine specie omnia cognoscat. Ad 2. confir. neg. suppositum maj. ex dictis.

ARTICULUS II.

Quenam objecta Angeli naturaliter cognoscere possint.

67. Dico 1. Angelus naturaliter potest cognoscere DEUM, seipsum, alios Angelos existentes, imò omnes substantias naturales, materiales, & spirituales existentes, ita communiter Authores. Prob. Horum omnium cognitio ex communi auctoritate (quæ in hac materia debet esse potissima ratione) spectat ad perfectionem intel-

lectus Angelici, humanum longè superantis: cumque Angelus sit ab omni materialitate exemptus, non est, quod eum impediatur ab eorum omnium cognitione, si applicare se velit; non enim dicimus, quod actu semper omnia cognoscat, sed tantum, quod possit. Accedit circa materialia, quod ista per motus cælorum, & hominum custodiam, Angeli gubernent; adeoque cognoscant.

Non tamen cognoscunt hæc objecta eodem modo; nam DEUM naturaliter non cognoscunt, nisi abstractivè, & per creaturas; quia, ut dictum tractatu de DEO n. 179. visio intuitiva DEI nulli creaturæ potest esse naturalis. Reliqua autem objecta Angeli possunt cognoscere intuitivè, saltem existentia, vel præsentia: & quidditivè; quia de omnibus habent species proprias, & per has objecta conceptu proprio, prout in se sunt, cognoscunt, etiam Angelos superiores; quia etiam isti, utpote entia naturalia, atque finita, sunt objecta proportionata intellectui Angelico: quamvis forte inferior non comprehendat superiorem, de quo fusè Suarez de Angelis *l. 2. c. 31. n. 10.*

68. Dico 2. Angeli possunt cognoscere præterita, & futura, præsentia, & distantia. Probat. Ista cognoscunt etiam homines: ergo magis Angeli, qui habent species de his omnibus, intellige autem futura necessaria, seu necessariam connexionem habentia cum causis naturalibus, quarum complexum, vim, & connexionem cum effectibus, Angeli comprehendunt; nam de futuris liberis infra agemus. Sic cognoscunt futuras eclipses solis, mutationes tempestatis &c. Hæc tamen futura, cum sint absolutè à DEO impeditibilia, cognoscunt naturaliter tantum certitudine physica: & quidem tunc tantum, si causæ non sint valdè abstractæ, & tempore non adeò longo concurrant; quod enim fiant Angeli, quot e. g. per annos mille concurrant sint nubes, aut quot sint casus pluviae, vel roris guttæ, negat Platelius. Quod autem objectum præteritum non amplius, & futurum nondum sit, non obest; quia influxus, præcisè intentionalis, non exigit præsentiam, vel existentiam causæ, ut patet in nostris cognitionibus: applicatio autem, ne scilicet dicatur dari actio in distans, fit per ipsam speciem intimè junctam potentia intellectiva.

69. Dico 3. Angeli possunt cognoscere singularia, & universalis, plura confusè, vel etiam distinctè. Prob. Nos hæc omnia cognoscimus: ergo. Dein Angeli cognoscunt operationes alicujus certi hominis, e. g. sui clientis, gubernant singulos, loquuntur singularibus, movent singularia, hortantur ad singularia &c. ergo eadem cognoscunt. Ex eadem ratione cognoscunt multitudinem, seu plures ut plures, atque distinctè. Possunt etiam in quibusdam rebus facere universalis, præsertim in possibilibus; hæc enim, cum sint infinita, non possunt ab Angelis distinctè omnia cognosci; quia nulli creaturæ præ concessum est, naturaliter infinita cognoscere: imò multi negant, talem cognitionem etiam Christo Domino supernaturaliter concedi potuisse. Possunt autem Angeli cognoscere singularia per species universales; si enim nos possunt uti speciebus nostris phantasticis, plura præsentant.

tantibus, ita, ut nos convertamus ad unicum tantum obiectum ex pluribus representatis considerandum, etiam Angeli pro libitu suis speciebus ita uti poterant: & qui hoc impugnant, ad summum probant, quod, dum voluntas liberè talem speciem universalem excitare vult, in ordine ad cognitionem tantum unius, & debet intellectus prius confusè cognoscere illius speciei universalitatem, seu quod plura representet.

70. Dico 4. Angeli naturaliter absque revelatione non cognoscunt evidentè supernaturalia quoad substantiam. ita S. Thomas 1. p. q. 57. a. 5. in corp. & communis. Prob. Ista transcendunt omnem ordinem naturæ: ergo intellectus naturaliter non se extendit ad ea evidentè cognoscenda. Confirm. Etiam species istorum obiectorum sunt supernaturales: ergo non debentur intellectui creato: adeoque non habet Angelus potentiam completam ista cognoscendi. Dixi tamen evidentè; nam, prout ait Suarez de Angelis l. 2. c. 29. n. 23. potest dici sine inconvenientia, quod Angelus per probabilem conjecturam possit cognoscere aliquid supernaturaliter possibile, vel fortè etiam existens.

71. Dixi secundò supernaturalia quoad substantiam; quia etiam in se naturalia, & tantum supernaturalia quoad modum, Angelus naturaliter potest cognoscere. Sic cognovit utique Lazarum, quamvis supernaturaliter resuscitatum. Ubi tamen addendum, Angelum in tali casu posse quidem cognoscere rem, sed non modum, si hic intrinsecè supernaturalis sit: si autem modus sit tantum supernaturalis in hoc sensu, quod superet vires causarum secundarum, non verò DEI, naturaliter operantis, tunc potest ab Angelo cognosci; quia talis modus est adhuc intrinsecè naturalis.

72. Sic ait Suarez de Angel. l. 2. c. 30. n. 6. § 7. quod, si conversio aquæ in vinum, in Cana Galilææ, facta sit per generationem vini, & corruptionem aquæ, mediis dispositionibus naturalibus, sufficientibus ad introductionem unius, & expulsionem alterius formæ, licet in momento factam, potuerit eam generationem Angelus naturaliter evidentè cognoscere; quia est naturali lumine cognoscibile, quod DEUS majori celebritate possit facere aliquid, quam creaturæ. An autem conversio illa ita facta fuerit, nescimus. Sic Eximius ibidem n. 18. docet, replicationem corporis circumscriptivam posse evidentè cognosci ab Angelis; quia utraque ubicatio, in eodem corpore recepta, intrinsecè naturalis est, quamvis à solo DEO simul poni possit, & sub ista ratione aliquo modo extrinsecè supernaturalis sit.

73. Si autem modus intrinsecè supernaturalis sit, ab Angelo, ut dictum, evidentè cognosci non potest, ex eadem ratione, ex qua non possunt cognosci alia entia supernaturalia: unde in tali casu Angelus cognoscat quidem rem existentem, sed de modo dubitabit. Talis modus est S. Thomæ, Thomistis, Suarez, & aliis, est modus existendi Christi in Eucharistia, seu ubi recte ponitur Christus, totum in tota hostia, & totum in quolibet eius parte, de qua refusè Suarez disp. 48. de Eucharistia sec. 1. Quare, ut idem Eximius ait, Angelus naturaliter non videt Christum in Eucharistia, sed tantum in cælo. Si au-

tem, Christus nullibi esset, nisi in Eucharistia, videret quidem eum, sed non videret ubi esset: quod non est absurdum in visione intellectuali (quidquid sit de corporali) nam sic sæpe videmus, hoc est, cognoscimus, rem esse, sed non, ubi sit. Pariter Angelus naturaliter videt Christum, sed non unionem hypostaticam.

74. Dico 5. Angeli naturaliter non possunt certò cognoscere futura strictè contingentia, hoc est, quæ ab agente libero mediatè, vel immediatè dependent. Conclusio est de fide, & sumitur ex Isaia 41. v. 23. ubi præscientia ista adducitur tanquam manifestum Deitatis indicium, adeoque soli DEO competens: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & scietis me, quia Dñs estis vos, & c. 46. v. 9. Ego sum DEUS, & non est ultra DEUS, nec est similis mei, annuncians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt, dicens.* Ratio etiam est; quia non possunt Angeli cognoscere ista in se ipsis; hoc enim est tantum intellectus infiniti: neque in causis; quia ista non habent connexionem certam cum effectibus contingentibus. Possunt tamen Angeli talia futura sæpe cognoscere probabiliter in causis contingentibus quidem, sed ob varias circumstantias verosimilitudinis ad hoc, quam ad aliud se determinatur, e. g. in hominis moribus, aliisque antecedentibus, consequentibus &c.

75. Dico 6. Angeli naturaliter non possunt cognoscere secreta cordium, seu actus liberos aliorum, etiam quando existunt, absque elicentium consensu. ita contra Scotistas (qui bustamen dissentiant Faber, & Pontius apud Martium in 2. disp. 2. q. 8. a. 1. num. 237.) communis simè alii; ipsi autem Scotistæ negant quidem, Angelos defacto secreta hæc cognoscere; at afferunt, quod cognoscere possent, si non impedirentur. Prob. conclusio. 3. Reg. 8. v. 39. dicitur: *Tu nō nisi solus cor omnium sitorum hominum.* Jerem. 17. v. 9. § 10. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes:* in quem locum S. Hieron. ait: *Nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus DEUS.* Ne autem dicas, S. Patrem tantum docere, neminem cognoscere, non autem, neminem posse cognoscere, post pauca addit: *Nuliquis potest videre cogitationes eorum, nisi solus DEUS.* S. Ambrosius l. 5. in Luc. c. 5. v. 22. ait: *Dominus autem salvos volens facere peccatores, & oculorum cognitione DEUM se esse demonstrat, & admiratione factorum.* Licet autem textus hi, & similes, videantur loqui de secretis cordis humani, rectè tamen adducuntur etiam circa secreta Angelorum; nam par est ratio de utrisque.

76. Ratio autem est imprimis negativa; quia gratis tribuitur Angelis tanta intellectivitas, ut etiam secretos actus cordis, quæ tales, & in circumstantiis, in quibus eliciens eos vult celari, penetrare possint: itémque gratis dicitur, quod de actibus liberis habeant species; quia probari nullatenus potest, quod ipsis debeantur, aut cognitiones, aut species actuum liberorum, seu secretorum, independentè à volitione, vel concessione elicientis illos actus: sicut etiam probari non potest, quod Angelo pro omnibus circumstantiis debeatur notitia omnium rerum quomodocumque naturalium; quod enim debeatur Angelo valde ampla scientia plurimarum, vel fere omni-

omnium rerum naturalium, potissimum probatur autoritate; quæ, cum longè communius neget cognitionem tam amplam, ut completatur etiam notitia secretorum cordis, utique merito negatur hæc Angelo debita esse.

77. Confir. 1. Naturæ intellectuali debetur dominium in actus suos liberos perfectum, & expeditum ab omni impedimento, non tantum physico, sed etiam morali: sed, si Angeli naturaliter cognoscerent secreta cordium, tale dominium non haberetur; nam utique foret impedimentum magnum, si actus illi, vel secreta, non possent celari; quia plures tunc non audent eos elicere: ergo. Confirm. 2. Regimen politicum, & commercium, quale etiam est inter Angelos, exigit, ut non omnia sint manifesta: ergo. Confirm. 3. Si dæmones naturaliter scirent omnia secreta cordis humani, possent plurimum nocere hominibus: ergo debent ista illis esse occulta; aliàs hominum conditio esset miserabilis.

Responderi quidem potest, DEUM in dæmonibus hanc notitiam impedire. Sed hoc non satis convenienter dicitur; nam sic deberet DEUS facere quasi continuò miracula, impediendo causam secundam à suo effectu. Equidem non est dubium, quod DEUS dæmones sæpe immediatè ab effectibus, aliàs naturaliter possibilibus. Verum in illis casibus positivè probatur gravibus rationibus, quod effectus illi possent aliàs à dæmonibus produci: at in nostro casu multiplicarentur miracula sine necessitate. Neque tantum DEUS inferret dæmonibus quamcumque violentiam, qualem inferit aquæ; eam calefaciendo, sed faceret miraculum tantum, quantum, si ignem, ritè applicatum materiam combustibili, non sineret urere; quia id faceret ad nullius creaturæ exigentiam naturalem. Quare convenienter dicitur, dæmonibus naturaliter eam notitiam non esse debitam.

78. Addendum, non posse naturaliter ab Angelis cognosci etiam illa, ex quorum cognitione veniret in notitiam actuum liberorum, ut patet consideranti: Hinc naturaliter non possunt cognoscere species, vel habitus, ex actibus iis relictos: neque actus intellectus, etsi non sint immediatè liberi; tum quia horum occultatio est maximè necessaria ad celandos actus liberos: tum quia, ut ait Suarez de Angelis l. 2. c. 25. n. 9. sunt quasi pars ipsius usus libertatis, & radix, ac regula, atque mensura ipsius: neque tantum sunt quomodocumque imperati à libertate, sicut actus exteriores, ambulatio, scriptio &c. quæ utique naturaliter ab Angelis cognoscuntur.

79. Sanè etiam actus intellectus veniunt nomine secretorum cordis; cum in Scripturis cor etiam intellectum significet. Ad Rom. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam.* 3. Reg. 3. v. 9. *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit &c.* Item Christo tanquam signum Divinitatis ipsius in Evangelio tribuitur notitia cogitationum: quæ tanquam prærogativa soli DEO debita assertur ad Hebr. 4. v. 12. *Discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Hinc etiam S. Augustinus in illud psalmi 7. v. 10. *Scrutans corda, & renes DEUS:* ait: *Videns omnium cogitationes, quæ nomine cordis significat*

sunt, & delectationes, quæ nomine reum intelliguntur.

80. Quæres 1. An Angeli etiam habeant cognitiones discursivas. Resp. posse eos discurrere circa ea, quæ non cognoscunt intuitivè; & evidentè. Sic ex miraculis Christi per discursum potuerunt inferre Divinitatem Christi: circa illa verò, quæ intuitivè, & evidentè cognoscunt, non videntur discurrere, sed ea simplici intuitu comprehendere; quia hic modus cognoscendi simplicior, & perfectior, videtur eis congruentior: unde non ex aliis; sed in aliis ista cognoscunt: quæ sunt explicata tract. de DEO n. 320.

Quæres 2. An Angeli cognoscant componendo, hoc est, prius conferendo subjectum apprehensum cum prædicato apprehensò; & dein quasi componendo utramque apprehensionem in unum iudicium affirmativum, vel quasi distinguendo in negativum (dico quasi: quia actus iudicii realiter indivisibilis, etiam in homine, non est realiter compositus) Resp. Angelos ea, quæ per discursum, vel obscure, cognoscunt; posse componendo cognoscere; quia ab his non statim determinantur ad assensum simplicem: at verò ab iis, quæ intuitivè comprehendunt, statim determinantur ad assensum simplicem sine suspensione iudicii, aut compositione.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

81. Ob. 1. contra 2. conclus. Ex historiis habetur, dæmones ignorare, quid agant homines, & Luciferum ab aliis dæmonibus certiore reddi: ergo Angeli non possunt naturaliter omnia cognoscere. Confirm. Jobi 1. v. 7. dicit Satan: *Circumivi terram, & perambulavi eam:* atqui hoc fecit, ut omnia exploraret, & species acquireret: ergo non habuit de omnibus species, vi quatum omnia potuisset cognoscere: & idem dicendum de aliis Angelis. Resp. dist. conf. Angeli non possunt omnia cognoscere, si nolint se applicare, vel uti speciebus suis. conc. consequ. factus. neg. consequ. Non semper utuntur Angeli omnibus speciebus: imò fortè neque possunt simul omnibus uti; quia iuxta plures auctores excedit perfectionem Angeli simul omnia coexistentia cognoscere. Sed & DEUS dæmones sæpe impedit, ne omnia scire, & magis inde nocere possint. Ad confir. neg. mi. non enim hæc, scilicet alia de causa, id fecit, scilicet, ut ipse ageret, tentaret &c. cum in distans, aut nimiam distantiam agere nequeat. Accedit, quod scriptura in similibus locutionibus sæpe res proponat, quasi fierent, aut factæ essent humano modo: sic Genes. 11. v. 5. dicitur: *Descendit autem Dominus, ut videret civitates, & turrim.* item Genes. 18. v. 21. dicit DEUS: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.*

82. Ob. 2. contra 4. conclus. Angelus evidentè cognoscit, DEUM esse omnipotentem: ergo cognoscit evidentè, ipsum posse facere, quidquid non implicat: sed est evidens, quod supernaturalia non implicent: ergo. Confirm. Angelus evidentè cognoscit, DEUM posse plus facere,

facere, quam ipse possit cognoscere: sed ipse potest cognoscere omnia naturalia: ergo. Resp. om. 1. enthymemate neg. mi. subf. Non est evidens, an non omne producibile à DEO sit debitum alicui creaturæ, seu substantiæ ut quod. Ad confirm. neg. mi. quia Angelus nullatenus potest naturaliter cognoscere omnia possibilia naturalia, præsertim in alio universo.

83. Ob. 3. Angelus evidenter cognoscit, possibilem esse visionem beatificam: ergo aliquid supernaturale. prob. antec. Angelus evidenter cognoscit, quod omnis potentia possit circa suum objectum versari perfecte, seu intuitivè: atqui DEUS est objectum potentia rationalis, & ipsum intuitivè videre est ipsa visio beatifica: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. disting. mai. Angelus cognoscit, quod omnis potentia possit circa suum objectum versari aliquo modo perfecte. conc. ma. omni modo perfecte. neg. ma. & conc. min. neg. conf. Cur non dicunt adversarii, potentiam debere posse comprehendere suum objectum, adeoque etiam DEUM? Unde tantum potest intellectus creatus naturaliter versari circa DEUM aliqua cognitione, quæ est perfecta inter abstractivas: & hoc tantum cognoscit evidenter Angelus. Nec est major appetitus innatus creaturæ, quidquid sit de elicito. videri potest *tr. de DEO n. 181.*

84. Dices. Angelus beatus *A. videt etiam naturaliter*, Angelum B. esse beatum: ergo videt etiam beatitudinem: Confirm. Angelus potest se naturaliter reflectere supra suam visionem beatificam: ergo hanc naturaliter cognoscit. Resp. neg. antec. quod non probatur. Ad confirm. iterum neg. antec. Si Angelus se tantum naturaliter reflectit in illum actum, non potest evidenter meminisse, quod fuerit clara intuitio DEI, sed tantum, quod aliqua cognitio DEI: ferè sicut reflectimus nos in actus fidei, à nobis elicitos, nec tamen scimus, an fuerint supernaturales. Nec est imperceptibile, quod memoria cognitionis clarissimæ non sit clarissima, si species relictæ sint obscuræ, quales sunt, si quæ naturales relinquuntur à visione beatifica; nullæ enim species naturales possunt clarè, & evidenter repræsentare objectum supernaturale.

85. Ob. 4. Omne ens, quod existit, est naturale: ergo potest ab Angelo cognosci. Confirm. Angelus potest naturaliter cognoscere substantias naturales: ergo etiam accidentia supernaturalia. prob. conf. Substantiæ, saltem aliquæ, sunt perfectiores quibusdam accidentibus supernaturalibus: ergo Angelus, potens cognoscere perfectiora, poterit etiam cognoscere imperfectiora. Resp. neg. antec. cuius merito hic supponitur falsitas, quæ probanda esset in *tr. de Gratia*, si opus foret. Et quis dicat, unionem hypostaticam, gratiam sanctificantem, visionem beatificam &c. esse entia naturalia? Ad confirm. neg. conf. ad prob. om. antec. neg. conf. Ratio negandi est, quod accidentia ista, licet imperfectiora, tamen præcedunt ad ordinem substantiarum, quæ sunt naturalia: ergo etiam secreta cordium sunt imperfectiora substantiis, cum sint accidentia, & quædam esse naturalia: nec tamen possunt ab Angelo naturaliter cognosci: ergo ex eo, quod quis possit cognoscere aliquid perfectius, non

sequitur, quod etiam possit cognoscere omnino imperfectius, si hoc sit in alio ordine, vel ex alia causa occultum.

86. Ob. 5. Angelus viator evidenter potuit in se experiri, quod eliciat actus fidei, spei &c. sicut nos experimur in nobis: ergo vel hos cognovit intuitivè, & cognovit evidenter, esse supernaturales: vel non cognovit intuitivè, & saltem abstractivè, per discursum evidentem, cognovit, esse supernaturales. prob. 2. hoc membrum; (nam primum patet) Scit Angelus, quod, si hi actus essent naturales, eos posset cognoscere intuitivè: ergo, cum eos intuitivè non cognoscat, evidenter infert, eos esse supernaturales. Resp. neg. 2. membrum consequentis. Ad prob. dist. antec. scit Angelus, quod eos actus, si naturales essent, intuitivè cognosceret, si ipsi non occultarentur. conc. consequ. secus, neg. consequ. Itaque, si Angelus viator habuisset solam potentiam cognoscendi naturalem, nescivisset, an ij actus quoad intuitionem, vel etiam ultimam eorum differentiam, ei occultarentur, an verò essent ordinis superioris, ita ut eorum cognitio intuitiva ipsi non debeat.

87. Dices. Sic etiam nos de nocte non possemus evidenter cognoscere, quod non ad sit sol, sed deberemus dubitare, an non à DEO occultaretur: hoc est ridiculum: ergo. Resp. neg. ma. disparitas est; quia de nocte nulla est ratio dubitandi de absentia solis; cum naturaliter debeat abesse, & nulla ratio suadeat, illum adesse, vel quod DEUS aliquid faciat præter communem cursum rerum. At quando Angelus experitur quidem, adesse in se actum fidei: nec tamen eum cernit intuitivè, vel quoad ultimam differentiam, adesse ratio dubitandi, an non occultetur.

88. Potest enim Angelum latere ultima differentia; vel quia actus altioris est ordinis, vel quia à DEO occultatur: cumque occultationem, utpote negationem, non possit in se ipsa cognoscere: neque etiam actum ordinis altioris, non potest evidenter scire, ob quam causam se lateat actus. Insuper, cum DEUS, quamcunque ex his causis adhibeat, jam aliquid faciat præter communem cursum causarum naturalium in hoc universo, non amplius militatio, qualis militat pro absentia solis in casu objectionis, sed neque Angelo physicè evidens est, DEUM nullam habere causam abscondendi actum naturalem; cum non sciat omnia; quæ DEUS scit. Quare ad summum, cum nullam certam agnoscat rationem abscondendi actum, potest probabiliter inferre, actum illum esse potius supernaturalem absconditum.

89. Ob. 6. Angelus evidenter cognoscit, humanitatem Christi carere propria substantia: ergo potest inferre, humanitatem illam esse unitam DEO. prob. consequ. Non potest humanitas esse sine omni substantia, nec alia, quam Divina, potest ejus defectum supplere: ergo. Resp. Si substantia est aliquid negativum; ut multi nobiscum defendunt, non cognoscit naturaliter Angelus, humanitatem eam carere; quia negationem in se videre non potest: in positivo autem contrario, scilicet unione hypostatica, etiam eam non videt: ergo. Si autem substantia sit aliquid positivum, tunc Angelus dubitabit, an

occultetur, vel omnino non detur, ex modo dictis. Imò fortè citius judicabit, occultari, propter difficultates mysterii Incarnationis, de quibus in proprio tractatu. Similiter dicendum de mysterio SS. Eucharistiæ, scilicet, Angelum naturaliter non scire evidenter, an adhuc adsit substantia panis sub accidentibus, & occultetur; an verò sit destructa: an accidentia illa habeant proprium modum subsistendi, sed occultatum; an non habeant; quia iterum utrumque est præter ordinarium cursum causarum in hoc universo, vide Suarez de Angelis l. 2. c. 29.

90. Ob. 7. contra 5. & 6. conclus. Patres, & Scripturæ, dicentes, solum DEUM cognoscere liberè futura, & secreta cordium, possunt exponi, quod DEUS solus cognoscat cognitione judiciaria, & omnino inimpedibili, atque profus ad omnia, etiam ad actus supernaturales, se extendente: ergo potest defendi, quod etiam Angeli naturaliter possint ista cognoscere, sed non ut iudices, nec inimpedibiliter, nec adeò universaliter. ita Mästrius, & Scotista. Resp. neg. antec. quia Scripturæ, & Patres simpliciter omnem notitiam naturalem secretorum tribuunt soli DEO, tanquam signum Divinitatis, & nunquam Angelis, quamvis sæpè nullam faciant mentionem cognitionis judiciariæ.

91. Et quamvis unus, aut alter Patrum addat, DEUM etiam Judicem esse, tamen non omnes hoc faciunt, & S. Hieron. *loc. cit. n. 75.* ubi ex textibus *Matth. 9. Luc. 5. & 11.* attributibus Christo scientiam cogitationum, seu secretorum cordis, probat ejus Divinitatem, nullam mentionem facit cognitionis judiciariæ: alii autem, licet eam mentionem faciant, non propterea tantum volunt ex utroque copulative Divinitatem probare, sed timorem DEI in hominibus auferre. Certè ex verbis Cyrilli, & Chrysostomi, citatis à Mästrio *disp. 2. de Angel. q. 8. a. 1. num. 233.* dicentibus, Christum solum esse Judæorum corda aspicere, cogitationes eorum examinare &c. nullo modo probatur, hos Patres voluisse dicere, Christum non probari fuisse DEUM ex eo, quod cogitationes Judæorum quacunque cognitione penetraverit: sed tantum ex eo, quod eas cognitione judiciaria cognoverit; hoc enim longè est à mente illorum Patrum.

Quamvis autem unus, aut alter, ex Patribus hanc ipsam secretorum notitiam in DEO probet ex eo, quod DEUS sit Judex, non sequitur, quod illa notitia sola non probet Divinitatem: Certè etiam Theologi communiter probant omnipotentiam, vel etiam æternitatem DEI, ex prædicato entis à se: & tamen utique sola omnipotentia, aut æternitas, est signum sufficiens Divinitatis. Adde, quod, si Christus non probasset sufficienter Divinitatem suam ex notitia secretorum cordis, eam neque sufficienter probasset ex cognitione judiciaria; quia hanc ipsam potestatem judicandi debuit probare ex ipsa secretorum cognitione; consequenter & Divinitatem, ut patet consideranti.

92. Dices. S. Gregorius l. 18. *moral. c. 27. & l. 25. moral. c. 7.* non aliam rationem, quare secreta cordium non videantur à nobis, assert, quam corpulentiam membrorum. Eandem

etiam adstruit S. Augustinus *enarrat. in psal. 41.* ergo. Resp. S. Aug. *loc. cit.* nil penitus habet ad rem, tantum dicit, interiora hominis per sensus non videri: nec plus dicit S. Greg. l. 25. *moral. at verò l. 18. c. 27.* sic ait: *Nunc autem corda, quamdiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur.* Sed his verbis non tantum dat rationem, quare non videantur, sed potius, cur luto includi dicantur. Superius quidem etiam dixerat: *Ibi (in cælo) quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet.* At hic textus contra Mästrium probat, quod saltem Angelus etiam non possit videre secreta cordis humani in hac vita: non enim dicit, quod corpulentia videtis, sed visis, non abscondat. Unde, modò homo videndus sit corpulentia circumdatus, videri non possent ejus secreta.

93. Dein S. Doctoris mens non est (ut observat S. Thomas *1. p. q. 107. a. 1. ad 1.* & etiam Suarez) assignare rationem adequatam: sed ad summum aliquam inadæquatam, & hominibus familiarem. Sed neque ejus intentio prima est, dare rationem, cur secreta cordis videri non possint, sed cur corpora Beatorum possint comparari vitro; cum in hac vita melius comparentur luto: & dicit, in cælo, propter dotem claritatis, omnem corporis, etiam interioriorem, harmoniam visum iri. Ait quidem etiam, mentem alterius non abscondendam corpulentia: an autem nunc ista solà abscondatur, neutiquam dicit.

94. Ob. 8. Ens naturale, consequenter naturaliter cognoscibile, debet habere intellectum creatum proportionatum ad illud cognoscendum: tale ens est quodlibet secretum cordis: ergo atqui si illus intellectus est proportionatus, tunc certè est intellectus Angelicus: ergo. Confirm. Libertas est extrinseca actui: ergo non videtur, quomodo actus possit ratione ipsius abscondi Angelo: Resp. posse omitti totum, Est Angelicus intellectus proportionatus, ut secreta cordis, quæ talia, cognoscit, sed non in omnibus circumstantiis, aut sine debitis conditionibus: sicut causæ creatæ possunt producere effectus naturales, sed non in omnibus circumstantiis, aut sine conditionibus, dispositionibus, applicatione &c. Hinc si eliciens actum consentiat, aut velit, eum fieri manifestum, tunc poterit sciri ab alio: secreta autem quæ talia, sufficit, ut sciantur à DEO, & ab ipso eliciente.

95. Ad confir. conc. antec. neg. consequ. Ipsa libertas, quamvis extrinseca, ponit tamen actum in talibus circumstantiis, in quibus eum Angelus non possit cognoscere, & facit, ut non habeat species de illo; cum enim notitia hujus actus ei non debeat, non est, cur habeat species, ut rectè Richardus, Suarez, Amicus, Haundus, & alii. Nec tamen propterea sunt Angeli, sicut infantes, nam isti nec præsentia, eaque apertissima, possunt dijudicare.

96. Dices 1. Angeli cognoscunt motus phantasiæ, & potentiarum externarum: sed ex his possunt inferre secretas cogitationes, & volitiones: ergo. Resp. Si quis motu externarum potentiarum sponte manifestet suam volitionem,

nem, non erit amplius secretum. Si autem sermo sit de quibusdam moribus phantasiæ, vel aliarum potentiarum, prævertentibus rationem, ex his naturaliter Angelus non potest certo cognoscere, an voluntas eos actus elegerit. Si verò esset aliquis actus phantasiæ e. g. necessariò refluxans ex aliquo secreto cordis, tunc etiam hunc Angelus non cognosceret ex n. 78.

97. Dices 2. Si Angeli non habent infusas species actuum liberorum, non possunt eas acquirere. Resp. neg. illat. probabilis enim infunduntur à DEO, quando debent posse cognosci illa secreta. Sicut enim species rerum, quarum cognitio Angelis debetur à principio creationis, etiam à principio creationis ipsis infunduntur: ita species earum rerum, quarum cognitio non debetur, nisi in certis circumstantiis, infunduntur in illis circumstantiis. Cur enim jam prius infundantur, & ab initio creationis sine necessitate, aut utilitate? Nec obijciatur paritas cum femine, quod vitam habet, antequam exerceat actus vitales; quia, nisi prius recepisset, causa secunda sapissimè non amplius adesset, quæ daret: & ad primam causam in ea quæstione confugere videtur Philosophis indecorum: at verò in quæstione de infusione specierum non est indecorum Theologis confugere ad DEUM, ut mox probabimus: & insuper DEUS semper adest respectu Angelorum. Neque sine his speciebus Angeli sunt sicut infantes; quia tamen habent potentiam cognoscendi perfectam eo in gradu, in quo tunc ipsis debetur: sicutque perfecti conveniuntur suæ naturæ. Unde circumstantiæ sunt conditiones requisitæ ad connaturalem earum specierum infusionem: & quidem respectu secretorum cordis circumstantia talis, vel conditio, est consensus elicientis: respectu strictè contingentium est existentia, & sufficiens applicatio ad ea.

98. Sicut autem non est absurdum recurrere ad DEUM in prima infusione specierum, ita neque in secunda; sapissimè enim debent species infundi à DEO ex n. 60. ergo convenientius videtur dici, quod semper ab eodem infundantur, maximè, cum incertum sit, an aliquod objectum possit producere speciem in Angelo, ut dictum eodem n. 60. Quod si tamen omnino velis, objecta spiritualia, sufficienter præsentia, posse producere species, transmittam saltem quoad illa objecta, de quibus Angelus non jam antecederet à DEO habet species infusas, qualia objecta essent de novo existentia, non antecederet cognita, vel secreta cordium &c. aliis autem gratis concederetur hæc virtus. Sicut etiam non possunt species in Angelo producere objecta materialia ex eodem n. 60. neque etiam spiritualia illa, de quibus superius, si sint absentia; quia agerent in distans: quæ actio non est impossibilis naturaliter, tantum ob resistentiam medii (nam e. g. aer non resistit luci, & tamen candela accensa non potest propagare lucem ad decem miliaria) sed etiam est impossibilis ratione limitationis potentie creatæ, quæ non potest agere, nisi intra certam spheram, extra quam non potest applicari per effectus intermedios.

99. Dices 3. Si Angeli non haberent species de actibus liberis, vel secretis cordium, non

possent eos cognoscere, ut possibiles: sed cognoscunt ut possibiles: ergo &c. Resp. Vel admittuntur in Angelis species representantes rem tantum ut possibilem, seu determinantes ad cognitionem rei tantum ut possibilem, diversam quoad modum tendendi à cognitione rei ut existentis, vel non. Si non admittuntur, tunc Angelus non cognoscunt secreta cordium ut possibilia in se ipsis, sed in causis actu existentibus vel in aliis secretis, seu actibus internis jam existentibus, & jam prius ex consensu elicientis cognitis: nec cognoscunt ea in individuo, & singulariter, sed confusè, & in specie; sicut ferè nos in homine potente amare cognoscimus actum amoris. Et sic videtur respondere Suarez, qui species habet negat de Angelis l. 2. c. 13. n. 10. & pro sua opinione negativa citat S. Thomam.

100. Si autem admittuntur tales species, saltem universales, representantes in seipsis possibilia, vel aliqua in individuo, vel consusè genera, & species rerum possibilem, ut admittere videtur Scotus, & alii; tunc Angelus poterunt cognoscere secreta cordium ut possibilia, quin eadem cognoscant existentia. Elige jam, quod placet. Si neges species illas, poterunt tamen cognosci illa secreta cordis, vel illi actus ut possibiles in causis, vel etiam in aliis actibus existentibus, ut supra dictum. Si autem concedas illas species; debes dicere, quod Angelo quidem debeantur species actuum liberorum, aut secretorum cordis, ut possibilem, non verò ut existentium. In forma neg. ma.

101. Ob. 9. Non obesset commercio Angelico, aut humano, si soli Angeli nossent secreta cordis: ergo ratio n. 77. est nulla. Confirm. 1. Melius esset, si daretur fenestra, à Momo desiderata, per quam hominis cor inspiceretur ergo etiam melius esset, si Angeli id inspicerent. Confirm. 2. Angeli boni debent nos gubernare, & illuminare: ergo debent scire cogitationes cordium. Confirm. 3. Dæmon multus revelavit, quæ in cordis secreto cogitabant: ergo naturaliter scivit. Resp. neg. antec. nam & dæmones nossent secreta, quod hominibus, uti & dæmonibus, sibi invicem inimicis, noceret, nisi DEUS per miraculum impediret, quod non dicitur convenienter ex eodem n. 77.

102. Ad 1. confirm. neg. ant. Abstraherent quidem aliqui à sceleribus, sed alii magis effronter peccarent ex desperatione, sicut multi peccant, etiamsi nôrint, id scire DEUM: deinde noceret id commercio humano. Ad 2. confirm. disting. conseq. Angeli boni debent cogitationes cordium scire supernaturaliter, omni conseq. naturaliter, & independentes quidem à nostro consensu, neg. conseq. Ad hoc, forte nec Beatos invicem videre secreta cordium, independentes ab eorum consensu; nam alius non haberet eorum locutio alium finem, quam locutio eorum cum DEO, quod vox dicendum. Ad 3. confirm. resp. Illa à dæmone revelata vel non fuerunt amplius secreta; quia signo aliquo externo manifestata: vel præcisè ex conjecturis divinando, veritatem dæmon attingit, qua in re est valde perspicax: vel tantum aliquam prævi- am apprehensionem ex speciebus phantasticis prævis necessariò ortam, & nullum exercitium liber-

libertatis determinatum post se trahentem dæmon inferre, & palam facere potuit, vel aliquando tantum amphibologicè loquendo homines decepti.

ARTICULUS IV.

Quomodo Angeli inter se, & cum aliis loquantur.

103. Dico. Angeli possunt loqui, ita omnes. Loqui autem est manifestare aliis suos conceptus, vel

saltem suos conceptus aliunde jam manifestos ordinare ad alios, in quo locutionem ponit D. Thomas 1. p. q. 107. a. 3. in corp. quanquam etiam istud sit aliquo modo manifestare suos conceptus secunda manifestatione; nam etiam, quando loquimur DEO, licet ipse jam antecederet sciat nostros conceptus, tamen eosdem etiam in nostra locutione cognoscit. Prob. conclusio. Zachar. 2. v. 3. dicitur: Ecce Angelus, qui loquebatur. Apoc. 7. v. 2. Exclamavit Angelus voce magna quatuor Angelis. Isa. 6. v. 3. de Seraphinis dicitur: Clamabant alter ad alterum, & dicebant: per clamorem autem intelligitur locutio, vel de re valde magna, vel cum magno affectu, quo conceptus suos manifestabant. Plurima alia locutionis Angelicæ exempla passim exhibent sacra Scriptura. Ratio etiam est. Sicut ordo, & politicum regimen, exigit, plurima esse secreta, ita etiam exigit, posse hæc manifestari: quod idem perunt amicitia, & societates, adeoque exigant locutionem: quæ, cum dentur etiam inter Angelos, isti quoque debent posse loqui, & sæpe etiam actu loqui inter se, & cum aliis.

104. Possunt autem Angeli loqui DEO, sicut nos ipsi loquimur, ordinando suos conceptus ad ipsum, & eo modo ipsi eos exhibendo, ut, si non aliunde eos sciret, in eorum locutione cognosceret: item possunt loqui hominibus, vel formando voces in aëre, vel exhibendo alia signa materialia, aut producendo, & commovendo in hominibus phantasia, dependenter à quibus oriuntur cognitiones certæ in homines: & sic custodes Angeli sæpe loquantur suis clientibus: item possunt loqui aliis Angelis, de quo mox.

105. Dico 2. Angeli possunt inter se loqui, exhibitis signis materialibus; nam etiam ista cognoscunt Angeli: consequenter, sicut per hæc hominibus, ita etiam aliis Angelis possunt conceptus suos manifestare. Pariter possunt loqui signis spiritualibus, prius ad certam significationem ad placitum determinatis: sed qualia ista esse debeant, difficulter potest assignari. Haunoldus assignat certam figuram, quam in se exprimat Angelus: e. g. occupando spatium rotundum, vel quadratum: sed cum Angelus non sit quantus, neque est propriè capax figuræ: figura autem spatii extrinseci materialis etiam ipsa est materialis. Quidquid de hoc sit, non videntur impossibilia aliqua talia signa spiritualia. Et sanè Angeli non fuissent futuri semper muti, quamvis nulla fuissent signa materialia: ergo tunc fuissent spiritualia. Præter hæc signa tamen debet admitti adhuc alius modus loquen-

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

di Angelorum; nam imprimis, ut signa instituerentur ab Angelis, ad certas significationes exprimendas, debuissent prius invicem loqui, nisi dicantur, ea signa edocti à DEO, ut primi nostri parentes primam linguam. Dein nec materialia, nec spiritualia signa sufficient, ut unus Angelus alteri soli loquatur; cum omnes illa cognoscant: ergo debent adhuc alio modo posse loqui.

106. Dico itaque 3. Angeli etiam possunt loqui per hoc, quod unus consentiat, vel velit, actum suum internum esse alteri manifestum, ita S. Thomas 1. p. q. 107. a. 1. in corp. quem plures sequuntur. Quando igitur Angelus fecerit cogitationem, vel volitionem elicit, ea manet tamdiu secreta, donec consentiat, vel velit, eam manifestari: posita ea voluntate, tollitur jus secreti, & DEUS producit in altero Angelo speciem illius conceptus, aut volitionis, quam cognoscens in se Angelus, cui alter loquitur, elicit cognitionem de volitione, vel conceptu Angeli loquentis. Prob. conclusio. Hæc opinio explicat facilius difficultates, quam aliæ sententiæ; nam facile sic potest capi, quomodo Angeli etiam absentes possint sibi invicem loqui; quia DEUS in quamlibet distantiam potest producere speciem: nec est absurdus hic ad DEUM recursus ex n. 98. Capitur etiam in hac sententia, quomodo unus Angelus possit loqui uni, & non alteri, vel tantum aliquibus; quia potest pro libitu suo velle, vel consentire, ut pluribus, vel paucioribus manifestetur suus conceptus.

107. Quæres hic, quid sit *Illuminatio Angelica*? Resp. esse speciem locutionis, de qua meminit D. Dionysius de cæl. Hierarchia c. 3. & claris c. 7. & qua Angeli superiores communicant, vel manifestant inferioribus certas quasdam sublimes notitias, à DEO, vel aliis Angelis, adhuc superioribus, acceptas. Non autem quavis locutio Angeli de quavis re dicitur illuminatio, ut rectè observat Angelicus 1. p. q. 107. a. 2. in corp. unde 1. p. q. 106. a. 3. in corp. idem S. Doctor negat, quod Angeli inferiores unquam illuminent superiores; quia DEUS in hac providentia non prius revelat illas notitias inferioribus, sed superioribus, & hunc ordinem non mutat: quamvis utique de absoluta potentia possit. vide Arriagam tract. de Angel. disp. 22. sec. 5. n. 24. ubi ait, etsi inferior Angelus aliquid revelaret superiori, quod hic prius non scivisset, tamen communiter non censeret illam revelationem esse illuminationem; quia illuminatio videtur ordinari ad dirigendum alterum in ordine ad ministerium suum bene exercendum: inferior autem non confert superiori talem notitiam directricem, sed iste hanc accipit à DEO, vel ab Angelo adhuc superiore. Dicunt autem Granadus, & Platelius, Angelos superiores elicere conceptum naturalem de veritatibus supernaturalibus, & hunc inferioribus manifestare, scilicet ferè sicut nos possumus de supernaturalibus elicere naturales etiam cognitiones, & magis voces, atque ita etiam conceptum naturalem ingenerare alii, e. g. gentili, qui prima vice audiens mysterium aliquod supernaturale, potest illud credere tantum fide humana; nam etiam hæretici tantum credunt fidè humana.

C

108.

108. Ob. 1. Juxta nos locutio Angeli est actus voluntatis: hoc est falsum: ergo. Resp. dist. mai. Locutio Angeli tantum esset actus voluntatis neg. mai. etiam esset. conc. mai. & dist. sic mi. neg. conseq. Locutio hominis quoque, seu allocutio, non est tantum prolatio vocum, sed directio earum ad alterum; nec enim alloquor omnem, qui audit verba à me prolata, sed illum solum, ad quem voces dirigo. Præter hanc voluntatem autem locutio Angeli involvit productionem speciei in altero Angelo, quam loquens saltem moraliter producit, quod sufficit; nec enim, ut ait Haunoldus, omnia scrupulosè requirenda sunt, quæ in locutione hominis reperiuntur; unde non, sicut homo physicè voces, ita Angelus debet physicè speciem producere; sufficit enim, si ostendatur modus, quo suos conceptus manifestet. Quòd autem Angelus loquens debeat reflexè aliquo modo velle suam volitionem, nihil est absurdum; quia hoc etiam debet admitti in humana allocutione: enim imò potest volitio in seipsam, tanquam in objectum inadæquatum, esse reflexa, ut patet in voluntate legislativa.

109. Ob. 2. Per modum loquendi, in tertia conclusione assertum non posset Angelus mentiri alteri: hoc est falsum: ergo. prob. ma. vel enim Angelus A. produceret sciens in se actum falsum, quem dein velle alteri manifestum: & hoc non potest; quia assertiretur falso ut falso: vel velle tantum, ut Angelus B. haberet speciem actus, quem Angelus A. non habet, & ut Angelus B. ob auctoritatem suam, id est Angeli A. assertiretur alicui falso e. g. quòd cras sit futurus dies iudicii: & non loqueretur contra mentem: neque etiam vi hujus volitionis produceretur in Angelo B. species actus falsi, sed tantum desiderii verè existentis. prob. etiam mi. superior 1. Soli DEO proprium est non posse mentiri, 2. Lucifer alios Angelos mendacio decepit, & vocatur Pater mendaciorum.

110. Resp. 1. om. ma. neg. mi. cum Platello, ac Granado. Modò Angelus possit mentiri hominibus, & Angelis, per alios modos loquendi e. g. per signa materialia, vel spiritualia, satis differt à DEO, ut patet. Dein, ut ait Arriaga, non debet Angelus Lucifer mentiri: sufficiebat proponere motiva, quibus ipse movebatur ad superbiam. Responderi potest 2. neg. ma. Angelus possit etiam, saltem minus strictè, mentiri per illum modum; species enim illa posset inducere Angelum B. minus eantum, ut assertiretur ipsi objecto falso: quo casu Angelus A. esset causa per se conceptus falsi: & sic aliquo modo mentiretur.

Nec dicas 1. Angelum B. non crediturum, eò quòd loquens tantum indirectè manifestaret objectum; cum posset directè. Resp. enim, etsi non crederet, tamen alter mentiretur, quod frequentissimè etiam accidit inter homines. Secundò, posset tamen contingere, ut alter crederet; cum nec inter homines semper requirantur manifestationes conceptuum firmissimæ; aliàs enim semper exigenterentur juramenta. Nec dicas 2. DEUM dedecere producere talem speciem in altero Angelo. Resp. enim neg. quia species hæc non esset positivè erronea, sed tantum occasio

accepta errandi, & quidem ex alterius determinatione posita: & hinc non dedeceret DEUM, ut auctorem naturæ, naturalium causarum existentia se se accommodare.

DISPUTATIO II.

De Gratia, & Lapsu Angelorum.

111. **S**upponit hæc disputatio, Angelos præditos non tantum intellectu (de quo præcedenti questione actum) sed libera quoque voluntate, de qua etiam nemo dubitare potest; nam, præterquam quòd inintelligibile videatur, creaturam rationis capacem, adeoque cognoscentem motiva contraria, bonum, & malum, tamen non habere potentiam bonum suum prosequendi, & amandi, vel malum fugiendi, & odio habendi: innumeris insuper Scripturæ locis Angeli dicuntur amasse, odisse, peccasse &c. quæ voluntatem, & quidem liberam, manifestè inferunt. Rectè tamen S. Thomas negat Angelis appetitus sensitivos, seu irascibilem, & concupiscibilem; cum enim careant corpore, etiam carent sensu. Supposita autem in Angelis voluntate, quaeritur, quomodo se liberè gesserint circa gratiam, eam merendo, vel conservando, aut amittendo.

QUESTIO I.

De Supernaturali Gratia Angelorum.

ARTICULUS I.

An Angeli in primo instanti se disposuerint ad primam gratiam.

112. **D**ico 1. Angeli omnes in primo instanti suæ creationis habuerunt gratiam sanctificantem. Ita S. Thomas 1. p. q. 62. a. 3. in corp. Suarez, Vasquez, & communior, contra quosdam antiquiores. Prob. Christus Joan. 8. v. 44. de diabolo dicit: *In veritate non stetit*: per veritatem autem intelligitur à PP. gratia: & non stetit isdem significat, ab ea prolapsus fuisse, seu eam perdidisse, sic enim ait S. Cyrillus l. 6. c. 6. in Joannem: *In veritate non stetit; quia prolapsus est à veritate, nec voluit manere in suæ originis sanctitate*: ergo etiam diabolus, adeoque multò magis Angeli boni, habuerunt gratiam: & quidem in primo instanti; nam in secundo mali peccarunt: consequenter, nisi in primo gratiam habuissent, eam amplius habere non potuissent.

113. Rursus Ezechielis 28. v. 11. *Esq. ubi propheta lapsus Regis Tyri describit, intelligitur juxta S. Augustinum l. 11. de civit. c. 11. S. Hieronymum, Ambrosium, & alios PP. ac communem interpretum, sub illo Rege Tyri Lucifer,*

An Angeli in primo instanti se disposuerint ad primam gratiam.

cifer, qui etiam Cherub vocatur, atque dicitur ornatus variis gemmis, *Perfectus decore in deliciis paradisi DEI*: & additur: *In medio lapidum ignitorum ambulasti: perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*: quem ornatum, perfectionem &c. de gratia plurimi interpretantur.

Accedunt SS. PP. Cyrillus cit. n. præced. S. August. lib. 12. de civit. c. 9. ubi ait: *Simul in eis Angelis & condens naturam, & largiens gratiam*: quanquam dein dubitet, an mali non acceperint minorem gratiam. S. Basilius homil. in psal. 32. de omnibus Angelis ait: *Angeli namque initio ut essent, verbum opifex omnium condidit, sanctificationem verò simul impendit ipsis Spiritus Sanctus*. Similia habent alii, quos exhibet Suarez. Confirm. Adamus statim in sua creatione accepit gratiam sanctificantem; quia creatus est in justitia originali, quæ includit gratiam sanctificantem, licet hæc brevi esset perditurus: ergo etiam probabilius Angeli eam acceperunt; nec enim videtur erga nobiliores creaturas DEUS fuisse in prima conditione parcior: quidquid sit de statu post lapsum.

114. Dico 2. Angeli per actus proprios se disposuerunt ad primam gratiam sanctificantem recipendam. Ita Cajetanus, Vasquez, Granadus, Haunoldus, Platellus, Sangallenses, Gonetus disp. 12. de Angelis a. 2. n. 30. & hoc teste, communiter Thomistæ: alii etiam communius. Prob. In hac providentia hominibus adultis non confertur gratia sanctificans absque eorum dispositione: ergo nec videtur Angelis data sine eorum dispositione, sed ejus colatio universaliter fuisse annexa propriæ dispositioni subjecti, si quidem hoc illius sit capax, uti sunt Angeli. Prob. 2. Angelis concedendum est, quòd gratiam receperint modo meliori, & perfectiori, si recipiatur dependenter à propria dispositione; quam sine ista: ergo. ma. redditur verosimilis ex eo, quòd iste modus etiam concedatur hominibus adultis, maximè, cum de his, ac de Angelis, quoad statum supernaturalem, fermè eodem modo loquamur.

115. Prob. mi. Perfectus est, cæteris paribus, cooperari ad suam perfectionem, quam tantum passivè se habere ad illam: sicut perfectius est habere gloriam, ut coronam ex meritis, quam tantum, ut hæreditatem sine illis: ergo. Dixi: *cæteris paribus*; quia Christo (ut docetur in tract. de Incarn.) data est gratia sanctificans ante omnem operationem, adeoque ante omne meritum; quia gratia accidentaliter jam erat debita gratiæ substantiali, seu unioni hypostaticæ; hæc autem dabatur antecedenter ad omnem operationem in Christo: & hic modus recipiendi gratiam sanctificantem antecedenter ad merita est utique perfectior; quia assert secum unionem Verbi.

116. Dices. Angeli non potuerunt in primo instanti elicere actus meritorios gratiæ: ergo non potuerunt gratiam mereri. Resp. neg. ant. Habuerunt Angeli in primo instanti totum actum primum proximum ad meritum, scilicet intellectum perspicacissimum, nec diuturna deliberatione opus habentem, item gratias actuales, & illustrationes supernas: ergo

potuerunt statim revelationi factæ per fidem assentiri, & simul elicere actum charitatis, quem probabiliter elicuerunt, ut vult Haunoldus, eò quòd sine isto non videatur in hac providentia conferri gratia extra Sacramenta. Hic actus fuit dispositio, vel meritum de congruo, ad gratiam sanctificantem, & probabiliter meritum de condigno ad gloriam.

117. Hinc in primo instanti omnes Angeli meriti sunt gloriam: at mali in secundo instanti eam denuò perdidit; quamvis enim DEUS statim in eodem primo instanti meritis rependerit gratiam (meritum enim præsupponitur ad præmium, non necessariò prioritate temporis, sed tantum prioritate naturæ) non tamen statim voluit dare gloriam, sed voluit, ut in bono perseverarent, sicut idem petit ab hominibus. Observa tamen, nos non dicere, quòd Angeli primam gratiam meriti sint de condigno, sed tantum, quòd ad eam se disposuerint de congruo; cum enim meritum de condigno involvat ipsam gratiam sanctificantem, & consequenter, sicut meritum de condigno, ita etiam ipsa gratia, tanquam ejus constitutum, debeat præsupponi ad præmium de condigno reddendum, non potest ante gratiam dari meritum de condigno.

118. Noto hic, merito correspondere duplex præmium, scilicet gratiam, & gloriam: & gratiam quidem præcedere ante gloriam: ex quo Gormaz de merito disp. 4. sect. 2. n. 217. & seq. Suarez, Vasquez, & plures, quos vide apud Platellum p. 2. n. 665. cum S. Thomas 1. 2. q. 112. a. 2. ad 1. inferunt, quòd quis eodem actu charitatis, vel contritionis, possit mereri gratiam sanctificantem de congruo, & gloriam de condigno; nam, cum gratia jam data fuerit ante gloriam, potest dignificare eundem actum charitatis, ut sit meritum condignum gloriæ; neque enim requiritur, ut gratia præcedat priori opus meritorium, sed tantum, ut comitetur. Videtur etiam favere Tridentinum sess. 6. can. 32. ubi universaliter dicit, hominis iustificati (qualis statim est, qui actum charitatis elicit) opera mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & etiam gloriæ augmentum, adeoque etiam primam gloriam, & quidem de condigno; aliàs non fuisset ratio, quare dixisset, opera illa non mereri gratiam, (intellige primam) sed tantum ejus augmentum, cum etiam prima gratia sanctificans cadat sub meritum de congruo.

119. Huic tamen opinioni contradicit Lugo de Incarnatione disp. 6. sec. 3. n. 59. existimans, non posse gratiam, quæ est præmium actus, dignificare eundem actum ad aliud præmium. Difficultas movetur ex eo, quòd sequeretur, quòd, si quis Rex promitteret militi, si obtinisset victoriam, dignitatem centurionis, & centurioni officium ducis superioris, miles statim fieret dux; quia per victoriam fieret centurio, & dignitas centurionis dignificaret eandem victoriam ad alterum præmium. Sed responderi tamen potest, discrimen esse inter nostrum, & huic casum posteriorem; nam in hoc casu posteriore sunt duo prorsus distincta præmia, nec utrumque uni actui promissum est, sicut tamen promissa est gratia, & gloria actui meritorio: & miles nec de congruo meretur officium

cium ducis. Hinc facilius intelligitur, quomodo actus dignificetur ad secundum præmium, ei jam promissum. Nec ex hoc sequeretur processus in infinitum, aut alia absurda, quæ ex casu militis deducuntur: sed hæc ad tractatum de Merito.

120. Quæres, quamdiu duraverit status viæ in Angelis. Resp. Tria solent distingui instantia. Primum, quo Angeli creati sunt, & se disposuerunt ad gratiam, eamque receperunt, ac gloriam etiam meruerunt. Secundum, quo boni continuantur suum meritum: mali verò peccantur: & per hæc duo duravit status viæ. Tertium, in quo boni beatitudinem consecuti sunt, mali autem damnati. Hæc tamen instantia non debent cogitari, quasi essent tria indivisibilia nostri temporis; non enim est ullum fundamentum, nec in Scripturis, nec in Patribus, nec in ratione, quòd tantum per indivisibile momentum mali fuerint in statu gratiæ: imò verba *ambulasti, à die, donec*, adducta n. 113. videntur significare moram plùs quàm instantaneam.

121. S. Thomas 1. p. q. 62. a. 5. ad 2. tempus corporale, hoc est, quod mensuratur motu solis, distinguit à tempore Angelico, quod mensuratur actibus Angeli, ita, ut dicatur tantum durare instans Angelicum, quamdiu Angelus non cessat ab eliciendo, vel conservando eodem actu. Quidam volunt tantum durare instans Angeli, quamdiu hic non elicit actum cum priore impossibilem: sed hi auctores videntur habere difficultatem in explicando secundo instanti honorum Angelorum, item in danda ratione, quare non sit tantum unum instans beatitudinis eorum in cælo, ut patebit consideranti: quare prior explicatio videtur melior. Potest autem idem actus Angeli conservari duratione indivisibili tam longa, ut æqualeat plurimis instantibus nostri temporis.

122. Ubi ulterius notandum, etsi Angelus, unum actum continuando, interim simul plures alios actus, sicut potest, eliciat, tamen esse adhuc unum instans; utique enim Angeli boni in primo instanti elicerunt actus fidei, spei, & charitatis. Nec debent hi actus æqualiter durare cum actu continuato. Sic, dum Angelus amat se ipsum, vel DEUM, potest se applicare ad considerandum cælum, & id appetendum: inde ad terram vertere cogitationem, & circa hanc actum voluntatis elicere. Si interim prior amor DEI, vel sui ipsius, perseveret, maximè, si hic actus sit principalis, & reliqui cum illo sint connexi, vel per modum actuum imperatorum ab eo profluentis, faciunt omnes simul tantum unum instans: unde verosimile est, dæmones in secundo instanti plures actus peccaminosos eliciisse: & certè prælium illud in cælo factum, videtur indicare plures actus.

Angeli etiam beati, ut descendit Suarez, elicerunt plures actus bonos: quos quamvis Valentia, & Granadus velint reducere ad primum instans eorum (quod volunt etiam durasse per instans secundum malorum) tamen Scotus, Cajetanus, Suarez, & alii, putant, non durasse semper actus eosdem; eo quòd Angeli boni acceperint novas revelationes, nova præcepta, item bellum illud ex se requisiverit multos alios actus, ut non videatur semper primus actus intellectus,

aut voluntatis durasse: sed de his videatur Suarez l. 5. c. 11. 14. & seq. & Granadus tr. 12. disp. 4. sec. 1. Quanto autem spatio nostri temporis, vel quot instantibus nostris, Angeli perseveraverint in actu amoris DEI, quem etiam mali primo instanti elicerunt: quamdiu etiam dein mali actum peccaminosum continuaverint, est, ut dixi, incertum. Hugoni Victorino videtur durasse via Angelorum diem unum naturalem: sed & hoc est incertum. Id solum constat ex communi SS. PP. fuisse tempus valde breve. Sanè jam dæmon erat damnatus, quando Eva vix fuit condita, & hæc ab illo decepta.

123. Ob. 1. contra 1. concl. Joan. 8. v. 44. dicitur de diabolo: *ille homicida erat ab initio*: ergo nunquam habuit gratiam. Confirm. 1. S. Gregor. l. 32. moral. c. 18. ac alii Patres dicunt, Angelos malos non habuisse charitatem: ergo neque habuere gratiam. Confirm. 2. S. August. apud S. Thomam 1. p. q. 62. a. 3. arg. 1. & ad 1. docet, eos primò creatos fuisse informes, sive productos, vel creatos in tenebris: dein formatos: verba S. Augustini l. 1. de Genes. ad litteram c. 17. sunt: *Diviso quidem lucis* (per quam intelligit Angelos) *a tenebris, distinctio est jam reformatæ ab informi*: ergo primum postea luce gratiæ informati sunt. Confirm. 3. Non videtur decuisse DEUM, ut infunderet gratiam, mox destruemam: ergo. Resp. neg. conseq. Illud ab initio non significat primum instans creationis, ut docet S. Augustinus de civit. DEI l. ii. c. 15. sed tempus brevi subsequutum, quod in morali modo loquendi censetur coalescere cum initio: sic etiam dicit Palamita: *Erraverunt ab utero, psal. 57. v. 4.* scilicet ii, qui à prima juventute errarunt. Roboratur responsio ex eo, quod ibidem dicitur: *In veritate non stetit*: ergo aliquando in ea fuit.

124. Ad 1. & 2. confir. neg. conf. SS. PP. explicandi sunt de charitate plena, & perseverante. S. Aug. explicatur à S. Thoma 1. p. q. 62. a. 3. ad 1. vel de formatione per gloriam, quæ fuit tempore posteriori, vel de formatione per gratiam, quæ tamen tantum fuit posterior natura. Ad 3. confirm. neg. antec. Etiam Adam citò perdidit iustitiam originalem, & multi alii gravam, in Sacramento poenitentiae acceptam, citò iterum perdunt. Si DEUS nihil creare vellet, quod ex culpa creaturæ brevi periret, quam multa non essent in orbe? Habuit tamen DEUS fines prudentissimos; hac enim ratione eluxit ejus summa bonitas, quæ, ut solem, ita etiam gratiam, omni facit super bonos, & malos, saltem tales futuros. Dein, cum elevavit Angelos ad statum supernaturalem, consequenter eis dedit gratias actuales, quibus cum ipsi cooperati sint in primo instanti, prudentissimè eis, tanquam de congruo meritis, gratiam sanctificantem rependit.

125. Ob. 2. contra 2. concl. Nullo modo Angeli statim in primo instanti potuerunt elicere actus dispositivos ad gratiam: ergo. Confirm. S. Thomas q. 16. de malo, *que est de demonibus, a. 4. ad 14.* docet, Angelos in primo instanti tantum dilexisse DEUM, ut autorem naturæ, eumque amorem naturalem fuisse: atqui actus naturalis non est dispositio, neque de congruo, ad gratiam: ergo. Resp. neg. antec. Actus liber exigat actum primum proximum, tantum pro priori natura;

naturæ, non autem pro priori temporis: causa etiam potest operari in primo instanti, in quo exiit; sol enim statim producit lucem, & ignis calorem. Ad confirm. Etsi Angeli in primo instanti elicerint actum naturalem amoris DEI, simul potuerunt elicere actum supernaturalem, sicut juxta Sanctum Thomam 1. p. q. 62. a. 7. in corp. in Angelis, quando jam sunt in gloria, datur adhuc cognitio, & dilectio DEI naturalis. Afferit etiam S. D. q. 16. de malo a. 4. ad 20. creaturam in primo instanti creationis posse mereri. Unde, cum Angeli habuerint in primo instanti actum primum proximum, ad eliciendum actum etiam supernaturalem meritorum, non videtur negandum, quòd eum elicerint.

Dum autem S. D. q. 16. de malo. a. 4. ad 14. & 15. videtur negare, Angelos eliciisse in primo instanti actum supernaturalem, fortè exponi potest, quòd non elicerent ex motibus, ibi assignatis, scilicet ex consideratione suæ essentiae, ut productæ à DEO, vel bonum supernaturale habentibus ab eo, ut auctore gratiæ. Suarez tom. 2. in 1. p. tract. de Angelis l. 5. c. 7. n. 9. ait S. Doctorem ibi dicta revocasse: & sanè 1. p. q. 63. a. 5. ad 4. sic ait: *Et ideo omnes Angeli in gratia creati in primo instanti meruerunt*. Unde, quando art. seq. ad 3. Angelicum motum Angeli bonum, in primo instanti elicitum, vocat naturalem, Suarez loc. cit. n. 8. ait, vocari naturalem, sumendo naturale, non prout opponitur supernaturali, sed potius, prout opponitur libero, non quidem simpliciter tali, sed magis tali, quatenus scilicet ille actus est valde consentaneus naturæ, in illis circumstantiis gratiæ illustrantis &c. Hinc idem Suarez loc. cit. n. 2. ait, nostram sententiam absque dano esse D. Thomæ, idque fusè probat.

126. Ob. 3. SS. PP. docent, Angelos esse creatos in gratia, sanctitatem illis esse inditam, impensam, insulam: ergo non se disposuerunt ad illam. Confirm. Ad actum charitatis, quò se debuissent Angeli disponere, præsupponatur habitus: sed hic non datur ante gratiam habitualem: ergo etiam actus charitatis non potest dari ante gratiam habitualem: ergo non potuerunt Angeli antecederent elicere actum charitatis, adeoque neque se disponere ad gratiam. Resp. neg. conseq. Etiam Trident. sess. 6. c. 7. ait, in justificatione accipi insulam charitatem, non tamen vult, id fieri absque dispositione præviat: & S. Paulus, dum ad Ephes. 2. v. 10. ait: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*: non vult dicere, nos non concurrisse ad opera bona, sed tantum, gratiam quòque necessariam fuisse, ut exponit S. August. de gratia & lib. arbit. c. 8. Ad confirm. dist. antec. ad actum charitatis semper, & necessarè præsupponitur habitus. neg. ant. aliquando, conc. antec. & neg. conseq. Sæpillimè peccatores eliciunt actum charitatis sine eo habitu, & tunc ejus defectum supplet omnipotentia extrinsecè applicata: quidni semel id factum sit in Angelis?

ARTICULUS II.

Quid tenendum de SS. Angelis Custodiis.

127. DE fide est, Angelos aliquo modo deputari à DEO ad custo-

diam hominum; nam Psal. 90. (qui de quovis homine intelligendus est, & non de Christo, saltem non de hoc solo) dicitur v. 11. *Angeli sui mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vis tuis. Matih. 18. v. 10. Angeli eorum semper vident faciem Patris*: id est, Angeli, custodes parvulorum, de quibus ibi Christus loquitur. Plures textus vide apud Suarez de Angelis l. 6. c. 17. Equidem ex natura sua Angeli, utpote longè superiores, non ordinantur ad custodiam hominum: sed destinantur ad hoc officium ex specialia providentia, & dilectione DEI erga homines, volentis succurrere necessitati humanæ infirmitatis, tot dæmonis tentationibus resistere non valentis. Propria etiam Angelorum charitas eos incitat ad nobis succurrendum.

128. Certissimum etiam est, Angelos curam hominum habere, non tantum universalem, sed particularem: certum quoque est, singulis hominibus singulos Angelos attributos esse, id quòd Arriaga disp. 22. sec. 8. subj. 1. ait, certissimè constare ex consensu ferè omnium Patrum, & Theologorum, ac totius Ecclesiæ: Suarez verò l. 6. c. 17. n. 8. ait, hoc tanquàm Ecclesiæ universalis consensu esse receptum, & in Scriptura, prout à Patribus intelligitur, tam magnum habere fundamentum, ut sine ingenti temeritate, aut ferè errore, negari non possit; Christus enim dixit: *Angeli eorum semper vident faciem Patris. Matih. 18. v. 10.* item Ador. 12. v. 15. dicitur: *Angelus ejus est*: hoc est S. Petri &c. Idem clarissimè testantur SS. PP. Hier. Bernard. Justinus &c. quos exhibet Suarez loc. cit. Adde, quòd non sit credibile, duos homines, qui sæpillimè ob itinera, vel alias causas, remouissent ab invicem separantur, ab eodem Angelo custodiri.

Quamvis autem Suarez loc. cit. n. 10. videatur, se velle explicare, quòd tantum intelligat suum assertum ita, ut unus Angelus in particulari custodiat paucos homines, unum vel alterum, dum ibi tantum ait, esse verosimilius, quòd unus Angelus unum hominem solum custodiat: tamen hoc plus quàm verosimile esse probant rationes nostræ. Quòd autem Calvinus dicat, majus esse beneficium, si omnes Angeli curam cujuslibet hominis habeant, quàm, si tantum unus, nil probat; non enim negamus, præter custodem, peculiariiter attentum, etiam alios Angelos habere aliquam curam, & omnes S. Michaëlem invocamus: quòd autem prorsus omnes simul habeant peculiarem semper curam cujuslibet hominis, est impossibile; cum non possint simul in distinctis locis adeste.

129. Quæres 1. An non idem Angelus, saltem succussivè, plures homines custodiat, scilicet post mortem primi clientis alium. Resp. id sensisse Magistrum Sententiarum l. 2. dist. 12. s. 2. & 3. existimavit enim, pauciores esse Angelos, qui destinati sint ad custodiam hominum, quàm futuri sint successivè homines: consequenter eundem Angelum, saltem successivè temporis, pluribus attribuendum: sed hoc fundamentum est incertum. Patres etiam non conveniunt. Origenes homil. 11. in c. 18. Numer. ante medium, videtur supponere, quòd idem Angelus successivè plures custodiat, dum scribit, quemvis Angelum in judicio universali educturum eos, quibus præfuit, quos adjuvit, quos in-

struunt &c. S. Justinus autem in lib. ult. quæstion. 9. 30 tenet oppositum, dum ait, custodes Angelos semper augeri, hoc est, alios, & alios novos, ad custodiam deputari: quanquam ipsius fundamentum non sit solidum, quod scilicet Angeli, post mortem hominis, custodiant adhuc animam usque ad diem iudicii. Dissentiunt etiam Theologi: Suarez tamen cum Arriaga inclinat in affirmativam: nos relinquimus rem in dubio.

130. Quæres 2. Quando incipiat, aut desinat custodia Angelica. Resp. S. Hieron. in 18. Matth. respondet, eam incipere ab ortu natiuitatis: Eum sequitur S. Thomas 1. p. q. 113. a. 5. in corp. rectè asserens, non primùm à baptismo homini obtingere custodem; nam aliàs infideles nunquam eum acciperent. Alii autem putant, Angelum deputari statim ab infusione animæ rationalis. ita S. Anselmus in elucidario longè post medium, ubi ait: *Unaquæque etiam anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur.* Et certè tunc homo jam incipit esse victor, atque etiam moraliter distinctus est à matre, in ordine ad salutem, jamque est originali labe infectus, etsi mater sit sancta. Huic sententiæ non videtur omnino oppositus S. Thomas art. modo cit. ad 3. quia tantùm dicit, probabiliter dici posse, foetum in utero, eò quod nondum separatus à matre sit, custodiri ab Angelo matris. Et quia hæc opinio tribuens infanti, adhuc in utero matris, proprium Angelum, providentiam DEI facit liberaliorem, ei Suarez l. 6. c. 17. num. 18. ad hæret.

131. Jam verò custodia Angelica cessat, quando homo est in termino suo ultimo: ad quid enim Angelus damnatum custodiat, aut etiam Beatum? cum ille à DEO, & Angelis sit abjectus: hic autem beatitudine sua defensus. At verò animas purgantes, necdum in ultimo termino constitutas, Angeli adhuc aliquoties solantur, donec eas in paradysum inducant. Quamdiu autem durat via, Angelus clientem nunquam penitus deserit, etiam ob peccata gravissima, sicut dæmon non definit tentare etiam eximie sanctos: & sicut Angeli non omnino deserunt infideles, qui nec fidem, nec gratiam habent, ita neque deserunt peccatores, qui habent fidem, licet non habeant gratiam. Quando autem aliqui Patres videntur dicere, quod peccatis fugentur Angeli, sensus est tantum, quod exercitium actuale custodiæ aliquando ob indispositionem peccantium intermittant.

132. Quæres 3. An omnes omnino homines habeant suos Angelos custodes. Resp. affirmativè; nam & reprobi, de quibus aliqui dubitare sunt visi, indigent custode contra tentationes dæmonum, & alia mala. Et quamvis custodia hæc eis non prodest, ex eorum culpa, ad beatitudinem, prodest tamen ad minuendas culpas, & consequenter pœnas. Sæpe etiam mali hac ratione impediuntur, ne magis noceant bonis. Tandem commendatur sic magis benignitas DEI, quæ, sicut solem facit oriri super iustos, & iniustos, ita etiam utrosque per Angelos custodit. Christus Dominus tamen non habuit Angelum custodem; cum enim DEUS esset, suâ scientiâ, & potestate, erat ab omni malo tutissimus: unde illud psal. 90. cit. num. 137. si ex-

placetur de Christo, intelligi debet de custodia, non propriè dicta, sed de obsequio, juxta illud Matth. 4. v. 11. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* B. Virgo autem, utpote pura creatura, habuit suum custodem, ne scilicet, saltem ab extrinsecis objectis, vel agentibus, læderetur, sicut etiam habuerunt juxta S. Thomam 1. p. q. 113. a. 4. ad 2. Adam, & Eva in statu innocentia.

133. Quæres 4. Quinam Angeli destinantur ad custodiam hominum. Resp. ordinariè esse ex infimo choro, seu ordine, eos, qui hominibus privatis deputantur: at verò probabile est, Pontificibus, Regibus, Episcopis &c. Archangelos assignari. Imò Toftatus vult, personas has sublimes habere duos Angelos custodes. Principatus verò dici possunt præsidere communitatibus, & regnis integris. Potestates maximè adhibentur à DEO, quando dæmonum vis est coercenda: Virtutes, quando faciendi miracula. Ex quatuor ordinibus supremis juxta S. Thomam 1. p. q. 112. a. 2. 3. 4. nulli mittuntur ad custodiam hominum. Unde ex S. Doctore, nec Gabriel, nec Raphaël, ut ibidem habetur, fuerunt plus, quam Archangeli: item Seraphini missus ad Isaiam, ejusque labia carbone purgans, non fuit verè talis ex supremo choro, sed hoc nomen ei tantùm tributum est in latiori significatione, ut dictum num. 18. vel verus Seraphinus alium Angelum suo nomine misit. vide etiam Suarez l. 6. c. 10. § 21.

134. Quæres ultimò, in quonam potissimum Angelica custodia consistat. Resp. ex Suarez l. 6. c. 19. in his. Primò avertunt pericula, amoliendo causas liberæ, & necessarias, ex quibus malum corporis, aut animæ clientibus imminet. Secundò excitant animam ad faciendum bonum, & vitandum malum, illuminando, & instruendo illam. Tertiò compescunt dæmones, ne nimium tentent, aut aliter noceant. Quartò offerunt DEO nostras preces, ut habetur Tobie 12. v. 12. & Apoc. 8. v. 3. non quòd DEO eas tantùm exhibeant: cum aliunde per se ei pateant: sed quòd adjuncta sua oratione eas reddant efficaciores. Quintò orant pro nobis, etiam, quando nos non oramus: imò quando peccamus, ut impetrent nobis pœnitentiam, & veniam, aliâque dona. Sextò castigant, atque corripunt peccantes per morbos, infortunia &c. quandoque etiam per mortem, ne malitia muret intellectum. Pœnæ autem istæ solent esse medicinales; nam aliæ, quæ sunt purè justitiæ vindicativæ, ordinariè saltem infliguntur à Dæmonibus. Dixi ordinariè; nam & has pœnas aliquando infligunt Angeli bonis: sic Gen. 19. duo Angeli boni deleverunt Sodomam, & Gomorrhã, igne & sulphure: & Act. 12. v. 23. Angelus Domini occidit Herodem Agrippam, interfectorem S. Jacobi Apostoli. Sæpius tamen videntur dæmones similes pœnas purè vindicativas infligere, qui etiam Angeli sunt, & in Scriptura quoque vocantur Angeli, vel spiritus, sed ordinariè cum aliquo addito, ut discerni possint à bonis: sic Matth. 25. v. 41. *Qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Apoc. 12. v. 7. *Draco pugnabat, & Angeli ejus.* 1. Reg. 18. v. 10. *Invasit spiritus DEI malus Saul.* Tandem Angeli boni animas purgantes solantur, donec expiatis DEO præsentent.

QUESTIO II. De lapsu, & Pœna Angelorum.

ARTICULUS I.

Quando, & quomodo dæmones peccaverint.

135. Dico 1. Angeli in primo instanti habuerunt quidè physica potentiam peccandi, non verò moralem. ita Suarez de Angelis l. 7. c. 20. n. 47. § 48. Valentia, Molina, Haunoldus, Platelius, & alii plures. Fortè sic etiam explicari potest S. Thomas: ejus certè rationem sic exponi posse existimat Suarez loc. cit. num. 55. Scotus autem in 2. dist. 5. q. 2. abstrahendo à potentia physica, & morali, dicit, absolute Angelos potuisse in primo instanti peccare: adeoque quoad primam partem conclusionis nobiscum sentit, quoad secundam, aperte saltem, non contradicit. Prob. 1. pars conclusionis. Angeli habuerunt totum actum primùm proximum liberum ad peccandum: ergo potuerunt absolute peccare: ant. prob. habuerunt voluntatem liberam, cognitionem boni, & mali, auxilia gratiæ indifferentiæ &c. ergo. Confirm. Angeli in eo instanti habuerunt libertatem ad meritum ex n. 114. ergo non est neganda illis libertas ad demeritum, seu peccatum: gratis enim diceretur, eos tantùm habuisse libertatem inter actus bonos; non verò ad malos, qualem habuit Christus; fuerunt enim puræ creaturæ.

136. Probatur 2. pars de impotentia morali. Primò, S. Thomas docet, in primo instanti fuisse in Angelis impossibilitatem peccandi: ergo juxta S. Doctorem fuit saltem impossibilitas moralis. Secundò, Nullus ex tot millibus Angelorum eo instanti peccavit, ut mox probabimus: atqui, ut rectè Haunoldus, censendum est moraliter impossibile, quod ex plurimis nemo facit. Tertiò, In eo instanti inerat Angelis maxima ad bonum inclinatio, magna attractio ad gratitudinem, ob beneficia recens accepta: ergo moraliter non poterat à DEO averti. Quartò, Videtur etiam decessisse DEUM, ut Angelos pro eo instanti præveniret gratis efficacibus, nè vel à longè daretur suspicio, etiam imprudens, quòd Angeli ex natura sua creati sint mali: quam rationem urget Suarez cit. n. 55.

137. Dico 2. Nullus ex Angelis primo instanti peccavit. ita omnes: & S. Thomas quidem 1. p. q. 83. a. 5. in corp. oppositam opinionem vocat erroniam: alii apud Granadum docent, nostram sententiam esse de fide; Scripturæ enim Sacræ Ezechiel. 28. Joan. 8. citatæ n. 112. § 113. *Isaia 14. v. 12. Quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui manè oriebaris.* Epist. Jude v. 6. *Qui Angeli non servaverunt suum principatum &c.* indicant, fat clare, Angelos, saltem per primùm instans fuisse in veritate, fuisse in ortu suo gratiæ lucè perfusos, ac principes cæli, & necdum servos peccati. vide etiam n. 113.


138. Dico 3. Primùm peccatum dæmonum fuit peccatum superbiæ. ita S. Thomas 1.

p. q. 63. a. 2. in corp. & communissimè alii, contra Scotum, Prob. Tobie 4. v. 14. dicitur: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Isa. 14. v. 13. *Dicebas in corde tuo: In cælum conscendam &c.* Ezechiel. 28. v. 17. *Elevatum est cor tuum in decore tuo &c.* Accedunt SS. Patres. S. Ambrosius l. 4. ep. 33. vel apud alios 82. ad Demetriadem ante medium ait: *Sive itaque in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia est.* S. Leo serm. 4. de collectis ait de diabolo: *superior namque ille, auctiorque peccati, primùm incensus, ut caderet: deinde invidus, ut noceret.* S. August. de natura, & gratia c. 29. *Initium omnis peccati superbia, quoniam diabolum, à quo exiit origo peccati, ipsa dejecit: & subsequente invidentiâ hominem stantem, unde ipse cecidit, inde subvertit.* Plures, ut SS. Prosperum, Bernardum, Nazianzenum &c. vide apud Suarez l. 7. de Angelis c. 9.

139. Hoc autem peccatum superbiæ non stetit in eo, quòd Lucifer, vel alius Angelus, appetierit reverà esse æqualis DEO; nam, utpote perspicacissimus spiritus, evidenter agnovit, impossibile esse creaturæ, ut reverà sit DEUS, vel, ut sint plures dii. Nec dicas, eum saltem conditionatè id appetivisse, si scilicet esset possibile; nam peccatum Luciferi non fuit simplex complacentia, aut desiderium conditionatum, sed absolutum; absolute enim dixit. Isa. 14. v. 14. *Ascendam super altitudinem nubium: similis ero altissimo.* Quare aliàm quàm similitudinem, vel æqualitatem, non omnimodam in natura, appetiit.

140. Dico 4. Probabiliter Lucifer ex superbia sibi appetiit unionem hypostaticam: alii etiam Angeli sibi, vel saltem naturæ Angelicæ, eandem appetierunt. Ita Alensis, Suarez de Angel. l. 7. c. 13. n. 13. Tannerus, Granadus, Rhodius, Arriaga, Haunoldus, & hoc teste recentiores communiter. Hæc sententiâ, etsi non clarè tradatur à Scripturis, & Patribus, tamen habet fortè majus fundamentum in illis, quam aliæ opiniones; nam certè Scripturæ videntur significare in diabolo aliquem appetitum Divinitatis: cum ergo hæc Lucifer non potuerit habere per identitatem, saltem voluerit eam habere per unionem; hoc enim significat illa verba. Isa. 14. v. 14. *Similis ero altissimo: & clariùs Ezechiel. 28. v. 2. Dixisti: DEUS ego sum, & in cathedra DEI sedi. . . dedisti cor tuum, quasi cor DEI.* Accedit, quòd SS. PP. dicant, diabolum invidiâsse, & invidiâ etiam peccasse, quorum textus videre est apud Granadum tract. 13. disp. 2. sec. 1. n. 4. § 5. Sanè unio hypostatica, utpote bonum excellentissimum, vel maximè potuit esse objectum superbißimæ invidiæ Luciferi, præsertim, dum se considerabat spiritum longè perfectissimum.

Adde, quòd mysterium unionis hypostaticæ, vel etiam incarnationis Divinæ, Angelis fuerit probabiliter revelatum. Certè id docet S. Thomas. 2. 2. q. 2. a. 7. ad 1. citatque S. Augustinum, qui sanè, l. 5. de Genes. ad liter. c. 19. docet, Angelis non fuisse mysterium hoc ignotum. Addendi etiam ij Patres, quos Suarez, tom. 1. in 3. p. disp. 5. sec. 4. §. Dico 1. sub finem adducit, qui, ut ibi tradit, videntur docere, Angelos peccasse occasione incarnationis sibi revelatæ, eò quòd



quod noluerint se Christo submittere, neque humiliter ferre, quod inferior humana natura eis prælatum: it: de quibus tamen idem Author videndus est. *l. 7. de Angel. c. 13. n. 16.* ubi alibi dicta videtur limitare. Saltem videtur valde verisimile, imò verisimilium, Angelis saltem revelatam fuisse possibilitatem unionis hypostaticæ, ut vult Arriga. *disp. 24. sec. 5. n. 44.* quo posito probabilissimum est, superbissimum Luciferum eam statim sibi ambiciosè appetiisse.

141. Non tamen propterea nego, sed omitto, potuisse simul etiam demonem superbiam peccare, per hoc, quod naturalibus suis inflatus neglexerit, beatitudinem supernaturalem mereri actibus submissionis, & obedientiæ: quod voluerit dominari omnibus aliis creaturis, & nulli alteri subesse, ne DEO quidem per actuale imperium ipsum gubernanti: & hac ratione affectaverit esse altissimum similis; nam ita diabolus etiam peccasse significat S. Thomas *1. p. q. 63. a. 2. in corp.* & S. Gregor. *l. 34. moral. c. 17.* scribens: *Fus perverse libertatis appetiit, ut esset præter ceteris, & nulli subesset, dicens: Ascendam &c. & infra. Relicto eo, qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicavit.* Idem insinuat S. Aug. *l. 22. de civit. c. 1.* dicens: *Cum præsciret Angelos quosdam per elationem, qui ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellet, tanti boni supernaturalis beatitudinis desertores futuros.*

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

142. **O**B. 1. contra 1. conclus. Operatio incipiens cum re producta tribuitur producenti: ergo, si peccatum statim incepisset primo instanti cum Angelis in eorum productione, etiam debuisset attribui DEO: sed non potest peccatum attribui DEO: ergo neque potuit cum Angelis incipere, vel in primo instanti committi. Confirm. Motus naturalis præcedit liberum: ergo Angeli debuerunt prius habere actum naturalem, qui non potuit esse peccatum (nam peccatum est contra naturam) ergo non potuerunt statim primo instanti peccare. Resp. dist. antec. Talis operatio tribuitur producenti, si necessaria sit om. antec. si sit libera neg. antec. & conseq. illa enim operatio propriè tribuitur generanti, vel producenti, ad quam determinat producens: nec magis tribuitur in primo instanti, quam in sequentibus: e. g. motus gravium deorsum tribuitur eodem modo producenti lapidem in primo, ac in sequenti instanti: illa verò operatio, ad quam determinat ipse effectus in primo instanti, tribuitur ipsi effectui, non minus, quam aliz subsequentes. Nec est ratio, cur uni, aut alteri, potius tribuantur actiones primi, quam sequentium instantium: ergo, si objectio vim haberet, DEO etiam tribuenda essent peccata postea facta, maxime, cum DEUS etiam sequentibus instantibus Angelos conferaverit, seu ipsis existentiam tribuerit.

143. Granadus quidem dicit, esse nobis quasi insitum à natura, ut primam operationem effectus adscribamus causæ eum producenti: sed non probat. Omitto, id fieri in operationibus necessariis, at non in liberis. Quod si aliqui etiam ita iudicent de liberis, non videntur veritatem

attingere: ad has tamen suspensiones amovendas, ut diximus *n. 136.* videtur, decuisse DEUM, ut Angelos gratis efficacibus præveniret. Ad confirm. dist. antec. Motus naturalis præcedit liberum prioritate temporis. neg. antec. prioritate naturæ. conc. antec. & neg. conseq. aliaz Angeli non potuissent in primo instanti mereri; unde tantum pro priori naturæ datur cognitio, quæ est actus intellectus non liber, vel aliqua volitio naturalis, tendens in bonum suum, saltem apparens: non autem pro priori temporis: imò neque pro priori naturæ datur quiquam impossibile cum peccato.

144. Ob. 2. contra 4. conclus. Si facta est Angelis revelatio de unionem hypostaticam, tunc vel Christus venisset etiam Adamo non peccante, vel Angeli non potuissent non peccare: sed hæc non possunt admitti: ergo. Resp. om. ma. neg. 1. p. mi. Alibi in tract. de incarnat. amplexum sententiam, quæ asserit, Christum etiam Adamo non peccante fuisse venturum: quo posito ruit totum argumentum. Qui oppositum defendunt, possunt dicere, Adamum potuisse absolute peccare, etsi non peccasset Angeli, seu quamvis serpens non seduxisset Evam: quo casu etiam iuxta sententiam oppositam, ad Christi adventum non fuisset necessarium peccatum Angelorum.

145. Si hoc dici non possit, eoquod sine auctoritate diceretur, adeoque dicendum sit, quod Adamus non peccasset, nisi cooperante serpente, possunt auctores oppositi dicere cum Arriga *disp. 24. sec. 5. n. 44.* revelatam fuisse Angelis tantum possibilitatem unionis hypostaticæ in genere, non autem incarnationem Christi, & Luciferum statim illam sibi superbe appetiisse: quæ revelatio non supposuisset Christum venturum, adeoque evitat hanc objectionem: quamvis ex alio adhuc capite, scilicet ratione impedibilitatis decreti, decernentis Christum venturum, videatur hæc objectio non esse efficax: sed quia in mea sententia de adventu Christi per se ruit, non est operæ preium, longam hinc decreti illius explanationem apponere, quod tamen paucis exponi non posset.

146. Ob. 3. Supposita etiam revelatione dicta, tamen non peccasset Angeli, appetendo unionem hypostaticam: ergo, prob. antec. licet invidus alteri invidet aliquod bonum, non tamen eo ipso illud desiderat sibi, sed contentus est, modò nec alius habeat: ergo etiam demones non eo ipso unionem appetuissent, quod invidia pleni fuissent. Confirm. Dæmon appetendo unionem hypostaticam debuisset appetere suam destructionem: hoc non fecisset: ergo, prob. ma. unio illa non potest stare cum subsistentia Angelica: ergo hæc deberet destrui, & consequenter Angelus. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. nam inprimis dæmon prius jam peccavit superbiam: dein, etsi aliquando ita se habeant invidi, non ita se habent semper, & omnes neque ita se habuit Lucifer superbissimus; utique enim hic sibi appetiit dignitatem maximam, tanquam sibi præ aliis debitam. Ad confir. dist. ma. debuisset appetere destructionem suæ naturæ. neg. ma. suæ tantum subsistentiæ. om. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Sive subsistentia creata sit quid positivum, sive quid tantum

negativum: certè hanc destructionem Lucifer non curasset, sicut nec eam curat humanitas Christi; cum suppletore ejus defectus subsistentia infinitum nobiliori.

147. Dices. Vel creditur Lucifer revelationi illi, vel non: neutrum potest dici: ergo, prob. mi. si non creditur, non appetiit unionem: si creditur, iterum non appetiit: ergo, prob. 2. pars ant. Lucifer scivit, stante decreto DEI de illa unione Christo conferenda, eam sibi impossibilem esse: ergo eam non appetiit: vel deberet dici, quòd erraverit, putando, DEUM mutari posse; hoc autem non cadit in perspicacissimum spiritum, præsertim ante peccatum. Resp. neg. mi. & dico, creditur esse cum revelatione: cum autem hæc tantum fuerit de possibilitate unionis (ut *n. 135.* dictum) absque ullo errore speculativo intellectus potuit eam sibi appetere. Et hæc responsio est expediatissima.

148. Suarez de Angelis. *l. 7. c. 13.* supponens, revelationem Angelis factam de unionem Christo, & nemini alteri, conferendam, respondet *n. 10.* fuisse Luciferum, quòd ea unio sibi impossibilis sit, non quidem per se, sicut a qualitate cum DEO, sed per accidens ex voluntate DEI: hanc ipsam autem fuisse ejus superbiam, quòd considerando suam excellentiam, ac dignitatem, existimaverit sibi convenientissimam esse illam unionem: adeoque ordinationem Divinam apprehenderit tanquam contemptum sui, utpote homini postpositi: quæ omnia, ait Suarez, potuit Lucifer cogitare absque errore speculativo, abstrahendo scilicet ab aliis motivis (ex quibus DEUS potius hominem, quam Angelum assumeret: vel, quæ ipsum ad DEO se submitendum, & cavendum peccatum, efficacius incitarent) & præcisè considerando suam dignitatem, & congruitatem suæ naturæ excellentioris cum illa unione, suæque utilitate. Inde, ut ait ulterius Eximius, Lucifer præcipitavit iudicium practicum, in quo utique erravit: vel cerè præcipitavit affectum. Quia in re nullus intercessit speculativus error, sed tantum inconsideratio.

149. Si dicas, saltem stante Divino decreto illo, ejusque revelatione, non potuisse diabolus sibi appetere unionem hypostaticam absolute, sed tantum per simplicem complacentiam, in qua tamen ejus peccatum non stetit *ex n. 139.* reponit Suarez, quamvis non potuerit demon, stantibus illis, voluntate omnino absoluta, appetere unionem, tamen neque eam appetiisse per simplicem tantum complacentiam; cum unio in se re ipsa illi possibilis fuerit, & tantum per accidens impossibilis; hinc, ait, dæmon præcendendo ab hoc decreto, & attendendo tantum possibilitatem unionis, ac suam excellentiam, potuit ex determinatione suæ voluntatis habere desiderium, quantum in ipso erat, efficax: & tale eum habuisse ex eo desumi potest, quòd Divinæ voluntati repugnaverit. Hæc fuit Suarez *loc. cit.* quæ si non placeant, & difficultatem quis habeat circa iudicium illud practicum, sequi licebit Arrigam.

150. Ob. 4. Appetitus unionis hypostaticæ non est malus; quia tendit in archetypam cum DEO conjunctionem, quæ est sanctiæ substantialis: ergo Lucifer habendo talem appetitum non peccavit. Resp. dist. antec. appetitus

ille non est malus per se, & intrinsecè, conc. antec. non est malus per accidens in dæmone. neg. antec. & conf. 1. ad *Timoth. 3. v. 1.* dicitur: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* an igitur non peccat, qui ex ambitione, & cupiditate temporalium, eum appetit? scilicet dæmon eam unionem appetiit, ex ambitione, & inordinatissima cupiditate excellentiæ, adeoque ex pessimo fine, ut exaltaretur super omnes creaturas, haberet Divinos honores, posset alios præ se contemnere: quæ est gravissima superbia. vide Suarez *l. 7. de Angel. c. 13. n. 3. & 4.*

151. Quæres, an Angeli post peccatum potuissent agere penitentiam. Resp. Non potuerunt agere supernaturalem, & salutarem; quia DEUS negavit ipsis gratiam supernaturalem, etiam sufficientem, sicut defacto adhuc negat damnatis. Et de hac impotentia explicari possunt SS. PP. dum asserunt, Angelos esse irrevocabiliter lapsos. Si quæras, an non etiam, ex natura sua, sint physice inflexibiles, ita, ut objecto, quod semel amplexi sunt, irrevocabiliter adhæreant. Resp. negativè; si enim, postquam in primo instanti bene egerunt, ut probatum à *n. 114. n.* secundo tamen mutata voluntate malum amplexi sunt, non est ratio, cur non in tertio iterum potuissent, agere saltem sua, ad bonum reverti. Et ita sentit Suarez, Granadus, Platæus, Sangallenses, & alii.

152. At verò moraliter inflexibiles esse Angelos admitto: & de hac, seu de morali impotentia Angelorum ad penitentiam, Granadus explicat S. Thomam. Ratio est: quanto major objecti nobilitas, & mensio amoris, præcessit, tanto difficilior, etiam in hominibus, mutatur affectus; tunc sapientes longè difficilior mutantur, quam indocti; cum ergo in Angelis ista fuerint longè majora, quam in hominibus, scilicet nobilita valde clara objecti, ob perspicaciam summam intellectus, & quod consequitur, valde intensus, & deliberatus affectus, non poterunt moraliter mutare suum iudicium, aut affectum. Accedit adhuc ingens superbia, quæ etiam mutationem iudicii, tanquam se dedecentem, n. a. m. respuit.

ARTICULUS III.

Quomodo Demones puniantur.

153. **O**mnium est, demones non tantum pati penam damni, seu privationem beatitudinis æternæ: sed etiam tanquam igne vero, & materiali. Hanc tenent Suarez *l. 8. de Angelis c. 12. n. 9.* vocat *Castro ignis*, ob testimonia plurima Scripturarum, & Patrum, veritatem hanc aperte docentium. Sic *Apoc. 20. v. 9.* dicitur: *Diabolus, qui sedebat eis, missus est in stagnum ignis, & sulphuris.* *Matth. 25. v. 41.* *Dilcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus: ubi agitur de igne, quo cruciabitur corpora hominum post diem iudicii, qui ignis est materialis.* S. Aug. *de civit. DEI l. 21. c. 10.* *Gebenna illa, quod etiam stagnum ignis, & sulphuris dicitur est, corporeus ignis erit. Idem eodem cap. superius.* *Cur enim nos dicamus quædam miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse penam corporalis ignis affigi?* S. Gregorius *l. 4. Dialogorum c. 29.* ait, *Si igitur diabolus,*

tu, ejusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum, si anima, & antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?

154. Quæstio jam est, quomodo incorporei demones possint ab igne corporeo pati, sensibilem enim dolorem pati, tam parum possunt, quam auris videre. Quare, qui dixerunt, eos cruciari calore, idem dixerunt, ac si quis diceret, quod cæcus possit torqueri exhibitis imaginibus montrosis, aut surdus clamoribus. Hinc alii dixerunt, demones per hoc puniri, quod alligantur igni infernali, quæ alligatio ad corpus tam vile, & instrumentum puniendis hominibus adhibitum, item ad infimum locum, superbissimis spiritibus, & lux libertatis amantissimis, vehementissimè doleat.

155. Sed planè sensus fidelium videtur majorem poenam apprehendere in damnatis, quam tantum hanc alligationem: & verba *uri, cremari* &c. videntur plus sonare, quam tantum carcerem, etiam perpetuum, quem tamen fermè solum juxta hanc sententiam demones paterentur, ut ex dicendis patet. Certè etiam animæ Patrum alligatæ erant limbo, nec tamen cruciabantur, sicut animæ in purgatorio: nec etiam videtur in hac sententia posse ratio dari, cur alligatio ad ignem molestissima sit, quam ad aliud corpus. Si dicas, molestissimam esse hanc alligationem diabolis ob eorum superbiam, & evagandi libidinem, responderetur, etiam animas purgantes curiari ab igne, quin superbiant, aut inordinatè vagari cupiant: & si ista alio modo ab igne cruciantur, idem dicendum de diabolis.

156. Dein plurimè adhuc demones extra infernum vagantur super terram, ut Scripturæ, Patres, & experientia docent: imò Suarez putat, plurimos locum mutare, ut modò sint in inferno, modò in terris: ergo necdum omnes paterentur poenam essentialè damnatorum, quòd dici nullatenus potest. Si dicas, istos suam portionem ignis secum circumferre, dicis aliquid Suarezio l. 8. de Angel. c. 16. n. 35. & aliis parum crebile, præsertim, cum plurima, aut miracula, aut præstigia saltem diabolica, constanter deberent fieri, scilicet, ut ignis ille ab hominibus, quibus demones proximi sunt, non videatur, eos non urat, sæpe cum dæmone corpora penetret &c. Quare alii volunt, demones, in terris adhuc vagos, cruciari apprehensione securitæ olim alligationis, adeoque timore. Sed contra: aliud est malum apprehendere, aliud experiri: certè demones deprecati sunt Christum, ne mitterentur in infernum, sed potius in porcos: ergo nondum passi erant æqualem poenam: unde à primo ad ultimum, hæc alligatio non est poena essentialis, sed tantum accidentalis.

157. Dico igitur cum Suarez l. 8. de Angelis c. 14. n. 41. Platelio, Haunoldo, aliisque pluribus, maximè recentioribus, Ignis inferni, supernaturaliter elevatus, producit in spiritibus damnatis aliquam qualitatem deturpativam ipso rum, qua vehementissimè affliguntur, & ex ea concipiunt dolorem, quantum esse potest, simillimum illi, qui oritur in voluntate animarum corpori unitarum, posita summè dolorifera sensatione adustionis. Hæc qualitas etiam potest conservari ab igne, quando demones in

inferno degunt: quando autem versantur extra infernum, ne debeant secum ignem circumferre (quod supra negavimus fieri) potest conservari, vel ab igne agente in distans (cum ibi supernaturaliter agat) vel à DEO. Prob. concl. Cum spiritus propriè uri non possint, debet saltem dici, quòd urantur in eo sensu, qui proximus sit, literaliter; hoc enim videntur exigere PP. atque Scripturæ n. 153. allatæ: ergo ignis non tantum debet esse objectum, sed aliquid facere; nam urere plus significat, quam tantum actionem intentionalem. Confr. Hæc sententiam hanc præ aliis opinionibus convenienter explicat, nec est aliquid magni momenti, quod ei obijci possit: ergo præhabenda est aliis.

158. Id tamen adhuc quæri potest, an ignis eam qualitatem producat physicè, an tantum moraliter: sicut Sacramenta, saltem juxta communionem nostrorum, causant tantum moraliter gratiam. Haunoldus transmittit, sufficere posse causalitatem moralem: negat Platelius; nam in primis non est eadem ratio ignis, ac Sacramentorum; cum ista deberent sæpe physicè agere, quando non amplius physicè existunt: e.g. quando baptismus fictè susceptus, postea quacunque tandem de causa, reviviscit: item nunquam posset totum Sacramentum physicè agere; cum partes ejus successivè ponantur: nihil horum obest causalitati physicæ ignis: neque etiam, supposita possibilitate potentia obedientialis, negari potest, quòd ens materiale possit physicè producere accidens spirituale. Econtra est difficultas explicare influxum ignis moralem; cum non videatur, sub quaratione causalitatis morales assumi possit à DEO, vel hunc determinare; neque enim, ut actiones Sacramentales, ita etiam flammæ inferni, sunt moraliter actiones Christi: neque alius similis titulus DEUM movendi (in qua tamen motione stare deberet causalitas morales) videtur excoGITABILIS.

159. Ob. 1. Non potest explicari, quid sit ista qualitas; cum nec sit actus vitalis, nec habitus: ergo. Confr. 1. DEUS ut causa primaria, ignis tantum ut instrumentalis, produceret eam qualitatem: imò DEUS solus eam sapius conservaret: atqui DEUS non potest, ut causa primaria, producere eam qualitatem deturpativam, nec eam conservare: ergo. Confr. 2. Hæc qualitas non esset naturalis, nec supernaturalis: ergo nulla. Resp. neg. antec. Qualitas ista non est actus vitalis; quia supponitur ad dolorem vitalem: neque etiam est propriè habitus; quia non est principium operandi; aliàs esset habitus vitiosus, cujus causa per se DEUS esse non posset: unde est qualitas stabiliter in hærens demoni, eumque per se ipsam reddens scèdum, atque deformem: sicut gratia sanctificans etiam est qualitas stabilis, reddens per se ipsam hominem pulchrum: & saltem juxta multos (quibus videtur favere Catechismus Tridentini de baptismo n. 33. vel, cum in quibusdam editionibus numeri non habeantur, s. de fructibus baptismi) non influit physicè in actus: consequenter etiam non est strictè habitus; quamvis dicatur habitualis. Unde, sicut capi potest gratia sanctificans, tanquam qualitas spiritualiter pulchra, sic capi potest altera, tanquam spiritualiter deformis. Alia etiam patet de-

desumi potest à caracteribus Sacramentalibus, baptismi, confirmationis, ordinis &c.

160. Ad 1. confirmationem. neg. mi. Deturpatio dæmonis, vel animæ, est malum physicum, ut tormentum ignis: & mirabile esset, si DEUS non posset spiritum in poenam criminis deturpare; cum Judex humanus possit reo, & turpem mutilationem, & etiam infamiam publicam, honestissimo judicio, inferre: nec minus potest DEUS etiam eam qualitatem conservare. Ad 2. confirm. Suarez. neg. conseq. & ait, eam qualitatem fore præternaturalem, aut violentam. Si contendas, debere eam esse saltem philosophicè supernaturalem, admitto; nil enim inde absurdum. Theologicè quidem supernaturale nil potest incipere in termino damnationis; quia non potest ibi ordinari ad æternam felicitatem: at non video, cur non possit aliquid philosophicè tantum supernaturale ibi incipere; cum etiam possit aliquid theologicè supernaturale ibi perseverare, ut patet in caractere baptismali.

161. Ob. 2. Qualitas hæc non opponitur ulli perfectioni Angelicæ: ergo nullà Angelum privat: ergo eum non deformat: Confr. Angelus non est capax accidentis spiritualis non vitalis: ergo. Resp. neg. ultimam consequentiam. Deformitas non tantum stat in privatione, sed etiam in ente positivo e.g. in struma, vel sexto digito: & talis positiva imperfectio est etiam illa qualitas. Potest fortè etiam dici, qualitatem illam opponi gratiæ sanctificantis, saltem moraliter, adeoque facere Angelum incapacem gratiæ: consequenter etiam privare magno bono, cujus saltem in hac providentia capax fuisset. Ad confirm. neg. antec. utique enim Angelus est capax specierum, caracteris, gratiæ sanctificantis, luminis gloriæ &c.

162. Ob. 3. Hæc qualitas daretur etiam in animabus damnatorum, saltem antequam reuniantur corporibus: ergo, cum esset poena essentialis, maneret etiam post diem judicii: ergo tunc animæ istæ haberent duplicem poenam; quia accederet ipsa combustio materialis corporum. Respondet Suarez l. 8. de Angel. c. 14. n. 21. concedendo totum, atque, combustionem materiale esse tantum poenam accidentalem, & sic poenam sensus crescere extensivè, sicut Beatis crescit post diem judicii gaudium accidentale ex reassumptis corporibus. Addit dein cit. cap. num. 40. animam in statu separationis jam vehementissimum dolorem pati ex apprehensione, & timore futuræ combustionis, cujus satisfactionem experimentaliter aliquomodo novit ab experientia sensuum habita, dum viveret: hic dolor, ait, mutabitur post diem judicii in actualè sensationem: & sic non tam datur multiplicatio dolorum, quam commutatio unius in alterum. Sed ut verum fatear, iste dolor actualis sensationis ex n. 156. videtur esse longè vehementior.


163. Arriaga, cui durior videtur hæc responsio, negat antec. & dicit, quòd DEUS supernaturaliter possit, cum, & in anima separata, producere eandem sensationem materiale, quam potest in anima adhuc unita: unde ait, quòd in statu separationis crucietur ab igne, sicut in statu conjunctionis: ita hic auctor disp. 26. sèct. 5. num. 27. sed & hoc videtur difficile; cum sensatio, utpote actio vitalis, saltem juxta communionem nostrorum, sit identificata cum

actione productiva sui, consequenter exigat omnem suam causam, adeoque etiam materiam. Si opinio Eximii videtur nimis severa, neg. 1. conseq. & resp. (ut Arriaga cit. loc. num. 33. ait, posse facilè reponi) quòd DEUS destructurus sit illam qualitatem in animabus iterum reunitis, daturusque locum, ut resulset iterum naturalis sensatio calor: & sic poena essentialis, quæ vocatur sensus, stabit in dolore, vel resultante ex qualitate, vel ex sensatione naturali calor, & ignis.

164. Ob. 4. Non est potior ratio dicendi, quòd ista qualitas calefaciat, quam frige faciat; quia propriè non aduritur spiritus: neque est ratio, cur ad eam producendam potius assumptus sit ignis, quam aqua; cum ista tam benè supernaturaliter possit illam producere, quam ignis: ergo. Resp. neg. antec. cum enim qualitas illa proveniat ab igne, & causat dolorem, quam potest, simillimum combustioni sensibili, major est ratio dicendi, quòd calefaciat, quam frige faciat. Adde, quòd, quando concipere volumus dolorem vehementissimum, concipiamus causatum ab igne; quia hic est causa doloris acerrimi, nempe adustionis: non autem concipiamus frige factionem; hanc enim apprehendimus, ut longè minorem dolorem, quam adustionem: unde, cum dolor inferni adhuc sit major, quam combustio, ab igne nostro producta, longè major erit frige factio: itaque, cum major sit proportio combustionis, quam frige factio, cum illo dolore, merito combustio dicitur. Hæ rationes etiam fuerunt, cur potius assumptus sit ignis, quam aqua, ad eam qualitatem producendam; quibus adde, quòd ignis simul magis serviat ad torquenda damnatorum corpora, & hinc merito idem assumptus fit tanquam instrumentum justitiæ ad torquendos spiritus.

165. Ob. 5. Possit dici cum Tannero disp. 5. de Angelis q. 6. dub. 6. n. 16. ignem in diabolis non causare talem qualitatem, sed causare immediate ipsum dolorem voluntatis: ergo non est necessaria illa qualitas. Resp. neg. antec. Dolor intentionalis, qui est in voluntate, non potest concipi, nisi de aliquo objecto vehementer afflictivo: ergo juxta hanc sententiam dolor deberet esse de ipso igne: hic autem non potest esse objectum doloris sub alia ratione, nisi ut præsens, & quali catena demones alligans: certè nosset ignis, qui ardet in fornace, etsi sit objectum alicujus cognitionis diabolicæ, atque etiam alicujus volitionis. e.g. qua dæmon vult domum comburi, non propterea causat dolorem in dæmone, qui dolor sit poena sensus illius.

166. Quare hæc sententia non differt ab ea, quæ poenam dæmonum statuit in alligatione ad ignem, de qua n. 155. nisi quòd etiam admittat physicum influxum ignis in ipsam volitionem dolorosam: per quòd quidem ostenditur, quòd ignis etiam physicè cruciet, non tamen quòd vehementius, quam alligatio; cum tamen hoc fit contra sensum fidelium, ut ibidem dictum. Hucusque dicta de Angelorum poena, sunt probabilia: illud solum est certum, quòd n. 153. ex S. Aug. atroxissimus, cruciari demones (& animas damnatas) ab igne *miris, sed veris modis*. DEUS à nobis omnibus supplicia isthæc clementer avertat: & potius faciat, nos tempore Sanctorum Angelorum protectione defendi, & æterna societate gaudere.



TRACTATUS THEOLOGICUS

In Primam Secundæ

D. THOMÆ AQUINATIS

De Ultimo Fine hominis, seu Beatitudine.



In his quæstionibus de Angelis, S. Doctor in prima adhuc parte quædam examinat de fato, de cælestibus corporibus, de animabus separatis, de generatione hominis. At quia horum aliqua pertractantur à Philosophis, alia à Sacra Scripturæ interpretibus, alia aliis occasionibus examinantur, ista omittimus, & ad secundam Angelicæ Summæ partem pergimus: quæ, cum iterum in duas partes divisa sit, prior *Prima Secundæ*, posterior *Secunda Secundæ* appellatur: modò autem de his agemus, quæ in Prima Secundæ exponuntur.

DISPUTATIO UNICA.

De Beatitudine.

2. **A**git in Prima Secundæ Angelicus de beatitudine hominis, tanquam fine: inde de actibus humanis, tanquam mediis, ad hunc finem consequendum ordinatis: ex quo, ut observat Suarez in *Proemio tr. 1. in 1. 2.* elucet pulcherrima methodus doctrinæ Angelici; cum enim scientia practica speculativam supponat, itæque cognitio DEI, prout ad creaturas refertur, etiam supponat notitiam ejusdem, prout in se est, meritò quæstiones speculativæ, de DEO, ejusque essentia, prima parte præmissæ sunt, ut postea practice possit exponi, quomodo creatura ad DEUM suum (ad cujus possessionem est condita) pertingere queat: quæque ab illo per creationem exivit, per actus morales, seu humanos ad eundem possit redire, Hoc au-

tem brevi tractatu nos de beatitudine in primis objectiva, tum formali agemus: sequenti verò multo longiore tractatu de actibus humanis disputabimus.

QUESTIO I.

De Beatitudine Objectiva.

ARTICULUS I.

An DEUS sit finis ultimus creaturæ rationalis, & in omni actu morali intendatur.

3. **F**inis ex Aristotele 2. *phys. tex. 29. Est id, cujus gratia: subintellige: aliquid sit, vel appetitur, vel amatur;* neque enim necesse est, semper aliquid fieri propter finem; si enim DEUS nihil creasset, adeoque nihil factum esset propter DEUM, tamen ipse fuisset finis ultimus sui ipsius. Ubi tamen norandum, DEUM non esse causam finalem sui ipsius; causa enim, strictè dicta apud Latinos, debet præstare aliquem influxum, qualis respectu DEI dari non potest: est tamen sibi ipsi DEUS ratio formalis simpliciter ultima agendi. Respectu aliorum autem finis, saltem sæpissimè, est, cujus gratia aliquid fit, seu adhibentur media ad illum obtinendum; qui enim ista, quantum necesse est, non adhibent, non censentur, finem efficaciter velle.

4. Dividitur autem finis in *finem cui, finem qui, & finem quo.* Primus, seu *finis cui* est illud subiectum, cui appetitur bonum: *finis qui*, seu ut etiam vocatur, *finis cujus gratia*, aut *objectivus*, est bonum, quod appetitur: *finis quo* seu,

An DEUS sit finis ultimus creaturæ rationalis, & in omni actu morali intendatur.

ut etiam vocatur *finis formalis*, est actus, quo obtinetur, vel possidetur finis qui, e. g. dum Petrus intendit DEUM, tanquam suam beatitudinem, per visionem beatificam possidendam: finis cui est Petrus: finis qui est DEUS: finis quo est visio beatifica. Hi tamen fines non debent inter se realiter esse distincti. Sic, dum DEUS seipsum amat per amorem necessarium, ipsemet est finis cui, qui, & quo. Rursus, quando finis qui est objectum non efficiendum, sed tantum intentionaliter possidendum, intelligendum, vel amandum, tunc finis qui, & quo, quamvis realiter sint distincti, tamen moraliter censentur esse unus finis, & per modum unius intendi. Sic simul appetimus DEUM, ejusque visionem, vel etiam amorem, tanquam nostram beatitudinem; quia, ut observat Suarez in 1. 2. *tr. 1. disp. 4. sec. 1. n. 5.* unus finis sine altero beatificare non potest.

5. Dividitur rursus finis qui in ultimum, & non ultimum. Prior, seu *ultimus*, est, propter quem appetuntur alia, ipse autem appetitur propter se, & non propter ullum aliud. Posterior, seu *non ultimus*, est, propter quem appetuntur alia, & ipse etiam appetitur propter aliud. Sic e. g. se habent scientiæ, propter quas appetuntur libri, & magistri: ipsæ autem appetuntur propter honores, vel divitias. Equidem hic finis est inter Auctores, an finis non ultimus sit verè finis; Aristoteles enim 1. *ethic. c. 7.* ait, illud esse finem absolutè perfectum, *quod semper per se, nunquam ob aliud, expectandum est:* & S. Thomas 1. *p. q. 5. a. 6. in corp.* vocat medium id, ad quod non ultimò terminatur totus motus, sed tantum pars ejus. Quæstio hæc multum habet de nomine, nec operæ pretium videtur, eam multis discutere: tantum dico, eos, qui negant, finem non ultimum esse verè finem, debere negare, bonum utile esse finem: item, cum Scripturæ sæpe dicant, DEUM intendisse, vel fecisse aliquid propter aliud à se distinctum, debere eos respondere, ibi non assignari finem DEI (cùm ipse solus possit esse finis suus ultimus) sed tantum rationem formalem.

6. Dividitur iterum finis ultimus, in *ultimum positivè, & ultimum negativè.* Prior, seu *positivè ultimus* (qui etiam dicitur *simpliciter ultimus, & universalis*) est ille, qui non est ordinabilis ulterius, saltem ex sua natura, & prudenter quidquid sit de perversa intentione creaturæ: & hic est solus DEUS, qui est bonum excellentissimum, & præ omnibus æstimabile, ad quem alia omnia ordinari debent. Posterior, sive *negativè ultimus*, est, qui hic, & nunc, ita intenditur, ut ulterius non ordinetur, licet ex natura sua prudenter ulterius ordinari possit: & talis finis sæpe sunt creaturæ, dum eas homines, tanquam finem operationum suarum, intendunt, nec ulterius ad DEUM, ejusque gloriam ordinant, licet deberent, & possent.

7. Dico 1. DEUS est finis per se positivè ultimus sui ipsius, & creaturæ rationalis. ita Catholici omnes. Prob. 1. pars, DEUS nunquam in alio, quam in se, ultimò sistit; omnia enim, etiam se ipsum, amat propter se, & omnia ultimò ordinat ad se: ergo. Prob. 2. pars, DEUS est prima causa, & origo omnium rerum: ergo etiam ultimus finis, ex illo *Apocal. 1. v. 8.*

Ego sum alpha, & omega, principium & finis. 2. Creatura rationalis non potest in ullo alio bono ita sistere, ut non possit rationabiliter illud ulterius ad DEUM referre, & sæpissimè etiam debeat: minùs potest DEUM rationabiliter referre ad aliud, tanquam finem ultimum; hoc enim esset, aliud DEO præferre, quod semper est illicitum: ergo nihil aliud potest esse finis illius positivè ultimus.

8. Dico 2. Creatura rationalis in actibus suis moralibus non semper formaliter, aut virtualiter intendit finem positivè ultimum. ita communius Theologi contra alios Thomistas, quos sequitur Gonetus *tom. 3. tr. 1. disp. 1. a. 7.* Prob. Creatura sæpe mortaliter peccat: ergo non intendit finem ultimum, sed hunc fugit, & ab eo recedit: imò, quamvis tantum venialiter peccet creatura, tamen per illum actum non accedit ad DEUM, qui est finis positivè ultimus. *Confir. 1.* Sæpe hic, & nunc, amando ferimur in aliquod bonum particulare delectabile, quin cogitemus de fine positivè ultimo: ergo sæpe quiescimus in fine negativè ultimo. antec. patet experientiâ; quoties enim amamus aliquam recreationem, quin eam referamus ad DEUM? conseq. est clara; nihil enim volitum, quin præcognitum. *Confir. 2.* Non potest ullo modo probari, quòd intentio finis ultimi (quam omitto priùs habitam) semper adhuc in effectu aliquo, seu virtualiter, perseveret, aut influat in quemcunque actum morale: ergo id gratis dicitur. Hoc tamen admitto, quòd creatura rationalis dici possit, habitualiter aliquo modo intendere finem ultimum positivè talem, intelligendo per hunc beatitudinem in communi; quia hujus appetitus videtur in omnibus necessariò dari, & ad amorem rerum particularium quasi præsupponi: neque unquam retractari, adeoque habitualiter semper perseverare.

9. Respondent hic aliqui adversarii, nos quidem probare, quòd homo non semper intendat finem verè positivè ultimum, scilicet DEUM, non autem probare, quòd non intendat finem ultimum ut sic, seu felicitatem suam finalem, quamvis erret in ea agnoscenda. Sed contra est. Quicumque extra DEUM aliquid appetit, non appetit verum finem ultimum, aut veram beatitudinem. 2. Creatura sæpe neque felicitatem ultimam ut sic appetit; quia de hac non cogitat, ut constat experientiâ: imò Christianus, qui scit, felicitatem ultimam esse DEUM, & tamen peccat, non potest intendere felicitatem ultimam; aliàs statueret verè finem ultimum in creatura, judicando, eam esse ultimum finem, quod foret hæreticum.

10. Si dicas, actum voluntatis non necessariò prærequirere iudicium, non sufficienter effugis difficultatem; nam saltem prærequiritur apprehensio: atqui apprehendere rem distinctam à DEO, tanquam ultimum finem (si voluntaria talis apprehensio sit, qualis advenit in Christiano sciente, solum DEUM posse esse ultimum finem) iterum esset grave peccatum contra fidem: at utique non semper Christianus, dum peccat, etiam contra fidem delinquit. Quare non est admittendum, quòd Gonetus *tom. 3. tr. 1. disp. 1. a. 7. n. 170.* docet, creaturam in omni actu morali semper intendere finem ultimum, non tan-

tum universaliter, seu ut sic acceptum, quem ipse vocat formalem: sed etiam particulariter acceptum, quem vocat materialem; quia hac ratione peccans semper positivè apprehenderet aliquid distinctum à DEO, tanquam ultimum finem.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

II. **O**B. I. contr. I. conclus. Creatura est finita, & finitè tantum perfectibilis: ergo non potest habere pro fine DEUM infinitum. Resp. I. retorq. arg. ergo neque potest habere causam productivam infinitam, adeoque mundus non est creatus à DEO. In forma neg. conseq. Non est contra rationem finiti, referri ad infinitum: imò, cum istud sit bonum supremum, meritò referuntur ad ipsum alia omnia. Quòd autem infinitum conferat finito beatitudinem, est maxime conveniens; quia bonum infinitum decet, esse communicativum sui: cum insuper creatura rationalis subiaceat infinitis miseriis, hæc optime tolli possunt à bono infinito. Ex hoc tamen non sequitur, quòd etiam creaturarum irrationalium (eoquòd hæc quoque subiaceant infinitis miseriis) DEUS debeat esse finis, ita, ut ejus possessione beatæ sint; cum enim DEUM possidere nequeant, non possunt à suis miseriis ea possessione liberari: sed debent alia ratione liberari, nempe à DEO ut producente varia eorum naturæ conformia. Unde DEUS irrationalium finis quidem est, quatenus etiam ista ordinantur ultimò ad ipsum, sed non illa ratione, qua est finis creaturæ rationalis, cui sua possessione beatitudinem confert.

12. Ob. 2. Si DEUS esset finis creaturæ rationalis, eam beatificans, ista rationabiliter amaret DEUM, ut sibi bonum: sed hoc est falsum: ergo. prob. mi. amare aliquid, ut bonum sibi, est, habere se pro fine cui illius boni, & præferre se illi: sed hoc non fit rationabiliter respectu DEI; ergo. Resp. Huic objectioni respondit satis Alexander VIII. damnando hanc propositionem 13. inter 31. ab eo proscriptas: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu DEO famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* In forma conc. ma. neg. min. ad prob. dist. I. p. ma. amare aliquid, ut sibi bonum, est, habere se pro fine cui utilitatis, & indigentia: conc. pro fine cui excellentiæ neg. primam partem: ma. & simpliciter neg. secundam: atque distincta sic minore, neg. conseq.

13. Non est absurdum, se habere, vel agnoscere, pro fine utilitatis, & indigentia, seu pro eo, quod à DEO, ente perfectissimo, potest recipere plura bona, quibus maxime indiget: neque hoc est, DEO se præferre; cum hoc ipsum sit, DEUM, utpote largitorem omnis boni, & nullius indigum, plus æstimare: hoc solum autem facit actus spei, seu amor concupiscentiæ erga DEUM, contra quem hoc argumentum pugnat. Quòd autem hic actus non amet DEUM, præcindendo ab utilitate, ab eo in nos re-

dundante, sive non amet illum, ut bonum sibi ipsi, sed ut bonum nobis, nihil est inhonesti; quia non tenemus semper ad actum charitatis: sed tantum est negativa imperfectio, quæ reperitur in actibus omnium virtutum, excepta charitate, quæ virtus propterea alias omnes excedit.

14. Dices. S. Thomas 1. 2. q. 26. a. 4. in corp. ait: *Quod autem amatur amore concupiscentia, non simpliciter, & secundum se amatur, sed amatur alteri*: atqui est inhonestum, DEUM non amare simpliciter: ergo non potest honestè amari amore concupiscentia, seu, ut nobis bonus. Confirm. S. Doctor *ibidem* ait: *Quod autem est bonum alterius, est bonum secundum quid*: ergo juxta nos DEUS esset bonum tantum secundum quid, quod est absurdum. Resp. neg. min. in sensu S. Thomæ; nam, non amare simpliciter, aliud eo loco non est, quam non amare amore amicitia: quod patet ex verbis statim adjectis: *sed amatur alteri*: non est autem absurdum, quòd DEUS non per omnem actum ametur amore amicitia.

15. Neque etiam est absurdum, quòd homo amans DEUM, ut sibi bonum, amet se ipsum amore benevolentia; quia per hoc non præfert positivè se DEO, sed tantum se respicit ut finem indigentia. Ulterius, etiamsi hic actus non præferat positivè DEUM homini (non quidem in ratione æstimationis; quia utique actus etiam spei, DEUM nullius indigum, & potentem omnes beare, plus æstimat, quam se: sed in ratione amoris, & in hoc sensu, quòd non positivè magis appetat bonum DEI, quam hominis) nihil est absolum; cum non debeamus DEUM in hoc sensu per omnem actum nobis præferre: modò nos negativè habeamus, & neque nostrum bonum positivè præferamus bono Divino, ita, ut vellemus bonum nostrum, etiamsi DEUS deberet carere bono suo, seu honore. Ad confir. dist. conseq. DEUS esset tantum bonum secundum quid, hoc est, mixtum malitia, & quidem prævalente, ut sit simpliciter malum. neg. conseq. esset bonum secundum quid, hoc est, hic, & nunc, non amatum propter se, sed propter alium, qui alius amatur propter se: sive, esset bonum amatum propter relationem ad aliud, cui bonum est. conc. conseq. Aliud ibi S. Doctor, nec intelligit, nec potest intelligere; nam 2. 2. q. 17. a. 1. in corp. admittit, & alibi supponit, actum spei, qui habet totam hanc tendentiam, esse actum virtutis, & bonum.

16. Ob. 3. contra 2. conclus. S. Aug. l. 10. confess. c. 21. asserit, quòd, si quis ex duobus quærat, utrum velit militare, possit contingere, ut unus velit, alter nolit: at, si quis quærat, an beati esse velint, uterque statim responsurus sit, se velle: ergo semper intenditur ultima beatitudo. Resp. neg. conseq. ex hoc enim tantum probatur, quòd per aliquas actiones beatitudinem intendamus, non autem, quòd per omnes, maxime, si de ea non cogitemus. Sic, si quæras ex Christiano, an velit salvus esse, certè respondebit affirmativè: si videas, eundem peccare graviter, & quæras, an velit salvus esse, etiam respondebit, se velle: at non potest dicere, se velle salvum fieri per peccatum, nisi velit errare in fide. Alius textus ex S. August. l. 2. confess. c. 6. C qui malè est citatus apud Gonetum,

tom. 3. tr. 1. disp. 1. a. 7. n. 171.) plus non probat, quam, creaturam, etiam malè agentem, velle agendo liberè, & abutendo libertate, aliquo modo imitari DEUM, nemini subiectum, & liberè de omnibus disponentem: idque explicat exemplo furis: sed hoc nihil contra nos. Quando etiam *ibidem* S. Aug. dicit, peccantes non omnimodo recedere à DEO, tantum vult, eos amare aliquam ejus participationem, vel ad summum, eos tendere aliquo modo in DEUM interpretativè, ut numero sequenti explicabimus.

17. Ob. 4. S. Thomas 1. 2. q. 1. a. 6. in corp. docet, quòd omne bonum appetatur, vel tanquam perfectum, adeoque ut ultimus finis: vel tanquam imperfectum, adeoque ut tendens, seu ordinatum, ad bonum perfectum, seu ultimum finem: consequenter homo omnia appetat propter ultimum finem: ergo. Resp. S. Doctor hoc loco, & etiam in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. quæstione 4. ubi se magis explicat, plus non vult, quam, quòd, aliquo modo interpretativè, tendat homo, vel alia creatura rationalis in ultimum finem. Interpretativè autem tendere in aliquid, est ex Suarez in 1. 2. disp. 2. sec. 4. n. 5. tendere in objectum aliquod, quod ex se est ad illud prius ordinatum: cum ergo omnia creata sint aliquo modo ordinata ad beatitudinem hominis (si non supernaturalem, saltem naturalem) quidquid creatum homo appetit, interpretativè appetit beatitudinem.

18. Verum quidem est, hunc ipsum appetitum interpretativum hic latè sumi; nam strictè interpretativè appetere, videtur indicare præsuppositam aliquam cognitionem illius ordinationis, vi cuius tendentia interpretativa possit homini imputari; quæ tamen cognitio in nostro casu non dicitur: sed S. Doctor ita explicandum est cum Suarez *loc. cit. disp. 3. sec. 6.* quia ipse Angelicus videtur se ita explicare *loc. cit. in 4. sect.* ubi dicit, eatenus aliquem intendere ultimum finem, quatenus in omni re creata intendit similitudinariam ejus participationem: insuper rationes nostræ probant, S. Thomam aliter accipi non posse. Certè, licet ametur pars, non semper amatur formaliter, aut virtualiter totum: quin neque peccata ordinantur, strictè loquendo, ad veram beatitudinem, sed tantum in hoc sensu valde improprio, quòd illa voluptas peccaminosa fit etiam obscura similitudo felicitatis, vel beatitudinis in genere: unde per peccata homo, nec interpretativè, propriè saltem loquendo, amat veram felicitatem. Accedit, quòd amans bonum particulare sæpe non cogit de beatitudine. Hoc tamen concedo, quòd, qui amat bonum particulare, tanquam partialem felicitatem, aut beatitudinem, censeat saltem ordinariè possit, magis amatum ipsam beatitudinem universalem, si de ea cogitaret: nisi tamen aliquando existimaret, se per eam retrahendum à bono hoc particulari, sicut e. g. sæpe Christianus agnoscit, se per amorem veræ, & æternæ beatitudinis, retrahi à voluptate peccaminosa: quo tamen casu talis non apprehenderet beatitudinem, prout deberet, seu ut purum bonum; cum eam, utpote impeditivam voluptatis illicitæ, apprehenderet (quamvis imprudenter) ut aliquo modo sibi malam.

19. Dices. S. Doctor 1. 2. q. 1. a. 6. in corp.

docet, quòd ultimus finis se habeat in movendo appetitum, sicut in aliis motionibus, vel causalitatibus, se habet primum movens: sed in aliis e. g. physicis causalitatibus, non potest causa secunda movere, vel agere sine causa prima: ergo neque finis secundus, seu negativè ultimus, potest movere sine primo, sive positivè ultimo. Resp. dist. ma. Et S. Doctor per particulam *sicut* vult indicare omnimodam paritatem. neg. ma. aliqualem tantum similitudinem. conc. ma. & conc. mi. neg. conseq. Si esset paritas omnimoda, non sufficeret, finem positivè ultimum virtualiter influere (quod tamen adversarii ad summum petunt) sed deberet influere formaliter, sicut scilicet causa prima in genere physico influit. Unde paritas aliqualis stat in hoc, quòd, sicut se habet causa prima in genere physico formaliter, ita finis ultimus in genere intentionali se habeat interpretativè. Obiter addo, ex Aristotelis t. *ethicor.* 7. (ubi dicitur, omnes eundem finem expetere, scilicet felicitatem, vel aliquam ejus partem) nihil contra nos probari; cum non per omnes actus debeant omnes tendere in omnem finem suum: saltem non formaliter, quidquid sit, an interpretativè: unde, modò per aliquos acquilibet aliquando tendat in felicitatem, eam expetendo, jam verificatur textus Philosophi.

20. Ob. 5. Amor finis positivè ultimi est innatus, & necessarius: ergo præcedit quemcunque amorem boni particularis: ergo voluntas omnem amorem erga bonum particulare concipit in virtute amoris erga finem positivè ultimum. Confirm. Finis negativè ultimus se habet ad finem positivè ultimum, sicut se habet electio mediiorum ad finem negativè ultimum: sed finis negativè ultimus necessariò movet, saltem virtualiter, ad electionem mediiorum: ergo etiam finis positivè ultimus movet ad finem negativè ultimum. Resp. 1. ex Suarez. neg. conf. nam hic in 1. 2. disp. 3. sec. 5. n. 3. docet, valde probabiliter ante usum rationis cogitari de pluribus particularibus bonis, antequam cogitetur de fine ultimo. Resp. 2. dist. conseq. amor finis positivè ultimi præcedit, hoc est, prius aliquando concipitur, om. conseq. præcedit semper immediate, vel tam propinque, ut virtualiter adhuc influere possit. neg. primam, & secundam conseq. Ad confirm. neg. ma. quæ non probatur.

21. Ob. 6. Voluntas est indifferens ad amandum quemcunque finem negativè ultimum, seu bonum particulare: ergo debet determinari ab amore finis positivè ultimi, qui amor est necessarius. Resp. in hac vita voluntas etiam est indifferens ad amandum finem positivè ultimum; unde consequentia est nulla. Si dicas, voluntatem non esse indifferentem, ad amandum finem ultimum; quia debet omnia amare sub ratione boni. Resp. modò in objecto particulari inveniat rationem boni particularis, non est opus amore antecedente, quo feratur in bonum ut sic: imò hic amor est contra experientiam. Sed his ommissis, in forma dist. antec. voluntas est indifferens indifferentià purè passivâ, seu insufficientiæ. neg. antec. activâ, seu liberatiss. conc. antec. & neg. conseq. Voluntas, si habeat actum primum proximum (quem non semper constituit amor finis ultimi) potest seipsam determinare, eligendo amorem unius præ alio.

22. Ob. 7. Qui peccat, statuit sibi peccatum, seu ejus objectum, tanquam finem ultimum: ergo amat aliquem finem ultimum. Confirm. S. Paulus ad Philippens. 3. v. 19. ait: *Quorum DEUS venter est*: ergo ebriofii, & gulofii, statuunt sibi finem ultimum delectationem gulæ. Resp. neg. antec. si in sensu stricto accipiat; non enim semper tam graviter errando peccant Christiani, qui sæpe, dum peccant, habent intentionem agendi poenitentiam, & se iterum avertendi ab illo objecto: proinde agnoscunt, objectum esse defectuosum, & per hoc avertit se à fine ultimo: item, sæpe objectum peccati, hic & nunc, ulterius ordinant ad finem alium, e.g. fur sublatas pecunias ad sustentationem suam &c. Quando igitur SS. PP. & Doctores videntur dicere, quod peccantes omnes statuunt finem ultimum in creatura, intelligendi sunt in sensu figurato; volunt enim dicere, peccatores se ita habere, ac si finem ultimum in creatura statuerent, quatenus, hic & nunc, plus amant creaturam, quam DEUM. Ex quo habetur quoque responsio ad confirmationem; non enim Apostolus vult dicere, eos verè adorare suum ventrem, sed plus amare, quam DEUM.

23. Ob. 8. Per peccatum avertitur homo ab ultimo fine, & convertitur ad creaturam: ergo hanc habet pro ultimo fine. Confir. Prov. 14. v. 22. dicitur: *Errant, qui operantur malum*: unde est commune axioma: *Omnis peccans errans*: sed hic error non stat in alio, quam, quod creatura statuatur pro ultimo fine: ergo. Resp. neg. conf. Ex antecedenti tantum sequitur, quod hic & nunc, homo magis amet finem negativè ultimum, quam positivè ultimum. Neque etiam peccator semper DEUM formaliter contemnit, sed tantum interpretativè. Ad confir. neg. min. Errat plus, quam satis, amando bonum infimum præ summo; quamvis utrumque ritè cognoscat, juxta illud Poëtæ: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*. Et quamvis peccator non erret scientiâ simplicis notitiæ, errat scientiâ approbationis, quæ præter notitiam rei dicit actum voluntatis ex n. 28. tract. de DEO: quo actu, dum peccator malum approbat, vel maxime errat.

ARTICULUS III.

An Deus sit beatitudo objectiva creaturæ rationalis in quovis statu.

24. **N**atura humana considerari potest in duplici statu. Primus est *status puræ naturæ*, qui involvit perfectiones naturales, homini debitas, sine elevatione supernaturali, & etiam sine peccato. Secundus est *status naturæ integræ*, qui supra perfectiones priores addit integritatem, sui dominium perfectum partis superioris in inferiorem, vi cujus appetitus ita obediatur rationi, ut contra hanc non moveatur, vel eam non præveniat: adeoque natura habeat suas vires expeditas, absque impedimento reluctantis concupiscentiæ. Hæc integritas, saltem perfecta, non

est debita naturæ humanæ puræ, quamvis juxta aliquos huic debitum sit majus dominium partis superioris, quam in statu naturæ lapsæ, de quo in tract. de gratia.

25. Tertius est *status elevationis*, qui affert elevationem, & ordinationem hominis ad finem supernaturalem, & consequenter media ad eum consequendum. Quartus est *status innocentie*, qui elevationi, & integritati, superaddit gratiam sanctificantem, & virtutes infusas, ad eam consequentes, item immunitatem à culpa, errore, deceptione, morte &c. Quintus est *status justitiæ originalis*, qui supra præcedentium statuum perfectiones addit privilegium, transfundendi has perfectiones in posteros per generationem, ex ordinatione Divina.

26. Sextus est *status naturæ lapsæ*, seu *ruptæ*, qui supponit peccatum grave originale, vel actuale, ob quod natura privata sit, saltem privilegiis innocentie, & integritatis, & subiecta variis malis &c. Septimus est *status naturæ reparatæ*, quando scilicet ex meritis Christi reddita est naturæ gratia, & per hanc libertas à peccato, ac oriis ex illo malis, non tamen omnibus: insuper redditum ei jus ad gloriam. Additur ab aliis status octavus, qui tamen non est status viæ, sed termini, èitque *status beatitudinis, aut damnationis*. Ex his autem statibus tertius, quartus, sextus, & octavus, etiam suo modo dati sunt in Angelis: septem autem, seu omnes, excepto primo, successivè sunt dati in primo parente, ut docent Theologi.

27. Primus autem, seu *status puræ naturæ*, nunquam extitit, sive in Angelis, sive in homine: possibilis tamen fuit, ut negari non potest, post Bullas Pij V. & Greg. XIII. damnantium has propositiones Baianas, scilicet 21. *Humanae naturæ sublimata, & exaltata in consortium Divinae naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*. item 24. *A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosphorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona, naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in DEI similitudine adoptatus*. Et 26. *Integritas primæ conditionis non fuit debita naturæ humanæ exaltata, sed naturalis ejus conditio*. Sed hæc supponimus ex tract. de gratia, & modò quærimus, quemnam pro quovis statu sit hominis beatitudo objectiva.

28. Dico 1. DEUS est beatitudo objectiva creaturæ rationalis in statu elevationis. Conclusio est de fide. Prob. ex Scripturis & PP. passim id docentibus. Gen. 15. v. 1. dicit DEUS Abrahamo: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Psal. 72. v. 26. *Pars mea DEUS in æternum*. Joan. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscat te solum DEUM verum, & quem misisti Jesum Christum &c.* Ex Patribus S. Aug. 1. 19. de civit. c. 26. ait: *Ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis DEUS est*. & l. 1. Retractationum c. 1. *Ipsò enim DEO mens fruatur, ut beata sit, tanquam summo bono suo*. & c. 2. *Constitit inter nos, qui simul quærebamus, non esse beatam vitam, nisi perfectam cognitionem DEI*. Similia habent, tum S. Aug. alibi, tum alii Patres passim. vide Valentiam in 1. 2. disp. 1. q. 2. p. 1. un. 0.

29. Dg

29. Dico 2. DEUS etiam esset beatitudo objectiva creaturæ rationalis in statu puræ naturæ: ita Gormaz de beatitudine n. 13. & alii. Discrimen tamen est hoc, quod in statu elevationis DEUS à Beatitudine cognoscatur intuitivè: in statu autem puræ naturæ cognitus fuisset tantum abstractivè. Probatur autem conclusio ratione, quæ etiam quadrat præcedenti conclusioni. Beatitudo creaturæ rationalis in omni statu debet esse satiativa appetitus rationalis: atqui nullum bonum creatum potest esse ejus satiativum: ergo. ma. est clara; & beatus enim non est, qui adhuc rationaliter anxius, & inquietus, seu necdum satiativus est.

30. Minor prob. Quæcunque bona creatura assignantur antiqui Philosphi, vel etiam heretici (quæ ex Lactantio l. 3. div. instit. c. 7. & S. Ambrosio l. 2. de officiis c. 2. refert Tannerus tom. 2. disp. 1. q. 2. dub. 1. n. 1.) reducuntur, vel ad bona fortunæ externa, vel ad bona corporis, vel ad bona animæ: nulla horum, imò nec omnia simul, possunt esse perfectè satiativa: ergo. prob. min. In primis bona fortunæ, seu divitiarum, potius sunt bonum utile, adeoque magis sunt medium ad felicitatem, quam ipsa felicitas, nec tam possessione, quam effusione reddunt hominem beatum: dein ordinantur ad hominem potius, quam homo ad ipsas, adeoque homo est potius finis ipsarum, ut habet S. Thomas 1. 2. q. 2. a. 1. in corp. Accedit, quod etiam invitis facile eripiantur: ex quo oriuntur innumeræ sollicitudines, anxietates &c. Sed nec ab omnibus haberi ad satietatem possunt; cum tamen omnes finem, seu beatitudinem, consequi posse debeant.

31. Eadem fermè est ratio de fama, ac honore, quæ non tam in nostra, quam aliorum sunt potestate, & facile perduntur: nec ab omnibus possunt ad satietatem haberi. Accedit, ut advertit S. Thomas 1. p. q. 2. a. 3. in corp. quod, si fama, ac honor, vel gloria, falsa sint, in falsitate stare non possit beatitudo solida: si vera, tunc supponant excellentiam aliquam in homine, ratione cujus potius homo erit beatus, quam ratione honoris. Pariter, nec potestas dominativa potest reddere beatum; quia & ipsa caduca, timoribus, vel certè curis, & anxietatibus, plena est. Jam bona corporis, scilicet valetudo, robur, pulchritudo &c. sunt etiam ipsa caduca, & brutis communia, imò in quibusdam irrationalibus meliora, quam in homine: ergo non possunt esse beatitudo hominis; hæc enim utique esse debet excellentior, quam felicitas brutorum, ut observavit etiam Aristoteles apud Suarez in 1. 2. disp. 5. sec. 1. n. 4. Ex quo capite etiam rejiciuntur voluptates corporeæ, præterquam, quod ita sint sordidissimæ, atque sæpissimè infamiæ, ac erubescentiæ plenissimæ: quin imò corpori quoque vel maximè noxiæ: atque adeò hominem magis miserum, quam beatum reddant.

32. Jam quod spectat ad bona animæ. In primis ipsa anima non est quietativa sui appetitus, sed est subiecta innumeris miseriis, & quærens alibi suam felicitatem, ac beatitudinem, adeoque sibi ipsi beatitudo esse non potest. Ejus autem bona accidentalia sunt virtutes, & scientiæ: at virtutes, universaliter acceptæ, medium quidem sunt ad beatitudinem assequendam, non verò beatitudo; quia non satiant appetitum, &

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

sunt pluribus difficultatibus in suo exercitio mixtæ, adeoque non afferunt illam delectationem, quæ ad beatitudinem requiritur. Aliud est, quod fortè aliquid exercitium alicujus virtutis, e.g. charitatis, possit esse beatitudo formalis, de quo infra. Quod attinet ad scientiæ, si hæc sint tantum de rebus inferioribus, non reddunt animam beatam: quomodo enim beatus sit, qui scientiam etiam evidentem habet de rationis & muribus? adeoque scientiæ, vel cognitiones beatificæ, debent esse de ente summo: sed sic stabit formalis beatitudo in cognitione DEI (quidquid sit, an etiam requiratur amor ejusdem, de quo inferius) consequenter ipse DEUS erit objectum beatificum.

33. Tandem, quod ista omnia simul etiam non possint esse beatitudo creaturæ rationalis, probatur. Exceptis solis scientiis, & virtutibus, reliqua ex natura sua sunt caduca (quæ naturaliter perire deberent, supernaturaliter autem non semper conservarentur, neque etiam animabus separatis amplius quadrarent) adeoque natura non potuit in iis constituitur beatitudinem immortalis animi, nec partialiter; quia sic magna pars beatitudinis perderetur, nec integra beatitudo æternum duraret, quæ foret magna miseria. Sed & scientiæ, & virtutes universaliter sumptæ, etiam collectivè (exclusis cognitione, & amore DEI) tum ob difficultatem oppositam delectationi, tum ob objectum nimis parvum, nequeunt beatum hominem, & minus Angelum. Nec dicas, creata omnia esse infinita; nam non sunt infinitum actu, neque etiam omnia cuique concederentur: & ex concessis plurima essent peritura. Accedit ratio S. Thomæ 1. 2. q. 2. a. 4. in corp. Ista fermè omnia sunt communia bonis, & malis: eorumque etiam, saltem plurimum, usus, potest esse bonus, & malus: atqui beatitudo non compatitur secum aliquod malum; aliàs non esset status optimus, seu supremæ felicitatis: ergo. Plures rationes vide apud S. Thomam loc. cit. Quare, cum in nullo bono creato stare beatitudo possit, debet stare in bono increato, scilicet in DEO; quod erat ostendendum.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

34. **O**B. 1. contra 2. conclusionem. Non est possibilis beatitudo naturalis hominis: ergo nulla datur. prob. antec. ordinatio hominis ad beatitudinem tantum datur in statu elevationis: ergo nulla est possibilis purè naturalis: Confirm. 1. Nulla beatitudo naturalis excludit omnem miseriam hominis: ergo nulla est vera beatitudo. Confir. 2. Homo in statu puræ naturæ esset purus, & quidem essentialiter servus: ergo non posset sibi mereri præmium, seu beatitudinem. Confirm. 3. Si posset natura mereri, aut habere beatitudinem, tunc esset sibi sufficiens, & deprimeretur æstimatio gratiæ: sed hoc est absurdum: ergo. Resp. Cum fuerit possibilis status puræ naturæ, ut hic suppono tanquam innegabile, utique etiam debuit fuisse possibilis status perfe-

E

Eus

ctus illius naturæ, ita, ut homo pro suo statu tunc etiam consequi potuisset suum ultimum finem, ad quem necessariò conditus est; si enim finem, ad quem ordinatur, consequuntur, aut saltem consequi possunt, etiam creaturæ irracionales, quanto magis rationales? In forma, neg. antec. ad prob. dist. antec. ordinatio hominis ad beatitudinem tantum datur in statu elevationis defacto. conc. antec. daretur tantum, etiam tunc, si existeret status puræ naturæ. neg. antec. & conseq.

35. Ad 1. confirm. neg. antec. Cognitio DEI etiam abstractiva tantum, sed valde intensa, item amplexu subsequens, specialis quoque protectio DEI, removerent hominem ab omni peccato, morte, aliisque miseris. Quid autem ex his fuisset essentia beatitudinis, quid proprietates, statuerendum erit proportionaliter ad ea, quæ dicemus infra de beatitudine formali supernaturali. Ad 2. confirm. Etiam in statu elevationis homo manet essentialiter servus, nec status filii adoptivi tollit servitutum: sicut ergo homo nunc potest mereri præmium supernaturale merito condigno in actu primo, non verò, antecederet ad promissionem Divinam, merito condigno in actu secundo: ita posset etiam mereri præmium naturale: sed hæc spectant potius ad quæstionem de justitiæ commutativa inter DEUM, & hominem. Ad 3. confir. neg. ma. tunc enim non posset natura acquirere ulla gratiæ dona, quæ tamen nunc potest acquirere: dein beatitudinem non haberet pro libitu, sed deberet eam mereri, & posset ab ea etiam excludi.

36. Ob. 2. Cognitio abstractiva DEI non quietaret intellectum, sed potius accenderet desiderium cognitionis intuitivæ: ergo non posset in ea stare beatitudo formalis: atqui intuitiva cognitio DEI naturaliter dari non potest; ergo DEUS non est objectum beatificum naturæ puræ, sed debet esse aliquid aliud, quod naturaliter intuitivè cognosci potest. Resp. neg. antec. non enim excitaret desiderium inquietum; quia homo abstractivè cognoscens DEUM, haberet omnem felicitatem in eo statu sibi possibilem: firmè sicut dicitur de supernaturaliter Beatis, qui, modò habeant visionem intuitivam DEI, non desiderant perfectiorem, & perfectiorem in infinitum, nec invident alius melius DEUM videntibus; aliàs, si Beati semper plus, & plus desiderarent, ultra lineam sibi debitam, tandem expeterent unionem hypostaticam.

37. Dices. S. Thomas 1. p. q. 12. a. 1. in corp. ait, ultimam hominis beatitudinem stare in operatione altissima intellectus: ergo in visione intuitiva DEI. Confirm. ex eodem *ibidem* dicente: *Si nunquam essentiam DEI videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet, quam in DEO, quod est alienum à fide*: & addit, non quiescere desiderium naturale cognoscendi DEUM, nisi per essentiam eum cognoscat. Responderi posset, negando conseq. quia etiam cognitio abstractiva DEI est operatio intellectus altissima in ordine naturæ: melius tamen ad mentem S. Doctoris respondetur, dist. antec. ait, stare beatitudinem supernaturalem &c. conc. antec. beatitudinem tantum natura-

lem, neg. antec. & conseq. Eadem responsio fertur ad confirmationem.

38. Sanè agit ibi S. Doctor de beatitudine in statu elevationis, seu de visione DEI per essentiam, hoc est, de visione intuitiva, vel quiddam, tativa DEI. Alibi autem, scilicet 1. p. q. 62. a. 1. distinguit duplicem beatitudinem, unam naturalem, quam, ait, juxta Aristotelem stare in contemplatione DEI perfectissima, quanta scilicet naturaliter dari potest: alteram verò supernaturalem, quam, ait, stare in visione DEI, sicuti est, Quando autem S. Doctor q. 12. primò cit. ait, homini inesse naturale desiderium cognoscendi primam causam, debet exponi de cognitione naturæ proportionata.

39. Vel, si S. Doctor intelligit cognitionem quiddam intuitivam, debet exponi, non de desiderio, omnino strictè naturali, sed de tali, quod, etsi non expleatur, tamen non fiat violentia: & quod quidem absolute possit remanere inane, sive non fiat, non tamen debeatur tale remanere, sed possit expleri, sicut actu expletur in Beatis. Et sic sanè exponendus est. cit. q. 12. ne sibi, & aliis omnibus contradicat. Rursus, quando alibi Angelicus dicit, non esse perfectè beatum illum, cui adhuc restat aliquid desiderandum: vel, quando ait, imperfectum semper desiderare suam perfectionem: intelligendus est de re, vel perfectione sibi debita, desideranda, & de imperfecto positivo tali; aliàs creatura nunquam posset esse beata, ut patet consideranti.

40. Ob. 3. S. August. l. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 26. ait, non esse locum medium, sed hominem, vel debere esse cum Christo, vel cum diabolo. Rursus idem S. Augustinus contra Julianum sæpe ait, DEUM non posse imaginem suam nulli peccato obnoxiam privare vitæ æternæ: ergo non est possibilis beatitudo, nisi, quæ defacto datur supernaturalis. Confirm. Idem S. Doctor l. 1. confess. c. 1. ait ad DEUM: *Fecistinos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: ergo. Resp. Sensus objectus primo loco nullis verbis exprimitur: nihilominus dist. ant. & loquitur de hac providentia, & statu elevationis. conc. antec. de omni providentia, & etiam statu naturæ puræ tantum possibili, neg. antec. & conseq. Ad 2. locum servit eadem responsio: scilicet DEUS hoc non potest in statu elevationis, in quo justis promisit vitam æternam. Ad confirm. dist. conseq. Inquietum est cor, donec requiescat, quiete sibi debita. conc. conseq. indebita, seu supernaturali. (subdit. in hac providentia, in qua, vel datur quies supernaturalis, vel nulla, conc. conseq. in alia providentia. neg. conseq.)

41. Ob. 4. Cognitio abstractiva DEI non est possessio ejusdem: ergo DEUS non potest esse beatitudo objectiva in statu puræ naturæ. prob. conseq. beatitudo objectiva debet posse possideri: atqui DEUS non potest possideri in statu puræ naturæ; quia tantum potest de ipso haberi cognitio abstractiva quæ non est possessio ejus: ergo. Confirm. 1. Beatitudo objectiva est illa, quæ repræsentatur per formalem: atqui per formalem, si hæc sit cognitio DEI abstractiva, repræsentantur tantum res creatæ: ergo. Confirm. 2. Perfectior esset cognitio intuitiva Angelorum, quam abstractiva DEI: ergo.

ergo potius illa erit beatitudo. Resp. neg. antec. Possessio tantum debet esse intentionalis, hoc est, intellectualis perceptio, qualis etiam est cognitio abstractiva, licet imperfectior, quam intuitiva. Ad 1. confirm. dist. ma. beatitudo objectiva est illa, quæ repræsentatur, vel immediate in se, vel mediatè in alio. conc. ma. est tantum illa, quæ repræsentatur immediate in se. neg. ma. & dist. mi. repræsentantur res creatæ immediate in se. conc. mi. mediatè in alio; neg. mi. & conseq.

42. Ad 2. confirm. In primis cognitio intuitiva Angelorum potest simul esse abstractiva DEI; quia in Angelis, tanquam in medio, potest DEUS abstractivè cognosci; quo casu una non est perfectior altera: vel certè hæc cognitio esset perfectior aliâ, quæ tantum esset intuitiva Angelorum, & non simul abstractiva DEI. An autem cognitio tantum intuitiva Angeli sit physicè perfectior alia cognitione, quæ esset intuitiva alicujus inferioris creaturæ, & simul abstractiva DEI, nihil facit ad rem; quia tamen illa non esset beatificans; cum non esset possessio summi boni, cujus solius possessio potest beatificare. Unde in forma. om. antec. neg. conseq. ex ratione modò data. Addo tamen, cognitionem abstractivam DEI non debere esse intuitivam qualiscunque ignobilis creaturæ, sed valde perfectæ, saltem substantiæ spiritualis, aut Angeli; in his enim, tanquam perfectioribus speculis, magis relucet DEUS.

QUESTIO II.

De Beatitudine Formali Supernaturali.

ARTICULUS I.

In quo consistat Essentia Beatitudinis Formalis.

43. **B**eatitudo formalis est idem, ac forma constituens, vel denominans beatum: de qua Boëtius, de consol. Philosoph. l. 3. sub initium profæ. 2. sic scribit. *Liquet igitur, esse beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum*; unde S. Thomas 1. 2. q. 2. a. 1. arg. 2. ait: *Secundum Boëtium in 3. de consol. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Quæ definitio, etsi communiter recepta sit, tamen non convenit beatitudini, tantum essentialiter sumptæ, sed accidentaliter, & integraliter acceptæ; ad hoc enim, ut quis sit in tali statu, sive, ut denominetur beatus, non sufficit sola forma, sed requiruntur plura alia, negativa, & positiva, quæ, sive ut conditiones, sive ut partes, negativæ, aut positivæ, requiruntur, ut detur totus ille status; ut enim diximus 11. de DEO num. 790. & alibi, non requiritur sola forma, sed plura alia ad denominationem: quare aggregatio omnium bonorum videtur plus dicere, quam tantum beatitudinem formalem, essentialiter sumptam. Melius dicitur *beatitudo formalis esse possessio beatitudinis*.

nis objectivæ, sive DEI: & de hac quaritur, in quo ejus essentia consistat.

44. In quatuor potissimum opiniones abeunt Auctores. Prima est, quæ tribuitur Henrico Gandavensi *quodlibet. 13. q. 12.* scilicet, beatitudinem formalem stare in illapsu Divinæ essentiae in animam, vi cujus non tantum detur aliqua intentionalis, sed etiam aliquantè realis; unio beatitudinis increatæ cum creatura beata, quam unionem, ait, fieri *per circuminjectionem, non anime illabentis Divinitati, sed potius è converso Divinitatis illabentis in animam*. Ita hunc auctorem intelligunt Tannerus, Gormaz, & alii, quamvis fateantur, eum obscure loqui, uti sanè loquitur: & hinc Valquez eum excusat. Alii autem dicunt, dubium esse, an de formali, an de objectiva beatitudine loquatur.

45. Huic sententiæ sic explicatæ affines sunt quidam Doctores Parisienses, qui beatitudinem formalem constituerent in ipsa operatione increata, vel visione, & possessione, quæ DEUS se, & alia vider, quæque aliquo modo uniatur animæ beatæ. Sed tam hæc, quam prior opinio, vel explicatio opinionis, nunc deseritur ab omnibus, & merito; quia in Scripturis beatitudo nostra formalis vocatur sæpe vita æterna: sic Joannis 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum*: ergo debet esse operatio vitalis, atque adeò à nobis producta, & non tantum nobis, passivè nos habentibus, illapsa. Rursus Divinitas plusquam moraliter nemini unitur, præterquam naturæ humanæ Christi.

46. Altera sententia est Thomistarum, & plurium aliorum, etiam ex nostris, assententium, essentiam beatitudinis formalis consistere in sola visione beatifica. Tertia est Scotistarum, volentium, eam consistere in solo amore beatifico, quibus accedit Ægidius, & alii. Quarta est S. Bonaventuræ, Hugonis de S. Victore, Vegæ, Richardi, Alberti, Suarezii, Molina, Lessii, Amici, Ulloæ, Haunoldi, Gormaz, & plurium aliorum, quos vide apud Suarez in 1. 2. tr. 1. disp. 7. sec. 1. n. 24. docentium, essentiam beatitudinis formalis completi tam visionem, quam amorem: cum quibus & ego sentio.

47. Probatur conclusio. Scripturæ & PP. debent, quantum possunt, ita accipi, & exponi, ut sibi non contradicant: hoc non fit, nisi dicatur, beatitudinem essentialem stare in visione, & amore: ergo, major est communis, mi. prob. quidam textus Scripturæ, & etiam Patrum, dicunt; beatitudinem stare in visione; quidam in amore; quidam in utroque: sed hi sine contradictione exponi non possunt, nisi dicatur, in quolibet istorum seorsim stare beatitudinem in adæquatam, in complexu verò adæquatam: vel in visione beatitudinem expressivam, in amore affectivam, in utroque totam: ergo. prob. mi. si aliter possent conciliari, tunc v. g. dicendo, quod aliqui textus loquantur de beatitudine essentiali, alii de integrali, vel accidentali: sed hæc expositio est sine sufficienti fundamento alata: ergo. prob. mi. non est ullum signum, ex quo colligatur, quod Scripturæ, vel Patres, in uno casu aliter beatitudinem accipiant, quam in alio; ut patet ex textibus mox afferendis ergo.

48. Itaque textus, significantes beatitudinem stare in visione, ex pluribus possunt adduci isti. *Joan. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum. Matthæi 5. v. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. 1. Joan. 3. v. 2. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Concilium Francofordiense in epistola ad Episcopos Hispania in sine ait: Est ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est æterna beatitudo, & beata æternitas. S. Aug. enarratione in psal. 90. sub finem. Nescio, quid magnum est, quod visuri sumus, quando tota merces nostra visio est. Plures alios PP. citatos vide apud Suarezium in 1. 2. tr. 1. disp. 5. sec. 1. n. 7.*

49. At verò testimonia asserentium, beatitudinem stare in amore, etiam sunt plura. *Matth. 15. v. 21. Intra in gaudium Domini tui. Joannis 15. v. 11. Ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. & c. 16. v. 22. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. S. Aug. de civit. DEI l. 8. c. 9. ait: Quisquis ergo fruitur eo, quod amat, verumque, & summum bonum amat, quis eum beatum, nisi miserimus negat? Idem l. 10. confessi c. 22. ait: Ipsa est beatæ vitæ gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non est altera. Alterum de doctrin. Christiana l. 1. c. 32. Hæc autem merces summa est, ut eo DEO perfruamur: & quamvis addat: ut nobis etiam invicem in ipso perfruamur: mox se explicat, dicens c. 33. Cum autem homine in DEO fruieris, DEO potiùs, quam homine fruieris. Rufinus l. 1. de moribus Ecclesie c. 3. negat esse beatum, qui non amat, quod habet, etiamsi optimum sit: & paulò post subjungit. Quantum vestat, ut video, ubi beata vita inveniri queat; cum id, quod est hominis optimum, & abatur. & c. 14. Quid erit optimum hominis, nisi cui inherere est beatissimum? id autem est solus DEUS, cui herere certè non valemus, nisi dilectione, amore, caritate &c.*

50. Tandem testimonia beatitudinem collocantia in utroque actu, intellectus, & voluntatis, etiam sunt varia. *psal. 37. v. 9. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. & in lumine tuo videbimus lumen. Benedictus XI. dictus XII. in Extrav. Benedictus DEUS quam exhibet Alphonsus à Castro adversus hereses l. 3. verbo: Beatitudo, sic definit: Nec non, quod tali visione, & fruitione eorum anime, qui jam decesserunt, sunt verè beatæ, & habent vitam æternam, & requiem, & omnium illorum, qui postea decedent, cum eandem Divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruatur ante generale judicium. Catechil. Rom. p. 1. c. 14. exponens Apostolici Symboli articulum 12. Vitam æternam, mihi n. 6. de inenarrabili Sanctorum gloria sic ait: Solida quidem beatitudo, quam essentiali communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut DEUM videamus, ejusque pulchritudine fruamur. S. Bernard. epist. 18. Si enim adhuc absentes imitat fides, & desiderium, presentes profectio consummat intellectus & amor: & intra: His ergo forasse quasi duobus anime brachiis, intellectu, scilicet & amore, id est cognitione, & delectatione veritatis, amplectitur, & comprehenditur ab omnibus Sanctis longitudo, latitudo, sublimitas, & profunditas.*

§ 1. Prob. conclusio 2. Beatitudo formalis

est adæquata satiæ creaturæ rationalis quæ talis: atqui hæc satiæ non datur sine complexo ex visione, & amore: ergo. ma. patet; nam qui non est plenè, & adæquatè satiatus, non est plenè contentus, sed adhuc inquietus; consequenter necdum beatus, prob. etiam mi. creatura rationalis ut talis habet duplicem appetitum, scilicet intellectus, qui debet satiari visione, & voluntatis, qui debet satiari amore: ergo. Equidem adversarii distinguunt satiæ formalem, & radicalem. Prior, seu satiæ formalis, est aliqua forma, per quam actu habitam appetitum creaturæ rationalis actu est satiatus: satiæ radicalis est radix, seu causa alicujus alterius formæ, quæ immediatè per se appetitum satiæ: & in nostro casu ita se habet visio beatifica, quæ est quidem forma immediatè satiatis appetitum intellectus, & respectu hujus est immediata formalis satiæ: at verò non est forma immediatè per se satiatis voluntatem, sed tantum est causa, & radix amoris, qui voluntatem immediatè formaliter satiæ. Dicunt itaque adversarii, beatitudinem formalem esse satiæ creaturæ rationalis, partim formalem, partim radicalem.

52. Sed contra est. Radicalis satiæ tantum est radicalis beatitudo; unde per visionem solam creatura non est adæquatè, sed tantum inadæquatè formaliter, & inadæquatè radicaliter beata; sic, quæ duos favores, aut beneficia, à principe sperat, nondum est beatus, estimum formaliter acceperit, si alterum necdum formaliter, sed tantum radicaliter accepit; quia etiam cupit, alterum formaliter habere, & eo nondum formaliter habito, est tantum beatus in spe, nondum in re: sic etiam, si famens, & sitiens, formaliter quidem comedit, necdum autem formaliter bibit, quamvis potum, seu, ut ita dicam, radicem, & causam sitis extinguenda, habeat, nondum censetur contentus, aut suo modo beatus. Certè extra hanc quæstionem videtur hæc esse communis persuasio, quod quis non possit dici plenè, aut formaliter contentus (seu, quod idem est, suo modo beatus) nisi formaliter sit satiatus. Et quid si, (ut non videtur impossibile; certè plures id possibile docent) DEUS, concessa visione aliqua intuitiva DEI, negaret concursum ad amorem? nemo diceret, quod talis esset formaliter adæquatè beatus: Dixi aliqua visione; nam si DEUS concederet talem, qualem nunc dat, scilicet certificantem, quod amor sit futurus perpetuus: non posset negare concursum ad amorem.

53. Secundo, si ad beatitudinem formalem sufficit radicalis satiæ voluntatis, etiam sufficere ad eandem radicalis satiæ intellectus: adeoque poterit beatitudo formalis statui in formæ gloriæ, tanquam radice visionis. Si dicatur lumen gloriæ non esse actum vitalem, respondet poterit, esse actum vitalem radicaliter, & intuitivè, atque eodem modo esse possessionem DEI, quæ imò esse in aliquo sensu formaliter aliquam possessionem, quatenus DEUM possit quasi in potestate habentis lumen gloriæ, ut prohibitu eam cognoscat, & amet. Si replices, debere beatitudinem esse actum vitalem formaliter, Resp. id non posse probari, nisi autoritate: at autoritas pariter probat, debere esse fruitionem, vel gaudium formale. Certè, si

SS,

SS. Patres, vel etiam Scripturæ, in sensu proprio sumantur, non magis probant unum, quam alterum. e. g. Scripturæ non minus dicunt, quod beatitudo sit gaudium, vel torrens voluptatis, quàm, quod fit vita æterna.

54. Dices 1. Cur ergo ad beatitudinem formalem, essentialiter sumptam, non etiam spectat satiæ formalis aliarum inferiorum potentiarum? Resp. beatitudinem essentialiter non posse stare in alio, quàm in possessione beatitudinis objectivæ: atqui satiæ formalis inferiorum potentiarum non est possessio beatitudinis objectivæ, seu DEI; quia præter intellectum, & voluntatem, nulla potentia potest immediatè attingere, vel possidere DEUM, Dein beatitudo, essentialiter sumpta, est eadem in Angelis, & hominibus, & tamen Angeli non habent alias inferiores potentias: pariter animæ separatæ defacto in celo, ut definit Bened. XII. cit. n. 59. sunt verè beatæ, adeoque gaudent, non tantum partiali, sed tota beatitudine essentiali, ut nemo negat: atqui animæ istæ in hoc statu non habent alias potentias, quàm intellectum, & voluntatem: ergo.

55. Dices 2. Plures auctores docent, & etiam nos ipsi diximus, essentiam DEI non debere involvere formaliter omnes perfectiones Divinas, sed sufficere, modò eas radicaliter, seu arguitivè inferat: ergo nec beatitudo formalis debet formaliter involvere omnem satiæ formalem, modò radicaliter eam asserat. Resp. neg. conf. & paritatem. Prædicatum entis à se, quod in definitione DEI ponitur, est realiter identificatum cum omnibus perfectionibus Divinis, adeoque est eorum radix metaphysica, seu tantum formaliter distincta, in qua non quidem formaliter, sed tamen realiter, omnes per identitatem continentur. At visio est realiter distincta ab amore, & non tantum in sensu formali, sed reali, est radix, & quidem physica ejusdem amoris. Sed neque hæc quaritur definitio beatitudinis formalis (quæ tamen, qualiscunque assignetur, si non debet formaliter, & explicitè dicere satiæ formalem utriusque potentie, debet saltem eam dicere reatè, & implicitè) sed quaritur tantum, quænam sint partes, physice constitutivæ, essentialis beatitudinis, quales, sicut respectu hominis sunt anima, corpus, & unio, ita respectu beatitudinis formalis est gemina satiæ, nempe intellectus, & voluntatis.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

56. Ob. 1. pro illapso Divinitatis. Beatitudo nostra non stat in aliquo creato: ergo in illo illapso in creato. Confirm. 1. *psal. 35. v. 10. dicitur: In lumine tuo videbimus lumen: ergo per ipsum DEUM, seu in ipso DEO, aut increata visione, videbimus DEUM. prob. confeq. Lumen secundæ vice positum significat DEUM: ergo etiam primæ vice positum, aliàs lumeretur lumen æquivocè, modò pro DEO, modò pro creatura. Confirm. 2. Ad Rom. 6. v. 23. dicitur. Gratia autem DEI vita æterna: ergo nostra beatitudo,*

quæ est vita æterna, est gratia: atqui gratia est quidam illapso Divinitatis: ergo. Confirm. 3. Si beatitudo staret in visione, vel amore creato, tunc posset aliquis esse beatus, etsi non daretur DEUS: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. potest dari, saltem supernaturaliter, visio rei non præsentis: ergo etiam potest dari visio DEI non præsentis, vel non existentis: sed, qui hanc haberet, esset beatus: ergo.

57. Resp. dist. antec. Beatitudo objectivæ non stat in aliquo creato. om. antec. beatitudo formalis. neg. antec. & confeq. Ad 1. confir. neg. confeq. ad prob. neg. iterum confeq. Lumen prima vice positum significat lumen gloriæ. Nec per hanc diversam acceptionem luminis committitur æquivocatio mala; cum tantum fiat metaphora, quæ neminem decipit; quia communifimè sic ab authoribus intelligitur. Ad 2. confir. concessio 1. enthymemate, dist. subsumpt. gratia est illapso Divinitatis increatus. neg. subf. est illapso creatus, vi cuius DEUS moraliter se insinuat animæ. conc. subf. & neg. conf. Ad 3. confirm. neg. ma. ad prob. om. antec. neg. confeq. Licet alterius rei non præsentis possit supernaturaliter dari visio, non tamen potest dari visio DEI; quia nihil potest supernaturaliter dari sine DEO, nec iste dari, nisi præsens; quia necessariò est immensus. Si quæras, an, si per impossibile daretur visio, & amor DEI, DEUS autem non existeret, tamen homo beatus esset, respondet Vasquez, & Sangallenses affirmativè, & dicunt, ex uno impossibili sequi aliud, videri etiam potest Suarez in 1. 2. tr. 1. disp. 5. sec. 2. n. 7.

58. Ob. 2. Pro sola visione, S. Aug. cit. n. 48. ait, totam mercedem fore visionem: ergo non simul amor. Similiter alii Patres loquuntur tantum de visione, quando loquuntur de beatitudine. Resp. etiam S. August. cit. n. 49. ait, quod fruitio DEI sit summa merces: & in aliis textibus *ibidem* citatis videtur latè clare amorem ad essentiam beatitudinis requirere, & simul negare, sine hoc aliquem beatum esse. Ne ergo sibi contradicatur, exponendus est cum Ulloa de DEO disp. 5. c. 2. n. 13. dicendo, quod non loquatur de visione tantum speculativa, & arida, sed de dulci, & beatificante, seu conjuncta cum amore: quod etiam insinuat verbis à S. Doctore statim ibi subjunctis: *Latificabit nos, quomodo videtur modò ab Angelis.*

59. Sicut enim, quando Scripturæ, aut Patres dicunt: *Omnis quippe caro corruperat viam suam. Gen. 6. v. 12. vel: Omnes anime domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum. Gen. 46. v. 27. vel quando dicunt, fidem justificare &c. non intelligunt carnem, vel animam, aut fidem solam, sed illam conjunctam cum anima, & istam conjunctam cum carne, & fidem tum aliis virtutibus: ita etiam eadem Scripturæ, & Patres, quando loquuntur de visione, vel dilectione beatifica, intelligunt quamlibet ut conjunctam cum altera partiali beatitudine. Sic S. Thomas q. 22. de veritate, quæ est de voluntate, a. 11. ad 11. ait, quod S. Gregorius per contemplationem non intelligat tantum intelligere, sed etiam diligere. Et hoc vel ideo probabilius dicitur; quia hac ratione contradicchio inter SS. Patres vitatur. Accedit, ut observat idem Ulloa citato eodem capitulo n. 14. quod SS. Patres non semper totam beatitudinem*

E 3

itudinem

titudinem explicent, sed partem unam præ alia exponant: sicut, quando agunt de Christo, quandoque tantum agunt de ejus corpore, quin propterea negare velint, eum etiam constitui ex anima.

60. Ob. 3. S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 4. in corp. ait: *Quantum ad id, quod est essentialiter ipsa beatitudo, impossibile est, quod consistat in actu voluntatis: ergo.* Resp. Mens S. Doctoris non est clara: hoc loco quidem videtur excludere ab essentia beatitudinis amorem: sed pluribus aliis locis eundem amorem includit. Sic eadem 1. 2. q. 1. a. 8. in corp. ait: *Homo, & alie rationales creature consequuntur ultimum finem cognoscendo, & amando DEUM.* Item q. 4. a. 8. ad 3. ait: *Perfectio charitatis est essentialis beatitudini, quantum ad dilectionem DEI.* Rursum 2. 2. q. 27. a. 6. ad 3. Interior actus charitatis habet rationem finis; quia ultimum bonum hominis consistit in hoc, quod anima DEO inhaereat. Iterum in 4. dist. 49. q. 5. a. 1. in corp. ait: *Premium essentialis hominis, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione anime ad DEUM, in quantum eo perfecte fruatur ut viso, & amato perfecte.*

61. Plures textus Angelici suggeret Gormaz, qui vult positive probare, S. Doctorem amplexum esse nostram sententiam. Saltem, ne debeat dici, eum sibi contradicere, commode exponitur, dicendo, quod loco objecto tantum loquatur de beatitudine expressiva, non affectiva, prout eum exponit Gormaz: vel de beatitudine principaliter accepta, seu principali ejus parte, prout eum exponit Suarez; & videtur seipsum exponere Angelicus: 3. contr. Gentil. c. 26. ubi fuse hæc disputans aliquoties dicit, beatitudinem principaliter, & magis stare in actu intellectus, quam voluntatis.

62. Ob. 4. Beatitudo objectiva est una, & simplex: ergo etiam beatitudo formalis: ergo hæc est sola visio: Confirm. Beatitudo formalis est operatio perfectissima: atqui hæc est sola visio: ergo. Resp. neg. primam consequentiam. Beatitudo objectiva, saltem primaria, eatenus est una, & simplex, quatenus est DEUS: at possessio DEI, quæ est beatitudo formalis, ut sit perfecte satisfactiva, debet esse duplex. Ad confirm. dist. ma. est operatio perfectissima unius tantum potentie. neg. ma. utriusque. conced. ma. & dist. sic mi. neg. consequentiam.

63. An autem visio sit operatio absolute perfectissima, etiam perfectior amore, dubium est. Affirmant Thomistæ, negant Scotistæ; nec rem est facile definire; cum videantur se habere per modum excedentis, & excessi. Visio est radix amoris, & simul similitudo objecti: item per hanc videtur DEUS magis glorificari; nam gloria est clara cum laude notitia. E contra amor est quasi finis visionis, quæ ad eum ordinatur: & sicut actus charitatis in via est perfectior actu fidei, ita etiam in patria videtur esse perfectior visione; cum etiam ordo Seraphinorum sit superior ordine Cherubimorum; cum tamen illi ab intentione amoris, isti à scientiæ perfectione, nomen acceperint. Ulterius ipsa voluntas, utpote potentia libera, videtur esse perfectior intellectu necessitate, consequenter & actus illius: alij tamen putant, intellectum, utpo-

te perspicacem, esse perfectiorem voluntate causa. Relinquamus quæstionem totam sub dubio.

64. Ob. 5. Illud est beatitudo formalis adæquata, quod primò distinguit beatum à non beato, & est radix aliorum, quæ ad beatitudinem pertinent: sed istud est visio beatifica: ergo. Resp. dist. 2. partem ma. & est radix aliorum, quæ ad beatitudinem pertinent tanquam proprietates. conc. ma. quæ pertinent tanquam compartes. neg. ma. & dist. sic mi. neg. consequentiam. Potest una pars esse radix, vel causa alterius compartis, ut est innegabile in pluribus totis, e.g. in igne calido, in aqua frigida, in intellectu cognoscente: item in compositis irrationalibus, ubi semper materia est causa formarum, & quamvis non sit radix determinatè exigens, est saltem exigens indeterminatè formam, cujus est compar in toto composito. Quod autem amor sit compar visionis, ad constituendam adæquatam beatitudinem, videtur jam probabilius ostendisse.

Ceterum etiam prima pars antec. merito negatur; nam non est verum, quod essentia adæquata rei sit in eo, quod rem distinguit ab omni alia, & est radix aliorum; nam forma semper distinguit primò rem ab omni alia, estque radix omnium proprietatum: & quamvis non sit productiva materiæ, saltem est exigiva ejusdem: quæ tamen materia est etiam inadæquata essentia hominis, quamvis non distinguat eum ab omni alio, neque sit radix operationum, aut proprietatum omnium hominis.

65. Ob. 6. In signo visionis jam datur beatitudo, & nondum datur amor: ergo iste non est pars beatitudinis. prob. 1. p. antec. repugnat, ut non sit beatus, qui videt DEUM: ergo. Confirm. Actus voluntatis non est primum volitum: ergo non constituit beatitudinem formalem. Resp. dist. 1. partem antec. In signo visionis jam datur beatitudo inadæquata conc. adæquata. subdist. datur jam formaliter, neg. datur radicaliter tantum. conc. antec. & neg. consequentiam. ad prob. retorq. arg. etiam posito lumine gloriæ, vel tantum decreto DEI, repugnat, ut quis non sit beatus, quin aliquis per ista sit formaliter jam beatus. In forma dist. antec. repugnat, ut talis non sit beatus per visionem formaliter adæquatè. neg. antec. radicaliter tantum. conc. antec. & neg. consequentiam. Ad confirm. retorq. arg. Eodem modo visio non est primum visum, aut cognitum, vel, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 1. a. 1. ad 2. primum visibile. In forma om. antec. neg. consequentiam. Per primum volitum intelligitur primum appetibile, vel primario amatum, & hoc non est beatitudo formalis, sed objectiva. Si quis autem per primum volitum tantum vellet intelligere primò à voluntate elicitum, tunc actus voluntatis esset primum volitum: sed hæc expositio primi voliti non haberet sufficientem autoritatem.

66. Ob. 7. DEUS est beatus per solam visionem sui ipsius: ergo etiam creature sunt beatæ per visionem DEI. Confirm. Sola visio est similitudo cum DEO: sed in hac similitudine stat beatitudo ex illo 1. Joan. 3. v. 2. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est:* ergo. Resp. neg. antec. Imò, cum visio DEI sit realiter, & virtualiter identificata cum amore necessario

DEI

per cognitionem, nisi eadem etiam ament.

DEI, ut suppono ex tract. de DEO, est impossibile, ut visio, realiter sumpta, sit beatitudo DEI, & non etiam amor realiter, & virtualiter identificatus. Ad confirm. dist. mi. in similitudine stat beatitudo adæquata. neg. mi. inadæquata. conc. mi. & neg. consequentiam. Plus ex citato textu non eruitur: & si dubius foret, deberet exponi ita, ut aliis non contradiceret.

67. Ob. 8. Sola visio est possessio DEI: ergo sola est beatitudo formalis. prob. antec. solus intellectus trahit ad se objectum, & illud possidet: voluntas autem potius trahit, & possidetur ab objecto: ergo. Confirm. Pulchritudo Divina possidetur per solam visionem: ergo hæc est sola beatitudo. prob. antec. pulchra spectacula solo visu possidentur: ergo etiam pulchritudo DEI. Resp. neg. antec. quia præter possessionem expressivam, datur etiam affectiva. ad prob. modi illi loquendi sunt metaphoræ: non enim revera physice intellectus trahit, aut trahitur voluntas: sed ille dicitur trahere, quatenus producit in se imaginem objecti, habet aliquo modo in hac imagine objectum intra se repræsentativè: voluntas autem non habet intra se repræsentativè objectum; quia non producit ejus imaginem, sed amorem, qui est quasi pondus inclinans ad objectum: & sub hac tantum ratione voluntas trahitur ad objectum.

68. Istud tamen non impedit, quo minus voluntas etiam objectum possideat intentionaliter, & modo vitali: quæ sola possessio hic intelligitur, & respectu DEI dari potest: certè etiam, qui trahitur ab avibus in sylvam, ad eas capiendas, postquam ipsas cepit, utique possidet. In forma dist. antec. in sensu metaphorico. conc. in physico neg. antec. & consequentiam. Imò, cum amor sit unio amantis cum amato, est fortè affectivo objecti firmiter, quam cognitio; sæpe enim fugimus objectum cognitum. Ad confirm. neg. antec. etiam appetitum, & complacentiam, possidentur pulchra spectacula; aliis homo ea non magis possideret, quam brutum. Dein pulchritudo Divina à creatura rationali non tantum possidetur ut vera, sed etiam ut bona, adeoque tam à voluntate, quam ab intellectu.

69. Dices ex Arriaga tom. 2. disp. 49. sec. 4. num. 27. § sec. 6. num. 22. § 33. Fruitio, vel delectatio de DEO, stat primò in ipsa perceptione objecti, adeoque etiam in visione: ergo ista est possessio fructiva, adeoque beatitudo. prob. antec. ipsa auditio musicæ, ipsa visio coloris, ipsa perceptio rei mollis, vel suaviter odoratæ, est ejus fructio, vel delectatio sensibilis: ergo ipsa perceptio apprehensiva, vel cognoscitiva est fructio. Confirm. Si ipsa visio est fructio, tunc pro nobis nil probant Patres, constituentes beatitudinem in fructione, ut patet: sed visio est fructio: ergo. Resp. neg. antec. quod est contra S. Augustinum l. 1. de doctrina Christiana c. 4. ubi ait: *Fruere enim est amare alicui rei inhaerere propter se ipsam* &c. ad prob. vel etiam in potentis sensitivis dantur perceptiones, quarum una objectum sensibile suo actu sensibilibus cognoscit, altera suo actu de eo delectatur, vel non: si primum. neg. antec. si secundum. neg. consequentiam. quia non est paritas cum potentis rationalibus, quæ uno actu percipiunt, altero fruuntur: & non fruuntur iis, quæ vel maxime perciperunt

70. Videtur sanè, nullo modo posse dici is frui objecto, qui illud perfectissimè quidem cognoscit, sed simul odit, & horret. Quod si quis etiam tantum præcivise se habeat, & nec amet, nec odio habeat, tam parum fruatur objecto, quam parum bos, aspiciens pulchram picturam, nec gratam, nec ingratam sibi. Ubi etiam adverto, quod, si potentia sensitiva tantum unum actum eliciat, qui simul sit perceptio, simul fructio sensibilis, tamen non quilibet perceptio sit fructio (nam utique potest quis vel maxime percipere odorem, aut saporem ingratum, quin fruatur) quare, ut sit fructio, debet esse certa species perceptionis, scilicet simul blandè affectivis potentiam. Quod autem, facta suppositione identitatis inter perceptionem, & delectationem sensibilem, fit in potentis sensitivis per unum actum, fit in rationalibus per duos; nam in his ex S. August. & aliis, fructio, vel delectatio propriè dicta, non stat in sola cognitione objecti, sed saltem etiam in amore. Ceterum mihi probabilius videtur, etiam in brutis dari duos actus, quorum unus fit cognitio materialis rei, alter appetitus, vel gaudium materialiter tale, de re, & quod unus se habeat pro priori ad alterum; quia bruta videtur prius cognoscere, dein primum appetere, vel fugere objectum.

71. Ob. 9. Actus voluntatis, affectivè tendens in objectum, vel est desiderium boni, vel est gaudium de illo: neutrum est possessio: ergo. prob. min. desiderium est de bono absente, five de nondum possesso, seu nondum habita possessione: gaudium est delectatio de bono jam possesso: adeoque supponit possessionem: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. dist. 2. p. ant. gaudium concupiscentiæ est delectatio de bono jam possesso. conc. antec. gaudium amicitie. neg. antec. & consequentiam. *Gaudium concupiscentiæ* est, quo gaudeo de re, ut bona mihi: & hoc supponit rem possessam. *Gaudium amicitie* est, quo gaudeo de re, non ut bona mihi, sed ut bona amico: unde supponit quidem rem possessam ab amico; quæ non à me, sed est formalis possessio mea; at per actum amicitie bonum amici fit etiam bonum amantis, juxta proverbium: *Amicorum omnia sunt communia.* Hic actus, ut docent Suarez in 1. 2. tr. 1. disp. 7. sec. 1. n. 5. & Ulloa de DEO disp. 5. c. 1. n. 3. § seq. probabiliter non est alius actus, quam actus charitatis erga DEUM præsentem; quia nulla est necessitas distinguendi istos actus: & hoc est gaudium Sanctorum de eo, quod DEUS sit sibi ipsi bonus.

72. Ob. 10. Actus charitatis viæ, & actus charitatis patriæ sunt ejusdem rationis: sed actus charitatis viæ non est possessio DEI: ergo neque actus charitatis, seu gaudium patriæ. In primis retorq. arg. Actus charitatis viæ non est proprietas beatitudinis: ergo neque actus charitatis patriæ. Dein respondet Ulloa disp. 5. de DEO c. 1. n. 5. § n. 8. neg. ma. quia actus charitatis patriæ essentialiter præsupponit visionem beatificam; unde specie differt ab actu charitatis viæ, non ratione objecti materialis, aut formalis, sed ratione alterius essentialiter prærequisiti, ipsius scilicet visionis intuitivæ DEI. Responderi etiam potest dist. ma. ita tamen, ut actus patriæ sit longè perfectior, & intensior. conc.

ma.

ma. secus neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Nam potest facile dici, non quemlibet actum amoris esse jam possessionem DEI, sed debere esse valde perfectum, & simul debere præsupponi visionem; sæpe enim eadem res tribuit aliquam denominationem, si accedat, vel præsupponatur aliquid aliud, quam denominationem aliàs non tribueret.

73. Ob. 11. Beatus ratione solius visionis potest percipere omne commodum ex DEO: ergo ipsa est tota beatitudo. Confirm. Pœna damnata est privatio solius visionis beatificæ: ergo hæc est adæquata beatitudo. Resp. dist. antec. Beatus ratione solius visionis potest percipere formaliter, & quidem per ipsam visionem, omne commodum. neg. antec. potest percipere arguitivè, vel radicaliter ratione visionis, formaliter autem ratione complexi ex visione, & amore. conc. ant. & neg. conseq. Ad confirm. neg. antec. Pœna damnata est privatio amoris beatifici: & hæc quoque cruciat. Ubi nota, etiam solam visionem non reddere felicem eum, qui videt bona alterius, nisi etiam ea illi amet; aliàs enim potius tristabitur, vel invidabit, præsertim inimico: unde debent bona visa esse amici, vel amati: consequenter visio, & amor, simul jungi.

74. Ob. 12. à Scotistis pro solo amore. Actus voluntatis est operatio perfectissima: ergo hic solus est beatitudo formalis. Confirm. 1. Beatitudo est solus ille actus, qui appetitur propter se: atqui solus amor est talis actus: ergo. Confirm. 2. Solus actus voluntatis est possessio boni: ergo solus est beatitudo. Resp. om. antec. neg. conseq. videantur dicta in simili n. 62. Ad 1. confir. dist. ma. beatitudo est solus ille actus, qui tantum appetitur propter se. neg. ma. est etiam actus, qui quidem appetitur propter se, sed tamen etiam propter aliud. conc. ma. & dist. sic min. neg. conf. Visio, tanquam bonum ingens in se, est appetibilis propter se: quia autem illuminat ad amorem, est etiam appetibilis propter amorem: & sic appetitur propter se, & propter amorem. Non est autem de ratione beatitudinis formalis, præsertim inadæquatæ, ut non possit ordinari ad aliud; quia una pars beatitudinis formalis potest ordinari aliquo modo ad alteram; hoc enim non impedit, quo minus cum altera constituat unam beatitudinem totalem: non tamen est necessarium, ut omnis actus constitutus beatitudinem, appetatur quoque propter aliud; nam amor appetitur tantum propter se. Ad 2. confirm. neg. antec. vide n. 67.

75. Ob. 13. Beatitudo formalis est, qua habita quiescit creatura rationalis, & qua non habita non quiescit: ita se habet amor beatificus: ergo. Confirm. Ad illam potentiam spectat actus quietativus, ad quem spectat desiderium: hoc spectat ad voluntatem: ergo. Resp. dist. ma. est beatitudo formalis inadæquata. conc. ma. est adæquata. subdist. si creatura rationalis quiescat præcisè propter ipsam habitam. conc. si non quiescat præcisè propter ipsam habitam, sed etiam propter aliud præsuppositum. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Quiescit creatura rationalis fruens amore, non præcisè; quia habet amorem, sed etiam; quia habet visionem, sine qua præsupposita non datur amor: adeoque non

formaliter quiescit propter solum amorem, sed ad summum arguitivè, quatenus ex amore inferitur visio. Ad confirm. dist. ma. ad illam potentiam spectat actus quietativus, ad quem spectat desiderium, seu tantum appetitus elicitus. neg. ma. ad quam spectat appetitus saltem innatus, conc. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Intellectus habet saltem appetitum innatum, seu inclinationem ad visionem, quæ etiam debet satiari.

76. Dices. Inanimata etiam habent appetitum innatum, & non habent intellectum: quiescunt etiam, si satiatur eorum appetitus: ergo quies non spectat ad intellectum. Resp. retorq. arg. Inanimata neque habent voluntatem: ergo etiam ad hanc non spectat quies. In forma dist. conseq. non spectat ad intellectum quies rerum inanimatarum. conc. conseq. quies potentie rationalis. neg. conseq. Scilicet non debet satiari potentia, quæ non adest in subiecto: at debet satiari illa, quæ adest: neque negari potest, quod intellectus habeat appetitum innatum; nam hunc habet omnis potentia, imò omne ens, ad suum bonum, vel finem.

77. Ob. 14. Beatitudo objectiva est bonum satiativum rationalis desiderii: sed tale bonum refertur ad solam voluntatem: ergo solus actus voluntatis est beatitudo formalis. Confirm. 1. Potest quis cum perfecta divitiarum cognitione esse inops, & miser: ergo cognitio non beatificat. Confirm. 2. Sola voluntas mereatur beatitudinem: ergo etiam sola percipit. Resp. neg. min. quia rationale desiderium etiam datur ad visionem, quæ refertur, quæ spectat ad intellectum. Dein bonum beatificum debet esse quoque verum, & non tantum apparens: atqui verum refertur ad intellectum. Ad 1. confirm. retorq. arg. Etiam cum amore divitiarum, imò cum possessione physica earum, potest quis esse miser ex n. 30. scilicet non cuiuslibet, sed tantum optimi boni visio, seu etiam possessio tantum intentionalis, potest reddere, inadæquatè saltem, beatum. Ad 2. confirm. dist. ant. sola voluntas, id est, solus actus liberi, qui voluntatem formaliter talem denominant, merentur beatitudinem. conc. ant. sola voluntas, ita, ut intellectus neque in sensu reali mereatur, neg. ant. & conf. intellectus enim & voluntas sunt realiter idem: nec magis ista, quam ille in sensu reali meretur: sicut etiam visio, quæ est præmium, est actus non tantum intellectus, sed etiam voluntatis realiter acceptæ: & pariter etiam amor, qui etiam est præmium, est actus non tantum voluntatis, sed etiam intellectus realiter accepti.

78. Ob. 15. Nihil est malum per cognitionem: ergo neque bonum: prob. antec. malum culpæ stat in actu voluntatis: ergo. Confirm. 1. DEUS melius, quam quilibet creatura, cognoscit peccatum, quin hoc ei sit malum: ergo nihil est malum per cognitionem. Confirm. 2. Anima tantum patitur in potentia, per quam trahitur ad malum: hæc autem est voluntas: ergo tantum patitur in voluntate. Resp. neg. antec. Non quidem cognitio quavis mali est mala formaliter: attamen illa est formaliter mala, qua cognoscimus, malum nos attingere: sicut iuxta adversarios non quidem omnis, sed tamen cognitio ista est radicaliter mala, saltem

eatenus;

eatenus, quatenus applicat objectum, ut possit causare dolorem. ad prob. om. antec. neg. conseq. potest enim cognitio esse malum physicum. Ad 1. confirm. neg. conseq. quia cognitio non ostendit DEO, quod peccatum sit ipsi causans dolorem &c. sic etiam debent respondere adversarii, quando quæritur, cur cognitio non sit DEO radicaliter mala. Ad 2. confir. neg. ant. quod non probatur. Quid intelligatur per illud trahi, explicatum est n. 67.

79. Ob. 16. ex Ripalda. Posset dici, visionem seorsim, & amorem seorsim, esse beatitudinem adæquatam: ergo gratis litigatur. prob. antec. beatitudo adæquata non debet satiare omnes potentias, sed sufficit, ut satiet unam: ergo, quia visio satiat intellectum, & amor voluntatem, potest quilibet seorsim dici beatitudo adæquata: antec. prob. si beatitudo adæquata deberet satiare omnes potentias, requirerentur præter visionem, & amorem, plura alia ad satiandas potentias ad intellectum, & voluntate distinctas: sed nihil aliud requiritur ad beatitudinem adæquatam: ergo ista non debet satiari omnes potentias. Confirm. DEUS habet tantum unam simplicem rationem beatificandi, scilicet Deitatem: ergo connotat tantum unum actum unius potentie: ergo, five detur visio, five amor, jam datur beatitudo formalis adæquata. Resp. neg. antec. ad prob. dist. antec. beatitudo non debet satiari prorsus omnes potentias. conc. antec. non omnes potentias rationales. neg. antec. & conseq. ad prob. dist. ma. si beatitudo deberet satiari omnes omnino potentias. conc. ma. si tantum rationales. neg. ma. & conc. min. dist. conf. non debet satiari omnes omnino potentias. conc. conf. non debet satiari rationales. neg. conf. vide n. 54. Ad confirm. dist. antec. DEUS habet tantum unam rationem beatificandi realiter. conc. antec. tantum unam formaliter, seu, quæ possit tantum sub una ratione formali attingi. neg. antec. & conseq. utramque.

ARTICULUS III.

An perpetuitas beatitudinis, & certitudo de ipsa, sit de essentia beatitudinis formalis.

80. Dico 1. Beatitudo, quæ defacto datur, est æterna: ita tradunt omnes cum Magistro l. 4. dist. 49. & D. Thoma 1. 2. q. 5. a. 4. in corp. imò est de fide; nam Matth. 25. v. 46. habetur: *ibunt ibi supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*. Et quamvis vox æternam aliquando in Scripturis significet tantum longissimum tempus, tamen hoc loco omnes Patres, & Ecclesia, æternitatem simpliciter dictam intelligunt. Unde, si data fuisset aliqua visio intuitiva DEI, quæ non fuit perpetua, vel quoad se, vel quoad speciem suam, hoc est, ut saltem, transeunte una visione, alia similis succederet, non fuit vera beatitudo.

81. Talem aliqui volunt habuisse Moyse, & S. Paulum, aut etiam S. Benedictum. Sed fors Ulloa disp. 5. de DEO c. 3. n. 23. cum aliis R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

rectius negat; cum eidem Moyse dixerit DEUS. Exod. 33. v. 20. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*, & 1. Joan. 4. v. 12. dicitur: *DEUM nemo vidit unquam*: unde potest dici cum eodem Ulloa loc. modò cit. illos Sanctos habuisse tantum specialissimam aliquam contemplationem DEI, quæ phrasi Scripturæ, & etiam in modo loquendi communiter usitato, dicitur visio.

82. Dico 2. Beati vident certissima cognitione hanc perpetuitatem, ita omnes. Sic S. Aug. l. 11. de civit. c. 32. ait: *Angelos sanctos in sublimibus celi sedibus, non quidem DEO coæternos, sed tamen de sua sempiterna, & vera felicitate securos, & certos esse, nemo ambigat*. S. Cyprian. l. de mortal. sub finem. sic ait: *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos, & copiosa turba, desiderat, jam de sua immortalitate secunda, & adhuc de nostra salute sollicita*. S. Bernard. serm. 2. de S. Vitore ait: *Sedet veteranus miles, debita jam suavitate, & securitate quietus: securus quidem sui, sed nostri sollicitus*.

83. Dico 3. Perpetuitas est de essentia beatitudinis formalis. Ita Suarez, Valquez, Oviedo, Izquierdo disp. 21. n. 46. & hoc teste longe communior. Ut autem ritè intelligamur, non dicimus, quod perpetuitas, tota actu existens, sit de essentia beatitudinis formalis; hæc enim, cum tota actu nunquam existere possit, si requireretur, nunquam aliquis esset simpliciter, & absolute beatus, ut observat Ulloa disp. 5. de DEO c. 3. n. 23. Requiritur ergo perpetuitas, partim existens, partim semper futura, & nunquam cessatura. Prob. jam conclusio ex S. Aug. l. 13. de Trinit. c. 8. ubi fuscè hoc probat, & tandem concludit: *Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna*: ergo ipsa, si ve essentia ipsi identificata, debet esse æterna, & non tantum aliquid distinctum. Idem probat hic S. Doctor l. 11. de civit. DEI c. 11. Consentiant Patres alii, & accedit S. Thomas 1. p. q. 64. a. 2. in corp. *Stabilitas sempiterna est de ratione vere beatitudinis*: quod etiam tradit aliis variis locis.

84. Ratio autem est. Beatitudo, præsertim supernaturalis, atque perfecta, ex S. Aug. loc. cit. & S. Thoma variis locis, maxime 1. 2. q. 5. a. 4. debet plenè satiari appetitum rationalem, & tollere omnem anxietatem, atque dolorem: atqui, si non esset perpetua, ista non faceret: ergo. prob. min. appetitus rationalis vel maxime desiderat bono maximo semper frui, & nunquam eo privari: & si eo deberet carere, utique redderetur tristis, anxius, & vel maxime inquietus: ergo, si beatitudo non esset perpetua, non tolleretur, sed potius causaret dolorem, & anxietatem. antec. est SS. Patrum, & per se videtur innegabile. conf. est clara.

85. Confirm. ex S. Aug. l. 11. de civit. c. 11. & clarior adhuc l. 12. de civit. c. 13. & S. Thoma loc. modò cit. Si beatitudo esset defectibilis, vel creatura rationalis id sciret: vel nesciret, & simul erroneè putaret, eam non defecturam: vel omnino de hac re non cogitaret: vel dubitaret: nihil horum stat cum beatitudine: ergo. prob. min. Sicut sciret, absque dubio foret anxius, sollicitus, & tristis, ob tantum bonum perden-

pendendum. Si iudicaret erroneè, beatitudinem non defecturam, hic ipse error esset magnum malum, adeoque non daretur beatitudo, quæ debet excludere omne malum. Quod autem omnino non cogitare de perpetuitate, vel mutabilitate futuris, est prolixius incredibile; cum enim de aliis minoribus bonis statim cogitemus, quamdiu eis frui possimus, quis capiat, Beatos non cogitatos de diuturnitate boni maximi? Si autem incideret hac de re minima cogitatio, fieret creatura rationalis anxiosa &c. quia tunc dubitaret, & hoc ipsum dubium ex S. Augustino eam affligeret. Igitur debet habere certam notionem de perpetuitate beatitudinis, quæ, ut rectè arguit Angelicus, infert, ipsam beatitudinem reverà perpetuam esse.

86. Dico 4. Etiam certitudo, seu notitia certa de perpetuitate beatitudinis, est de essentia beatitudinis. Equidem Haunoldus dicit, communioem esse oppositam sententiam, sed non probat: & Izquierdo *disp. 21. n. 48.* plures citat pro nostra sententia, quibus ipse accedit, & recentissimus Ulloa. Unde, qui volunt auctoritate contra nostram sententiam agere, videntur prius debere probare valde notabilem excessum; parvus enim non curaretur, præsentem cum SS. Thomas, & Aug. nobis favent; nam S. August. *l. 11. de civit. c. 13.* ait: *Quocirca cujus jam non difficulter occurrit, utroque conjuncto officii beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat, hoc est, ut bono incommutabili, quod DEUS est, sine ulla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse manurum, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur.* & *lib. 12. de civit. c. 13.* ait idem S. Doctor: *Quomodo enim vera beatitudo est, de cujus nunquam æternitate confiditur, dum anima venturam miseriam, aut imperitissimè in veritate nescit, aut infelicissimè in beatitudine pertimescit.*

87. S. Thomas *1. 2. q. 5. a. 4. in corp.* de beatitudine ait: *Oportet, quod desiderium hominis quietet, & omne malum excludat: & post pauca: Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quod homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amissurum.* Eadem ferè verba habet *2. 2. q. 18. a. 3.* nisi, quod hic præmittat, *esse de ratione, hoc est, de essentia beatitudinis, ut in ea quietetur voluntas,* adeoque beatitudinem non tantum requirit, tanquam conditionem, seu applicationem beatitudinis, sed tanquam constitutivum beatitudinis quietantis.

88. Probatur conclusio ratione à S. August. ac S. Thoma insinuat, & superius *num. 51.* pro amore beatifico jam adducta. Illud est de essentia beatitudinis, sine quo non plene satiatur appetitus creaturæ rationalis ut talis: atqui sine certitudine de perpetuitate possessionis DEI non satiatur appetitus rationalis creaturæ: ergo, ma. probata est *num. 51. mi.* est SS. Augustini, & Thomæ, & communis experientie: ergo. Confir. Angelus, & anima rationalis, sicut sunt entia naturaliter perpetua, ita etiam appetunt perpetuò esse beata: ergo, nisi sciant, à se æternam beatitudinem habendam, non carebunt anxietate. Huc spectat etiam ratio *num. 84.* adducta, quæ immediatè etiam probat hanc conclusionem.

89. Respondebis, nostras rationes quidem probare, quod sit requisita hæc certitudo, ut vi-

sio, vel amor possit beatificare, & quod sit dispositio, conditio, vel applicatio: at non probare, quod sit forma beatificans, nec partialiter: sicut unio albedinis non est forma denominans album. Contra est. Hæc certitudo non potest dici tantum applicatio; cum visio, & amor, per se jam satis applicentur, seu uniantur. Neque videtur esse dispositio; nam ista ordinariè præsupponitur ad formam, & disponit subiectum ad eam recipiendam: at hæc certitudo non præsupponitur ad visionem, vel amorem, sed potius hunc, & illam præsupponit: & visio sine illa certitudine pro priori præsupposita potest recipi in anima.

90. Paritas cum unione, etsi admittatur, non impedit, quo minus hæc certitudo sit partialiter constitutivum beatitudinis in actu secundo beatificantis: sicut unio albedinis est pars formæ in actu secundo dealbantis. Resp. 2. hanc certitudinem esse formam dominantem, saltem partialiter, beatum; quia denominat per se ipsam formaliter certum, & securum de sua beatitudine æterna: quæ securitas est pars beatitudinis ex S. Augustino, & Thoma. Sicut dubium, vel certitudo de amittenda esset exclusio beatitudinis; quia afferret statum anxietatis.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

91. **O**B. 1. contra 3. conclusionem. Beatitudo formalis est ens creatum: ergo non potest exigere perpetuitatem. Confirm. 1. Non implicat, dari visionem, & eam iterum tolli: ergo potest DEUS id facere. Confirm. 2. Beatus satiaretur, si per aliquod tempus longum haberet visionem intuitivam, postea autem haberet abstractivam: ergo non debet visio intuitiva esse perpetua. Resp. dist. conseq. Beatitudo formalis non potest exigere perpetuitatem sui in individuo. conc. cons. in sua specie. neg. conseq. beatitudo enim ut talis, seu ut formaliter plene satiatur creaturam rationalem, includit certitudinem metaphysicam de futura semper aliqua visione, & amore DEI, five sit eadem in individuo, ut aliqui volunt, five sit eadem, saltem in specie, ut alii, de quo inferius dicemus. Nec in hac exigentia est ulla absurditas; quia tantum oritur ex decreto DEI, volente creaturam plene satiare: non autem ex natura individuorum; licet enim possit creatura exigere naturaliter esse perpetua, ut Angelus, & anima rationalis, tamen, ut suppono cum communi, non potest exigere id metaphysicè, ita, ut nec de absoluta potentia possit destrui: quavis, si talis creatura possibilis esset, argumentum minorem vim haberet.

92. Ad 1. confirm. omitt. totum. Si enim DEUS talem visionem &c. daret, & iterum tolleret, illa non fuisset beatitudo formalis plena, & perfecta ex *num. 80.* sic etiam, si DEUS destrueret aliquem Angelum in coelis, ille non fuisset beatus; quia vel habuisset ignorantiam, aut errorem, vel anxietatem ex *num. 85.* De facto autem DEUS nullum Beatum destruere potest; quia infallibiliter promisit, se id non facturum. Ad 2. confirm. neg. antec. quia talis à statu altissimo

ultimo rediret ad incomparabiliter inferiorem, non sine mœrore: sicut, si quis ex rustico factus rex, redire deberet ad stivam; unde, ait Ulloa, *disp. 5. de DEO c. 2. n. 20.* talem dicturum DEO illud *psal. 101. v. 11. Elevans alijisti me.*

93. Ob. 2. contra 4. conclus. Potest aliquis fatiari, & quietus, ac contentus esse regia dignitate, etsi sciat, non duraturam æternum: ergo etiam beatitudine. Confirm. 1. Modò Beatus cognosceret, DEUM fore beatum in æternum, etsi non sciret, etiam se fore beatum in æternum, haberet jam suam beatitudinem adequatam: ergo. Confirm. 2. Visio certificans de perpetuitate non differret specie ab alia non certificante: ergo, si illa beatificaret, etiam beatificaret ista. Resp. om. antec. neg. conseq. Dignitas illa non debet excludere omnem anxietatem, timorem amittendi &c. at debet beatitudinem vera. Dixi. om. antec. quia, si sermo est de plena satietate, & quiete, hanc regia dignitas in terris nequitam affert, ut patet experientia: certè, si reges cogitant, se debere mori, multum minuitur oblectatio de regia potestate.

Ad 1. confirm. neg. antec. quia sine altera notitia non esset quietus; nam vehementissimè amans non vult ab amato separari, & si dubitaret, vel sciret, aliquando futuram separat. onem, fieret anxiosus, & tristis. Quod autem Beati sint conformissimi cum voluntate Divina, non sequitur, quod non dolerent de sua separatione à DEO, quamvis se in voluntatem Divinam resignarent. Nec DEUS vellet, ut sine dolore à se avelli se paterentur. Ad 2. confirm. neg. ant. haberet enim una visio aliud objectum saltem secundarium, & mediatum. Fortè etiam responderi posset, quod, etsi visio non esset specie diversa, possit tamen in uno casu esse beatificans, non in altero, ut in simili diximus de actu charitatis *num. 72.*

94. Ob. 3. Perpetuitas beatitudinis formalis est aliquid creatum: ergo non potest cognosci per visionem beatificam. prob. conseq. quod cognoscitur per visionem beatificam, est beatitudo objectiva: sed hæc non potest esse aliquid creatum: ergo. Resp. Aliqui concedunt conseq. & dicunt, perpetuitatem illam cognosci, non per ipsam visionem beatificam, sed per aliam cognitionem distinctam: at quia communiter dicitur, Beatos videre omnia in Verbo, & quia non libenter admitto, quod beatitudo formalis constituitur per aliam cognitionem, quam per visionem (quod tamen admitti deberet; quia certitudo illa juxta nos est de essentia beatitudinis) hinc malo negare consequentiam.

95. Ad prob. In primis major merito potest negari; quia communiter, admittitur, quod Beati in Verbo (quod vident per visionem beatificam) tanquam in speculo, plurima videant creatura. dist. tamen ma. quod cognoscitur per visionem, tanquam objectum immediatum, & directum, & in recto, est beatitudo objectiva. om. ma. quod tantum cognoscitur tanquam objectum, vel mediatum, vel indirectum, & in obliquo. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Potest itaque Beatus per visionem immediatè, & directè, cognoscere decretum DEI, irrevocabile de conservanda in perpetuum sua beatitudine: & sic objectum directum, & beatitudo objectiva tota, est aliquid

Divinum: objectum autem, tantum in obliquo attractum, est quid creatum. Dixi supra. om. mi. quia, quando dicitur, quod aliquid creatum non possit esse beatitudo objectiva, intelligitur à quibusdam beatitudo purè objectiva, quæ non simul sit formalis, sitque objectum ultimum, ratione cujus etiam ipsa visio, ejusque æternitas, appetibilis est.

96. Dices. 1. Juxta dicta deberet visio representare DEUM, non tantum ut bonum sibi, sed etiam ut bonum nobis, scilicet decernentem, & volentem, nos æternum beare: ergo etiam amor beatificus deberet illum ut talem amare: ergo non tantum amor amicitie, sed etiam amor concupiscentie, esset de essentia beatitudinis. Resp. neg. utramque conseq. non enim objectum sub omni ratione formali, sub quâ representatur ab intellectu, debet etiam amari à voluntate, ut patet in millenis exemplis: & ficitiam in via actus fidei proponit sæpe DEUM ut bonum, non tantum in se, sed etiam ut bonum nobis: quin actus charitatis amet illum sub ea ratione formali; hoc enim spectat ad spem, non ad charitatem. Unde amatur quidem amore beatifico DEUS bonus nobis, qui talis, non autem, quæ talis: insuper amatur etiam à Beatis ut bonus ipsis, & quæ talis, sed per amorem quasi secundarium, & minus nobilem.

97. Dices 2. Idem indivisibilis amor potest habere utramque formalitatem, scilicet amoris amicitie, & amoris concupiscentie: ergo. Resp. de isto hic non disputo: sed om. ant. neg. cons. & dico, si talis amor detur, eum fore beatitudinem, non ut amor concupiscentie est, sed ut amor amicitie est: sicut visio beatifica, representans varia objecta creata, non est beatitudo ut representatio istorum, sed ut representatio DEI beatificantis. Et quamvis beatitudo viæ satis communiter dicatur, stare in actu spei, non etiam in tali stat beatitudo patriæ; quia beatitudo viæ non est strictè dicta beatitudo, sed tantum solatium ex futuritione beatitudinis: quod solatium ex spe capitur. Dices 3. Si non debet DEUS ut nobis bonus, & quæ talis, amari per amorem beatificum, cur debet ut talis representari? Resp. Ut amor amicitie erga DEUM possit elici, non quomodocunque, sed sine omni anxietate, & timore; cum alias non foret plene satiativus &c. consequenter nec beatificus.

98. Ob. 4. Si visio beatifica representat suam perpetuitatem, tunc est essentialiter indestruibilis: atqui nulla creatura potest esse essentialiter indestruibilis: ergo. min. supponitur. ma. prob. visio illa est essentialiter vera: ergo, si se representat perpetuam, vel talem dicit, debet essentialiter esse perpetua, adeoque indestruibilis. Resp. dist. ma. si visio representat perpetuitatem sui ipsius in individuo, vel se ipsam in individuo indestruibilem. conc. ma. si representat tantum aliquam visionem vagè, vel disjunctivè sumptam, vel aliquam aliam à se distinctam indestruibilem. subdist. ma. tunc est essentialiter indestruibilis quoad individuum. neg. ma. quoad speciem. conc. ma. & dist. mi. nulla creatura potest esse indestruibilis quoad individuum. conc. mi. quoad speciem suam. neg. mi. & conseq. ad prob. conc. antec. dist. conseq. debet esse

esse perpetua quoad individuum. neg. conf. quoad speciem. conc. conf.

99. Quilibet creatura, quoad suum individuum spectata, debet esse de absoluta potentia DEI destruibilis; hoc enim juxta SS. Patres exigit debita subjectio creaturæ ad DEUM: at non debet esse destruibilis quoad speciem, hoc est, non debet esse destruibilis, ita, ut nec aliud simile individuum debeat loco prioris poni; si enim DEUS hoc semel promisit, & aliquid ex illis individuis essentialiter habet connexionem cum ea promissione, utique essentialiter exigit, ut, vel conservetur prius individuum, vel aliud simile producat.

100. Neque etiam est ullum absurdum in eo, quod aliquid creatum essentialiter exigit indestruibilitatem alicujus alterius à se distincti; nam revelatio externa, & actus fidei, de immortalitate animæ, sunt quid creatum, & essentialiter exigent indestruibilitatem animæ. Jam in nostro casu visio beatifica non representat, aut dicit, se ipsam, determinatè saltem sumptam, fore perpetuam, sed tantum indeterminatè, vel se, vel aliam consequentem. Neque hæc indeterminatio, aut vagus modus cognoscendi, repugnat visioni; nam est imperfectio tantum negativa: & sic etiam Beatus suas actiones intellectus, & voluntatis, quas elicit, cognoscit, quin eas cognoscat determinatè in individuo; alias enim clarè cognosceret infinita.

101. Duplex autem est sententia in Philosophia de cognitionibus. Quidam volunt, quod cognitio sit qualitas distincta ab actione productiva sui (quæ qualitas etiam vocatur ab eisdem species expressa) adeoque sit indifferens, ut per plures successivè actiones conservativas existat. Et in hac sententia manebit semper eadem visio, saltem, si nil representat creatum, de quo *art. seq.* non tamen representabit, se in individuo semper duraturam (ne scilicet sit essentialiter indestruibilis) sed tantum, se in specie, hoc est, se, vel aliam, quam DEUS de absoluta potentia possit sibi substituere: quod futurum non sit, tamen non debet à visione representari, quod non sit futurum: sed potest abstrahi, propter rationem modò assignatam.

102. Alii, præsertim recentiores nostri, communis dicunt, intellectionem, utpote actum vitalem, esse identificatam cum actione productiva sui, atque esse actionem essentialiter fluentem, seu mansentem, ita, ut singulis instantibus detur alia intellectio. In hac sententia nulla visio in individuo videt se perpetuam, sed tantum videt, aliam, & aliam similem, sibi perpetuè succedentem. Et hæc explicatio Haunoldo videtur expeditior: certè est accommodatior recentiorum Philosophiarum.

103. Solum videtur difficultas esse in eo, quod etiam visio intuitiva, & cognitiones Angelorum, videantur eodem modo esse debere essentialiter fluentes, adeoque instans Angelicum non sat bene explicari per continuationem ejusdem actus, quod tamen cum S. Thoma multi asserunt. Sed responderi potest, licet actus sint essentialiter fluentes, tamen unum posse durare diutius, quam alterum; quia etiam una duratio indivisibilis potest esse longior altera; non enim videntur durationes, quæ defacto

dantur, esse ex omnibus possibilibus minima, sed possibiles esse minores, & majores: sicut satis communiter admittitur, puncta continui realiter indivisibilia esse majora, & minora.

104. Quod si tamen hoc non videatur dicendum, vel etiam per hoc non videatur posse explicari tota mora secundi instantis Angelici, quæ longior fuerit, quam unica duratio durare poterit, potest mea pace, & ex suppositione actuum essentialiter fluentium, dici, Angelicum instans tam diu durasse, quamdiu Angelus elicit actum moraliter eundem, hoc est, similes. Si objicias, quod ex hoc sequatur, Angelos bonos tantum uno instanti fuisse in via, responderi posse videtur, quod etiam ipsi, licet non elicerent actus impossibiles, tamen elicerent aliquos primarios novos, etiam dissimiles, ut videntur insinuare Scotus, Cajetanus & alii citati, *122. de Angelis*. Si autem hoc omnino neget, non erit adeò absurdum, cum Valentia, & Grano ibidem citatis, sequelam admittere.

105. Si urgeas, hæc ratione saltem beatitudinem formalem, seu visionem beatificam, cum sit semper similis, & ejusdem speciei (ut docet Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 26. in principio*) tantum duraturam per unum instans. Resp. eandem difficultatem premere etiam eos, qui dicunt, visionem esse qualitatem; nam juxta ipsos, manente eadem qualitate, manet idem instans. Igitur potest responderi, quod Angeli beati plurimos actus dissimiles sint elicitori per totam æternitatem. Si replices, actum tamen primarium fore semper moraliter eundem, adeoque unicum instans, ut *cit. n. 122. de Angelis* dictum de secundo instanti Angelorum. Resp. quidquid alii dixerint, nobis etiam servitutum. In hac tamen questione, quæ potissimum est de nomine, videtur dici posse, ad instans imprimis requiri, ut non semper duret; alias erit æternum, non instantaneum deum requiri, ut non nimis diu duret; cum moraliter non censeri possit instans, quod nimis diu durat: quanto autem temporis, ut S. Thomas vocat, corporali, possit respondere instans Angelicum, vel etiam aliud, nondum satis exploratum est. Sed de hac questione nominis plura quam satis.

ARTICULUS V.

Quenam adhuc bona secum afferat Beatitudo.

106. PRÆTER hucusque explicata bona, Beati insuper affluent innumeris aliis, & primò. Beati, præter DEUM, videbunt, seu cognoscent, plures res alias creatas, quas nosse rationabiliter desiderant; nam omne rationale eorum desiderium à liberrimo DEO impletur, neque tantum confertur cognitio illorum, sine quorum notitia forent anxii, & inquieti, vel necdum essentialiter satiati (nam, modò DEUM perpetuè à se videndum, & amandum viderent, jam essentialiter beati, quieti, ac satiati essent) sed etiam eorum, quorum, tanquam ad statum suum pertinentium, cognitionem rationabiliter desiderant. Et sic vident Beati non quidem infinita, sed tamen plu-

rima: imprimis totam machinam universi, orbiumque caelestium constitutionem: item plurimum, quæ aguntur in terris, casus amicorum, filiorum, parentum, prosperos, & adversos &c. Sic docet S. Thomas 3. p. q. 20. a. 2. in corp. dicens: *Nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in verbo omnia, quæ ad ipsum spectant*. Et Concilium Senonenle in Decretis fidei Decr. 13. ait: *Beatis pervium esse . . . omniforme illud Divinitatis speculum, in quo, quidquid eorum interfit, illucescat*.

107. Vident autem ista Beati in Verbo, de qua re videndum est Tannerus *tom. 1. disp. 2. q. 6. dub. 9. § 10*. Videre autem in Verbo est videre in DEO, in quo possunt omnia videri, vel tanquam in causa efficiente (ad quam etiam revocatur ejus decretum, vel voluntas) vel tanquam in causa ideali, & exemplari omnium: vel tanquam in specie eminenti omnium rerum, hoc est, in potentia DEI, quæ potest supplere per se influxum physicum cujuslibet speciei creatæ: vel etiam tanquam in scientia, & cognitione rerum omnium. Continentur quippe omnes creaturæ in DEO tripliciter: scilicet, eminenter tanquam in causa efficiente: objectivè tanquam in intelligente: representativè tanquam in causa ideali, vel specie omnium rerum. Jam, qui intuitivè videt causam ut talem, vel certè, qui videt speciem, vel cognitionem alicujus objecti, videt etiam ipsum objectum.

108. Est autem modus receptus dicendi, Beatos videre omnia in Verbo, tanquam in speculo voluntario, per quem significatur, quod, sicut videns speculum, etiam videt alia, ab ipso representata, ita Beati videntes DEUM, videant etiam creaturas, ex ipso relucentes. Dicitur autem DEUS *speculum voluntarium*, seu *liberum*; quia non videtur, nisi quando vult, quomodo vult, & quantum vult. Unde, quod Beatus unus pauciora, alius plura videat, potest provenire ex eo, quod DEUS huic plus, alteri minus, se ostendat. Et posset quidem DEUS de absoluta potentia pro libitu suo negare uni concursum ad plura videnda, quem alteri concedit, quamvis uterque æquali lumine gloriæ esset instructus: atamen, ut Molina, Suarez, Bannez, & alii apud Tannerum *dub. 9. n. 15. cit. n. preced.* docent, ratio diversitatis in visionibus provenit ex lumine gloriæ, quod pro diversitate meritorum est diversum.

Vasquez *tom. 1. in 1. p. disp. 50. fusè* contendit, nullam creaturam posse per visionem beatificam videri; eoque aliàs deberet visio, modò ista e.g. preces, vel cultum, modò alia representare, & sic variari: sed, si *ex n. 102.* non eadem visio in individuo perseverat, non videtur absurdum, eam ita variari. Si etiam eadem perseveret, posset fors dici, statim videri omnia, quæ DEUS vult ab hoc Beato videri, sicut ipse videt omnia. Sed difficultas esset, quod hac ratione eadem cognitio videret futura æquè, ac præsentia, nec aliter præsentia, quam futura, ob invariabilitatem visionis. Unde supposita invariabilitate visionis, melius dicitur cum Cajetano

apud Vasquez *loc. modò cit. n. 21.* videri ista in Verbo *causaliter*; quia, licet in Verbo, seu per visionem beatificam, non videantur, atamen Verbum est causa, & visio beatifica est radix, ut videantur per aliam cognitionem.

109. Secundò. Ut docet Suarez *in 1. 2. 17. 1. disp. 8. sec. 2.* Beati habebunt omnes scientias naturales; tum quia in patria similes erunt Angelis, qui habent scientias illas infusas; tum quia etiam istæ scientiæ cadunt sub rationabile desiderium Beatorum. De Theologia fusè disputat idem Eximius *cit. disp. sect. 1.* & sapienter decidit, quod Theologia, in quantum obscura est, non sit in cælo: quatenus vero est scientia rerum sublimissimarum, sit in cælo. Unde *n. 9.* ait, *extra visionem infundi Beatis aliam scientiam rerum Divinarum, quæ potest dici Theologia: cuius, quæ scilicet cognoscitur clarissime, quæ nunc obscura propofita credunt*.

110. Tertio, Beati non tantum gaudent de DEO, ut bono in se, seu gaudio amicitiae, sed etiam de DEO, ut bono sibi Beatis, seu gaudio concupiscentiæ, de quo jam aliquid diximus *n. 71. & plura n. 96. § seq.* Hoc tamen gaudium, seu hic amor concupiscentiæ, iterum ultimato refertur ad DEUM; nam Beati longè magis gaudent de DEO, ut bono sibi ipsi (qui est affectus veræ amicitiae) quam de DEO, ut bono sibi, seu ipsis Beatis (qui est affectus tantum concupiscentiæ) & ultimato se, ac omnia sua, ad DEUM, tanquam ultimum finem, referunt.

111. Quarto, Beati redduntur impeccabiles, ut habent omnes cum S. Augustino *1. 3. contra 2. epistolas Pelagianorum. c. 7. sub initium* dicente: *Hic præceptum est, ut desideris peccati non obediamus: ibi præmium, ut desideria peccati non habeamus*. Ratio est imprimis; quia peccatum est magna miseria, atque deformitas, repugnans beatissimo illi statui. 2. Visio, quæ defacto datur, sicut representat perpetuitatem beatitudinis, ita etiam representat perpetuitatem amoris DEI, adeoque perpetuam exclusionem peccati: cumque sit essentialiter vera, utique excludit peccatum. 3. Visio clara DEI, tanquam boni puri, & infiniti, necessitat voluntatem ad amandum DEUM: ergo necessariò impedit omnem actum cum hoc amore impossibilem: consequens est clara. antec. est S. Thoma *1. 2. q. 4. a. 4. in corp.* Idque etiam supponit potius auctores, quam probant: quin Gormaz *de beatitud. n. 269.* ait, non posse melius probari, quam terminorum penetratione.

112. Certè, cum necessitetur DEUS ad sui amorem à visione beatifica sui ipsius, etiam necessitabitur creatura. Sanè non videtur, debere minorem vim habere respectu potentiae limitatæ, visio clara, quamvis finita, boni infiniti, quam respectu potentiae infinitæ habeat visio infinita. Deinde non potest voluntas omittere amorem, quando in omissione non relucet ullum bonum; quia non potest amplecti aliquid, quin amplectatur sub ratione boni, sive positivè, sive negativè talis: atqui in omissione amoris DEI, clarissime visum, non relucet ullum bonum: ergo, prob. mi. nunc, dum adhuc sumus in corpore;

seu statu viæ, aliquando omittimus aliquos actus; ne nimium fatigemur: aliquando; quia apparent sub aliqua ratione mali, molesti &c. at, cum fuerimus in patria, seu, cum nobis revelata facie apparuerit DEUS, non dabitur fatigatio, molestia, malitia &c. ergo non potest assignari in omissione amoris ulla bonitas, neque etiam bonitas fugæ molestiæ, fatigationis, difficultatis &c. ergo.

113. Si dicas, posse omitti actum ad exercendam libertatem, respondet Suarez tom. 1. in 2. p. disp. 9. sec. 1. n. 14. libertatem hominis non verari, circa finem positivè ultimum, clarè propositum, sed tantum circa media. Dein, si hoc solum motivum esset sufficiens, nihil prorsus necessitaret voluntatem, quod est contra communissimam. Alias adhuc rationes affert S. Thomas in opusculo dicto *Compendium Theologiae*, quod in quibusdam editionibus est secundum, in aliis nonum. ubi c. 106. ait, si animus averratur ab aliquo bono particulari, id idè fieri; quia videt, *aliquid deficere, quod ipsi cognoſcenti relinquatur in alio querendum: ... sed in DEO, qui est bonum universale, & ipsa bonitas, nihil boni deest, quod alibi queri possit.*

114. Nec est paritas à statu viæ, ad statum beatitudinis; nam in illo DEUS obscurè tantum cognoscitur, & sæpe sub ratione apparentis mali, respectu nostri, e. g. sub ratione infligentis poenas, prohibentis voluptates, aliàs valde sensui gratas &c. aut sub ratione boni, non nisi difficulter obtinendi, qualis non apparet per visionem: & per hanc quòque voluptates illæ apparent prorsus indignæ. Sed neque potest Beatus averti à DEO per inconsiderantiam; quia ipse status beatitudinis inconsiderantiam excludit: & amor non sinit non cogitare de DEO, ut nec lumen gloriæ.

115. Quintò, Beatitudo excludit omnem ignorantiam, & errorem; nam sicut peccatum, vel affectus pravus, opponitur rectitudini voluntatis, & propterea excludit à voluntate Beati, ita error, vel ignorantia, opponitur rectitudini intellectus, & debet ab isto excludi; nam & istorum absentia, conformiter ad dicta n. 106. cadit sub rationabile desiderium Beatorum. Ignorantia autem hinc debet strictè sumi, non tantum pro qualicunque nescientia, sed pro carentia scientiæ debitiæ, à qua quis denominatur ignorans; nec enim dicitur ignorans Theologus, si nesciat consuecere calceos; quia hæc notitia non spectat ad ejus statum: sed dicitur ignorans, si nesciat legitime discurre de DEO, aut aliis Theologicis objectis: pariter Beati non sunt ignorantes, quamvis plurimam possibilia nesciant: at forent tales, si nescirent, quæ ad statum eorum pertinent.

116. Sextò, Beatitudo quidem absolutè composibilis est pro aliquo tempore cum malis physicis e. g. cruciatibus corporis, tristitia sensibili &c. quando ista mala sunt causa meriti, vel præmi: at non est composibilis pro tota æternitate. Ratio primæ partis est; quia Christus, adhuc in terris degens, habuit visionem beati-

cam, & tamen passus est supernaturaliter gravissimos cruciatibus in cruce, & tristitiam in olive-to: ergo ista absolutè non repugnant beatitudini ad tempus. Ratio verò secundæ partis est; quia repugnat amicitia, quòd DEUS velit, pertotam æternitatem doloribus, & tristitiis vexari amicicum suum sine huius lucro.

117. Huc spectat celebris illa metaphora, qua beatitudo vocatur *spiritualis desponsatio*, vel etiam *spirituale matrimonium* inter Christum, & animam beatam, & hæc vocatur *sponsa & uxor agni*, juxta illud Angeli dictum *apocal. 21. v. 9. Veni, & ostendam tibi sponsam, uxorem agni*. Hinc etiam certæ quædam perfectiones, Beatis collatæ, vocantur *dotes*; dos enim, licet in sensu latiori significet omnem perfectionem, attamen in stricto, & à Jurisconsultis adhibito sensu, significat donum, quo sponsa dotatur: dotatur autem ordinariè à patre, adeoque anima, ut docet S. Thomas in *supplemento q. 95. a. 1. ad 2.* à SS. Trinitate, quæ tota est pater Sponsæ; quia effectus ad extra communes sunt toti Trinitati.

118. Aliquando tamen dicitur sponsa dotari à sponso, atque adeò anima à Christo; etsi enim datum à sponso potius à Juristis vocetur *donatio propter nuptias*, tamen aliquando etiam *dos* vocatur, ut *Gen. 34. v. 12.* ubi Hemor, pater respectu Sichem, voluit dotem dare Dinæ, filia Jacobi Patriarchæ, & *Exod. 22. v. 16.* dicitur, quòd corruptor virginis debeat eam dotare, & accipere: & adhuc jura talem, saltem disjunctivè, obligant, ut, vel ducat, vel dotet. Hoc autem donum, seu dos confertur tunc, quando sponsa solemniter inducitur in domum sponsi: & hinc, perfectiones hominum iustorum in via, non vocantur *dotes*; quia necdum ducuntur in domum DEI, aut contrahitur matrimonium indissolubile. Ulterius datur dos ad ornandam sponsam, ut condigne fruatur suo statu, quæ etiam ratio competit Beatis: attamen illud, quòd derur ad sustentanda onera matrimonii, in Beatis locum non habet.

119. Jam *dotes gloriose*, aliæ sunt animæ, aliæ corporis. De dotibus animæ conveniunt auctores quoad numerum ternarium, ut videre est apud Suarez in 1. 2. disp. 11. sec. 1. n. 5. Videntur autem ad dotem requiri tria. 1. Ut non sit actus vitalis; nam vita sponsæ non est ejus dos: sed illæ res duntaxat, quæ conducunt ad ejus vitam commodius ducendam. 2. Ut detur intuitu matrimonii, & hoc immediatè respiciat: & hinc dotes animæ beatæ debent immediatè respicere sponsum Divinum. 3. Ut sint propriæ statui matrimoniali. Hinc ob defectum primæ conditionis, visio, & amor beatificus, seu beatitudo formalis non sunt *dotes*; quia sunt actus vitales.

120. Quamvis enim S. Thomas 1. p. q. 12. a. 7. ad 1. incidenter loquendo, videatur dicere, *dotes animæ esse visionem, comprehensionem, & fruitionem, non intelligendus est de actu visionis &c. sed de habitu; sic enim habet in supplemento q. 95. a. 2. ubi ex professo agitur*

tur de hac materia: *Dicendum, quòd beatitudo, & dos etiam realiter differunt, ut beatitudo dicitur ipsa operatio perfecta, qua anima beata DEO conjungitur, sed dotes dicuntur habitus, vel dispositiones, vel quæcumque aliæ qualitates, quæ ordinantur ad hujusmodi perfectam operationem: & ad 3. Visio dupliciter potest accipi: uno modo actualiter, id est, pro ipso actu visionis: & sic visio non est dos, sed est ipsa beatitudo: alio modo potest accipi habitualiter, id est, pro habitu, à quo talis operatio eucurrit, id est, pro ipsa gloria claritate, qua anima divinitus illustratur ad DEUM videndum: & sic est dos, & principium beatitudinis, non autem est ipsa beatitudo.*

121. Tres, ut supra dictum, dotes animæ beatæ assignari communius solent, correspondentes tribus virtutibus Theologicis, ut docet Suarez loc. cit. n. 119. hinc Gormaz de *beatitudine n. 226*, assignat lumen gloriæ, habitum caritatis, & habitum spei (si hic remanet in Beatis) vel habitum elicitivum gaudii de beatitudine jam possessa; nam his tribus videntur convenire prædicata ad dotem n. 119. requisita. Nam 1. non sunt actus vitales, sed sunt principia eorum. 2. Dantur isti habitus intuitu matrimonii, saltem ut cum tanta perfectione, & cum perpetuitate contracti, seu tam perfectè, ac perpetui: item sunt proprii statui matrimonialis; non enim tales dantur in via. 3. Respiciunt immediatè sponsum Divinum; quia detervint ad eliciendos actus Theologicos, immediatè verstantes circa DEUM, & Christum.

122. Suarez quidem *cuata disp. 11. sect. 1. num. 6.* putat, solum lumen gloriæ esse, strictè loquendo, dotem animæ, eo quòd alia sint etiam communia viæ: sed jam dictum est, habitus viæ non esse tam perfectos, nec ita perpetuos, quod sufficit; cum præsertim auctores communius tres dotes assignent, & ex S. Doctore cit. num. 20. planè eluceat, eum judicare, plures esse ponendas. Quærit autem *ibidem num. 2.* Eximius, an etiam in Angelis dentur hæc dotes: & respondet, dari easdem perfectiones, non tamen vocari *dotes*; quia eorum conjunctio cum Christo, aut DEO, non est matrimonium; hoc enim debet esse inter personas ejusdem speciei; cum tamen Angeli, nec cum DEO, nec cum Christo, sint ejusdem speciei.

123. Sed & corpus gloriosum habet suas dotes, quæ, licet non habeant omnino omnia prædicata, ad dotem requisita (quippe non respiciunt immediatè aliquid Divinum) adeoque non omnino rigorosè sint dotes, sunt tamen perfectiones stabiles, collatæ Beato ratione spiritualis matrimonii inter creaturam humanam beatam, & Christum, quæ in corpus redundant, & communissimè etiam dotes vocantur: sicutque istæ quatuor, impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas: quæ sumuntur ex illo 1. Cor. 15. v. 42. *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

124. Prima igitur dos est *impassibilitas*, quæ intelligitur per incorruptionem. Hæc, excludit non tantum mortem, & corruptionem à cog-

pore, sed etiam levissimum quemvis dolorem, juxta illud *Apocal. 21. v. 4. Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Hæc dos juxta Scotistas stat in extrinseca protectione DEI, non autem in perfectione quadam intrinseca; ajunt enim, dotem non debere esse intrinsecam sponsæ, modò jus ad illam (scilicet beatitudo) intrinsecum sit.

125. Secunda *Subtilitas* intelligitur per spiritualitatem; non enim, ut quidam hæretici voluerunt, corpus Beati reverà vertetur in spiritum: sed tantum habebit subtilissimam vim penetrandi corpora, ad instar spiritus.

Tertia *Agilitas* intelligitur ab Apostolo per virtutem, & est potentia movendi se ipsum, & alia corpora, facillimè, ac celerrimè, etiam ingentes moles, sicut movere possunt Angeli. Hanc agilitatem D. Anselmus de *jmitudibus c. 51.* comparat radio solari, qui in momento transit ab oriente in occidentem.

126. Quarta *Claritas*, seu luciditas, intelligitur per gloriam, & reddit corpus Beati, non tantum quoad superficiem, sed etiam quoad intimas partes, diaphanum, ac splendidissimum. Difficultas tamen est aliqua, quomodo idem corpus possit simul esse diaphanum, ac coloratum. Sed responderetur, etiam vitrum posse simul esse rubrum, & simul diaphanum. Si petas majorem diaphanitatem in corpore Beati, quam in tali vitro, dicam, posse supernaturaliter eam cum colore conjungi. Si velis prorsus omnimodam, sine mixtione ullius opacitatis, negare debetis definitionem Aristotelicam colorati, scilicet, quòd sit terminativum visus; hoc enim contradictoriè repugnat omnino diaphano: debetque dici coloratum, quod talem, vel talem speciem, in oculo efficit, vel quid simile.

127. Præter has 4 dotes, corpora gloriosa habebunt etiam suavillimas, ac purissimas quædam sensuum oblectationes ex cantu, colloquutione, aspectu cæli empyrei, & beatorum corporum: item ex odoribus dulcissimis, tactu, & gustu rerum dulcissimarum, & amoenissimarum: quamvis enim non amplius, strictè loquendo, comedant, & bibant, eoquòd non amplius nutriantur, aut corruptantur, tamen sentiant quandam gustus dulcedinem.

Unde Sangallenses existimant, Beatos probabilius non fore supra supremam cæli convexam superficiem, ubi nullum amplius corpus est, sed merum nihil: sed potius fore in media quasi densitate cæli empyrei, quod spatium probabiliter impleatur aura cælesti, apta, transmittendis speciebus sensibilibus. Gaudium etiam ineffabile erit ex mutuo, & beatissimo Sanctorum consortio.

128. Præterea quibusdam Beatis, non omnibus, confertur *aureola*. Ubi notandum, quòd beatitudo essentialis vocetur *aurea corona*: certæ autem accidentales prærogatiivæ, quorundam Beatorum, vocentur *aureolæ*, seu, minores coronulæ, quæ ab aliquibus auctoribus vocantur *laureolæ*. Non tamen omnis accidentalis gloriæ, etiam specialis, e. g. quam Christus promissè inluentibus omnia, vocatur *aureola*: sed ex communi

communi acceptance tantum sunt tres. Prima Martyrum, qui vicere mundum, ejusque tyrannidem, contemptu, & tolerantia mortis. Secunda Virginum, quæ vicere carnem, abstinentia, non tantum à illicitis, sed etiam à licitis, intra matrimonium, carnis voluptatibus. Tertia Doctorum, non à gradu, sed à doctrina, qua alios erudierunt ad iustitiam, atque demonem expulerunt, ex infidelium præcipue cordibus.

129. Interim alii Sancti, qui carent his aureolis, non invident eam habentibus, sicut nec minus Beati, seu minorem habentes visionem, invident habentibus majorem, vel clariorem; quia non exigunt majorem, & tam exigat gratia, quam habent: & explicatur res exemplo vestium, aut cibi; neque enim infans invidet adulto vestem majorem, aut etiam copiosorem cibum, qui ipsi non quadraret. Addit, & valde bene, *Ulloa disp. 5. de Deo c. 2. n. 17.* quod Beati ardentissime DEUM propter se ipsum ament, & quidem incomparabiliter plus, quam seipos, ejusque admirantur providentiam, atque hinc se plenissime subdant: unde, cum videant, DEUM ita prædestinationis seriem disposuisse, ut ipsis minor beatitudo contingat, malunt ex hypothese Divinæ voluntatis, ita rem ordinantis, hanc suam beatitudinem, quam aliam quamlibet. Accedit intima unio charitatis, qua inter se Beati omnes arctissime junguntur.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones contra assertam impotentiam peccandi, & errandi in Beatis.

130. **O**B. 1. *Jobi 4. v. 18.* dicitur: *Ecce, qui servant ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem:* ergo Angeli potuerunt peccare, consequenter etiam possunt Beati. Confir. S. Thomas 1. 2. q. 10. a. 2. in corp. docet, quod voluntas moveatur dupliciter, vel quoad exercitium actus, vel quoad speciem: & addit: *Primo ergo modo voluntas à nullo objecto ex necessitate movetur.* Item q. 22. de veritate a. 6. in corp. ait: *inest libertas voluntati in quolibet statu nature respectu cujuslibet objecti:* ergo voluntas in quovis statu, etiam naturæ beatæ, non necessitatur ad DEUM amandum, sed potest ab eo averti per peccatum.

131. Resp. neg. conseq. Textus ille juxta S. Hieronymum in cap. 24. *Isaia*, & S. Gregorium 1. 5. moral. c. 28. exponi debet de Angelis malis. Ad confirm. neg. conseq. S. Doctor utroque loco loquitur de objectis distinctis à beatitudine, seu ultimo fine; nam hunc expressè excipit. *Primo loco sic inferius ait: illud quod est perfectum, & cui nihil deest, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo.* Altero loco prius sic

habet: *Voluntas de necessitate appetit finem ultimum, ut non possit ipsum non appetere, sed non de necessitate appetit aliquid eorum, quæ sunt ad finem.* Clare autem nobis consentit in opusculo, quod vocatur *Compendium Theologicum c. 106.* ubi ait, quod anima, vel alia creatura, videns DEUM, sit confirmata in bono, & quod voluntas videns DEUM, in ipso, tanquam universali bono, debeat quiescere; nec possit aliquid voluntatem à DEO divertere, eò quod non possit inveniri bonum in alio ente, quod non etiam continetur in DEO.

132. Ob. 2. Libertas est voluntati essentialis: ergo non potest tolli per beatitudinem. Confir. Actus charitatis in via non tollit potestatem peccandi: ergo nec actus charitatis in patria: prob. conseq. isti actus procedunt ab eodem habitu, & major, vel minor intensio, qua sola differunt, non mutat speciem: ergo. Resp. dist. antec. Est essentialis voluntati libertas inadæquata. conc. antec. libertas adæquata, neg. antec. & sub eadem distinctione. conc. vel neg. conseq. Libertas tota non est sola voluntas, sed totus actus primus, expeditus ad utrumque: at beatitudo est impedimentum inaufertibile, simulque incompossibile cum iudicio indifferente, sine quo non potest dari libertas.

Ad confirm. neg. conseq. ad prob. conc. 1. p. antec. At secunda, ut rectè observat *Ulloa disp. 5. de Deo c. 2. n. 17.* non est semper vera; nam intensio non orta ex additione gradus similis ad alterum gradum, sed consistens in perfectione indivisibili, mutat, strictè loquendo, speciem: certè Philosophi communissime admittunt, quod, si gradus intensiois sint heterogenei, specie differant. Sed quidquid de hoc sit: an actus charitatis in via, & in patria, specie differant, non est opus decidere. vide n. 72. Si etiam non ita differant, tamen neg. conseq. quavis enim actus charitatis patriæ productur ab eodem habitu, non producitur in iisdem circumstantiis, nec eadem intensio; unde facile potest capi, eum in patria habere vim majorem attrahendi, quam habeat voluntas se retrahendi, quam vim non habet in via.

133. Ob. 3. Potest DEUS præcipere aliquid Beato, etiam sub gravi, & negare gratiam efficacem: atqui sic peccabit: ergo. Confir. Beati non utuntur habitibus ex necessitate: ergo possunt non amare DEUM, consequenter peccare. Resp. neg. maj. quamcumque enim gratiam DEUS dederit in circumstantiis beatitudinis, illa erit efficax, & non quidem liberè, sed necessariò, post se trahet effectum; quia stante clara visione, & amore DEI, Beatus non potest non implere omnem voluntatem DEI. Quodsi tamen præceptum esset pro libitu Beati dispensabile, vel impedibile, posset quidem Beatus illud non implere, non autem posset peccare; quia deberet prius, ante omissionem operis, præceptum impedire, vel obtinere ejus dispensationem. Addo, si etiam dispensatio haberi non posset, tamen Beatum fore liberum, non quidem quoad substantiam effectus, sed quoad modum, ut ex hoc, vel illo motivo &c. præceptum impleat, nisi tamen iterum ponatur, ipse

modus quoque præceptus, & quidem indispensabiliter; tunc enim nulla daretur libertas. Ad confir. neg. antec. saltem intellectum de habitibus charitatis, & luminis gloriæ: non tamen propterea Beati utuntur illis habitibus inviti, aut coacti, sed spontaneitate necessaria.

134. Ob. 4. Potest DEUS actu peccanti pro posteriori naturæ conferre visionem beatificam: ergo potest Beatus peccare. prob. antec. potest DEUS sic decernere: *Et si videam te peccare, volo tamen conferre tibi visionem beatificam:* sed sic actu peccanti pro posteriori conferret visionem: ergo. prob. ma. si hoc non posset, tunc ideo; quia visio est necessitas non peccandi: sed, vel non est talis necessitas, vel, si est necessitas, non est nisi pro signo posteriori, in quo existit: ergo potest DEUS ita decernere, & consequenter Beatus potest peccare, non quidem in signo posteriori, in quo est visio, sed in priori.

135. Resp. neg. antec. ad prob. neg. maj. ad prob. omitt. ma. neg. mi. Potest quidem DEUS decernere collationem visionis illi, quem videt aliàs peccatorem, & sic peccatum impedire: sed non potest decernere collationem visionis actu peccanti; quia ista sunt impossibilia. Negata etiam min. est falsa; quia visio est necessitas non peccandi pro toto instanti, pro quo existit, quia hoc indivisibile est. Adde, quod hoc argumentum nimis probaret; nam probaret, quod nulla forma sit alteri essentialiter opposita, adeoque simul in eodem intellectu possint stare assensus, & dissensus, circa idem objectum: volitio, & nolitio efficax ejusdem rei: prædeterminatio, & actus liber &c. nam eodem modo dicam, DEUM posse sic decernere: *Et si videam, te dissentire, volo tibi pro posteriori infundere assensum.* *Et si videam, te efficaciter nosse, volo tibi pro posteriori infundere volitionem;* nam eodem modo dici poterit, quod dissensus tantum excludat assensum pro eodem signo, non pro instanti totaliter sumpto &c. quæ utique sunt contra omnium opinionem. Hinc falsum est, quod aliquid alteri essentialiter oppositum, excludat illud tantum pro signo priori, vel posteriori; nam debet pro toto instanti excludere, seu pro utroque, vel omnibus signis ejusdem instantis; quia instans non est divisibile: nec signa naturæ sunt partes ejusdem, sed tantum indicia causalitatis, & dependentiæ: unde, si aliqua forma alteri essentialiter est opposita, tunc nec potest esse causa, nec effectus istius, imò omnino non potest, physicè ei coexistere. vide etiam dicta. n. 162. de act. hum.

136. Alia esset questio, an DEUS peccatori habituali absolute posset conferre visionem, vel etiam amorem beatificum, & tamen non remittere peccatum, prius patratum. Quod si etiam DEUS id posset, tamen nostræ conclusioni non obesset; quia talis peccator, stante visione, novum peccatum committere non posset. Si autem visio postea iterum cessaret, beatitudo non fuisset ex dictis an. 80. unde Beatus semper manet

impeccabilis. Sed utramque questionem, an scilicet peccatori visio infundi, & an visio beatifica semel habita cessare possit, non est hujus loci decidere. Certè ob peccatum subsequens cessare non posset. Ex libera voluntate DEI sola etiam difficulter videtur posse cessare; *Sine penitentia enim* (ut ait Apostolus ad Rom. 11. v. 29.) *sunt dona, & vocatio DEI,* hoc est, absque revocatione, nisi ob culpam. Videbitur fortè etiam alicui, DEUM dedecere, hominem absque culpa spoliare tantis bonis. Pariter, an DEUS ob peccatum antecedens, necdum, ut ponitur, remissum, hominem iterum spoliare possit visionem, dependet ex questione illa, an collatio visionis possit stare cum habituali peccato, seu inimicitia DEI, & reatu ad odium, ac penam æternam: an verò sit formalis essentialis remissio peccati, ut multi affirmant. At, quia hæc questio connexionem habet cum illa alia, an gratia sanctificans possit de absoluta potentia stare cum peccato, quæ examinanda est in tract. de Gratia, etiam hujus decisio facile potest illuc differri.

137. Ob. 5. Beatitudo, ut dictum est n. 106. est compossibilis cum malis physicis, dolore, tristitia &c. ergo etiam cum peccato. Confir. 1. Sæptem error, vel ignorantia inculpabilis, non est malum morale: ergo potest stare cum beatitudine. Confir. 2. Beati juxta nos cognoscunt multa probabilia: ergo possunt habere cognitiones probabiles, adeoque fallibiles. Resp. neg. conseq. Malum morale est dedecens statum Beati; quia est macula, & turpitudine difformis rectæ rationi: non ita malum purè physicum pro aliquo tempore, ut ibi dictum. Nec dicas: si non dedecet pro aliquo tempore, neque dedecet pro omni; nam resp. etsi non dedecet patientem, dedecet inferentem, vel DEUM beatificantem, & non tollentem ab amico miseriam, inutilem ad lucrum ulterius, simulque privantem magna beatitudine accidentali.

138. Ad 1. confir. dist. antec. error, vel ignorantia, non est malum morale, hoc est, culpabile, & peccaminosum. conc. antec. non est malum morale objectivum, sive objectum difforme rationali appetitui, & dedecens statum plenissimæ beatitudinis. neg. antec. & conseq. Non autem ita dedecet mala purè physica, e.g. dolor, & tormenta; quia agere, & pati fortia, per se nullatenus dedecet naturam rationalem, nec ista per se averfatur semper appetitui rationalis. Ad 2. confir. neg. conseq. nam cognitiones nostras probabiles cognoscunt Beati certissime, & non tantum probabiliter: sicut nostras cognitiones falsas cognoscunt verissime, esse tales: aliud enim est, cognoscere probabile, aliud probabiliter: illud appellat super objectum, istud super modum cognoscendi. Unde potest etiam dist. ant. Beati cognoscunt probabilia probabiliter. neg. ant. cognoscunt ea certò, hoc est, cognoscunt certò, esse probabilia. conc. ant. & neg. conl.

TRACTATUS THEOLOGICUS

In Primam Secundam
D. THOMÆ AQUINATIS

De Actibus humanis.



Videri posset præsens Tractatus potius ad Theologiam moralem spectare: at vel maxime speculativæ est proprius, cujus est, fundamenta moralis disciplinæ, num firma sint, examinare. Estque hoc magnum discrimen inter utriusque hujus scientiæ auditores, quod casuum solorum notitiâ instructi discipuli sæpe credere debeant, quod speculativi Theologi sciunt: quod illi superiorem duntaxat structuram, & artificum, seu auctorum, nomina nôsse contenti, profundiora arcana sapiens non ingredientur: hi verò intima, & infima, seu fundamentales etiam lapides, perscrutari doceantur. Agit autem Angelicus de actibus humanis in 1. 2. à questione 6. Nos Tractatum hunc in duas Disputationes dividimus: in prima universaliter de actu moralitate agemus: in secunda peculiariter de conscientia tractabimus.

DISPUTATIO I.

De Moralitate Actuum Humanorum.

2. Theologi communiter, secuti Angelicum, Tractatum de beatitudine subjungunt Tractatum de actibus humanis, seu moralibus; quippe isti sunt media, quibus ultimum finem consequi oportet. Per actus autem humanos non intelliguntur hic omnes illi, qui quomodocumque ab hominibus proficiuntur: sed soli illi, qui morales, sive, ut infra dicemus, voluntarii, ac liberi sunt, & aliquo modo ad finem ultimum referuntur, hoc est, vel ad illum ducunt, si boni, vel ab eo abducunt, si mali sunt, vel, si indifferentes in individuo possibiles sint, eum saltem, ut non prohibentem, respiciunt. Et de his modo ex professo agemus: quanquam sæpe incidenter facienda mentio erit de actibus etiam involuntariis, seu indeliberatis. Sit itaque

QUÆSTIO I. De Voluntario, & Involuntario. ARTICULUS I. Quid, & quotuplex sit Voluntarium, & Involuntarium.

3. Aristoteles 3. Ethic. 1. ait, voluntarium esse, cujus principium est in agente, cognoscente singula, in quibus est actus. Hæc definitio, licet, ut plures alii ab eodem Philosopho traditæ, explicatione indigeat, cum aliis tolerari potest; quia etiam S. Thomas 1. 2. q. 6. artic. 1. & alii communiter eam, saltem quoad substantiam, admittunt. Potest autem sic explicari, ut sensus sit: *Voluntarium est, quod est à potentia appetitiva cum præcognitione finis.* Et sic principium in agente erit potentia appetitiva in volente, at cognoscere singula erit cognitio finis, seu eorum singulorum, quæ voluntaria sunt.

4. Requiritur itaque ad voluntarium primum, ut potentia appetitiva sit principium voluntarii; quia, in quod non influit voluntas, id non est voluntarium, quamvis possit esse volitum. Sic homicidium, quod quidem ego desideravi fieri, sed non iusti, nec suavi, mæque incio, & nec physicè, nec moraliter influente, ab alio paratum est, est mihi quidem volitum, sed non voluntarium, aut imputabile. Potest autem voluntas esse principium, vel metaphysicum tantum, quale est voluntas Divina, respectu volitionum contingentium, quæ sunt DEO voluntariæ, & sunt à voluntate Divina tantum ut potentia metaphysica, non verò physica; quia sunt voluntati Divinæ realiter identificatæ, ut dicitur in tract. de Deo à n. 521. Vel potest voluntas esse principium physicum, quale est voluntas hominis respectu suarum volitionum, quas physicè producit. Potest item esse principium tantum mediatum, quale est respectu actuum externorum, quos imperat, saltem, si hiant ab alio ex mandato volentis; si enim hiant ab ipso volente, cum potentia etiam externæ sint, saltem inadæquate, identificatæ cum anima, quæ realiter voluntas, in aliquo sensu voluntas est principium immediatum istorum actuum:

5. Secundò. Voluntarium debet esse à voluntate affectivè, sive cum inclinatione ad ipsum; nec sufficit, esse à voluntate tantum physicè; nec enim est voluntaria e. g. adgeneratio strumæ; quam

quamvis realiter fiat à voluntate, seu anima: nec est voluntaria generatio habitus, quem voluntas producit: neque etiam DEO sunt voluntaria nostra peccata, quamvis in ea physicè influat ejus omnipotentia, quæ est realiter voluntas.

Tertiò. Voluntarium debet esse cum præcognitione finis. Ubi notandum, creaturam rationalem, quando cunque operatur moraliter, intendere semper aliquem finem, saltem negativè ultimum; debet enim intentio agentis in aliquo quiescere: & quicumque aliquam rem facit, vel facit illam propter se ipsam, & tunc ipsa est finis: vel facit eam propter aliud, & tunc hoc aliud est finis, ut est clarum. Hunc ergo finem debet voluntariè agens præcognoscere: imò non tantum debet præcognoscere finem negativè ultimum, sed etiam relationem, vel conducentiam, aut proportionem actus, vel illius rei, quæ fit, aut ordinatur, ad finem, ut ait Angelicus 1. 2. q. 6. a. 2. in corp. nam nec actus voluntatis interior, nec actus externus imperatus, est voluntarius, nisi secundum id, quod est cognitum in objecto; non enim operatur quis voluntariè, nisi sciens, & volens: unde omnes excusant Jacobum Patriarcham ab adulterio, ex eo, quod ignorans accesserit ad Liam, tunc nondum suam.

6. Quartò. Voluntarium perfectum debet esse cum cognitione finis formalis; etsi enim in brutis detur aliquod voluntarium imperfectum, scilicet inclinatio appetitus in suum bonum, non tamen est voluntarium perfectum, ut expressè tradit Angelicus 1. 2. quæst. 6. artic. 2. in corp. quia, licet bruta finem cognoscant materialiter, hoc est, rem, quæ ipsis est bona, & quam appetunt, tamen non cognoscunt formaliter, seu per cognitionem comparativam finis cum mediis, & proportionis istorum ad illum. Quare voluntarium perfectum tantum datur in creaturis rationalibus: in inanimatis autem nec datur voluntarium imperfectum; eoque omnino prorsus cognitione careant.

7. Jam voluntarium multiplex ab auctore assignatur. Primum est voluntarium formale, seu elicatum, quod est ipse actus voluntatis, qui juxta quosdam formaliter vult se ipsum, estque volitio sui ipsius: & hæc opinio videtur vera, saltem in aliquibus casibus, e. g. in volitione legislativa, donatione &c. debetque juxta hanc sententiam admitti, quod volitio, aliquo modo etiam formaliter, præcognoscatur: sed hæc controversia non est hujus loci. Saltem negari non potest, quod volitio velit se ipsam interpretativè, & pariter ita cognoscatur, quatenus scilicet, qui cognoscit, & vult objectum, ut bonum suæ amplexioni (quæ est ipsa volitio) etiam interpretativè cognoscit, & vult ipsam amplexionem. Secundum est voluntarium formaliter tale, quod idem est, ac directum, de quo paulò post.

Tertium est voluntarium objectivum, quod est ipsum objectum, in quod tendit volitio. Quartum est voluntarium actuale, quando scilicet volitio actualiter adhuc existit. Quintum voluntarium virtuale, quando non amplius volitio existit in se, sed tamen in aliquo suo effectu, e. g. voluit quis recitare Breviarium: deinde sub recitatione involuntariè distrahitur, & tamen pergit: recitatio ista, involuntariè distracta, est voluntaria virtualiter; quia scilicet prior volitio

perseverat adhuc in effectu suo, scilicet in ipsa externa recitatione. Sextum est habituale, quando volitio præcessit, sed nec in se, nec in effectu existit, neque tamen etiam est retractata.

8. Septimum interpretativum, quod tunc datur, quando nulla volitio objecti reverà data est, sed tantum habetur causa ita interpretandi voluntatem alterius, quod scilicet, si aliquid sciret de objecto, habiturus esset volitionem circa ipsum. Hinc ad actiones, quæ prærequirunt positum actum superioris, non sufficit voluntarium interpretativum, e. g. non sufficit ad audiendas confessiones interpretativa tantum approbatio Episcopi, sed debet præcessisse actualis: at quando actio tantum exigit, superiorem non esse invitum, sufficit voluntarium interpretativum, e. g. ut sacerdos licitè sacrum dicat, sufficit, cum possit moraliter judicare, Episcopum, vel alium superiorem id voliturum, si sciret circumstantias, quæ sacrum exigunt. Vide Suarez 1. 2. tract. 2. de voluntario disput. 1. sect. 4. num. 4.

Octavum præsumptum, quod non est idem cum interpretativo, sed tunc datur, quando non tantum præsumitur alter habiturus volitionem, ut fit in interpretativo; sed præsumitur, actu habere volitionem circa objectum, saltem universalem, & implicitam, quæ etiam hoc objectum complectatur. In hoc tamen conveniunt ista duo, quod tam interpretatio, quam præsumptio, non fit in volente, sed in alio interpretante, vel præsumente de alterius voluntate.

9. Nonum explicitum, quando quis aliquid explicitè, & clarè, in se vult. Decimum implicitum, quando quis habet voluntatem universalem, quæ se etiam ad hoc objectum, his vel illis circumstantiis vestitum, extendit. Undecimum expressum. Hoc, si non sumatur pro eodem cum directo, datur tunc, quando ex eo signo manifestatur. Duodecimum tacitum, quando non ita manifestatur: quamvis aliquando tacitum confundatur cum præsumpto, de quo paulò antè. Decimum tertium voluntarium directum, seu voluntarium in se, quando quis ipsam rem immediatè in se vult. Decimum quartum indirectum, quando quis vult causam, ex qua videt futurum effectum; tunc enim effectus est indirectè voluntarius; si quis autem alio modo præcognovit effectum futurum, tunc hic est casualis. Hoc voluntarium directum, & indirectum, alii appellant voluntarium in se, & voluntarium in causa. Decimum quartum voluntarium positivè tale, quod causatur à volitione positivè. Decimum sextum voluntarium negativè, quod oritur ex omissione actionis, vel alterius rei, quam debuisset is ponere, cui effectus secutus imputatur. S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 3. in corp. & Thomista, hoc vocant indirectum, sicut voluntarium positivè vocant voluntarium directum: alii explicant, ut nos superius: sed de his iterum n. 24.

10. Decimum septimum voluntarium spontaneum, seu purum, quod non habet admixtam volitionem inefficacem. Decimum octavum voluntarium mixtum, quod adjunctam habet volitionem inefficacem, adeoque secundum quid est involuntarium. Decimum nonum voluntarium simpliciter tale, quod, vel est purum, vel habet adjunctam tantum volitionem inefficacem. Vigésimum voluntarium secundum quid, quod

habet adjunctam nolitioem efficacem, adeoque est simpliciter involuntarium. Vigefimum primum *voluntarium in se ipso*, hoc est, in volente (nam si tantum esset voluntarium in objecto, non differret à directo) quando scilicet is, cui voluntarium objectum dicitur, habuit actum voluntatis. Vigefimum secundum *voluntarium in alio volente*, quando scilicet alius voluit, cujus volitio mihi imputatur: & sic Vasquez, Torres, Salazar, & alii, volunt, nobis voluntarium fuisse peccatum originale: attamen Bellarminus, Tolletus, Cornelius, Salmeron, aliique apud Oviedo, volunt, peccatum originale nobis fuisse voluntarium in nobis ipsis; quia volitio, quæ fuit physice Adami, fuit moraliter nostra. Vigefimum tertium *voluntarium necessarium*, quando scilicet voluntas necessario in objectum fertur: sic Beati necessario amant DEUM. Vigefimum quartum *voluntarium liberum*, quando voluntas liberè objectum amplectitur, sicut amplectitur peccata, & opera meritoria.

11. Sicut autem hucusque locuti sumus de voluntario, ita proportionaliter discurrendum est de involuntario: circa quod tamen observandum, aliud dici *involuntarium negativè*, aliud *privativè*, aliud *positivè*: sed priores duo modi loquendi sunt improprii; nam inprimis pura negatio volitionis non facit propriè involuntarium; datur enim etiam in lapide, cui nihil est involuntarium: sed nec sola privatio, seu negatio volitionis in subiecto capaci, facit strictè involuntarium; quamvis enim homo (qui est subiectum capax volitionis) dormiens, aut non cogitans, vel etiam sponte non eliciens volitionem, quando eam elicere posset, seu quando illa pro libitu ipsius esset ipsi debita, quamvis, inquam, talis homo non habeat volitionem circa plurima, non tamen dicuntur illa ipsi involuntaria: quare propriè involuntarium est, quod est positivè tale, quando scilicet habetur positiva nolitio objecti.

12. Hæc autem nolitio potest esse efficax, vel inefficax. Si est inefficax, adeoque compossibilis cum volitione efficaci, facit tantum *involuntarium secundum quid*. Si est efficax, tunc vel est *efficax effectivè*, hoc est, ut objectum re ipsa excludat, aut impediat: vel tantum est *efficax affectivè*, hoc est, ut objectum quidem non excludat, sed tantum omnem affectum, & inclinationem efficacem ad objectum. Si primum, non facit involuntarium, propriè dictum; quia non dicitur involuntarium, nisi objectum existens, & contrarium voluntati; atqui in hoc casu objectum non existit: si secundum, facit involuntarium simpliciter; ut patet consideranti.

Unde, licet volitio, & nolitio, se eodem modo habeant ad denominandum volitum, aut nolitum, non tamen eodem etiam modo se habent ad denominandum voluntarium, & involuntarium; quia volitio efficax effectivè, utpote inferens existentiam objecti, denominat id voluntarium; non autem nolitio efficax effectivè denominat id involuntarium, sed tantum nolitum; quia existentiam ejus excludit. E contra volitio tantum affectivè efficax non denominat objectum voluntarium, sed tantum volitum; quia, vel non datur tunc objectum, vel non influit volitio; aliàs esset efficax effectivè: unde in hoc casu tantum volitio est voluntaria, sicut in

priori nolitio. Nolitio autem affectivè efficax denominat objectum involuntarium; nam hæc non excludit existentiam objecti: neque debet esse impossibilis cum absoluta permissione objecti; nam e. g. DEO sunt simpliciter involuntaria nostra peccata, quamvis ea permittat; neque etiam debet esse impossibilis cum omni affectu conditionato ad rem, si aliæ essent circumstantiæ; nam mercatori simpliciter est involuntaria retentio mercium, quas in periculo naufragii alius, ipso invito, retinet, quamvis eam retentionem velit conditionatè, si scilicet periculum abesset. Notandum etiam discrimen aliud inter voluntarium, & involuntarium in causa: nam *voluntarium in causa* est, cujus unica tantum causa voluntaria est, etsi reliquæ sint nolitiæ; quia à qualibet potest effectus poni: at *involuntarium in causa* est, cujus omnes causæ sunt involuntariæ, vel nolitiæ; si enim vel una esset volita, jam hæc effectum potest producere, consequenter hic jam est in ista causa voluntarius.

13. Quæri hic solet, quodnam voluntarium sit perfectius, liberum, an necessarium. Resp. quætionem intelligendam esse de inclinatione, seu adhesionem ad objectum, similique distinguendum esse, inter necessarium ex perfectione cognitionis, & necessarium ex imperfectione cognitionis; potest enim voluntas necessario rapi ad objectum; quia perfectius illud cognoscit: & sic rapitur à visione beatifica ad amorem DEI: potest etiam voluntas rapi ex imperfectione cognitionis, quatenus fertur necessario in objectum, non ita perfectè cognitum, ut etiam agnoscantur ejus imperfectiones, sed appareat objectum sub ratione puri boni: & sic rapitur voluntas ad actus, qui vocantur motus primò primi.

Jam dici solet, voluntarium, necessarium ex imperfectione cognitionis, esse minus voluntarium, quàm liberum: at verò voluntarium, necessarium ex perfectione cognitionis, esse magis voluntarium, quàm liberum. Ratio desumitur, tum ex amore beatifico, qui longè ardentius, & cum majori inclinatione adhæret DEO, quàm quilibet alius amor alteri rei liberè amata: tum ex motibus primò primis, à quibus longè facilius cessamus, quàm ab ullo amore, quem deliberatè, & liberè, elucimus; quippe statim, apparente alio novo motivo, desistimus; cum tamen, quando deliberatè egimus, plura jam absterrentia vicerimus: scilicet firmior est adhesio voluntatis, quæ sequitur majorem illustrationem, & cognitionem intellectus.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

14. **O**B. I. Nolitioes non sunt voluntariæ, & tamen conveniunt ipsis definitio: ergo non est bona. Confirm. Actio, facta cum ignorantia alius circumstantiæ, est voluntaria, licet non sit ex præcognitione: ergo, Resp. neg. antec. Nolitioes enim sunt voluntariæ formaliter, & possunt etiam esse voluntariæ objective, si reflexè imperentur. Quòd autem non denominant objecta voluntaria, non refert; nam non denominant per convenientiam, sed per inconvenientiam. Sic etiam præceptum bonum denomi-

nat rem prohibitam malam, & culpa injusta denominat poenam justam, & neque enim semper predicatum, quod competit formæ, seorsim acceptæ, competit etiam subiecto, ut patet in alatis, & aliis pluribus exemplis. Ad confirm. dicit, antec. Actio talis est voluntaria quoad circumstantiam invincibiliter ignoratam, neg. antec. quoad alia. conc. antec. & neg. conf. Quid dicendum in casu ignorantia vincibilis, dicemus alibi.

15. **O**B. 2. Submerfio navis imputatur tantum voluntaria navarcho, præficio, & obligato, simulque potenti eam impedire, quamvis tantum habuerit puram omissionem liberam circa illam submerfionem: ergo potest esse voluntarium, quod non est affectivè à voluntate. prob. conf. pura omifio non est positivus affectus voluntatis: ergo. Resp. dist. conf. potest esse voluntarium positivè tale, neg. conf. tantum negativè tale. om. conf. ad probationem. conc. ant. & sub data distinctione. om. vel neg. conf. Dixi *omifio*; nam, an possibilis sit pura omifio libera, decidendum est interibus: si autem ea daretur in hoc casu, esset peccaminosa, & æquivaleret, saltem quoad imputabilitatem, positivè voluntario: an autem pura omifio libera sit dicenda strictè voluntaria, an tantum æquivalenter, quæstio est de nomine. Ariaga *disp. 8. de act. hum. n. 36. § seq.* fusè contendit, esse strictè voluntarium, ex eo etiam capite; quia est libera, & liberum includit voluntarium. Alii id negant; quia voluntas non influit, nec est propriè omifionis principium, quod requiritur ad voluntarium. Quodquid autem sit de hac quæstione nominis, saltem, si daretur pura omifio, esset voluntaria, si per hoc vocabulum tantum intelligitur, imputabilis ad culpam, & quoad hoc æquivaleret positivè voluntario.

16. **O**B. 3. DEUS potest supernaturaliter se solo producere volitionem in voluntate, ipsa non concurrente: hæc esset voluntaria, & tamen non esset à voluntate affectivè: ergo etiam, quod non est à voluntate, tamen est voluntarium. Vicissim etiam DEUS potest cogere hominem ad volendum, vel nolendum: talis volitio esset à voluntate; quia tamen esset violenta, non esset voluntaria: ergo etiam, quod est à voluntate, non est voluntarium: ergo esse à voluntate, nec requiritur, nec sufficit. Resp. ad 1. argum. om. ma. neg. mi. In eo casu voluntas reciperet volitionem, tanquam qualitatem mortuam, sicut fermè eam reciperet lapis: adeoque non esset voluntaria. Certè per eam homo non vellet; nam velle est vitaliter agendo erga aliquid affici. Ad alterum argum. neg. ma. DEUS quidem potest hominem necessitare ad volendum, non tamen potest cogere, ut habet S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 4. in corp. vel enim tantum infunderet volitionem, tanquam qualitatem mortuam: & homo non vellet: vel tantum necessitaret, ut necessitaret Beatos ad se amandum: & hac ratione nondum cogeret; cogere enim est inferre violentiam: est autem impossibile, ut homo patiatur violentiam in eo, quod vult, vel ad quod habet propensionem, vel inclinationem voluntatis; cum omne violentum sit contra inclinationem: & hinc, si DEUS prædeterminaret Petrum, ad volendam sui ipsius occisionem, hæc non esset

violenta; quia non esset contra appetitum nobiliorem, seu rationalem.

17. **O**B. 4. Ponamus, quòd Petrus sit physice necessitatus ad currendum, e. g. loris sit alligatus equo, vel currui &c. & videat, quòd currendo necessario sit protriturus infantem: interim tamen liber sit, ut lubens currat, vel invitatus: ponamus, quòd volens currat, adeoque volens proterat infantem. In hoc casu haberet totum, quòd juxta nos requirit definitio voluntarii, & tamen protritio illa non est voluntaria: ergo. prob. antec. sive Petrus velit, sive nolit, tamen infans conculcabitur: ergo protritio non est imputabilis, aut voluntaria Petro. Resp. conc. casu nego secundam partem subsumpti. ad prob. neg. consequ. est enim in hoc casu conculcatio illa verè voluntaria; quia procedit à Petro ut volente, & cognoscente, atque volitio Petri verè influit, conterminando tantum concausa, quamvis non necessaria; quia effectus jam esset aliunde sufficienter determinatus: sicut sæpe determinat alter finis, quamvis unus sufficeret. An autem illa imputabilis sit protritio infantis in hoc casu, ut Petrus contra-hat obligationes ex injusta læsione, vel homi-cidio ortas, non spectat huc, sed decidendum esset in tract. de justit.

18. **O**B. 5. Potest contingere, quòd quis habeat tantum nolitioem rei, affectivè inefficacem, & nullam positivam volitionem: in tali casu dabitur simpliciter involuntarium sine nolitioe efficaci: ergo dicta n. 12. non subsistunt. Confirm. Nolitio affectivè efficax est impossibilis cum existentia objecti: ergo non potest denominari involuntarium ex ibidem dictis: prob. antec. in eo casu, si voluntas potest, tunc impedit objectum: ergo non dabitur. Si non potest impedire, non potest dari nolitio absoluta; quia non potest dicere: *nolo*: sed tantum: *nollem*: ergo.

Resp. neg. mi. nam per simpliciter involuntarium intelligitur, non tantum negativè non voluntarium; sed positivè, ita, ut non sit compossibile cum volitione efficaci, quale non est objectum tantum inefficaci tali nolitioe affectum: & in hac quæstione de nomine, aut intelligentia terminorum, standum est communiore. Ad confirm. neg. antec. ad prob. neg. 1. p. antec. DEUS absolute affectivè efficaciter non vult nostra peccata, & tamen, quamvis possit, non impedit: dein nego etiam secundam partem ant. quia nolitio affectivè efficax est illa, quæ est impossibilis cum volitione efficaci, qualis sæpe datur, quando objectum existit ex determinatione alterius, sive dein explicetur per *nollem*, sive per *nolo*. Quamvis non videatur, cur talis non possit dicere: *Quantum est in me, nolo hoc objectum*: vel: *Hoc est absolute contra meam voluntatem*.

19. **O**B. 6. S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 2. in corp. vocat perfectum voluntarium, quando quis potest moveri, vel non moveri: sed hoc est liberum, & non necessarium: ergo illud est perfectius isto, contra dicta n. 13. Confirm. 1. Angelicus *eadem quæstione a. 3.* ait, voluntarium perfectum esse, quòd est imputabile, scilicet ad laudem, vel vituperium: sed hoc est liberum: ergo. Confirm. 2. S. Doctor 1. p. q. 41. a. 2. § q. 42. a. 2.

ait, actus notionales in DEO non esse voluntarios: ergo non datur voluntarium necessarium, multo minus istud esse perfectum libero. Resp. S. Doctor *ibi* querit, an etiam in brutis detur voluntarium: & respondet, dari imperfectum ob imperfectam cognitionem finis, tantum materialiter talis: unde duntaxat vult dicere, voluntarium liberum esse perfectum, seu perfectius, quam necessarium ex imperfectione cognitionis.

In forma dist. ma. vocat perfectum, seu perfectius, comparative ad voluntarium necessarium ex imperfectione cognitionis. conced. ma. comparative ad voluntarium necessarium ex perfectione cognitionis. neg. ma. & conc. mi. sub eadem distinctione. conc. vel neg. conseq. Ad 1. confirm. In primis neg. maj. quia ibi nil dicit S. D. de eo, an voluntarium sit perfectum, vel non: sed loquitur tantum de voluntario positivo, vel negative tali, seu, ut ipse vocat, directe, vel indirecte tali. Resp. 2. dist. ma. aliquid voluntarium perfectum om. ma. omne, aut etiam perfectissimum: neg. ma. & dist. sic mi, neg. conseq. Ad 2. confirm. dist. ant. S. D. ait, actus notionales non esse voluntarios, hoc est, non esse liberos. conc. antec. non esse ex inclinatione voluntatis. neg. ant. & conf. Legatur ipse S. Doctor, & apparebit clarè hic sensus; scpe enim Scripturæ, & PP. per voluntarium intelligunt liberum. Sic Jacobi 1. v. 18. dicitur: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.*

20. Ob. 7. Voluntarium liberum est magis ab intrinseco, & ex perfectiori cognitione, quam necessarium: ergo est perfectius. Confirm. 1. Voluntas liberè agens determinat se ipsam, & non determinatur ab extrinseco, sicut agens necessarium: ergo perfectius agit. Confirm. 2. Per modum agendi liberum distinguitur creatura rationalis ab irrationali: ergo est perfectior, quam necessarius. Resp. dist. antec. voluntarium liberum est magis ab intrinseco, quam voluntarium necessarium ex imperfectione cognitionis. conc. antec. quam omne voluntarium necessarium. neg. antec. & sub eadem distinctione. conc. vel neg. conseq. Quando voluntas agit necessariò, circa objectum creatum, ordinariè adest imperfecta cognitio; si enim penitus id objectum cognosceret, videret etiam aliquam imperfectionem in eo, nec necessitaretur. At, si voluntas agat circa objectum Divinum, res contrario modo se habet; nam, quò magis illud cognoscit, eò majus, & purius bonum esse videt.

Ad 1. confirm. neg. conseq. nam, quando voluntas agit necessariò ex perfectione cognitionis, tunc necessitatur ad id, ad quod sponte rapitur; adeoque fertur in objectum cum majori inclinatione, conatu, & intentione: unde operatio in hoc sensu est magis ab intrinseco, quam libera, scilicet est ex majori conatu, vel intentione, à voluntate sponte adhibita. Ad 2. confirm. dist. antec. per solum modum agendi liberum distinguitur creatura rationalis ab irrationali. neg. antec. etiam per modum agendi necessarium ex perfectione cognitionis. conc. antec. & neg. conseq. neque enim bruta possunt necessariò agere ex perfectione cognitionis. Unde præcisè ratione hujus differentie neutrum voluntarium est perfectius altero.

ARTICULUS III.

Quid sit voluntarium in causa.

21. Diximus n. 9. voluntarium indirectum esse idem cum voluntario in causa. Equidem, ut *ibi* notatum, Thomistæ voluntarium indirectum aliter exponunt. Suarez quoque in 1. 2. tr. 2. de voluntario sec. 4. n. 13. putat, omne id, in quod voluntas non immediate per aliquem actum tendit, moraliter tamen se ad id extendit, posse dici voluntarium indirectum, de qua questione nominis nolim multum litigare. Hic autem quarimus, quidnam dici debeat voluntarium in causa, sive vocetur indirectum voluntarium, sive non.

Diximus eodem n. 9. quòd voluntarium indirectum, sive in causa, sit, quando quis vult causam, ex qua videt secuturum effectum. Et quidem necessarium esse, ut effectus aliquo modo prævideatur, à nemine negatur; nihil enim volumus, quin præcognitum. Unde, si quis effectum secuturum invincibiliter ignoret, non potest censeri in eum influere. Dixi *invincibiliter*; nam si ignorantia vincibilis sit, censeri potest quis effectum saltem eatenus cognoscere, vel scire, quatenus scit obligationem de eo inquirendi. Attamen non omnis effectus prævisus voluntarius dici potest; cum multi, etiam prævisi, sint purè permixti.

22. Dico 1. Si causa voluntaria est tantum causa per accidens effectus, sive in genere physico, sive in genere morali (hoc est, si est tantum causa, quæ per se non est connexa cum effectu, aut ex sua natura ad eum tendens, quamvis hic & nunc, prævideatur, per accidens cum ea conjungenda, seu, ut ait Suarez in 1. 2. disp. 1. de voluntario sec. 4. n. 8. ex qua effectus non sequitur per se, & vi illius solius), sed ex aliis etiam adjunctis, quæ non intenduntur) non ideo est effectus est voluntarius in causa: sive, non ideo datur voluntarium in causa. ita auctores communis. Prob. 1. Talis effectus non est voluntarius in se, ut ponitur: neque in causa; quia, cum causa ex se, & antecedenter ad actionem productivam, non habeat connexionem cum eo, nec illum per se præcontineat, non potest censeri intentio, immediate tendens in causam, etiam mediata tendere in effectum: ergo.

Confirm. Effectus purè permixtus opponitur voluntario: sed effectus, ortus ex causa per accidens, est purè permixtus: ergo opponitur voluntario: consequenter non est voluntarius. prob. min. si talis effectus non est purè permixtus, tunc nullus potest assignari purè permixtus: hoc est contra communem: ergo. prob. min. non potest assignari effectus non prævisus, quia non dicitur permixtus, quod non est præcognitum, ut est ex se clarum: non effectus prævisus, & impeditus; nam hic, ut iterum est clarum, non est permixtus: non prævisus, & ortus ex causa per se, ac voluntaria, & tamen non impeditus; hic enim est voluntarius, ut mox probabimus: non prævisus, & ortus ex causa involuntaria; hic enim est involuntarius in causa: ergo.

ergo effectus purè permixtus non potest assignari alius, quam ille, qui ortus est, ex causa quidem voluntaria, sed quæ tamen sit tantum causa per accidens.

Prob. 2. conclusio ab exemplis. Superior e. g. prævidet, subditum iratum futurum, forte etiam blasphematurum, si eum pro meritis castiget ad aliorum exemplum: si tamen hoc faciat, non censetur ei voluntaria ira subditi, sed purè permixta. Puella videt, scandalizandum lubricum juvenem, si ipsa exeat domo: etiamsi hoc faciat ad lucrandum panem, vel ad templum adeundum, non est voluntarius ei lapsus juvenis, sed permixtus. Fabri armorum prævident, abufuros multos armis ad homicidia &c. quin ista sint ipsi voluntaria &c. DEUS prævidet, multos homines, quos creat, peccaturos, quin eorum peccata ipsi sint voluntaria &c.

23. Dico 2. Ut talis effectus sit voluntarius in causa, requiritur, & sufficit, ut positio causæ sit præcepta ideo, ut habeatur effectus: vel ut sit prohibita ideo, ut impediatur effectus, ita Suarez, Vasquez, Gormaz, & Theologi satis communitè. Favet etiam S. Thomas. 1. 2. q. 6. a. 3. in corp. quatenus docet, quòd effectus, non impeditus in causa, e. g. submersio navis, in omissione gubernationis, non sit voluntarius, in ea causa, sive in ea omissione, nisi navarchus debuerit (hoc est, ei aliquatenus præceptum fuerit) navem gubernare, vel (quod idem est) ei prohibitum fuerit, ponere causam submersionis, seu omissionem gubernationis. Præceptum autem hic latius sumitur pro omni eo, quod præbet morale fundamentum judicandi, causam intendi in ordine ad effectum, vel moraliter cum eo connecti. Tale fundamentum etiam est consilium, votum &c.

Probat conclusio. Illud est voluntarium, quod est affectivè, & effectivè à voluntate: atqui ita se habet effectus dictus: ergo. prob. min. talis effectus est effectivè à voluntate; quia vera productur dependenter à voluntate, utpote mediata physice in eum influente: sed est etiam affectivè, saltem moraliter, à voluntate; quia, quando quis ponit causam, quæ illi prohibita est, ne sequatur effectus, vel ipsi præcepta, aut saltem ius est, ut sequatur effectus, tunc iudicio prudentum censetur velle effectum: adeoque hic est etiam affectivè à voluntate; ipsum enim præceptum, vel consilium, est moralis unio effectus cum causa, ut, qui vult unum, censetur moraliter velle alterum, & hoc ei etiam imputetur: sicut voluntas superioris, vel consensus communitatis, est connexio hederæ, vel alterius signi; cum vino vendibili, ita, ut, qui vult hederam, vel tale signum suæ domui præfigere, eo ipso censetur velle significare, se habere vinum vendibile.

24. Duò tamen addenda sunt 1. Non sufficit, causam esse prohibitam quocunque modo: sed debet esse prohibita eo fine, ne sequatur hic effectus; nam, licet e. g. fornicatio prohibita sit; quia tamen non est prohibita, ne sequatur peccatum originale, istud non est voluntarium in fornicatione. Item, licet prohibitum sit, die festo ligna cadere; quia tamen non est prohibitum, ne ipse cadens, vel alius lædatur, aut mutiletur, si casu securi sibi pedem abscindat,

vel ea, à stylo excussa, alterum lædat, non sunt voluntarii hi effectus: quamvis in secundo casu voluntarium etiam ex alio capite deficere videatur; quia scilicet effectus non fuit prævisus; licet enim non requiratur certa prævisio effectus, tamen requiritur prævisio moralis periculi, quod etiam debet caveri ex præcepto non occidendi: & si hoc non fieret, jam non ageretur tantum contra præceptum tertium, sed etiam contra quintum decalogi.

Secundo. Ut rectè notat Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 1. de volunt. sec. 4. num. 12. etsi quis effectum, ex causa prohibita consequentem, in seipso nolit, vel displicentiam de eo habeat, tamen hic est moraliter voluntarius; quia sibi non opponitur, involuntarium in se, seu nolitum objective, & voluntarium in causa: sive intentio formalis causa, quæ moraliter etiam censetur esse intentio effectus, & nolitio ipsius effectus. Sic, licet directè nolis occidere hominem, si tamen, animadverso periculo, velis, non adhibita sufficienti diligentia ad cavendum homicidium, explodere sclopetum, & homicidium ex ea explosione sequatur, erit hoc tibi voluntarium in causa, & tibi imputabitur.

25. Dico 3. Si causa voluntaria est causa per se effectus in genere physico, vel morali, simulque est affecta præcepto, vel prohibitione, utique effectus est in ipsa voluntarius. Hanc conclusionem omnes recipiunt, & non tam opus habet probatione, quam terminorum explicatione. Causa per se in genere physico est, quæ ex natura sua est determinata ad effectum, & ex qua effectus, physica saltem necessitate, sequitur. Sic ignis applicatus materiæ combustibili, est causa per se physica combustionis, quamvis supernaturaliter posset impediri. Qui ergo adibus proximi applicat injustè ignem contra præceptum naturæ, ei utique voluntaria est, ac imputatur combustio.

Causa per se in genere morali est illa, quæ ex natura sua tendit ad productionem effectus, quamvis hic non necessariò sequi debeat. Talis causa sunt preces, consilia, præcepta, minæ &c. quorum intrinsecus finis est, movere, quantum est in ipsis, ad positionem talis effectus, quamvis sæpe non permoveant. Qui itaque voluntariè præceptum, aut consilium injustum dat, vel preces, aut minas prohibitas, adhibet &c. quamvis effectum nolit, tamen censetur velle effectum in causa; si enim censetur effectum velle is, qui tantum causam per accidens, prohibitam tamen, vult, quanto magis, qui causam per se?

Quamvis autem, qui ponit causam per se, præsertim moralem, sæpissime effectum directè in se velit, non tamen id semper fieri necesse est, e. g. aliquis corruptus pecuniâ, vel motus aliâ spe, aut timore, dat alteri consilium, ut placeat tertio, quamvis interius cuperet, ut id non admitteretur (qua ratione satisfecisset tertio illi, & tamen obligationem e. g. restituendi damnum, vel similem, evitasset) interim tamen talis in æstimatione morali censetur intendisse effectum, & esse ejus causa moralis; esset enim valde ridiculum, dicere: Ego horro, & suadeo, ut hoc facias, non tamen te ad id volo inducere, sed tantum id permittere. Hinc positio talis causæ in

in æstimatione morali est inseparabilis ab intentione effectus, saltem moraliter imputabili. Unde, si effectus licite intendi non potest, hoc ipso est prohibendum, dare consilium in ordine ad illum.

26. Dico 4. Si causa physica per se effectus, non est præcepta, aut prohibita, & intenditur, non in ordine ad hunc effectum, sed ad alium; tunc ille prior effectus non est moraliter voluntarius, seu imputabilis. ita Gormaz, & alii communiter, saltem quoad rem, in quantum scilicet intelligitur, talis effectus non esse imputabilis ad culpam. Probatur. Sæpe causa physica simul producit duos effectus, & aliquis habet jus ad unum, non verò ad alterum, tunc, si quis tantum intendat priorem, secundus est moraliter pure permixtus, nec imputabilis: ergo, probatur antec. voluntas in tali casu, juxta moralem æstimationem, censetur tantum tendere in causam formalem, seu ut in causam effectus sibi liciti, ab altera verò formalitate præscindere: ergo non censetur, alterum effectum mediate intendere.

Probatur exemplis. Sic, (quod est exemplum allatum à Gormaz n. 163. de act. hum.) si quis habens jus, riget suum hortum, quamvis hæc irrigatio, simul cum fecunditate horti proprii, afferat damnum horto alieno, in quem aqua defluit, damnum hoc est pure permixtum. Sic, si in gravi, ac periculoso morbo medicus videns, medicinam, unice potentem mederi, allaturam ex altera parte aliquid nocuum minus ægroto, attamen in his circumstantiis non curandum, adhibeat eam medicinam, istud damnum in morali æstimatione pure permittit. Sic confessarius sciens ex auditione turpissimum actum orituros naturaliter in se motus quosdam inhonestos, si tamen sacramentum illud administret, moraliter eos motus tantum permittit: imò satis communiter solent ii vocari involuntarii. Sic, si quis, ut salvet vitam, fugiens conculcet necessario dormientem in via infantem, moraliter tantum permittit ejus necem, certè non peccat, ut communiter docent cum Layman l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 1. sub finem. Plura alia exempla exhibent Theologi morales.

27. An autem in talibus casibus effectus illi, e. g. damnum alterius, vel motus inhonestus, dicendi sint voluntarii saltem physice, questio videtur de nomine, in qua authores discrepant. Et quidem tales effectus esse indirectè voluntarios, voluit Suárez, Vasquez, Layman l. 1. tr. 2. c. 3. n. 5. & alii multi, dicuntque, eis convenire totam definitionem indirectè voluntarii; cum sint mediate, sive indirectè, ab intrinseco, quatenus scilicet causa per se cum iis connexa est immediate à voluntate, seu ab intrinseco, & consequenter ipsi sunt mediate ab intrinseco, seu à voluntate, tanquam principio: insuper etiam sunt præcogniti, adeoque cum præcognitione.

Gormaz verò, & alii, id negant; quia videntur ipsis illi motus inhonesti, vel alius turpior effectus in confessario ortus, aut conculcatio infantis, non esse dicendi voluntarii; cum videatur mirabile, e. g. voluntariam occisionem innocentis non esse peccaminosam. Sed hi auctores debent, vel aliter explicare definitionem communem, vel aliquid in ea subintelligere, e. g.

quod sit ab intrinseco ita, ut voluntas, vel physice, vel moraliter, intendat causam ut causam huius effectus, seu causam, quæ etiam respectivè ad agentem (quemadmodum ait Gormaz) sit causa per se effectus, nec agens habeat jus ad ponendam eam causam propter alium effectum juxta dicta n. 26. si enim ita causam intendat, quamvis physice effectum nolit, tamen eum in æstimatione morali velle censetur, ut dictum num. 24. Questio hæc de nomine non est magni momenti: unde sentiat quisque, quod lubet.

28. Quæ hucusque diximus de effectu indirectè voluntario in causa positiva, cum proportionem accipienda sunt de effectu voluntario in causa negativa, seu in omissione; nam, si omissio est prohibita, ne sequatur effectus, hic erit voluntarius in ea omissione. Sic (quod est exemplum S. Thomæ 1. 2. q. 6. a. 9.) submersio navis est voluntaria gubernatori, in omissione debite diligentie, ad illam conservandam, ad quam obligatur præcepto naturali, vel positivo justitie. Si quis autem non teneretur ad impediendam submersionem ullo præcepto, etiam voluntaria, saltem moraliter; quia tunc haberet jus ad omissionem, non ut causam submersionis, sed e. g. ad servandam vitam aliorum, qui alibi periclitantur. An autem sit in physico sensu aliquo modo voluntaria, explicandum est juxta dicta num. 27. de voluntario in causa positiva. Addendum etiam, si omissio sit pura, hoc est, absque ullo actu voluntatis, tunc utique effectus non fore positive voluntarium, sed tantum negativè, sicut ipsa pura omissio. An autem talis omissio sit possibilis, dicemus infra.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

29. **O**B. 1. contra 1. concl. DEO permittenti nostra peccata, sunt ista voluntaria: sed non sunt ei præcepta, neque prohibita: ergo non requiritur prohibitio, vel præceptum, ad voluntarium in causa per accidens. Confirm. Si peccata non essent DEO voluntaria, tunc ideo; quia DEUS non determinat ad illa: sed causa per accidens determinat ad effectum: ergo. Resp. Arriaga quidem de act. hum. disp. 8. sec. 6. n. 45. admittit, peccata esse DEO aliquo modo indirectè voluntaria: sed hic modus loquendi non videtur sine gravissimis rationibus admittendus. Aliud est, quod permissio sit voluntaria: aliud, quod peccatum permissum: illud est verum, hoc fallum: nec plus vult S. Aug. quando dicit, nihil fieri præter voluntatem DEI; nam ait, nihil futurum, si DEUS non sineret: non autem sinere nolentem, sed volentem. In forma. neg. ma. Ad confirm. neg. ma. Determinare, vel non determinare refertur ad liberum; quia libertas exigit, ut indifferentia determinetur: at voluntarium non exigit, aut supponit indifferens; cum amor necessarius DEL & beatificus Beatorum, sit maxime voluntarius.

30. Dices 1. DEO saltem sunt voluntaria peccata

peccata in omissione, vel negatione auxiliorum efficacium: ergo. Resp. neg. antec. tum, quia DEUS non tenetur auxilia efficaciter dare, tum, quia ex inefficacibus non sequuntur necessario peccata. Dices 2. Saltem motus inhonesti concupiscentie, necessario surgentes in natura humana, sunt DEO voluntarii. Resp. Gormaz n. 172. de act. hum. neg. antec. & putat, eos provenire debere, vel à dæmone, vel à liberis causis, aut actionibus hominum. Respondeo, motus illos, si qui naturaliter oriuntur ab ipsa natura, ex se non esse malum morale, seu moraliter inhonestos, aut culpabiles; nam, si sint prorsus indeliberati, se habent ut motus brutorum, qui moraliter mali non sunt. Adde, quod in statu matrimoniali cohonestentur; unde tantum moraliter mali, si extra hunc statum deliberatè, vel saltem semideliberatè, admitti sint: hæc autem admissio, vel consensus in eos, non est à DEO.

31. Dices 3. Motus illi moraliter inclinant ad peccandum. Resp. non videri, eos inclinare per se ad consensum, in quo stat ratio peccati: minus, moraliter ad eum necessitare, nisi accedat negligentia, aut malitia voluntatis: & docet idem Gormaz loc. cit. moralem necessitatem peccandi probabilis non oriri ex natura pura, sed ex peccato originali, cujus causa DEUS non est. Si autem omittit velis, orituram fuisse, etiam in statu puræ naturæ, istam necessitatem peccandi, dicere debes, quod ea non tollat libertatem physicam, adeoque DEUS sit tantum causa per accidens peccatorum: item debes negare paritatem cum causis moralibus, precibus, consilio; quia harum finis intrinsecus est, tendere ad id, quod suadent: non autem illorum motuum finis est peccatum, sed dispone-re ad propagandam speciem humanam in suo statu, & modo. Item debes negare paritatem cum habitibus vitiosis, quos DEUS juxta communiorè, contra Arriagam, non potest infundere; quia etiam istorum finis intrinsecus est inclinare ad peccatum &c.

Dices 4. Natura humana per se inclinat ad peccatum veniale. Resp. neg. sed per se tantum est infirma, ut moraliter non possit resistere omnibus omnino tentationibus, vel allicitivibus ad peccandum: quæ allicitiva &c. non proveniunt à DEO, tanquam causa per se. Adde tandem, quod ex his motibus non tam impugnetur prima conclusio (quia isti motus essent, ad mentem adversariorum, causa per se) quam dicta n. 27.

32. Ob. 2. Martyr voluntarie moritur, quin detur præceptum moriendi (licite enim fugeret) & simul est tantum causa per accidens mortis: ergo. Confirm. 1. Effectus omnis causæ voluntariæ est voluntarius: ergo etiam effectus causæ voluntariæ per accidens. Confirm. 2. Effectus, talis mediate causatur à voluntate: ergo est mediate voluntarius. Resp. 1. Martyr ordinariè directè vult pati martyrium: scilicet ex suppositione, quod tyrannus illud velit inferre, quam suppositionem ille tantum permittit. Si contendas, posse martyrem etiam, velle martyrium indirectè in causa, e. g. in omissione fugæ, vel in prædicatione Evangelii, respondeo, posse dici, has causas, licet non sint rigorose præceptæ, esse tamen suas, vel per modum consilii

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. 4

propositas, quod sufficit. In forma neg. suppositum antecedentis, quod martyr tantum indirectè voluntarie moriatur: vel, si hoc evincas, neg. 2. p. ant. datur enim præceptum moriendi latius dictum ex n. 23. Ad 1. confirm. neg. antec. alius etiam esset voluntarius effectus, qui neque esset prævisus. Si dicas, requiri prævisionem, dicimus nos, requiri præceptum &c. idque ob nostras rationes. Ad 2. confirm. dist. antec. talis effectus causatur effectivè. conc. antec. affectivè. neg. antec. & conseq. Retorsio iterum adest in effectu non præcognito.

33. Ob. 3. contra 2. conclusionem, Effectus non magis procedit à voluntate, sive detur præceptum, aut prohibitio, sive non: ergo propterea non est magis voluntarius. Confirm. 1. Præceptum se habet extrinsecè ad effectum, ergo non facit eum voluntarium. Confirm. 2. Præceptum non est processio effectus à voluntate: ergo ipsum non facit voluntarium. Resp. dist. antec. Effectus non magis procedit à voluntate, ut præcisè agente physice, conc. antec. non magis à voluntate, ut antecedenter connexa cum effectu. neg. antec. & conseq. Præceptum quidem non tribuit voluntati majores vires physicas ad producendum effectum, tamen superaddit moralem aliquam connexionem, vi cujus effectus magis imputatur voluntati: unde, cum ad denominationem voluntarii, requiratur connexio causæ cum effectu, ut dictum n. 22. hæc autem possit esse physica, vel moralis, præceptum tribuens connexionem moralem, jam aliquid facit ad voluntarietatem.

Ad 1. confirm. neg. conseq. licet enim præceptum non sit quid intrinsecum effectui, potest tamen eum denominare; nam denominatio voluntarii potest partialiter esse extrinsecæ, sicut denominatio liberi. Si contrariam opinionem de libertate actuum teneret, vel, potius, imò debebis dicere, talem actum voluntarium, vel liberum, habere essentialiter respectum ad præceptum, vel saltem ad ejus cognitionem; cum ista constituat actum primum liberum, essentialiter ab actu secundo respectum, & iste saltem respectus intrinsecus reddet actum intrinsecè voluntarium. Ad 2. confirm. conc. vel om. antec. neg. conseq. Sufficit, si præceptum sit connexio antecedens effectus cum causa; sic enim jam denominat eam voluntarium.

34. Ob. 4. Votum fugiendi causam per accidens, non facit effectum voluntarium in causa: ergo neque præceptum: consequentia videtur clara; quia præceptum non magis, quam votum, connectit causam cum effectu, & voluntarietatem, seu voluntarietatem unius cum voluntarietate alterius: neque etiam est minor vis in obligatione voti, quam in obligatione præcepti. prob. antec. si votum faceret effectum voluntarium, tunc, si quis voveret, vitaturum se causam per accidens (e. g. inhonestorum motuum, & tamen postea eam non vitaret, sed adhiberet, ei essent motus illi voluntarii: & consequenter, si alicubi voluntaria procuratio talium motuum esset casus reservatus, sicut esse potest, talis incidere in casum reservatum: hoc videtur nimis durum: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. neg. min. ex suppositione, quod omnis voluntaria procuratio talium motuum

num esset reservata: an autem reservata sit omnis, vel an tantum illa, cujus voluntarietas oritur ex obligatione, omnibus, illum statum amplexis, communi, desumendum est ex statutis, vel declarationibus superiorum. Gormaz n. 178. de act. hum. putat, tantum hanc posteriorem procuracionem esse reservatam.

35. Ob. 5. Ex nostra doctrina sequeretur, quod gubernatori urbis, qui obligatur ex iustitia ad impediendas turbas, & cædes, si ex culpabili ejus negligentia oriretur homicidium, istud ipsi esset voluntarium: hoc dici non potest: ergo. prob. min. hac ratione, vel ipse fieret irregularis, tanquam voluntaria causa homicidii, vel talis causa non subjeceret irregularitati: utrumque est absurdum: ergo. Confir. Etiam obligatio præcepti charitatis faceret homicidium, ex negligentia ortum, voluntarium: ergo etiam, qui tantum obligaretur ex charitate ad illud impediendum, & negligeret, fieret irregularis: hoc est durissimum: ergo. Resp. conc. ma. neg. min. ad prob. neg. min. Utrumque defendunt graves auctores, & quidem, talem incurrent irregularitatem, docent Suarez. de censuris disp. 45. sec. 4. n. 5. qui ait, hanc esse communem. Eandem tenet Navarrus, Leander à SS. Sacramento; Layman l. 3. sec. 5. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 7. Molina; Gormaz. de act. hum. n. 181. § 183. la Croix l. 7. n. 490. & plures alii, ab his citati.

36. Oppositum tenent alii citati apud eosdem, ex hac ratione, quod irregularitas non debeat imponi, nisi clarè eam canon. quidam imponat: nullum autem canonem eam imponere, tantum non impediendi homicidium. Sed non male respondet Suarez, canones loqui moraliter, adeoque etiam de illo, qui in æstimatione morali est homicida, qualis est non impediens culpabiliter homicidium; si ex iustitia id impedire tenebatur: & addit, talem etiam in jure civili puniri, ac si ipse homicidium commisisset. Hæc ratio videtur firmior, quam illa ab aliis allata, scilicet, sententiam excommunicationis ferri contra non impediens percussorem clerici. C. Quanta. 47. de sententia excom. consequenter censendum, eam etiam ferri contra non impediens homicidium; nam (ut Suarez, non sententiam, sed rationem refellens, reponit) non est firmum argumentum ab uno casu statutz pœnz ad alterum; in hujusmodi enim rebus ostendendum est jus expressum.

Ad confirm. neg. conseq. nam, ut ait Layman, & Suarez. loc. cit. homicidium propriè est peccatum contra quantum præceptum, & contra iustitiam, non tantum contra charitatem: nec talis est propriè homicida, licet ei aliquo modo, in ea omissione, sit voluntaria mors alterius. Quod si aliquando canones talem vocant homicidam, e. g. illum, qui pauperem non pavit, sed fame mori permittit, loquuntur in sensu latiore, ut ait Eximius, accipiuntque homicidium pro omni culpa commissa, circa debitam conservationem vite proximi: & addit Suarez, in hoc serè convenire auctores, quos multos citant Gormaz, & la Croix. Quamvis igitur talis sit aliquo modo causa voluntaria homicidii, tamen non est talis causa, quæ accipiat in æstimatione morali denominationem homicidæ: ad hanc enim non sufficit, ut sit causa

voluntaria, sed requiritur, ut sit causa contra iustitiam peccans.

37. Ob. 6. contra dicta num. 27. Quamvis nullum adsit præceptum, tamen effectus, in causa per se physica, jam virtualiter continetur, & cum ipsa connectitur: ergo jam datur voluntarium in causa. prob. conseq. intentio causæ, quæ videtur connexa, & virtualiter continere effectum, est virtualiter intentio effectus: ergo. Resp. ad mentem auctorum, qui negant, tunc dari voluntarium. om. antec. neg. conseq. non enim sufficit hoc ad voluntarium; quia per hoc tantum habetur, ut effectus procedat aliquo modo à voluntate physice effectivè, sed non effectivè; ad hoc secundum enim requiritur, ut causa, in æstimatione morali, intendatur, tanquam causa hujus effectus: & non ex jure aliquo ita in ordine ad alium effectum intendatur, ut ratione juris ad istum, in sensu morali non censetur tendere in priorem.

38. Dices 1. Juxta dicta posset DEUS prædeterminare ad peccatum, quin istud ei esset voluntarium: hoc dici non potest: ergo. prob. ma. prædeterminatio, licet esse causa per se physica peccati, non tamen esset DEO prohibita: ergo non esset in ea voluntarium peccatum. Resp. Etiam Arriaga, qui admittit, peccata posse DEO esse aliquo modo indirectè voluntaria, tamen non admittit talem prædeterminationem, in forma. neg. ma. ad prob. neg. antec. non enim DEO foret præcisè aliquo modo voluntarium peccatum in sensu aliquo physico, sed etiam in morali; quia, licet non detur præceptum rigorosè dictum respectu DEI, datur tamen obligatio; nam DEUS multiplicem habet obligationem, quæ potest dici præceptum in sensu lato, in quo summus hic præceptum ex dictis num. 23. vi cuius obstringitur, ad non ponendam prædeterminationem ad peccatum. Prima est orta ex fidelitate, vel certè ex immutabilitate, aut veracitate, vi cuius DEUS homini debet relinquere libertatem, quam ei promissit, vel certè dixit, se ei dedisse, ac reliquisse; eum igitur prædeterminatio tollat libertatem, ut hic suppono, ex tract. de DEO à num. 448. non potest DEUS eam immittere. Hæc quidem obligatio non pugnat potius contra prædeterminationem ad actum malum, quam ad actum bonum: at pugnat potius sequens, seu secunda obligatio DEUS ratione suæ æquissimæ voluntatis obligatur, ad non præcipienda impossibilia, quod tamen faceret. & quidem sub gravissimis pœnis, si prædeterminando ad peccatum, præciperet simul ejus omissionem. Tertia obligatio oritur ex sanctitate Divina, vi cuius DEUS tenetur, ad nihil determinare, quod est contra bonos mores, vel virtutes: ergo non potest prædeterminare ad peccatum, & nec ad materiale, nec ad formale peccati; quia vel non distinguuntur realitè, vel unum ex altero indispensabiliter sequitur, ut probatum tract. de DEO à num. 451.

39. Dices 2. Ex his principiis sequeretur, quod non daretur obligatio, orta ex sanctitate Divina, ad non prædeterminandum ad peccatum: ergo. prob. ant. non est obligatio in DEO ad non permittendum peccatum: sed, si etiam prædeterminaret, tantum permitteret peccatum: ergo.

ergo. ma. est certa, mi prob. posset dici, quod DEUS intenderet prædeterminationem ex jure primæ causæ, & primi liberi: peccatum autem purè permitteret: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. neg. mi. ad hujus prob. neg. antec. nam ipsa prædeterminatio ad materiale peccati repugnat sanctitati Divina; huic enim repugnat imponere, sub gravissimis, & æternis pœnis, præcepta impossibilia: ergo vi sanctitatis suæ DEUS obligatur ad non ponendam id, quod reddit impossibilem impletionem præceptorum. Secundo. Cum prædeterminationis ad peccatum unicus effectus, & finis, sit ipsum peccatum, non potest à DEO intendi ad alium effectum, ad quem DEUS habeat jus. Nec potest dici, quod finis DEL tantum sit, exercere suam libertatem, vel jus causæ primæ: sicut homo non potest aliquid ponere, ex quo necessariò sequitur aliquid malum, dicendo, se non querere illud malum, sed tantum suam recreationem, vel libertatem: sed debet illud, quod ponit, esse utile ad duos effectus, ita, ut unus permittit, alter intendi dicatur, ut dictum supra num. 26.

40. Dices 3. Ex hoc tantum sequitur, quod DEUS sit obligatus ad omittendam prædeterminationem, ratione sui, non verò ratione peccati subsequens, sicut quilibet homo est obligatus ad vitandam fornicationem, ratione sui, non verò ratione peccati originalis subsequens. Resp. nego paritatem. Fornicatio non est causa per se peccati originalis; nam, quamvis Adam non peccasset, tamen fornicatio fuisset prohibita, & probabilis etiam commissa, quin secutum fuisset ex ea originale peccatum: insuper non magis caulatur peccatum originale à fornicatione, quam à copula matrimoniali: at verò prædeterminatio est causa per se, & quidem metaphysicè connexa cum peccato. Dices 4. Licet prædeterminatio sit causa per se peccati, in genere physico, non est talis in genere, vel æstimatione morali. Resp. esse in utroque; nam, ut causa per se in genere physico, non sit talis in genere morali, debet esse causa duorum effectuum, quorum unus ab agente ex suo jure possit intendi: atqui prædeterminatio, ut modò dictum, non est causa duorum effectuum; sed tantum unius, scilicet ipsius peccati, quod DEUS nequit intendere: & consequenter neque ex ullo alio capite potest intendere prædeterminationem: sed hæc etiam debet ab eo odio haberi propter metaphysicam connexionem cum peccato.

Secundo, si dantur duo effectus causæ per se, tunc alter etiam, qui permittitur, non debet esse peccatum formale, vel indispensablem connexionem cum peccato formali: sed debet esse actus aliquis, saltem ut plurimum, externus, ex natura sua indifferens, qui hoc ipso, quod non intendatur, non sit peccatum. Sic e. g. concussio infantis in casu num. 26. est actus tantum externus, indifferens ad peccatum, & hoc ipso, quod non intendatur, non est formaliter peccaminosus, neque metaphysicè connexus cum peccato; alias tam parùm posset poni concussio illa ad salvandam vitam, quam parùm. negatio fidei, vel cultus etiam tantum externus idoli, ad eandem servandam, poni potest. Prædeterminationis autem dictæ effectus est formaliter peccaminosus, vel certè metaphysicè cum peccato connexus.

Tertiò ipsa sanctitas Divina obligat DEUM ad omittendam hanc prædeterminationem; quia obligat ipsum, ne committat, ut ex sua determinatione sequatur aliquid contra honestatem morum, & oppositum rectissimæ suæ voluntati, quodque necessariò ipse debeat odisse: & consequenter ad tale quid ponendum non se extendit jus primi liberi, sicut non se extendit ad odio habendum DEUM, vel puniendos bonos, & præmiandos malos.

41. Ob. 7. Si non omnis causa per se reddat effectum voluntarium indirectè, sive in causa, tunc neque illi, qui igni apponit ligna, erit combustio voluntaria, sine præcepto: rem neque apponenti media, ad consequendum finem, erit voluntarius finis: hæc videntur paradoxa: ergo. Respondeo ad 1. dist. ma. si apponatur ligna in ordine ad alium effectum, ad quem habet jus. conc. ma. secus. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. sicut, qui accendit ignem, ut se calefaciat, tantum permittit fumum, sic etiam ad movens ligna, in ordine ad alium effectum, posset tantum permittere combustionem.

At quia difficulter assignatur alius effectus, quam nutritio, vel conservatio ignis, in qua imbibitur combustio, aut calefactio, in ordine ad quam combustio est finem, hinc ista ordinariè directè intenditur, tanquam medium ad finem. Posset tamen in aliquo casu combustio non intendi. e. g. fusores campanarum, dum trabe lignea gyrant as liquefactum (quo casu vident, lignum concepturum ignem) tamen non videntur intendere ejus combustionem. Quoad 2. p. neg. ma. Ponere media propter finem est directè intendere finem: imò intentio finis directæ, est prior ad positionem mediorum: unde finis est directè voluntarius. Aliud est, si medium, aptum ad duplicem finem, intendatur propter unum; tunc enim potest alter tantum permitti: & hoc fit in casibus medicina, irrigationis, concussationis, de quibus num. 26.

ARTICULUS V.

Quomodo ad voluntarium se habeant metus, & concupiscentia.

42. **V**oluntas, aut incitatur ad fugam mali, aut ad prosecutionem boni: hæc autem incitamenta S. Thomas videtur comprehendisse, sub metu, & concupiscentia. Concupiscentia ex la Croix l. 5. part. 1. num. 67. § 71. habet multas significationes, & præsertim sæpe per eam intelligitur fomes peccati: hic autem intelligitur appetitus boni delectabilis, non perfectè subordinatus reæ rationi, & quidem appetitus actualis, seu actus potentia ita appetentis: sicut etiam metus sumitur pro metu actuali. Metus autem ex Ulpiano definitur mentis trepidatio, instantis, vel futuri periculi causa, vel ex eodem la Croix part. 2. n. 69. est actus voluntatis fugiens malum imminens.

Alius autem est metus absolutè gravis, sive cadens in constantem virum, scilicet quo, quamvis aliquis conspiciatur, non amittit nomen viri fortis, vel constantis; vocatur etiam à Juristis

metus probabilis & iustus, quando scilicet nemo improbare potest, quod quis in illis circumstantiis timeat, & hinc merito, ac iuste timeat. Talis est metus mortis, mutilationis, longi carceris, exilii, atrocis cruciatus, stupri inferendi, feruitatis, &c. si hæc biisipi, vel arctissime sanguine conjunctis imminet. vide La Croix loc. cit. Alius est metus respectivè gravis, propter quem non quidem vir fortis, sed tamen persona, cui incutitur, valde trepidare potest; utque enim minus malum merito terrere potest feminam, puerum, senem &c. quam virum fortem. Alius est metus levis, qui scilicet non vehementer conturbat, sed facillè potest excuti: & de his, scilicet metu, & concupiscentia, quæritur, an, & quomodo caudent, augeant, vel minuant voluntarium.

43. Prænotandum autem, terminum simpliciter additum voluntario, vel involuntario, posse in diversa significatione accipi, ut advertit Suarez in 1. 2. tr. de voluntar. disp. 3. sec. 1. n. 2. Primum, ut simpliciter appellet super objectum, atque significet, objectum simpliciter, hoc est, purè, & nudè in se consideratum, præscindendo à circumstantiis: & sic projectio mercium in mare, præscisa à circumstantiis imminentiis naufragii, est simpliciter involuntaria; quia scilicet præscisa à circumstantiis necessitatis, vel utilitatis, ad evitandum naufragium, causaret positivam nolitionem, affectivè saltem efficacem, juxta dicta n. 12.

Secundò, ut simpliciter appellet super actum voluntatis, atque idem significet, ac, purè voluntarium absque mixtione involuntarii, etiam secundum quid; & in hoc sensu loquitur S. Thomas 2. 2. q. 142. a. 3. in corp. dicens de factis ex timore: Non sunt simpliciter voluntaria, sed mixta, ut dicitur in 3. ethicorum. Tertio, ut simpliciter significet prævalentiam, atque adeò simpliciter voluntarium significet id, quod efficaciter volumus, quamvis inefficaciter nolimus: & in hoc sensu loquitur S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 6. in corp. dicens de factis ex metu: Sunt enim voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundum quid. Atque in hoc sensu etiam locuti sumus n. 9. imò etiam hæc loquimur.

44. Dico 1. Quæ ex metu fiunt, sunt simpliciter voluntaria. ita SS. PP. Augustinus, Nifsenus, Damascenus, Anselmus, citati à Suarez in 1. 2. tr. 2. de voluntar. disp. 3. sec. 1. n. 3. & sec. 2. n. 1. S. Thomas citatus n. præc. Suarez, Gormaz, & alii plurimi. Probatur. Quæ ex metu fiunt, verè sunt ab ipsa voluntate, adeoque ab intrinseco: insuper fiunt cum præcognitione; supponimus enim, metum non auferre usum rationis: ergo sunt voluntaria ex n. 3. & seq. Confirm. 1. Plurima, quæ ex metu fiunt, sunt peccata: adeoque libera: ergo sunt voluntaria; quia simpliciter voluntarium in positivè libero includitur. Confirm. 2. & magis explicatur. Aliud est, operari tantum cum metu; ita, ut metus non sit causa, sed tantum comes actionis: sicut e. g. Christus timuit mortem: at non ex timore eam obiit; sed ex amore DEI, ad hominum: & in hoc casu metus nihil causat, sed vincitur: & de hoc casu non loquitur. Aliud est, operari ex metu, si ve ita, ut metus impellat ad volendam efficaciter aliquam actionem, e. g. projectionem mer-

cium in mare, quam in aliis circumstantiis mercator nollet: atqui impellere ad simpliciter volendum est causare simpliciter voluntarium, ut patet ex terminis: ergo, quod agitur ex metu, tanquam causâ, est simpliciter voluntarium.

45. Dico 2. Metus, qui causat simpliciter voluntarium, non causat formaliter involuntarium secundum quid, sed tantum materialiter. Prob. Metus hic non est causâ nolitionis circa objectum, hæc, & nunc simpliciter quidem volitum, sed inefficaciter simul nolitum: ergo non est causâ formæ denominantis involuntarium secundum quid, verbo: res non est inefficaciter nolita propter metum, propter quem est simpliciter volita, sed propter aliam rationem, vel alium metum. e. g. projectio mercium non est nolita propter metum naufragii, sed propter meum paupertatis: ergo non metus naufragii, sed metus paupertatis causat, vel reddit eam projectionem involuntarium secundum quid. Hinc metus naufragii tantum causat materialiter involuntarium; quia mover voluntatem ad volendum aliquod objectum, seu aliquam materiam, quæ ex alio capite, scilicet ex metu paupertatis, est involuntaria secundum quid.

Neque tamen hoc semper contingit; nam, quando causa metus non est nolita, neque voluntas ullo modo amplectitur motiva absterrentia, tunc actus ex metu est purè voluntarius absque mixtione involuntarii. Sic, qui ex metu gehennæ dolet, se DEUM offendisse, habet dolorem simpliciter voluntarium; non enim displicet ei gehenna, nec DEUS peccata puniens illo igne: neque habet hunc actum conditionatum: Peccare iterum, si non esset gehenna; alia non doleret salutariter, sed iterum peccare: ergo nihil est ei nolitum, adeoque nihil involuntarium secundum quid. Sic etiam homo honestè abstineret à furto ex metu infamiae, vel legis, furta puniens, qui velit abesse infamiam à furto, vel, non esse legem punientem: aut quin vellet furari, si infamia, aut lex non esset. Quia tamen frequentibus, quando agitur ex metu, odio habetur causa metus, vel voluntas inefficaciter amplectitur motiva absterrentia, hinc, denominatione desumpta à potiori, dicitur metus causare involuntarium secundum quid.

46. Quæ de metu dicta sunt, eadem de vi, seu violentia, intelligenda sunt, si vis non omnino cogat ad actum externum contra voluntatem; nam, si hoc fieret, actus esset simpliciter involuntarius, ob nolitionem saltem affectivè efficacem. Dixi, ad actum externum; quia ad ipsam volitionem internam nempe cogi potest ex num. 16. Dicitur tamen, voluntati inferri violentia, cui ipsa valde renititur. Ubi etiam nota discrimen inter violentum, coactum, & involuntarium. Violentum est, quod est contra appetitum innatum, & datur etiam respectu inanimatorum. Coactum, seu invitum est contra appetitum elicatum, & ita quidem, ut appetitus, quantum in se est, excludat permissionem effectus. Involuntarium positivè (de quo est sermo) est etiam contra appetitum elicatum, sed tamen per se non excludit permissionem effectus.

47. Dico 3. concupiscentia auget intensivè volunt-

voluntarium, ita S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 7. & Thomista, Suarez, & alii plurimi. Probatur. Concupiscentia, cæteris paribus, est causa, ut voluntas majore conatu, & intensiore affectu, velit, ut experientia monstrat: hoc est augere voluntarium: ergo. An autem concupiscentia causet purè voluntarium, an mixtum, potest esse quæstio de re, potest esse quæstio de nomine. Prima est, an actus ex concupiscentia non simul compatiatur aliquam inefficacem nolitionem, vel aversionem, si non circa objectum, nudè in se ipso spectatum, saltem circa id, ut vestitum certis circumstantiis: & ad hanc respondeo affirmativè, ac puto, discurrendum ferme, sicut de metu n. 45. & dicendum, concupiscentiam formaliter causare purè voluntarium, quamvis possit etiam causare materialiter involuntarium secundum quid; nam ratione concupiscentiæ voluntas fertur in objectum cum sola inclinatione, nec concupiscentia est ratio ullius aversionis ab eo: at verò possunt esse aliæ rationes, quæ displicentiam aliquam, vel aversionem inefficacem circa objectum causant. Sic, qui ex concupiscentia actu fertur in voluptates carnis, potest tamen simul habere remorsum conscientiæ, eò quòd fiat, annexas esse poenas æternas, quæ connexio ei causat aliquam displicentiam inefficacem in iis voluptatibus.

48. Altera est quæstio de nomine, an non tamen actus, ex concupiscentia ortus, stante illa inefficaci aversione, possit dici purè voluntarius: & resp. si per purè voluntarium intelligatur actus, qui sponte fit cum desiderio ipsius actionis per se, & non tantum ratione circumstantiarum, seu ad vitandum majus malum, si ne renitentia voluntatis, vi cuius actionem omitteret, si non majus malum metueret &c. (quæ non quidem semper, sed tamen frequenter occurrere solent in actibus ex metu factis, ubi quis non amplectitur actionem propter se ipsam, sed tantum propter circumstantiam majoris mali vitandi, & agit cum renitentia) si, inquam, per purè voluntarium hoc tantum intelligatur, tunc concupiscentia semper causat purè voluntarium. Sic ex concupiscentia lucrimerator, insuper habitis periculis, navigat per mare, & peccator sponte, & cum desiderio actionis obsecræ, ruit in flagitium. Si autem intelligatur per purè voluntarium id, quod excludit quamcunque renitentiam &c. tale, saltem non semper, causat concupiscentia. At, quia Aristoteles, & D. Thomas, sentiunt, concupiscentiam causare purè voluntarium, admittendus videtur prior sensus, vel prior explicatio purè voluntarii. Addo etiam, sermonem hic esse debere de concupiscentia antecedente actum; aliàs non potest eum causare, si primum sequatur, e. g. si posita jam volitione primum excitetur, aut sponte, vel per naturalem redundantiam, postea oriatur.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

49. **O**B. 1. contra 1. conclus. Quæ ex metu fiunt, sunt juxta S. Thomam, & Aristotelem sim-

pliciter involuntaria: ergo. Confir. 1. Juxta nos transgressio legis, ex metu facta, esset peccaminosa: hoc est nimis durum: ergo. Confir. 2. Etiam contractus, metu extoritur, essent validi: hoc est fallum: ergo. Resp. dist. antec. Sunt involuntaria in eo sensu, in quo nos hic non loquimur. conc. antec. in nostro sensu, neg. antec. & conf. vide n. 43. ubi citatus est S. Thomas, etiam loquens in nostro sensu. Ad 1. confir. conc. ma. neg. min. Unique peccat, qui metu, etiam mortis, negat fidem &c. Addo tamen, quòd, si metus omnino turbaret rationem, non maneret cognitio necessariò requisita, adeoque nec voluntarium, nec liberum, nec peccatum. Addo secundo, quòd, si metus sit gravis, sæpe excuset ab observatione legis, & tunc actio, etiam voluntaria, non est amplius contra legem: quæ de re de la Croix l. 1. n. 775. breviter tradit has tres regulas.

Prima est, si actio, contraria legi, est intrinsecè mala, metus excusare non potest, ut est clarum. 2. Si est contra bonum commune, non excusat metus mali particularis; quia illud prævalet. 3. Si actio, vel omisio, non est intrinsecè mala, neque præjudicat bono communi, metus damni gravis excusare poterit à peccato; quia legislator non censetur, velle obligare cum tanto incommodo. Quis autem metus sit gravis in particularibus casibus, desumendum est ex objecto metus, ex persona timente, ex aliis circumstantiis prudenter examinatis.

Ad 2. confir. dist. ma. Essent validi aliqui contractus ex metu facti. conc. ma. omnes. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. De hac re vide la Croix l. 3. a. n. 634. aliqui enim contractus ex metu facti, sunt validi, sed possunt rescindi: alii neque sunt validi, ut matrimonium: non autem ex defectu voluntarii, quod sufficienter adest, sed ex defectu plenæ libertatis, aut ob injuriam, ob quam jus positivum aliquos contractus omnino nullos, alios annullandos decernit.

50. Ob 2. contra 3. conclus. Actio facta ex concupiscentia, seu fragilitate, est minus peccaminosa, quam facta sine concupiscentia: ergo ista minuit voluntarium. Confir. Concupiscentia minuit cognitionem; quia perturbat, & aliquo modo obsecrat intellectum: ergo minuit voluntarium. Resp. dist. conf. concupiscentia minuit voluntarium in specie, hoc est liberum. conc. conseq. voluntarium in genere. neg. conf. Sic etiam amor in patria est minus liber, quam amor in via: imò ille omnino non est liber, & tamen est multò magis voluntarius, quam iste.

Si dicas, non posse minui formaliter prædicatum specificum, nisi minuiatur etiam genericum, fallum dicis, ut patet in exemplo modo allato. Ratio autem est. Si prædicatum specificum, formaliter tale, agit participare genericum, in certa mensura, & proportionem, tunc potest utique, generico crescente ultra illam mensuram, minui specificum: atqui liberum exigit participare voluntarium in certa mensura, seu intra certos limites inclinationis; exigit enim principia in utramque partem moventia, quibus retardatur inclinatio voluntatis ad unam partem: unde ablatis, vel omnino, vel ex parte, motivis in contrarium efficientibus, potest decre-

re liberam, crescens voluntario, seu inclinatione in unam partem.

Ad confirm. dist. antec. Concupiscentia minuit cognitionem rationum retrahentium. conc. antec. allicientium, neg. antec. & conf. Concupiscentia facit, ut vivacius repræsententur motiva allicientia, e. g. voluptas in comestione carnis prohibita: & sic auget inclinationem, seu voluntarietatem: motiva autem retrahentia e. g. ratio offensæ Divinæ, turpitudine, brevitatis, vel caducitas voluptatis &c. facit, ut obscurius repræsententur: & sic minuit retinentiam, atque etiam libertatem: quamvis has rationes non omnino abscondat; aliàs omnino tollerent libertatem. Hoc tamen concedo, actum peccaminosum secundum rationes, seu formalitates obscurius propositas, esse minus voluntarium; nam ratio, vel formalitas offensæ DEI &c. non est ita voluntaria in dicta comestione, quam ratio, vel formalitas voluptatis. Imò, si aliqua talis ratio, formalitas, aut prædicatum, omnino invincibiliter ignoretur, etiam omnino est involuntaria. Ex quo sequitur, quod concupiscentia causat aliquando involuntarium secundum quid, saltem juxta explicationem datam num. 48.

§ 1. Ob. 3. Potest quis rem concupiscere ex aliquo motivo, timere ex alio: ergo etiam agere involuntariè: ergo potest concupiscentia causare involuntarium. Confirm. Potest quis agere ex metu, & concupiscentia simul: sed tunc agit voluntariè, & involuntariè: ergo. Resp. neg. conseq. si enim vincat concupiscentia (aliàs enim non ageret) tunc vincitur motum metus, & non curatur, nec facit rem, aut actionem secundum se nolitam, nec agentem tristitem &c. sed ad summum aliquo modo retundit intentionem voluntariè: hoc autem non est facere involuntarium strictè in significatione exposita num. 47. & 48. sic etiam, non quæcunque motio in oppositum, facit strictè involuntarium; aliàs quilibet actus liber esset involuntarius, itémque omnis actus supernaturalis, qui cum difficultate elicitur. Ad confirm. Vel metus retrahit, dum concupiscentia attrahit, & jam responsum est, ut patet consideranti: vel etiam metus impellit ad actum, & neg. mi. non enim omnis metus reddit involuntarium ex num. 45. & nullo modo iste; quia causa metus nullo modo est nolita. Sic latro imperans sitienti, ut bibat vinum bonum, ac sanum, non reddit potum involuntarium.

§ 2. Ob. 4. S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 6. in corp. ait. Passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium: ergo concupiscentia, quæ est maxime passio, minuit voluntarium. Confirm. Concupiscentia non est principium intrinsecum, sed est passio extrinseca voluntati: ergo non potest augere voluntarium. Resp. dist. ant. & S. Thomas intelligit voluntarium in specie, seu liberum. conc. antec. intelligit voluntarium in genere. neg. ant. & conseq. Cùm S. Thomas citatus n. 47. expressè dicat, concupiscentiam magis facere voluntarium, utique hic non intelligit idem voluntarium, ne sibi manifestè contradicatur. Accedit, quod S. Doctore non sit insummatum, per voluntarium intelligere liberum ex n. 19. Rursus ibidem dicit, in tantum actum aliquem esse peccatum, in quantum est volun-

tarius: quod falsum esset, nisi per voluntarium intelligeretur liberum; nam ad peccatum requiritur non quæcunque voluntarietas, sed liberitas ergo de ista est sermo S. Doctore.

Ad confir. neg. antec. Per principium extrinsecum hic intelligitur illud, quod non tantum est distinctum à voluntate, sed vim, & violentiam, ei infert ab extrinseco; nam, licet à voluntate distinctum sit, si tamen eam moveat, propositis talibus motivis, quibus illa ita excitatur, ut ex inclinatione sua intrinseca, & motu, ut ita dicam, proprio, assentiat, censetur principium movere sufficienter ab intrinseco: & sic juxta Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 3. sec. 3. n. 14. qui movet per consilium, vel preces, non dicitur movere extrinsecè: at verò, qui movet per metum, quia impellit ad aliquid contra intrinsecam inclinationem voluntatis, dicitur movere extrinsecè. Quando igitur S. Thomas loco objecto dicit: *Essè autem aliquid in nobis dicitur per rationem, & voluntatem*: intelligi non potest, nisi de existentia in ordine ad libertatem, de qua ibi agit ratiōe peccati, ad quod requiritur libertas.

ARTICULUS VII.

Quomodo ad voluntarium se habeat Ignorantia.

§ 3. **A**liud est pura Nescientia, aliud Ignorantia: illa est pura negatio scientiæ, vel cognitionis, quæ enim datur in lapide, qui non dicitur propriè ignorans: ista est negatio scientiæ in subiecto capaci, sive, cui competit illa scientia, & quam si non habeat, censetur imperfectum. e. g. si Logicus nesciat syllogisticas regulas, vel Christianus articulos fidei. Vocatur hæc etiam Ignorantia privationis, cui opponitur à quibusdam Ignorantia prave dispositionis, quæ tamen non tantum est negatio scientiæ, sed error positivus, contrariè oppositus veræ de re aliqua notitiæ e. g. hæresis quælibet, quæ contrariè opponitur veræ de rebus fidei scientiæ.

§ 4. Jam verò ignorantia privationis, seu propriè dicta, dividitur in ignorantiam juris & facti. Ignorantia facti est, quando quis ignorat aliquam rem particularem, quæ est objectum aliqujus actionis moralis, e. g. nescit, esse clericum, quem percussit: vel nescit, esse diem festum, quo laborat. Ignorantia juris est, quando quis nescit, quid lege, vel quali lege, sit præceptum, aut prohibitum. e. g. si quis nescit, percussioni clerici annexam esse excommunicationem: vel exercitium hujus, aut illius artis, esse die festo prohibitum. Cùm autem detur triplex Jus, Naturale, Divinum positivum, & Humanum; hinc etiam ignorantia juris subdividitur in ignorantiam juris, Naturalis, Divini, & Humani, quorum clarior explicatio petenda ex tractatu de justitiâ & jure.

Dividitur 2. ignorantia, in genere accepta, in ignorantiam invincibilem & vincibilem. Prior, seu invincibilis est, quæ morali diligentia superari, aut tolli non potest: vel quia tali ignorantia nunquam in mentem venit dubitare, aut cogitare de opposito; vel quia, etsi dubium ortum fuerit, tamen adhibita diligenti inquisitione, ejus solutionem obtinere non potest. Vincibilis autem ignorantia est, quando quis, adhibita morali diligentia, oppositam scientiam, seu dubii solutionem, acquirere potest.

Quomodo ad voluntarium se habeat ignorantia.

fuerit, tamen adhibita diligenti inquisitione, ejus solutionem obtinere non potest. Vincibilis autem ignorantia est, quando quis, adhibita morali diligentia, oppositam scientiam, seu dubii solutionem, acquirere potest.

Et, si quidem sit obligatio rem sciendi (sicut semper est obligatio ad suo modo sciendum, actionem esse licitam, casu quo quis eam ponere velit) debet adhiberi moralis illa diligentia, quæ pro diversitate circumstantiarum, quandoque requiritur major, quandoque sufficit minor. Quodsi adhibeatur diligentia aliqua, sed non par obligationi, aut circumstantiis rei &c. ignorantia remanens dicitur adhuc vincibilis. Si nulla, vel modica tantum diligentia, adhibeatur, dicitur ignorantia crassa, vel lata; & talis ordinariè esse solet ignorantia earum rerum: quæ communiter ab ejusmodi conditionis hominibus sciuntur. Si quis autem omnino datâ operâ velit ignorare, vel non inquirere, ut liberius agere, vel ignorantiam excusationem prætexere possit, dicitur affectata. vide plura apud Layman l. 1. tr. 2. c. 4. His positis

§ 5. Dico 1. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium. Ita communissimè omnes; cùm nemo dicat, istam ignorantiam excusare operantem ex ea à peccato, sicut tamen excusaret, si voluntarium tollerent. Prob. Qui ex tali ignorantia operatur, vult ipsam actionem prohibitam ponere; si enim non vellet, eam omitteret. Neque dici potest, quod eam non velit, ut prohibitam; quia, cùm ipsi subortum saltem sit dubium de prohibitione, & ipse nolit, hujus solutionem morali diligentia sibi procurare, operatur cum dubio practico, seu implicite est ita constitutus, ut actionem velit ponere, sive sit licita, sive prohibita (ut omnes loquuntur agentes de dubio practico) adeoque actionem etiam vult, quamvis prohibita sit: consequenter hæc quoque ut talis, est ei voluntaria. Certe si ferid eam nollit, ex hypothesi prohibitionis, tunc in dubio, vel eam omitteret, vel saltem ferid in licentiam, aut prohibitionem inquireret. Hucusque dicta, vera quidem sunt de omni ignorantia vincibili: at multò magis locum habent in ignorantia omnino affectata, quæ in se directe voluntaria est, de quo vide S. Thomam. 1. 2. q. 76. a. 3. in corp. Quare, ut jam dictum, omnes auctores agentem malè ex ignorantia vincibili condemnant peccati.

Nec dicas, posse contingere, ut quis actionem malam ponat, dum vincibiliter, non tamen affectatè, ignorat, eam esse malam, e. g. si ob tedium laboris nolit veritatem inquirere, cùm posset: eam tamen actionem non poneret, si prohibitam sciret. Resp. enim, talem agere cum dubio practico, & consequenter actionem, etiam ut prohibitam, sufficienter ei voluntariam esse. Saltem negari non potest, in hoc casu ignorantiam ipsam indirectè voluntariam esse; quia operans voluntariè omittit diligentiam inquirendi, quæ omisso est causa ignorantiam ut perseverantem. Et hinc actio quoque est voluntaria in causa, seu in ignorantia, consequenter adhuc peccaminosa, ut omnes docent de actibus illicitis, in causa voluntariis.

§ 6. Dico 2. Ignorantia invincibilis tollit voluntarium. ita communissimè omnes. Prob.

Voluntarium, ut dictum n. 3. juxta Aristotelem 3. ethic. 1. est: Cujus principium est in agente cognoscente singula, in quibus est actus. sive ut explicatum n. 4. quod est ab intrinseca potentia appetitiva, affectivè in aliquid tendente: tale autem non potest esse sine cognitione; ut enim communis fert parcermia: Nihil volitum, quin præcognitum. Dein debet esse à cognoscente singula, scilicet illa, quæ voluntaria sunt: ergo, ubi datur aliquorum ignorantia, ea voluntaria esse non possunt. Imò, licet res secundum se cognoscatur, si non cognoscantur omnes ejus circumstantiæ, vel omnia ejus prædicata, non possunt eæ circumstantiæ, vel prædicata dici voluntaria. e. g. si invincibiliter ignorem, alicum esse clericum, & eum quacunque de causa percussam, etsi mihi voluntaria sit percussio ut sic, vel hominis tantum, non est mihi voluntaria percussio clerici: vel, si ignorem esse diem Veneris, & comedam carnes, etsi voluntaria sit mihi ea comestio, non tamen est voluntaria ut prohibita.

Et hoc videtur omnibus ita clarum, ut in eo auctores omnes consentiant, etiam ii, qui negant, ignorantiam invincibilem à peccato excusare; quippe isti (quamvis malè, ut videbimus) docent, non requiri ad peccatum, ut sit voluntarium in se, aut in causa peccanti voluntaria, sed sufficere, ut sit voluntarium in causa, peccanti non voluntaria, e. g. in Adamo peccante: hinc illa propositio inter Bajanos damnata 44. Ad rationem peccati non pertinet voluntarium. item illa nonnullorum (ut ait: Viva p. 1. Trinitæ Theol. in primam Propositionem ab Alexandro VIII. damnatam) Bajanorum, ac Jansenistarum assertio, inter triginta & unam proscriptas, prima. In statu nature lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis. Cùm autem ipsa hæc quæstio, an ignorantia invincibilis à peccato excuset, sit in se gravissima, & post Jansenii Yprensis tempora valde celebris, meretur specialem hic locum. Quare

§ 7. Dico 3. Ignorantia invincibilis, sive facti, sive juris, tam naturalis, quam Divini positivæ, aut humani, operantem ex ea excusat à peccato. De hac assertione Jansenius, etsi ejus adversarius, tamen sic scribit l. 2. de statu nat. lapsæ c. 2. Generale Scholasticorum. pronunciatum est, quod, quidquid ex invincibili sit ignorantia, hoc ipso culpa vacat. Et sanè in hoc communissimè omnes consentiunt. Probatur 1. autoritate inrefragabili Alexandri VIII. damnantis hanc inter 31. propositiones secundam: Tametsi detur ignorantia invincibilis juris nature, hæc in statu nature lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali: ergo etiam ignorantia juris naturalis excusat si autem ista, multò magis ignorantia juris positivæ, ut adversarii facillè concedunt, & nulla est ratio hanc excipiendi.

Probatur 2. autoritate S. Augustini, qui adversarius Jansenianis ferè solus præ omnibus Patribus æstimatur, & clarè pro nobis stat; sic enim habet, l. 3. de lib. arb. c. 19. Non sibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quætere, quod ignoras. Rursus eod. lib. c. 2. Non enim, quod naturaliter nescis, & naturaliter non potest, hoc anime deputatur in reatu, sed

sed quod scire non fecit. Quod dignam facultati comparanda ad studium operam non dedit. Similia habet hinc inde alibi, ex quibus patet, S. Augustinum hocere, quod omnis ignorantia, quam quis inuitus patitur, vel quæ non est libera, sed naturalis, hoc est, invincibilis, excuset à reatu, & culpa; nullam enim excipit: & si aliquando dicat, peccari ab ignorantibus, eum semper loqui de vincibiliter ignorantibus, saltem quando peccatum sumit in proprio, & non tantum in metaphoricò sensu, ut magis ex solutione objectionum patebit.

58. Confit. ex S. Thoma 1. 2. q. 76. tibi pluribus articulis, nempe 1. 2. 3. 4. idem docet, & quidem a. 3. in corp. sub finem sic ait. Si verò sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat à peccato & a. 4. in corp. sub initium sic habet. Manifestum est autem, quod ignorantia, quæ totaliter à peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, sed omnino auferit. Pariter Magister Sententiarum l. 2. dist. 22. lit. k. vel. g. 11. ait: Est enim ignorantia triplex, & eorum scilicet, qui scire volunt, cum possint, quæ non excusat; quia & ipsa peccatum est: & eorum, qui volunt, sed non possunt, quæ excusat, & est pena peccati, non peccatum: Et eorum, qui quasi simpliciter nesciunt &c. de quibus ultimis verbis plura num. 71. Interim ex his habetur, juxta hos Doctores omnem ignorantiam (nam nullam excipiunt) si invincibilis sit, excusare à peccato, adeoque saltem esse, quod antiqui Scholastici negarint universaliter, ignorantiam juris naturalis excusare à peccato.

59. Prob. conclusio 3. ratione. Ad rationem peccati necessariò requiritur voluntarium, vel in se, vel saltem in causa peccanti libera: atqui, quod invincibiliter est ignoratum, non est voluntarium: ergo non est peccatum. major partim patet ex damnatis propositionibus, n. 56. adductis, partim ex eo, quod sine voluntario non potest esse liberum, & sine libertate nequit esse peccatum: min. probata est conclusio secunda: ergo. Confit. Ad libertatem, sine qua peccatum esse non potest, juxta omnes requiritur cognitio indifferens de objecto, vel amando, vel fugiendo, & quidem non tantum de objecto realiter sumpto, sed de sumpto sub ea formali ratione, sub qua eligitur; non enim possum illud liberè eligere, quod non cognosco: adeoque, si aliquam rationem formalem, e. g. malitiam, in objecto invincibiliter ignoro, eam non liberè eligo, consequenter neque liberè eligo objectum sub ea ratione: si autem objectum non liberè eligo sub ratione malitiæ, non pecco: ergo à primo ad ultimum, sine cognitione tali indifferente non pecco: atqui ignorantia manifestè excludit eam cognitionem: ergo.

60. Probatur conclusio 4. Si ignorantia invincibilis non excusaret, sapius quis necessariò peccaret, quod juxta omnes rectè sentientes est impossibile, & damnatum est à S. Pio V. in propositione Bohana 67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit: ergo, probatur. Si quis invincibiliter ignorat, aliquid esse prohibendum, non potest se ad ea ignorantia libe-

rare; unde, si actionem eam faciat, necessariò peccat. Nec dicas, posse eum actionem illam omittere; nam præterquam, quod intolerabile onus imponeretur hominibus, si obligarentur ad omittendas actiones, de quibus nec dubium ipsis incidit, ne forte sint malæ, sæpe tales actiones proponuntur ut præcepta; e. g. potest facillimè contingere, ut rudi cuidam homini videatur præceptum mendacium, etiam conjunctum cum gravi sua, & alterius tertii infamia, ad salvandam proximi vitam; talis juxta adversarios necessariò debet peccare; quia, si non mentiat, agit contra conscientiam erroneam, ex jure naturali graviter obligantem: si verò mentiat, agit contra præceptum naturale non mentiendi, nec infamandi, quamvis ignoratum, tamen obligans. Unde, si talis, etiam amore DEI, & proximi, vinceret magnam repugnantiam, quam sentit in se, vel in tertio, amico suo, infamando, & mentiretur; quia invincibiliter putaret, id esse præceptum, mereretur pœnas inferni: quod dicere prorsus est horridum, & misericordie DEI omnino difformis. Aliud est, si ignorantia, vel error sit vincibilis, de quo infra à n. 419.

61. Dico 4. Datur ignorantia invincibilis, non tantum juris Divini positivi, aut humani, sed etiam juris naturalis. Equidem prior conclusio, quæ tantum conditionalis est, & procedit ex suppositione, quod talis ignorantia detur, certior est: & hinc, si qui antiquiores Scholastici vixi sunt docere, quod ignorantia juris naturalis non excuset à peccato, potius judicandi sunt contrarii huic quartæ, quam priori tertie conclusioni, seu, potius negasse possibilitatem in hac providentia talis ignorantie, quam ei actu existentem negasse vim excusandi à peccato. Attamen hæc quarta conclusio est quoque receptissima, & etiam, quantum agit de jure naturali, est S. Thomæ. 1. 2. q. 94. a. 4. & 6. item clarius q. 100. a. 1. in corp. vide infra à n. 272. tibi subis de mente S. Doctoris. Probatur autem hæc conclusio. In primis, quod attinet ad jus humanum, negari non potest, plurimas leges tam Ecclesiasticas, quam civiles ignorari invincibiliter, non tantum à plebe, sed etiam à doctis; à illis, qui Juri Civili tam Communi, quam Patrio, itemque Juri Canonico, operam non dedissent, omnes culpabili ignorantia tenerentur: imò, cum in dies edantur novæ Constitutiones &c. etiam juris utriusque periti eas sæpissimè invincibiliter nesciunt, ut nihil dicam, de inculpa ignorantia veri sensus plurimarum legum, quæ tot judiciis diversis, etiam inter Jurisconsultos, ansam præber, quæque in ordine ad actiones morales eodem modo se habet, ac ignorantia legum ipsarum.

Pariter etiam Jus Divinum positivum, quod ad aliqua saltem præcepta inculpabiliter ignoratur; nam multi etiam docti negant aliqua esse jure Divino præcepta, quæ ab aliis affirmantur. Certè ex variis propositionibus damnatis circa administrationem, vel usum Sacramentorum, quæ jus Divinum positivum potissimum attinent, innovare multa, quæ antiquos Doctores invincibiliter tæuerunt: & latent adhuc multa modernos, quæ futuris temporibus innoventur. Hinc, nec Jansenius, nec alii adversarii, in admittenda ignorantia ista difficiles sunt: et in admittenda

tenda invincibilis ignorantia juris naturæ difficilior se præbent, non tantum Janseniani, sed etiam aliqui alii: quamvis & isti planè sint nimis rigidi, si plus velint, quam nos sponte damus.

62. Damus enim, non dari ignorantiam invincibilem juris naturæ plenam, seu totalem, id est, totius juris naturalis: imò damus, etiam non dari ignorantiam invincibilem primorum juris hujus principiorum, qualia sunt, e. g. DEUM esse colendum, parentes honorandos, non faciendum alteri, quod tibi non vis fieri &c. quin nec veritatum, facillimè inde fluentium, quales sunt, e. g. proximum non esse necandum, parentibus in necessitate subveniendum &c. ista enim, ex communi SS. Patrum, non possunt homines inculpabiliter ignorare: id quod etiam desumitur ex psal. 4. v. 7. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: hoc est: ratio naturalis animo nostro indita est, cujus in luce omnia ista clarescunt. Conclusio autem nostra procedit de veritatibus, à primo illo lumine paulò remotioribus, quarum multas sanè invincibiliter ignorari posse censemus.

63. Probatur autem sic. Si nihil potest invincibiliter ignorari, quod spectat ad jus naturæ, tunc viri sanctissimi, ac doctissimi, peccarunt formaliter, quoties assertiones contradictorias in materia juris naturalis tradiderunt, quod sapius factum: hæc sequela est per se absurda, & sine injuria tantorum virorum admitti non potest: ergo. ma. quoad. 1. p. apertè sequitur ex doctrina adversariorum: quoad 2dam verò etiam negari non potest, nisi ab eo, qui maximatorum illorum virorum scripta, & vastas lucubrations, non vidit; nam in his crebrò occurrunt doctrinæ contradictoriæ, etiam circa jus naturale. Sic S. Bonaventura judicavit, hominem ex lege naturali charitatis teneri, statim post admissionem grave peccatum, ad poenitentiam: at S. Thomas id negavit. Idem Angelicus cum plurimis sequacibus tradit, quod Judex, etsi privata notitia aliquem sciat innocentem, tamen in foro externo, debeat eum, juxta allegata & probata, condemnare ad mortem. At Scoti affectu contrarium tenent: & tamen hæc controversia jus naturale concernit.

Similiter Doctores hinc inde negarunt, juri naturali opponi, quæ tamen ei adveniri modò certissimum est. Sanè inter propositiones, ab Alexandro VII. & Innocentio XI. damnatas, plures longè erant contrariæ juri naturali, quam tantum positivo: & adhuc in pluribus aliis Doctores circa jus naturale sibi oppositi sunt. Opus est tantum, inspicere Theologorum, præsertim moralium, vasta volumina, & dubitari de hoc nullatenus poterit. Nec dicas, istos auctores non deduxisse in praxin suas opiniones, adeoque contra jus naturale haud peccasse; nam utique est contra jus naturale, culpabiliter errorem docere, & sic alios in eundem inducere. Jam verò, quod in minor positum est, scilicet sine iniuria tantorum virorum dici non posse, eos formaliter peccasse, negari non potest, nisi per imprudentiam, & irreverentiam.

64. Confirm. 1. Est experientia certissimum, plures, præsertim pueros, vel puellas, ad usum rationis accedentes, multa ignorare, esse peccata, quæ juri naturæ adversantur: & quis

dicat, ignorantiam fuisse semper vincibilem; cum sæpe, nec dubium, nec scrupulus ullus iis incidit, ut interroganti confessario sæpe afferunt, etiam ii, qui postea de his ipsis scrupulose se accusant? Et quod magistro sæpe id didicissent; cum sæpe talia raceantur, ne doceantur peccare? Imò etiam adulti multa talia ignorant, etiam, quæ ad ipsorum statum pertinent: quia multi difficulter capiunt, aliqua esse semper mala, e. g. mendacium in omnibus circumstantiis. Sanè fertur Plato id non credidisse, atque Sinenfes (populi alias minimè barbari) id ægerimè credere. Confit. 2. Sicut admittitur invincibilis ignorantia juris positivi; quia sunt innumera ejus partes, seu leges, ita debet admitti etiam ignorantia juris naturalis; quia & hujus leges, mediate ex primis principiis deductæ, sunt etiam plurimæ: & experientia est æqualis de utroque.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

65. **O**B. 1. contra 3. conclus. Est innegabile, dari peccata ignorantia, ob quæ debeamus cum Psalmista DEUM orare: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. psal. 24. v. 7.* ergo ignorantia non excusat. Confit. 1. Christus oravit Patrem pro crucifixoribus suis: *Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23. v. 34.* ergo etiam nescientibus, seu ex ignorantia operantibus, opus fuit veniã, adeoque peccarunt. Confit. 2. S. Paulus 1. ad Timoth. 1. v. 13. de se ait: *Sed misericordiam DEI consecutus sum; quia ignorans feci:* ergo peccavit, quamvis ignorantia laboraverit. Confit. 3. Christus Joã. 16. v. 2. prædicat, arbitrarios homines, se obsequium præstare DEO, si interficiant Apostolos: & tamen horum persecutores peccarunt: ergo nec ignorantia, nec existimatio falsa, de bonitate suæ actionis, excusat, adeoque etiam is, qui, in casu nostræ probationis, pro salute proximi, mentiretur, peccaret.

66. Resp. conc. ant. dist. conf. Non excusat ignorantia vincibilis, conc. conf. non excusat invincibilis, neg. conf. Ignorantia Davidis, saltem aliqua, absque dubio fuerunt vincibilis, Sanè non facile capitur, omnes ejus ignorantias, de filiorum suorum, Ammonis, Abalonis, & Adonæ, gestis, ac dictis, expertes fuisse omnino negligentia, cujus veniam postea peteret. Nec magis credibile est, omnes ejus ignorantias fuisse invincibilis, quam omnia ejus delicta juventutis, fuisse patrata ante septennium. Similiter ad omnes tres confirmationes responderetur, scilicet ignorantias, de quibus ibi est sermo, fuisse vincibilis. Certè Judæi, atque Gentiles, qui necem Christo Domino intulerunt, oppido trãsã ignorantia laborarunt; nam viro plurimis prodigiis claro, morum, ac doctrinæ sanctitate celeberrimo, se Messiam esse afferenti, eo tempore, quo hunc sacræ paginæ venturum signabant, utique potuissent, ac debuissent credere, & nullatenus eum mortè afficere. Unde, cum Christus ignorantiam eorum Patri allegavit, tan-

tum innuere voluit, eos aliquantò minus peccasse, quam, si plena cum scientia, atque ad eò animo magis obstinato, necem sibi intulissent. Pariter S. Paulus, tunc adhuc Saulus, vincibiliter erravit; quia & ipse ex prodigijs Christi, & Apostolorum, itémque ex S. Scriptura, quam Gamaliel magistro dixerat, poterat veritatem doctrinæ Christianæ agnoscere. Nec minus sequentes Christianorum persecutores, si mente bona ad prodigia, ad sanctitatem fidei, ac morum, ad fortitudinem martyrum, ad alia signa voluissent attendere, facile Religionis nostræ veritatem agnovissent, & non DEO, sed diabolo, per eadem Christianorum præstari obsequium, intellexissent.

67. Dices 1. Tamen Abimelech Rex Geraræ Gen. 20. invincibiliter ignorans, Saram esse uxorem Abrahæ, & bona fide existimans, ejus esse sororem, sibi assumendo eam in uxorem, peccavit, ut S. Augustinus acriter adversus Julianum l. 3. c. 19. defendit: ergo. Resp. In primis ignorantia hæc non fuit juris, sed facti; non enim Abimelech ignoravit, illicitum esse, uxorem alienam sibi assumere: sed ignoravit, Saram esse uxorem, quod erati facti. Unde, cum etiam adversarii admittant, ignorantiam facti excusare à culpa, ipsimet objectionem hanc solvere debent. Resp. 2. juxta S. Augustinum loc. cit. peccatum illius regis valde modicum fuisse; vocat enim Sanctus hic Doctor quantumcumque peccatum. Hinc juxta Hugonem à S. Charo in c. 20. Gen. & Henricum Gandavensem quodl. 12. q. 25. Abimelech aliquam parvam negligentiam admittit in inquirendo: vel juxta Menochium in c. 20. Gen. v. 6. peccavit auferendo invitam, non autem adulterium attentando; à quo eum excusat DEUS, ibidem v. 6. aiens: Et ego scio, quòd simplici corde feceris.

Dices 2. Ipsum etiam jus Canonicum asserit, ignorantiam juris naturalis non excusare; nam c. Turbatur. 1. q. 4. sic habetur: Ignorantia juris alia naturalis, alia civilis. Naturalis omnibus adultis damnabilis est: ergo. Resp. 1. dist. antec. Jus Canonicum docet, non omnem ignorantiam juris naturalis excusare. conc. ant. docet, omnem non excusare. neg. antec. & conf. videtur enim ibi agi de primis omnino principijs; quia agitur de honore habendo patris: vel tantum agi de foro externo, in quo excusatio peccati ab ignorantia scilicet non admittitur. Si hoc non placeat dicere, respondeo, textum S. Ambrosii, ex quo caput illud in Gratiani decretum translatus est, hæc verba non habere, compilatorem autem, vel glossatorem, qui ea addidit, non habere majorem auctoritatem, quam habeat author privatus, quæ non prævalet auctoritati aliorum, sine numero nobilium sententium.

68. Ob. 2. ex Janenio. l. 2. de stat. nat. laps. c. 6. Est ignorantia juris positivi à peccato excuset, non tamen excusat ignorantia juris naturæ: ergo. prob. ant. Ignorantia juris naturæ est poena peccati originalis, non autem ignorantia juris positivi: ergo illa non excusat, sed, quod excusat, est peccatum, & simul ipsa est poena peccati, ut habet S. August., ep. 105. post medium. Ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem,

qui non potuerunt, poena peccati. prob. ant. Illa sola ignorantia est poena peccati originalis, cui opposita scientia fuit connaturalis statui justitiae originalis: sed sola scientia juris naturæ fuit ei statui connaturalis, seu debita (quia non debuit tunc dari ullum jus positivum, seu lex positiva; his enim potuisset carere ille status) ergo. Hoc argumentum Janenius vocat radicem arcanæ doctrinæ: melius dixisset, falsæ.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. 2. p. ant. nam omnis ignorantia, imò amentia, & omne corporis, ac animæ malum, quo nunc universaliter affligitur humana natura, est supplicium peccati originalis. Ad prob. ant. dist. ma. cui opposita scientia fuit statui justitiae originalis, tantum absolute debita. neg. ma. etiam debita pro omni hypothese, illi statui convenienti, supposito purificatione conditionis. conc. ma. & dist. min. fuit sola debita absolute. conc. min. fuit sola debita pro omni hypothese, illi statui convenienti &c. neg. min. & conf. Si DEUS voluisset tunc homini tantum imponere præcepta naturalia, fuisset ipsi absolute debita tantum notitia istorum: & quidem absolute potuisset id fieri. At supposito, quòd DEUS voluerit, homini imponere præcepta positiva, quæ illi statui etiam conveniebant, (nam tale fuit præceptum, non eo medendi pomum ex arbore scientiæ boni, & mali) erat quoque debita notitia hujus præcepti, sicut & aliorum, si DEUS plura positiva, ut potuisset, voluisset imponere. verbo: ex perfectione illius status inferitur, non potuisse in eo dari ignorantiam ullius præcepti obligantis, sive naturalis, sive positivi: unde ex modo arguendi Janenii ignorantia cujuscumque talis præcepti est poena peccati originalis.

69. Ob. 3. S. Augustinus clarè docet, ignorantiam omnem juris naturæ non excusare: ergo. Resp. neg. ant. Quando enim asserit, peccari, ex, vel cum ignorantia, ordinariè in exemplum adducit peccata ignorantiae, à Davide; vel Paulo, vel ab Abimelecho admissa, cujus ultimi fuit ignorantia facti, ut supra ostendimus. n. 67. S. Paulus (cujus, uti & Davidis l. 3. de liber. arb. c. 18. meminit) laboravit ignorantia juris Divini positivi, seu Legis Evangelicæ: Davidem autem ex nulla alia, quam juris naturalis, ignorantia peccasse, nemini persuadebitur; & verosimiliter etiam peccavit ignorantia facinorum à filiis: (de quibus supra n. 66.) admittoribus. Dein S. Doctor, quando cumque ait, per ignorantiam peccari, aut loquitur de ignorantia vincibili, aut de peccato improprie dicto: quod probatur, tum ex textibus, in probatione secundæ conclusionis allatis, tum ex eo, quòd in exemplum ignorantiae adducit, aut ignorantiam Pauli, aut Davidis, aut Judæorum, Christo, & Apostolis infensorum, quæ vincibilis fuit. Uterius S. Doctor l. de grat. lib. arb. c. 3. de sermo Domini sui voluntatem nesciente, & tamen vapulante, loquens, ait: Nac tamen ideo confitendum est ad ignorantiam tenebras, ut in eis quæ requirit excusationem; aliud enim est nescire, aliud scire noluisse; voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret. Ubi manifestè sentit, ignorantiam servilius vincibilem fuisse:

70. Aliàs verò, ut diximus, non loquitur

tur de peccato proprie dicto, ut l. 3. de lib. arb. c. 19. ubi, cum dixisset: Nam illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata; quia de peccato illo libere voluntatis originem ducunt; illud enim præcedens meruit ista sequentia: explicat deinde in duplicem acceptionem vocis peccatum, similitudine vocis lingua. Ut enim non tantum illud membrum, quo voces formamus, sed & ipsa verba dicuntur lingua; unde alia vocatur lingua Græca, alia Latina: sic (ait S. Augustinus) non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum (libera enim voluntate, & absente NB. committitur) sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur, necesse est. Quibus simillima habet l. 1. de nuptiis, & concupisc. c. 23. Item in exposit. epist. ad Galat. in c. 5. ait: Aliud est enim non peccare, aliud non habere peccatum; nam, in quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desiderijs ejus: in quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Ex quibus patet, S. Doctorem, quando fortè quædam, ex ignorantia invincibili facta, appellat peccata, non loqui in proprio, sed in latiore sensu, in quo ad Rom. 7. concupiscentia appellatur peccatum.

71. Dices. Tamen S. Augustinus l. de grat. lib. arbit. c. 3. verbis supra adductis subnectit sequentia: Sed ista ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit; quia non audivit omnino, quod crederet: sed fortassis, ut mitius ardeat: ergo etiam, qui tantum simpliciter ignorant, damnantur. Resp. om. totum & neg. suppositum, quòd nescire simpliciter sit idem, ac nescire invincibiliter. Triplicem ignorantiam, ut supra n. 58. diximus, distinguit Magister Sententiarum, inter quas tertiam sic describit: Eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, non reuuentes, vel proponentes scire, quæ neminem plene excusat, sed fortasse, ut mitius puniatur.

Ecce simpliciter nescire est non renuere quidem, sed neque etiam proponere, vel curare, ut scias, hoc est, non quidem est aperte scientiam fugere, sed neque illam labore congruo procurare, seu, non quidem affectatâ, sed tamen crassâ ignorantia laborare. Et certè expositio hæc S. Augustino maximè conformis est; cum utique, inter scire nolle, & inculpabiliter, seu invincibiliter nescire, seu inter ignorantiam affectatam, & invincibilem, medium detur, scilicet simplici ignorantia laborare ex negligentia. Obijciunt quidam hæc etiam textum Angelici quodl. 2. a. 13. Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quòd est secundum conscientiam. Sed de hoc agemus loco magis proprio, quando examinabimus, an in dubio legis semper sequendum sit tutius. n. 271.

72. Ob. 4. contra 4. conclus. Si datur ignorantia invincibilis juris naturæ, tunc præcepta taliter ignorata, vel obligant ignorantes, & sunt impossibilia: vel non obligant, & sunt frustranea: neutrum potest dici, ergo. Resp. neg. ma. & dico, quòd obligant scientes, quibus non sunt impossibilia, non autem in actu secundo obligant ignaros; nec tamen propterea sunt frustranea, etsi non omnes omnino homines pro-

ximè obligent; quia finem sufficientissimum habent, si obligent plures scientes. Hoc ipsum adversarii debent respondere de plurimis legibus positivis: consequenter non erit absurdum, idem dicere de quibusdam legibus naturalibus.

73. Ob 5. DEUS facienti, quod est in se, non denegat gratiam: ergo, si homines diligenter orarent, vel facerent, quæ DEUS ab ipsis requirit, nil juris naturalis ignorarent: ergo, si aliquid hujus ignorant, vincibiliter ignorant. Confir. S. August. l. 3. de lib. arb. c. 20. de DEO ait: Negligentibus autem, & peccata sua de infirmitate defendere volentibus, non ipsam ignorantiam, difficultatèque pro crimine objiceret, sed quia in eis potius permanere, quam studio querendi, atque discendi, & humilitate confitendi, atque orandi, ad veritatem, ac facilitatem, pervenire voluerunt, iusto supplicio vindicaret. & c. 22. Quòd ergo ignorat, quid sibi agendum sit, ex eo est, quòd nondum accepit: sed hoc quoque accipiet, si hoc, quòd accepit, bene usa fuerit: accipit autem, ut piè & diligenter querat, si volet: ergo ex S. Augustino diligenter orantes, & quærentes, accipient scientiam, nec patientur ignorantiam.

74. Resp. Hæc obiectio injuriam facit sanctissimis viris, Thomæ, Bonaventuræ, Scoto, ac innumeris alijs, quasi non piè orassent: vel necessariam ex parte sua diligentiam, & inquisitionem veritatis, omisissent; cum tamen plures eorum doctrinam suam magis orationis, quam studiorum assiduitate, adepti sint, & veritatis indagandæ gratiâ, dies noctesque laborarint. In forma, neg. consequ. DEUS quidem facientem, quòd est in se, nil negat necessarij ad salutem ipsius: at negat sæpius alia, non necessaria, inter quæ meritò computanda venit scientia aliorum, juris quidem naturalis præceptorum, sed hæc, & nunc, proximè non obligantium, quibus proin etiam non observatis, adhuc patet recta in cælum via, sicut juxta adversarios eadem patet, non observatis quibusdam juris positivi præceptis, inculpabiliter ignoratis.

Ad confirmationem eadem servit responsio. Ex objectis textibus S. Augustini ritè quidem probatur, ignorantiam, ex qua peccatur, vincibilem esse oratione, aut fideli inquisitione: at non probatur, omnem ignorantiam esse vincibilem; cum DEUS orantibus quidem concedat notitiam illorum; sine quibus peccatum vitari non potest, aut ad quæ hæc, & nunc, proximè obligat; quia talis scientia ad salutem necessaria est: at non concedit DEUS, etiam orantibus, notitiam aliorum omnium, ad salutem non necessarium, ut jam dictum. Tandem adverte, quòd S. Augustinus citatis textibus loquatur de negligentibus, quales non sunt plurimi, qui tamen multa, quæ etiam ad jus naturale spectant, ignorant, ut jam ostensum, & experientia insuper quotidiana demonstrat.

QUESTIO II.

De Libero.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Libertas.

75. Libertas, ut videre est apud Magistrum Sententiarum l. 2. dist. 25. quæ

quasi per totam, à Patribus, maximè à S. Augustino, assignatur triplex, prima à necessitate, secunda à peccato, tertia à miseria. Prima etiam vocatur libertas naturæ, de qua Apostolus 1. Cor. 7. v. 37. ait: Non habens necessitatem, potestatem autem habens sue voluntatis. Altera vocatur libertas gratiæ, de qua idem Apostolus ad Rom. 6. v. 18. ait: Liberati autem à peccato, servi facti estis iustitiæ. Tertia dicitur libertas gloriæ, de qua iterum Paulus ad Rom. 8. v. 21. Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI.

Ad nostrum autem scopum, hic propositum, tantum facit libertas naturæ; agimus enim de libertate omnibus communi; cum tamen libertas gratiæ, seu à peccato, detur in solis iustis: libertas autem gloriæ reperitur in solis Beatis. Item agimus de libertate, in ordine ad merendum, vel demerendum, ad quod non fertur libertas gloriæ: libertas autem gratiæ sanctificantis (quæ hic potissimum intelligitur) non est necessaria, saltem ad demerendum, vel tantum de congruo merendum: quamvis ad meritum supernaturale utique requiratur gratia actualis.

76. Libertas autem naturæ alia dicitur libertas à coactione, alia libertas à necessitate. Prima datur, quando quis non cogitur invitus per vim, aut violentiam, ad aliquid faciendum, et si necesse fari agat. Hac libertate Beati amant DEUM; quia non amant coacti, aut inviti: hac ratione etiam infantes liberi sunt, imò & bruta. e. g. canis non invitus comedit, vel currit: & hæc libertas vocatur etiam spontaneitas.

Altera verò, & magis propriè dicta, libertas à necessitate (quæ etiam vocatur libertas indifferentiæ) datur, quando quis non tantum sponte aliquid agit, sed quando ita agit, ut possit non agere: & de hac maximè hic quaritur. Subdividitur autem hæc ipsa iterum in libertatem contrarietatis, & libertatem contradictionis. Libertas contrarietatis datur, quando quis potest agere duo positiva. e. g. amare DEUM, vel eum odifere, vel actum cum amore impossibilem elicere, vel saltem locò unius actus alium, vel specie, vel intensione, differentem ponere. Libertas contradictionis non eodem modo explicatur ab omnibus. Qui admittunt, possibilem esse puram omissionem liberam, dicunt, libertatem contradictionis esse libertatem ad actum, & puram ejus omissionem; qui hanc possibilem negant, dicunt, libertatem contradictionis esse ad actum, & puram ejus nolitionem: e. g. ad actum amoris, & ad puram nolitionem amoris. His præmissis

77. Dico. Libertas indifferentiæ, seu à necessitate, est potentia, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere. ita communissimè Theologi, Prob. 1. Deuter. 30. v. 19. ait Moyses: Testes invoco hodie cælum, & terram, quod proposuerim vobis, vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem: elige ergo. Josue 24. v. 15. Optio vobis datur: eligitis hodie, quod placeat. agitur autem ibi de cultu veri DEI, vel falsorum Deorum 2. Reg. 24. v. 12. dicit DEUS per Nathan ad David: Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris. Ecclesiastic. 15. v. 14. DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui: adjecit mandata, & præ-

cepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrigere manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. & iterum c. 31. v. 10. Qui potuit transgredi, non est transgressus: facere mala, & non fecit: Hi textus, & plures alii similes, qui possent adduci, ut cuique obiter consideranti patet, exponi nequeunt, nisi dicatur, quod libertas sit potentia, quæ, habitis omnibus prærequisitis, potest agere, & non agere, non quidem potentia simulata, sed similitate potentia: ergo.

78. Prob. concl. 2. ex Concilio Tridentinum sess. 6. c. 5. ita habet: Ita, ut tangente DEO cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abicere potest: & can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum, & excitatum, nihil cooperari, assentiendo DEO excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire, si velit: sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meretque passivè se habere, anathema sit:

Concilium Senonense in Gallia anno 1728, sub Clemente VII. in Decretis fidei. Decreto 15, sic habet. Cum igitur reliquerit DEUS hominem in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem, & aquam, bonum & malum, ut, ad quodcumque voluerit, porrigat manum suam: nec abs re veritas ille dicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit: quod sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius: ac denique percurrenti Sacram Scripturam passim obvium sit, quod liberum, utramvis in partem, hominis arbitrium asseveret, satis esse visum est. Ex quibus verbis habetur, tum textus supra allatos rectè à nobis adductos, tum hominem liberum posse utrumvis agere, adeoque libertatem esse potentiam in conclusione nostra expostam.

79. Prob. conclusio 3. ex Pontificum definitionibus. S. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt, inter propositiones 79. Bajanæ, etiam istas: scilicet 39. Quod voluntariè sit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen sit. 41. Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato. 66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. 67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit. Inter quinque famosas propositiones Jansenii, ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatas, tertia est ista: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: ergo ad libertatem non sufficit tantum absentia violentiæ, sed requiritur etiam absentia necessitatis spontaneæ: adeoque dari debet potestas ad utrumque: simulque, præsertim ex propositione 41. Baji damnata, roboratur explicatio textuum S. Scripturæ num. 77. allatorum

80. Prob. conclusio 4. ex Patribus: S. Augustinus pluribus locis, præsertim l. de gratia, & libero arbitrio, item tribus libris de libero arbitrio docet, in hominis liberi potestate esse situm, bonum, vel malum eligere: adducit unum, aut al-

terum textum. l. 3. de liber. arbit. c. 1. ait: Si enim naturæ, vel necessitate ipse motus averfionis à DEO existit, culpabilis esse nullo pacto potest. & inferius: In eoque similis est motus liber illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quod, sicut ipse proprius est lapidis, sic ille animi; verumtamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius: animus verò, dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora deligat. & sub finem capit. Motus autem, quo hic, atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora deorquet, quasi quandam cardinem voluntatis. Sc. Homil. 11. inter 50. ait: Cum per DEI adjutorium in potestate tua sit, utrum consentias diabolo: quare non magis DEO, quam ipsi obtemperare deliberas? & post pauca: Cum DEUS posuerit homini in potestate non consentire Satane: & iterum: Nostrum est, vel eligere, vel repudiare, quod suggerit.

S. Hieron. l. 3. Dialogorum contra Pelagianos c. 4. Hoc est, quod tibi in principio dixeram, in nostra esse positum voluntate, vel peccare, vel non peccare: & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium. S. Joan. Damascenus l. 2. de fide c. 26. In nobis autem sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem, & facere, & non facere: S. Optatus Millevitanus l. 7. adversus Parmenianum. sub initium. Quidquid de voluntate potest ab homine fieri, hoc meruit prohiberi: quidquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari. Denique voluntas habet prænam, necessitas ventiam. Homicida scelus, dum nemo cogit, potest & facere, potest & non facere: adulterum mæchus, dum deorsum nemo compellit, potest admittere, potest & non admittere: & cetera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. S. Irenæus adversus hæreses lib. 4. cap. 71. ait de DEO: Consilium quidem bonum dat omnibus: posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis. Similia habent alii SS. Patres, quos vide apud Bellarminum. tom. 4. de gratia, & libero arbitrio. l. 4. c. 9.

81. Prob. conclusio 5. etiam ex communi sensu, & notione nominis, communissimè recepta. Libertas, de qua hic agitur, seu libertas, ut dicitur, naturæ, opponitur ex communissimo omnium sensu necessitati; nullus enim censet, liberum esse eum, qui est necessitatus ad unum, aut eum, qui non potest facere, vel omittere, vel contrarium facere, si sit libertas contrarietatis: ergo debet esse potentia ad utrumque expedita, seu, quod idem est, debet esse potentia, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere, similitate potentia, ut jam diximus, non potentia simulata, hoc est, ut simul habeat utramque potentiam, non tamen possit utramque simul exercere (aliàs contradictoria, vel contraria faceret) sed divisim, hoc est, pro lubitu, unam, vel alteram. Alii dicunt, hominem liberum posse agere utrumque in sensu diviso, non composito: intellige, non in sensu diviso potentia; quia utraque simul datur: sed in sensu diviso exercitii, seu actus; quia non potest conjungere actum utrumque.

Confirm. In definitionibus, vel primis notionibus nominum, & rerum, debet stari auctoritate: atqui est innegabile, quod communis sensus per libertatem intelligat talem potentiam: ergo, minor patebit cuique, præsertim legenti paulò antiquiores auctores; quod enim pauci adacti consequentiâ doctrinæ, cum libertatem apertè negare non auderent, aliam definitionem voluerint confingere, non obeft communi aliorum sensui, præsertim, cum illorum explicatio non stet cum Pontificum definitionibus, & Conciliorum decretis &c. Hi tamen ipsi pauci causa sunt, ob quam hæc definitio suscipi fuit probanda, ne scilicet libertas, dum nomine tenuis asseritur, re ipsa impunè negetur.

82. Respondet quidam Recentior, libertatem tantum exigere, ut omisso actionis possit componi cum potestate ad agendum, seu cum prærequisitis ad posse: non verò cum omnibus prærequisitis ad agere. Sed contra. Vel intelligitur potestas completa, & proxima: & est potestas constituta ex omnibus prærequisitis ad agendum; aliter certè intelligi nequit, me posse completè, & proximè agere, quàm, si habeam omnia prærequisita ad agendum. Dico prærequisita; nam, cum ipsa actio formaliter etiam requiratur ad agendum, & ipsa non constituat libertatem in actu primo, hæc non constituitur ex omnibus requisitis ad agere, sed tamen ex omnibus prærequisitis.

Vel intelligitur potestas tantum incompleta, aut remota: & hæc ad libertatem non sufficit. Sanè nemo ex hæreticis negavit homini potestatem aliquam incompletam, & remotam ad utrumque libertatis extremum: & tamen negarunt libertatem, atque propterea ab Ecclesia damnati sunt. 2. Quando tantum datur potestas incompleta ad unum extremum, hoc ipso non potest istud fieri, ut videtur tam clarum, quàm clarum, quod habens optimos oculos, & objecta proxima, non possit videre sine luce: ergo in hoc casu datur necessitas ad alterum; consequenter nulla electio. 3. Tridentinum citatum n. 78, docet, quod voluntas illi gratiæ, cui hic, & nunc, consentit, possit dissentire, possit eam abicere: ergo cum omnibus prærequisitis ad agendum (hæc enim necessariò dantur, quando voluntas consentit) potest non agere, sive etiam oppositum agere.

83. Resp. quidam Lovaniensis, ad libertatem sufficere, quod sit actus à voluntate nostra; cum enim voluntas sit in potestate nostra, etiam actus, qui ab ea profluit, erit in potestate. Hæc valde ambigè dicta sunt; nam voluntatem esse in nobis, vel in nostra potestate, variè exponi potest. Primò enim voluntas in se ipsa, & formaliter accepta, pro potentia volendi, necessariò est in nobis, sicut intellectus; unde sic accepta non est in nostra potestate. Secundo, si voluntas, accipiat pro actu voluntatis, dicitur in nostra potestate, denominatione accepta à potiori; quia ut plurimum actus sunt liberi, quamvis utique etiam aliqui sint necessarii, ut actus indeliberati in via, amor beatus in patria. Tertio, voluntas, si subintelligatur, ut liberè determinans se ipsam, etiam est in nostra potestate, quatenus scilicet est in nostra potestate, ut detur hoc concretum liberè

determinans, quamvis non sit in potestate nostra ut detur ejus subiectum.

Jam quocunque in sensu accipiatur voluntas, consequentia, vel illatio adversarii, quod omnis actus à voluntate profluens, sit eo ipso in nostra potestate, ac liber, est nulla; nam in primo sensu etiam antecedens est falsum: in secundo sensu negatur, quod omnis actus voluntatis, si non profluat ab ea, ut proximè expedita ad utrumque, sit liber: & in tertio negatur, quod voluntas ad omnem actum se liberè determinet. Quod si adversarius, ut videtur, velit, omnem actum à voluntate, quomocumque proluentem, eo ipso esse liberum, manifestè contradicit definitionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. citatis num. 97. Sed nec hæretici unquam negarunt, actus necessarios plurimos à voluntate produci: & tamen negarunt libertatem, atque ut eam negantes damnati sunt, nec tantum; quia nomen, sed; quia ipsam rem negarunt.

84. Respondet alius Lovaniensis, se, negando hanc definitionem, tantum illud docere, quod docent Thomistæ, dum ajunt, stantibus omnibus requisitis ad agendum (inter quæ etiam est prædeterminatio physica) non posse dari omissionem actus. Sed in primis Thomistæ Recentiores nunc satis communiter negant, prædeterminationem se tenere ex parte actus primi, & dicunt, eam se tenere ex parte actus secundi, vel intermedii inter primum, & secundum: adeoque non volunt, prædeterminationem esse aliquid ex prærequisitis, sed tantum ex requisitis, de quibus vide num. 82. Dein Thomistæ definitionem nostram admittunt, & si ex hac impugnatur eorum prædeterminatio, non propterea negant eam definitionem: sed student ostendere, libertatem sic definitam stare cum sua prædeterminatione. Si quis tamen ex Thomistis definitionem hanc negaret, nostris rationibus efficaciter impugnari posset.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

85. **O**B. 1. Juxta Scripturâs omnis actus voluntarius est imputabilis agenti: ergo etiam est liber. antec. prob. Psal. 52. v. 8. dicitur: *Voluntariè sacrificabo tibi*, quod S. Ambrosius, l. 2. de fide c. 3. explicat, ut significet idem, ac liberè, seu, ut ait, *in potestate habere, quæ vellet*, ad Heb. 10. v. 26. *Voluntariè peccantibus*. 2. Machab. 1. v. 3. *Faciatis ejus voluntatem, corde magno, & animo volenti*: ergo &c. Similia in Scripturis occurrunt passim. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Ut advertit Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 1. sect. 3. n. 25. Gormaz de ab. hum. n. 276. & alii, voluntarium ex perfectione cognitionis, seu perfectum, ordinariè in viâ fore est liberum: hinc duo ista vocabula sæpè à Scripturis, PP. & communi etiam modo loquentur, sumuntur pro eodem: adeoque non intelligitur quomocumque, sed specialiter modo voluntarium, seu liberum.

86. **O**B. 2. ex SS. Patribus S. Augustinus, de natura, & gratia, c. 46. cum sibi obje-

cisset illud Pelagii dictum: *Voluntatis enim arbitrio, ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur*. respondet, absurdè hoc dici. Idem in Enchiridio c. 105. ait: *Aut voluntas non est, aut libera dicenda est. & l. 1. retract. c. 15. ait: Voluntas est animi motus cogente nullo: & ferme idem dicit de libero: ergo ad libertatem non requiritur absentia omnis necessitatis, etiam invincibilis, sed tantum absentia violentiæ, & coactionis. Resp. dist. conf. ergo ad libertatem indifferentiæ, requisitam ad meritum, vel demeritum, non requiritur absentia omnis necessitatis invincibilis, neg. conf. ad libertatem tantum à coactione, peccato, vel miseria. conc. conf. Sanè S. Augustinus n. 80. & pluribus aliis locis, qui possent citari, nobiscum sentit, nec hoc loco sibi contradicit.*

Unde, quod attinet ad primum textum, S. Aug. non hoc dicit, sed tantum, quod per absurdum sit dicere, quod non pertineat ad voluntatem id, quod hæc necessario vult, vel necessario non vult: exemplum autem ponit in DEO, qui non potest velle peccare, & necessario non vult peccare: & in nobis, qui non possumus velle esse infelices, sed necessario volumus esse felices: quis autem dicat, DEUM habere libertatem indifferentiæ ad nolitionem peccati, vel nos ad volitionem infelicitatis? Equidem videtur Pelagius, ibi loqui de voluntate libera libertate indifferentiæ: at S. Aug. non directè illi respondet; quia non est illi ibi controversia, an detur liberum arbitrium: sed, an possit quis vitare peccata, & bene vivere absque gratia Christi: quam gratiam si admittat Pelagius, sæpè ait S. Doctor, non fore amplius controversiam nec negat absolute dictum Pelagii, sed tantum dicit: *Et hæc nonnulla questio est*, scilicet, de qua libertate sit sermo, an de libertate indifferentiæ, an de libertate à miseria, & peccato, quam ibi præcipuè negandam contendit S. August. in homine lapsa sine gratia DEI: & dein primum subjungit, per absurdum esse dicere, non spectare ad voluntatem actus, etiam naturaliter elicitos.

Secundus textus non ita habet, sed sic: *Postea in beatitudine verò sic erit, ut male velle non possit homo, nec idè libero carebit arbitrio: multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato: neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quæ beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prois velle possumus*: ex quibus est manifestum, S. Doctorem non loqui de libertate indifferentiæ: sed de libertate à peccato.

87. Tertius textus, ut facile colliget, qui leget contextum, per terminum cogente vult significare necessitate, ut advertit Suarez, in 1. 2. tr. 2. de voluntario disp. 1. sect. 3. n. 14. nam S. Augustinus eodem loco, ait, sic etiam primòs parentes nullo cogente, seu libera voluntate peccasse, sed etiam necessitas omnis absuit, ut ipsi advertant non negant; cum fuerint in statu nature integre. Et addit S. Pater, tentatorem fuisset, non coegisset. Sic etiam hos terminos accipit S. Cyrillus, Catechesi, 4. titulo de anima. S. Irenæus adversus hæreses lib. 2. c. 71. & S. Bernardus de

libero arbitrio c. 2. ubi ait, voluntatem ideo beatitudine, aut miseriâ dignam esse; quia nulla cogitur necessitate; cum tamen c. 2. præmisset, omnem necessitatem excusare. Adde, quod S. Augustinus sæpè duos hos terminos confundat: & hoc ipso libro retract. c. 9. sumit pro eodem, necessitate ad peccandum, & cogere ad peccandum, etiam dicit: *Non minus natura sua cogit, ut peccet*. Certè natura ad nihil cogit (coactio enim est contra naturam) sed tantum aliquando necessitat. Unde, si negaretur tantum coactio ad peccatum, & non etiam necessitas, non satis negaretur. Cæterum, ut hic dicam, quod etiam ad sequentia referendum est, quando Patres videntur aliquid dicere contrarium, aut Scripturis, aut Conciliis, aut Pontificum definitionibus, aut etiam suis propriis alibi dictis, explicandi sunt modo optimo, quo possunt; hoc enim exigit debita illis reverentia. Si autem aliquis Sanctorum Patrum omnino non possit conciliari cum supradictis fidei regulis, esse deferendus. Hinc Alexander VIII. merito damnavit hanc propositionem 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*.

88. Dices. S. Augustinus l. de natura, & gratia. c. 46. dicit, in DEI voluntate esse non peccare, quamvis necessario non peccet: item l. 5. de civ. DEI. c. 10. dicit, DEUM esse liberum, etsi non possit velle malum, & bonum: ergo ad libertatem non requiritur potestas ad utrumque. Confirm. Idem S. Doctor l. 3. de libero arbitrio c. 2. ait: *Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi, quod, cum volumus, facimus*: sed, quod est in potestate nostra, est liberum: & quod necessario volumus, etiam facimus, cum volumus: ergo etiam, quod necessario volumus, est liberum.

Resp. esse utique in DEI voluntate non peccare, sed non in voluntate libera, libertate indifferentiæ, sed tantum libera, libertate à peccato. Ad alterum textum Resp. huic sensum vix inveniri in eo capite: quidquid autem de hoc sit, facile dicitur, DEUM non esse liberum libertate indifferentiæ ad bonum, vel malum, sed tantum ad bonum, unum præ alio, vel etiam omissionem utriusque. Ad confir. dist. 2. partem minoris. quod necessario volumus, facimus, cum volumus, & cum potestate nolendi, nego min. sine hac potestate. conc. min. & neg. conseq. debet enim in textu S. Doctoris necessario subintelligi: *quod volumus cum potestate nolendi*; aliâ sibi, & doctrinæ Ecclesiasticæ contradiceret.

89. Objicitur 3. S. Thomas in 2. dist. 25. quest. 1. art. 4. in corp. ait. *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest*: ergo libertati sola obest coactio. Confir. Idem Angelicus in 3. dist. 18. quest. 1. art. 2. ad 5. ait de libero arbitrio Christi. *Sicut enim esset determinatum ad unum numerum, sicut ad diligendum DEUM, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti; quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus* ergo libertati sufficit spontaneitas.

Resp. dist. conseq. Libertas obest sola, & omnis coactio, quam S. Thomas hic intelligit

om. conseq. sola coactio strictè dicta, neg. conseq. S. Doctor ibidem ad 1. dicit: *Quod libertas à necessitate est, quæ consequitur naturam potentie, & ideo per actus, & habitus variatur*: unde ibi coactionem sumit pro necessitate, imò etiam pro quovis impellente, non strictè necessitante, ut patet legenti contextum; cum ibi distinguat coactionem impellentem, & inducentem, atque dicat, hanc (scilicet motiva inducentia) posse minui, vel augeri, & in hoc sensu etiam libertatem posse minui, vel augeri: quod ibi erat primarium quaesitum.

90. Ad confir. S. Doctor ibi prius respondet aliter, & ait, Christi Domini arbitrium liberum non fuisse determinatum ad unum, nisi secundum genus, scilicet ad bonum, cum impossibilitate mali: inde quidem etiam objecta verba ponit: sed quomodo potest esse dominus sui actus Christus, ut ibi ait, si tantum quomocumque sponte tendit: nam etiam bruta tendunt sponte? ergo debet subintelligi, quod sponte tendat, hoc est, cum magna inclinatione, seu, eliciat actum intensiorem, quam exigit determinatio: adeoque datur in Christo libertas, vel electio, intra duas species actuum amoris, vel inter ejusdem individuales actus (si intensio supponatur non mutare speciem) scilicet ad actus magis, vel minus intensos.

Certè S. Thomas apertè docet, etiam necessitatem, sine coactione strictè dicta, tollere libertatem; nam quest. 6. de malo (quæ est de electione humana) a. unico in corp. statim initio sic scribit: *Dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquod eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogere tur; non enim citè necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra: unde motus naturalis invenitur aliqui necessari, non tamen violentis violentum enim repugnat naturali, sicut & voluntario; quia utriusque principium est intra, violenti autem principium est extra. Hac autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritum, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit*. Hæc ibi S. Doctor, ubi ulterius ostendit, hanc opinionem etiam evertere omnia principia Ethices.

91. Objicitur 4. Petrus prædeterminatus ad actionem, est liber ad agendum, & tamen non habet omnia prærequisita ad non agendum: ergo. prob. 2da pars antec. In tali calu Petrus non habet negationem prædeterminationis: hæc est prærequisita ad non agendum: ergo. Resp. Thomistæ, qui concedunt primam partem antec. negant secundam, ad prob. neg. min. dicuntque, negationem illam non esse prærequisitam, nec se tenere ex parte actus primi. Nostris contrariè negant primam partem antec. quoniam melius, non est hujus loci discutere, vide tractatu de DEO n. 448. Solum addo, sententiam de prædeterminatione non esse Catholicam in hoc sensu, quasi ab omnibus Catholicis deberet admitti, sicut nec in hoc sensu Catholica est sententia de scientia media: sed utramque tantum in hoc sensu, quod ab Ecclesia sit permessa doceri; unde male arguerent Calvinistæ: Catholici admittunt prædeterminationem physicam: sed hæc tollit libertatem: ergo, nam major, universaliter sumpta, est falsa: qui verò eam

eam admittunt, negant min. ex una autem propositione non potest inferri conclusio.

92. Ob. 5. Amor beatificus est liber, moralis, atque laudabilis: sed non procedit a potentia, ad utrumque expedita: ergo. prob. ma. si non est liber, tunc amor via est perfectior: hoc est absurdum: ergo. Confirm. Uterque amor tendit in idem objectum, uterque facit hominem perfectum, sanctum, & moraliter bonum: ergo, si unus est liber, etiam alter est liber. Resp. neg. 1. & 2. partem maj. & dist. 3. amor ille est laudabilis objective. conc. formaliter, seu proximè imputabiliter ad laudem, tanquam præmium meriti. neg. ma. & conc. min. neg. conseq. ad prob. neg. ma. si libertas est extrinseca actibus, profus non est perfectior amor via; quia prædicatum libertatis, quo deberet excellere, est ei extrinsecum: si autem libertas est intrinseca, tamen absolute est perfectior amor beatificus necessarius, tum; quia est magis voluntarius ob perfectiorem cognitionem ex num. 13. tum; quia est longè intensior: tum; quia est possessio DEI, & unio longè intimior &c. quæ prædicata longè superant prædicatum solum libertatis, etiam si sit intrinsecum.

93. Dixi supra, amorem patriæ esse objective laudabilem: hoc non aliud significat, quam, eum esse objectum conformè naturæ rationali ut tali: ex quo sequitur, quòd ob istum Beatus possit laudari, sicut sol ob lucem: non autem esse formaliter laudabilem, in hoc sensu, quasi possit imputari Beato ad magnam, & novam laudem, quam ipse hoc actu sit meritus, & quidem proximè; nam radicaliter quidem, seu arguitivè infertur, Beatum adhuc in via actus formaliter laudabilem elucisse, & per eos laudem meritum fuisse; alias enim ad beatitudinem non fuisset admissus.

Si tamen per formalem laudabilitatem intelligatur tantum intrinseca bonitas, atque honestas actus, quatenus intrinsecè est tendentia in objectum ut honestum, & amplexio honestatis ut talis, hanc unique habet amor beatificus: & sub hac ratione magis est laudabilis, quam lux solis, vel tantum actus aliquis externus, qui est indifferens ad bonum, & malum. Ad confirm. dist. ant. Uterque amor tendit in idem objectum, & eodem modo. neg. ant. diverso modo, conc. ant. & neg. conf. Amor via tendit meritorie, dum datur potestas ad non tendendum: facit etiam sanctum meritorie, & non tantum, sicut gratia sanctificans, præsupponendo meritum: facit item imputabiliter bonum merendo &c. non ita amor beatificus: ergo, licet ille sit, non tamen iste debet esse liber.

ARTICULUS III.

An homo sit liber.

94. Liberam hominis arbitrium negarunt antiqui hæretici, atque etiam recentiores, Simon magus, Manichæus, Wicellus, Lufferus, Calvinus, Bucerus, ac alii: quorum postea Lutherus hæresin suam reformavit, atque admiserit libertatem quoad actiones civiles, & politicas: Quas vocavit

justitias carnis) sed non ad actiones bonas, & salutares: quem dein errorem etiam amplexus est Melancthon, & confessio Augustana, de quibus vide Tannerum tom. 2. disp. 2. quæst. 1. dub. 1. num. 10. At verò fides Catholica docet, dari in homine libertatem, tum ad actiones civiles, tum ad salutares, quamvis ad has debeat compleri per gratiam supernam.

95. Dico. De fide est, hominem esse liberum. Prob. Textus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum à n. 77. allati, probant, libertatem in homine rationis compote dari, & quidem ad utroque actus: ergo, antec. facile patet eos textus expendenti; hinc in textum Ecclesiastici ibi citatum S. Aug. 1. de gratia. & lib. arbitrii, c. 2. sic ait: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri jubet DEUS? quomodo jubet, si non est liberum arbitrium?* Ratio etiam est clara; utriusque enim actus, tam purè civiles, quam etiam supernaturales, prudenter, ut nemò negat, præcipiuntur, tam à DEO, quam à superioribus creatis: præmiantur actus boni, & puniuntur mali: laudantur homines propter illos, vituperantur propter istos: suadentur illi, dissuadentur isti, tum à DEO, tum à creaturis bonis: à malis vero, seu demonibus, incitantur homines ad mala: quòd etiam imprudentissimè fieret, si homo liberè retentioni consentire non posset: ergo debet dari potestas libera ad eos actus faciendos. Si enim actus bonos necessariò facimus, quid laudis formalis, strictè dictæ, inde meremur? Si mala necessariò agimus, quid punimur, & præsertim ineffabilibus gehennæ tormentis? Si agere non possumus, quid omisso culpæ habet? Quæso, si DEUS puniret æternis flammis homines omnes, quòd non fecissent miracula, quid cogitates? Et tamen eodem modo fe haberet ad actus supernaturales juxta adversarios ille, qui eos non eliceret.

96. Longè aliter sentit S. August. n. 97. citatus. Audiatur idem de fide contra Manicheos c. 10. sic loquens. *Quis enim non clamat, stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere: & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas iusta complere? Et has injustitias, & iniquitates, miseri non intelligunt, DEO se adscribere. Audiatur iterum de duabus animabus contra Manicheos c. 11. Nec hi libri obsecrari mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, supplicio dignum, qui, aut id velit, quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nomen ista cantant, & in montibus pastores, & in theatris poëta, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & antistes in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.*

Omitto hic ex principiis Philosophicis multiplicem demonstrationem libertatis humanæ in ordine ad actus, saltem naturales, desumptam, tum ex sensu communi totius generis humani, tum ex propria cujusvis experientia, & confessione: ex propositis præmiis, & penis, præceptis, & prohibitionibus naturalibus, consiliis, exhortationibus, ex judicio indifferenti, necessariò in hunc finem à natura intento, ut homines deliberent, quid facere, seu ad quid debeat

terminare velint, quæ omnia fufius prosequuntur Philosophi: nos autem meritò supponimus.

97. Ob. 1. S. Paulus. 2. Cor. 3. v. 17. scribit: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis:* ergo non sumus liberi. Confir. 1. Idem Apostolus. 1. Cor. 12. v. 6. ait, *DEUS, qui operatur omnia in omnibus:* ergo nos nihil liberè agimus. Confirm. 2. 1. Jo. 3. v. 9. dicitur: *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare; quoniam ex DEO natus est:* ergo (inquit Calvinus) piorum corda ita efficaciter divinitus gubernantur, ut inflexibili affectu sequantur. Resp. neg. conseq. Statim addit Apostolus: *Sed sufficientia nostra ex DEO est.* Licet igitur nati à nobis, aut à naturâ nostrâ, habeamus potestatem expeditam ad salutariter agendum, habemus eam à DEO per gratiam, quam sufficientem, ad præcepta Divina implenda, DEUS nemini negat. Sic enim docet Concilium Senonense decreto 15. de libero arbitrio: *Neque tamen tanta gratia necessitas libero præjudicat arbitrio; cum illa semper sit in promptu: nec momentum quidem prætereat, in quo DEUS non sit ad opitium, & pulset: cui, si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo: nec denique tale sit hujusmodi trahentis DEI auxilium, cui resisti non possit.* Ad 1. confir. neg. conf. DEUS operatur, nos verò cooperamur, & quidem liberè. Ad 2. confir. neg. conf. Illud non potest peccare significat tantum, non posse conjungere peccatum grave cum gratia, seu dilectione DEI, quæ est illud semen, & illa nativitas, ut colligitur ex S. Hieronymo. l. 2. contra Jovin. c. 1. & S. Aug. tr. 5. in ep. Joan. ad potest quis abjicere ipsam gratiam, & sic peccare.

98. Ob. 2. Ad Rom. 7. v. 19. ait Apostolus: *Non enim, quod volo bonum, hoc facio: sed, quod nolo malum, hoc ago:* & hic textus accipiendus est de omni homine, ut passim Patres, ac Doctores exponunt: ergo nullus homo habet liberum arbitrium. Resp. neg. conseq. Apostolus hic agit de motibus indeliberatis concupiscentiæ, quos operatur eadem concupiscentia, etiam in hominibus justis, contra voluntatem eorum; quia, quando deliberatè agunt, istos motus averfantur: hanc autem concupiscentiam S. Paulus vocat peccatum per metonymiam; quia est effectus peccati originalis, & causa etiam aliorum actualium.

Et hæc responsio sufficiens omnino est huic objectioni: quia tamen hoc textu videtur plurimum nitri novatores Janseniani, eique systema de duplici concupiscentia, seu delectatione, alternatim prævalente, ac hominem, nunc ad bonum, nunc ad malum determinante, imponere: voluntque, etiam S. Augustinum hunc textum ita exponere, ut in eo quoque peccetur, quod urgente, vel necessitante concupiscentia fit, operè pretium est, hujus S. Doctoris mentem hic fufius declarare.

99. Posset quidem videri S. Aug. de natura & gratia c. 67. & alibi quoque, dicere, quòd etiam peccetur, quando quis ex ignorantia, vel etiam ex necessitate concupiscentiæ, ita agit, ut, (sicut ait) videat, quid verè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Sed, si mens S. Doctoris magis investigetur, patet, eum, aut loqui tantum

tum de necessitate, & ignorantia non vincibili, sed vel proximè, vel remotè vincibili: aut de peccato non strictè, sed tantum latius dicto. Sic cit. cap. cum dixisset, hominibus de hac necessitate, & ignorantia, querentibus responsum jam esse, tamen iterum ite respondet: *Responde enim fortasse querebant, si erroris; & libidinis, nullus hominum victor existeret. Cum verò ubique sit presens, qui multis modis per creaturam sibi domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, excausat deprecantem. Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis querere, quòd ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis, & c. 69. sic ait: *Bo, quippe ipso, quo firmissimè creditur, DEUM justum, & bonum, impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus, licet agamus, & in difficultibus, quid petamus, & post pauca: Petat, quo destituitur, ut impleat, quòd jubetur.**

Iterum in expositione epistolæ ad Galatas tit. c. 5. circa medium in illud v. 17. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur, ut non ea, quæ vultis, faciatis. sic ait: *Putant hic homines, liberum voluntatis arbitrium negare Apostolum nos habere: nec intelligunt, hoc eis dictum, si gratiam fidei susceptam tenere nolunt, per quam gloriæ possunt spiritu ambulare, & concupiscentias carnis non perficere. Si ergo nolunt, eam tenere, non poterunt ea, quæ volunt, facere.* Ex quibus patet, S. Doctorem, dum videtur asserere, similes motus esse verè peccata, loqui de necessitate vincibili.

100. Aliquando autem non loquitur de peccato verè tali, sed tantum de peccato latius dicto, prout ipse Apostolus concupiscentiam (quæ est poena culpæ originalis, & causa sæpè actualium peccatorum) vocat peccatum ad Rom. 7. Sic autem S. Aug. cit. expositione in epist. ad Galat. eodem c. inferius ait. *Aliud enim est, non peccare, aliud, non habere peccatum; nam in quo peccatum non regnat, non peccat: id est, qui non obedit desideria ejus: in quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum: ubi aperte per peccatum, quòd habetur, non intelligitur verum peccatum, sed tantum latius dictum, ad imitationem Apostoli modo citati; alias unique esset idem, habere actualiter peccatum, & actualiter peccare: regnare peccatum, & habere peccatum.*

Pariter l. 3. de libero arbitrio c. 19. postquam dixisset, non tantum dici linguam illud membrum, quo voces formamus, sed & ipsa verba prolata, & hinc linguam Latinam, ac Græcam vocari, subdit: *Sic non solum peccatum illud dicimus, quòd proprie vocatur peccatum (libera enim voluntate, & absente committitur) sed etiam illud, quòd jam de huius supplicio consequatur, necesse est. Quòd autem indeliberatè motus concupiscentiæ proprie dictum peccatum non sint, clarè docet l. 1. de civit. c. 25. scribens: Quòd si illa concupiscentialis inobediencia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua movetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est*

in corpore dormientis? Hæc fufius, ut videatur, quam malè Janfeniſtæ S. Doctorem in ſuas partes trahere conentur.

101. Ob. 3. S. Paulus ad Rom. 9. v. 16. ait: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI* (intellige, electio ad gloriam, vel ejus affectio) ergo homo non eſt liber. Confirm. *Jerem. 10. v. 23.* dicitur: *Non eſt hominis via ejus: ergo.* Reſp. neg. conſeq. Textus hic exponendus eſt de gratia efficaci, quam habere, non eſt in noſtra poteſtate: interim eſt in noſtra poteſtate, cum ſufficiente gratia cooperari. Plura de hoc textu vide *traſt. de DEO à n. 399.* Ad confirm. Si textus ille intelligendus eſt de omni homine, & non de ſolo Nabuchodonofore, etiam explicandus eſt de gratia prævia congrua, ut eum explicat Suarez, & alii Scholaſtici, videri poteſt *Cornelius à Lapide in hunc locum,*

Similes plures textus accumulare ſolent hæretici: ſed nihil probant, quàm, vel gratiam eſſe neceſſariam ad actus ſupernaturales, quod Catholici conſtantiffimè tenent: vel DEO magis eſſe tribuenda bona opera, quàm nobis, quod etiam docet fides noſtra: vel quòd, habere hanc præ alia gratia, non ſit in noſtra poteſtate, quod etiam certiffimum eſt: at hæc libertati non obſunt: cum gratia neceſſaria ſemper adſit, *ex n. 97.* & DEUS quidem plus faciat in ordine ad actus ſalutares, non tamen liberè immediate eos producat, ſed nobis determinationem relinquat: inſuper hæc præ alia gratia ad agendum neceſſaria non ſit, ſed quævis ſufficiens. Verùm hæc ſpectant ad alium tractatum.

102. Ob. 4. S. Aug. in *enchiridio c. 30.* ait: *Libero arbitrio male utens homo, eſt ſe perdidit, eſt ipſum.* & poſt pauca: *Cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiffum eſt liberum arbitrium:* ergo. Reſp. neg. conſ. S. Aug. l. 2. de nuptiis, eſt concupiſc. c. 3. ſic habet: *Non eſt ita, ut loqueris, quicunque iſta dixiſti, non eſt ita: multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium: ſed, ſi vos filius liberaverit, ait veritas, tunc verè liberi eritis.* & contra duas epistoſas Pelagiano: *um. l. 1. c. 2.* ſic habet: *Quis autem noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perit per peccatum, ſed illa, que in paradifo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana Divinam indiget gratiam, dicente Domino: ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad bene, juſtèque vivendum.* Nam liberum arbitrium uſque adeò in peccatore non perit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, eſt amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Similes textus S. Doctorem etiam ſuprà jam dedimus.

103. Ex quibus patet, S. Doctorem nequiquam negare liberum arbitrium ſimpliciter tale: ſed tantum negare liberum arbitrium, quoad illam plenitudinem, quam habuiſſet homo in paradifo, ſi non peccàſſet: vel libertatem à peccato: vel libertatem ſe erigendi poſt lapſum, ſine gratia; hanc enim vel maxime negat loco obſecto *ex enchiridio.* Nec dicas, hanc libertatem non habuiſſe hominem ante lapſum. Reſp. enim, ante lapſum non potuiſſe hominem habere libertatem ad ſe erigendum; quia hoc erat impoſſibile: habuiſſe tamen majorem liber-

tatem ad bonum, quàm nunc habeat. Verum eſt, quòd etiam tunc ad ſalutariter operandum requiſita fuerit gratia, ut idem S. Auguſt. docet *enchiridii c. 106.* at non requiſita fuit gratia medicinalis; de qua S. Auguſt. l. de corr. eſt gratia. c. 11. Breviter dico, Adamo ante peccatum, non tot infirmitatibus circumdato, non opus fuiſſe gratia tam forti, quàm fori opus fuit ipſi, & poſteris ejus, poſt lapſum: quæ fuſius deducta ſunt in lucubratione S. Auguſt. Doct. libertatis. à n. 31. eſt à n. 43. eſt ſequent. Unde homo libertatem, operandi bene, & ſalutariter, ſine gratia medicinali perdidit; quia modo ſine gratia medicinali, nec poteſt à lapſu reſurgere, nec vulnus peccati ſanare.

104. Dices. Idem S. Auguſt. l. 5. de civit. c. 10. dicit, neceſſitatem non tollere libertatem, & inferit, hinc neque præſcientiam DEI eam tollere: ergo neceſſitas non obſt libertati, ſed ſola coactio. Conſir. Idem l. 1. retractationum c. 15. ſic ait: *Qui verò cogenti (vel, ut alii legunt, volenti) cupiunt bona voluntate reſiſtere non poteſt, eſt ideo facit contra præcepta juſtitie, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam poena peccati:* ergo peccat homo, etiam quando eſt neceſſitatus, adeoque non habet libertatem indifferentiam, Reſp. diſt. conſ. ergo non obſt libertati neceſſitas antecedens. neg. conſeq. neceſſitas conſequens, conſeq. Exprefſe ibi S. Doct. dicit in fine capitis, non ideo hominem peccare; quia DEUS præſcivit, ſed ideo DEUM præſerere; quia homo eſt peccatorus, vide *tr. de DEO n. 360.* Dicit quidem S. Auguſtinus, etiam non obſeſſe libertati Divinæ, quòd neceſſario vivat, & neceſſario non peccet: at non vult intelligi, DEUM liberè vivere, aut liberè non peccare, & quidem libertate indifferentiæ; hoc enim eſſet utique falſum. Sed tantum vult dicere, neceſſitatem vivendi non obſeſſe libertati Divinæ ad alios actus, vel libertati ejus à peccato; quia libertas à peccato, quæ eſt tantum immunitas ab iſto, ſtat cum neceſſitate aliqua in Beatis, & in DEO. Item, vult dicere, neceſſitatem non peccandi non obſeſſe libertati Divinæ perfectiſſime, quæ non eſt ad peccandum (quia hæc eſt imperfecta) ſed tantum ad unum præ alio bono &c. vide n. 88. Ad conſir. Reſp. neg. conſeq. ſi hæc intelligatur de peccato formaliter; nam qui antecedenter non poteſt reſiſtere cogenti cupiunt, poteſt quidem aliquando materialiter peccare, at non formaliter. S. Aug. autem *loc. cit.* non intelligit peccatum verè tale, ſed tantum poenam peccati, juxta dicta n. 100. Patet hoc ex antecedentibus, & conſequentibus *eadem c. 15. in obſeſſione adducto;* nam diſtinguit ibi duplex peccatum, ſcilicet verè tale, quod, ut ait, eſt in voluntate: alterum, quod eſt poena peccati, & quod etiam ſit à nolente: verum hoc peccatum juxta ipſum non eſt ſtrictè tale.

105. Ob. 5. DEUS non eſt liber: ergo minus homo. prob. antec. DEUS debet ſemper facere optimum: ergo. Conſir. 1. Voluntas eſt indifferentis, adeoque debet determinari: ſed hoc eſt neceſſitati: ergo. Confirm. 2. Homo neceſſario ſequitur dictamen intellectus: ſed dictamen intellectus eſt neceſſarium: ergo. Reſp. neg. antec. ad prob. diſt. antec. DEUS debet facere optimum materialiter: neg. antec.

optimum formaliter, hoc eſt, hæc, & nunc, maxime conforme ſuæ voluntati, quæ eſt regula omnis honeſtatis. conc. antec. & neg. conſeq. Hoc ipſo, quòd DEUS rem liberrimè eligat, fit formaliter optima. Ad 1. conſir. diſt. 1. p. ma. voluntas eſt indifferentis indifferentiæ libertatis. conc. indifferentiæ inſufficientiæ. neg. 1. p. & diſt. etiam 2. p. debet determinari à ſe ipſa, conc. ab alio. neg. ma. & diſt. ſic min. neg. conſeq. Hinc etiam axioma: *Idem manens idem ſemper facit idem:* duntaxat eſt verum de non liberis. Ad 2. conſir. vel neg. ma. vel min. ſi enim dictamen eſt neceſſarium, & neceſſitat, tunc tollit libertatem, adeoque admitti non debet. Ejus quidem patroni dicunt, illud eſſe liberum aliquo modo, in præcedente pura omiſſione libera: cui tamen quæſtioni nolim me miſcere.

106. Ob. 6. Poſſet DEUS homini, habenti judicium indifferentis, tamen negare concuſum ad unum: talis homo putaret, ſe eſſe liberum, & tamen non eſſet: ergo ex communi ſenſu, & experientia nihil probatur. Reſp. diſt. ma. poteſt hoc DEUS naturaliter, & univerſaliter facere. neg. ma. ſupernaturaliter, in aliquo cafu. om. ma. & conc. mi. neg. conſeq. Scilicet, ſicut conceditur, quòd DEUS poſſit in aliquo, vel aliquibus particularibus caſibus, permittere, ut ſenſus fallantur, non autem univerſaliter (aliàs nulla haberetur demonſtratio phyſica de creatis, imò neque de ipſo DEO ex creatione calorum, hominum &c.) ſic poteſt omitti, quòd DEUS poſſit, in aliquo cafu particulari, permittere, ut detur judicium indifferentis ſine libertate, vel concuſu DEI: at non, quòd id poſſit univerſaliter; nam hoc ipſo, quòd in hominibus detur judicium indifferentis, & actus primus proximus creatus totus, debet DEUS eſſe paratus ad concurrendum, ne fruſtra ſemper detur: niſi fortè in cafu particulari habeat ſpeciale finem, quem univerſaliter habere non poteſt. Accedit, quòd DEUS fruſtra faceret tot miracula, quæ nunquam manifeſtaret. Ulterius, certum eſt, DEUM non poſſe negare concuſum ad actum præceptum, ne impoſſibile jubeat.

107. Ob. 7. Bruta etiam coërcentur minis, & poenis, e. g. canis baculo: dantur ipſis præcepta, e. g. cani, ne carnem voret: excitantur etiam certis verbis, quibus nõrunt loqui, e. g. aurigæ ſuis equis: laudantur quoque, & amantur, e. g. equi generoſi &c: ergo etiam bruta juxta nos eſſent libera. Conſir. Poſſet dici, quòd leges, conſilia, deliberationes, præmia, poenæ &c. tantum dentur, ut vivaciùs apprehendantur objecta, adeoque magis moveant: ergo. Reſp. neg. antec. Quæ ſunt reſpectu brutorum, non ſunt verè minæ, aut præcepta, aut præmia, aut laudes: ſed tantum ſunt voces, aut ſigna, imprimendis, vel excitandis, certis ſpeciebus brutorum apta. Quando etiam occiduntur bruta, ob damna, vel moleſtias illatas, non eſt vindicta propriè ſumpta de ipſis (niſi quis inſipienter furat) ſed tantum deſtructio eorum, ne ulterius noceant; cum aliis viis à nocentis acceri non poſſint: vel quia non putatur operæ pretium, alia media adhibere.

108. Amor etiam brutorum eſt concupiſcentiæ, non amicitæ, aut, ſi etiam eſt aliquid benevolentæ, non probat libertatem; nam eti-

am erga flores, vel arbores, ſimilem habere poſſumus. Laus, vel vituperium, eſt tantum æſtimatio utilitatis, aut damni: potiſſimum autem laudantur ob perfectiones naturales e. g. equus ob corporis proportionem, celeritatem curſus, quæ in homine eſt laus omnium minima: nec curatur, an bruta eam ſentiant, an non. Quòd autem imprudentes aliquando viſi ſint, brutis plus deferre, e. g. ut reſertur, Caligula ſuo equo (quem *Incitatum* vocabat) detuliſſe conſulatum Romanum, aut Caracalla ſuo equo decreviſſe triumphum, non reſert; tales enim nugæ ſapientes non movent.

Ad conſir. diſt. antec. poteſt id dici à ſapientibus. neg. antec. ab inſipientibus, conc. antec. & neg. conſeq. Stante eadem lege, poena, & præmio, evidenter experimur, poſſe nos utrumque facere, nec aliunde nos determinari, ſed à nobis ipſis: inſuper poſſe nos in iſdem circumſtantis agere diverſa, quod de brutis nulla experientia monſtrat. Superſeſt difficultas, deſumpta à præſcientia DEI: ſed longior eſt e. jus explicatio, quàm, ut eam repetere placeat. videri poteſt ſolutio data *traſt. de DEO. n. 356.*

ARTICULUS IV.

An ſit poſſibilis pura omiſſio libera.

109. **P**uram omiſſionem omnis actus, tam voluntatis, quàm intellectus, poſſe dari non dubitatur; cum utique in ſomno nullum actum eliciamus: imò etiam, dum vigilamus, indeliberatè sæpe nihil volumus: inſuper facilè quoque admittitur, DEUM poſſe ſupernaturaliter negare concuſum ad omnem talem actum. At verò, an voluntas, inſtructa toto actu primo proximo libero, ad volendum, & nolendum, amandum, & odio habendum &c. poſſit ſuſpendere omnem actum, ita, ut neque habeat ſimplicem nolitionem, qua dicat, e. g. *nolo amare*, vel alium quemcumque actum, impoſſibilem cum amore, contra-verſa eſt, in qua graviffimi auctores ſibi opponuntur.

Notandum autem, puram omiſſionem non poſſe eſſe intrinſecè liberam; cum enim ſit pura negatio, nihil poteſt habere propriè intrinſecum: quare denominatio liberæ eſt tantum extrinſeca, proveniens ab actu primo libero. Rurſus pura omiſſio non eſt propriè dictus actus ſecundus, aut exercitium libertatis; hæc enim propriè ſumpta ſignificant actionem: quæ quæreret, an libertas poſſit propriè exerceri per puram omiſſionem, vel, an voluntas, in actu ſecundo ſtrictè tali, poſſit purè omittere, eſt extra rhombum ſaltare.

Reſpondent quidem aliqui, puram omiſſionem eſſe exercitium negativum, & pariter eſſe actum ſecundum negativum: ſed hæc reſponſio sæpe tantum rem magis confundit, & in ſubſtantia tantum ſignificat, puram omiſſionem eſſe negationem exercitii. Quare contra-verſa tantum poteſt, ac debet eſſe, an voluntas, in actu primo completè libera, poſſit omnem actum ſuſpendere: an verò ſaltem aliquem, cum

cum altero libertatis extremo quomodocunque oppositum, debeat elicere.

110. Dico. Probabilius possibilis est pura omiſſio libera. Ita S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 3. in corp. ubi sic concludit: *Et sic voluntarium potest esse absque actu, quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut, cum vult non agere: aliquando autem, & absque actu interiori, sicut, cum non vult.* Loqui autem S. Doctorem de voluntario libero, patet; quia loquitur de voluntario moraliter imputabili, & affert exemplum de navarcho, omittente gubernationem navis. Item, 1. 2. q. 71. a. 5. ad 2. ait: *Aliquid dicitur voluntarium, non solum; quia cadit super ipsum actus voluntatis, sed quia in potestate nostra est, ut fiat, vel non fiat, ut dicitur in 3. ethic. unde etiam ipsum non velle potest dici voluntarium, in quantum in potestate hominis est velle, & non velle: ubi clare agitur de voluntario libero; hoc enim solum est in potestate hominis. Quod autem Angelicus 1. 2. q. 6. a. 3. dicat, per accidens concurrere actum voluntatis, non est prioribus contrarium; quia, ut Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 1. de voluntario sec. 5. n. 2. Tannerus, Valentia, ac alii observant, S. Doctor ibi tantum loquitur de eo, quod ordinariè fit, vel moraliter oportet fieri, propter consuetudinem, & facilitatem eliciendi actum voluntatis; non autem vult, quod id absolute necessariò fiat. Sanè Arriaga disp. 8. de anima sec. 6. subsect. 2. n. 117. de iis, qui putant, S. Doctorem sentire oppositum, ait, videri eos Angelicum non legisse. Sentiant nobiscum, teste Suarez loc. cit. communiter Thomistæ. ex nostris ipse Suarez, Hurtadus, Valentia, Tannerus, Rhodus, Izquierdo, Arriaga loc. cit. n. 153. Vasquez in 1. 2. disp. 92. n. ultimo, aliique complures.*

111. Prob. conclusio negativè. Pura omiſſio libera nullam in se dicit repugnantiam, neque naturalem: aliunde voluntas est libera, & nulla apparet ratio, ob quam cogatur ad semper eliciendum aliquem actum: ergo potest omni abstinere. Prima pars antec. probatur solutione objectionum: secunda non negatur ab adversariis: tertia pars etiam probatur, tum solutione objectionum, tum ex eo; quod libera voluntati non debeat gratis imponi necessitas, tum; quod entia non debeant sine necessitate multiplicari. Confir. In nostra sententia longè melius explicatur divisio libertatis, communissimè recepta, in libertatem contrarietatis, & contradictionis; hæc enim strictè dicta, est inter ens, & puram negationem, quod juxta nos optimè salvatur: at juxta adversarios esset inter unum actum, & alium, quæ non est stricta contradictio. Alias rationes ab aliis allatas, sicut non impugno, ita nec assumo: qui eas cupit rescire, consulat Arriagam de anima disp. 8. sec. 6.

112. Ob. 1. Ecclesiastici 31. v. 10. laudatur omnis, qui potuit transgredi, & non est transgressus: ergo non est possibilis pura omiſſio libera. prob. conf. qui non transgredetur purè omittendo, non esset laudabilis: ergo juxta nos non omnis esset laudabilis, qui non esset transgressus. Confir. 1. Luc. 19. v. 23. dicitur servo pigro: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* adeoque petitur ab eo ratio: atqui, si possibilis fuisset pura omiſſio, non potuisset ab ipso peti ratio; nam

pura omiſſio nullam rationem respicit: ergo. Confir. 2. Omnia peccata referuntur ad concupiscentiam carnis, & oculorum, ac superbiam vitæ. 1. Joan. 2. v. 16. atqui peccatum puræ omiſſionis ad ista non spectat: ergo. Confir. 3. Augustinus. 1. de vera religion. c. 14. ait: *Ulique adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium:* atqui voluntarium non est aliquid, nisi per actum voluntatis: ergo. Resp. Laudatur quoque ibi, v. 2. qui post aurum non abiit, quod quis etiam potest facere ex vana gloria: igitur dist. antec. laudatur omnis, qui non transgreditur ex motivo honesto, conc. antec. ex motivo tantum indifferenti, vel nullo. neg. antec. & conseq. ad prob. antec. est dubium; nam sunt, qui etiam puram omiſſionem dicunt posse esse meritoriam, vide Arriagam tom. 4. tr. de merito. disp. 53. sec. 2. & Ripaldam tom. 1. de ente supernaturali. l. 3. disp. 70. per totam. quare, si quis potest, per eam mereri, neg. antec. si non potest. omitt. antec. & dist. conseq. ut supra: non esset laudabilis omnis etiam, qui non transgressus esset sine motivo honesto. conc. secus. neg. conseq.

113. Ad 1. confirm. dist. 2. p. ma. petitur ratio, hoc est, excusatio. conc. ma. hoc est motivum intrinsecum omiſſioni neg. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conseq. Si dixisset ille servus, se fuisse necessitatum, satisfecisset, quin assignasset motivum intrinsecum omiſſioni. Dein facile concedo, quod ibi non fuerit data pura omiſſio; quia servus per actum positivum pecuniam abscondit, & tam diu nil egit, donec dominus, ut ibi dicitur, post multum temporis, reversus est. Licet autem ille servus piger non habuerit puram omiſſionem, non sequitur, eam esse omnino impossibilem.

Ad 2. confirm. dist. ma. omnia peccata referuntur ad illa tria, tanquam ad capita, vel causas. conc. ma. tanquam ad species. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Sic etiam mendacium præcisè jocosum non refertur ad illa tria, nisi tanquam ad capita, seu fontes, aut causas. Ad 3. confirm. neg. mi. cum S. Thoma citato num. 110. ex quo etiam habes, non omne liberum debere esse positivè, vel, ut Thomistæ loquuntur, directè voluntarium, sed tantum debere esse, indirectè, seu negativè, voluntarium: hoc est, debere esse in nostra potestate. Quodsi Patres quandoque videntur dicere, peccatum non dari, nisi voluntas aliquid velit, intelligendi sunt, ut diximus num. 110. de modo ordinario peccandi.

114. Ob. 2. De omni peccato potest dari remorsus conscientie: sed hic non potest dari de pura omiſſione: ergo hæc neque potest esse peccatum: ergo non potest dari. prob. mi. pura omiſſio non potest relinquere speciem sui: ergo non potest de ea dari remorsus. Confirmatur. A pura omiſſione etiam non potest relinqui habitus vitiosus: atqui deberet hic ab ea posse relinqui: ergo. Resp. Quomodo ergo datur displicentia de multis omiſſionibus necessariis, ob quas sæpe postea affligimur? in forma. neg. mi. ad probat. neg. conf. potest enim sufficienter mordere ratione speciei alienæ, per quam potest repræsentari negatio. Ad confirm. Non puto, tam frequenter nos purè omittente, ut inde

nascatur habitus: si tamen id frequenter fieret, posset ratione specierum alienarum relictarum oriri etiam aliqua facilitas, in forma neg. mi. nam, licet non ab ipsa omiſſione oriretur aliqua facilitas, posset ea oriri à speciebus alienis. Si negares, hanc facilitatem esse habitum, faceres quætionem de nomine, de qua parum curarem.

115. Ob. 3. Libertas est potentia vitalis: ergo non exercetur, nisi per actum vitalem, & non per puram omiſſionem. Confir. Intellectus non potest purè omittente: ergo nec voluntas. Resp. conc. totum. vide dicta n. 109. Nec dicas: nulla alia potentia potest purè omittente; nam nulla quidem potest purè omittente liberè; quia nulla est libera; at tamen potest omittente necessariò, ut negari non potest: vel etiam potest omittente ex imperio voluntatis: saltem id possunt aliqua potentia externa. Ad confir. neg. conseq. Juxta omnes intellectus est potentia necessaria: adeoque liberè purè omittente nequit. Neque, saltem si homo rationis capax vigilet, videtur intellectus ita esse subiectus voluntati, ut ex hujus determinatione prorsus nihil cogitet; nec enim objecta, vel excitatio specierum, sunt in potestate voluntatis; alias nunquam involuntariè distraheremur &c. Potest autem intellectus necessariò purè omittente in somno, & hinc etiam mediata ex imperio voluntatis, si hæc somnum imperet: potest quoque idem fieri in aliis casibus, e. g. deliqui, timoris nimii &c.

116. Ob. 4. Pura omiſſio deberet esse determinatio voluntatis ad unum extremum: sed talis determinatio debet esse actus positivus: ergo. Confir. Pura omiſſio libera debet esse actus secundus: ergo non potest esse pura negatio. prob. conseq. pura negatio, e. g. amoris jam datur in actu primo: ergo non constituit actum secundum, qui est distinctus à primo. Resp. dist. ma. pura omiſſio debet esse determinatio voluntatis positivè, vel propriè talis. neg. ma. æquivalenter, vel impropiè talis. conc. ma. & dist. sic min. neg. conseq.

Ad confirm. dist. iterum antec. pura omiſſio debet esse actus secundus propriè talis. neg. ant. impropiè tantum talis. conc. ant. & neg. conf. ad prob. neg. antec. non enim negatio actus secundi constituit actum primum; nam actus primus, maximè liber, debet posse stare cum utroque actu secundo, seu exercitio: at qui negatio unius exercitii, seu actus secundi, non potest stare cum utroque; alias simul possent coexistere duo contradictoria. Quare ad summum potest dici, quod in actu primo detur præcisè ab utroque, non verò jam negatio actionis, seu ipsa pura omiſſio.

117. Ob. 5. Omne liberum ablata libertate fit voluntarium necessarium: sed talis non potest fieri pura omiſſio: ergo non est libera. prob. min. si à pura omiſſione dematur libertas, nihil prorsus in ea est, ob quod dicatur voluntaria: ergo. Resp. cum Arriaga, dist. ma. omne liberum positivè tale, fit ablata libertate voluntarium necessarium. conc. ma. liberum tantum negativè tale. neg. ma. & conc. min. neg. conseq. ad prob. conc. totum, quia, cum pura omiſſio necessaria nullam involvat volitionem, non est positivè voluntaria; cumque non sit in potestate

nostra, non est negativè voluntaria. Quare non est possibilis pura omiſſio necessaria voluntaria, saltem immediatè in se: sed tantum involuntaria, seu potius non voluntaria. Dixi immediatè in se; nam, si quis liberè posuisset causam, e. g. ebrietatem, ex qua sequeretur postea pura omiſſio e. g. facti, vel recitationis Breviarii, essetque prævisa, hæc posset esse voluntaria in causa.

118. Ob. 6. Libertas in actu secundo necessariò est electio, seu inclinatio ad unum extremum, & recessus ab altero: itémque victoria motivorum, allicientium ad oppositum: sed hæc requiritur actum positivum voluntatis: ergo. Resp. dist. ma. libertas in actu secundo, strictè dicto, est electio &c. conc. ma. libertas in actu secundo, tantum latius dicto, neg. ma. & conc. mi. neg. conf. Quare pura omiſſio debet tantum aliquo modo æquivalenter esse inclinatio, quatenus eo ipso, quod non amem, æquivalenter aliquo modo facio id, quod dicit hic actus: *nolo amare*. Eodem etiam modo tantum debet esse victoria, quatenus quis, non assentiendo motivis allicientibus ad oppositum, æquivalenter ea rejicit, vincit, vel eis resistit.

119. Dices. Unum contradictorium non potest æquivalere alteri: ergo neque pura omiſſio actui positivo, quo dicerem: *nolo amare* &c. Resp. dist. antec. non potest æquivalere physicè. conc. vel om. antec. non potest æquivalere moraliter. subdist. non perfectè, & quoad omnia. om. non saltem quoad aliqua, & imperfectè. neg. antec. & sub eadem. dist. conc. vel neg. conseq. Quidquid sit in genere physico (in quo tamen videtur negatio omnis frigoris æquè esse causa mortis, sicut summum frigus) saltem in genere moris, potest negatio æquivalere aliquo modo enti positivo; qui enim tenetur, hinc, & nunc, aliquid facere, si purè id non faciat, præceptum jam violat, & si non omnino, tamen aliquo modo se habet, ut ille, qui diceret: *Nolo alium præceptum elicere*.

Certè in navarcho pura omiſſio gubernationis navis moraliter æquivaleret huic actui: *Nolo gubernare* &c. Quamvis fatear, quod, qui positivè diceret, se nolle, graviter peccaret: & hinc æquivalentia non est prorsus omnimoda. Talis autem æquivalentia, vi cujus negatio non quidem omni modo, sed tamen in ordine ad aliquem certum effectum, vel denominationem, æquivaleret rei positivæ, sæpe datur, præsertim quando negatio non est tam contradictoria illius actus, seu nolitionis, cui moraliter æquivaleret, quam alterius, scilicet illius, cui contrariè opponeretur nolitio. Sic e. g. pura omiſſio gubernationis est potius, & primariò, contradictorium gubernationis actualis, & quasi tantum secundariò, vel quasi mediata, est contradictorium actus positivi dicentis: *Nolo gubernare*.

120. Ob. 7. Omne exercitium libertatis debet respicere finem, vel motivum: pura omiſſio non potest ista respicere: ergo. Confir. Omnis actus primus liber constituitur per cognitionem indifferentem: ergo actus secundus debet hanc respicere. Resp. neg. suppositum, quod pura omiſſio sit exercitium libertatis, ut jam dictum n. 109, vel dist. ma. omne exercitium libertatis, propriè dictum, debet respicere finem. conc. ma.

tantum improprie dictum. neg. ma. & conc. mi. neg. conseq. Sufficit ad puram omissionem liberam, ut actus primus involvat cognitionem heram, ut actus primus involvat cognitionem finis, vel motus; aliam enim non esset liber: non autem debet omisso hanc cognitionem respicere. Ad confirm. neg. conseq. ex modo dictis.

121. Ob. 8. Si actus secundus liber non debet respicere motivum, vel cognitionem ejus, tunc erit liber per solam coexistentiam cognitionis, vel motus: hoc dicitur potest: ergo. prob. min. possunt coexistere duo motiva impossibilia, e. g. potest alicui proponi omisso sacri die festo, utruis ad ludendum, & ad dormiendum: in hoc casu non potest dici, quod omisso pura libera fiat propter utrumque motivum, & tamen utrumque coexistit: ergo. Resp. conc. ma. intellectam de libertate explicata. n. 209. neg. min. ad prob. dist. ma. possunt coexistere (intellige, in intellectu) motiva impossibilia quoad existentiam realem. conc. ma. quoad existentiam tantum intentionalem, vel etiam tantum indirectam motionem. neg. ma. & mi. & conseq.

Ad clariorem intelligentiam notandum 1. Aliud est, facere, ut omisso sit libera, aliud est, ad eam movere. Ut sit libera, e. g. omisso sacri, requiritur etiam motivum attrahens ad audiendum sacrum; alias non daretur iudicium indifferens: hoc tamen motivum non movet ad omissionem, sed, potius ei opponitur. Notandum 2. Aliud est, movere positive, seu, ut Arriaga loquitur, movere directe; hoc enim est, causare actionem positivam: aliud est, movere negative, seu, ut iterum loquitur Arriaga, indirecte, hoc est, tantum impedire actionem positivam. Sic e. g. movent aliqua motiva negative ad omissionem sacri, dum faciunt, ut intellectus auditionem ejus apprehendat, non tanquam purum bonum, à quo necessitaret, sed, ut aliquo modo malam, & quæ ideo omitti possit. Talia autem duo motiva, sic negative tantum moventia, etsi sint quoad existentiam realem impossibilia, sunt tamen compossibilia quoad existentiam intentionalem, sive, possunt esse simul cognita: & hinc talia duo motiva possunt simul negative, seu indirecte, movere ad puram omissionem sacri, sive impedire ejus auditionem.

Nam e. g. ludus, & somnus, licet non possint simul physice existere, tamen, quia possunt simul cognosci, possunt impedire auditionem sacri; impediunt enim, non quatenus voluntas utrumque eodem tempore vult facere, sed quatenus utrumque auditionem sacri proponit, ut impedimentum duorum bonorum sensibilium, scilicet somni, & ludi, quæ duo bona sensibilia, non quidem potest voluntas simul habere, potest tamen etiam per actum positivum (si velit hunc elicere) utrumque intendere, vel propter utrumque pure omittit sacrum; potest etiam postea ex iis eligere, quod vult, somnum, vel ludum: atqui facilius omittit, quod impedit plura bona, etiam tantum disjunctivè obtinibilia, quam quod impedit tantum unum.

122. Dices 1. Ergo saltem omne motivum, inclinans ad omissionem puram sacri, etiam movet ad illam, nec potest ullum dici, aut esse neglectum. Resp. conc. illatum, intelligendo

motionem negativam, seu indirectam, explicatam n. 121. saltem, si omisso sit ita pura, ut nec detur iste actus: *Nolo omittit sacrum propter hoc motivum, e. g. distantiam templi modicam*: imò, si etiam actus iste adesset, tamen adhuc posset dari pura omisso, respectu aliorum motivorum; nam ille actus esset compossibilis cum omissione sacri ob alia motiva. Si autem voluntas, dum pure omittit, circa nullum motivum eliciat ulum actum, reprobantem motivum, videtur ab omnibus negativè moveri. Si petas, quodnam in tali casu magis moveat, dicendum, in actu secundo omnia equaliter movere: in actu primo autem quodlibet movere juxta suam dignitatem, vel apprehensionem meliorem, aut majorem congruitatem cum voluntate.

123. Dices 2. Ex hoc sequitur, quod, si cui inciderebant motiva omittendi sacrum, e. g. occasiones furandi, fornicandi, inimicum occidendi, & dein quis pure omittit, tunc omnia ista moventur: adeoque talis contraheret omnes istas malitias: sed hoc juxta Arriagam tom. 4. tr. de merito. disp. 53. scilicet. 2. n. 12. §. seq. est valde absurdum: ergo. Resp. imprimis in praxi non fore ullam difficultatem; non enim erit facile pura omisso, sed actus aliquis, saltem simplicis complacentiæ, aut displicentiæ cujusdam: speculative autem loquendo, neg. illat. nam illa peccata non essent voluntaria, nec in se, nec in omissione.

Non essent illa peccata voluntaria in se; quia omittens sacrum, ea non vult positive: neque etiam moraliter ea vult negative; quia non tenetur quis semper positive ea nolle, sed tantum non consentire. Supponitur autem, quod non sit periculum consensus, qui vitari non possit, sine elicitis positivis; si enim hoc periculum esset, essent illa peccata aliquo modo negative voluntaria, & omisso nolitionis peccaminosa: sed hoc fe haberet per accidens. Non etiam essent illa peccata voluntaria in omissione; quia omisso sacri, nec est causa per se illorum peccatorum, nec etiam ideo prohibita, ne dentur illa peccata.

124. Dices 3. Saltem illa objecta peccaminosa essent motiva omissionis: sed, qui aliquid facit ex motivo peccaminoso, e. g. qui furatur ob fornicationem, eo ipso contrahit etiam malitiam fornicationis: ergo. Resp. dist. ma. illa objecta essent motiva positive moventia. neg. ma. negative tantum moventia. conc. ma. dist. etiam min. qui aliquid positive facit ex motivo peccaminoso. conc. mi. qui tantum pure omittit. neg. mi. & conseq. Si quis in eo casu positive diceret: *Nolo audire sacrum, ut possim furari*: nihil decernendo de fornicatione &c. nec eam positive rejiciendo, contraheret quidem malitiam furandi, sed non fornicationis: ergo etiam, si omnino pure omittat, nullam contrahit aliam malitiam, quam, quæ ipsi omissioni est intrinseca, scilicet, quod sit contra præceptum de audiendo sacro.

Ratio est, ut bene discurret Arriaga. loc. cit. n. 123. quia finis, extrinsecus medio, non censetur amari per amorem medi, nisi medium positive ad illum finem per aliquam intentionem ordinetur; nam, cum alias nullo modo sint connexa, nec unum oriatur ex alio, non est ulla ratio, cur debeat

in tali medio finis implicite amari, vel intendi: atqui in dato casu omisso apparet ut medium, non ex se ordinatum, sed tantum ex intentione omittentis ordinabile, ad fornicationem &c. tanquam finem extrinsecum, & nullo modo per se connexum cum illis peccatis: & qui pure omittit, nulla intentione ordinaret omissionem ad ea peccata (alias non pure omittit) ergo non posset censeri illa peccata intendere.

125. Dices 4. Voluntas semper debet habere objectum formale, quod saltem interpretative amplectatur: ergo in nostro casu debet ista peccata amplecti. Resp. dist. antec. Voluntas debet habere tale objectum in ordine ad actum positivum. conc. antec. etiam in ordine ad puram omissionem. neg. antec. & conseq. Voluntas quidem, ut positive amplectatur objectum, debet in ipso etiam amplecti aliquam rationem boni, quæ est objectum formale: at verò, ut pure omittat, non est necessarium, ut aliquam rationem amplectatur, sed tantum, ut non necessitetur ad actum positivum: non autem necessitatur ad objectum, quando illud non proponitur ut purum bonum, sed in actu primo dantur etiam motiva ab objecto retrahentia, quamvis voluntas etiam ista non amplectatur. videatur Arriaga loc. cit.

ARTICULUS V.

An libertas sit intrinseca, vel extrinseca actui.

126. **Q**uestio est, an actus liber, qui talis, seu specificativè sumptus, ex essentialibus, & intrinsecis suis pradicatis, sit liber, seu essentialiter exigit procedere ab actu primo indifferente, & libero, ita, ut non possit procedere idem actus à potentia necessaria: an verò sit indifferens, ut à potentia libera, vel necessaria, procedat; si enim ita indifferens est, tunc, si procedat à potentia libera, denominatur liber, si à necessaria procedat, denominatur necessarius: atque adeo denominatio liberi est extrinseca, proveniens ab actu primo libero. Unde, qui hoc secundum defendunt, dicunt quidem, quod actus liber reduplicativè sumptus (nam sic involvit actum primum proximum liberum) differat à necessario reduplicativè sumpto (qui involvit actum primum necessarium) at non differat tantum specificativè sumptus.

Quid hæc in re senserit S. Thomas, certant inter se magni viri: ipse Angelicus quæstionem hanc ex professo non tractat: dicit tamen. 1. 2. q. 67. a. 6. quod idem numero amor, qui est in via, sit etiam in patria. Et quamvis sæpè utatur termino *charitas*, non intelligit habitualem; quia dicit, visionem esse causam ejus amoris, seu charitatis, quæ tamen visio non est causa habitus charitatis, quem præsupponit, sed tantum actus: ergo videtur admittere, quod idem actus sit indifferens, ut sit liber in via, & necessarius in patria. Nec obstat, quod. 1. 2. q. 19. a. 1. in corp. dicat: *Bonum & malum sunt per se differentie actus voluntatis*; non enim loquitur de bonitate, & malitia, ratione libertatis, sed ratione tendentiæ, vel objectorum, ut patet legenti: atqui communiter admittitur, quod actibus sit

intrinseca bonitas, & malitia ratione objectorum, vel tendentiæ, e. g. amor DEI est intrinsece bonus ratione objecti, & amor blasphemæ intrinsece malus ratione tendentiæ.

127. Dico cum Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 1. de voluntario scilicet. 3. n. 18. Valquez in 1. 2. disp. 55. n. 13. (ubi dicit esse sententiam omnium) Oviedo, Tannero, Rhodes, Arriaga, qui citat Molinam, & Salas, ac Recentiores communiter Libertas non est essentialis actui, sed est denominatio extrinseca; proveniens ab actu primo proximo indifferente. Prob. Posito actu producto à potentia indifferente, hoc est, potente illum producere, vel non producere, absque ullo respectu essentiali intrinseco (qui gratia requireretur) intelligi potest actus liber; ergo libertas in actu secundo nihil aliud est, quam actus à potentia proxime libera productus. Confir. 1. Sicut non debent multiplicari sine necessitate entia, ita neque prædicata, respectus, perfectiones &c. sed adversarii hæc multiplicant sine necessitate: ergo.

128. Confir. 2. Si actus esset intrinsece liber, tunc deberet essentialiter respicere cognitionem indifferente, proponente motiva allicientia, & retrahentia: vel, si non esset una cognitio, & retrahentia, utraque motiva, sed essent duæ, scilicet, una repræsentans motiva allicientia, altera repræsentans retrahentia, deberet actus respicere essentialiter utramque: hoc dici non potest: ergo, ma. videtur adversariorum, mi. probatur, sæpè una cognitio est supernaturalis, & actus peccaminosus: sed hic non potest essentialiter respicere cognitionem, seu illustrationem supernaturalem: ergo, ma. patet, nam ad potentiam liberam, eliciendi actum supernaturalem, requiritur illustratio supernaturalis, & hæc potentia sæpissime debet dari in homine, non tantum, quando urget præceptum ad actum supernaturalem, sed etiam alias, quando homo posset actum supernaturalem elicere, & elicit potius peccaminosum, quod frequenter contingit: nisi superior probatur, actus, essentialiter respiciens præviam illustrationem supernaturalem, hanc essentialiter exigit, adeoque superat vires naturæ creatæ, & est supernaturalis: talis non potest esse actus peccaminosus: ergo. Adde, quod per se absurdum videatur, gratiam Theologicè supernaturalem esse principium essentialiter requisitum ad peccatum.

129. Respondet Gormaz de act. hum. n. 481. actum liberum esse formam, seu qualitatem, indifferente, ut producatur per hanc, vel aliam actionem: adeoque esse indifferente, ut præsupponat cognitionem naturalem, vel supernaturalem, consequenter actum peccaminosum non habere essentialem connexionem cum gratia, seu illustratione supernaturali. Adde hic auctor *ibidem*, hanc esse communem Theologorum, sed non probat: & potest etiam opposita esse communis; nam non raro datur communis contra communem: certe in nostra Provincia videtur opposita longè communior. Deinde hoc ipsum videtur absurdum, quod actio productiva peccati sit supernaturalis, & essentialiter dependeat à gratia supernaturali, ita, ut dari non possit, si tantum apparet, & non revera gratia ipsa daretur: atque adeo actio supernaturalis

ralis necessarid displiceat DEO &c. Certè etiam ipsa actio productiva liberè, & ex electione, ponitur: ergo etiã ipsa est intrinsecè libera; aliàs gratis dicitur, effectum per illam productum esse intrinsecè liberum: ex hoc ipso autem etiam actio est peccaminosa in se, non minus, quàm qualitas actus, per eam producta: ergo malè dicitur actio esse connexa cum principiis Theologicè supernaturalibus.

Tandem, si adversariis licet dicere, quòd actus liber tantum indeterminatè exigat, vel cognitionem supernaturalem, vel naturalem, licèbit etiam nobis dicere, quòd tantum indeterminatè exigat, vel cognitionem indifferentem, vel necessitantem, adeoque etiam actum esse indifferentem, ut sit liber, vel necessarius. Noto tamen, à nobis tantum negari, actus, qui defacto dantur, esse intrinsecè, vel essentialiter liberos: non autem negari, ullum possibilem esse, qui sit intrinsecè liber, quamvis non putemus, possibilem esse actum peccaminosum liberum, & simul essentialiter connexum cum gratia supernaturali.

130. Respondet Esparza de actibus hum. q. 14. ad 5. actum illum liberum, seu peccatum tale, esse potius infranaturale, eoquòd pejus sit, quàm aliud peccatum, non supponens principium supernaturale; cum averti à DEO, ut auctore superno, & resistere illustrationi supernaturali, sit deterius, quàm contemnere tantum motivum naturale: addit, quòd non exigat hoc peccatum principia supernaturalia ut influentia, sed tantum ut retrahentia, adeoque vincenda. Sed contra. Neque, quòd hoc peccatum pejus sit, neque, quòd exigat tantum principia supernaturalia, ut retrahentia, impedit, quòd minus hoc peccatum sit supra vires naturæ; quia his solis nunquam fieri potest, ut ipsum detur: ergo habet totum, quòd requirit definitio entis supernaturalis communiter recepta. Quodsi etiam omitteretur, quòd hoc peccatum, in sensu illo strictiori, ad quem adversariis requirit influxum, non sit supernaturale, tamen hoc ipsum tam videtur satis absurdum, quòd peccatum dari non possit sine principiis supernaturalibus, realiter existentibus, & constituentibus actum primum proximum ad illud. Aliud est, quòd peccata quædam tendant in objecta supernaturalia; nam non exigunt illa revera, sed tantum apparenter dari, ut in simili dici solet circa peccatum essentialiter irremissibile, de quo solet agi in tractatu de Penitentia.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

131. **O**B. 1. Actus liber, si bonus est, specialiter placet DEO præ actu necessario: vel displicet ei, si malus est: ergo intrinsecè differt à necessario. Resp. neg. conseq. placet enim DEO magis actus elicitus in circumstantiis libertatis, quàm necessitatis: vel econtra magis displicet. Analogia habetur in actu externo, e. g. comestione carnis prohibita: hæc non mutatur intrinsecè per prohibitionem, vel diem Veneris: & tamen

in circumstantiis prohibitionis, vel dii Veneris; debet displicere Christiano, ut objective, & materialiter mala: si tamen ea comestio esset in aliis circumstantiis, e. g. si esset necessaria ad conservandam vitam, deberet placere, ut objective, & materialiter bona.

132. Ob. 2. Honestas, & inhonestas, laudabilitas, vel vituperabilitas, est intrinsecè actui: sed hæc est formaliter libertas: ergo, ma. prob. si honestas, vel inhonestas, &c. non est intrinsecè actui, homo non est laudabilis, vel vituperabilis ob actus liberos, sed tantum ob aliquas circumstantias, e. g. ob concursum indifferentem DEI, quem tamen habere, vel non habere, non est in potestate hominis: hoc est absurdum: ergo. Resp. dist. ma. honestas, vel inhonestas, laudabilitas, vel vituperabilitas objectiva, de qua n. 93. est intrinsecè, conc. ma. formalis, subdita, est intrinsecè inadæquate: conc. ma. adæquate, neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. ad probationem. neg. mai. homo tamen est laudabilis ob actus liberos, non quidem nudè, vel specificativè sumptos, sed reduplicativè, ut liberos, seu in his circumstantiis elicitos; est enim laudabile, quòd voluntas agat bene, dum potest malè agere: econtra est vituperabile, si agat malè, dum potest bene.

133. Dices 1. cum Haunoldo, Agere in his circumstantiis, nihil est aliud, quàm, dari actum cum concursu, & iudicio indifferente: sed ipse actus in se non est laudabilis; ergo tantum circumstantiæ eum reddunt laudabilem: ergo homo tantum esset laudabilis ratione circumstantiarum. Resp. 1. retorquendo argumentum in superiori exemplo. Comestio, objectivè mala, nihil est aliud, quàm comestio, & prohibitio: sed ipsa comestio in se non est objectivè mala: ergo tantum est mala propter prohibitionem: ergo objectiva malitia stat in prohibitione, & ipsa est objectivè mala, quòd est falsissimum. in forma. conc. ma. & omiffima. quia saltem sæpè est in se inadæquate laudabilis & num. preced. om. etiam primam consequentiam: ad secundam nego. Non est hæc consequentia bona: Actus est laudabilis ratione circumstantiarum: ergo etiam homo tantum est laudabilis ratione circumstantiarum; quia, cum actus verè denominetur laudabilis à circumstantiis, potest iste, ut ita denominatus, postea denominare ipsum hominem laudabiliter agentem: imò, cum homo in sensu quæstionis, non potest denominari laudabilis, nisi ut agens, & ratione circumstantiarum non agat, non potest à solis circumstantiis denominari laudabilis: sicut non potest à sola prohibitione comestionis homo denominari materialiter malè agens; si agat igno- rante: vel formaliter malè agens, si agat scienter: sed talis denominatio provenire debet ab ipsa comestione, ut prius denominata mala, à circumstantiis prohibitionis.

134. Dices 2. Est imperceptibile, quòd circumstantiæ, per se indifferentes, vel bonæ, denominent actum malum: vel circumstantiæ malæ denominent actum bonum: ergo responsio non subsistit. Resp. neg. ant. Hoc fit milles, tamè enim non convenit parti prædicatum, quòd convenit toti (e. g. anima non potest dici homo) imò sæpè parti convenit prædicatum op-
positum.

positum. Sic delictum, quòd est pars pœnæ iustæ, non est iustum, sed iniustum: econtra prohibitio est bona, & res prohibita est mala. Scilicet potest forma denominare, non tantum per convenientiam, sed etiam per contrarietatem.

135. Dices 3. Ergo etiam homo poterit denominari iustus à forma iniusta. Resp. Si sermo sit de iustitia strictè tali, & supernaturali, id fieri non posse; quia hæc est gratia sanctificans, saltem in hac providentia. Quid in alia providentia fieri possit, non est necesse examinare. Arriaga ait, se saltem nullam videre implicentiam in eo, quòd quis denominetur iustus per duas formas partiales, quarum neutra se solà esset iustitia. Quidquid sit: etiam adversarii debent concedere, quòd sit magna diversitas inter denominationes: & ex eo, quòd res non possit fieri alba per nigredinem, non sequitur, quòd non possit fieri mala per bonam prohibitionem.

136. Dices 4. Totum malum semper involvit unam partem seorsim malam: sed juxta nos in actu libero malo nulla pars esset seorsim mala: ergo &c. Resp. neg. mai. Sicut ex pluribus, seorsim pulchris, potest fieri aliquid deformè, si scilicet constitutiva non sint proportionata: ita ex pluribus, seorsim indifferenibus, potest fieri malum moraliter. Si replices: cur ergo DEUS odio habet actum secundum, & non primum; cum uterque in se sit indifferens? Resp. Illud DEUS odio habet, quòd denominatur malum: sed hoc est actus secundus: sicut illud beatificatur, quòd habet denominationem amici DEI post mortem; quòd est homo, & non gratia. Ratio ulterior est. Illud DEUS odit, quòd est transgressio legis: atqui solus actus secundus est transgressio legis: ergo.

137. Ob. 3. Potentia libera differt à necessaria: ergo etiam actus liber differt à necessario. prob. conseq. Actus habet connexionem cum potentia: ergo actus liber cum potentia libera. Confir. 1. Actus liber intrinsecè pendet à dominio voluntatis: ergo. Confir. 2. Actus liber essentialiter connectitur cum indifferenti decreto, & concursu DEI: ergo. Resp. dist. antec. Potentia libera adæquata differt à necessaria. conc. antec. tantum inadæquata. neg. antec. & conseq. ad prob. dist. antec. actus habet connexionem cum potentia adæquata. neg. ant. cum inadæquata. conc. antec. & neg. conseq. non enim quilibet actus connectitur cum omnibus conditionibus, ex parte actus primi requisitis; sed tantum cum principiis influentibus: adeoque non connectitur cum tota potentia, sed tantum cum inadæquata: hæc autem potest esse necessaria, vel libera, prout compartes adiunguntur. Ad utramque confirmationem. neg. antec. quòd non probatur.

138. Dices. Dominium voluntatis, iudicium, & concursus indifferens, sunt priora naturà ad actum liberum: ergo actus liber essentialiter connectitur cum istis, antec. prob. si ista non essent priora naturà, tunc, si DEUS intuitu actus necessarii conferret in eodem instanti, sed pro posteriori signo, concursum, & cognitionem indifferentem, talis actus esset liber: hoc est ex terminis falsum: ergo. Respondeo, quæstio-

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

nem esse de nomine, quid sit prius naturà. Alii dicunt, omne illud esse prius naturà, quòd constituit aliquo modo actum primum: alii insuper requirunt, ut conducatur ad actum secundum: & hinc volunt, gratiam actualem, esse constituat actum primum liberum ad peccatum, tamen non esse naturà priorem ad peccatum.

Jam, qui dicunt, ea, quæ sunt priora naturà, debere essentialiter respici ab effectu, negant aut, qui dicunt oppositum, negant conseq. & quia hoc secundum mihi videtur probabilius, om. antec. neg. conseq. non enim omnia, quæ sunt priora naturà, debent essentialiter respici ab actione; nam e. g. applicatio ignis est juxta communem prior naturà ad combustionem, quamvis hæc in individuo absolute posset dari sine omni, & naturaliter etiam, sine ista applicatione. ad prob. neg. mai. nam pro eo instanti concursus ille, atque iudicium, non constituerent actum primum: consequenter potentia non fuisset libera ad eum actum eliciendum. Aliud esset, si actus ille esset qualitas, & posset per novam actionem pro sequenti instanti conservari; tunc enim posset admitti, actum, in primo instanti necessarium posse in secundo esse liberum.

139. Ob. 4. Vitalitas est intrinsecè actui: ergo etiam libertas. prob. conseq. non minus ad actum liberum requiritur potentia libera, quàm ad actum vitalem potentia vitalis: ergo. Idem argumentum fit de supernaturalitate actuum. Confir. Non potest murus denominari albus ab actu primo: ergo neque potest actus denominari liber. Resp. om. ant. neg. conseq. ad prob. neg. conseq. Ad actum hodiernum, vel hodie elicatum, requiritur etiam principium hodiernum, quin tamen denominatio hodierni sit intrinsecè actui: scilicet, non minus ad denominationes extrinsecas requiruntur formæ, vel principia extrinsecæ, quàm ad intrinsecas intrinsecas; ex eo igitur, quòd aliquid necessarid requiratur, non infertur, quòd sit principium intrinsecum, vel essentialiter respectum: sed debet attendi natura ipsius denominationis.

Actus vitalis, saltem in sententia eorum, qui hos actus identificant cum actione productiva (nam in sententia volentium, eos esse qualitates, posset negari antecedens) debet necessarid habere essentialem intrinsecum respectum ad principium vivens; nam actio vitalis est actio essentialiter immanens, & essentialiter exigens produci, & recipi à potentia producente, quæ sit vitalis: non autem probatur, quòd eodem modo se habeat actus secundus liber ad actum primum liberum. Eodem modo respondetur, si objiciatur, quòd supernaturalitas sit intrinsecè actui; quia actus talis essentialiter exigit produci ab una saltem causa supernaturali. Ad confirm. neg. conseq. & retorq. argum. Denominatio albi non est essentialis subjecto: ergo neque denominatio liberi. Scilicet pro varietate denominationum etiam variè ad invicem se habent constitutiva.

140. Ob. 5. Propositio non potest de vera transire in falsam: ergo nec actus de libero in necessarium. Confir. Omnis actus liber est virtualis volitio sui: ergo perfectio sui, adeoque intrinsecè liber, nec potens fieri necessarius. Resp. antecedens negant multi insignes Philo-
phi:

phi: quare ex supposito tam dubio parum firmi infertur: om. tamen antec. neg. conseq. Si antecedens est verum, ratio est; quia propositio non potest mutare obiectum representationis, cuius est essentialiter imago: sicut etiam non potest eadem volitio mutare obiectum, in quod tendit: at nulla tali mutatione obiecti opus est, ad transitum à libertate ad necessitatem, sed tantum mutatione aliqua circumstantiarum. Ad confirm. dist. antec. actus liber est virtualis volitio sui ut liberi: neg. antec. sui tantum specificativè sumpti. conc. antec. & neg. conseq.

141. Dices. Si actus liber fieret necessarius, mutaret obiectum: ergo nulla responsio. prob. antec. obiectum volitionis non est tantum res, ut est in se, sed ut est apprehensa: ergo etiam cognitio est obiectum: atqui longè alia est cognitio, si actus sit liber, quam si sit necessarius: ergo. prob. antec. obiectum sæpe in se est malum, vel impossibile: ergo voluntas non potest ferri in illud, ut est in se, sed ut repræsentatur à cognitione, tanquam bonum, & possibile. Hoc argumentum probaret, quod cognitio finis sit causa finalis partialis, contra communissimam; nam etiam finis tantum causat ut cognitus. Resp. neg. antec. ad prob. neg. conseq. ad prob. antecedentis conc. totum, quod non est ad rem; quia probari debuisset consequentia, & non antecedens. Aliud est, quod voluntas non amplectatur obiectum, nisi præcedat cognitio: aliud, quod cognitio, vel omne eius obiectum, sit etiam obiectum voluntatis: prius est verum, posterius falsum. Cognitio itaque est conditio, sine qua voluntas non potest ferri in aliquid: sicut applicatio est conditio, sine qua ignis non potest aliquid comburere: & sicut pro varietate applicationis, causa diversimodè agit, ita etiam voluntas pro diversitate cognitionis. verbo: voluntas illuminatur per representationem motivorum, allicientium, & retrahentium, atque constituitur libera, ut tendat, vel per actum, amplectentem motiva allicientia, seu per amorem, vel per actum amplectentem motiva retrahentia, seu per fugam, aut odium: non autem necessario, aut etiam ordinariè, tendit voluntas per actum respicientem utraque motiva, ita, ut quædam amplectatur, quædam positivè rejiciat.

142. Urgebis. Actus liber habet hunc modum tendendi: *Non curo hac motiva retrahentia, sed iis insuperhabitis amplector tamen obiectum ob hac aliam motiva allicientia*: ergo respicit essentialiter utraque motiva. prob. antec. actus liber est intrinsecè comparativus, electivus, victoriosus: sed talis non potest esse, nisi habeat illum modum tendendi, & attingat utraque motiva: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. neg. ma. Ita prædicata non habet actus ex sua essentia, sed per denominationem extrinsecam, ab actu primo, ac circumstantiis: & gratis adversarii supponunt contrarium. Scilicet actus in se est indifferens, ut dentur, vel non dentur motiva in contrarium, aut iudicium comparativum, aut potestas libera eligendi: si ista dantur, actus erit electivus, & victoriosus ut quo (nam voluntas est victoriosa ut quod) comparativus autem non est actus voluntatis, sed intellectus, ad quem spectat com-

parare: si autem ista non dantur, actus non erit electivus &c.

143. Instabis. Per actum liberum exercetur una potestas, e. g. ad amandum, & impeditur alia, e. g. ad fugiendum obiectum: hoc non potest fieri, nisi actualiter attingat utraque motiva: ergo. Resp. dist. 2. p. ma. impeditur ex intrinsecà exigentia actus liberi, specificativè sumpti. neg. mai. impeditur in circumstantiis actui accidentalibus. conc. ma. & dist. proportionaliter. min. neg. conseq. Actus ex se non exigit impedire aliam potestatem, nisi quando hæc datur: ipsam autem dari non exigit, adeoque ipsi per accidens est eam impedire. Hinc actus hic specificativè sumptus non est ex se determinatio voluntatis, potentis liberè agere, sed hoc est ei per accidens.

144. Ob. 6. Experimur, nos nunc liberè, nunc necessario agere: ergo experientia est pro libertate intrinsecà actus. Resp. neg. conseq. Experientia non est de actu secundo, qualis intrinsecè sit, quoad prædicata libertatis, vel necessitatis; nam experientia est valde clara de libertate, & si esset de libertate actus secundi, gravissimi auctores eam non negarent: igitur experientia est de actu primo libero; experimur enim, nos posse elicere, vel omittere hunc actum: an autem hic ipse actus sit intrinsecè liber, vel necessarius, neutiquam experimur.

Dices. Experimur majorem conatum, quando debemus vincere contrarium, quam quando hoc non adest: ergo experimur actum hunc ex intrinsecis suis vincere contrarium, adeoque essentialiter differre ab alio, qui non vincit illum contrarium. Resp. neg. conseq. Major conatus, vel intentio, non est differentia actus liberi à necessario; nam amor beatificus necessarius, quique nullum debet vincere contrarium, est longè intensior, quam quilibet amor liber, vincens gravissimas difficultates e. g. tormentorum in martyribus. Unde experientia de intentione, vel conatu, non est experientia de libertate: sed tantum de cognitione repræsentante difficultates, qua posita voluntas elicit quandoque actum intensiorem, quem videt, vel necessarium, vel aptum, ad difficultates vincendas. Sed neque ex eo, quod unus actus impediatur alium, eum intrinsecè respicit, & multò minùs respicit liberè; nam amor DEI beatificus essentialiter impedit quodcumque peccatum; quin intrinsecè, aut liberè respiciat omnia peccata, vel eorum objecta. Tandem etiam bruta intensius agunt, quando debent vincere contrarium, sine omni tamen libertate.

145. Ob. 7. Juxta nos motivum retrahens se habet tantum concomitantè ad actum liberum: sed hoc est falsum: ergo. prob. min. actus liber honestus debet ita tendere: *Volo hoc obiectum; quia ex nullo capite est inhonestum*: ergo debet tendere in omnes circumstantias: ergo etiam in motiva retrahentia, adeoque ista non habent se tantum concomitantè. Resp. neg. ma. Motivum retrahens debet esse pro priori ad cognitionem indifferenter, & hæc pro priori ad actum: ergo etiam motivum retrahens est pro priori, seu in actu primo, saltem remoto, ad hunc actum. ad prob. min. in primis quæro ex adversariis, an etiam actus honestus necessarius debeat

debeat ita tendere: si affirmant, hæc tendentia non inferet potius actum liberum, quam necessarium: si negant, quomodo probabunt, actum liberum honestum debere ita tendere? In forma neg. antec.

Potest actus honestus abstrahere ab inhonestate, & in solam honestatem ferri: sicut debet ita ferri, quando nulla proponitur inhonestas, sed tantum difficultas honestissima, e. g. in morte obeunda pro patria. Quare actus liber honestus non debet ferri in omnes circumstantias, sed in solam honestatem ut talem (in circumstantias debet tantum tendere actus intellectus ex n. 141.) talis autem actus voluntatis est bonus, & honestus ratione obiecti, & non potest esse purè indifferens, multò minùs malus, quamvis possit esse non meritorium in aliis circumstantiis ex defectu libertatis.

146. Ob. 8. Actus opinativus differt intrinsecè ab evidente: ergo etiam liber ita differt à necessario. Confirm. 1. Gaudium, & desiderium, intrinsecè differunt: ergo etiam actus liber, & necessarius. prob. conseq. aliàs posset etiam differentia gaudii, & desiderii, refundi in circumstantias extrinsecas, boni præsentis, vel absentis, aut cognitionis, obiectum diversimodè repræsentantis: sed hoc est absurdum: ergo. Confirm. 2. Sonus absonus differt intrinsecè ab artificioso: ergo etiam actus liber à necessario. Resp. Cur non etiam actus hesternus differt intrinsecè ab hodierno? in forma nego consequent. Opinio, & evidentia, differunt, vel ratione respectus ad obiectum motivum, vel ratione claritatis identificatæ cum actu, quæ utique sunt intrinsecà actibus: si enim unus opinatur de eo, quod alter scit, debent habere, vel diversa motiva, vel alter eadem longè clariùs penetrare. At actus liber, & necessarius, differunt tantum ratione circumstantiarum extrinsecarum.

Ad primam confirmationem neg. conseq. & retorqueo iterum argumentum in actu hesterno, & hodierno, ad prob. neg. ma. Gaudium est affectus, ex sua natura intrinsecà dulcis, fructivus, quietus; desiderium econtra ex sua natura est affectus inquietus, sollicitus, & primum tendens ad fruitionem: hæc autem tendentiæ sunt utique intrinsecæ actibus; aliàs nec odium, & amor, ex intrinsecà tendentiâ different, præsertim, si sint actus liberi, & eadem motiva respiciant; nam, si reponatur, quod non eodem modo respiciant motiva, dicam, cum modum non esse intrinsecum. At nulla similis tendentiâ ostendi potest in actu libero, quæ non sit, vel esse possit, æquè bene in actu necessario; nam tendentiâ victoriosa intrinsecum nil dicit, nisi conatum magnum, seu intensiorem, prævalentem alteri retrahenti, hinc & nunc præsentem; quæ tota intensio potest dari, & sæpe datur major in actu necessario, ex n. 142. imò, cum etiam bruta vincant multa obstacula, prædicatum *victoriosi* non essentialiter connectitur cum libero, nec opponitur necessario: sicut tamen tendentiâ, anxie quærens bonum, opponitur tendentiæ, eodem quietè jam fruenti: adeoque non est paritas. verbo: aliqua denominationes actuum possunt provenire à formis extrinsecis, ut patet in hesterno, & hodierno, non autem aliæ; quænam autem sint hujus, vel illius generis, debet

ex specialibus rationibus desumi. Ad 2. confirm. neg. antec. Rectitudo soni stat in recta coordinatione tonorum: quilibet autem sonus seorsim est indifferens, ut constituat cantum absonum, vel amœnum.

147. Ob. 9. Voluntas indifferens ad actum liberum, debet determinari per actum liberum: ergo non per actum indifferenter, ad libertatem, & necessitatem. Confirm. 1. Actus secundus debet esse distinctus ab actu primo: ergo iste non potest actum secundum denominare liberum. Confirm. 2. Potentiâ prius operans necessario, nunc autem operans liberè, de novo exercet libertatem: ergo producit alium actum, quam prius, adeoque intrinsecè liberum. Resp. dist. ant. Voluntas debet determinari per actum intrinsecè liberum, neg. antec. per extrinsecè liberum. om. antec. (quia posset suo modo determinari per puram omissionem) & neg. conseq.

Ad primam confirmationem dist. antec. Actus secundus debet esse distinctus, secundum rectum, & secundum prædicata intrinsecà, secundum quæ producitur, conc. antec. secundum obliquum, & prædicata extrinsecà, neg. antec. & conseq. Sic etiam filius regis denominatur à patre, ut habent dignitatem regis, qui pater, & quæ dignitas, sunt extrinsecà filio. Ad 2. confirmationem neg. conf. Potentiâ illa non producit necessario alium intrinsecè actum, sed producit in aliis circumstantiis: sicut potentiâ agens heri, & hodie, non producit hodiè alium effectum, sed in aliis circumstantiis, à quibus tamen denominatur actus hodiernus.

148. Ob. 10. Conclusio essentialiter respicit præmissas objectivas, seu obiectum præmissarum: ergo etiam actus liber respicit obiectum præviæ cognitionis indifferenter: ergo etiam motivum retrahens. Confirm. Volitio finis tendit essentialiter in media: ergo etiam actus liber in motiva retrahentia. Resp. antec. mihi, & plurimis aliis, visum esse falsum, & saltem esse valde dubium: sed tamen eo omisso, neg. conseq. Juxta illam sententiâ, obiectum præmissarum est necessario etiam obiectum conclusionis, rationè, ut ajunt, particulæ *ergo*, & ut actus sit intrinsecè rationalis: at actus voluntatis non debet esse intrinsecè rationalis, neque involvit particulam *ergo*: neque aliunde probari potest, quod omne obiectum cognitionis indifferenter, etiam debeat esse obiectum actus voluntatis.

Ad confirmationem dist. ant. volitio finis qui talis, tendit essentialiter in media. neg. ant. volitio finis quæ talis. conc. ant. & neg. conf. Possum rem aliquam velle, & quin cogitem de mediis: at, si eam intendo formaliter ut finem, hoc ipso intendo ut consequibilem, vel consequendum per aliqua media: adeoque etiam media sunt obiectum volitionis in obliquo. At, vel le aliquid liberè, non est, id velle ut conjunctum cum motivo retrahente (non enim quis vult motivum retrahens) sed tantum id velle, quando est conjunctum: quæ tamen conjunctio non est obiectum volitionis, sed tantum cognitionis præviæ ex n. 141.

ARTICULUS VII.

Qualis libertas, & quale meritum
competat actui interno imperato.

149. **N**on est hæc quæstio de actibus internis potentiarum, à voluntate distinctarum, e.g. intellectus, vel phantasias; de his enim conveniunt auctores, non habere eos aliam libertatem, quam extrinsecam, derivatam ab actu voluntatis. Sed quæritur de actibus, ab ipsa voluntate elicitis, postquam antecedenter ab actu alio ejusdem voluntatis fuerunt efficaciter imperati, pro determinato instanti, pro quo actus imperans perseverat; nam, si tantum inefficax esset imperium, vel simplex complacentia, actus subsequens esset utique immediatè liber; cum actus inefficax, & illa complacentia possint stare cum omissione actus. Rursus, si actus non sit imperatus pro determinato instanti, tunc potest voluntas sequentibus instantibus, quando non amplius existit actus imperans, ratione suæ libertatis, vel etiam mutabilitatis, à priore intentione, statim cessare, & actum imperatum omittere.

Non etiam agimus de eo casu, quo actus imperans esset dependens à scientia media de actu imperato, futuro dependenter ab actu primo indifferente, seu futuro, etiam absente efficaci imperio; si enim actus imperans ita dependet, videtur, quòd per omissionem actus imperati posset impediri scientia illa media, & consequenter ipse actus imperans: adeoque hic fit tantum necessitas evitabilis per omissionem actus imperati: de hoc, inquam, casu non agimus; nam hic casus videtur rarus; neque enim homines solent imperare sibi illos actus, quos sine eo imperio elicerent: & accedit, quòd circa libertatem talis actus imperati videatur esse similis difficultas, qualis est circa libertatem actus, qui esset prædeterminatus, prædeterminatione dependente à scientia media, de qua n. 678. de DEO: unde hæc quæstio involveret multas subtilitates, à quibus consultis hæc abstrahimus. Quare hæc quærimus tantum, an actus voluntatis internus, imperatus ab alio efficaciter imperante, & adhuc perseverante, nec dependente à scientia media &c. sit immediatè in se liber: itèmq; an habeat meritum supra meritum actus imperantis. His prænotatis

150. Dico 1. Actus internus voluntatis, imperatus pro determinato instanti, ab alio actu efficaci, & perseverante, non est immediatè in se liber. ita Ripalda tom. 1. lib. 3. disp. 68. sect. 2. (qui ibid. sect. 1. etiam examinat sensum aliorum auctorum, ac concludit, certum esse, quòd opposita sententia sit singularis) Oviedo, Gormaz, Arriaga, & hoc teste Recentiores communiter. Prob. Imperium illud efficax est impossibile cum carentia actus imperati: insuper est prius naturæ ad actum imperatum: ergo iste necessariò sequitur, & quidem necessitate antecedente, nec potest liberè omitti consequenter, quoad utramque partem. ant. verò videtur tantum indigere explicatione, quam appono.

Quod atinet ad primam ejus partem, hoc est discrimen inter simplicem, vel inefficacem complacentiam, & actum efficacem, quòd hic per se ipsum ita formaliter determinet voluntatem, ut hæc non possit, quantum est in se, actum omittere. Si autem omitteret ex eo, quòd DEUS nollet concurrere, hoc ipso necessariò omitteret, ut patet. Secunda etiam pars antecedens est innegabilis; quia hoc imperium determinat voluntatem pro priori ad hunc actum internum, sicut determinat ad actum externum. Quòd autem ipse actus imperans sit à voluntate libera evitabilis (quia potest voluntas eum omittere) tantum probat, voluntatem esse liberam immediatè ad actum imperantem, & mediatè tantum ad imperatum.

151. Dico 2. Actus internus voluntatis efficaciter imperatus, & tantum mediatè liber, si sit intrinsecè bonus, & honestus, assertum novum supra meritum actus imperantis, ita Ripalda loco cit. n. præc. sec. 4. Oviedo in 1. 2. tract. 9. contro. 2. puncto 5. Gormaz de merito disp. 2. sect. 4. n. 75. Suarez, & Valquez apud Oviedo. Prob. conclusio. Si peccator, constitutus in periculo vitæ, & destitutus copiâ confessorii, ex timore inferni imperet sibi efficaciter actum contritionis, eumque, mediatè tantum liberum, ut dictum, eliciat, justificatur: ergo hæc contritio, tantum mediatè libera, debet asserere novum meritum. antec. non videtur posse negari, tum; quia hic videtur esse communis sensus fidelium, spes, & solatium: tum; quia in eo articulo est maximè necessaria virtus justificandi in contritione. Accedit observatio Ripaldæ. Sicut homo magis æstimat, si quis eum reflexè diligit, seu diligendo, & volendo etiam ipsum amorem, quam si tantum diligit directè, ita DEO, saltem non minus placet contritio imperata, quam non imperata.

Prob. etiam consequ. Meritum actus imperantis, seu metus inferni, non justificat sine sacramento: ergo, si ea contritio non asserat aliud meritum, talis homo non justificatur. Ad id tamen Ripalda, hoc meritum contritionis partialiter constituitur ex actu imperante; quia non datur meritum sine aliqua libertate; cum ergo contritio in se ipsa libertatem non habeat, sed denominetur libera ab actu imperante, immediatè libero, hujus ipsius libertas constituit meritum contritionis: Oviedo tamen, qui putat, libertatem non esse constitutivum meriti, sed tantum conditionem, putat, meritum actus imperati adæquate distingui ab actu imperante. Mihi quidem videtur verosimilior opinio Ripaldæ, sed non est necesse, eam positivè defendere.

152. Respondet Arriaga, actum imperantem ordinariè non perseverare, adeoque contritionem immediatè liberè elici. Verum unde hoc probat, cum in eo articulo negus solet esse valde intensus? Saltem negari non potest, actum imperantem multoties perseverare. Sed, etiamsi omittatur, actum imperantem raro perseverare, saltem in his casibus raris, debet contritio justificare. Respondet idem 2. forte DEUM in eo casu moveri contritione non merito: sed hoc dicitur absque ullo fundamento. Et cur non dicitur (ut arguit Haunoldus) quòd

in casu DEUS contentus sit contritione etiam nullo modo libera? Sic etiam diceretur absque ullo fundamento, quòd DEUS promiserit actui inferiori justificationem peccatoris, si non haberet connexum actum charitatis non meritorium; cum videantur omnes auctores continuationi soli, tanquam merito de congruo, adhibere justificationem. Hinc, cum possit defendi, quòd talis contritio asserat novum meritum, longè congruentius id dicitur.

153. Confirm. concl. 1. Juxta adversarios actus supernaturalis aliquoties non mereretur præmium supernaturale: hoc videtur valde durum: ergo. prob. ma. Actus supernaturalis potest efficaciter imperari ab actu naturali: sed hic non meretur præmium supernaturale, & actus imperatus non haberet novum meritum: ergo. ma. prob. à Ripalda tom. 1. lib. 3. disp. 50. sect. 5. Eam etiam supponit Gormaz, ac admittit Arriaga: & certè potest quis etiam ex vana gloria, adeoque per actum peccaminosum, consequenter multo magis ex motivo purè naturaliter honesto, sibi imperare e. g. bonam orationem: & quamvis, in casu actus imperantis mali, oratio extrinsecè aliquo modo vitaretur, tamen adhuc posset esse meritoria. vide infra num. 158. & 159.

Confirm. 2. Meritum non tantum dicit libertatem, sed etiam dignitatem personæ, honestatem, bonitatem, vel etiam aliquam laudabilitatem actus; de qua re vide num. 93. imò Oviedo loco cit. num. 151. putat, libertatem non esse constitutivum meriti, sed tantum conditionem requiritam, ut actus vim suam exerat (quod tamen non dixerim) ergo, licet in complexo, ex actu imperante, & imperato, non detur major libertas, potest tamen dari majus meritum, si scilicet detur major bonitas, vel honestas, actui intrinsecè: atqui hæc datur in illo complexo: ergo, prob. prior consequ. ad hoc, ut crescat totum, non debent crescere omnes partes, sed sufficit, ut crescat una pars, sub ea ratione, sub qua est pars. Sic, etsi meritum Christi, esset æquale, quoad speciem, & intentionem actus, merito alterius hominis, tamen, quia est major dignitas Christi, est etiam majus meritum. Sic, licet actus charitatis non sit magis liber, quam actus spei; quia tamen in eo est major bonitas, est etiam majus ejus meritum: ergo.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

154. **O**B. 1. contra. 1. concl. Actus imperans non tollit indifferentiam potentia ad actum imperatum: ergo hic est immediatè liber. prob. ant. amor objecti non tollit indifferentiam potentia ad omissionem amoris, vel etiam ad odium ejusdem objecti: ergo neque actus imperans tollit indifferentiam ad actum imperatum. Confirm. Potentia in eo instanti, in quo elicit actum imperantem pro priori, & imperatum pro posteriori signo naturæ, habet totam indifferentiam ad eliciendum actum imperatum (potest enim eum liberrimè omittere) ergo immediatè liberè eum elicit. Resp. neg. ant.

ad prob. neg. consequ. & paritatem. Disparitas est, quòd actus imperans sit pro priori naturæ ad actum imperatum, adeoque reddat actum primum proximum connexum cum actu imperato, & impeditum ad ejus omissionem; à tali autem actu primo non potest actus secundus denominari liber. At verò amor objecti tollit quidem indifferentiam potentia in actu secundo, non autem in actu primo; quia non constituit actum primum, neque ad odium, neque ad omissionem ejus, (nam posset dari omisio odii sine amore objecti) ergo, totus actus primus manet liber, consequenter potest hic omissionem illam denominare liberam.

Ad confirm. dist. ant. Potentia habet totam indifferentiam, ex suppositione, quòd non eligat actum imperantem pro priori signo naturæ. conc. ant. si hunc eliciat. neg. ant. & consequ. Voluntas in eo instanti habet quidem libertatem omittendi utrumque actum, vel etiam omittendi actum imperantem, & ponendi immediatè liberè imperatum, specificativè talem; sed non habet potestatem, omittendi actum imperatum, ex suppositione, quòd pro priori signo eliciat imperantem; tunc enim jam ponitur determinatio ad actum imperatum, & quidem antecedens, seu prior naturæ, quæ non relinquat libertatem, nisi mediatam, seu in actu imperante. videatur Ripalda tom. 1. lib. 3. disp. 68. sect. 3.

155. Ob. 2. Quæcumque potest voluntas efficere, potest etiam efficaciter imperare: sed potest efficere actum immediatè liberum: ergo etiam potest illum imperare. Resp. neg. ma. quæ necessariò debet negari ab omnibus, qui negant decreta prædeterminantia, vel prædefinitiones efficaces, antecedentes scientiam mediam; nam posset eodem modo quis argumentari: Quæ DEUS potest pro libitu suo habere, & facere, potest efficaciter imperare: atqui potest pro libitu suo habere quemcumque actum liberum creaturæ, & facere, ut is eliciatur: ergo potest eum efficaciter imperare, vel ad eum prædeterminare: quam consequentiam debent negare omnes adversarii prædeterminationum: & hinc etiam debent negare majorem supradictam. Unde, licet voluntas possit elicere actum immediatè liberum, non tamen potest eum elicere omni modo, seu adhibendo media tollentia libertatem actus: sicut scilicet non potest DEUS habere actum liberum per decretum prædeterminans.

156. Ob. 3. contra 2. conclusionem. De omni merente debet verificari illud Ecclesiastici. 31. v. 10. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: sed hoc non verificatur de eo, qui, posito imperio efficaci, elicit actum e. g. charitatis: ergo. mi. prob. posito illo imperio non potest quis omittere illum actum bonum, vel ponere malum: ergo. Resp. neg. min. ad prob. neg. conf. Textus ille tantum vult, quòd absolute, & antecedenter ad omnem suppositionem, ab ipso merente dependente, debeat id posse, non autem, quòd facta quacunque suppositione, etiam imperii efficaci, ab ipso dependente, debeat id posse: atqui ponens actum imperantem, absolute potest omittere actum imperatum; quia potest omittere actum imperantem, & consequenter impera-

peratum: quoniam est sufficienter liber, scilicet mediata ad imperatum. Imò Gormaz ex hoc solo, quòd talis absolute antecedenter potuisset transgredi &c. putat positivè probari, dari meritum in actu imperato.

157. Ob. 4. Actus externus non adicit meritum supra actum internum imperantem; quia non est immediatè liber, quamvis sit mediata liber: ergo neque est meritorius actus internum efficaciter imperatus, & mediata tantum liber. prob. ant. si actus externus bonus esset immediatè liber, non esset ulla ratio negandi illi proprium meritum: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. om. ant. neg. conf. Actus externus non est meritorius ratione sui (ut dicemus inferius) non ex defectu libertatis immediatae, sed ex defectu bonitatis, & honestatis formalis, vel laudabilitatis formalis, intelligendo per istam nil aliud, quam honestatem juxta dicta n. 93. quae quidem datur in actu interno imperato, non autem in externo; nam, sicut veritas, & falsitas formalis, non invenitur, nisi in actu intellectus (est enim conformitas, vel difformitas propositionis cum objecto, & non conformitas objecti cum propositione) ita bonitas, & honestas, vel etiam laudabilitas, in sensu dicto formalis, vel econtra inhonestas, aut vituperabilitas formalis, non invenitur, nisi in actu voluntatis. Honestas formalis est intrinseca tendentia intentionalis, amplexiva boni honesti ut talis, & fugitiva mali: sicut econtra inhonestas formalis est intrinseca tendentia in malum quod tale (non enim requiritur tendentia in malum ut tale, vel quòd tale) talis autem tendentia non datur in actu externo; omnis enim actio externa potest vitari intentione mala, & hinc nulla habet honestatem formalem, sed tantum obiectivam. Quod additur in prob. ant. actum externum bonum fore meritorium, si esset immediatè liber, involvit hypothesein impossibilem; tunc enim non posset esse actus externus; quia necessariò esset actus à voluntate immediatè elicitus, & tunc, talis actus, si esset bonus, haberet etiam bonitatem, & honestatem formalem: consequenter rectè dicitur, actum externum non esse meritorium ex defectu bonitatis, & honestatis formalis, non autem ex defectu libertatis immediatae.

158. Dices 1. Actus internus ideo habet honestatem formalem; quia tendit in objectum honestum ut tale, & hoc refundit honestatem in illum: ergo etiam objectum debet habere formalem honestatem, quam dein refundat in actum internum. Resp. neg. conseq. Objectum non minus refundit in actum intellectus veritatem formalem, quin sit formaliter verum, ut modò dictum, sed tantum obiectivè: ergo etiam idem objectum, ut suo modo possit conferre actui honestatem formalem, debet tantum esse obiectivè honestum, seu tale, ut terminare possit amorem sui, rectè rationi conformem. Non autem potest objectum habere honestatem formalem; quia non potest habere tendentiam intentionalem supra dictam, ratione cujus tendentiae actus internus est formaliter honestus, & non positivè ratione objecti; non enim objectum, se solo, seu nudè in se sumptum, refundit honestatem in actum internum; quia potest esse objectum obiectivè honestissimum, si ta-

men non insit actui debita tendentia, non erit formaliter honestus: patet hoc in odio DEL.

159. Dices 2. Sufficit ad meritum honestas obiectiva, & non requiritur formalis: ergo. Resp. neg. antec. Meritum debet ex se esse obsequium, movens ad retributionem praemii: tale autem est tantum actus ex intrinsecis suis bonus, & honestus, non verò actus tantum obiectivè honestus, sicut est actus externus; hic enim ratione pravæ intentionis potest fieri injuria DEI, potestque movere ad punitionem. Non ita se habet actus internus intrinsecè bonus, qui, si etiam imperetur ab actu malo, juxta dicta n. 157, & sic extrinsecè vitietur, tamen manet bonus, & meritorius: si tamen actus internus imperetur ab actu graviter malo, non esset meritorius de condigno, sicut quilibet alius actus elicitus in statu peccati.

Sed, etiam si actus internus imperetur ab actu tantum venialiter malo, tamen non debet tendere in motivum actus imperantis mali, nec hoc intrinsecè respicere; alias non amplius haberet tendentiam bonam, nec esset honestus: sed debet illud motivum malum tantum extrinsecè praesupponere, sicut scilicet in casu n. 151. actus charitatis, imperatus ab actu timoris gehennae, non intrinsecè respicit timorem, vel fugam gehennae (alias non esset actus puræ charitatis) sed tantum extrinsecè praesupponit. Addo: si actus imperatus esset merè indifferens, tunc non haberet meritum supra meritum actus imperantis; quia non haberet bonitatem intrinsecam &c., sed se haberet sicut actus externus. Hinc in conclusione addidi illas particulas: *si sit intrinsecè bonus, & honestus.*

160. Ob. 5. Si Petrus, & Paulus æquale efficacia imperarent sibi actus internos e. g. charitatis: sed Petrus eliceret suum actum: non autem Paulus; eò quòd DEUS huic negaret suam concursum: in hoc casu juxta nos Paulus non tantum mereretur, quantum Petrus: sed hoc est contra communem persuasionem, & commune axioma, quòd scilicet voluntas à DEO reputetur pro facto: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. Idem debent adversarii dicere, si ponatur casus, quòd Paulus eliciat tantum actum naturalem ex defectu comprincipii supernaturalis. Illa persuasio, vel illud axioma, tantum intelligitur de actibus externis, ut infra dicemus: non autem de internis; nemo enim dicit, quòd apud DEUM tantum valeat voluntas eliciendi contritionem, quantum ipsa contritio: aut, quòd voluntas eliciendi actus intensissimos omnium Seraphinorum, imò Beatæ Virginis, tantum valeat, quantum ipsi illi actus. Hoc tamen verum est, quòd actus imperans, seu affectus, quantum est in se, efficax, eo melior sit, quo melius est objectum: five dein hoc sit actus internus, five actus externus.

161. Ob. 6. Si DEUS Petro, elicienti actum bonum liberum, daret in hujus praemium, in eodem instanti visionem beatificam pro signo posteriori, tunc Petrus etiam statim eliceret amorem beatificum: hic amor non esset meritorius, & tamen esset actus internus mediata liber: ergo. Resp. neg. 2. part. mi. Talis actus imperatus etiam non esset mediata liber; quia non pos-

set omitti (quidquid sit de actu imperante, an ille possit omitti; quia forte visio beatifica ad hunc non necessitat) nam, si imperaretur, five non imperaretur, amor DEI deberet necessariò elici, eò quòd ad eam visio beatifica necessitaret.

Unde, licet amor DEI in eo casu non esset necessarius, ratione unius causæ, seu ratione actus imperantis, esset necessarius, ratione alterius causæ, scilicet visionis: quæ etiam per se ipsam destruit actum primum liberum; quia est incompossibilis cum iudicio indifferente, representante aliquam rationem non amandi DEUM, & requisito ad libertatem; hoc enim stare non potest cum visione clara DEI. Nec dicas, visionem dari tantum pro signo posteriori; quia tamen datur pro toto instanti, & pro toto instanti excludit iudicium indifferens: consequenter pro toto instanti excludit libertatem, de quo vide dicta n. 134. & seq. de Beatitudine.

162. Dices. In hoc casu amor beatificus fuisset impedibilis; nam, si Petrus non fuisset prævius, actum bonum eliciturus, DEUS visionem non insudisset, adeoque amor beatificus omisisset: ergo est sufficienter liber. Resp. dist. ant. amor fuisset impedibilis in statu obiectivo, seu in hypothesei scientiæ mediæ. om. antec. in statu reali, neg. antec. & conseq. Instabis. Quod liberum est in statu obiectivo, seu in hypothesei scientiæ mediæ, etiam est liberum in statu reali: ergo. Resp. dist. antec. si hypothesis illa non varietur in statu reali, conc. antec. secus neg. antec. & conseq. At in nostro casu variatur; quia hypothesis scientiæ mediæ, tanquam constitutum, habuit iudicium indifferens, quod visio beatifica, in statu reali collata, excludit. Sic, si DEUS diceret: *Si Petrus esset liber, tunc faceret hunc actum peccaminosum; unde, ne peccet, volo eum privare usu rationis:* in hoc casu, etsi in statu obiectivo Petrus fuerit liber ad peccandum, imò etiam fuerit liber ad impediendam ablationem usus rationis (si enim nolisset peccare, non fuisset privatus usu rationis) tamen in statu reali ad neutrum est liber: sed, si actionem illam dein faciat, necessariò facit, & simul necessariò non peccat.

163. Responderi etiam potest. 2. ad object. n. 161. positam. dist. min. amor ille esset aliquo modo, sed tantum valde remotè mediata liber. om. min. esset liber ea libertate mediata proxima, quam hic requirimus, neg. min. & conseq. Talis actus Petri non esset alio modo liber, quam de facto liberi sint Beatis actus visionis, & amoris beatifici; quia hi dantur in praemium actuum bonorum, quos Beati liberè elicerunt in via: nemo tamen dicit, actus amoris beatifici esse meritorios, aut strictè liberos. Neque videtur iis tantum negari ratio novi meriti ex defectu status, five ex eo, quòd jam sint in termino; in quo etiam actiones immediatè liberae, non amplius sunt meritoriae: sed etiam ex eo, quòd ipsis deficiat libertas.

Quamvis autem actus voluntarii in causa dicantur volenti causam imputabiles, tamen supponit objectio, eos non habere meritum distinctum à merito, vel demerito volitionis causæ: & quidem de actibus externis hoc infra dicemus: quod autem spectat ad actus inter-

nos voluntatis, de quibus in objectione agitur, isti necessariò sunt in se formaliter, & immediatè voluntarii ex num. 7. quamvis non semper sint immediatè liberi. Sed etiam de istis actibus voluntatis, si non sint immediatè in se liberi, vel immediatè saltem imperati, debet objectio supponere, quòd non habeant meritum distinctum à merito causæ, vel actus imperantis; alias nihil probaret; quia prima pars minoris esset falsa, ut facile patet consideranti.

Quare ad novum meritum non sufficit quæcunque libertas mediata: sed debet esse derivata ab imperio immediato voluntatis, saltem virtualiter adhuc influente, & ita, ut determinatio ad actum unum, sit moraliter etiam determinatio ad actum alterum, ut ait Gormaz num. 93. de merito; tunc enim, ut rectè advertit Ripalda tom. 1. lib. 3. disp. 68. sec. 4. num. 21. exercitium actus imperantis, & imperati, non distinguuntur moraliter, sed tantum physicè; nam eadem moraliter determinatione, ac conatu, fertur voluntas in utrumque actum, ita, ut moraliter censerit possit uterque habere eandem libertatem, quamvis physicè habeant diversam. At verò in casu objectionis, determinatio Petri ad actum liberum, non est etiam determinatio ad actum amoris beatifici, sed ad hunc debet dari nova determinatio, proveniens à lumine gloriæ, visione beatificæ &c.

ARTICULUS IX.

An actus externus augeat meritum actus interni.

164. Dico. Actus externus, superadditus interno, non avertit per se novum meritum, nec avertit meritum actus interni. ita S. Thomas. 1. 2. q. 2. a. 4. in corp. ut ostendit Arriaga, disp. 16. sec. 4. Sequuntur Thomistæ, & nostri communiter cum Suarez in 1. 2. tract. 3. de bonit. Similit. human. actuum. disp. 10. sec. 2. n. 2. contra Scoristas, quibus accedit Ripalda, & aliqui alii ex nostris, ac aliis. Prob. Est commune axioma ex SS. Patribus, quòd apud DEUM voluntas reputetur pro facto: hoc est, quòd, si quis efficaciter, quantum est in se, velit aliquid facere, non autem possit, DEUS bonam talem voluntatem acceptet, sicut si opus in se ipso factum fuisset: ergo totum meritum stat in actu interno voluntatis, & actus externus nil meriti addit. prob. ant. S. Chrysostomus. homilia 19. in Mattheum sub initium sic ait de DEO: *Non omnino indifcretè factum ipsum, sed voluntatem, aut coronat, aut punit. . . . Non fini operis, sed voluntati operantis, mercedem, damnūve decernit.* S. Augustinus. epist. 49. ad Deogratias ad quest. 4. *Ibi quisque bonus est, cum bene vult: ibi etiam malus, cum male vult: ac per hoc ibi etiam fit, vel beatus, vel miser, hoc est, in ipso suæ voluntatis affectu, quæ omnium factorum meritumque mensura est.* S. Leo serm. 4. de jejunio decimi mensis: *Æquatur plerumque merito, quod distat impendio; quia potest esse par animus, etiam ubi im-*

par est census. S. Gregor. homil. 5. in Evangelia ait de DEO: Cor namque, & non substantiam pensat.

Huc etiam spectant dicta SS. Patrum, quibus asserunt, actum externum non augere demeritum peccati; nam eadem est ratio de utroque. Sic autem S. August. l. 1. de liber. arbitr. cap. 3. ait: Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjugate aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur. S. Bernard. epist. 77. (quæ est tractatus ad Hugonem de S. Vidore de quæstionibus ab ipso propositis, & habetur tomo 4. Operum S. Bernardi) c. 2. ait: Legimus: omnis qui odit fratrem suum, homicida est: item: qui viderit mulierem ad concupiscendam eam: jam mœchatus est in corde suo. Quid planius, quam, quod voluntas profecto reputetur, ubi factum excludit necessitas, nisi forte putetur in malo, quam in bono efficacior inventri voluntas apud DEUM, qui charitas est, & promptior esse ad ulciscendum, quam ad remunerandum, misericors, & miserator Dominus.

Confirm. 1. Gen. 22. v. 16. DEUS laudat Abrahamum, ob solam voluntatem sacrificandi filium, non minus, ac si reipsum eum sacrificasset; dicit enim: Quia fecisti hanc rem, & non peperisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi. Confirm. 2. a ratione. Actus externus non habet formalem intrinsecam honestatem, laudabilitatem &c. nec est ex intrinsecis suis obsequium DEO præstitum: ergo non habet, unde desumat rationem meriti sibi proprii. antec. & conf. probata sunt a n. 157. & adhuc magis inferius probantur in solutione objectionum. videri meretur etiam Vasquez. in 1. 2. disp. 76.

165. Hinc actus externi tantum per accidens augent meritum; quia serviunt, ut actus internus, vel phyticè, vel moraliter idem, diutius duret; experientia enim constat, hominem, etiam exterius bene operantem, diutius perseverare in intentione interna virtuosa: item aliquando etiam ipsam intentionem intendi. Per se autem actus externi tantum sunt objectivè meritorii, sicut scilicet tantum objectivè sunt honesti. Ex quo tamen non sequitur, quod, si duo æqualem habeant potestatem exequendi opus externum, e. g. dandi elemosynam, & utrique velit, sed unus solus re ipsa id faciat, non, inquam, sequitur, quod hi æqualiter mereantur; nam, qui actu facit elemosynam, utique habet voluntatem longè magis efficacem, adeoque magis meritoriam: nisi tamen alter habeat prudentem rationem id non faciendi, e. g. prohibitionem superioris.

166. Ob. 1. S. Hieronymus in 2. ad Cor. c. 8. v. 11. ait: Omnis enim boni operis finis est expectandus; quia, sicut factum invidi acceptum non est, ita voluntas instructuosa est, habentibus eam sine opere: ergo voluntas sine opere externo non tantum meretur, quantum cum illo. Confir. 1. S. August. l. 13. de Trinitate c. 5. ait: Mala enim voluntate vel sola quisque miser efficitur, sed inferior potestate, qua desiderium male voluntatis impletur: ergo major est culpa in ipso opere, quam in sola voluntate. Confir. 2. S. Bernard. epist. 77. ad Hugonem, ait, fidem cum perfecta

conversione ad DEUM prodesse ad salutem, sicut martirium, non tamen ad eundem meriti cumulum: ergo opus externum martirii auget meritum.

Resp. inprimis, ex Bellarmino de Scripturis Ecclesiasticis, illa Commentaria in omnes Pauli epistolas; ex quibus hic textus desumptus est, non esse Hieronymi, sed Pelagii Hæretici, cuius autoritas nos minimè debet movere. Sed etiam omisso, quod sint ea commentaria S. Hieronymi, potest distingui consequens. Non tantum meretur voluntas, inefficax, vel tantum velleitas, conc. conseq. voluntas, quantum est in se, verè efficax. neg. conf. Talem velleitatem tantum ibi intelligi, potest ex eo desumi, quod ad verum præcedentem dicitur: ostendit Apostolus quosdam posse facere non volentes. Dein etiam adversarii non possunt dicere, esse instructuosam voluntatem efficacem absque opere, quod ex detecto potestatis omittitur.

Ad 1. confirm. Mens S. Augustini facta clara est, ex n. 164. Quod attinet ad hunc textum, neg. conseq. nam, qui culpa sit major per se, potest esse major per accidens, sicut ordinariè est, quando quis opus addit; & hinc talis ordinariè est magis miser; potest etiam esse miserior ob potestatem; quia, si habet potestatem, habet ordinariè efficacior, & frequentior voluntatem; cum carentia potestatis valde avertat ab objecto appetendo. Rursus potest talis etiam contrahere habitus, & obligationes plures ex actu externo, quæ sunt magnæ miseræ, & magis impediunt à beatitudine, de qua ibi sermo est S. Augustino.

Ad 2. confirm. neg. conseq. S. Bernard. nec verbum ibi habet, quod ille habens fidem habeat etiam desiderium efficacem martirii: sed tantum, quod habeat intentionem suscipiendi baptismi, quæ utique non est tam meritoria, quam voluntas sustinendi martirium. Quod autem dicat, illam fidem esse idoneam martirio, non significat, id actu jam desiderari, sed tantum, fidem esse fortem, & constantem.

167. Ob. 2. Inter errores Petri Abailardi damnatus est decimustertius asserens: Quod sola voluntas à DEO eternaliter remuneratur, sive ad bonum, sive ad malum, nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo; nisi forte, dum operatur in aliquo, ejus voluntas augetur: hæc videtur esse nostra sententia: ergo. Resp. neg. antec. Nec S. Bernardus, nec alii plures, qui de Abailardi erroribus scripserunt, hanc ejus assertionem damnatam exhibent, ut testatur Gregorius Ariminensis in 2. disp. 42. & 44. quas simul conjungit: & ex eo Vasquez in 1. 2. disp. 76. c. 3. n. 11.

Sed Abailardi propositio rejecta, seu damnata, fuit ista: Quod propter opera, nec pejor, nec melior, efficitur homo. Et quidem Abailardum intellexisse opera conjuncta cum actu interno, rectè deducit Vasquez ex ejusdem Abailardi decimonono errore, qui referentur Gregorio loc. supra cit. erat iste: Neque opus, neque voluntas, nec concupiscentia, nec desideratio, que movet eam, peccatum est, nec debemus illam extinguere. Videri etiam poterit S. Bernard. epist. 188. ubi plures in genere Abailardi errores recenset: & epist. 192. ubi ait, eum, cum de Trinitate

tate loquitur, sapere Arium, cum de persona Christi; Nestorium. Idem S. Doctor legi inseritur tom. 4. tract. de erroribus Abailardi. Insuper, cui lubet, videre etiam poterit Otthonem Frisingensem l. 1. de gestis Imperatoris Friderici I. c. 47. & 49. ubi tamen quinque tantum errores de SS. Trinitate, vel Christo Domino, de multis, ut ait, adducit.

168. Ob. 3. Actus externus, si gravis sit, debet exponi in confessione: ergo debet augere peccatum. Confirm. Sæpe imponuntur censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ, actibus externis, quæ non imponuntur actibus tantum internis: ergo. Resp. neg. conseq. Actus externus est verè peccatum; quia à prohibitione; in ipsum immediate tendente, denominatur objectivè malus, & peccaminosus: ab actu interno autem denominatur formaliter malus, non in hoc sensu, quod habeat malitiam intrinsecam, vel augeat demeritum, sed, quod actus internus, tanquam forma extrinseca; immediatè eum denominet malum.

Jam Christus Dominus, ut habetur ex Conciliis, & usu, ac consuetudine totius Ecclesiæ, præcepit, exponi in confessione omnia peccata gravia interna, ac externa: & ejus voluntas debet esse nobis pro omni ratione; nam aliam à Christo de ipsius præcepto petere, esset utique valde indignum. Ad confirm. neg. conseq. Quandoque etiam imponuntur censuræ, vel reservationes, si peccata sint publica, non verò, si occulta, quin tamen manifestatio per se, seposito scandalo, augeat malitiam. Ratio autem est; quia Ecclesiæ gubernatio potissimum respicit externa, & ex his potius colligitur interna: sicut etiam in politicis maximè puniuntur peccata externa.

169. Ob. 4. Actus externi prohibentur ratione sui: & quidem diverso præcepto ab eo, quo prohibentur actus interni, ut patet ex præcepto sexto, septimo, nono, & decimo Decalogi: ergo augent formalem malitiam. Resp. neg. conseq. Ex hoc, ut rectè Arriaga, tantum infertur, quod habeant aliquam objectivam malitiam, seu sint objecta difformia rationi naturali, quæ, si amplectatur voluntas, committat malitiam formalem. Dein, ut observat Suarez in 1. 2. tr. 3. de bonis. & malis. act. hum. disp. 10. sec. 1. n. 19. non prohibetur actus exterior se solo sumptus, sed ut humanus, & liberè factus (aliàs non est peccatum) sive prohibetur, ut conjunctus cum actu interiore.

Rectè autem actus externi prohibentur; tum; quia potestas humana de internis sæpe judicare non potest, adeoque ex externis interna colligere sæpe debet; tum; quia actus externi plurimum turbant quietem, & felicitatem communem, & impeditis malis externis bonus ordo gubernationis externæ, qui reipublicæ, tum profanæ, tum sacre, utilissimus, imò necessarius est, conservatur. Potestas etiam Divina prudentissimè prohibet actus externos; quia & ipsi sunt objecta, rationi naturali difformia, & maximè nociva reipublicæ humanæ, atque suo modo gloriæ Divinæ. Quod autem dentur diversa præcepta de externis, & internis actibus, ratio est; quia rudes, prohibitis externis, poterant putare, adhuc

licita esse desideria interna; unde illa debuerunt specialiter prohiberi.

Dices. Prohibitis actibus internis sufficiens etiam prohibiti fuissent externi; nam, si homines abstinuisset internis, non peccassent per externos: ergo isti non debuissent distinctè præceptis prohiberi; Resp. hoc etiam esse solvendum adversariis; nam in opposita quoque sententia, adstruente malitiam, vel demeritum proprium, in actibus externis, si homines abstinuisset ab internis, etiam evitassent illud augmentum demeriti, proveniens ab externis; nam etiam juxta ipsos, qui ponit actum tantum externum, sine actu interno, se sine intentione mala, tantum committit malitiam materiale, & non imputabilem ad culpam, aut pœnam. Videtur autem DEUS, se voluisse aliquo modo conformare modo agendi humano, & accommodare sensibus nostris; in quos, quia vehementer incidunt objecta externa, voluit ea etiam prohibere, & sic removere radices mali, à quibus, tanquam objectis, aliquo modo refundatur malitia in actus internos. In forma, neg. conseq.

170. Ob. 5. Laureola martirii non datur, nisi posito ipso actu externo: ergo iste meretur illam. Confirm. Actus externus augeat satisfactionem: ergo etiam augeat meritum. Resp. cum Gormaz neg. conf. Laureola non respondet actuali perpersioni mortis, tanquam merito, sed tanquam conditioni, sine qua non; nam parvuli innocentes, pro Christo interfecti; eam adepti sunt sine merito. Imò ipsa perpersionis, sive ipsa mors, non potest dari in statu viæ, nec esse actus patientis: ergo nec juxta adversarios potest afferre meritum. Idem respondendum, quando objicitur, DEUM expectasse actualem externam passionem Christi Domini, ut intuitu ipsius conferret hominibus gratiam.

Ad confirm. neg. antec. Non augeat actus externus satisfactionem propriè dictam (hæc enim, ut habet communis cum Gormaz de incarnatione n. 390. est obsequium, offensus voluntariè exhibitum, quale non est actus externus ex dictis n. 159.) sed augeat tantum satisfactionem, quæ est tantum perpersionis, etiam invita, pœnæ ob culpam. Quia tamen satisfactioni sæpe substituitur satisfactio, imò hæc duæ sæpe confunduntur, hinc in sensu latiori potest dici, quod actus externus augeat satisfactionem.

171. Ob. 6. Ad actus externos opus est novo speciali auxilio gratiæ, ultra id, quod requiritur ad actum internum, ut testatur Tridentinum, & S. Augustinus: ergo debet augere meritum. Confirm. Juxta nos non esset ratio; cur præcipiantur, vel suadeantur actus externi: hoc est falsum; ergo. Resp. neg. conseq. Specialis, & novæ gratiæ auxilium, potest esse necessarium ad actum externum; quia, supposito jam voluntate efficaci, tamen adhuc sunt novæ difficultates in executione, debetque voluntas corroborari, ut efficaciter volita constanter exequatur. Inde ex Conciliis, & Patribus, necessaria est gratia, non tantum excitans, sed etiam comitans, & subsequens.

Ad confirm. neg. ma. Ratio, & quidem gravis est; quia actus externi vel maxime serviunt, ad gubernationem, & disciplinam externam, scandalum, vel ædificationem aliorum, sive quo-

ad cultum DEI, sive quoad societatem humanam, & reipublicæ utilitatem. Dein non potest actus internus, efficaciter volens externum, suaderi; aut præcipi, quin simul præcipiatur externus; cum internus debeat velle externus: sicut etiam, si præcipiatur actus externus, ut humano modo, & non ab invito, fiat, præcipitur quoque aliquis actus internus, cum imperans.

172. Ob. 7. Actio externa, quamvis non sit formaliter in se bona, est tamen bona respectivè ad DEUM, ut hic est principium, & caput reipublicæ rationalis: ergo est meritoria. prob. ant. bonum est exhibere DEO actus externos; quia per hos excitantur homines ad laudem DEI, imò etiam ad actus internos virtutum elicendos: ergo. Respondet Oviedo, hac ratione etiam actus externos, ex motivo profusus indifferenti elicitos, sine actu bono interno, fore meritorios; quia etiam alii homines per istos excitantur ad laudem DEI; cum intentionem agentis intueri non possint. In forma om. antec. neg. conseq. ad prob. om. totum. quia tantum probat prius ant. quod non negavimus: sed negativimus conseq. & hoc idè; quia ad meritum non sufficit bonitas merè objectiva, sed debet esse formalis. Excitatio etiam aliorum ad bonum est per accidens; nam potest quis excitari per actum indifferentem, qui non meretur: & potest non excitari, imò etiam scandalizari, per actum in se valde bonum.

173. Ob. 8. Ex nostra doctrina sequeretur, quòd homo, volens dare elemosynam infinitam, acquireret meritum infinitum, sicut, qui eam actu daret: hoc est falsum: ergo. Respondet Vasquez, non posse circa hoc obiectum haberi volitionem efficacem, eoquòd non possit, apparere homini possibilis talis elemosyna. Resp. cum Suarez, & Gormaz de merito. n. 100. neg. ma. & etiam ejus suppositum, quòd scilicet is, qui daret actu infinitam elemosynam, haberet meritum infinitum, nisi eam daret per unum actum intrinsicè infinitum, vel per infinitos actus; non enim actus sit infinitus, eoquòd habeat obiectum infinitum; aliàs actus charitatis, eoquòd habeat obiectum simpliciter infinitum, & hoc etiam affectivè velit ponere, esset infinitus, vel infinite meritorius: & vicissim actus, quo quis desperatus cuperet destruere DEUM, si posset, esset infinita malitia. Quare ut rectè ait Gormaz, licet obiectum sit infinitum, potest tamen illud voluntas amplecti finitè: quòd etiam in nostro casu contingeret. vide etiam, si placet, Arriagam. disp. 16. de act. huj. n. 39. quamvis ejus solutio mihi non satis placeat.

QUESTIO III.

De Honestate, ac Inhonestate moralis.

ARTICULUS I.

Quæ sit Regula Moralitatis.

174. **M**oralis dicitur, quoad mores pertinet: mores autem aliquando tantum significant

certum modum agendi: & sic dicitur, tales, vel tales, esse mores brutorum: at verò strictè loquendo mores significant similem modum agendi ex voluntaria determinatione agentis, seu consuetudinem, ut habet Suarez in 1. 2. tract. 3. de bonitate, & malit. actuum hum. disp. 1. sec. 1. n. 2. Unde actus moralis dicitur ille, ex cujus frequentiamos, seu mores nascuntur.

Est autem actus moralis (ut idem Eximius loc. cit. n. 6. habet) qui procedit ex perfecta deliberatione rationis, seu est actus perfectè humanus, qui oritur à voluntate ut libera, cum pravâ cognitione honesti, vel inhonesti, seu cum attentione ad primam regulam rationis, prohibentem, vel permittentem, præipientem, vel saltem suadentem. Actus autem huic regulæ conformis dicitur honestus: e contra difformis dicitur inhonestus: unde moralitas actus stat, parim in libertate actus, partim in advertentia ad dictam regulam. Quare, cum solæ creaturæ rationales capaces sint libertatis, ac advertentia dictæ, atque adeò honesti, vel inhonesti, solæ etiam sunt capaces actuum strictè moralium.

175. Quæritur jam, quænam sit regula objectiva, universalis, & primaria, ex qua defluatur honestas, vel inhonestas actuum, seu etiam, si possibilibus sit, indifferentia actuum. Quæ de re sententia variant, præcipuè tamen duæ asseruntur. Prima est asserentium, ipsam naturam rationalem, quæ talem, esse hanc regulam, cui actus honestus debeat esse conformis, & inhonestus difformis, ita videtur sentire Suarez. in 1. 2. tr. de bonit. & malit. actuum hum. disp. 1. sec. 2. Vasquez in 1. 2. disp. 58. c. 2. n. 9. & alibi, cum pluribus recentioribus. Altera est, assignantium pro regula legem æternam DEI, ita S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. in corp. dicens: Regula autem voluntatis humane est duplex: una propinqua, & homogenea scilicet ipsa humana ratio: alia verò est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio DE. Sequuntur teste Ralsiero in norma rethi Theologi communiffimè: fatendum tamen est, quòd aliqui quoad modum loquendi quoadque discrepent, ut Pallavicinus, Haunoldus &c.

176. Dico cum hac secunda sententia, Regula prima, & universalis, saltem remota, moralitatis, seu honesti, & inhonesti, est lex æterna DEI. Intelligimus autem non tantum legem præipientem, vel prohibentem, seu strictè dictam, sed etiam permittentem, & suadentem, seu latius dictam: sive ordinationem, directionem, aut voluntatem aliquam Divinam; nec enim omnia honesta sunt præcepta, sed quædam tantum iussa, quædam verò negativè honesta, tantum permiffa. Dixi regula prima; an enim dictamen conscientia debeat dici applicata regula, vel proxima, aut tantum applicatio regula primæ, quæstio posset esse de nomine, in qua tamen standum videtur auctoritate S. Thomæ num. præced. citati.

Probatur conclusio I. Omnis actus est, & censetur inhonestus; quia est contra legem æternam DEI: ergo omnis est inhonestus; quia est illi conformis: ergo hæc lex est prima, & universalis regula honesti, & inhonesti, seu moralitatis. antec. probatur. Scriptura, & PP. dicunt, omne inhonestum, seu peccatum, esse contra legem

gem DEI: ergo. prob. ant. psal. 118. v. 119. dicitur: Prævaricantes reputavi omnes peccatores terre: in quem locum S. Augustin. in sua enarrat. in hunc psalm. conc. 25. citans illud ad Rom. 4. v. 15. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio: ait, nullum esse sine prævaricatione peccatum, adeoque omne peccatum esse transgressionem legis, non quidem Mosaicæ; cum gentes sine hac lege peccaverint: sed naturalis, hoc est, Divinæ necessariæ, quæ fufius ibi S. Pater deducit.

Idem S. Aug. lib. 22. contra Faustum c. 27. scribit: Ergo peccatum est, factum, vel dictum, vel concupitum aliquid, contra æternam legem. Lex verò æterna est ratio Divina, vel voluntas DEI: & lib. 2. de peccat. merit. & remiff. c. 16. Neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubetur, ut non sit. S. Ambros. l. de paradiso c. 8. dicit, quòd peccatum nil aliud sit, quàm prævaricatio legis Divinæ, & celestium inobedientia præceptorum S. Anselmus lib. 1. cur DEUS homo c. 11. ait, peccatum esse, non reddere DEO debitum, vel non plenè subijci voluntati Divinæ.

177. Prob. concl. 2. Regula moralitatis debet esse universaliter obligans: ergo debet esse lex æterna DEI. antec. prob. si non obligaret, posset semper ab ea recedi sine culpa, aut inhonestate morali, quòd admitti non potest: & si non obligaret universaliter, posset saltem à plurimis, vel in pluribus casibus, ita ab ea recedi: dein omnes homines, quoadquocunque advertunt ad honestatem, vel inhonestatem actionis, semper advertunt, se obligari ad honestè, vel saltem non inhonestè, agendum, ut experientia quemvis convincit: ergo. prob. prior etiam conseq. non est assignabilis ulla alia regula, universaliter obligans: ergo. Confirm. Omnis alia regula, natura etiam rationalis, est regulabilis per aliam regulam: ergo non est prima regula; quia ante hanc non potest dari prior: ergo sola lex æterna, non regulabilis per aliam, est prima.

178. Prob. 3. concl. ad hominem contra illos, qui naturam rationalem statuunt primam regulam. Non potest explicari, quid intelligi debeat per naturam rationalem: ergo. ant. prob. Vel intelligitur præcisè natura ut potens operari, vel producere aliquid quomodocunque: & etiam blasphemia erit honesta; quia conformis est naturæ rationali, ut præcisè potenti eam producere; nam reverà eam producere potest: Vel intelligitur natura tantum ut potens operari honestè: & fit circulus vitiosus, nec quidquam explicatur, ut patet consideranti.

Rursus per actum inhonestum, vel intelligitur tantum actus difformis quomodocunque naturæ rationali: & sic erit moraliter inhonestum, si quis, etiam coactus, incedat nudus in publico, vel indutus veste majori, quàm ipsi conveniat. Vel intelligitur actus difformis tantum bono physico naturæ particularis: & non posset quis honestè mori pro patria. Vel intelligitur difformis bono physico reipublicæ: & sic sæpe honestum esset mentiri pro bono communi. Vel intelligitur difformis bono morali: & iterum fit circulus vitiosus. Vel intelligitur actus, qui nos avertit ab ultimo fine: at hic non est natura rationalis creata, sed est natura Divina, quæ, si non sit regula prima moralitatis sub ra-

tionem finis ultimi, est tamen sub ratione legislatoris, id quòd nostra sententia docet.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

179. **O**B. 1. Regula, quæ jam supponit aliqua esse honesta, alia inhonesti, non est prima regula moralitatis: sed talis est lex æterna DEI: ergo. prob. mi. DEUS præcipit aliqua; quia sunt honesta, qualia sunt e. g. cultus DEI, pietas erga parentes: alia prohibet; quia sunt inhonesti, qualia e. g. sunt blasphemia, odium DEI: ergo lex DEI jam supponit aliqua honesta, & alia inhonesti: antec. probatur. commune est axioma Theologorum, aliqua esse prohibita; quia mala: alia mala; quia prohibita. Resp. 1. Etiam natura rationalis debet præsupponere aliqua mala; nam, nisi per legem esset prohibita e. g. comestio carnis die Veneris, natura rationalis eam non redderet malam.

Resp. 2. dist. ma. Regula illa non est prima, quæ jam supponit aliqua honesta, vel inhonesti, in genere moris formaliter. conc. ma. quæ tantum supponit talia radicaliter. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Cultus DEI non est in genere moris formaliter honestus, antecedenter ad legem DEI, nec odium DEI formaliter inhonestum; quia hæc formalis honestas, vel inhonestas, est formaliter conformitas, vel difformitas cum lege, ut probatum est. Habet tamen cultus DEI ex sua natura honestatem radicalem, vel fundamentalem, odium verò similem inhonestatem: hoc est: ille exigit præcipi, istud verò prohiberi.

180. Hanc radicalem honestatem, vel inhonestatem, ait Haunoldus lib. 2. tract. 1. num. 30. defumi debere ex eo, quòd antecedenter ad omnes circumstantias particulares, cogitando nos ipsos, quasi adhuc in statu possibilitatis existentes, judicaretur, ex lumine naturæ, ab auctore naturæ debere præcipi, vel prohiberi, tanquam cujus præceptum, vel prohibitio, universaliter naturæ rationali conduceret: certè tunc, in consilium à DEO adducti, fuaderemus cultum DEI, & dissuaderemus contumelias ipsius, ac parentum. Quòd autem etiam in ea hypothesi homines quoad aliqua inter se tamen discrepant, ex eo oriretur, quòd non omnes statim agnoscerent honestatem moralem, sed daretur ignorantia invincibilis, etiam juris naturæ, quoad objecta magis remota à primis principiis &c.

Ad prob. dist. iterum antec. DEUS præcipit, vel prohibet aliqua; quia sunt honesta, vel inhonesti radicaliter. conc. antec. quia jam sunt honesta, vel inhonesti formaliter. neg. antec. & conseq. Illud axioma Theologicum S. Thomæ 1. 2. q. 71. a. 6. ad 4. ait, intelligendum esse tantum de prohibitis jure positivo (hoc enim jure aliqua prohibentur, quæ jam antecedenter sunt mala, ratione prohibitionis factæ à jure naturali) non autem esse intelligendum, de jure, seu lege æterna DEI naturali; respectu enim hujus, ait S. Doctor, omnia esse mala; quia prohibita. Si tamen velis, potes etiam ad expli-

candum hoc axioma adhibere distinctionem inter malum radicaliter, & formaliter.

181. Dices. Ergo, si non esset DEUS, consequenter neque lex DEI, nihil esset formaliter honestum, vel inhonestum, nec magis formaliter inhonesta occisio hominis, quam pecudis. Resp. conc. illatum: foret tamen unum magis inhonestum radicaliter, quam alterum, & ab hac malitia radicali, non autem à formali, potest DEUS moveri, ad ea objecta prohibenda. Ubi nota, quosdam asserere, DEUM non moveri à malitia illa, ad prohibitionem eorum, sed à perfectione sua infinita e. g. à sua excellentia, ad prohibendum omnem sui contemptum, à sapientia, & providentia, ad prohibendum mendacium, quod, quia turbat politicam gubernationem, non debet esse licitum sub sapientissimo regimine &c. existimant enim, à motivo finito, qualis est malitia illa, non posse DEO necessitate imponi, qualis tamen in ipso datur; cum ista objecta necessitate prohibeat. Alii tamen putant, posse DEUM necessitate moveri à motivo finito, si hoc post se trahat motivum infinitum, sicut scilicet malitia objecti ejuslibet, intrinsecè mali, utpote opposita alicui perfectioni Divinæ, trahit post se etiam motivum illius ipsius perfectionis. Uterque modus loquendi facile componitur cum nostra sententia.

Ceterum posset adhuc fieri quæstio de nomine, an non malitia illa, vel inhonestas, aut etiam honestas, quam radicalem vocamus, possit dici formalis; cum omnis denominatio debeat provenire ab aliqua forma: ad quam respondeo, posse dici, non inhonestatem formalem, sed formalem radicem inhonestatis &c. sicut causa, quæ est radicaliter effectus, non est formalis effectus, sed formalis radix ipsius. At tamen, si quis vellet dicere, eam inhonestatem esse, in genere physico aliquo modo formalem, non valde me opponerem, modo non dicatur esse formalis inhonestas in genere morali, seu Theologico.

182. Ob. 2. Juxta nos nemo foret atheus; hoc videtur falsum: ergo. prob. ma. nemo ageret inhonestè, nisi ageret contra legem DEI: ergo deberet eam agnoscere, consequenter etiam DEUM: adeoque nemo esset atheus. Resp. neg. ma. ad prob. conc. antec. & primam consequ. dist. autem secundam, deberet agnoscere DEUM, sub ratione adhuc satis confusa, seu tantum sub ratione supremi legislatoris, hic & nunc, obligantis. conc. sub prædicato explicito, & magis proprio DEI, seu sub ratione entis à se, vel creatoris universi, omniatque gubernantis, neg. 2. atque 3. consequ. Si quis autem etiam negaret DEUM, ut supremum legislatorem, negaret tantum oretenus, vel certè sibi implicitè contradiceret; quia simul agnosceret aliqua inhonestas, adeoque prohibita, consequenter per aliquam legem, & supremum legislatorem. Nec est inusitata implicita hæc contradictio; quia sæpe contingit, etiam in aliis intentionibus hominum, ut observant Theologi in tract. de sacramentis. Addo, esse tamen adhuc discrimen inter blasphemum, & atheum; ille enim admittit DEUM sub prædicato maxime proprio, & alia tantum negat e. g. justitiam: atheus autem illum ex professo negat.

183. Ob. 3. Multa peccata non sunt contra legem æternam DEI: ergo hæc regula non est universalis. antec. prob. comestio carnis die Veneris, ommissio horarum canonicarum &c. sunt tantum contra legem Ecclesiasticam: ergo. Confirm. 1. Omnes actus nostri sunt æqualiter conformes, vel diffformes legi æternæ: ergo juxta nos æqualiter essent honesti, vel inhonesti: quod dici non potest. Confirm. 2. Voluntas Divina præsupponit sapientiam Divinam, vel dictamen rationis Divinæ: ergo ipsa non est prima regula. Resp. neg. antec. ad prob. iterum neg. antec.

Omnia, quæ sunt immediatè contra legem positivam DEI, Ecclesiæ, aut alterius superioris, legitime obligantis, sunt etiam contra legem DEI æternam, quatenus lex ista naturalis necessitate vult, ut leges omnes legitime lata observentur. Ad 1. confirm. om. antec. neg. consequ. aliquos enim actus lex magis, seu gravius prohibet, alios minus, seu levius, e. g. nimis prohibet leve mendacium, magis homicidium. Pariter etiam quibusdam actibus bonis proponit majus præmium, quam aliis. Ad 2. confir. om. totum. An lex DEI stet in actu voluntatis, an verò in actu intellectus, præcindimus, sicut & S. Aug. præcindit loc. cit. n. 176. & tantum dicimus, legem DEI, latius dictam (quæ explicata est n. eod.) in quocunque stet, esse primam regulam.

184. Ob. 4. Juxta nos omnes actus honesti essent actus obedientiæ: hoc est falsum: ergo. Confir. Non omnia, quæ DEUS vult, etiam nos possumus honestè velle: ergo ejus voluntas non potest esse universalis regula. Resp. neg. ma. Actus obedientiæ non est, qui tantum quomodocunque supponit præceptum, aut illud respicit, tanquam regulam, ad judicandum de honestate, vel inhonestate objecti: sed ille tantum est actus formalis obedientiæ, qui pro objecto formalis habet ipsam honestatem implendi præceptum, seu habet ipsum præceptum pro motivo operandi, quod non habet actus e. g. charitatis, abstinentiæ &c. Ad confirm. conc. antec. dist. consequ. non potest esse regula universalis voluntas illa, qua ipse DEUS vult objectum, conc. consequ. qua vult, nos velle objectum. neg. consequ. Quando DEUS vult mori nostros parentes, non vult etiam, nos eam mortem velle: at quando vult omissionem peccati, vel actum virtutis, à nobis eliciendum, vult etiam, eum nos velle: & si huic voluntati nos conformemur, honestè agimus. Supponitur autem hic, quòd lex DEI sit actus voluntatis; aliàs argumentum non haberet vim.

185. Ob. 5. Actus DEI, antequam concipiuntur conformes legi DEI, jam concipiuntur honesti: ergo etiam nostri. Confirm. Si DEUS mentiretur, non ageret contra voluntatem suam; quia vellet mentiri: & tamen ageret inhonestè: ergo. Resp. 1. om. antec. neg. consequ. Voluntas DEI est indefectibilis, nec indiget alià regulà distinctà: at nostra voluntas est indifferens ad honestum, & inhonestum. Resp. 2. dist. antec. actus DEI concipiuntur honesti, antequam concipiuntur conformes legi strictè tali, tanquam à superiore lata, quem DEUS non habet. conc. antec. antequam concipiuntur conformes legi late

late tali, seu dictamini rationis æternæ. neg. antec. & consequ. hæc enim conformitas imbibitur in ipsa honestate. Ad confirm. neg. antec. Ex una Chimæra sequitur alia; DEUS enim tunc vellet contraria: vellet mentiri, ut ponitur: nollet etiam mentiri; quia necessitate non vult, seu odit omne destructivum auctoritatis suæ supremæ, & infallibilitatis, adeoque destructivum sui ipsius, quale esset mendacium.

186. Dices 1. Saltem sequeretur ex nostra doctrina, omnes actus DEI esse æqualiter honestos, sive creet mundum, sive non creet: sive perfectiora, sive imperfectiora producat; sed hoc non videtur dicendum: ergo prob. min. sic DEUS æqualiter esset laudandus, & æquales ei gratiæ referendæ, sive magnum, sive parvum beneficium conferat: sive mittat Filium suum in mundum, sive non: hoc videtur paradoxum: ergo. Resp. non posse hic esse quæstionem de actionibus DEI ad extra; nam creaturæ, etiam à solo DEO productæ, non habent honestatem formalem ex n. 157. nisi sint actus boni à creatura, gratiæ Divinæ cooperante, producti (hi autem possunt, ut in perfectione, ita etiam in honestate excedere, ratione objecti melioris, intensioris, tendentiæ &c.) sed debere esse quæstionem, de actibus DEI internis: unde in forma, conc. ma. neg. min. cum S. Thoma 1. p. q. 25. a. 6. ad 1. ubi docet, DEUM posse facere melius substantivè, hoc est, meliorem rem: non verò adverbialiter, hoc est, meliorem modo, sive ex majore sapientia, & bonitate.

Ad prob. S. Thomas 2. 2. q. 91. a. 1. ad 1. videtur dicere, DEUM ob suam essentiam (eadem autem videtur ratio de omnibus prædicatis intrinsecis, realiter identificatis) non esse laudandum, eò quòd superet omnem laudem: & juxta hanc doctrinam negandum esset suppositum. Si tamen aliud non intelligatur per laudare, quam DEI magnitudinem, & perfectionem, quamvis minus dignè, prædicare. Resp. conc. 1. & neg. 2. p. antec. Esset DEUS æquè laudandus; quia DEUS est in se æquè magnus, ac perfectus, sive aliquid faciat, sive nihil, sive miseretur nostri, sive non. Non tamen æqualiter sunt ei grates habendæ; quia gratitudo non respicit tantum perfectionem, sed beneficia DEI, ejusque per ista ostensa nobis benevolentiam, quæ utique major nobis ostensa est, dum Christus missus est, quam, si non fuisset missus.

187. Dices 2. Ergo DEUS non habet libertatem, nisi ad duo æqualia bona; sive enim agat, sive non agat, sive contrarium agat, semper æqualiter bene agit: hæc autem electio non est laude digna: ergo. prob. min. Petrus, determinatus ad dandum mihi aureum, non est laudabilis propterea, quòd mihi det aureum A. præ aureo B. omnino æquali: ergo. Resp. hanc objectionem intellectam, ut hic debet intelligi, de actibus internis DEI, debere ab omnibus solvi, quamcumque hac in quæstione sententiam teneant. Unde pro omnibus neg. min. ad prob. conc. antec. neg. consequ. & paritatem. Ideo Petrus non est laudabilis; quia determinatio illius, ad liberaliter donandum aureum, non est ab ejus naturâ, sed aliunde: at verò determinatio DEI, ad formaliter optimum, est ab ipsissima ejus natura, omni laude dignissima. Addo, a-

ctum Divinum internum non debere esse materiam suasionis in sensu Aristotelis, in quo talis materia debet semper esse melior, quam opposita; DEUS enim melioris actus interni capax non est.

ARTICULUS III.

An sit possibilis Actus Moralís indifferens.

188. **N**ON quæritur hic, an sint possibilis actus indifferentes, hoc est, nec boni, nec mali, ob defectum libertatis, vel advertentiæ ad regulam honestatis; nam imprimis hi actus non sunt morales ex num. 174. dein, tales plurimos dari, non est dubium; quis enim semper, dum cutem ficit, aut sputum ejicit, caput movet &c. cogitat, an honestum sit? Neque quæstio est, an dentur actus indifferentes ad meritum supernaturalè, & peccatum; nam opera naturalia infidelium honesta e. g. actus fidelitatis in pactis, misericordiæ, continentiæ, non sunt meritorii in ordine superno: imò nec opera naturalia fidelium, ut nemo dubitat.

At neque sunt peccata; ut patet ex damnatis Baji propositionibus, ex quibus 25. sic habet: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia: & 35. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Similiter Alexander VIII. damnavit hanc 7. *Omnis humana actio deliberata, est DEI dilectio, vel mundi: si DEI, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Igitur hic quæritur, an sit possibilis actus moralis, in specie, vel individuo, qui non sit malus, nec tamen respiciat motivum honestatis, etiam tantum naturalis.

189. Dico 1. Possibilis est actus indifferens in specie. ita S. Thom. 1. 2. q. 92. a. 2. in corp. ajens. *Quidam actus sunt boni ex genere, qui sunt actus virtutis. . . quidam verò sunt actus mali ex genere, sicut actus vitiosi. . . quidam verò ex genere suo sunt actus indifferentes: & respectu horum lex habet permittere.* Licet autem addat, posse etiam indifferentes dici actus parum bonos, vel parum malos, tamen per ipsam particulam etiam significat, dari alios pure indifferentes. Per indifferentes autem ex genere intelligit indifferentes in specie; quia non intelligit genus summum, sed subalternum, quod coincidit sæpissime cum specie moraliter sumpta. Consentunt communissimè Theologi. Prob. concl. Esse actum indifferens in specie, nihil aliud significat, quam actum respicere objectum, ex se, & seclusis circumstantiis indifferens: sed tales actus sunt possibilis, imò dantur multi: ergo. prob. m. tales actus sunt, ambulare, stare, levare seculam, abigere muscas, scribere, legere &c. Studiosè autem hic attuli in exemplum meros actus externos; nam loquendo de actibus internis voluntatis, isti non possunt, esse indifferentes in specie, nisi etiam possint, esse indifferentes in individuo; cum enim hi debeant semper respicere

intrinsicè aliquod objectum formale, & non possint ferri tantum in objectum materiale, nisi hoc simul sit objectum formale, debent, vel respicere motiuv alicujus honestatis, & esse boni, vel illud non respicere, & sic juxta auctores, non admittentes actum indifferentem in individuo, esse mali, ut magis patebit ex dicendis.

190. Dico 2. Possibilis est, saltem per accidens, actus indifferentis in individuo. Ita omnes, qui admittunt talem actum per se, & præter hos alii plures. Prob. Qui bona fide amplectitur, ut veram, sententiam, quæ afferit, possibilem esse per se actum indifferentem in individuo, & juxta illam operatur, utique elicit actum indifferentem; quia à malo ipsam excusat bona fides: bonitate autem eum privat negatio motivi honesti: ergo saltem per accidens, seu ratione illius sententiæ, bona fide creditæ ut veræ, est talis actus possibilis.

191. Dico 3. Probabilis est etiam per se possibilis est actus indifferentis in individuo. Ita Scotus cum tota Schola subtili. S. Bonaventura in 2. disp. 41. a. 1. q. 3. Alensis, Almayn. Angelst. Gabriel. Nicol. de Obellis, Herrera. Palacios, Gaspar Hurriados, Joan. Sanchez, Ovideo loc. cit. num. 189. Vaquez in 1. 2. disp. 52. c. 2. Arriaga de act. hum. disp. 21. sect. 4. subs. 2. Averfa, Caspensis, Morandus apud Matrium in 2. disp. 5. q. 6. n. 299. Viva cuss. Theol. p. 2. disp. 7. q. 13. n. 2. & hoc recte communior recentiorum, ut adeo adversarii, quamvis magnam autoritatem pro se etiam habeant, tamen eâ solâ nos minime opprimant. Omitto Anglicum adversariis favere 1. 2. q. 18. a. 9. quia disputari posset, quid S. Doctor intelligat, per ordinationem ad debitum finem: an non tantum ordinationem ad finem aliquem, convenientem rationi permittenti &c. adeo, ut velit, etiam actum, quem nos vocamus indifferentem, aliquo modo dicendum bonum: sed nolim contra communem opinio. Ignoscat S. D. facile, si hac vice amicissimum ei S. Bonaventuram sequamur.

192. Prob. 1. concl. Obligatio intendendi, in omni profus actu deliberato, semper positiva aliquam honestatem, est valde gravis: & insuper est contra satis communem persuasionem fidelium: certè à plurimis ignoratur: neque etiam ex ullo capite potest probari: ergo non debet admitti, conseq. non solet negari. antec. quod tria habet membra, probatur per singula: & in primis tertium membrum probabitur solutione objectionum: quoad primum probatur sic. Licet hæc obligatio non sit gravis in eo sensu, quasi obligaret sub gravi peccato, tamen est gravis; quia sæpissime recurrit, & nisi observaretur, committerentur plurima peccata venialia, quæ non sunt parvum malum, & merito magis æstimantur, præsertim à magis piis. Sanè homini, purgatorium timenti, non foret adeo facile, nullam recreationem intendere propter se ipsam: nullam ambulationem, aut musicam instituire propter delectationem: nihil legere, aut videre propter delectationem sciendi: nunquam caput, aut cutem, deliberatè fricare purè propter abigendum prurium &c.

Prob. jam quoad secundum membrum. Ho-

mines, etiam pii, communiter ista faciunt, absque ulla intentione, per quam ea ad alium aliorum honestum finem ordinat: nec tamen in his peccare se credunt: nemo etiam facile eos peccati condemnat, quamvis utique perfectius agerent, altiori ex fine ea faciendo. Rursus ista obligatio, quæ tamen esset juris naturalis, & omnes homines attingeret, à paucissimis scitur. Sanè Arriaga de se ipso fateatur, se, donec hanc questionem agitari audiverit, de hac obligatione nihil cogitasse. Equidem negari non potest, plures obligationes ignorari ab indoctis: sed ista etiam ignoratur, certè non agnoscitur, à doctis, & piis: dein etiam obligatio, solis indoctis non cognita, non admittitur, nisi sufficienter probetur: atqui hæc non ita probatur, ut patebit ex solutione objectionum.

193. Probatur conclusio 2. auctoritate SS. PP. S. Hieron. ep. 89. c. 5. agens de ceremoniis, aut sacramentis antiquæ legis, sic ait: *Neque enim differentia sunt inter bonum & malum, sicut Philosophi disputant: Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, egerere alvi stercorea, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rhevmata jacere: hoc nec bonum, nec malum est; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Ubi observandum dicere: sive feceris, sive non feceris: ad hoc quæ agere de actu in individuo; nam in specie actum nunquam feceris.

Nec dicas, S. Doctorem tantum velle dicere, ista opera non esse bona supernaturaliter; nam loquitur de bonitate, juxta acceptionem Philosophorum, qui non egerunt de supernaturali. Quod autem dicat: *Nec justitiam habebis, nec injustitiam* (per quam justitiam videtur à Patribus intelligi communiter supernaturalis) tantum probat, eum etiam dicere, quod talia opera non habeant meritum supernum, quod utique principaliter ibi intendebat: sed non probat, eum non intellexisse bonum, secundum acceptionem bonitatis in sensu Philosophorum; aliàs, quid eos citaret? videatur Vasquez in 1. 2. disp. 52. c. 3. ubi ait, S. Hieronymum manifestè sententiam S. Bonaventuræ, id est, nostram probare.

Rursus S. Gregor. Nazianz. oratione 3. quæ est contra Julianum s. ad hæc quomodo. 94. sic ait: *Quemadmodum enim, quisquis supplicio baud dignus est, non idem statim laudem, & prædicationem meretur, eodem modo nec, quisquis laude, & prædicatione dignus non est, idem confessum penam quoque commeretur: atqui laude, & prædicatione etiam dignus est, qui naturaliter tantum honesta facit: ergo. Hinc apud Vasquez. loco modo citato interpres Nazianzeni Elias ait in hunc locum: *Nota, medium quandam statum à magno hoc viro excipi, & admitti.**

Huc spectat etiam illud S. Gregorii Papæ homil. 27. in Evangel. *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis: quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt.* Si dicas, naturaliter esse honestum diligere consanguineos Resp. id non esse dubium: sed unde probas, quod S. Gregorii verba debeant restringi ad eos tantum, qui diligunt consanguineos ex motivo honestatis illius, seu quia honestum est? de quo sanè plures non videntur cogitare. Accedit, quod S. Pontifex dicat,

nos amare per affectum carnis, & infra addat, eos amorem suum carnaliter impendere, quæ sanè non videntur, significare positivum amorem honestatis. Huc spectat etiam S. Bonaventura cit. n. 191. qui sententiam nostram scholasticè, & susè probat.

194. Accedit S. Augustinus, cujus tamen autoritate potissimum videtur niti contraria sententia. Hic epist. 19. c. 2. quæ est responsio ad epistolam S. Hieronymi, citatam n. præced. sic habet: *Sed cavendum est videlicet in hac disputatione, ne, sicut Philosophi, quedam facta hominum media dicamus, inter rectè factum, & peccatum, quæ neque in rectè factis, neque in peccatis, numerentur: & urgeamur eo, quod, observare legis ceremonias, non potest esse indifferens, sed, aut bonum, aut malum: quæ verba, dum adversarii pro te citant, non videntur attendisse, quod ea non sint S. Augustini affirmantis, sed sibi objicientis; nam hæc ferè verba S. Hieronymus, ut patet ex n. 193. ei objecerat.*

S. Augustinus autem approbat illud dictum Philosophorum; nam ait: *Ego verò Apostolus non tam exemplum Philosophorum timeo, quando illi in sua disputatione veri aliquid dicunt: & post pauca: Philosophi non propterea vani sunt; quia omnia falsa dicunt: sed quia, & falsis plerisque confidunt, & ubi vera inveniuntur dicere, à Christi gratia, qui est ipsa veritas, alieni sunt.* Tandem ibi S. Doctor dicit, observationem legalium ceremoniarum, aliquo tempore post Christi mortem, fuisse indifferentem, nec bonam, nec malam.

Verum quidem est, quod eas ceremonias non fuisse amplius bonas, S. Augustinus probet ex eo, quod homines non justificarent: per quod quidem ab eis tantum excludit bonitatem supernaturalem, quod primum est S. Patris intentum: sed tamen per istud etiam ipsi non tribuit bonitatem, vel honestatem positivam naturalem, sed potius etiam hanc excludit, propterea; quia (sicut n. 193. observatum est circa textum S. Hieronymi) etiam S. Augustinus loquitur de indifferentia, in sensu Philosophorum. Ex quibus videtur, hoc saltem evinci, nostram sententiam, non esse ita destitutam auctoritate Patrum, & oppositam ita eadem suffultam, ut propterea illa absque alia ratione deserat, ista verò adstrui debeat. Quod adhuc magis patebit, quando ad Patres, ab adversariis adductos, respondemus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

195. **O**B. 1. S. Augustinus l. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 18. sic habet: *Nam, si nobis libera quedam voluntas ex DEO est, quæ ad hoc potest esse, vel bona, vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quam, quod ab illo est: quod si absurdissime dicitur, oportet, fateantur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipsi: quanquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit; aut enim justitiam diligimus, & bona est, & si ma-*

gis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est: aut, si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem, nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Hic est integer textus S. Doctoris, ex quo adversarii maxime nos impugnant illis verbis, quibus dicitur, voluntatem non posse esse in medio, sed vel esse bonam, vel malam.

Resp. cum Arriaga, & Ovideo loco supra citato, S. Augustinum non loqui de actu voluntatis, sed de potentia. Non quidem nego, S. Doctorem sæpe alibi, per bonam, vel malam voluntatem, intelligere actum voluntatis bonum, vel malum. At hic intelligit ipsam potentiam, quæ per actum bonum, aut malum, etiam ipsa denominatur bona, vel mala; nam loquitur S. Doctor de illa voluntate, quæ est libera, ita, ut possit esse bona, vel mala: item, quæ potest esse magis, vel minus bona, quod non convenit actui, sed potentie liberæ: insuper ait, voluntatem, si omnino non diligit justitiam, esse pessimam: non autem est pessimus quisque actus, qui tantum non diligit justitiam: sed talis est sola potentia, si scilicet nunquam diligit justitiam. Hæc potentia potest esse mala ex nobis, si eliciamus actum malum: bona verò est ex DEO, si auxilio gratiæ præventi eliciamus actum bonum: de qua re maxime ibi S. Augustinus agit.

Quare ulterius rectè docet Arriaga, S. Doctorem ibi loqui, quasi de statu habituali potentie voluntatis, seu animæ, aut hominis, quasi diceret: voluntas, id est, potentia, quæ diligit bonum, bona est: si sæpius & majus bonum diligit, melior est: si nunquam omnino bonum diligit, pessima est; nam est impossibile, ut non occurrat sæpissime honestum, quod necessariò amet, aut, si hoc non amet, necessariò amet gravissima mala, illis objectis honestis contraria, vel certè ea culpabiliter permittat. Quare, in forma, concessio textu, neg. conseq. seu ejus suppositum; sive nego, S. Augustinum ibi agere de actu voluntatis.

196. Afferri hic etiam solet textus S. Augustini ex l. 2. de sermone Domini in monte c. 22. quasi ibi diceret S. Doctor, non esse satis ad rectitudinem actionis, si fiat ad necessitatem vitæ sublevandam. Sed in primis etiam adversarii non negant, actum quemlibet saltem naturaliter honestum esse, si necessitas vitæ eum exigit; quia honestum est, necessitatibus vitæ providere. Dein, quidquid de hoc sit, S. Aug. eo loco tantum dicit, hanc non esse intentionem charitatis proximi, ut quis alteri benefaciat, idè, ut vicissim sibi benefaciat, neque sic quemque velle sibi aliquid commodi temporalis fieri. verbo: tantum dicit, talem actum non esse meritorem. Solet etiam opponi aliud S. Augustini dictum ex l. 4. contra Julianum c. 3. sed toto illo longissimo capite, S. Doctor tantum intendit probare, virtutes ethnicorum non fuisse veras virtutes, etiam si e.g. castitatem, temperantiam, aut fidelitatem naturalem servaverint: quarum virtutum actiones, cum sint naturaliter honestæ, (quamvis non sint factæ, propter quod ultimato fieri debuissent, scilicet propter amorem veræ justitiæ, aut virtutis, de qua ibi S. Augustino est fermo)

mo) etiam juxta adversarios non possunt esse peccata; aliis illi infideles in omni opere necessarii peccassent: quæ est propositio 8. inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas: unde hi textus non faciunt ad rem.

197. Verum est, quosdam, Baio additicos, voluisse ex iis textibus inferre, infideles, etiam in omnibus illis actionibus honestis, peccare; eoque dicitur S. Doctor dicat: *Quidquid autem boni sit ab homine, non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia precipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto sine peccatum est*: sed, si attentè legatur totus contextus, apparebit, S. Doctorem quidem velle dicere, ethnicorum virtutes frequentissimè apparentes esse, & malo sine e. g. superbiâ, avaritiâ, vel alio vitio corruptas: at hoc non universaliter, multò minus firmiter asserit, sed tantum firmiter docet, non esse veras virtutes, hoc est, ad gloriam cælestem ducentes.

Docet enim S. Antistes eodem cap. non adeò longè ab initio, eas ipsas ethnicorum virtutes, si scilicet non sint vitiatæ, Divino muneri esse adscribendas, dum Julianus alloquens ait: *Quantò, inquam, fatius hæc ipsa in eis dona DEI esse fatereris?* Rursus sub finem capituli offendit iterum, se, dum opera infidelium bona esse negat, tantum ab iis excludere bonitatem, coadjucentem ad finem supernaturalem; sic enim ait: *Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine DEI gratia, que datur per unum mediatorem DEI, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum DEI donum, regnumque perducere.* Ac tandem transmittit, ea opera in alio sensu posse bona dici, dum addit: *Omnia proinde cetera, que videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes vere, videantur opera bona &c.* Ex quo patet, textus, ex eo capite alios, ad quæstionem nostram non facere. S. Augustino consentire censendi sunt ejus discipuli SS. Prosper, atque Fulgentius, quorum textus, quia ab adversariis non afferuntur, etiam expressius exponi non debent.

198. Ob. 2. S. Bernard. *serm. 36. in Cantica* ait: *Sunt namque, qui scire volunt eo sine tantum, ut sciant: & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi: & turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut edificent: & charitas est. Et item, qui scire volunt, ut edificentur: & prudentia est.* Ergo non licet appetere delectabilitatem scientiæ propter seipsum: ergo non datur illius actus indifferens in individuo; quia, si aliquis daretur, certè talis esset appetitus scientiæ.

Resp. quærendo, an ergo adversarii velint, obligari homines ad faciendam omniam ex motivo charitatis, vel alio supernaturali? Hoc sanè esset difficillimum; nec potest hæc obligatio ulla ratione probari: certè S. Thomas nullibi eam vindicat, & 2. 2. q. 141. a. 6. tantum requirit, ut intendatur sublevatio decens necessitatis naturæ, ut exponit Suarez, rationalis qua talis: & S. August. l. de decem chordis c. 11. tantum petit, ut quis matrimonio non utatur, nisi saltem liberorum procreandorum causa, seu ob prolis gene-

rationem, qui finis est purè naturalis, idem docent alii SS. Patres, Gregorius, Anselmus, & Theologi communiter, quos vide apud Cardenam in *crisi Theol. dissert. 7. c. 2. a. 2. n. 18. & seq.* Si autem hæc actio honestatur intentione finis purè naturaliter honesti, etiam alia honestabuntur. Jam verò, si adversarii non volunt homines obligari ad semper agendum ex motivo supernaturali, dicant, an non naturaliter honestus sit moderatus appetitus honorum, vel etiam pecuniarum? an non etiam naturaliter honestum sit, appetere moderatè scientiam, hoc est, perfectionem naturalem intellectus? hoc certè vix videtur negabile, si talis appetitus, ex se proprius creaturæ rationali, non aliunde vitietur: ergo debent ipsimet respondere ad hunc textum mellisili Doctoris.

199. Resp. ergo pro nobis, & ipsis, S. Patrem non loqui de quocunque appetitu moderato scientiæ, sed de immoderato, cui paulò antè applicat illud Apostoli ad Rom. 12. v. 3. *Non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem:* & post objectum textum dicit, ubi cum nimium, ita multam scientiam, ingestam stomacho animæ, & non digestam, nocere. Potest etiam dici, prout alius quidam respondet, terminum illum turpis non idem significare, ac peccatum, sed idem, ac imperfectum: quasi diceretur, imperfectum esse, si quis scientiam non ordinat ad finem altiorem: quæ responsio etiam probabilis fit ex eo, quòd S. Bernardus alloquitur suos religiosos, quos non volebat, motivis hiis naturalibus inhaerere, sed ad perfectionem magnam assurgere.

200. Ob. 3. Innocentius XI. damnavit has duas propositiones: scilicet 8. *Comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obstit valetudini; quia licet potest appetitus naturalis suis actibus frui.* & 9. *Opus conjugii, ob solam voluptatem exercitum, omnino penitus caret culpa, ac defectu veniali:* atqui, si esset possibilis actus indifferens in individuo, non essent ista peccata, adeoque licita: ergo, prob. min. non potest ulla ostendi ratio, cur non sint licita, nisi, quia non potest intendi delectatio propter se, sed debet intendi aliqua honestas: atqui hæc non deberet intendi, supposita possibilitate actus indifferens: ergo. Confirm. Si possibilis est actus indifferens in individuo, tunc appetitus naturalis potest licitè frui suis actibus: hoc non potest admitti ex propositione octava damnata: ergo.

201. Resp. neg. min. ad prob. neg. præsertim quoad secundam partem. Ad confirm. dist. ma. potest omnis appetitus naturalis suis actibus frui. neg. ma. aliquis. om. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Circa has duas propositiones meretur legi Viva in p. 2. *tristina Theologica*, ubi tandem concludit, ex damnatione istarum thesum nullatenus concuti nostram sententiam. Aliud enim est, comedere moderatè ad sufficientiam, aliud, ad satietatem; est enim nimium, si eousque quis comedat, & bibat, nec nullum amplius sentiat appetitum, etiam non obstit valetudini, cui sæpe non obest comedere usque ad nauseam: & tamen aliqui Doctores docuerunt, etiam istud esse licitum, & quidem ex eo principio, quòd appetitus naturalis licitè

suis actibus fruatur: quod principium, si in sensu particulari tantum intelligatur de aliquo appetitu, nihil probat pro comestione, ut patet: si autem fumatur universaliter, est omnino falsum; nam aliàs etiam ebrietas, & libido erit licita.

Et sunt auctores, qui inuunt, hanc propositionem esse damnatam propter hanc ipsam causam, ita, ut propositio hæc, tanquam causalis, & non propter primam partem, damnata sit. Et sanè hæc propositio: *Christus est in Eucharistia; quia est ubique:* est hæretica, non propter primam partem, quæ est de fide: sed propter adjunctam causam, adeoque tanquam causalis: sic etiam posset fortè dici, quamvis liceat comedere, & bibere, ad satietatem, tamen propositionem dictam, rectè esse damnatam, tanquam causalem, seu propter causam universaliter additam; cum universaliter falsissimum sit, posse quemlibet appetitum naturalem suis actibus, non tantum uti, sed frui; nam hæc ratio universaliter sumpta, ut modò dictum, licitam redderet ebrietatem, fornicationem &c.

202. Sed, si etiam concedatur, juxta communem Theologorum, ut ait Viva p. 2. *tristina Theol. in prop. 8. & 9. Innoc. XI. n. 6.* non esse licitum, moderatè etiam bibere, vel comedere, ob solam voluptatem, & non posse hunc appetitum suis actibus frui, hoc est, eos habere pro fine, sed tantum uti, hoc est, habere pro medio, & ordinare ulterius ad sustentationem corporis &c, non sequitur impossibilitas actus indifferens in individuo; nam, quamvis voluptas comedendi (& consequenter multò magis voluptas actus conjugalis) non sit intendibilis propter se sine peccato, potest tamen esse intendibilis alia moderata voluptas: item, quamvis dicatur homo, utpote rationalis, teneri ulterius ordinare voluptatem, quæ est ipsi communis cum belluis, tamen non sequitur, quòd teneatur sub peccato, ulterius ordinare etiam alias voluptates, sibi proprias, e. g. audire musicam, olfacere florem, aspicerè, vel lustrare bibliothecam, aut tubo optico uti ad videnda longinqua, ludo non malo moderatè ludere &c.

203. Ratio ulterior esse potest; quia hujusmodi voluptates ad hoc ipsum à natura institutæ sunt, ut animus humanus relaxetur: at non ita voluptas ciborum, aut venereorum; quia prima ideo addita est cibo, & potui, ut homo facilius iis uteretur, ad sustentandum proprium individuum: altera verò à natura addita est, ut homo subiret onera matrimonii, quæ sunt valde gravia, & sic propagaretur, vel conservaretur species humana. Accedit, quòd in his duabus delectationibus valde difficile sit, modum tenere, juxta illud D. Augustini l. 4. *contra Julian. c. 14. paulò post medium.* *Nescit cupiditas, ubi finitur necessitas:* & idcirco videatur, debuisse natura prohibere, ne propter se ipsas intendantur.

Quare, qui his voluptatibus fruatur propter se ipsas, & non tantum utitur, in ordine ad fines, à natura intentos, invertit ordinem naturæ, & peccat. Adde, quòd actui conjugali conjuncta sit voluptas immodica (aliàs enim gravissima matrimonii onera nemo subiret) & quæ à Divinis, quin & à cogitationibus sapientibus, ut observat S. August. loc. modò cit. profusus ab-

strahit: adeoque hoc ipso, non propter se, sed propter alium, adhibenda est: sicut scilicet medicina, præsertim, si ista aliquando stet in usu aliquis rei, per se immodico, non adhibenda est propter se, sed propter famitatem. Videri etiam potest S. Augustinus cit. capite 14. l. 4. *contra Julianum.*

204. Ob. 4. Juxta nos, vel non datur verbum otiosum, vel non omne verbum otiosum est malum: utrumque est falsum, & contra illud Christi. *Matth. 12. v. 36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* ubi supponitur dari, & simul in judicio puniri, adeoque malum esse, verbum otiosum: ergo, prob. ma. omne verbum diceretur saltem ob aliquam delectationem: ergo nullum esset malum, sed omne saltem indifferens: ergo. Confirm. S. Gregorius *homil. 6. in Evangel. sub finem* ait: *Otiosum quippe verbum est, quòd, aut utilitate relictum, aut ratione justè necessitatis, caret.* & l. 7. *moral. c. 17.* ait: *Otiosum quippe verbum est, quòd, aut ratione justè necessitatis, aut intentione pie utilitatis, caret:* atqui istis caret verba, quæ juxta nos essent indifferentia: ergo sunt otiosa, adeoque mala.

205. Resp. neg. ma. ad prob. om. antec. neg. conseq. Dixi om. antec. quia Euthymius, & Theophylactus, à quibus non longè abesse videtur S. Chrysostomus, apud Cornelium à Lapide in *hunc locum Matthæi*, per verbum otiosum intelligunt calumniam, & falsum: & suspicatur Maldonatus, id ex hebræo potuisse inferri. Attamen, quia communissimè alii, etiam S. Hieron. in exponendis Scripturis Doctor maximus, verbum tantum otiosum intelligunt, nolò de antecedente contendere: sed nego conseq. Etiam si aliqua delectatio possit aliquando intendi sine peccato, non potest semper; nec enim e. g. dum seria aguntur, aut agi debent, statim licet, quælibet ad rem non facientia, aut ludicra otiosè miscere; hinc S. Chrysost. *homil. 43. in Matthæi c. 12. v. 36.* ait: *Otiosum est verbum, quòd rei propositæ non convenit, nihilque confert utilitatis,* scilicet rei, de qua tunc agitur.

Neque etiam licet delectationibus hiis, e. g. confabulationi ludicræ, nimis diu inhaerere, & qui hoc faciunt, otiosi sunt, non minus, ac illi, qui ludis, aliàs etiam non malis, tempus nimium absument. Hinc S. Gregorius loc. cit. n. 204. (ut patet ibi legendi) videtur planè verbum otiosum; & multiloquium, pro eodem accipere. Igitur, quando S. Hieron. in c. 12. *Matth. v. 36.* ait, verbum otiosum esse, *quòd sine utilitate, & loquentis dicitur, & audientis* (cui definitioni quoad substantiam assentiuntur alii SS. PP. atque Doctores) intelligendus est de eo, quòd dicitur sine utilitate, etiam ad delectationem, hic & nunc, non inconvenientem, aut nimiam. Nec dicas, tale verbum fore imprudens; nam imprudentia est macula transcendentalis omnis peccati, & nihil potest esse peccatum, & simul prudens.

206. Ad confirm. Imprimis quæro, quomodo adversarii explicent illud *intentione pie utilitatis?* an utilitatem supernaturaliter piam, an saltem naturaliter, hoc est, piam erga parentes, consanguineos, vel patriam intelligi volunt? certè hoc dicere nequeunt. Igitur tantum de-

bet illud *Pia* sumi negativè, hoc est, non im-
pie: & sic etiam possumus admittere rotam il-
lam definitionem; nam verbum indifferens, si
non necessitatem, cerè habet utilitatem rectam,
sive est utile ad delectationem non irrectam, &
non impiam: item aliquando est necessarium ad
avertendam sensibilem molestiam, e. g. pruri-
tum narium, ut, si ex hac causa alteri quis dicat:
Da mihi tabacum; vel si alius dicat: *Frigeo valde*,
cupio excitari ignem: quin cogitat, quòd hone-
stum sit, ordinare depulsionem frigoris ad con-
servandam honestè sanitatem.

Quando autem S. Basilius apud Cornelium
vocat verbum otiosum, quod ad propositum in
domino usum, hoc est, ad edificationem fidei non
facit, etiam ab adversariis mitius explicandus
est; cum aliàs omne verbum, ad finem natu-
ralem tantum directum, foret otiosum: nec vi-
deretur hic posse responderi, quod supra n. 199.
in simili diximus, terminum otiosum sumi tan-
tum pro imperfecto; cum S. Basilius addat: *Tale
enim contristat Spiritum S.* Quare S. Pater non
strictè intelligendus est, sed latius, scilicet de ver-
bis illis, tunc prolatis, quando verba deberent
proferri ad finem supernaturalem, & sic tempus
otiosè consumitur.

Verbo otium est malus usus temporis, &
otiosum id, quo malè consumitur tempus: un-
de verbum otiosum est, quod, vel non suo tem-
pore dicitur, vel nimium tempus illi impendit.
Quòd autem ex hoc sequatur, omnem
actum peccaminosum, etiam furtum e. g. dicen-
dum esse otiosum, nil est absurdi; quia etiam fu-
rando malè tempus consumitur: sed ob majore
malitiam illius actus, contra septimum præ-
ceptum, non attenditur ad minorem malitiam
otiositatis, & à majore culpa otiositas quasi ab-
forbetur. Sic certò sunt otiosi, qui tota die po-
tant, vel ludunt: at, quia ebrietas est gravior
malitia, de illa minore non cogitatur. Quòd
autem in quibusdam peccatis sit magnus la-
bor, e. g. in furando, non obest otiositati; nam pu-
eri, dum usque ad copiosum sudorem circumcur-
runt, tamen sunt otiosi. Plura de verbo otio-
so, qui cupit, consulat Oviedo, & Arriagam
citatos num. 191.

207. Ob. 5. Omnis homo, moraliter agens,
debet intendere finem aliquem negativè ulti-
mum honestum: ergo non est possibilis actus
indifferens in individuo. prob. antec. tria sunt
bona, honestum, utile, & delectabile: atqui
bonum utile non est finis, sed tantum medium,
debètque ulterius ordinari, nec potest in eo vo-
luntas quiescere: bonum delectabile non potest
intendi: ergo debet semper intendi honestum.
prob. 2. p. mi. Homo in actionibus morali-
bus debet agere supra modum agendi bruto-
rum: ergo non debet intendere bonum delecta-
bile; nam hoc etiam intendunt bruta. Resp.
neg. ant. ad prob. in primis minor quoad pri-
mam partem non est certa; quia videtur sanè
posse aliquis hic, & nunc, quiescere in acqui-
sitione pecuniarum, vel alterius rei utilis, quæ ta-
lis, non quæ talis. Cerè sic sæpe videtur in
lucro quiescere artifex, vel operarius.

Sed omiſſa prima parte minoris neg. se-
cundam. ad prob. neg. conſeq. nam, quamvis
bruta cum homine conveniant in appetitu boni

delectabilis, in genere sumpti, non conveniunt
in appetitu boni delectabilis in specie sumpti: &
plures sunt delectationes, quarum bruta non
sunt capacia, quales assignavimus num. 202. pos-
sèntque addi plures e. g. legere, scribere, spe-
ctare comedias, equo, vel curru vehi, amicè
confabulari. Adde, quòd etiam in modo ap-
petendi has delectationes, homo in actionibus
indifferentibus, se longè aliter habet, quam
bruta; quia homo agit liberè, item suas actio-
nes metitur regulâ rationis, & discutit, an non
sint prohibitæ &c. Fateor tamen, Angelicum
1. 2. q. 4. a. 2. ad 2. item 2. 2. q. 141. a. 6. vi-
deri velle, quòd delectabilia, non propter se,
sed propter aliquam necessitatem, debeant in-
tendi; quia, ut docet, operatio non est ordina-
ta, ut quis delectetur, sed potius delectatio est
ordinata ad hoc, ut quis ad operandum indu-
catur. Sed, quid ad autoritatem S. Doctoris
in hac questione dicendum, vide num. 191.

208. Ob. 6. Quicumque juxta nos elicit
actum indifferentem, hoc ipso eum elicit; quia
licet: sed eo ipso jam agit honestè: ergo nun-
quam indifferenter. prob. mi. elicere actum,
vel amplecti objectum; quia licet, est conformare
se legi permittenti: sed hoc est agere
honestè: ergo. Confir. 1. Talis est ita disposi-
tus, ut non ageret, si non liceret: sed hoc est
honestum; quia est revereri legem prohiben-
tem, & se illi submittere: ergo. Confir. 2.
Agere, quia licet, est habere licentiam pro mo-
tivo: hoc autem motivum, nec est utile, nec ju-
cundum: ergo est honestum.

Hi adversarij in extremum oppositum de-
clinant, & cum priores velint, omnem actum juxta
nos indifferentem esse malum, isti volunt, omnem
esse honestum. In forma Resp. 1. neg. ma. non enim
omnis taliter operans necessariò habet licentiam
pro motivo, sed sæpe eam habet pro puro ter-
mino, nec tam agit, quia licet, quam, cum licet:
sicut servus, justus dare elemosynam ho-
râ octavâ, dat illam; quia ea hora sonuit, ha-
bendo sonum, non pro motivo, sed pro puro
termino; nam, sicut iste movetur ab imperio
domini, ita alter à delectatione objecti. Resp.
2. om. ma. neg. mi. ad prob. neg. mi. est enim
tantum agere indifferenter; quia lex Divina
permittit etiam amplecti objecta indifferentia.

209. Ad 1. confirm. Resp. 1. neg. ma. uni-
versaliter sumptam; nam sicut attritus, & odio
habens peccatum ex metu gehennæ, non est ita
dispositus, ut peccaret, si gehenna non esset,
ita agens; quia licet, non semper est positivè ita
dispositus, ut non ageret, si non liceret, sed ab
hoc præcindit. Sic milites, quando audiunt,
licitum esse aliquid rapere, statim rapiunt; quin
etiam virtualiter cogitant, quid facerent, si non
liceret: nec consultum esset, eos hac de re in-
terrogare: & bonum est, eis nihil de illa sup-
positione incidere.

Resp. 2. dist. mi. hoc est honestum negativè,
seu non inhonestum conc. mi. est honestum
positivè. neg. min. & conſeq. Si hoc ad hone-
statem sufficeret, etiam non daretur actus in-
differens in specie, ut patebit expendenti. Dein
ad actum honestum requiritur, ut positivè hone-
statem aliquam amplectatur. Sed neque verum est,
quòd universaliter quis semper reflexè am-
plectatur

plectatur honestatem parendi legi permittenti;
quia multi tantum nolunt inhonestatem vio-
landi præceptum, tanquam objectum materiale:
non autem reflexè volunt honestatem nolendi
actum inhonestum, tanquam objectum formale:
quin imò sæpissimè tantum aliqua quasi habi-
tuali notitia licentiæ præsupponitur: quis enim,
dum sumit tabacum, eum non narium pruritu, semper
reflexè cogitat de positiva honestate parendi le-
gi permittenti? aut positivè dicit: Ego me ita
submitto omni legi justæ, ut, si aliqua prohibe-
ret tabacum, eum non sumerem: at quia nulla
eum prohibet, sed universalis facultas est, & in-
super honestum est, legi, vel superiori, talem faculta-
tem concedenti, se conformare, me ipsi con-
formo, & tabacum sumo? Nemo cerè de his
cogitat.

Ad 2. confirm. neg. ma. & etiam mi. quia
agere præcisè; quia licet, non est positivè hone-
stum: dein hoc motivum se solo neminem
potest movere; hinc facit cum altero motivo
delectabili unum motivum delectabile. Si di-
cas, posse aliquem agere; quia licet, ad exer-
cendam libertatem. Resp. hoc ipsum spectare
ad delectationem. Sed neque etiam delectatio,
præcisè ut commoda homini, hoc ipso est
honestæ; non enim honestas stat in eo, quòd
res sit utcumque bona homini, sed, quòd sit
decens naturam rationalem ut talem: quæ de-
centia, ut rectè ait Arriaga, non potest clariùs
explicari, sed lumine naturæ agnoscitur.

210. Dices 1. DEUS præcipit, ut non
agamus illicitè: ergo, qui non agit illicitè, con-
format se huic præcepto: ergo honestè agit.
Resp. neg. 2. conſeq. Cum hoc præceptum sit ne-
gativum, etiam ille se sufficienter conformat, qui
dormit, quin honestè agat. Si positivè quis am-
plecteretur honestatem nolendi actum prohibi-
tum, honestè ageret; at hoc illud præceptum
non exigit, nec quilibet, abstinens ab actu illicito,
hoc facit.

Dices 2. Qui agit ex permissione Divina,
amat permissionem Divinam: sed hoc est hone-
stè agere: ergo. Resp. neg. ma. Sicut, qui vult
aliquid facere; quia obligatur jure alterius, non
eo ipso amat hoc jus, nec habet illud pro ob-
jecto formali quòd, sed tantum pro objecto
formali quo: ita nec semper amat licentiam, vel
permissionem Divinam, qui agit, quando datur
ea permissio: imò neque habet permissionem,
vel licentiam, pro motivo ex num. 208. Sed etſi
etiam amaret per aliquem actum prævium, pos-
set tamen subsequi actus indifferens, tantum ten-
dens in objectum permissum.

Dices 3. Ergo, qui operatur; quia licet, præ-
scindit ab eo, quid esset facturus, si non lice-
ret: sed hoc ipsum est agere inhonestè: ergo.
prob. mi. talis contemnit licentiam DEI, vel
permissionem ejus: hoc est inhonestum: ergo.
Resp. neg. mi. ad prob. neg. ma. Modò non
sit positivè paratus agere, etiam si non daretur
licentia, eam non contemnit, sed ipsam supponit:
quamvis non velit actu suo se reflexè in
honestatem agendi ex motivo licentiæ; seu per-
missionis. Sic, qui scit, quòd actu charitatis pos-
sit mereri gloriam cœlestem, & suppositâ eâ sci-
entiâ, elicit actum charitatis, qui non potest pro

motivo habere consecutionem gloriæ cœlestis
tamen istam non contemnit.

211. Novam in hac materia questionem
excitasse videtur Ulloa de actib. hum. disp. 1. c. 1.
scilicet, an non actus, quem indifferenter vo-
camus, saltem sit imperfectio moralis positiva:
in qua controversia auctor hic tenet affirmati-
vam. Hac quidem assertionem nihil conclusioni
nostræ contrarium docet; solam quippe ratio-
nem peccati ab actu indifferente exclusimus: ta-
men operæ pretium est, etiam hujus doctrinæ
mentionem hic aliquam facere. Hæcque distin-
guitur ab Ulloa, & rectè, duplex imperfectio
moralis, nempe negativa, & positiva.

Negativa est carentia, vel omiſſio majoris
perfectionis, hic & nunc, absolute possibilis, &
quidem libera (si enim libera non est omiſſio,
imperfectio quidem physica esse poterit, at non
moralis, seu imputabilis) e. g. quando quis amat
DEUM, vel proximum, sed non adeo intensè,
ac posset: vel, quando non elicit actum tam per-
fectum, ac posset, si toto conatu vellet coope-
rari gratiæ acceptæ: quamvis interim elicit ac-
tum, omni ex parte positivè bonum. Positiva
imperfectio moralis (juxta Ulloam, cui alii au-
thores, saltem quoad substantiam, consentiunt)
est etiam carentia, vel omiſſio majoris perfe-
ctionis, ita tamen; ut omittatur liberè, contra
consilium, hic, & nunc, à superiore propositum,
& practicè observabile, hoc est, non moraliter
ob difficultatem nimiam impossibile, e. g. si
quis contra inspirationem Divinam, incitantem
ad abstinendum ab aliquo actu indifferente, e. g.
auditione mulices, tamen eam audit, & eam
mortificationem negligit; quia non tenetur, li-
cèt moraliter posset, mortificationem illam su-
bire.

212. Talis actio, ut ibidem Ulloa, meri-
tò displicet DEO. 1. Quia est inordinata, post-
habere beneplacitum DEI suæ libertati, vel
commodo. 2. Quia reprehenditur à Sanctis, ut
sæpissimè in eorum scriptis notatur, vel à vitæ
eorundem scriptoribus refertur. 3. Quia eti-
am in civilibus meritiò displicet regi, vel magi-
stratui, vel patri, si subditus, aut filius, non qui-
dem præceptum, sed tamen consilium bonum,
& practicè observabile, negligit. Quòd autem
omnis actus, quem vocamus indifferenter, sit
contra tale consilium, probatur ex Apostolo
1. Cor. 10. v. 31. Sive ergo manducatis, sive bibi-
tis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI
(saltem late sumendo, sive ad finem aliumvis vir-
tutis) facite. Rurſus ad Colossens. 3. v. 17. Omne,
quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia
in nomine Domini JESU Christi: ergo DEUS per
Apostolum suadet, & consilio suo nos incitat,
ad omnia ex virtutis motivo agenda.

213. Equidem non negaverim, sapiùs
actibus indifferentibus esse conjunctas tales im-
perfectiones: & sic transgressiones regularum
in iis Ordinibus sacris, ubi non obligat sub pec-
cato, saltem à talibus imperfectiombus excusari
non possunt, etiam si ex nullo alio, quam præ-
cisè ex capite difformitatis cum regulis, impro-
bandæ essent: imò etiam aliis actibus indiffe-
rentibus frequenter tales imperfectiones jun-
guntur, præsertim, quando, ut sæpe fit, consi-
lium DEI, ad meliora, & quidem practicè pos-
sibilia,

tione, qualis potest esse longum temporis intervallum; nam etiam ratione istius potest error, aut ignorantia, in estimatione morali fieri invincibilis, de qua fuse Gormaz loc. modo citato. Sanè, ut rectè hic auctor ait num. 144. esset valde durum dicere, quod homo, qui ante multos annos culpabiliter neglexit discere, aliquid esse illicitum, modo autem, præteritæ negligentia immemor, sine omni scrupulo, aut dubio, id tanquam licitum agit, semper peccet, quin ulla temporis diuturnitas, faciat istum errorem moraliter invincibilem, & inculpabilem.

Ex antè dictis, de conscientia vincibiliter erronea, sequitur, quod aliquis possit esse necessitatus ad peccandum; quia potest contingere, ut quis ex tali conscientia erronea putet, se obligari graviter ad aliquid, quod re ipsa peccatum est, e.g. ad mendaciam, vel etiam perjurium committendum, pro redimenda vita proximi; in tali enim casu, si quis non pejeret, peccat; quia, ut paulò antè diximus, implicite dicit: *Essi obligor ad peccandum, tamen id nolo facere*: quod est peccaminosum. Si autem pejeret, iterum peccat; quia perjurium est in se ipso peccatum, & conscientia vincibiliter erronea non excusat à culpa.

Nec est absurdum, hanc necessitatem, tantum consequentem, & cuius ipse homo libera causa fuit, admittere. Sed de hoc inferius iterum: interim vide Bufenbaum l. 1. tr. 1. c. 1. resp. 3. Questio jam ulterius est inter auctores, an ista peccata, ex tali conscientia vincibiliter erronea, vel, quod idem est, ex ignorantia vincibili, commissa, habeant distinctam novam malitiam, vel an tantum à priore peccato negligentia, aut ignorantia, culpabiliter admixta, denominentur peccata: & mala sint, sicut actus externus, qui non habet distinctam malitiam à malitia actus interni, sed tantum ab isto denominatur malus, & peccaminosus.

P. Thyrsus tom. 4. sect. 6. sect. ultim. à num. 133. & Gormaz de actib. bum. à num. 134. multis contendunt, peccata illa, ex ignorantia tali admixta, habere novam distinctam imputabilitatem, seu malitiam; quia alias, ajunt, non darentur ulla peccata ignorantia; cum ipsa ignorantia, ac negligentia in necessariis addiscendis, fuerint contractæ cum plena advertentia, adeoque sint peccata malitia. Addunt exempla varia; & quidem P. Thyrsus num. 142. exemplum duorum mercatorum, culpabiliter ignorantium contractus usurarios, ita, ut unus plures tales concelebrat, quam alter: Gormaz verò num. 134. exemplum alterius, qui ex tali ignorantia in omnia scelera ruit: qui utique videntur magis culpabiles, quam alii, qui intra solius ignorantia, aut negligentia, limites sistunt, vel minorem longe numerum actionum per se illicitarum ponunt. Addit Gormaz num. 137. colligi ex propositione, ab Alexandro VIII. damnata (qua nempe adstruebatur possibile peccatum philosophicum) non requiri novam actualem advertentiam ad novum peccatum.

E contra La Croix l. 1. tr. 2. num. 757. fuse contendit, tales, ex culpabili ignorantia positas actiones, non habere novam imputabilitatem, seu malitiam, sed tantum illam, quam habuit ignorantia, vel negligentia, ex qua secuta

sunt: citatque pro se SS. Thomam, Bonaventuram, Antoninum: item Suarez, Vasquez, Sanchez; aliosque communissimè. Et quidem ita sentit Sanchez l. 1. in decal. c. 26. num. 45. citatque etiam S. Thomam in 4. disp. 17. q. 2. q. 2. questio. 4. ad 2. Suarezium tom. 2. de relig. l. 3. de jurament. c. 7. num. 7. Vasquium in 2. q. 71. a. 5. disp. 94. c. 3. n. 9. Sed hi auctores locis citatis non loquuntur de casu ignorantia culpabiliter prius admixta, sed de casu ebrietas, in qua quis prævidit, se commissurum varia crimina, e.g. homicidia, stupra &c. dicuntque, hæc non habere novam malitiam.

Attamen videri potest eadem esse ratio de ita culpabiliter ebrio, ac de culpabiliter ignorante: & si in tali ebrietate commissa, non habent novam malitiam, difficulter probari poterit, quod novam malitiam habeant, commissa in tali ignorantia. Ut tamen rectè advertit Sanchez loco modo citato, ipsa negligentia accipiendæ instructionis (& par est ratio de ebrietate) est eò gravius peccatum, quò plura, & graviora peccata, prævisa sunt ex ea probabiliter secutura; quia in ista taliter negligens aliquo modo consensit: eò autem minus peccatum est, quò pauciora, vel leviora, peccata secutura prævisa sunt.

Accedit, quòd, si talis actio, ex culpabili ignorantia posita, haberet novam malitiam, DEUS saltem per accidens determinaret, & quidem præcipiendo, ad formalem malitiam, e.g. perjurii, committendi in casu supra posito pro liberatione proximi; quia DEUS in tali casu perjurium, ut formaliter malum, præciperet, dum præciperet, obediri conscientia erronea: hoc autem videtur durum, nec in ullo casu admixtum; nam, in casu conscientia vincibiliter errantis, tantum præcipit materialiter malum, imò forte nec strictè materialiter malum, de quo vide tract. de virt. theol. disp. 2. q. 1. a. 4.

Si quis vellet dicere, DEUM præcipiendo, ut reddatur debitum conjugale, determinare ad ponendum peccatum originale, quod etiam est formaliter malum: poterit assignari dispensitas; non enim in conceptione committitur novum peccatum, sed jam olim cum Adamo, cujus voluntati voluntas infantis alligata fuit, commissum, tunc contrahitur: præterquam quòd respectu infantis minus sit peccatum originale, quam respectu alterius peccatum grave actuale. Licet autem utique dici possit, imò debeat, homicidii esse causam huius ipsius determinationis, aut necessitatis peccandi, tamen videri potest, non decere DEUM, in illis circumstantiis præcipere formale peccatum.

Ad argumenta autem adversa responderi potest, imprimis has ipsas actiones, ex ignorantia positas, esse verè peccata ignorantia, sufficienter distincta à peccatis malitia, licet non habeant distinctam malitiam, sed ab istorum malitia denominentur mala; sicut scilicet etiam actus externi sunt peccata, quamvis non habeant distinctam malitiam ab internis, sed ab his peccaminosi denominentur. Ad exempla autem reponunt secundæ opinionis patroni, quòd, sicut, qui actum externum addit interno, non est magis culpabilis, vel magis punitur, quam qui solum ponit internum, ita etiam talis, ex igno-

Quid, & quotuplex sit conscientia, & quomodo obliget conscientia erronea. 103

rantia alias actiones, ex se malas, ponens, non magis puniri debeat, quam alius, qui solius ignorantia, & periculi prævisi, nec tamen vitati, est reus.

Ad id, quod objicitur, dari peccata, sine advertentia actuali ad malitiam, commissa, responderi potest, utique dari talia peccata: attamen non necessariò semper habere distinctam novam malitiam: & talia esse peccata ignorantia. Sed de hac questione, quæ videri potest apud citatos auctores, quilibet judicet, prout ipsi verosimiliter videtur; nam in ordine ad confessionem non videtur ea multum facere; quocunque enim modo istæ actiones se habeant, debent tamen in confessione exponi, saltem factus externi; quia ad minimum eodem modo denominantur peccata, possuntque, ac debent dici peccata ignorantia.

Uterius dividitur conscientia in certam, & dubiam. Prima, seu certa est, quando dictamen elicitur, nixum motivo certo: dubia est, quando quis nihil omnino judicat, sed hæret: ad quam spectat etiam conscientia scrupulosa; quia & ista nil judicat, sed terretur motivis inanimis, & ob hæc imprudenter angitur. Dividitur iterum in probabilem, & improbabilem: illa nititur motivo probabili, seu gravi: hæc improbabili, seu levi, saltem comparative: de quibus plura inferius. Aliæ divisiones conscientia, vel non sunt scitu necessaria, vel pro opportunitate facile inferentur.

ARTICULUS II.

An Conscientia Dictamen ultimum debeat esse certum.

220. Aliud dictamen conscientia dicitur remotum, quo judicat conscientia de re, considerata tantum in se ipsa objective, & nondum attentis omnibus circumstantiis, e.g. judicat, aliquem contractum probabilius esse justum. Aliud dicitur proximum, seu ultimum, quo conscientia post consideratas omnes circumstantias, etiam accidentales, ultimò judicat de re, an licita, an illicita sit, e.g. judicat, contractum, quem in se ipso consideratum remoto dictamine judicavit, probabilius esse justum, hic & nunc, sibi absolute esse licitum.

Et ab hoc dictamine desumitur malitia vel bonitas actus; nam, quamvis res in se sit objective bona, si tamen ego eam dictamine proximo judicem esse malam: vel etiam si remoto dictamine eam judicaverim in se bonam, attamen proximo judicem, mihi hic, & nunc, non esse licitam, actus, quo eam rem ago, vel amplector, erit malus. Sicut e contra, si res in se sit quidem objective mala, ego autem dictamine proximo invincibiliter judicem, eam esse bonam, e.g. mendacium dicendum pro servanda vita proximi, actus saltem non erit malus: quidquid sit, an sit positive bonus. Item licet dictamine remoto judicem, rem probabiliter, vel etiam juxta patronos sententia, ut vocant, benigna, licet judicem, rem notabiliter probabilius esse malam, si ta-

men dictamine proximo inculpabiliter judicem, eam esse licitam, actus eam amplectens non erit malus.

221. Queritur jam, quale requiratur dictamen ad hoc, ut actus licite fiat, an debeat esse evidens, ut volunt Oviedo, Pallavic, Esparza, Terillus, Cardenas, Haunoldus, Illung, apud Ralslerum in norma recti disp. 2. q. 7. a. 1. vel, an debeat esse moraliter certum, ut volunt Suarez in 1. 2. tr. 3. disp. 12. sect. 3. Layman l. 1. tr. 1. c. 5. n. 4. alique plurimi citati in eadem norma recti eadem disp. 2. q. 8. a. 2. n. 210. vel, an etiam sufficiat dictamen tantum probabile, ac opinativum, ut vult Vasquez, Thomas Sanchez, Salas ibidem citati n. 205.

Advertendum autem, nolle me, hic miscere questionem, an hoc dictamen debeat esse formaliter actus judicativus, vel, an sufficiat iudicium virtualiter, seu æquivalenter tale, sive apprehensio simplex, sed suasivè proponens licentiam actionis, & dubium de inhonestate excludens: qualem apprehensionem posse sufficere defendit Ralslerus in norma recti disp. 2. q. 4. a. 1. n. 67. Item etiam, nolle me hic disputare, an debeat iudicium esse absolutum, seu absolute enuncians, hanc rem esse licitam, vel, an sufficiat iudicium, quod vocant modale, hoc est, tantum enuncians, quòd sit moraliter certum, actionem esse licitam: quod item sufficere idem auctor loco eodem n. 65. affirmat. Hæc enim videntur potius esse questiones philosophicæ, & in ordine ad honestè agendum parum practicum; parum refert, an hac, vel illa ratione, excludatur, ut ex dicendis colligi poterit.

222. Dico 1. Non requiritur ad actum bonum, vel indifferentem, ut præcedat dictamen evidens de licentia actionis. Prob. Necessitas talis dictaminis, nec auctoritate, nec ratione, nec experientia, probatur: ergo non datur. prob. antec. imprimis auctoritas adversariorum est longè minor, & præter paucos supra citatos fermè omnes reliqui contenti sunt dictamine moraliter certo: nec antiquiores faciunt mentionem, nisi dictaminis practice, aut moraliter certi: rationes autem pro opposita sententia omnes solvemus: experientia verò illi nullatenus suffragatur; illa enim dictamina debent esse valde reflexa, ut ex dicendis patebit: & experientia potius probat, tot reflexiones non fieri: imò, cum ipsi adversarii fateantur, illas reflexiones non esse à nobis discernibiles, eas experiri non possumus. Dein rusticus, si à parochò audit, aliquid esse licitum, id bona fide facit; quin reflexè hoc dictamen faciat: Quod parochus mihi dicit esse licitum, evidenter mihi licet: sed hoc mihi dicit esse licitum: ergo.

223. Confirmatur, Non apparet, unde desumatur universaliter evidentia dictaminis, saltem, nisi fiant plures reflexiones: sed has adstruere necessarias, circa quamvis ferè actionem, est nimium: ergo, prob. ma. Multi etiam ex adversariis defendunt, licitum esse sequi sententiam minus tutam, minusque probabilem, vel saltem æquè probabilem: at isti non possunt habere evidentiam de licentia suæ actionis sine pluribus reflexionibus: ergo, prob. mi. dictamen remotum

tum, vel primum directum, est tantum probabile: nec etiam primum reflexum est evidens: ergo debent dari plures reflexiones.

Prob. 2. p. antec. Vel dictamen reflexum ita formatur: *Qui sequitur sententiam probabiliorum, evidenter licite agit: sed ego sequendo sententiam dictam benignam, sequor probabiliorum: ergo: & minor non est evidens: cum à valde multis probabiliter negetur. Vel dictamen ita formatur: Qui consideratis omnibus prudentem, & absque passione iudicat, hanc actionem sibi licere, eam facit absque peccato: sed ita ego iudico: ergo. Et iterum mi non est evidens metaphysicè, vel etiam physicè; quia non est evidens, me prudenter ita iudicare; cum auctores, quos rigidos vocant, me imprudentiæ damnent: item amor proprius valde subtiliter soleat nobis illudere, & Angelus tenebrarum in Angelum lucis se transformare.*

Quare hoc dictamen ad summum est moraliter certum. Ut ergo habeatur strictè evidens, opus erit nova reflexione: si tamen etiam post hanc vera evidentia habeatur: debebitque dictamen sic concipi. *Quandocumque ego moraliter certus sum, quod, hic & nunc, non agam ulla passione, & quod iuxta præsentem circumstantias omnia, prout debui, consideraverim, & prudenter, quantum mihi videtur, iudicem, hanc actionem mihi licere, tunc evidenter mihi licet: sed nunc ita se res habet: ergo. Verùm, licet sic ostendatur, quomodo ex principiis in se, & directè tantum probabilibus, possit formari dictamen certum, vel etiam evidens, quis tamen homines, his subtilitatibus non assuetos, obligabit ad faciendas tot reflexiones, circa actiones plurimas, & frequentissimè occurrentes?*

224. Dico 2. Requiritur, saltem ordinariè, ad honestatem, vel indifferentiam actionis, dictamen moraliter certum de licentia ejusdem, ita longè communius auctores, quæ ipsa auctoritas in materia morali, in qua sæpe recurrendum est ad iudicium prudentium, magni ponderis est. Prob. concl. etiam ratione. Operans licite debet excludere omne dubium de inhonestate actionis: atqui hoc ordinariè non potest, nisi habeat certitudinem moralem: ergo, ma. est certa; alias enim operaretur cum dubio practico, quod nunquam est licitum, ut omnes docent, & infra probabimus. prob. mi, probabilitas sola per se non excludit omne dubium: ergo, vel tali homini nullum deberet incidere dubium, quod ordinariè non fit, nisi circa res, quas saltem moraliter certas habemus: vel non posset dubium excludere, adeoque operaretur cum dubio practico: ergo.

225. Dico 3. Aliquando tamen potest sufficere dictamen, dictans probabilibus, vel unice probabiliter, actionem esse licitam, ita præter auctores citatos n. 221. qui volunt, tale dictamen universaliter sufficere, non pauci alii, præsertim recentiores: alii autem, quamvis requirant dictamen moraliter certum, non videntur debere accipi, nisi de ordinariè contingentibus. Prob. Potest utique contingere, ut quis, hic & nunc, non habeat iudicium, ex natura sua plùs quam probabile, sed ex natura sua non excludens omne dubium prudens, & tamen nullum ei incidat dubium, neque etiam reflexè cognoscat, se nul-

lum habere dubium, aut iudicium tantum probabile: in hoc casu honestè operatur cum solo dictamine probabili: ergo, ma. negari non potest, nisi fiat quæstio de nomine, & dicatur, tale iudicium non esse tantum probabile: quod tamen est falsum; cum iudicium, plùs quam probabile, seu moraliter certum, debeat ex natura sua excludere dubium, & illud non tantum per accidens abesse. mi. prob. gradis plùs requiritur; nec enim potest dici, quod talis operetur cum dubio practico, aut fit ita paratus, ut, etiamsi actio esset inhonestà, tamen ageret ergo.

226. Dico 4. Ad actum inhonestum non requiritur dictamen, neque probabile de inhonestate actus, ita communissima. Prob. Ad hoc, ut inhonestè agam, sufficit dubium de inhonestate actus, quod, hic & nunc, non deponatur: ergo non requiritur dictamen positivè enuncians, actionem esse inhonestam, antec. prob. omnes dicunt, quod operari cum dubio practico sit peccatum; quia scilicet talis exponit se periculo peccandi, & virtualiter contemnit legem: ergo, Confir. Qui dubius, an intra dumetum sit homo, vel fera, tamen illuc iaculatur sagittam, iuxta luminis naturalis instinctum agit illicitè, & inhonestè, si non priùs ex principiis quibusdam prudenter deposuerit dubium: ergo non requiritur plùs quam dubium practicum perseverans, quamvis non adit absolutum iudicium.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

227. **O**B. 1. contra 1. conclus. Apostolus ad Rom. 14. v. 23. ait. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est:* ergo, nisi actionem præcedat iudicium evidens, seu actus certissimus fidei, non est licita. Confir. Ultimum dictamen non potest dependere à voluntate: ergo debet esse evidens; nam omnis assensus inevidens dependet ab imperio voluntatis, prob. antec. si dictamen dependeret à voluntate, esset in potestate voluntatis, habere hoc, vel aliud dictamen: sed hoc non potest dici: ergo, prob. mi, à dictamine ultimo dependet honestas, vel inhonestas actionis: ergo, si dictamen dependeret à voluntate, dependeret etiam honestas, vel inhonestas actionis: consequenter voluntas pro libitu redderet actionem honestam, quod est falsum: ergo.

228. Resp. 1. Actus fidei non est evidens: unde hic textus quæque esset contra adversarios, quam contra nos. Resp. 2. neg. conseq. Ex communi interpretum non intelligitur eo loco actus fidei; alias omnia opera infidelium essent peccata, quod ab Alexandro VIII. damnatum est propositione 8. quæ ita habet: *Necessè est infidelem in omni opere peccare.* item propositione 11. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Quare per fidem ab Apostolo intelligitur dictamen

men conscientia (quod etiam nos requirimus, quamvis non evidens) cui actus conformetur. Patet hoc ex ipso contextu Apostoli; nam ibi vult probare, quod, qui ex conscientia erronea putat sibi illicitum, aliquid manducare, & tamen manducatur, peccet.

Ad confirm. Inprimis consequentia non est certa; si enim dictamen sit moraliter certum, nec occurrat ullum dubium in oppositum, non est in potestate voluntatis, determinare ad assensum oppositum. Resp. tamen neg. antec. & dico, quod possit quoque dependere illud dictamen ab imperio voluntatis, ad prob. dist. ma. ita, ut utrumque possit habere prudenter. neg. ma. ut unum possit habere tantum imprudenter, om. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. mi. dist. antec. dependet honestas, vel inhonestas actionis, à dictamine habito prudenter. conc. ant. ab habito tantum imprudenter. neg. antec. & conseq. Licet omittatur, quod voluntas possit cogere intellectum ad assensum quemcumque, cujus oppositum non est ipsi evidens; tamen id non potest semper facere prudenter, ut est clarum.

229. Dices 1. Si ultimum dictamen subiacet imperio voluntatis, tunc datur processus in infinitum in dictaminibus: hoc est absurdum: ergo, prob. ma. voluntas non potest agere absque prævio dictamine, vel illustratione intellectus: ergo iterum, ante hoc imperium voluntatis, debet dari dictamen: & si hoc iterum subiacet imperio voluntatis, debet iterum dictamen aliquod antecedens dari, & sic in infinitum. Resp. neg. ma. ad prob. neg. conf. vel suppos. Non dicimus, quod nulla cognitio certa præcedat imperium voluntatis: sed dicimus tantum, quod dictamen ultimum, præcedens immediatè actui, & versans circa ejus honestatem objectivam, non semper sit evidens, quæ sunt diversissima. Modò igitur imperium voluntatis præcedat hic actus: *In hoc casu possum imperare tunc, vel illum actum voluntatis* (præcindendo etiam, an prudenter, vel imprudenter, ne dicatur esse implicitè dictamen ultimum de honestate) & hic actus sit evidens, processus sufficienter sistitur.

230. Dices 2. Quandocumque datur aliquod dictamen, vel moraliter certum, vel tantum probabile, semper datur dictamen reflexum evidens, simile, vel tale, quale attulimus n. 223. quamvis non sit discernibile, sicut, dum scribimus, semper datur reflexio ad regulas scribendi, quamvis eas reflexiones, ad tor regulas pro quavis litera, non discernamus. Sed contra est. Quod aliqua reflexiones admittendæ sint, probant rationes convincentes: non autem ideo admittendæ sunt aliæ, quæ non probantur; alias adstrui possent reflexiones sine fine, & possemus etiam dicere, quod nemo appetat bonum delectabile, directè cognitum, nisi etiam reflexè cognoscat, se cognoscere, hoc objectum esse delectabile: & par est ratio de bono utili. Quis autem dicat, bonum delectabile, directè tantum cognitum, non habere vim movendi ad actum voluntatis? igitur eandem vim habet bonum honestum.

Adde, quod videatur mihi etiam in scriptura, aut in recitatione ex memoria, sæpe sola agere phantasia, excitata aliquo actu intellectus, R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

vel voluntatis; cum similia faciant, & bruta, & dormientes. Tandem hæc ratio præbaret, non quod ad honestatem actus necessaria sit illa evidentia, sed tantum, quod aliunde detur, ex natura intellectus humani, ita reflexè operari soliti: quod aliqui transmittunt, tanquam aliquid potius ad Philosophiam, quam ad Theologiam spectans. Mihi nondum videretur satis efficaciter probatum, quod intellectus universaliter ita operetur: quod si etiam probaretur, tamen nondum absolutè nostra conclusio everteretur.

231. Ob. 2. Qui habet iudicium moraliter certum, evidenter non peccat: ergo habet iudicium evidens de honestate sui actus: ergo tale iudicium semper præcedit actum honestum. Resp. neg. conseq. utramque. Etiam, qui perplexus est, evidenter non peccat; quidquid agat, quin de hoc habeat evidens iudicium. Pariter, habens morealem certitudinem, non peccat: at hoc non cognoscit evidenter, sed ad summum moraliter certò; non enim se reflexè semper in suam morealem certitudinem, videatur dicta num. 222.

232. Ob. 3. Dictamen ultimum debet esse actus prudentiæ: ergo debet esse evidens, prob. conseq. prudentia est virtus intellectualis: ergo semper verum dicit: ergo ejus actus est evidenter verus. Resp. 1. Hoc argumentum, præsertim, si desumatur à prudentia supernaturali, tantum probat, dictamen debere esse certum, non verò evidens; quia actus supernaturalis debet quidem esse certus, non verò evidens. Resp. 2. dist. antec. dictamen debet esse actus elicitus prudentiæ, neg. antec. imperatus à prudentia. conc. antec. & neg. conseq. Nōtint Logici, actus regulatos, vel imperatos, à virtute intellectuali, non necessariò esse veros, ut patet in syllogismis topicis. Pariter nec debent esse veri omnes actus imperati à prudentia: & sic sæpe, dum quis videt mendicum, prudentia imperat hunc actum: *Hic pauperi danda est elemosyna, & hoc etiam contingit, quando mendicus est fictus.*

233. Dices 1. Prudentia non imperat actum dicentem: *Danda est elemosyna huic pauperi:* sed tantum alium, dicentem: *Danda est elemosyna huic, qui apparet esse pauper:* Resp. hæc esse contra omnem experientiam. Certè, qui dat elemosynam, præsertim multis, non secum examinat, nec cogitat, an sint verè, an tantum apparenter pauperes: sed sine his reflexionibus misericordiam exercet. Dices 2. Si prudentia imperat dictamen, debet imperare per aliquem actum elicitem: ergo debet dari actus prudentiæ elicitus: ergo iste saltem est evidens. Resp. Potius voluntas directà à prudentia imperat: attamen om. totum. Illud imperium, seu etiam ille actus prudentiæ, non est ultimum dictamen: sed est actus prævius, dictans, hic & nunc, prudenter elici illud dictamen, etiam reverè sit falsum, quamvis non cognoscat, esse falsum: sicut eadem prudentia potest prudenter dictare, mentiendum esse, in casu conscientia erroneæ, existimantis, DEUM id jubere ad conservandam vitam proximam.

234. Dices 3. Dictamen ultimum, saltem ad actus supernaturales, debet esse actus supernaturalis prudentiæ: sed hic est necessarium

rus: ergo. Resp. 1. Ex hoc non sequitur, quod non possit dari, saltem actus naturaliter honestus, sine dictamine evidenti. 2. Neque etiam ad actus supernaturales necessarium esse dictamen evidens, sed tantum certum, quam tamen certitudinem operans reflexe non debet cognoscere: imò hoc dictamen debet esse tantum certum certitudine infallibilitatis, non autem certitudine adhesionis: unde potest concedi totum, & negari, quod tale dictamen sit evidens. 3. Ad actus supernaturales requiritur quidem aliqua illustratio supernaturalis: at non talis, quæ se sola sit ultimum dictamen, sed tantum aliqua illustratio, vel actus supernaturalis universalior, e. g. iste: *Pauperi danda est ex misericordia eleemosyna: ex quo, & simul ex alia propositione naturali, e. g. ista: Hic est pauper: quæ potest esse falsa, inferatur dictamen ultimum: Hic danda est eleemosyna.* Unde neque ad actus supernaturales necessarium debet præcedere dictamen ultimum, quod sit actus efficax supernaturalis prudentiæ: & hinc ma. potest negari.

235. Ralslerus in norma recti disp. 2. q. 6. a. 2. n. 154. ait, actum supernaturalem posse esse secundum quid falsum, adeoque in hunc actum: *Hic, & nunc mentendum est ad servandum innocentem; quia DEUS ipse nobis mendacium præcipit, quoties illud necessarium est ad talem finem: & faciendum est, quicquid DEUS præcipit: posse influere prudentiam supernaturalem, non quidem secundum primam partem, secundum quam actus falsus est, sed secundum alteram, secundum quam verus est.* Idem auctor in eadem norma recti disp. 1. q. 9. a. 3. n. 415. contendit in talem actum influere posse habitum virtutis prudentiæ, & citat Valquium in 1. 2. disp. 58. c. 2. n. 13. & disp. 85. c. 1. n. 3. Verum, sicut Valquez loco citato tantum loquitur de virtute prudentiæ naturalis: ita etiam Ralslerus videtur hoc loco tantum loqui de eadem prudentia naturali, atque actibus naturalibus: & quoad hos non sum sollicitus. At verò loquendo de actibus supernaturalibus, videtur mihi difficile, eos posse esse simpliciter falsos, sicut tamen juxta communissimam simpliciter falsus est omnis actus, qui indivisibiliter, & determinatè, dicit verum, & falsum; nam ideo tam copulativa, quam causalis propositio, ob unum membrum falsum, dicitur simpliciter falsa.

Ratio autem, cur actus supernaturalis videatur mihi non posse esse ita falsus, est, quod cujusvis actus supernaturalis auctor peculiaris sit DEUS, juxta illud: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum 1. Cor. 15. v. 10.* & alterum: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis 2. Cor. 3. v. 5.* non autem videtur DEUS posse esse auctor actus, simpliciter falsi, quamvis secundum quid veri; quia indivisibiliter falsitatem afferit: sicut non potest DEUS esse auctor actus, qui aliquid bonum, & simul malum vult: nec auctor materialis peccati &c. quare mihi præplacent responsiones superiores.

236. Ob. 4. Dictamen, tantum moraliter certum, potest esse conjunctum cum actuali formidine: ergo non sufficit, prob. conseq. SS. Canones exigunt tale dictamen, quod excludat omnem, tam prudentem, quam imprudentem formidinem: hoc non præstat dictamen tan-

tum moraliter certum: ergo. prob. ma. C. Inquisitioni tuae 47. de sent. excommun. dicitur, conjugi credenti ex credulitate levi, & temeraria, ad esse impedimentum matrimonii, explodendam esse conscientiam talem levi, vel dubium, ad sui pastoris consilium, & sic debitum pendendum, & reddendum: ergo debet explodi omne dubium, etiam leve. Confirm. Cap. Per tuas 37. de simonia dicitur, subdiaconum scrupulosum non debere contra conscientiam ad superiores ordines ascendere, licet, ob conscientiam nimis scrupulosam, in hanc difficultatem sit lapsus: ergo.

Resp. dist. antec. Dictamen moraliter certum potest esse conjunctum cum formidine prudenti, neg. antec. cum imprudenti conc. antec. & neg. conseq. ad prob. neg. ma. ad hujus prob. neg. conseq. Ratio negandi patebit ex statim dicendis. Ad confirm. neg. conseq. Credulitas, & scrupulus, locis citatis, sumitur pro judicio erroneo, quo quis absolutè, ex principiis falsis, & levibus, judicat, ad esse peccatum, ubi non est; & hoc judicium unquam debet deponi, aut explodi; aliàs contra conscientiam peccaretur. Responsio hæc inierit ex eo, quod dicto capite dicitur conjux non dubitare, aut suspicari, sed credere, hoc est, positivè judicare: item, quod C. Per tuas addatur, scrupulosum illum non debere ad superiores ordines ascendere contra conscientiam, hoc est, contra judicium erroneum; quia illa conscientia mox vocatur error, dum additur, non evasurum eam difficultatem, nisi deponat errorem.

237. Aliquando autem sumitur scrupulus pro simplici tantum apprehensione, formidinem causante, vel pro formidine, aut judicio reflexo, quo quis ex levibus rationibus suspicatur, dictamen suum non esse veritatis consonum, ac timet periculum peccati; quanquam aliunde multò probabilius, vel etiam certò, judicet, se honestè agere: & talis scrupulus non debet necessariò deponi; nam cum tali scrupulo non est quis ita constitutus, ut dicat, sive sit malum, sive bonum, tamen faciam: sed ita, ut dicat: volo ponere hanc actionem, quam prudenter judico licitam, etsi adsit levis suspicio in contrarium; quia DEUS non petit, ut in omnibus habeamus certitudinem metaphysicam.

Imò, ut Suarez, Castropalao, Layman, Ill-fung, ac hoc teste, communissimè auctores, dicunt, scrupulosus non agit illicitè, quamvis agat, durante levi, & involuntaria formidine, ne DEUM offendat; quia non est in ejus potestate, hujusmodi muscas abigere: & nisi velit redigi ad insaniam, debet quandoque ita agere. Certè sunt fat multi, qui dicunt, stare posse cum ipso actu fidei formalis dubia involuntaria: quidni stare possint cum dictamine de honestate?

238. Ob. 5. contra 2. conclus. Ad actum malum non requiritur judicium, moraliter certum de inhonestate actus, imò nullum requiritur judicium ex n. 226. ergo neque requiritur ad actum honestum. Confirm. Si requireretur judicium moraliter certum, possemus esse certi de nostra justificatione: hoc est contra Tridentinum: ergo. Resp. neg. conseq. Disparitas colligi potest ex eodem n. 226. Adde, quod ad actum malum non requiritur, ut quis am-

plectatur malum ut tale: sed sufficit, si scienter amplectatur malum quod tale: at verò ad actum honestum requiritur, ut quis amplectatur honestum ut tale.

Ad confirm. dist. ma. possemus esse certi de nostra justificatione, certitudine quadam morali, om. ma. certitudine metaphysica, vel fidei, cui non potest subesse fallum. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Nam Tridentinum sess. 6. c. 9. & can. 16. tantum excludit certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum. Potest etiam negari ma. nam, etsi haberetur judicium moraliter certum de honestate, non etiam statim haberetur de supernaturalitate actus.

239. Ob. 6. Non requiritur in ordine ad honestè agendum, ut excludatur omnis, etiam levis, formido: ergo non requiritur judicium moraliter certum, sed sufficit probabilius. Confirm. Qui agit, quod ipsi spectatis omnibus circumstantiis, videtur probabilius licitum, agit prudenter: ergo non peccat. prob. conseq. omne peccatum est imprudens: ergo. Resp. dist. antec. non requiritur, ut excludatur omnis formido imprudens. conc. antec. omnis prudens neg. antec. & conseq. Cum formidine tantum imprudente stat judicium moraliter certum: at judicium tantum probabilius stat etiam cum formidine prudente.

Nam, licet mihi probabilius sit, aliquid non esse peccatum, si tamen alii graves viri, ex rationibus non contemnendis, dicant, esse peccatum, est formido prudens: nec potest hæc deponi per principia directa, sed debet deponi per reflexa. Ad confirm. dist. antec. qui agit probabilius licitum, agit prudenter, si non adsit simul prudens formido oppositi, vel hæc deponitur per principia reflexa. conc. antec. secus. neg. antec. & conseq. Ipsum antecedens, in hac confirmatione objectum, est principium reflexum, ex quo, & altero, scilicet, quod prudenter agens non peccet: itemque ex noticia experimentalis, quod ipsi, hic & nunc, istud videatur probabilius, potest quis inferre judicium sufficienter certum de licentia actionis. Quare, quando dicitur, quod operans secundum sententiam, quam prudenter judicat esse veram, non peccet; eoquod nemo prudenter agendo possit peccare, id non ita intelligendum est, quasi operans cum dictamine ultimo, tantum prudenter affirmabile, eo ipso prudenter agat, & non peccet (nam judicium, etiam probabile, vel probabilius, est prudenter affirmabile: quia tamen ita cum prudenti formidine, vel dubio de opposito, non prudenter cum eo (solo agitur, & non peccatur, antequam dubium excludatur; quia agitur cum dubio pratico) sed tantum intelligendum est, quod, si quis prudenter possit judicare, sententiam aliquam esse veram, facile sibi possit formare dictamen reflexum, quo excludat omne dubium, & sic prudenter agat, atque non peccet.

240. Ob. 7. Non tenemur vitare omne prorsus periculum peccati: ergo sufficit judicium probabilius. prob. antec. si teneremur vitare omne periculum peccati, nemo posset fieri miles, aut mercator, imò vix posset esse sæcularis: hoc est falsum: ergo. prob. ma. in his omnibus est periculum, vel occasio satis propin-

qua peccandi: ergo, si istud omne debemus vitare, nemo potest eos status amplecti. Resp. dist. antec. Non tenemur vitare omne periculum tantum indeterminatum peccandi, & quando est nimia difficultas, illud omne vitandi. conc. antec. non omne periculum determinatum, etiam peccati determinati, & quando non est difficultas nimia vitandi. neg. antec. & conseq. ad prob. neg. ma. ut supra. ad hujus prob. dist. ant. ut prius. & neg. conf.

In illis statibus periculum est tantum indeterminatum, simulque moraliter non potest vitari: at in nostro casu est periculum determinatum, in individuo peccandi, ea actione, quæ præmanibus est: simulque nulla difficultas excludendi formidinem per principia modicè reflexa: & licet non cuique semper ita promptè sint istæ reflexiones formaliter tales, tamen facilè incident æquivalenter tales, saltem, ut excludant actualem formidinem. Sed de hac objectione fusiùs agendum tr. de pœnit. ubi agitur de obligatione vitandi occasiones peccati.

QUESTIO II.

De Conscientia Dubia.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Dubium.

241. **D**ubium latè sumi potest pro omni judicio incerto; & sic etiam opinio, seu sententia tantum probabilis, quandoque vocatur dubia. At si dubium strictè sumatur, est *hesitatio, vel suspensio mentis, neutri parti assentientis ob formidinem erroris*: vel, ut definit Bardi de conscientia d. sept. 5. c. 1. n. 1. est *suspensio intellectus manentis in æquilibrium, inter duo contraria, & non assentientis, neque dissentientis*. ita communis auctores contra aliquos, requirentes judicium formidolosum de propositionis fallibilitate, quos rejicit Bardi loc. cit. ex eo, quod sine tali judicio possit dari dubium, modò detur illa suspensio intellectus.

Non tamen sufficit ad dubium quæcunque ommissio judicii; aliàs etiam omnis nesciens dubitaret. Sed neque sufficit quævis suspensio intellectus; aliàs, quotiescunque suspenderem assensum, sive eum non elicerem circa mysteria fidei, quando de iis cogito, ea præcisè de causa, ne caput nimium fatigem, dicerer de illis dubitare, quod esset valde absurdum. Igitur ad dubium requiritur suspensio, orta ex formidine erroris, vel ex judicio, quo quis putat, hæc se falli posse. Unde Suarez in 1. 2. tr. 3. de bonitate & malitia humanorum actuum disp. 12. sec. 5. n. 1. existimat, dubium involvere cognitionem, seu judicium reflexum, de insufficientia rationum ad assensum: hoc tamen alii negant.

242. Dividitur jam dubium in *positivum, & negativum*, in quorum tamen terminorum acceptione auctores non conveniunt. Quidam vocant dubium negativum, quando assensus suspenditur ob carentiam omnimodam rationum in utramque partem, dummodo quis de objecto cogitet, & rationes inquireat, nullas autem inveniat, & sic dubitare quis potest, an istud



dens, sequi in dubiis tutiorem semitam: ex qua congruentia, & in odium homicidii, atque ob reverentiam erga SS. Sacrificium, decerno, ut in eo dubio contrahatur irregularitas: per quod non decerno, quòd sit obligatio, in omnibus dubiis sequendi tutiorem. Adde, quod loc. cit. advertit Arriaga: sicut rationes, in Conciliis adhibita, ad faciendos canones fidei, non sunt rationes, ita rationes, quæ congruenter moverunt Pontifices, ad decreta faciendâ, non sunt decreta. Sic Innocent. III. *C. Significasti 16. eodem tit. de homicidio* clerico stimulantem graviter equum, qui postea cursu abreptus, mulierem obviam interfecit: clerico id nullatenus prævidente, huic, inquam, jubet iniungi poenitentiam competentem ad cautelam: ex quo non sequitur, omnibus ita equum stimulantibus, imponendam esse poenitentiam, quam nec ipse Innocentius imposuit alteri clerico. *C. Dilectus filius 13. eodem tit. ubi refertur etiam equus clerici, cursu abreptus, occidisse infantulum.*

Eadem responsio servit ad *C. Significasti 16. eodem titulo*: ac rursus ad *C. Petio tua 24. eodem titulo*, in quibus semper est dubium de homicidio patratò: imò cum *C. Petio tua* Pontifex dicat: *Cum sit consultus, in hujusmodi dubio abstinere, quam temerè celebrare*: non obscure indicat, antecedenter ad decretum peculiare, non esse sub præcepto, sed tantum sub consilio, sequi, etiam in dubio de homicidio, tutiorem, & multò magis esse tantum sub consilio in aliis dubiis. Sanè, si Pontifices tantum statuisent irregularitatem in homicidas, nec expressissent, quòd etiam dubii homicidæ eam incurrerent, non ita statim eam incurri juris interpretes docerent.

250. Ob. 2. *Cap. Illud Dominus 5. de clerico excommunicato* ait Innocent. III. se misericordiam facere cum Episcopo Hildeshemiensi: adeoque tacite dicit, eum poenam incurrisse illam, quam canones alias infligunt iis, qui excommunicati Divina celebrant, vel celebrationi se ingerunt, propterea, quòd per Archiepiscopum Magdeburgensem, tanquam Apostolicæ Sedis delegatum, denunciatus excommunicatus (eò quòd, non tantum non obtentâ, sed nec petitâ Sedis Apostolicæ licentiâ, ad Herbipolensem Ecclesiam, relicta Hildeshemiensi transisset) tamen Divina celebrasset, licet diceret Hildeshemiensis, Archiepiscopum Magdeburgensem suum iudicem ordinarium non esse, adeoque se credidisse, quòd non præmissâ trina monitione, quæ facta non esset, non posset delegata potestate contra se procedere. Secundo, quòd idem Hildeshemiensis, postquam scivit, se à Pontifice excommunicatum fuisse, tamen Divina coram se celebrari fecerit. Rationem autem huius suæ sententiæ datur iterum Pontifex: *Quia tamen in dubiis via est tutior eligenda, ut si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta Ecclesiastica pertractare*: ergo.

251. Resp. dist. conseq. in aliquibus dubiis debet eligi tutius, conc. conseq. in omnibus neg. conseq. in his enim huius Episcopi dubiis speciales rationes occurrunt, quare tutius debuisset eligere; nam, quòd attinet ad primum, ut notant auctores, dubium illud fuit vincibile, in quo omnes dicunt tutius eligendum, vel certe

illud adhibitâ diligentiam deponendum; nam per famam, ut ipse fatetur cit. capite, excommunicatio innotuerat, & quidem lata, auctoritate, & iussu Pontificis; hinc debuisset abstinere à sacris, & veritatem indagare: quòd si fecisset, facile ipsi innotuisset, quòd excommunicatus fuerit ex speciali mandato Pontificis, qui eò quòd factum notorium esset, non voluerit præmitti trinam monitionem.

Alterum dubium erat, an, stante nōtitiâ sufficiente de excommunicatione, & prohibitione, per episcopum, ob aliquò spirituale bonum, & sub spe veniæ, posset coram se facere celebrari Divina. At, quando lex, vel prohibitio, est certa, & tantum dubium, an detur exculatio, vel exceptio, debet utique lex observari, seu, quòd idem est, tutius fieri. Et hinc istud secundum videtur Pontifex magis reprehendere, quam prius. Ex quibus tamen nequitiam sequitur, universaliter in omnibus dubiis tutius esse eligendum.

252. Ob. 3. *Cap. Juvenis 3. de sponsalibus* Eugenius Papa declarat, nullum esse matrimonium, quòd juvenis quidam contraxit cum consobrina alicujus puellæ, quam puellam idem juvenis priùs duxerat, necdum septennem; & dat rationem his verbis: *Igitur in his, quæ dabilia sunt, quòd certius existimamus, tenere debemus*: ergo debemus sequi in dubio tutius. Resp. Hoc argumentum etiam adversarios premit; nam etiam ipsi admittunt, in materia iustitiæ, in qua est matrimonium, meliorem esse conditionem possidentis. Nec dicant, defuisse bonam fidem in juvene; nam hoc gratis dicitur, & Pontifex de isto nullam mentionem facit. Deinde altera saltem pars contraxit bona fide.

In forma. dist. conseq. ergo iudex debet in dubio sequi, quòd est tutius, conc. conseq. debet quisvis alius in quovis dubio sequi tutius, neg. conseq. In primis, non tutius, sed certius, hoc loco ait Pontifex, inter quæ est magnum discrimen. Dein loquitur de se ipso, ut iudice, atque ut talis mandat, eos separari; unde ex hoc casu ad summum sequitur, iudicem debere tutius, aut certius sequi in iudicando; Responderi etiam potest 2. cum Arriaga, in hoc casu saltem datum fuisse impedimentum publicæ honestatis; nam, cum eo in capite dicatur, puellam illam, nondum septennem, dictam fuisse ejus uxorem, & juvenem forsan tentasse copulam, Pontifex inferre potuit, malitiam in puella supplevisse ætatem, adeoque fuisse saltem sponsalia, consequenter datum impedimentum publicæ honestatis, quòd ante Tridentinum dicitur mebat matrimonium usque ad quartum gradum, cum sanguineis sponsi, aut sponsæ, & oriebatur etiam ex sponsalibus invalidis, præterquam ex invalidis ob defectam consentis, ut videre est apud Layman l. 5. tr. 10. p. 4. c. 9. n. 1. quavis modo hoc impedimentum, ob sponsalia de futuro, à Tridentino *sess. 24. c. 3. de reform. restrictum sit ad primum tantum gradum*.

253. Hinc Eugenius declaravit, matrimonium subsequens esse nullum: & inde est, quòd cit. cap. dicat, *tum propter honestatem Ecclesie; quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur, tum propter prædictam dubitationem*. Nec debet supposito hoc impedimento, non fuisse asserendum

dubium matrimonium, sed certò nullum. Resp. enim, dubium tamen fuisse impedimentum affinitatis ex copula, & huc referunt verba *tum propter prædictam dubitationem*. Dein potest fors etiam dici, licet certius, hoc est, longè probabilius, vel etiam aliquo modo certum, fuerit impedimentum publicæ honestatis, fuisse tamen necdum septennem puellæ, cujus consensus foret tunc necdum validus fuit. Ex quibus tantum sequitur, quòd iudex debeat sequi in iudicando, quòd est certius, seu tutius: non verò universaliter etiam alii; nisi tamen vox certius significet non tutius, sed absolute certum; quòd non raro in iure significat; nam omnes debent facere id, ad quòd certò obligantur.

254. Ob. 4. *Clementina. Exvi. de verborum significatione*. Cum enim inter Fratres Minores fuissent exorta controversiæ, de variis dubiis circa suam Regulam, Clemens V. in Concilio Viennensi interrogatus, eaque dubia resolvens, inter alia sic ait: *Nos itaque, qui in sinceris horum conscientibus delectamur, attendentes, quòd in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientie, pars securior est tenenda*: ergo universaliter in dubio tutius est tenendum, ad vitandos remorsus conscientie. Resp. neg. conf. In his verbis non continetur universale præceptum, sed ad summum consilium, nisi velimus dicere, sermonem ibi esse de dubio practico, quo videntur laborasse multi Fratres Minores, & hinc habuisse graves remorsus.

Si enim esset præceptum, in omnibus, etiam remotis, vel speculativis dubiis, amplecti tutius, cur ipse Clemens id non in eadem Constitutione ubique præscribit? Sic ibidem quærebatur, an tenerentur Fratres, omnia consilia Evangelica, etiam, quæ non continentur in Regula, observare, eoque in principio Regulæ haberetur: *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare*: & tutius foret, observare omnia; Papa tamen responderet, non teneri. Item quærebatur, an verba imperativi modi, in Regula posita, semper haberent vim præcepti: tutius iterum foret, observare omnia tanquam præcepta: attamen Pontifex statim post verba objecta respondet negativè. Videri potest ipsa Clementina valde longa, & ex ipsa patebit hæc veritas.

255. Dices. Tutius quidem esset, ista observare tanquam præcepta: at non esset tutius, ea præcipere, eoque infirmitas humana nimis gravaretur. Resp. Rectè dicitur: sed hoc ipso admittit, non semper in dubio tutiora esse de præcepto; si enim præcepta non sunt, etiam non sunt amplectenda tanquam præcepta. Adverte tamen, quandoque in dubio tantum unam partem esse tutam, & dici tutiorem, non comparative, sed exclusive (sicut quandoque etiam particula magis ita sumitur: de qua re n. 208. de DEO) & tunc utique debemus sequi tutiorem. Rursus debemus sequi tutius, si non possumus deponere dubium, an fortè res sit prohibita, nec per principia directa, nec per reflexa: iterum, quando agimus contra eum, pro cuius jure stat possessio: item, quando in certis casibus id jura specialiter præcipiunt: vel in spe-

ciali materia, specialis ratio nos cogit: universaliter autem verum non est, quòd semper in dubiis, etiam remotis, vel speculativis, ad tutius teneamur.

256. Ob. 5. Omnes antiqui concordia voce docent, quòd in dubio tutior pars sit eligenda, adeò, ut Vasquez in 1. 2. disp. 65. c. 3. n. 8. dicat, se neminem ex scriptoribus invenisse, qui oppositum dicat, saltem in dubio juris, seu de existentia legis, quando est periculum peccati: atqui, in re tanti momenti, recedere à communi antiquorum sententia, est nefas: ergo. Confirmatur 1. Est incredibile, quòd tota retro antiquitas, per plura sæcula, erraverit in principio morali, adeò late patente, & contra veritatem asseruerit, obligationem adeò universalem, atque ad omnes homines, & plurimas eorum actiones se extendentem, non sine periculo plurimum peccatorum formalium: ergo debet dici, verè dari obligationem sequendi tutius in dubio. Confirm. 2. Etiam plurimi recentiores idem principium adstruunt: & Clerus Gallicanus an. 1700. 4. Septembr. damnavit propositionem, qua asserbatur, quòd tantum sit consilium, non verò præceptum, in dubiis sequi partem tutiorem: ergo tam antiquitas, quam hodierna tempora, conspirant in illud principium.

257. Hæc objectio magnam præfert speciem, & ad eam ritè solvendam, exponendum est, qui hæc recentiores, qui antiqui dici solent. In primis aliqui per recentiores intelligunt omnes non Thomistas, aut Scotistas, & præsertim intelligunt auctores nostræ Societatis, qui scilicet ferius, quam illi scribere coeperunt. Hæc tamen denominatio, saltem inter nostros, non est usitata: neque etiam, quando à me recentiores communiter aliquid asserere dicuntur; omnes nostri auctores intelliguntur; quasi omnes communiter id docerent; hoc enim sæpe esset falsum.

Multò minus in hac quæstione usurpat hæc vox in dicta significatione; nam eâ suppositâ per antiquos deberent intelligi Thomistæ, & Scotistæ, ex quibus plurimi hoc principium negant, præsertim post Bartholomæum Medinam ex ordine S. Dominici, qui à quibusdam citatur, tanquam auctor sententiæ benignæ, quamvis jam aliqui ante eum sententiam illam, saltem cum aliqua moderatione, amplexi sint, de quo infra. Quare in ista quæstione, aut quando agitur, de obligatione sequendi tutiora, aut etiam probabiliora, per antiquos communiter intelliguntur scriptores ante Bartholomæum Medinam qui anno 1577. scripsit: qui autem hunc commutavit, aut secuti sunt, adeoque omnes, qui post annum 1577. usque nunc per sesqui sæculum editi sunt, in ordine ad hanc quæstionem, recentiores vocantur. Quandoque tamen per recentiores intelliguntur recentissimi, vel moderni scriptores, à medio circiter sæculo: quòd ex circumstantiis materiæ, vel authorum, colligi poterit.

258. Jam in forma. Resp. 1. neg. ma. nam multi nec attingunt hanc quæstionem: & qui eam attingunt, non omnes dicunt, ex præcepto semper sequendum tutius, ut ostendimus, quando agemus de usu opinionis probabilis. Si Vasquez non invenit, invenere alii antiquos nobilium sentientes: certè S. Antoninus, scriptor

utique antiquus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. dicit, in dubio leges benignius accipiendas: & eodem §. prius dixerat: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti.* Certè ex antiquis multi permiscere electionem inter duas sententias æqualiter probabiles: multi etiã ex antiquis, magni viri, citandi n. 268. admiscere, in dubio voti aliquem non teneri ad tutius: & tamen votum est quasi lex privata, arguè rationes adversæ, vel in utroque casu, præcepti, & voti, probant obligationem, vel in neutro. Ipse Vasquez videtur, admittere usum licitum sententiæ tantum probabilis, quod, quomodo fiet cum isto principio, ita universaliter accepto, videtur ipse nisi (ut Ralslerus in norma recti disp. 3. q. 9. a. 19. n. 802. eum loqui putat, & fat bene probat) loquatur tantum in casu dubii practici. Accedit, ut bene advertit idem Ralslerus, quod multi antiquorum possint exponi de dubio practico; quia, nec ex materia subiecta, nec ex ratione, colligitur, eos intelligi debere de dubio etiã speculative, seu remoto: & videntur convenientius de dubio practico exponi, tum, quod rationes ab iis adductæ, plus non probent, tum, quod aliàs aliquando nimis rigidè sensisse viderentur.

259. Resp. 2. neg. mi. Nam illi, qui hac in quæstione vocantur recentiores, sunt in primis numero plures, & (exceptis antiquorum primipilis S. Thoma, S. Bonaventura, Scoto, & quibusdam aliis) quoad ingenium, studium, eruditionem, ordinem, ac claritatem doctrinæ, præstationem quæstionum in terminis, & claram exoritur expositionem, soliditatem rationum &c. omnes saltem simul sumpti, antiquis certè æquales, si non quandoque superiores, quæ fusiùs prosequitur idem Ralslerus in norma recti disp. 3. q. 9. per totum articulum 5. qui dignus est legi.

Refert ibidem hic auctor n. 493. Clerum Gallicanum anno 1700. gravissimâ censurâ notâsse assertionem cuiusdam recentioris, dicentis, omnia esse hodiè melius examinata, & ob hanc rem, in omni materia, & præcipuè in morali, libentius juniores, quàm antiquiores se legere, & sequi. Et sanè propositio hæc est vigesima inter censuratas à Clero Gallicano, estque hæc ejus censura: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus, & antiquis Doctoribus contumeliosa: spretd in moribus Christianorum componendis necessaria Scripturarum, ac traditionis autoritate, & interpretatione, moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones, & doctrinas Christo prohibendas stabilendas.* Sed Ralslerus loc. cit. addit, hanc propositionem, si ritè, & intra suos limites, accipiatur, nullam censuram mereri, si scilicet tantum intelligatur, juniores simul acceptos, melius discussisse quæstiones morales, quàm communiter antiqui fecerint: certè, ait, quæstiones, melius scriptas, vel tractatas reliquissè: dum antiqui non semper ita enucleatè, & distinctè scripserint.

Ex quibus omnibus hoc saltem habetur, quod cum tot recentioribus, afferentibus valde graves rationes, possit utique ab antiquis regedi, ut infert idem in norma recti disp. 3. q. 9. a. 19. num. 803. Sanè videtur innegabile, à pluribus antiquorum sententis, jam plures, etiã nostros in hac quæstione adversarios, recessisse. Ali-

ud esset, si ageretur de lege aliqua positiva Divina, quæ deberet nobis per traditionem innovescere; tunc enim, si antiqui, per plura sæcula, aliquid constanter servandum dixerint, quamvis rationem non attulissent, deberet utique eis credi; sic enim traditio Divina ad nos debuit pervenire. At hic non agitur de lege positiva Divina, sed de naturali, quam non traditione, sed lumine rationis naturalis, aut supernaturalis, debemus rescire.

260. Ad 1. confir. negatur in primis suppositum, quod tota antiquitas illud principium tenuerit: quod autem maxima pars antiquorum Doctorum id tenuerit, omittitur: negatur autem, esse incredibile, eos in hoc principio errasse. Ut enim rectè observat iterum Ralslerus in norma recti disp. 3. q. 9. a. 19. n. 804. debet admitti, per longum, plusquam centum annorum tempus, errasse maximam partem Doctorum, scilicet, aut antiquos, qui hoc principium adstruxerunt, aut sic dictos recentiores, qui hoc negaverunt. Si ergo adversariis non videtur incredibile, quod per integrum sæculum (quod tamen ab eruditissimo Cardinali Bellarmino *Seculum Doctorum, & Sanctorum* appellatur) per integrum, inquam, sæculum, & amplius, maxima pars Doctorum erraverit, non etiã miretur, si nobis è contrario non videatur incredibile, quod quoad majorem partem antiquiores erraverint.

Et hoc etiã ex eo fit credibilis, quod quidam antiqui istam fortè rem non ita ex professo examinarint, & hinc faciliùs lapsi sint: de quo *norma recti disp. 3. q. 9. a. 5. n. 506.* Adde, quod quidam eorum hoc ipsum principium videntur fundasse in alio priori falso, nempe, quod nulla detur ignorantia invincibilis juris naturalis, vel etiã am positivè Divini. Nec dicas, non videri, quomodo DEUS talem errorem potuerit permittere; nam, si juxta adversarios potuit errorem permittere in doctissimo sæculo post Medinam, cur non in prioribus? Dein, si potuit permittere decipi illos, qui opinabantur, non dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, cur non & alios, qui ex illo principio inferebant hoc alterum de eligendo tutiore in dubiis? Illos autem decipi permisit; nam quamvis non omnes antiqui id senserint, tamen tam multi id sensere, ut Geson libro de vita spiritali lect. 4. coroll. 3. dicit: *Concors est sententia, nullam in his, que legis Divinæ sunt, esse ignorantiam invincibilem.* Scilicet potest DEUS permittere conscientiam erroneam, præsertim, quæ per se ad melius compellit, quavis per accidens occasio aliqua peccatorum formalium esse possit.

261. Ad 2. confir. Dicitur Cleri Gallicani Conventus consistebat in sexdecim Episcopis, & aliquot inferioris ordinis clericis; tot enim subscripti inveniuntur. Jam verò anno 1714. in causa Constitutionis *Unigenitus* Parisiis conveniunt 40. Episcopi, & in suo Conventu ediderunt Instructionem Pastoralem, eamque unâ cum epistola encyclica ad omnes regni Antistes miserunt: & tamen congregati hi Præsules, numero illis sexdecim longè superiores, in fine literarum sic scribunt: *Nos vos rogamus . . . quid bene scimus, quod non possimus hac super re vobis ullam obligationem imponere: unde verosimiliter nec*

priores poterant magis obligare. Sed quidquid sit, si Clerus Gallicanus suam censuram tantum vibrat contra sententiam, afferentem, in dubiis practicis non sequendum tutius, equidem nos non terit: si extendit eam etiã ad dubia tantum remota, seu speculativa, nos iterum, sapientissimus Conventus ferire non vult, extra Galliæ jura constitutos. Quod attinet ad adversarios modernos, in primis multi non sat distinctè procedunt, etiam in nimium rigorem vergunt: quandoque etiã acerbis convitiis potiùs, quàm argumentis pugnant, ut adeò & de ipsis non sit incredibile, eos fuisse lapsos: certè eorum auctoritas aliis maximo etiã numero, & insuper meliore ratione fulvis, præferri non debet.

ARTICULUS III.

An obligemur ad tutius in dubio legis.

262. Diximus jam in genere, nos non semper teneri ad tutius, quando dubitatur speculative; seu quo utique infertur, nos neque universaliter teneri ad tutius in dubio legis; quia tamen quæstio hæc, ad praxin utilissima, digna est, ut enucleatius tractetur, & auctores non convenienter, saltem quoad omne genus, vel speciem legum, hinc ulterius statuendum, an non saltem in dubio de certa specie legum, teneamur ad tutius: qua ratione etiã, præcedenti articulo dicta magis confirmabuntur. Triplex autem communiter solet assignari lex, nempe Naturalis, Divina positiva, Humana.

263. Dico 1. Certus de lege, & dubius de dispensatione, privilegio, cessatione legis, vel excusatione ab ea observanda: item dubius, an legem positivam certam jam impleverit, stante hoc dubio, tenetur ad tutius, hoc est, ad observationem legis. Ita communissimè ferè omnes. Prob. In his casibus lex est in possessione, & pro ea stat præsumptio: at verò dispensatio, excusatio &c. sunt res facti, quæ in dubio non præsumuntur, ut habet communis: ergo debent probari facta, vel posita. Quare, qui dubitat, e. g. an vigesimum quartum annum compleverit, non potest absque dispensatione presbyteratum accipere: qui dubitat, an die sabbathi noctu jam sonuerit hora duodecima, non potest carnes comedere.

264. Dico 2. Dubius, an lex existat, debet veritatem inquirere, quantum moraliter convenit pro gravitate rei, & ipse moraliter potest, ac interim actionem minus tutam suspendere: vel, si nolit inquirere, debet tutius facere, seu legem etiã dubiam observare. Ita omnes. Prob. Nolens inquirere, an lex existat, vel non, laborat æquivalenter ignorantia viscibilis: sed hæc juxta omnes, tam Patres, quàm Doctores, non excusatur; cum omnes agnoscant peccata ignorantia, quæ maximè dantur, si ignorantia est vincibilis: ergo. Dixi in ma. *æquivalenter*; nam, quamvis ponatur casus, in quo etiã adhibito labore, non possit veritas deprehendi, adeoque re ipsa sit ignorantia invincibilis, tamen, qui hoc

R. P. An. Mayr Theol. Tom. I.

nescit, neque potest rationabiliter supponere, & omittit inquirere, se habet ut alius, qui omittit, quando potest veritatem deprehendere.

Imò videtur, planè talis etiã non esse interrogaturus, quamvis putaret, se veritatem resciturus: saltem, in ælimatione moralis omnium, ita se habet, estque culpabilis; quia non fecit, quantum in ipso fuit, ad quod tamen faciendum, hoc est, ad moralem diligentiam, in veritate inquirenda adhibendam, obligat lex DEI, ut omnes consentiant; nam omnes dicunt, dari peccata ignorantia, scilicet vincibilis, quæ in tali non interrogante utique datur: id quod etiã probat remorsus conscientia, nasci solitus in iis, qui veritatem inquirere negligunt. Confir. 1. Illicitum est operari cum dubio practico: atqui non inquirens veritatem, & agens minus tutum, operatur cum dubio practico; nam ex dubio speculative, de honestate objecti, oritur mox practicum, de licentia actionis: nec potest istud ab eo, qui veritatem non indagat, ex ullis principis, directis, aut reflexis, deponi: ergo, vide etiã n. 244. Confir. 2. Nisi daretur obligatio, vel inquirendi, an lex detur, vel sequendi tutius, corruperet fermè omnis disciplina, & quilibet faceret, quod liberet: hoc est absurdum: ergo.

265. Dico 3. Post factam sufficientem inquisitionem, adhuc dubius de existentia legis humane, non tenetur ad eam observandam. Ubi nota, parem esse rationem, sive dubitetur, an lex omnino sit lata, sive, an sit universalis, & aliquem casum per se comprehendat; quia etiã hoc dubium est dubium de substantia legis; est enim dubitare, an detur lex præcipiens, vel prohibens illam materiam, vel actionem. Aliud est, si lex per se comprehendat illum casum, & tantum dubitetur, an quis per accidens excusetur; tunc enim, ut jam dictum n. 263. tenetur ad legem. Conclusionem hanc nostram tenent S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. circa medium, ubi ait: *Inter duram, & benignam circa præcepta sententiam, quod benigna est potiùs cæteris paribus interpretatio faciendi: quod etiã asserit Wilhelmus. Suarez in 1. 2. tr. 3. disp. 12. sec. 5. & tom. 2. de relig. l. 4. de voto c. 5. n. 7. & tom. 5. in 3. p. de censuris disp. 40. sec. 5. à n. 14.* Thomas Sanchez, Henriquez, Sa, Conink, Lessius, Tannerus, Lugo, Pallavicinus, Filiucius, Layman, Arriaga, Baldellus, Oviedo, Terillus, Haunoldus, Aloza, Mendo, Cardenas, Gobat, Abreu, Dicaillio, Giballinus, Gordon, Bardi, Tamburinus, Ant. Perez, Raynaudus, Schilder, Rhodes, Elcobar, Sarafa, Illung, Sroz, Busenbaum, Malderus, Abelli, Bonacina, Boffius, Joannes à S. Thoma, Delbene, Gibbon, Sangailenses, Passerini, Rheding, Engel, Biel, Vidal, Metzger, Boſco, Sporer, Neuffer, Cottonius, Antonius à sancto Spiritu, Leander à SS. Sacramento, Caramuel, Diana, & alii, quos citat in suis manuscriptis P. Josephus Vogler, vir à copiosissima lectione, & vastissima memoria, celebratissimus: & potuisset citare plurimos alios, imò omnes, qui amplectuntur sententiam, quam vocant, benignam.

266. Probatur autem conclusio 1. Obligatio servandi omnes leges, circa quas, omnibus consideratis, dubitatur, an existant, vel non, est

est valde gravis, & onerosa: sed talis obligatio non est adstruenda sine rationibus efficacibus, quales tamen non possunt afferri: ergo major prob. vi illius obligationis teneremur, non tantum ad leges re ipsa existentes, quando de illis dubitaremus, sed etiam ad plures, re ipsa non existentes, easque sæpe difficilissimas, quoties scilicet dubitaremus, an darentur, quod sapientissime contingit, quod esset valde grave. mi. superior quoad primam partem est passim recepta, etiam ab adversariis in aliis materiis, etiam circa legem Divinam: ergo adhuc magis recipienda est circa legem humanam. Sic ex eo solo, quod non probetur efficaciter obligatio, confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, P. Thyrsus, aliis rigidis sententiam magnus fautor, eam negat in *quest. seledis. tom. 3. disp. 41. sec. 1.* Quoad alteram verò partem ea mi. probabitur solutione objectionum. Huc spectat etiam probatio n. 248. adducta.

Nec dicas 1. probati sententiam oppositam saltem autoritate; nam hæc est ad minimum æqualis, si non major, pro nostra sententia, ut patet, partim ex isto, partim ex præcedente articulo. Neque dicas 2. praxin communem esse nobis oppositam; nam ista nullatenus probat oppositum rigorem. Belgæ etiam, & Galli rigoristæ, quamvis verbotenus valde rigidam disciplinam proficiantur, eam ipso opere non semper exequuntur, præsertim aliqui, qui, licet rigorem, & tutiora, ubique inclament, tamen, cum rigidè observandæ essent Pontificiæ Constitutiones, & juramentum Formularii syncretè præstandum, minimè tutiora sequuntur; foret enim sæpe longè tutius, beneficia deserere, quam, prout ipsi jurant, jurare.

267. Prob. conclus. 2. Jus naturale, se solo, non obligat absolutè, ad servandas omnes leges humanas dubias, saltem non obligat, si legislatores humani nolint, subditos obligari in dubio invincibili legis: atqui probabilibus nolunt, eos in tali dubio obligari: ergo. prob. min. ex variis textibus juris utriusque (præter jam citatos n. 248.) primò ex Jure Canonico. C. Ex parte tua. finali de transactionibus dicitur: *In his verò, super quibus jus non invenitur expressum, procedas equitate servata, semper in humaniorem partem declinando*, item Reg. 57. de reg. jur. in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio faciendâ.* Quamvis autem, ut notant auctores, hæc regula principaliter loquatur de contractibus, qui sunt leges privatæ, tamen etiam adhibetur ad leges communes, quando scilicet interpretatio, quæ aliàs à principe peti debet, ab eo moraliter haberi non potest. Patitur quidem etiam hæc regula, uti aliæ, suas exceptiones: at nulla est contraria nostræ sententiæ. videtur P. Wiestner l. 5. tit. 41. in banc regulam.

Probatur eadem mi. textibus Juris Civilis, leg. 9. ff. de reg. juris. *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*: quam regulam etiam acceptavit Jus Canonicum cit. n. 248. ergo, si dubium est, an major, an minor obligatio, sit imponenda, asserenda est minor: si dubium, an aliqua, an nulla, asserenda est nulla. leg. 192. eod. tit. *In re dubia, benigniorem interpretationem sequi, non minus justus est, quam tutius. leg. Benignius 18. ff. de legibus. Benignius leges interpretandæ sunt, quo*

voluntas earum conservetur. leg. Si fuerit. 10. ff. de rebus dubiis. In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet. leg. Arrianus. 47. ff. de obligationibus, & actionibus. Arrianus ait, ubi de obliganda queritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem ad negandum: ubi de liberando, ex diverso, ut facilius sis ad liberationem.

Confirm. Qui invincibiliter ignorat legem, non obligatur ad eam servandam: atqui invincibiliter dubius de lege, moraliter ignorat legem: ergo. ma. probata est à n. 57. mi. prob. Taliter dubius non potest affirmare, legem dari: ergo moraliter eam ignorat; sic enim moraliter dicimur ignorare ea, de quibus non habemus fundamentum sufficiens, ut dicamus, ea potius dari, quam non dari. prob. ant. Talis, vel dubitat negativè, & non habet rationem sufficientem asserendi, quod lex detur, sicut nec negandi; adeoque non minùs ignorat, legem dari, quam dari ejus negationem; ignorat enim utrumque, Vel dubitat positivè, dubio strictè tali, & tunc rationes se mutuo elidunt, ac neutra prævalent: ergo iterum non potest affirmare, legem dari, sicut nec ejus negationem: adeoque nescit, quid censeat, an, dari legem, an, non dari; quod moraliter est idem, ac nescire, quid detur, vel non detur: consequenter, invincibiliter dubius de lege, est in sensu morali invincibiliter ignorans legem, atque adeò non tenetur ad eam observandam.

268. Dico 4. Post factam sufficientem indagacionem, dubius etiam de lege Divina positiva, aut etiam naturali, per se non tenetur ad tutius. Ita iterum S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. ubi, cum dixisset, præcepta esse benignius interpretanda, mox addit: *Hujus ratio est; quia præcepta DEI, & Ecclesiæ non sunt ad tollendam omnem spiritualium dulcedinem*: ergo loquitur etiam de præceptis Divinis: quod etiam manifestum est ex verbis paulò antè ab eodem Sancto positus circa præcepta, & humana, & Divina. Idem tenent plerique auctores, qui id sentiunt de dubio legis humanæ, & concedere hoc etiam debent omnes patroni sententiæ, ut vocant, benignæ.

Probatur hæc conclusio iisdem serè rationibus, quibus probata est conclusio immediate præcedens: scilicet, etiam hæc obligatio est gravissima, nec sufficienter probatur: ex quo ipso principio plures inferunt, non esse sequendum tutius in quibusdam legibus Divinis, e. g. non esse exponendas in confessione circumstantias aggravantes, ut dicitur n. 266. Rursus rationes, quæ suaderent obligationem servandi leges Divinas dubias, suaderent etiam obligationem servandi leges humanas dubias: hanc non persuadent: ergo nec illam. Confirm. In dubio, an votum sit emissum, gravissimi auctores, jam ante Vasquezium, negarunt obligationem illud implendi, ut Dominicus Sotus de Justitia, Angles, Medina, Ludovicus Lopez, Emanuel Rodriguez, Glossa: & post Vasquez longè plures, cum Layran l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 31. atqui, ut habet Arriaga tom. 3. de act. hum. disp. 25. sec. 2. n. 5. votum est quasi lex particularis, quæ non immediate obligat DEO: ergo, si votum dubium non obligat, neque obligat aliæ leges dubiæ Divinæ.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

269. Ob. 1. contra 3. conclus. Deuter. 17. v. 8. DEUS ita præcipit: *Si difficile, & ambiguum, apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram: & judicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus DEUS tuus: veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quævisque ab eis, qui indicabunt tibi iudicium veritatem. Et facies, quodcunque dixerint, qui præsent loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*: ergo, vel debemus semper attingere verum, vel sequi tutius.

Hanc videtur consequentiam inferre Camargo, qui hoc textu triumphat in sua regula honestatis p. 1. l. 1. contrav. 9. a. 3. ubi statim sub initium n. 57. ait. *Hoc unum testimonium Divinum, si satis ponderetur, & attendatur, probabilissimum radicibus convellit, totamque fabricam recentiorum ab ipsis fundamentis quatit, ac diruit.* Quando autem sibi ipsi objicit §. 3. num. 74. hoc textu etiam probari, quòd opus foret, ut pro quovis dubio recurratur ad Summum Pontificem, sicut scilicet Judæi illa dubia debent recurrere ad supremum judicem, respondet §. 4. à num. 87. vel eos, qui veritatem sincere indagant, ordinariè eam reperturos esse (quod est falsum; cum gravissimi viri, & sinceri veritatis amatores, sint sibi valde sæpe oppositi) vel eos tutius facere posse (quod in tot occasionibus semper facere est difficillimum.)

270. Resp. in forma neg. seq. Judæi in illis dubiis, qualiacunque ibi intelligantur, (nam de hoc quæstio fortè esse possit) debent recurrere ad summum Sacerdotem, vel Judicem; quia supponebantur potuisse recurrere, præsertim in regione non adeò magna: consequenter habebant dubia vincibilia. At nos sæpe versamur in dubiis invincibilibus, neque possumus habere recursum ad Pontificem, tum; quia sæpissime tempus non patitur, tum; quia Pontifex dubia, pro quibus utrinque graves stant Doctores non ita facile decidit, tum; quia non quilibet potest eum accedere, ut per se patet; aliàs enim cur tot libri implentur opinionibus, aut sententiis practicis, probabilis metas non excedentibus, & non statim consulitur oraculum Vicarii Christi? Quod si tamen Pontifex aliquid decidat (ut Alexander VII. & VIII. atque etiam Innocentius XI. multa deciderunt) illis utique parendum est. Tandem non præcipitur ibi Judæis, ut, quando non possunt accedere summum Sacerdotem, sequantur in omni dubio tutius: unde hic textus non est ad rem.

271. Ob. 2. S. Thomas quodlibeto 8. q. 6. a. 13. sic ait: *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quòd est secundum conscientiam*: ergo debemus semper sequi tutius. Resp. Quid ergo faciendum, si in

utroque alicui appareat aliquid mali; & in uno quidem videatur ratio minor mali; re ipsa tamen sit major, uti absolutè contingere potest? an in hoc casu talis, faciens, quantum potest, tutius, tamen peccabit? Quare fatendum est hunc textum, si in rigore, quem prima fronte adversariis videtur præferre, sumatur, probare nimium; nam sic vera esset propositio: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*: si scilicet, ut potest fieri, opinio illa esset re ipsa falsa, & minus tuta: hæc autem propositio est tertia inter damnatas ab Alexandro VIII.

Rursus sequeretur, vel nullam dari ignorantiam, juris ullius invincibilem, vel cum illa operantem, non excusari à peccato. Primum est clarè falsum; cum evidens sit, multas leges positivas ignorari, etiam à doctis, & aliqua quoque præcepta juris naturalis, non quidem quoad prima principia, sed tamen quoad conclusiones remotiores; cum auctores gravissimi, ac piissimi, quoad has sint sibi oppositi. Secundum non potest dici; nam iterum est propositio 2. ab Alexandro VIII. damnata: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris nature, hæc in statu nature lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Unde huic textui etiam adversarii aliquam expositionem benignam adhibere debent.

272. Quidam ergo respondent, S. Doctorem loqui tantum de actionibus factis contra legem naturalem, quod videtur posse sumi ex quæstione ibi tractata, scilicet, an liceat habere simul duas præbendas; hoc enim spectat ad jus naturale. Quare hic textus potius objici deberet contra quartam conclusionem: at, quia in eo expressa juris naturalis mentio non fit, sed S. Doctor legem ut sic tantum innuit, etiam contra tertiam conclusionem objicitur. Dicunt ulterius isti auctores, S. Thomam cum multis aliis antiquis negasse, quòd detur aliqua ignorantia invincibilis juris naturalis: consequenter sensisse, quòd faciens, quantum est in se, semper à DEO juvetur, ad veritatem circa illa objecta attingendam: quibus positus utique verus est textus ex eo objectus.

Mibi autem videntur de S. Doctore honorificentius illi sentire, qui dicunt, ipsum dictam sententiam nunquam docuisse: & mallem unum, alterumve vocabulum; minus propriè exponere, quam talem doctrinam Angelico adscribere, præsertim, cum in Summa, quæ est ejus, quasi ultimum, & præstantissimum opus, aliter docuerit (ut alii etiam agnoscunt, & ideo dicunt, Angelicum priorem opinionem retrahente.) nam S. D. 1. 2. q. 94. a. 4. in corp. docet, quòd, quamvis jus naturale sit commune apud omnes, quoad prima principia, & quoad hæc sit notum, non tamen sit ita notum, quoad conclusiones; has enim, ait, posse à quibusdam ignorari propter hoc, quòd aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine nature: quibus ultimis verbis non indicatur culpa, sed hebetudo naturalis intellectus, quæ non est in potestate hominis, adeoque nec culpabilis.

Rursus ead. q. a. 6. in corp. ait: *Potest legem naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones (eo modo, quo etiam in speculativis erroribus contingunt circa conclusiones necessarias)*

rias) vel etiam propter pravas consuetudines &c. ubi iterum per malas persuasiones non intelliguntur culpabiles, sed tantum falsæ, scilicet tales, per quales malas etiam in speculativis erroribus contingunt. Item 1. 2. q. 100. a. 1. in corpore cum dixisset, aliqua statim per se quemlibet hominem ratione naturali judicare esse faciendam, approbandam, vel reprobendam, post pauca ait: *Quædam verò sunt, que subtiliori consideratione rationis à sapientibus judicantur esse observanda. Et ista sic sunt de lege nature, ut tamen indigeant disciplinâ, qua minores à sapientioribus instruantur. Quis autem non videt, posse absque culpa minorum, seu rudiorum, contingere disciplinâ, seu instructionis defectum?* Rursus questione 3. de malo a. 8. in corpore ait: *Per ignorantiam aufertur voluntatis actus, & sic tollitur voluntarium, quantum ad id, quod est ignoratum. Unde, si in eodem actu aliquid sit ignoratum, & aliquid scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id, quod est scitum: semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum: sive ignoretur deformitas actus, puta, cum aliquis nescit, fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum &c.* ergo omnino non peccat; quia non potest dari peccatum non voluntarium: & tamen fornicatio est contra jus nature.

273. In forma igitur neg. conseq. S. Doctor enim ibi non agit de conscientia invincibiliter errante; sed de errante vincibiliter, vel practice adhuc dubia: quo casu utique etiam nos dicimus, quod debeat stante eo dubio fieri tutius. Et sic de ignorantia vincibilis S. Thomas explicat S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. ubi ait: *Hæc enim verba Beati Thomæ non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesie determinatione, quod sit contra legem: & non de illis intelligi, ubi non apparet, alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non esset credendum: ubi illud manifestè indicat ignorantiam vincibilis; nam ignorantia rerum, quæ in Scripturis manifestè prohibita sunt, vel etiam ab Ecclesia ut prohibita declarata, ordinariè saltem vincibilis est; quia docti ordinariè per se res illas prohibitas sciunt, rudes à doctis diligenter querendo, rescire possunt.*

Dices. Hæc ratione S. Doctor non solvit hæc questionem, eo loco propositam; nam ea non erat, an quis practice dubius possit duas præbendas admittere, sed, an absolute id fieri possit. Resp. legenti articulum illum patere, quod S. Doctor questionem ibi directe non resolvat, sed agat per principia reflexa; imò, quod non decidat an admittens, duas præbendas agat contra legem, vel non; hanc enim questionem dein resolvit quodlib. 9. q. 7. a. 15. dicens, posse concurrere circumstantias, in quibus licet duæ præbendæ acceptentur. Quando autem S. Thomas videtur insinuare, factam aliquam diligentiam, non hoc ipse ait, factam esse sufficientem: quare neque ex hoc capite nostra hæc responsio rejici debet.

274. Dices 1. Idem Angelicus quodlib. 9. q. 2. a. 15. eandem questionem de duplici præbenda tractans, ait: *Omnis questio, in qua de mortali peccato queritur, nisi expressè veritas habeatur, periculose determinatur; quia error, quo non cre-*

ditur, esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto: & addit: *Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac questione accidit: Ratio ejus est; quia invenitur in ea Theologi Theologis, & Jurista Juristis contrariè sentire: ergo non licet in dubio agere, nisi tutius. Resp. In primis S. Doctor videtur hic potius loqui, de decisione questionis speculativa, seu in scholis à magistris, vel lectoribus faciendam. Si etiam de resolutionibus practicis loquitur, exponendus est de errore vincibili, qui, nisi sit omnino affectatus, videtur minus peccatum, quam, si scienter aliquid fiat, adeoque excusare à tanto, quamvis non à toto.*

Quod enim error invincibilis excuset à toto, clare tradit S. Doctor quodlibet 8. q. 6. a. 15. sic scribens: *Error autem consentiente quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur. Et in tali casu, quamvis factum de se sit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccat venialiter. Quandoque verò error consentiente non habet vim absolvendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut, cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest.*

275. Dices 2. Angelicus quodlib. 3. q. 4. a. 10. ait: *Nullus excusatur, si sequatur errorem opinionem alicujus magistri, Resp. S. Doctor per opinionem erroream non intelligit tantum falsam, sed eam, quæ est contra manifestum Scripturæ testimonium; vel Ecclesie auctoritatem oppositam; & quidem loquitur de casibus regulariter contingentibus, in quibus talis error, vel ignorantia est vincibilis, sicut utique fuit vincibilis in iis, qui Arium, aut Nestorium fuere secuti, quos in exemplum S. Doctor adducit; eum apertissime reclamavit Ecclesia. Si autem error iste omnino invincibilis esset, uti potest contingere e. g. in rusticis, bona fide credentibus parochis, male docenti, etiam tales excusarentur à peccato infidelitatis. videatur norms recti disp. 1. q. 5. a. 10. num. 244.*

276. Dices 3. S. Doctor 1. 2. q. 96. a. 6. ad 2. ait: *Si enim dubium sit, debet, vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere. Idem docet 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3. ergo non potest quis in dubio ad minus tutum se resolvere. Confirm. Idem in 4. dist. 27. q. 2. a. 3. ad 3. docet, debere exponi in confessione peccata, de quibus dubitatur, an sint mortalia, an venialia: & addit rationem: *Quia, qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discriminat se committens. Idem in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. questionula 1. ad 6. ait: Si autem dubitet, quando de se in votendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat: ergo.**

Resp. disting. conseq. non potest quis se resolvere ad minus tutum in dubio de excusatione à lege, vel in dubio de cessatione legis, conc. conseq. in dubio de existentia legis, neg. conseq. S. Doctor primo loco querit, an quis possit aliquando ponere actum, quem lex prohibet: in secundo agit de epikia: in utroque casu supponitur lex existens. Ad confirm. neg. conseq. S. Thomas agens de peccatis dubijs suppo-

supponit, quod dubius speculative de peccatis non possit deponere dubium practicum; quia nullum habetur sufficiens fundamentum: & hinc paritatem instituit cum eo, qui practice de aliis dubitat.

Quod attinet ad votum, ibi S. Doctor principaliter agit, an votum semper obliget: & sic incidenter addit, quod etiam votum dubium obliget, quod tamen potest intelligi de dubio practico, quando quis scilicet non prudenter se resolvit: vel, quando est multo probabilius, aut quasi moraliter certum, quod voverit, & tantum dubium leve, aut non magnum in oppositum. Sed & dubium est, an S. Thomas in hac responsione, circa dubium voti, fuerit omnino obfirmatus; nam eandem questionem in Summa iterum bis tractans, scilicet 2. 2. q. 88. a. 3. & 2. 2. q. 189. a. 3. repetit duas alias responsiones, in 4. sententiarum loco objecto datas: at de dubio voti non amplius meminit.

277. Ob. 3. Scotus in prologo ad libros sententiarum q. 2. sub finem docet, etsi multa sint dubia, non tamen esse dubiam viam salutis; quia potest sibi homo à dubiis tanquam à periculosissimis cavere. Item in 3. dist. 25. q. 1. in responsione ad S. Præterea videtur, quod majores, ad 1. sed sub finem, estque reipsa responsio ad 2. hinc post pauca addit: *Et per hoc patet ad 2. ait Scotus. Si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat, quod licet: tutius est non procedere sic, nec sic: sed expectare, quousque veritas pateat aliunde.* Rursus in 4. dist. 21. q. 6. idem Scotus ait: *Cum... dubium sit, an amygdalum sit hujus Eucharistie materia, & pars negativa multum sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio: ergo juxta Subtilem Doctorem sequendum est tutius.*

Resp. neg. conseq. Ad primum textum, dico, loqui ibi Scotum de dubio practico; nam addit, etiam si actus per se non esset peccatum, tamen non cavendum, sed se periculo exponentem, peccatum: unde tantum debet evitari omne periculum formalis peccati, non verò tantum materialis. Ad 2. textum. In primis tantum dicit Scotus, esse tutius, non autem obligatorium: deinde loquitur, ut vult Mastrius, de sententia nondum satis examinata, ita, ut possit ferri iudicium probabile de illa; quia non statim auctoritas unius, quamvis periti, facit sententiam probabilem, si alius stet in oppositum, (qualis est casus à Scoto allatus) præsertim cum ratione graviore.

Potest etiam dici, Scotum non tam loqui de operando, quam de docendo; nam addit: *Si enim ita esset, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius, quod peccaret, si sic faceret, tunc simplex foret perplexus: ideo bene videndum est in moralibus, anquam aliquid afferatur.* Vult scilicet, non statim ex stapede, ut ajunt, solvi questiones morales gravissimas, quod utique neutiquam prudenter fieret. Ad 3. textum. Agit ibi Scotus de eo, an amygdalum, vel, ut ipse habet, amygdum, possit adhiberi ad consecrandam Eucharistiam: cum autem hic agatur de valore Sacramenti, utique tutior est adhibenda: nec Scotus tantum in genere dicit, quod se exponat dubio: sed ait, *tali dubio*: unde ab hoc casu non est argumentum univertale ad omnes alios. Adde, Scotum dicere, par-

tem negativam multum (Ita enim habet exemplar Gothicum, quo usus sum, non multis, ut alii legunt) hoc est, notabiliter probabilior; adeoque non est amplius moraliter dubium, ut inferens pluribus dicemus. videri potest Mastrius in 2. sententiarum disp. 5. q. 2. a. 5. n. 100. ubi plures textus Scoti explicantur.

278. Ob. 4. Si lex humana dubia non obligat, non fuisse opus, ut Fratres Minores in dubio de obligatione suæ Regule, an scilicet *verba imperativi modi* strictè sub præcepto obligarent, recurrerent ad Summum Pontificem: ergo. Resp. Ut in quovis Sacro Ordine, ita etiam in illo, fuere aliqui, aut multi simplices, qui habebant dubium practicum, quod ob varias, & oppositas Doctorum sententias, non facile poterant deponere: cumque insuper res esset maximi momenti, utpote concernens generalem disciplinam Ordinis, rectè petita est decisio authentica.

279. Ob. 5. Si lex humana dubia non obligat, tunc ideo; quia non esset sufficienter promulgata: sed hoc est falsum: ergo, prob. mi. si non esset promulgata, tunc non esset lex; sed hoc est falsum: ergo, ma. patet; quia promulgatio est de essentia legis, prob. mi. ex absurdis; nam sequeretur, quod, quando lex aliqua certò innotescit, tunc primum incipiat esse lex: & si denuò quis ejus obliviscatur, iterum definit esse lex &c. Similia Camargo non sine iamentis ingeminat. Resp. dist. ma. lex dubia non obligat; quia non est sufficienter promulgata, promulgatione strictè dicta, neg. ma. promulgatione latè dicta, vel sumpta pro imitatione, insinuatione, aut notificatione, conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. ad prob. ma. dist. illatum, promulgatio, strictè dicta, est de essentia legis, conc. illat. latè dicta, neg. illat. ad prob. mi. neg. sequelas.

Promulgatio strictè dicta, quæ solet ordinariè esse solennis, fit per certum signum publicum, e. g. decreta Pontificis affiguntur Romæ ad valvas Basilicæ S. Petri, vel in Acie Campi Floræ: vel mandata regia, aut leges novæ promulgantur publicè in metropoli, aut civitatibus alijs, per præconem, vel affixionem ad portas urbium: & hæc promulgatio iuxta communem est de essentia legis. Attamen hac posita, sæpè contingit, ut multi adhuc legem eam invincibiliter ignorent, & sic non detur promulgatio latè dicta, seu notificatio, sine qua non potest lex obligare inficium. Nec est, cur hic modus loquendi reproberetur; sic enim etiam loquitur Suarez in 1. 2. tr. 3. de bonitate & malitia actuum humanorum. disp. 15. ec. 6. n. 8.

280. Dices 1. Ergo neque lex obligat, quando practice dubito; nec est enim major vis obligandi in dubio practico, quam speculativo. Resp. neg. illatum. In casu dubii practici non tam obligat aliquem lex dubia, seu directè, quam alia certa reflexa, quæ prohibet agere cum dubio practico, quamque dari probatum est in 244. & quæ tam diu obligat, donec dubium practicum deponatur. At non datur lex certa, quæ obliget ad non agendum, cum dubio tantum remoto, vel speculativo. Alii dicunt, legem dubiam directè obligare conditionatè, scilicet, si

si dubium practicum deponatur: quæ respon-
sio quoad rem convenit cum nostra.

281. Dices 2. Si manet dubium speculati-
vum, necessarium etiam manet dubium practi-
cum: ergo non licet agere. prob. antec. dubi-
tans speculative, dubitat, an non sit prohibita a-
ctio: sed hoc est dubitare practice: ergo. Resp.
Sic neque licet agere, quando etiam multo est
probabilius, actionem esse licitam; quia major
quoque probabilitas non excludit dubium. In
forma neg. antec. ad prob. dist. ma. dubitans
speculative, dubitat, an actio in genere, vel spe-
cie, sit prohibita. conc. ma. an in individuo, sive
in his circumstantiis, legis tantum dubia, vel di-
staminis reflexi, sit prohibita. neg. ma. & sic dist.
min. neg. conseq. hoc enim non est dubitare,
strictè, seu proxime practice, sed ad summum
remotè practice, de quo n. 243.

Sic possessor bonæ fidei potest utique du-
bitare, an res sit sua, vel, an non retentio ejus
in genere, vel specie, abstractendo à circum-
stantiis possessionis, sit iniqua, & res debeat al-
teri dari: at non dubitat, an, in circumstantiis,
possessionis præviæ cum bona fide, possit eam re-
tinere: nec est ulla oppositio inter hos actus:
Dubito, an absolutè, abstractendo à circumstantiis,
hæc res liceat. Non dubito, sed judico, eam in his
circumstantiis mihi licere.

282. Dices 3. Certus de existentia legis
particularis, & dubius, an casus sit exceptus, re-
sistitur obedire legi, ut diximus n. 263. ergo etiam
certus de lege universali, qua DEUS jubet ser-
vari omnes leges humanas, & dubius, an hæc,
vel illa lex existat, tenetur servare legem. Resp.
neg. conseq. & paritem. In primo casu certa
est lex, & tantum dubium, an non per accidens,
ob aliquam difficultatem, vel causam extrinse-
cam; aliquis excusetur: in secundo casu est
quidem certa lex universalis, jubens servari om-
nes leges humanas certas: sed non est certa
lex universalis, obligans ad observandas etiam le-
ges humanas dubias: imò vel maxime dubitatur,
an DEUS talem legem universalem posuerit. In
priori casu præsumptio est pro lege tamdiu, do-
nec elidatur fortiori motivo, quo subditus pru-
denter judicare possit, se, hic, & nunc, per acci-
dens excusatum; aliàs enim, si sufficeret dubi-
um, sequeretur nimia transgressio legum. In
secundo casu, non adest talis præsumptio pro
lege: certe non probatur adeste.

Dices 4. Si in aliqua cathedrali Ecclesia ex-
cluduntur à canonicatibus non nobiles, tunc,
dubius de sua nobilitate non potest canonicatum
in ea acceptare: & tamen dubium est, an lex illa
ipsum comprehendat: ergo tenetur quis legem
dubiam servare. Resp. neg. 2. p. antec. & conf.
In hoc casu nobilitas quidem est dubia, sed lex
est certa, excludens omnes, non certo nobiles,
adeoque talem certo comprehendens. Hinc est,
quod candidati saltem canonicatum debeant
nobilitatem suam clarè probare, quandoque eti-
am de ea jurare. At nullo modo potest probari,
quod detur lex prohibens omnes actiones
contra leges humanas dubias.

283. Ob. 6. Qui agit contra legem du-
biam, exponit se periculo peccandi, & DEUM
offendendi, atque perdendi salutem animæ: sed
hoc ipsum est peccatum: ergo. Resp. dist. ma.

exponit se alicui periculo peccandi materialiter,
om. ma. periculo peccandi formaliter, neg. ma.
& dist. sic mi. neg. conseq. Aliud est pericu-
lum agendi injustè, ut ait Aristoteles, sive for-
maliter malum: aliud est periculum agendi
duntaxat injustum, seu materialiter malum. Jam
non debemus omne periculum, etiam cujusvis
peccati materialis, vitare; aliàs, cum hoc etiam
non semper vitetur, in sententiis, probabilioribus
quidem, sed minus tutis (nam etiam falsa sunt quan-
doque probabiliora veris) neque possemus sequi
sententiis probabiliores, sed semper deberemus
amplecti, omnino tutas, aut certas, quod est
nimis rigidum.

284. Ob. 7. Qui inter homines serio, &
sincerè est amicus alteri, debet omittere actio-
nem, de qua dubitat, an non violet amicitiam:
ergo multo magis, qui serio est amicus DEI,
debet similem actionem omittere. Confirm.
Servus, aut subditus dubitans, an actione sua
transgrediar mandatum domini, vel superioris,
debet eam omittere: ergo etiam servus, & sub-
ditus DEI: atqui violans etiam legem dubiam
quamcunque, sive humanam, sive Divinam, du-
bitat, an non violet amicitiam DEI: ergo,
Resp. dist. antec. amicus debet omittere actio-
nem, si dubitet practice, an violet amicitiam,
conc. antec. si tantum dubitet remotè, & spe-
culative, sibi que prudenter persuadeat, amicum
non esse tam rigidum, ut ad tam dura obliget.
neg. antec. & conseq. Ad confirm. dist. ant. si
dominus obliget ad omittendas actiones ita du-
bias. conc. antec. fecus. neg. antec. & conseq.
DEUS non est tam severus, ut ad ista obliget:
domini inter homines aliqui tam rigidi sunt,
alii non sunt.

285. Dices 1. Ergo licet etiam explodere
sclopum versus id, de quo dubito, an sit homo,
vel fera. Resp. neg. illat. Diximus jam n. 255.
dari in quibusdam particularibus casibus dubiis
obligationem sequendi tutius, qualis utique
est iste, quando potest actio, juncta pericu-
lo gravis damni alterius, facile omitti: certè
licentia faciendi actiones sic dubias cederet in
perniciem universi. Unde non est dubia, sed
certa lex, non jaculandi cum periculo occisionis:
sed tantum est dubium aliud, scilicet, an sit
homo, an non. Imò in hoc casu, est multo
probabilius sit, esse feram, quam hominem, si
tamen adhuc suspicio probabilis sit, esse homi-
nem, non possum sclopum explodere: quare, si
esset paritas, neque liceret sequi sententiam no-
tabiliter probabilioris, quod nec adversarii di-
cunt. Hinc nulla est paritas inter istud dubium,
& dubium de existentia legis.

286. Dices 2. Plus est, offendere DEUM, quam
occidere hominem: ergo, si non licet agere
in dubio de occisione hominis, neque licet in
dubio de offensa DEI. Resp. Sic neque licet
sequi sententiam minus tutam, multo etiam pro-
babilioris: sicut non licet sclopum explo-
dere, quamvis multo probabilius sit, esse feram,
modò prudens adhuc dubium, vel suspicio sit, esse
hominem. In forma, neg. antec. quia ipsa
occisio hominis est offensa DEI, & major, quam
e. g. comedere carnes, si id prohibitum sit, &
de ea prohibitionem dubitetur: Si replices, plus
esse, offendere DEUM, quam occidere homi-
nem,

nem, casu quo hoc non sit prohibitum, seu
non sit offensa DEI. Resp. Si non esset prohi-
bitum occidere hominem, posset non tantum
in dubio, sed absolute id fieri sine peccato: sicut
quando Abraham voluit occidere innocentem
Isaac, non peccavit. Dein, si adversarii occisionem
hominis tantum materialiter accipiunt, de-
bent etiam ita accipere alias actiones, e. g. com-
mestionem carnis, acceptionem rei alienæ: &
tunc ista non erunt universaliter majora.

Responderi potest 2. dist. conseq. non licet
agere in dubio de offensa formali, sive quando
quis dubitat, an hic, & nunc DEUM formaliter
offendat, quod esset dubium practicum. conc.
conseq. in dubio tantum de offensa materiali,
seu quando tantum dubitat, an DEUM offen-
dat materialiter, neg. conseq. Non licet explo-
dere sclopum in dubio de occisione formali;
nam hæc ipsa est offensa, & formalis quidem;
quia ipsa operatio, in hoc dubio facta, est certo
prohibita, ut dictum n. 285. at licet agere in du-
bio de offensa tantum materiali; quia non de-
bemus vitare omne ejus periculum, ut hucus-
que probatum. Neque ita operans contemnit
legem; cum omnino paratus sit ei obedire,
quandocunque ipsi fuerit sufficienter propo-
sita.

287. Ob. 8. contra 4. conclus. L. Titia
38 ff. de auro & argento §. c. legatis §. Scia refertur,
quod Scia voverit statuum a se faciendam: vel, si
ipsa non posset, obligaverit hæredes ad ponendam
statuam librarum centum in certo templo. Cum
autem in eo templo non essent, nisi signa area,
aut argentea, quæsitum fuit, an statu debere
fieri ex auro, vel ex argento, vel ex ære: & re-
sponsum est, debere fieri statuam ex argento:
ergo in dubio circa legatam pia, vel vota debe-
mus sequi tutius: atqui ista dubia revocantur ad
jus Divinum, vel naturale: ergo. Resp. non
ab omnibus eodem modo legi eam legem.
Molina tom. 1. de just. tr. 2. disp. 198. locò vocis
area legit aurea: eodem modo legit Suarez tom.
2. de religione. tr. 6. de voto, l. 4. c. 7. n. 11. item-
que Layman lib. 4. tr. 4. c. 3. n. 4. citans etiam
Tiraquellum.

Hæc lectio si vera est, tunc in hoc dubio
voti non obligati fuerunt hæredes ad tutius, sed
ad minus tutum, scilicet non ad auream, sed
tantum ad argenteam statuam, ad quam ad mi-
nimum tenebantur, ratione consuetudinis, non
ponendi alia signa in eo templo, quam aurea, vel
argentea. Sicut etiam, si nunc temporis lega-
retur calix in aliquam Ecclesiam; cum ordinariè
sint saltem argentei, ex consuetudine videre-
tur faciendus, non stannus, sed argenteus:
hinc supposito, quod legendum sit aurea. conc.
ant. neg. conf. Quod si autem contendas, al-
teram lectionem esse servandam, tamen non
probabis, id certum esse, & ex dubio textu tu-
am sententiam non satis firmabis. Addit Sua-
rez, supposita etiam altera lectione, interpreta-
tionem factam esse, non contra voventem, vel
legantem, sed ejus hæredem; cum plus pro-
fuerit voventi mortuo statuam argenteam, quam
tantum area: unde dici potest, in tali peculiari
dubio faciendum, quod est melius leganti;
cum enim conveniens fuerit, ut hæres gratis
legata pia solvat modo magis utili, jura potue-

runt id statueri: quod non est extendendum
ad casus separatos, vel universaliter ad omnes.

288. Ob. 9. Cap. Dominus 2. de secundis
nuptiis, & Cap. Inquisitioni tue 44. de sentent. ex-
communicat. dicitur, quod conjux post contra-
ctum, etiam bona fide, matrimonium, oborto du-
bio de ejus valore, tantum possit reddere, non
verò petere debitum: sed hujus rei non est alia
ratio, quam, quia dubium est, an non copula sit
fornicaria. Pariter ibidem statuitur, quod debet
reddere debitum; quia est dubium, an non ne-
gatio esset injusta, & injustitia per se est majus
peccatum, quam tantum incontinentia: ergo
in dubio legis Divinæ, aut naturalis, non licet le-
qui, nisi tutius. Respondet 1. Arriaga disp. 25.
sec. 4. n. 31. si tali dubitanti sit prohibita petitio
debiti, eam non esse prohibitam ex jure natura-
li, sed ex specialibus Pontificum Decretis, sicut
statuta est irregularitas in casu dubii homicidii.
Sed ratio in capite Inquisitioni addita, ne contra
judicium conscientie committat offensam, non
videtur satis bene huic responso convenire a
quare

Resp. 2. primam partem antec. esse valde
incertam, atque adeò ex eo nihil firmi posse in-
ferri; nam C. Dominus de secundis nuptiis loquitur
clarè de iis, qui contraxerunt cum dubio, an
uxores priores sint mortuæ, quo in casu non
suffragatur possessio secundi matrimonii, sed
potius obstat possessio prioris: sèque habet hic
casus, ut, si die sabbathi de nocte evigilans ne-
sciam, quota sit hora; tunc enim non possum
comedere carnes; cum dies sabbathi sit in pos-
sessione. Item C. Inquisitioni potest explicari
cum Layman l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 23. §. 24. de
eo, qui non adhibuit debitam diligentiam, adeò
que habet dubium vincibile: vel cum eodem
Layman loc. cit. de eo, qui mala fide, seu cum
dubio contraxit, ut adeò ferme idem sit casus,
qui in C. Dominus paulò antè citato.

289. Quare, licet multi graves auctores,
præsertim antiqui, defendant, in tali casu, si post
adhibitam diligentiam adhuc remaneat dubium,
non posse conjugem petere debitum: tamen
etiam multi, & graves auctores, docent opposi-
tum, quos vide apud La Croix l. 6. p. 3. n. 302.
quibus ipse consentit; & possent addi adhuc plures
ut Oviedo, Lugo, Tamburinus, Sporer, Metz-
ger, & alii: imò Layman loco citato num. præc.
hanc vocat communioris. Et sanè usus matri-
monii est in materia justitiæ, in qua possessor bo-
næ fidei non debet ob dubium superveniens
spoliari suo jure. Et quid si uterque conjux
dubitaret, nec dubium vinci posset, deberent
semper abstinere cum periculo incontinentiæ
perpetuæ, cum extinctione familiæ, aliisque gra-
vissimis malis? Sanè juxta oppositam sententiam
videtur sequi, quod alter conjux ante con-
summationem matrimonii ingredi debeat mo-
nasterium ad vitandum periculum incontinen-
tiæ materialis: quod esset valde durum.

290. Dices 1. Ergo dubius de valore ma-
trimonii poterit petere debitum, etiam ante ad-
hibitam diligentiam, saltem eo tempore, quo
illam adhibet, & inquirat; sicut possessor potest
continuarè possessionem. Resp. neg. illat. de
enim probavimus n. 264. dubius de lege debet
inquirere veritatem, & interim suspendere
Honorem

tionem dubiam, vel minus tutam; at verò possessor non debet abdicare nudam possessionem rei, seu puram retentionem (& sic nec maritus debet expellere uxorem) nec tamen potest per se interim pro libitu re uti, præsertim, si talis usus non esset ipsi licitus, casu quo sciret, rem non esse suam: & hinc non potest rem consumere, vel deteriorem reddere. Secundò non est per se adedò difficile suspendere facultatem petendi debitum, donec adhibita fuerit sufficiens diligentia: at verò, si pro omni tempore deberet conjuncta carere ea potestate, esset difficillimum.

291. Dices 2. Ergo etiam invincibiliter dubius de impedimento, poterit, saltem si post adhibitam diligentiam tamen dubium non potuit vinci, contrahere matrimonium. Resp. neg. illatum; quando enim agitur de valore sacramenti, non potest adhiberi sententia, vel materia tantum probabilis, si possit haberi tuta, qualis potest haberi in nostro casu; potest enim contrahere cum alia. Quare autem minus liceat agere in dubio de conficiendo invalidè sacramento, seu periculo talis sacrilegii, quam in dubio de committenda fornicatione, ratio est ipsa gravis irreverentia exponendi periculo nullitatis sacramentum: item sunt omnes alia rationes, quibus motus est Innocentius XI. ad condemnandam primam propositionem inter 65. ab eo proscriptas.

QUÆSTIO III.

De Conscientia Probabili.

ARTICULUS I.

Quid sit Opinio Probabilis.

292. **A**D quætionem hujus tractatus facile gravissimam accedimus, nempe de usu licito, vel illicito, sententiæ, aut opinionis probabilis, ad quam ritè intelligendam, opus est, terminorum, hac in materia usitatorum explicationem enucleatam præmittere. Itaque alia sententia est vera, alia falsa, alia certa, alia erronea, alia dubia, alia probabilis, alia tuta. Sententia vera est, quando est conformis objecto materiali, ita, ut istud se habeat, prout sententia affirmat. Falsa verò est, quando se habet opposito modo. Certa dicitur, quæ vi sui motivi excludit omnem formidinem: & si quidem motivum sit clarè propositum, dicitur insuper evidens: si verò obscurè, ut contingit in actibus fidei, dicitur solummodò certa.

293. Hæc certitudo assignari solet communiter triplex, *Metaphysica*, quando neque supernaturaliter: *Physica*, quando saltem non naturaliter, res aliter habere se potest: *Moralis*, quando quidem naturaliter res potest aliter se habere, at non nisi valde rarò, ut adedò excludatur dubium prudens. Alii cum La Croix lib. 1. num. 179. distinguunt inter certitudinem *moralis perfectam*, & *imperfectam*, illamque dicunt nisi motivo morali tam certo, ut excludat dubi-

um etiam imprudens: talis est certitudo de existentia Urbis Romanæ: alteram volunt, excludere dubium solummodò prudens.

Quidquid sit de hoc, an illa prior sit vocanda certitudo tantum moralis (nam alii eam ad metaphysicam, vel physicam reducunt, & moralem tantum dici volunt; quia principia moralibus, sed tamen metaphysicè, vel physicè certis nititur) communis saltem per certitudinem moralem intelligitur illa, quæ excludit tantum dubium prudens; non verò etiam imprudens. Addendum, etiam posse contingere, ut dubium excludatur ab aliquo assensu, non ob meritum motivi, sed ex erronea apprehensione, aut æstimatione motivi, supra meritum suum, vel ex imperio tantum voluntatis, quæ certitudo tantum dicitur *apparens*, aut *adæqvata*, vel *affectiva*, potestque dari etiam in actu falso, & sapissimè datur in assensibus hæreticorum falsis contra veritatem Catholicam.

294. *Erronea* sententia, si latissimè sumatur, est omne iudicium falsum, exitum tantum verum: & in hoc sensu sumptum conscientiam erroneam num. 219. si strictissimè autem sumatur, est sententia, quæ opponitur conclusioni Theologicæ certæ, seu deductæ ex una præmissa de fide, & altera evidente: & in hoc sensu sumitur erroneum, quando sententia ut erronea condemnatur. Nos autem hic sumimus hanc vocem, in sensu quasi medio, pro omni ea sententia, quæ nec objecto materiali conformis est, nec est concepta ex motivo probabilis. *Dubia* opinio jam explicata est a num. 241. *Tuta* autem vel *Tutor* à num. 245.

295. Restat exponendum, quid sit *Probabile*. Non autem loquimur hic de probabilitate Academicorum veterum, quos impugnat S. Augustinus tribus libris, qui, si non omnium primi, certè inter primos ab eo conscripti sunt, & dicti *Contra Academicos*. Non, inquam, loquimur de illa probabilitate; illorum quippe Academicorum principium erat, sapientem nulli rei assentiri debere ut certæ, sed omnia esse incerta, & probabilia. Quid autem probabile juxta Philosophos illos fuerit, refert idem S. Doctor lib. 2. cap. 11. dum sic loquentem inducit Licentium: *Id probabile, vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest irritare: sine assensione autem dico, ut id, quod agimus, non opinemur verum esse, aut nos id scire arbitremur, agamus tamen &c.* Unde, vel in eruditionum, vel malignum est, si dicitur S. Doctor scripsisse contra veram probabilitatem Theologicam, quam plurimi tutò in praxin deduci posse affirmant; nemo enim ex Theologis fœniat, quod illi Academici docuerunt, scilicet licitum esse agere id, quod intellectus non potest prudenter judicare esse licitum: cumque nihil ipsis esset certum, omnia etiam turpissima erant probabilia, adeoque licita. De hac igitur probabilitate tantum Academica non agimus, sed de vera, & Theologicè sumpta probabilitate: quamvis fatendum sit, etiam in hujus descriptione, auctores non convenire, quæ de re verideri potest La Croix lib. 1. à num. 103. ubi variaz probabilitatis definitiones rejiciuntur: mihi non vacat longum eorum examen instituire.

296. Dico igitur, cum satis communi: *Sententia*,

sentia, vel opinio probabilis est assensus incertus quidem, & fallibilis, non tamen precipitanter, aut temerario conceptus, sed ex motivo gravi, seu movente virum prudentem ad irreprehensibilem assensum. Gravitas autem motivi, ut rectè observat Banholzer in *ethice Christiana* a. 2. n. 3. debet sequi connaturaliter propositionem objecti, & non oriri ex affectu indebitè propenso, ut inclinante ad unam præ alio: neque ex iudicio jam ad unam partem determinato. Gravitate hanc alii multis conantur magis explicare, & præsertim Terillus in *regula morum* p. 1. q. 23. assert. 3. sed an bene, aliorum esto iudicium. Puto cum authore *ethice Christiane* loc. cit. hanc rem vix clariùs posse exponi, & quemvis in se ipso satis experiri, quid sit, non temerè, vel ex levitate animi, sed prudenti iudicio, & ex gravi motivo, absolute rei assentiri, vel certè eam probabilem censere.

297. Insuper motivum probabile non debet esse certum, vel, si in se tale sit, saltem id opinanti non debet esse perspectum, aut penetratum; aliàs non differret talis assensus à certo, quod est contra suppositum omnium. Neque tamen etiam debet esse motivum, quod tantum sit magnum absolute, hoc est, magnum, & forte, si nulla esset ratio in oppositum: sed debet etiam esse magnum comparative, hoc est, in comparatione cum motivis contrariis. Hinc, licet aliquæ opiniones, oppositæ dogmatibus fidei, se folis spectare, haberent pro se rationes apparentes magnas, e. g. quæ sunt contra Mysterium SS. Trinitatis, tamen non sunt probabiles; quia comparatæ cum motivis credibilitatis fidei, penitus enervantur. Et hinc strictè probabile nihil esse potest, cuius oppositum, quocunque demum ex capite, sive ex autoritate Divina, sive humana, sive ex ratione, est strictè moraliter certum.

Id tamen verum non est, quod Caramuel in sua definitione opinionis probabilis requirit, nempe, quòd hæc debeat habere contra se fortes rationes; nam contingere potest, ut alicuius quædam probabilis sit ex motivo fallibili, ita tamen, ut non adsint ullæ rationes in oppositum, vel saltem, hic & nunc, nullæ opinanti incidant: & sic maritus sæpè judicat probabiliter, prolem esse suam, etsi nulla ratio addit, ob quam existimetur aliena. Et potest utique dari pro una parte contradictionis ratio aliqua, fallibilis tantum, quin tamen pro opposita appareat ulla ratio: quo casu illa opinio dicitur unice probabilis; nisi velis facere quætionem de nomine, & sententiam unice probabilem vocare moraliter certam: quæ tamen acceptio esset valde lata, & ut mihi videtur, non verà; cum vi motivi talis, vel ex ejus exigentia, non excludatur omnis formido oppositi.

298. Diximus etiam num. 296. motivum ita grave esse debere, ut virum prudentem possit movere ad irreprehensibilem assensum: quod non ita accipiendum est, quasi quemvis deberet posse permovere ad assensum talem, absolute rei præstandum; nam visum est mihi semper difficile, quòd quis vir prudens à motivo, quamvis adhuc comparative probabilis, sed tamen, in comparatione motivorum contrariorum, longè, vel notabiliter minus probabilis, possit prudenter

moveri ad assensum absolute ei præstandum, ita ut quasi implicite, vel æquivalenter dicat: *Quamvis pro opposito sit longè major apparentia veri, tamen istud est verum.* Non quidem nego, voluntatem posse intellectum permovere ad assensum talem: quòd autem verè prudenter id possit, & non tantum prudentiæ carnis, quando nullum aliud motivum extrinsecum virtutis accedit, mihi semper valde durum est visum.

Hinc, ut dixi, ad hoc, ut aliquid sit verè probabile, opus non est, ut quis, stantibus quibuscunque in oppositum majoribus, sed tamen adhuc intra limites probabilitatis contentis, motivis, possit absolute prudenter ei assentiri: sed sufficit, si prudenter possit judicare, id esse probabile, & viros alios prudentes, si ei absolute assentiantur; propterea reprehendi non posse; cum contingere possit, ut ipsi motiva opposita (ad quæ ritè expendenda etiam ipsi merito censentur idonei) non videantur excedere, vel certè non tantum excessum habere; sæpè enim contingit, etiam inter æqualiter doctos, ut uni ratio aliqua videatur longè efficacior, quam alteri, atque adedò, quod uni est probabile subjective, alteri sit tantum probabilè objective, de quibus terminis mox plura.

ARTICULUS II.

Quomodo dividatur Opinio Probabilis.

299. **D**ividitur jam opinio absolute & comparative probabilis (de qua ordinariè saltem loquimur) primò in *probabilem intrinsecè*, & *probabilem extrinsecè*. Illa est, quæ nititur ratione, seu motivo gravi, rei intrinsecò, id est, petito ex natura rei, seu huic annexo. Altera est, quæ nititur autoritate, iudicio, vel testimonio doctorum, vel aliunde fide dignorum. Quòd si opinio; & ratione, & autoritate fulciatur, erit intrinsecè, & extrinsecè probabilis, quod sæpè contingit.

Ubi obiter adverto, quòd, etsi quis author non ex eadem ratione, ac alter, sententiam aliquam adstruat, imò, etsi ratio ejus non videatur efficax, tamen possit ejus autoritate firmati sententia; aliàs (ut facile patebit consideranti) non esset diversitas inter probabilitatem intrinsecam, & extrinsecam; seu inter argumentum à ratione, & ab autoritate. Accedit, quòd aliàs sæpius non possent pro aliqua sententia adduci, valde celebres auctores, imò sæpè nec SS. Patres; quia sæpè eorum ratio non videtur efficax, aut cum aliis principiis illius, qui eos adducit, non cohæret, adeoque non affuitur; cum tamen passim, etiam à prudentissimis viris, tales auctores soleant citari.

Ex occasione etiam noto circa probabilitatem extrinsecam, quòd non statim unius, aut alterius authoris, etiam impressi, assertio, faciat opinionem ab autoritate probabilem: esto, non contradicat manifestis principiis fidei; nec sit ab Ecclesia proscripta; nam Alexander VII. damnavit hanc propositionem 27. *Si liber sit alicujus junioris, & modernus, debet opinio censeri probabilis, dum non consistit, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Imò nec plures auctores faciunt sententiam extrinsecè probabilem

babilem, si istorum auctoritas, & ratio, communissima aliorum, oppositum ex solidis rationibus sentientium, auctoritate elidatur, de quo vide La Croix *lib. 1. n. 136*. Et sane quis credat, omnes omnino infinitas quasi sententias, quas collegit Diana in utramvis partem, adscriptis etiam diligenter auctoribus, esse Theologicè verè probabiles?

Uterius sæpe potest contingere, ut scriptor sit doctor, potius à gradu, quam à doctrina, nec tam doctus, quam audax, & prurigne scribendi, vel contradicendi, aut etiam vanà glorià ductus. Sanè quidam videntur existimare, se optime de univerfo mereri, si jura Canonica hinc inde restringant, aut opiniones laxiores protrudant. Accedit, quòd viri, etiam aliàs magni, quandoque in grandibus tomis, sui obliviscantur, vel cum Homero dormitent: alii autem, qui eos tantum inspicunt, non attendant, an ex sua, an ex aliorum mente loquantur, an tantum aliquid transmittant, an positivè afferant, an obiter tantum insinuent potius, quam affirmant.

300. Rursus, ut observat Navarrus, auctores quidam volant ut grues, hoc est, turmatim sequuntur præeuntem, absque examine opinionum: alii, quasi jurassent in verba magistris, certum quendam authorem sequuntur, quorum proinde auctoritas, nisi novas rationes afferant, vel doctrinà suà aliunde notà existimationem sibi parant, ferè ad illum unum reducitur. Quare in æstimanda probabilitate, non tantum numeranda, sed vel maxime etiam ponderanda sunt suffragia: nisi tamen auctores, tantum ut testes traditionis, vel praxis, adducerentur, & non ob æstimationem doctrinæ. Hinc utique contingere potest, ut pauci viri docti, hoc est, in materia morali univèrsà, vel saltem ea, de qua consuluntur, benè versati, nullo præoccupati sinistro affectu, aut studio partium, nihilque afferentes contra communem aliorum (nisi istorum argumenta efficaciter solvant, suamque opinionem firmè rationibus, quas priores non attigerunt) potest, inquam, contingere, ut tales præ pluribus aliis, tantum gruum in morem sequentibus, faciunt sententiam extrinsecè probabilem.

Hac ratione, ait Banholzer in *sua ethice Christiana, a. 2. n. 4*. se credere, multas introductas esse sententias, olim singulares, nunc communes: vicissim sententias quædam olim communes, modò abolitas esse, ut nec probabiles amplius existuntur. Quin La Croix *lib. 1. n. 155*. ait, etiam unum auctorem, si fit omni exceptione major, & afferat rationem, quam alii non considerarunt, vel non satis solverunt, quamvis doceat aliquid contra communem, posse reddere opinionem suam certè probabilem: citatque pro hac sua assertione Cardenam cum viginti, & pluribus auctoribus. Illum autem auctorem, ait *n. 160*. esse omni exceptione majorem, qui, 1. non doceat opinionem contrariam certo alicui principio. 2. qui non nitatur levi, & sophistico argumento. 3. qui non aliàs improbabilia, & ab aliis reprobara, docuerit. 4. qui non sit merus summissa, seu tantum ex aliis conscribat, aut colligat; nam, ait, de tali non constat, an quæstionem bene intelligat.

301. Dividitur 2. Opinio probabilis in magis probabilem, & minus probabilem. Illa est, quæ graviore motivo intrinsecò, vel extrinsecò nititur; hæc, quæ minus gravi. 3. in certè probabilem, & probabiliter tantum probabilem. Illa est, de qua certum est, quòd habeat motivum grave: ista, de qua non est certum, sed tantum reflexè probabile, quòd habeat tale motivum, qua de re plura La Croix *lib. 1. à num. 119*. ubi etiam *n. 126*. addit, quòd opinio tenuiter probabilis sit illa, cujus motivum non meretur assensum viri prudentis 4. in objectivè, & subjectivè probabilem. Prior, sive subjectivè probabilis est, cui quis ipsemet prudenter potest assentiri, recipiendo illam opinionem, in proprio suo intellectu, tanquam subjecto, eamque affirmando. Objectivè probabilis est, cui ipse quidem assentiri non potest, habet tamen illam pro objecto suæ cognitionis, judicàtque, illam nisi tali motivo, quòd saltem alios viros prudentes movere possit, ad assensum irreprehensibilem, nec habeat contra se rationem, vel auctoritatem aliquam convincentem. vide *n. 289*.

302. Dividitur 5. in opinionem speculative probabilem, & practicè probabilem. Illa, seu speculative probabilis est, quæ quidem non caret suo fundamento, sed in praxi adhiberi non potest: nec ejus probabilitas versatur immediate circa licentiam actionis. Sic est probabile, formam absolutionis sacramentalis stare in his duobus verbis: *Absolve te*: non tamen quis possit licitè in praxi ita absolvere. Altera, seu practicè probabilis est, quæ nititur gravi fundamento, & immediate versatur circa ipsam licentiam actionis, atque adeò juxta auctores, dictos benignos, in praxi adhiberi potest: sic e. g. est practicè probabile, posse taceri in confessione circumstantias tantum aggravantes. Unde sæpe dicitur aliqua sententia speculative probabilis, sed practicè improbabilis, salkem extra casum necessitatis quia extra hunc casum in praxi adhiberi non potest: potest tamen sæpe in tali casu adhiberi; quia circumstantia talis necessitatis, objectum, extrinsecè potest immutare, & licitum reddere.

303. Alii tamen auctores non male dicunt, etiam in similibus casibus: eas opiniones non esse de eodem objecto; cum nec speculative probabile sit, posse illam formulam: *Absolve te* adhiberi in praxi, aut actionem talem licitam esse (neque enim est speculative probabile, posse licitè adhiberi materiam, vel formam dubiam Sacramenti, extra casum gravissimæ necessitatis) sed tantum probabile est aliquid remotum, nempe, quòd ea forma sit valida: quare una opinio, e. g. *Forma: absolve te: est valida: versatur circa valorem istius formæ: altera: Forma illa practicè potest adhiberi: versatur circa usum ejusdem, aut licentiam, quæ sunt objecta prorsus diversa, & una propositio est valde probabilis, altera est omnino falsa.*

Hinc isti auctores dicunt, quòd opinio speculative probabilis sit illa, quæ est de actione in genere considerata, independentè à circumstantiis, hic & nunc, conjunctis: at vero practicè probabilis sit illa, quæ versatur circa actionem cum omnibus circumstantiis conjunctam, & in ordine ad licentiam, in praxi consideratam. Sic, e. g. potest esse speculative probabile, quòd

aliquis ob aliquam infirmitatem posset die Venenis comedere carnes; si tamen illa comestio cederet in grave scandalum aliorum, vel contemptum fidei, non erit probabile practicè. Uterque modus loquendi est bonus, uterque etiam usitatus: accommodabimus nos cuique pro occasione, modò prius argumentans se explicet, quo in sensu hæc verba accipiat.

ARTICULUS III.

An liceat in praxi sequi opinionem magis probabilem, sed minus tutam.

304. Dico cum communissima, tum antiquorum, tum recentiorum, contra paucos Belgas, ac Gallos. Licet in praxi sequi sententiam magis probabilem, quamvis sit minus tuta. Prob. 1. In opposita sententia deberet admitti, quòd jam à tempore Magistri Sententiarum, per annos fermè sexcentos, erraverint communissimè fermè omnes Theologi, qui tradiderunt sententias plurimas, tanquam tutas in praxi, quamvis fuerint minus tutæ; quia judicarent ipsas probabiliores: hoc est falsum, ac incredibile, & tale assertum ab adversariis in æternum non potest probari: ergo, Confirm. ex quodam recentiore. Juxta adversarios deberent comburi omnes libri, aut lucubrations, in quibus continentur decisiones morales, vel juridicæ; nam in his omnibus continentur plures sententiæ, probabiliores quidem, sed simul minus tutæ; cum tamen sapientissimi quique, atque etiam sanctissimi viri, semper habuerint hujusmodi Scriptores Theologiæ moralis, magno in pretio. e. g. S. Carolus Borromeus (cujus auctoritatem rigoristæ passim auctoribus benignioribus obrudunt) in decretis suis provincialibus, valde commendavit Summas Navarri, Polanci, Toleti: & à toto quasi orbe laudatur *Medulla Casuum* P. Hermannii Busenbaum, quæ jam anno 1670. fuerat 45. vicibus typis impressa.

305. Equidem Wendrockius ait, se non curare, si contra se producatur decem millia Casuistarum. Sed hoc ejus dictum tam parum nos movet, quam illud Lutheri libro *contra Angliæ regem* dicentis, se non curare mille Augustinos, mille Cyprianos. Pariter Janfenius in suo *Augustino lib. proemiali. c. 9. col. 24*. sic scribit: *Arbitror, Sacre Scripture libris, Conciliis, & primorum seculorum Patribus, nos contentos esse debere.* (vide La Croix *lib. 1. n. 261*.) at cur ipse suum librum non perpetuis tenebris sepelivit, ubi sine damno æternum latuisset? Idem refertur dixisse Havermannus apud La Croix *loc. modò cit.* ac reprobasse lectionem Theologorum moralium, eo ex capite, quòd ante editos hocce libros, aut summas, jam confessarii debuerint resolvere casus conscientiarum. Sed nunquid non etiam debuerunt, eos resolvere ante volumina à Patribus edita: quin imò ante editos libros sacros novi testamenti? num & hos negabit legendos?

Elizalde quoque, seu, qui idem est, Cella *DEL p. 2. l. 6. q. 15. § 16*. fusissimè probat, lectionem sacrorum librorum magistro Theolo-

giæ moralis necessariam esse, quòd facile concedimus. Sed insuper *q. 17*. contendit, solam Sacram Scripturam cum traditione, sufficere resolvendis omnibus conscientiarum casibus. Verum hoc, saltem de communi Theologorum moralium ordine, negamus. Et quis, obsecro, ita sibi fidere possit, ut ex sola Sacra Scriptura, vel traditione, eruat omnes leges, præsertim humanas; cum plurimæ semper novæ accedant? Quæ ad jus naturale, vel Divinum spectant, quamvis omittant, quòd in Sacris Scripturis, quasi in principiis universalissimis contineantur, quis tamen de se tantum audebit confidere, ut spectet, solâ Sacrorum Voluminum lectione, omnia illa, tanquam conclusiones ex præmissis, à se eruenda, & præsertim, ut vult Elizalde, ratiocinio longè probabiliorè? alii enim semper quis adtingeret ad tutius.

Et quomodo hæc assertio stat cum alia ejusdem auctoris apud La Croix *lib. 1. num. 93*. assertis, neminem in conscientia posse esse tutum, qui rationes suas, per magnum totum in folio, allatas, non expendisset? Hæc certè ratione sola Scriptura non sufficit, Sed, quæso, si quis intricatior casus de matrimonio, vel de restitutione, aut contractu, occurrerit, recurat hic auctor in omnibus casibus ad Sacram Scripturam, & nobis afferat dein responsum: videbimus, an id ita prober, ut contenti esse debeamus. Verum hæc ex occasione sint dicta.

306. Probatur conclusio 2. Ex una parte est difficillimum, & spectata humani intellectus imbecillitate, sæpissimè impossibile, assequi certam veritatem, circa honestatem actionum: ex alia autem parte, esset onus intolerabile, hominibus cujuslibet conditionis, si in praxi obligarentur omnes sequi, & confessari, aliquæ omnes consulti, tenerentur semper respondere tutiora, etiam rigidissima, modò non essent improbabilia; neque est ulla ratio probans obligationem tam duram: ergo nullo modo est admittenda. Et quis velet supposita tam difficili obligatione esse confessarios? quis administrare officium in re publica?

Confirm. 1. Praxis totius orbis Catholici est adversariis contraria; nam & auditores Rote Romanæ, & Theologi, & Jurisconsulti, in suis resolutionibus, amplectuntur probabiliora, etiam minus tuta: quin & sanctissimi viri, etiam S. Thomas tradunt sententias minus tutas, & tamen, quia judicant probabiliores, assertunt licitè adhiberi in praxi: quis autem credat, præter pauculos quosdam, totum reliquum orbem Christianum tam graviter errare? Afferit quidem Vincentius Baronus, Angelicum semper, vel certa, vel tutiora amplecti: sed, nisi velit, ipsam Angelici auctoritatem solam conciliare opinioni certitudinem (quod modestissimus Sanctus ipse non ferret) falsum dicit. Sanè negat S. Doctor, exponendas circumstantias aggravantes in confessione, quæ sententia minus tuta est, nec tamen certa: quin Cardenas *3. parte Crisis tr. 1. dissert. 56. cap. 8. num. 474*. paratum se, ait, ad texendum catalogum ex eodem S. Doctore plusquam ducentarum hujusmodi opinionum. Et quis dicat, omnes sententias S. Bonaventuræ, aut Scoti, oppositas S. Thomæ sententiis, esse improbabiles? Quod autem hic dictum de

de Angelico. idem dici potest de Scraphico, atque Subtili.

Confirm. 2. Ipsi adversarii practicè revocant, quod speculativè docent. Sic Fagnanus in 1. p. *Primi Decret. in C. Ne imitatis. de Constitutionibus. n. 206.* & seq. valde invehitur in usum sententiæ probabilis, & plurimis argumentis conatur probare; non esse licitam sententiam minus tutam, nec certam: at in *Cap. Si quis sanè. de pœculio clericorum* ait, sententiam, obligantem clericos ad expendenda bona, in pios usus ex justitia, esse communioem, & tutiorem: tamen oppositam ut veriore, & in praxi tutam propugnat. An igitur sola ejus auctoritas reddidit hanc sententiam certam? non credo. Maxime autem sequaces Janfenii, qui rigorem ubique præferunt, sententias plures, non tantum non certas, sed certò falsas, sequuntur, & eorum auctoritas nullius momenti est.

307. Probant conclusionem alii 3. ex propositione 3. damnata ab Alexandro VIII. quæ sic habet: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabilissimam:* non autem est sermo de propositione probabilissima, & simul magis tuta, sed de minus tuta, quam, etiam probabilissimam, sequi illicitum dicebant; nam neque Wendrokus, qui in *nota prima in epistolam quintam Provincialium*, neque Synichius, qui in *Saule exrege lib. 1. cap. 27.* eam propositionem docuerunt, voluerunt, illicitum esse, sequi sententiam probabilissimam, & simul magis tutam: & aliunde certum est, licere talem opinionem sequi, imò etiam sententiam improbabilem, dummodo sit magis tuta: ergo licet sequi sententiam probabilioem, & minus tutam; quia etiam probabilissima est aliis probabilior.

Quia tamen reponi potest, ex ea damnatione tantum inferri, quòd liceat sequi sententiam probabilioem, quando simul est probabilissima, non autem in aliis casibus: quæ licentia esset nimis restricta; hinc probatio ista valeat, quantum potest. Interim tamen ratio adversæ partis, scilicet, quòd opinio probabilior, minus tuta, in consensu tutoris, quamvis minus probabilis, non excludat periculum peccandi, per hanc damnationem eversum est. Dein etiam satis constat, quòd, sicut Alexander VII. & Innocentius XI. suis decretis voluerunt restringere nimiam laxitatem, ita Alexander VIII. voluerit prohibere nimium rigorem: & nobis meritò videtur, nimis rigidum esse, si homines semper adstringantur, vel ad omnino tutius, vel ad certum.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

308. **O**B. 1. ex Synichio, Christus Joannis 14. v. 6. dicit. *Ego sum veritas:* non dicit: *Ego sum probabilis:* ergo non licet sequi probabilitatem. Confirm. 1. Idem Dominus dicit: *Matth. 7. v. 14. Angusta porta, & arcta via est, que ducit ad vitam:* sed porta probabilitatis est valde laxa: ergo non ducit ad vitam. Confirm. 2. Probabilissimus est Academicus: sed hic est fons omnis

flagitii ex S. Aug. lib. 3. contra Academicos c. 16. ergo & ille: adeoque est illicitum, eum sequi. Resp. retorqueo argumentum. Christus neque dicit: *Ego sum moralis, vel etiam physica certitudo, neque conscientia invincibiliter errans, aut ignorantia invincibilis:* sed absolute dicit: *Ego sum veritas:* ergo neque istas licet sequi. Videant adversarii, quòd se, aliisque abducant zelo, non secundum scientiam. Nec male argumentum retorquet Baihofzer in *ethicis Christianis n. 44.* Christus dicit: *Ego sum panis;* & non dicit: *Ego sum placenta:* ergo non licet comedere placentas. In forma, sit. inpos. cum enim veritatem semper assequi sit. inconf.ibile, Christus Dominus contentus est, si saltem sequamur id, quòd majorem præferat verisimilitudinem.

309. Ad 1. confirm. neg. min. si præsertim intelligatur porta majoris probabilitatis; nam imprimis multæ leges Christianæ Religionis e. g. circa dilectionem inimicorum, castitatem, ac justitiam, quæ certæ sunt, satis adstringunt introitu in cœlum. Sanè *Athor. 24. v. 25. disputante S. Paulo de justitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus est prætor Felix,* nec tamen illi gentili, nisi certa propulerit Doctor Gentium. Si addamus, quòd nunquam licitum sit, se eximere lege, nisi probabilis sit, eam non dari, (quod pro nunc h. adversarii permittunt) januam cœli satis arctamus; non enim debemus eam tam arctam facere, quàm faciunt adversarii; nam semper debere, facere aut tutiora, aut certa, videtur esse supra conditionem humanam; ferè, sicut lex, faciendi semper optima, esset pessima; quia foret perpetua causa peccatorum. Ad secundam confirm. neg. ma. Aliud longè est probabilitas Theologica, tam absolute, quam comparative talis: aliud probabilitas illa Academica. vide dicta num. 295. & seq.

310. **O**B. 2. *Proverb. 14. v. 12.* dicitur: *Est via, que videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem:* ergo non est sequenda via probabilitatis, etiam majoris. Confirm. Homines ut plurimum discordant à regula moralitatis, seu principis moralibus, potius per defectum, quàm per excessum: sic videmus, ordinariè hæreticos laxare viam salutis, e contra SS. Patres eam stringere: ergo & nos debemus eam potius stringere, quàm laxare. Resp. Argumentum est simile huic: *Aliquod animal est rugibile; ergo etiam Petrus.* S. Scripturæ ibi est sermo de via voluptatis, & ambitionis, quæ hominibus carnalibus videtur justa, seu comoda, sed ducit ad mortem: at non ita via majoris probabilitatis. Ad confirm. Semper habendum præ oculis illud: *Ne quid nimis.* Sanè homines facilius deficient à moralibus principis in executione, quàm, cognitione juxta illud Poëtæ: *Video meliora, proboque, deteriora sequor:* & quamvis etiam deficient aliquando in cognitione, non ideo debemus, probabilitatem majorem respicere, & ubique quærere certitudinem; cum hæc acquiri sæpius nequeat, neque tutum sit, omnes ad tutiora adstringere.

311. Quod attinet ad hæreticos, imprimis non rectè ducitur ab iis argumentum; nec enim debemus in omnibus prorsus esse ipsi contrarii: sufficit contradicere eorum erroribus

bus. Dein quæstio esse potest, pluresne fuerint hæretici alligantes onera, quàm levantes. Certè quidam Pharisei *Matth. 23. v. 4.* & alii *Pharisei Act. 15. v. 5.* item Montanista, Novatiani, & Encratitæ, fuerunt ultra modum rigidi, præsertim circa esum carniùm, jejunia, condidij, divitias, &c. Sed & moderni Græci schismatici, & hæretici Constantinopoli, suis gravissima jejunia præcipiunt. Vidci de hoc meretur Francolinus in *Clerico. Romano. p. 2. seu de Ecclesie benignitate in administratione Sacramenti pœnitentiæ disp. 11. statim à n. 1.* ubi ostendit, etiam Lutherum à rigore incepisse.

Quod spectat ad SS. Patres, hi aliquando tutiora, aliquando minus tuta proponunt; quippe sciunt, sicut non demendum, ita nec addendum legi: & reprehensio fuisse à Christo Phariseos, quòd imponerent hominibus onera importabilia. In forma, quia ant. habet plures partes. dist. primam. Homines ut plurimum discordant à regula moralitatis in exequendo, con. in cognoscendo, neg. dein etiam neg. secundam partem; quia ex dictis saltem neg. quia SS. Patres nec semper stringunt, nec semper laxant: absolute autem neg. conf. in sensu adversariorum acceptam.

ARTICULUS V.

Solvuntur relique Objectiones ex SS. Patribus.

312. **O**B. 1. S. Augustinus *relatus in Cap. Si quis autem. 4. de pœnit.* dist. 7. sic ait: *Tene certum: dimitte incertum.* ergo debemus semper sequi certum, ut tutius. Resp. neg. conf. S. Augustinus eo loco, qui habetur in *sine homil. 41. inter 50.* agit de differentibus pœnitentiis; usque ad mortem, atque, se eos non posse reddere securos, coquòd incertum sit, an ad Dominum migraturi sint; quia scilicet incertum est, an veram, & sinceram pœnitentiam agant, qualem David, de quo ibi meminit, ac dicit, eum tribus syllabis obtinuisse veniam. Quare autem dubiter de sinceritate talis pœnitentiæ, innuit rationem, his verbis, *ineadem homilia præcedentibus: Si autem tu vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa:* idque magis explicatur *canon. 5. ibi sequenti,* qui ex S. Cypriano desumptus est, ubi de talibus pœnitentibus sic dicitur: *Quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit:* scilicet prudenter timendum, ne pœnitentia non sit sincera: adeoque etiam incerta est venia: & hinc monendi sunt vel maxime homines, ut citius pœnitentiam agant, seque certos suæ beatitudinis reddant. Quod autem hoc ad alios casus prorsus dissimiles?

313. **O**B. 2. Idem S. Doctor l. 1. de utilitate credendi c. 11. ait: *Tria sunt item, velut finitima sibi in animis hominum, distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari: que, si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio:* & inferius addit: *Quod intelligimus igitur, debemus rationi: quod credimus, auctoritati:*

quod opinamur, errori: ergo omnis opinio, etiam probabilior, est vitiosa, nec licet eam sequi. Resp. neg. conf. Opus est tantum inspicere locum citatum, & fraus argumenti patebit. Per opinari S. Doctor non intelligit ibi opinionem verè probabilem, sed temerarium quoddam iudicium, quo quis existimat, se scire illud, quod nescit; nam paulò superius sic habet: *Unum genus hominum est opinantium, id est, eorum, qui se arbitrantur scire, quod nesciunt.* & infra: *Opinari autem duas ob res turpissimum est, quòd discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest: & per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est.*

314. **O**B. 3. S. Bernardus *tractatu de pœcepto, & dispensatione c. 14. n. 35.* ait: *Ut interior oculus vere simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem:* ergo non sufficit probabilitas. Resp. neg. conf. Doctor mellifluus, per oculum simplicem, non intelligit tantum illum, qui evitat peccatum formale, sed etiam, qui evitat materiale, ut clarè patet ex contextu, & ex ejus intentione, quæ est, offendere, quòd, qui aliquid, quod reverà est bonum, judicat esse malum, & tamen id facit, peccat: non tamen vicissim, quòd, qui aliquid, quod reipsa est malum, judicat esse bonum, idque facit, tantum boni faciat, ac si reverà id objectum bonum esset; quia scilicet deficit ei veritas, seu, ut ait, oculus non est perfectissime simplex, hoc est, simul bonus, & prudens, prudentia attingente veritatem.

Ceterum, quòd S. Bernardus non velit, talem operantem formaliter peccare, patet ex paulò inferius additis, dum ait, talem voluntatem mereri aliquid præmii. Sic autem habet: *Et quidem laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam: nec planè condigna remuneratione fraudabitur, in opere quoque non bono, ipsa bona voluntas: attamen sine malo quocunque (hoc est materiali) non erit decepta simplicitas.* Ecce admittit S. Doctor in opere, etiam non omnino bono, seu ex errore admissio, voluntatem bonam: adeoque sentit, etiam probabilitatem aliquam à peccato excusare.

315. **O**B. 4. Juxta S. Thomam *q. 18. de veritat. a. 6.* non habuisset locum in statu innocentie etiam opinio probabilissima: ergo hæc non est actus prudens: ergo non potest esse regula directiva nostrorum actuum. Confirm. Regula nostrorum actuum debet esse dictamen certum: ergo non sufficit opinio etiam probabilissima. Resp. dist. primum conf. non est actus prudens, seu non est actus prudentiæ elicitus. conc. 1. conf. non est actus directus, vel regulatus à prudentia. neg. 1. & etiam 2. conf.

Licet opinio non sit actus immediatè elicitus à prudentia (cum hæc, utpote virtus intellectualis, videatur debere elicere tantum actus certos) tamen potest esse actus directus, seu imperatus: plura hac de re vide supra num. 232. unde opinio probabilior est sufficienter prudens, five ipsa sit regula directiva, saltem in quibusdam casibus, five eâ supposità possit elici dictamen certum immediatè directivum actuum, de quo vide num. 224. & sequentibus. Quod autem, ut docet S. Thomas, in statu innocentie

non potuerit esse opinio, non est ratio, quod opinio non possit esse actus directus à prudentia, sed quia in eo statu nil potuit affirmari, nisi, ut ait S. Doctor, ex motivo infallibili, quod statui naturæ lapsæ non competit. Ad confirm. om. vel conc. ant. dist. conf. non sufficit opinio probabilissima pro ultimo dictamine, om. conf. non sufficit, ut eâ suppositâ possit ultimum dictamen certum per principia reflexa formari. neg. conf. Hac de re fusè actum num. 224. 8. seq.

ARTICULUS VI.

An inter duas sententias æqualiter probabiles liceat sequi minus tutam.

316. **D**ico. Si datur inter duas sententias æqualis probabilitas, quæ immediatè concernit licentiam actionis, vel cadit immediatè supra existentiam legis, licet sequi etiam minus tutam. Ita omnes Doctores, qui vocantur benigni, quique sunt plurimi, præsertim elapso sæculo: & multi etiam isto: quin etiam ex antiquioribus, seu Bartholomæum Medinam antegressis scriptoribus, hæc sententia habet suos patronos, ut loco inferius pluribus monstrabitur, & interim videri potest Ralslerus in norma recti disp. 3. q. 10. a. 1. per totum.

317. Prob. concl. 1. In dubio de existentia legis qualiscunque, sive, quando datur dubium moraliter tale de existentia legis, non tenemur eam observare: atqui, quando etiam post adhibitam diligentiam, moraliter requisitam, & factam sufficientem indagatiorem, æquè probabile est, legem non dari, quàm eam dari, planè dubium est, an detur, vel an non detur lex, actionem aliquam præcipiens, vel prohibens: & quod consequitur, dubium est, an actio sit prohibita, vel non: aut econtrà, an sit actio præcepta, vel non: ergo non tenemur observare legem, cujus existentia tantum est æqualiter probabilis. ma. suprà fusè probata est à num. 263. quare huc revocandæ sunt omnes probationes, quas pro superioribus conclusionibus, circa legem dubiam, tam humanam, quàm Divinam & naturalem attulimus.

Confirm. Si nullæ adessent rationes utrinque, nec pro, nec contra legem, tunc planè non teneretur ad illam; daretur enim eo in casu ignorantia invincibilis strictè dicta: ergo neque teneretur ad illam, quando dantur rationes utrinque æquales; quia planè non est minus dubium in hoc, quàm in altero casu: neque habetur in hoc casu scientia legis, etiam tantum moraliter dicta, seu intimatio sufficiens: neque periculum peccandi materialiter est majus in uno, quàm in altero casu: periculum autem formaliter peccandi removeri potest dictamine reflexo.

318. Prob. concl. 2. seu potius explanatur magis argumentum jam supra adductum num. 247. (pro conclusione, qua negavimus, teneri nos ad legem dubiam) & desumptum ab onere valde gravi per oppositam sententiam hominibus sine sufficienti probatione imposito. Si quis, stante æquali probabilitate, deberet sequi semper

tutorem, tunc etiam deberet sequi tutorem, etiam minus tuta foret modicè probabilior: sive non possit sequi minus tutam, nisi hæc foret notabiliter probabilior: sed sic imponitur hominibus onus valde durum: ergo. Major in primis admittitur communiter à doctoribus rigidioribus, et quibus Pater Noster Thyrsus, ad licitam praxin sententiæ minus tutæ, ubique requirit, ut hæc, vel sit unicè probabilis, vel sit moraliter certa, vel post sufficiens examen citra passionem (quæ tamen circa utilia, & delectabilia facile irrepit) appareat clarè, manifestè, notabiliter, aut longè verisimilior: quod ipsum etiam innuit Eminentissimus Aguirre.

319. Secundò, In moralibus parum reputatur pro nihilo: ergo, si excessus non sit fatidicus, notabilis, atque sensibilis, non est ratio, quare liceat sequi sententiam, modicè tantum probabiliolem, & non etiam liceat sequi æqualiter probabilem, Tertio, In modicè tantum probabiliori sententiæ æquale ferè datur periculum peccandi, quàm in æqualiter probabili: & in sensu morali non vitatur in illa magis periculum errandi, quàm in ista: ergo, si non licet amplecti sententiam æqualiter probabilem, neque licebit amplecti alteram modicè tantum probabiliolem. Quarto, Etiam in æstimatione morali non magis potest prætereignare ignorantiam legis, qui habet modicè minorem probabilitate de ea, quàm qui habet modicè maiorem. Quintò tandem, Videtur mirabile, quod quis non possit sequi sententiam, quæ defenditur ab egregiis doctoribus, graves rationes afferentibus, contra totidem alios æquè doctos, similibus rationibus instructos: possit tamen eam sequi, si e.g. tantum novus unus, aut alter, prioribus non omnino par, cum aliqua confirmatione, nova quidem, sed non admodum valida, accedat.

320. Probatur jam minor prioris syllogismi. Si non liceret sequi sententiam minus tutam, nisi clarè, & notabiliter probabiliolem, ordinariè deberemus sequi tutorem: hoc est onus valde durum, & ab adversariis non probatur: ergo, probatur ma. Dudum observarunt Bartholomæum Medina, Antonius Perez, Franciscus Suarez, & alii maximi viri: idemque clara docet experientia, quod in tanta multitudine actionum, quæ ubique occurrunt, & in tanta varietate sententiarum, in quibus auctores gravissimi sibi opponuntur, valde difficile sit, clarè, notabiliter, ac sensibilibus discernere, quænam opinio sit probabilior alterâ. Et sanè debet esse satis animosus, qui in conflictu sententiarum, etiam post diligentem indaginem, ordinariè decidere audeat, quæ opinio non tantum utrunque videatur, sed etiam clarè, notabiliter, ac sensibilibus sit probabilior. Neque dicas, id colligi posse ex eo, quod sententia sit, vel non sit, communis; nam non statim ex eo sententia est notabiliter probabilior, quod sit communis; cum sæpissime detur communis contra communem. Certè Hieronymus de Cavallos scripsit tres tomos, (quos vocat *speculum arcuum*) communium contra communes: ergo sermè ordinariè non possit quis absque passione judicare, licitum sibi esse, sequi sententiam minus tutam, in materiis hinc inde probabilibus, & ex quorundam qui-

dum examinarint, an ideo opinio statim erit manifestè, notabiliter probabilior, aut certa, ob carentiam auctoris contrariæ? Similia alii ostendunt de Julio Mercoro, itemque Vincentio Barono. Legatur etiam P. Gervasius Brisaceris, ex ordine Cappuccinorum, & videbitur, quod rigorem primæ conclusionis, quæ negat licitum, sequi sententiam minus tutam, nisi probabiliolem, sequentibus parographis, vel articulis valde mitiget. Solet huc etiam afferri, tum argumentum desumptum ex obedientia, superioribus debita, tum ex illo principio: *Melior est conditio possidentis*: sed de horum efficacia sermo redibit inferius: mihi huc usque dicta sufficiunt.

321. Minor quoad secundam partem, seu quod hoc onus non probetur ab adversariis, patet ex solutione objectionum. Quoad primam, seu quod sit onus valde grave, patet, tum ex dictis n. 266. quia scilicet deberemus observare leges plurimas, reipsa non existentes: tum etiam ex eo, quod docti interrogati de conscientia dubiis, deberent ordinariè responsa dare juxta opiniones tutiores, quas consequenter indocti deberent sequi: vel deberent consulentes remitti ad alios doctiores, & quidem non benignos, sed rigidos, cum molestia gravi poenitentium. Deberent etiam confessarii non tantum, quando agitur de valore Sacramenti poenitentia, sed etiam, quando agitur de licentia, sequi ordinariè sententias tutiores: quod esset addere onus oneri, jam antè fat gravi. Plures alia oerosæ sequelæ possent deduci, quæ cuique facile incidunt: & quamvis adversarii modò allatas speculativè videantur admittère, practicè tamen non videntur eas observare.

322. Sic P. Thyrsus tom. 3. select. disp. 41. cum pluribus, sed etiam contra plures, negat, dari obligationem confitendi circumstantias tantum aggravantes: imò *ibidem* n. 12. admittit, non esse necesse, ut distinctè explicetur numerus objectorum, etiam totalium, in quæ quis una voluntate tendit. e. g. quando quis uno actu proposuit sibi, se velle decem occidere; talis enim juxta ipsum sufficiens ter se accusat dicendo: *Habui desiderium multos occidendi*: cum tamen opposita sit communior, & Dicastillo tr. 8. de poenit. disp. 9. dub. 4. n. 217. dicat, ante tempora sua eam fuisse unanimem Scholasticorum sententiam. At quomodo probabitur, hanc sententiam, quæ, dum negat eam obligationem, ex se minus tuta est, notabiliter, & clarè probabiliolem esse opposita tutiore? Certè non habetur, nisi sermè argumentum negativum, quod scilicet hæc obligatio non probetur; & onus tale sine gravi ratione imponi non debeat, quam rationem etiam nos pro nobis adducere possumus, in præsentia quaestione.

Sic etiam Munitia, ex rigidioribus unus, docet, non esse peccatum mortale, distribuere in statu peccati mortalis sacrosanctam Eucharistiam: & tamen Castropalao tract. 18. de Sacramentis punct. 5. num. 12. ait, hanc sententiam esse pauciorum, & nullatenus admittendam: unde ergo illa tam clarè, & notabiliter major probabilitas? De Prospero Fagnano, jam aliquid diximus n. 307. addendum ex eodem, quod *eodem loco ibi citato*, ubi probabilitatem tantum exagitat, tamen n. 448. ponat hanc conclusionem, quod auctoritas unius gravis doctoris reddat opinionem probabilem, & fundamentum sufficiens eam tenendi, ac in praxin deducendi, si in contrarium nullus occurrat Doctor, & rationes utrinque æqualiter probabiles sint. Quomodo autem auctoritas unius Doctoris, nullatenus rationes majores pro sua sententia, quam sicut pro opposita, afferentis, statim faciet eandem sententiam clarè, & notabiliter probabiliolem, imò, ut Fagnanus exigit, certam? Dein fac, casum esse novum, quem alii non-

dum examinarint, an ideo opinio statim erit manifestè, notabiliter probabilior, aut certa, ob carentiam auctoris contrariæ? Similia alii ostendunt de Julio Mercoro, itemque Vincentio Barono. Legatur etiam P. Gervasius Brisaceris, ex ordine Cappuccinorum, & videbitur, quod rigorem primæ conclusionis, quæ negat licitum, sequi sententiam minus tutam, nisi probabiliolem, sequentibus parographis, vel articulis valde mitiget. Solet huc etiam afferri, tum argumentum desumptum ex obedientia, superioribus debita, tum ex illo principio: *Melior est conditio possidentis*: sed de horum efficacia sermo redibit inferius: mihi huc usque dicta sufficiunt.

ARTICULUS VII.

Solvitur prima objectio ex SS. Patribus.

323. **O**B. 1. SS. Patres docent, nos debere sequi semper, aut sententiam tutiorem, aut probabiliolem, ergo non licet sequi æqualiter probabilem, antec. prob. asserendo textus, quos legere potes apud P. N. Thyrsium Gonzalez de recto usu opin. probab. dissert. 13. c. 2. §. 2. Resp. Ut rectè observat Ralslerus in norma recti disp. 3. quest. 9. art. 16. n. 707. de hac quaestione in primis non agunt Patres: deit quandoque suadent feveriora, quandoque etiam benigniora permittunt. Uterius non agunt semper asserendo obligationem, sed sæpè tantum consilium dando, quandoque etiam concionatoriè rem aliquanto magis exaggerando. Sanè usque ad tempora Magistri Sententiarum vix habetur aliquid firmi: ipsi certè textus, quos affert P. Thyrsus, mea opinione non multum probant.

Et in primis S. Clemens episc. 5. ad suos discipulos (si tamen epistolæ illæ sunt hujus Sancti, & incorruptæ, de quo videti meretur Bel-larminus; quod enim hunc textum Gratianus in Decreto Cap. Relatum. 14. dist. 37. referat, non reddit certam ejus auctoritatem) tamen hic, inquam, S. Pater aliud ibi non asserit, quàm Scripturas Sacras non esse privato sensu, nec juxta proprii duntaxat ingenii vim, & intelligentiam, accipiendas, sed ex majorum, seu Patrum traditione. S. Cyprianus tantum docet, religiofas mentes errore deponere, & invenire veritatem, eundo ad Divinæ traditionis originem. S. Basilius ait, quod, sicut corporea possentia per justam libram comparantur, ita electio eorum, quæ ad vitam institutam spectant, debeat fieri per liberum arbitrium, ratione regulatum. S. Augustinus vetat, asserre stateras dolosas, & vult afferri Divinam, tanquam de Sacris Scripturis, & thesauris Dominicis. Lactantius, qui est allegatur, non est sanctus, nec Ecclesiæ Pater, ejusque opera à Gelasio Papa relata sunt inter apocrypha: & tamen etiam iste solummodo ait loc. cit. nempe l. 3. Divinarum Institutionum. c. 13. non debere nos potius trahi auctoritate, quàm veritate; cum æterna poena imminet, si nos persona inanis, aut opinio falsa, decipiat. Sed hæc omnia non sunt nobis contraria, eaque absque ulla tergiversatione ad-

mittimus, ut patet; nam dicimus, Sacram Scripturam non spiritu privato explanandam: dicimus, inquirendam esse veritatem, diligentia morali, pro qualitate negotii: at, si veritas deprehendi nequeat, non dicitur in his textibus, quid tum faciendum sit, nisi, quod in rem nostram Lactantius c. 27. dicat, stultum esse, velle præceptis parere, quæ utrum vera sint, an falsa, dubitatur. Adde, quod cit. c. 13. tantum loquatur de autoritate Philosophorum gentilium, quod non facit ad rem.

324. Dices. S. Chrysostomus in opere imperfecto homilia 44. in Matth. ante medium sic scribit: *Si enim vestimenta empturus gyras unum negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes invenieris, & pretio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincera veritas Christi vendatur, & ubi corrupta: & omnium confessiones cognoscere, & veriolem eligere, plusquam vestimentum?* Idem homil. 13. in c. 6. ep. 2. ad Cor. in morali sub finem. iuxta versionem, quam ego solam habui (P. Juxta aliam habuerit, accidentaliter diversam) sic ait: *Vulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus. An non enim absurdum, ac præposterum fuerit, nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero, & calculo id committere: cum autem de rebus judicandum, in aliorum opiniones temerè, ac velut obtorto collo trahi, idque, cum exactam rerum omnium lancem, ac normam; & amissim habeamus, nempe Divinarum legum sententiam?*

Resp. Auctor operis imperfecti illius, vel non est S. Chrysostomus, sed hæreticus: vel certe liber ille ab hæretico est corruptus; quia homil. 4. habet propositiones Arianas. vide Belarminum de scriptoribus Eccles. in S. Chrysostomo. Verum, hoc omisso, textus tantum probat, deberi morali diligentia inquiri veritatem, quod etiam diximus. Sed neque omnino literaliter accipienda sunt ea verba; alias quivis rusticus deberet circuire omnes Doctores orbis, quod nemo prudens dixerit. Sicut etiam nemo, empturus vestem, circuit omnes mercatores, sed tot, ut moralem adhibuisse diligentiam possit censeri. Accedit, quod textus loquatur de inquirenda veritate fidei: qua in re non est utriusque statim credendum cuique ministrallo. Secundus textus etiam plus non probat, quam debere veritatem moraliter inquiri, nec posse statim cuique credi, præsertim in materia fidei. Imo, cum S. Pater ibi loquatur de elemosyna, videtur tantum reprehendere minorem fidem divitum, qui promissionibus firmissimis DEI non satis fidunt, nec satis liberaliter erogant.

325. Solet etiam obijci S. Gregorius Nazianzenus, qui orat. 27. ita scribit: *Atqui plerisque focus videtur, inquis: quid verò meâ interest, qui rei veritatem magis curo, inâ solùm curo? hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit: hoc miserum vel beatum reddiderit: ex quo volunt adversarii inferri, non sententiam probabilem, sed veritatem excusare, ac esse sequendam.* Sed textus non venit ad rem. Loquitur ibi S. Nazianzenus de suis obtractatoribus, à quibus dicebatur, amississe infulas Constantinopolitanas, atque, se de eorum judicium non curare: dummodo se conscientia propria non incuset.

Afferuntur etiam S. Bonaventura, qui citatur tom. 2. opusc. de processu religionis proc. f. c. 3. itemque S. Bernardinus Senensis serm. 17. in Dom. 2. quadragesimæ, quorum verba vide apud P. Thyrsum de usu opinion. probab. differt. 13. c. 2. §. 4. & §. 5. quæ tamen, prout citantur, invenire non potui: afferuntur, inquam, isti SS. Doctores, tanquam nostræ conclusioni contrarii. Sed respondetur, vel ex his nimium, vel nihil probati; nam SS. Bonaventura, & Bernardinus, si strictius accipiantur, videntur docere, ignorantiam juris, vel legis Divinæ, non excusare; igitur, ne aliquid contrarium definitioni Alexandri VIII. inde inferatur, explicandi sunt de ignorantia vincibili: & tunc nobis non opponuntur.

S. Antoninus, qui etiam ut nobis contrarius citatur l. p. tit. 3. c. 10. §. 10. magis videtur nobis favere; ait enim, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, excluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Sacre Scripture, nec contra determinationem Ecclesie Catholice. Addit, quod operans non debeat dubitare, scilicet practicè, sed sibi formare bonam conscientiam de eo, quod credit, tanquam de probabiliori parte, scilicet practicè, quatenus dictamine reflexo judicat, & probabilis, vel moraliter certum esse, quod actio aliqua sibi liceat: id quod fieri posse judicat precipue, quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illicitum. Eodem loco citat Hostiensis, qui in extrav. de cognat. spir. Cap. Si vir. ait: *Ubi sunt diverse opiniones, & diversa judicia, semper humanior sit preferenda, & æquior.* Quod dictum Sanctus hic nullo modo refellit, sed omnino approbare videtur imò idem hic Sanctus. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. amplectens opinionem mitiorem circa recitationem Brevarii, ait, hanc sententiam tenendam: *Quia benignior est, & quia non debet Ecclesia alicui laqueum injicere.* Sed de S. Antonino iterum inferius.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur aliæ objectiones ex SS. Patribus.

326. OB. 2. S. Augustinus lib. 1. de baptismo, contra Donatistas. c. 3. ait: *Quamquam, etiam si dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret, in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret:* ergo ex S. Augustino peccatur, quando in salutis negotio incerta certis præponuntur. Resp. dist. conf. peccatur præponendo certis incerta, in quibusdam negotiis, maxime, in quibus non habetur vera probabilitas de opposito. conf. univ. verbaliter, & in omnibus. neg. conf. S. Augustinus ibi agit de eo, qui aliquo modo adhuc infirmus in fide, robustius credit, quod utraque pars, Catholici scilicet, & Donatistæ, simul dicunt: interim tamen etiam, quod Catholici solum dicunt contra Donatistas, verum, & certum ha-

habet, atque adeo certus est, quòd ad salutem necessarium sibi sit, in Catholica Ecclesia vivere: tamen, nescio, quibus de causis, vellet à Donatistis baptizari; cum tamen Catholici negent, extra casum necessitatis (de quo S. Doctor agit eap. præcedenti) posse à Donatistis, tanquam hæreticis, baptismum suscipi, quamvis oppositum Donatistæ affirmet: & ait, talem graviter peccaturum, si incerta certis præponat.

In hoc casu id nos quoque admittimus; quia, ut patet consideranti, talis nullam veram probabilitatem habet de licentia recipiendi baptismum ab hæretico, certumque ipsi est, non tantum tutius posse, sed etiam debere, baptismum apud Catholicos recipi. Nostra autem sententia non loquitur de casu, quo obligatio est certa, sed quo tantum certa est major securitas sententiæ, quæ sunt longè diversa; nam licet aliquando præponi incertam directam probabilitatem de licentia, alteri certitudini tantum de securitate majori sententiæ oppositæ, negari non potest; alias enim neque liceret operari juxta sententiam probabilissimam, contra magis tutam, adeoque certius securam: quod ab Alexandro VIII. in propositione 3. est damnatum.

327. OB. 3. SS. Patres nullibi docent nostram sententiam: ergo non est ipsi conformis. Confirm. 1. SS. Patres docent, animarum regimen esse plenum periculis: sed non ita esset, si liceret uti nostrâ sententiâ: ergo. Confirm. 2. Sancti viri metuebant, etsi probabilis judicaret, aliquid esse honestum: ergo multò minus suadebant tantum æqualiter probabilia, & minus tuta. Resp. retorquendo argumentum. SS. Patres neque docent sententiam rigidiorum: imò de hac questione ex instituto non tractant. in forma neg. conf. veldist. non est SS. Patribus positivè conformis. om. conf. non est ipsi conformis negativè, sive, nullatenus eis opposita. neg. conf. Ad 1. confirm. neg. min. Tamen adhuc est satis magnum periculum, ne omittantur etiam ea, ad quæ quis certò obligatur, ob varios scilicet timores, respectus humanos, ob spes, vel cupiditates, difficultates, & negligentias.

Accedit, quòd sæpè occurrant casus novi, saltem ratione circumstantiarum, in quibus non statim occurrit, quid probabilis, vel æquè probabile sit: neque quisvis post lectam unam, aut etiam alteram casuum Summam statim erit universaliter bonus animarum dux: poterit tamen facilius esse bonus secundum quid, & aptus pluribus in locis agere parochum; alias si nemo, nisi in Theologia morali versatissimus, esset aptus animabus etiam ruri pascendis, quis rusticis provideret? Certè soli rigidissimi, qui ubique tuta præscribere vellent, etiam apti non essent spirituali regimini: sanè ad illos accedere rari. Ad 2. confir. neg. conf. Ubique viri sancti cum Jobo c. 9. v. 28. verentur opera sua, ne scilicet occulta passio irrepat, ne aliqua negligentia intercurrat &c. non tamen ideo nunquam suadent æqualiter probabilia aliis, licet forte ipsimet, ob majoris perfectionis amorem, faciant tutiora, non tanquam ex præcepto, sed tanquam ex consilio.

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

328. Dices. SS. Patres semper suadebant quæ magis videbantur conformia legibus, ac SS. Canonibus: ergo & nos debemus ea suadere. Confirm. Post decreta Alexandri VIII. & Innocentii XI. non amplius est ita communis sententia benigna: apud Gallos, & Belgas viget rigor: ex aliis etiam multi à benignis ad rigidos transierunt: inter quos Eminentissimus Aguirre, item Elizalde, P. Thyrsus, & alii: quin nullus à rigidis ad benignos transierit: ergo. Resp. neg. ant. quod probari non potest; saltem in hoc sensu, quòd SS. Patres suaserint tutiora, tanquam sub præcepto posita, & non tantum sub consilio, seu tanquam magis perfecta; Imò etiam Patres in Conciliis (idem dicendum de Pontificibus) sæpè nil auli sunt statuerè, quando viderunt sententias hinc inde esse probabiles: nec voluerunt homines ad tutiora adstringere. Certè Concilium Triburienſe habuit anno 895. sub Formoso Pontifice canon. 48. ait, se nec definire, nec refutare aliquid propter eos, qui diverse de eo sentiunt: imò minus tutam, nec notabiliter probabiliorem sententiam amplecti permittit, ut quis scilicet utatur conjugio, quod bona fide inuit cum filia suæ spiritualis commatris, de quo dubium inter doctos tunc temporis erat, an valerèt videatur Cabalutius in hoc Concilio, canon. 48. Ad confirm. Etsi transferint aliqui ad majorem rigorem, tamen adhuc pro sententiâ, minus rigida, præsertim ea, quæ tantum in casu æqualis probabilitatis sententiæ minus tuta, docet licitum esse, hæc sequi, stant valde multi auctores, de quò plura inferius.

ARTICULUS IX.

Solvitur objectio ab autoritate antiquorum.

329. OB. 4. Omnis antiquitas sensit, debere nos sequi sententiam, aut tutiorem, aut notabiliter probabiliorem: atqui non est præferendum, quòd DEUS tantis sæculis permiserit tam universalem errorem, in materia morali, & obvia: aut, quòd docti communissimè imposuerint tantum onus hominibus, absque sufficienti fundamento: ergo. Confirm. 1. Ipsi auctores benigni in aliis materiis sæpissimè probant aliquam obligationem, ex constanti traditione Ecclesie, quam colligunt ex communi usu fidelium, aut sensu Doctorum, per tempus immemorabile: ergo eadem probatio debet sufficere in hac materia. Confirm. 2. Doctores antiqui non sunt uti alia methodo regendi conscientias, nisi illa, quam didicerunt à majoribus, & quam viderunt, ab immemoriali tempore, à piis per consuetudinem adherere: ergo, cum semper adhibuerint eam, quam vocamus rigidam; signum est, illam methodum fuisse semper usitatam in Ecclesia DEI, & ab Apostolis derivatam in SS. Patres, ab his verò in posteros.

330. Resp. Similia à Mercurio, ac aliis, sæpè dicuntur, sed non probantur: nec libri, aut loci, ubi doctrina hæc contineatur, allegantur. In forma neg. interim majorem, de minoribus quid sentiam, paulò post dicam. Utique ne-

vari non potest, ex antiquis multis nobis fuisse contrarios; at, quod omnes contrarii fuerint, probari non potest: & imprimis, quod attinet ad SS. Patres, jam vidimus, ex iis solidi nihil posse probari: cum neutri parti sit sat exploratum, quid isti senserint: idem esto iudicium de aliis Doctoribus usque ad initium Theologiæ Scholasticæ, & Petrum Lombardum. Post hunc ex Scholasticis pro nostra sententia stant non pauci ex antiquis, quos afferemus in sequenti quæstione: quibus accedunt illi, qui affirmarunt, in dubio cæteris paribus sequendam benigniorem, ut S. Antoninus, Hostiensis, citati n. 325. & alii.

Favent nobis etiam ij veteres, qui admiserunt, excusare ignorantiam invincibilem à peccato; nam in æstimatione morali planè datur in casu æqualis probabilitatis aliqua ignorantia invincibilis ex n. 317. qui verò negarunt, hanc ignorantiam excusare, fuerunt apertè nimium rigidi. Sed & ipsi recentiores, rigidi dicti, non videntur constanter sententiam rigidam amplecti; ut enim ostensum à n. 321. sibi non constant in suo rigore; ut adeò autoritas sententiæ rigidioris, citi sit magna, tamen non sit tanta, ut in ejus comparatione autoritas sententiæ benignioris, etiam ab antiquis proveniens, & præsertim recentiorum plurimorum consensu suffulta, sit minus habens, seu levis, censenda.

331. Jam, quod attinet ad minorem, diximus n. 260. debere admitti, quod DEUS permiserit valde diuturno tempore aliquem errorem, aut antiquorum, aut recentiorum: & non esse rationem dicendi, quod eum potius permiserit posterioribus, quàm prioribus temporibus; quia DEUS, & potuit permittere errorem, qui per accidens esset multis causa peccati formalis, & potuit permittere errorem, qui esset causa peccatorum materialium. Cæterùm, quod fuerit error prorsus universalis, ut omnes Doctores decepti sint, probari non potest: imò jam est ostensum, & ostendetur infra ulterius, etiam antiquiores quosdam rigorem hunc non approbasse; quare verum non est, quod omnes Doctores onus hoc grave imposuerint: quod autem illi, qui id imposuerunt, sine fundamento sufficienti id fecerint, probatur partim nostris argumentis, partim etiam solutione objectionum.

332. Ad primam confirm. neg. conf. & paritatem. In illis casibus ordinariè agitur de lege positiva Divina, cujus existentia potissimum ex constanti praxi est probanda, & hinc auctores adducuntur tantùm ut testes continuæ praxis: in nostro autem casu agitur de lege naturali, scilicet, quod debeamus in dubio semper sequi tutius, vide num. 259. Insuper negatur suppositum, quod tam constans semper praxis, & opinio fuerit: certè istam adversarii non probant. Accedit, quod sint rationes graves in oppositum à paritate cum ignorantia invincibili, cumque legibus civilibus, à maxima gravitate oneris &c.

Ad 2. confirm. Rectè ait recentior quidam, hoc argumentum probare nimium; nam sic nulla sententia veterum deseri unquam posset, & omnis eorum doctrina deberet censi ab Apostolis tradita, quod non est verum; cum quædam antiquorum sententiæ sint etiam ipsæ an-

tiquaræ, sicut est innegabile. Certè compluribus ex antiquis Doctoribus censuere, non excusare à peccato etiam ignorantiam invincibilem, quod defacto communitimè negatur, & negari debet post decretum Alexandri VIII. damnantis triginta, & unam, propositiones, & præsertim secundam, quam adduximus n. 57. Si dicas, id non omnes sensisse, id quidem concedo (quamvis aliter senserit Gerson citatus num. 260.) at vicissim etiam dico, pariter non omnes antiquos sensisse, quod semper sequenda sit opinio tutior, aut probabiliior. Si replices, saltem multos istud sensisse, repono etiam multos sensisse, non excusare ignorantiam invincibilem, imò in hoc principio fundasse rigidam suam assertionem. Accedit, quod DEUS decreverit, successivè illustrare Ecclesiam suam: insuper plurima disputationibus hominum reliquerit. Sic ante Scotum Immaculatam Conceptio Beatissimæ Virginis, per unum, aut alterum sæculum, ita latuit, ut vix non erronea censeretur pia sententia, etiam maximis viris, in forma neg. ant. & conf. quæ non probantur.

333. Dices 1. Si sententia rigida non esset vera, nunquam eam tanto consensu fuissent amplexi Doctores; quia est sensui valde ingrata. At verò sententia, dicta benigna, sensui valde aridet, atque adeò mirum non est, statim fuisse in mores inductam. Hoc argumentum videtur alludere ad demonstrationem, quæ pro Catholicæ Religionis veritate solet afferri, scilicet eam nunquam propagandam fuisse sine miraculis; cum sensui sit valde adversa: cum contra Machometismum, sensibus omnia indulgens, facile propagari potuerit absque prodigiis: atque adeò hoc argumentum sententiam benignam, saltem aliquo modo, cum Machometismo comparare videtur: quidquid autem de hoc sit. Resp. facillimè negando suppositum, quod tantus fuerit consensus Doctorum, & multò magis negando, quod homines ita communi studio fuerint in executione hanc sententiam amplexi, sicut innumeri populi amplexi sunt Catholicam fidem: certè à multis sententia hæc dicitur fuisse occasio aliqua multorum peccatorum formalium; eò quod multi ex erronea conscientia peccaverint, scilicet veram existimando sententiam rigidam, nec tamen eam sequendo. Nec DEUS deseruit, uno, vel altero sæculo, Ecclesiam suam, tum, quia nihil mali fiebat, si homines tutius sequerentur, tum, quia non omnino universalis erat consensus: potest autem DEUS permittere errorem, seu conscientiam erroneam, etiam in pluribus, quin possit dici deserere Ecclesiam suam, ut est innegabile: videantur dicta num. 260.

Quod autem dicitur, sententiam benignam, utpote sensibus mollem, statim placuisse recentioribus, seu Bartholomæum Medinam secuti scriptoribus, si ita intelligatur, quasi ipsismetam arripserit ejus usus, non congruè sanctitati magnæ plurimorum talium recentiorum. Certè, si quis legat, quæ Patres Dominicani scribunt de Dominico Bannez, Joanne à sancto Thoma, & alii: vel quæ nostri de Suarezio, Lessio, Thoma Sanchez &c. non sibi facile persuadent, eos sensui ita fuisse addictos, ut in hujus gratiam laxas doctrinas in scholas invehere voluerint.

tant. Sed nec in gratiam aliorum voluissent perdere animas suas, & doctrinam, propria opinione nimium laxam, orbi obrudere. Quod autem jugum Domini, quantum licitè fieri posse putarunt, reddiderint suave, & leve, reprehendendi non sunt.

334. Dices 2. Etsi omittatur, quod Doctores plurimi stent pro nostra sententia, non ideo est vera: ergo tamen non licet eam sequi, prob. ant. ut ait Seneca de vita beata c. 2. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant: argumentum pessimi turba est: ergo. Resp. dist. ant. non ideo hæc sententia est certò vera, om. ant. est probabilius vera, subdist. non est ex sola autoritate, om. non est ex ista, simul, & ex ratione, neg. ant. & conseq. Non sola auctoritate, sed etiam, & potius, ratione sententiam nostram probamus. ad prob. antec. dico, non esse satis modestè huc applicatum dictum Senecæ. Auctores gravissimi, & doctissimi, atque plurimi eorum etiam sanctissimi, non sunt tantùm turba quædam, in pessima quæque, aut ignorantia vincibili, aut etiam malitia vix corrigibili, prorsus: unde, quamvis multitudo pessimorum exemplorum non reddat sententiam verosimilem, id tamen utique præstat cumulus maximorum virorum, in aliquid conscientium: & si numerus Doctorum non reddat sententiam æstimabiliorem, ad quid adversarii tanto studio pro sua opinione auctores corradunt? ad quid rotas prædicant, omnes antiquos pro ista stare?

ARTICULUS X.

Solvuntur objectiones à ratione.

335. **O**B. 5. Juxta nostra principia posset quis licitè agere contra legem, quando cumque est probabilis opinio de dispensatione, vel excusatione: hoc est falsum: ergo. Confirmatur. Qui agit contra sententiam tutiorem, agit contra conscientiam: ergo male agit. prob. ant. conscientia dicitur, agendum esse tutius: ergo, si quis hoc non agit, agit contra conscientiam. Resp. neg. maj. in eo casu non datur æqualis probabilitas immediatè de licentia actionis, sed tantùm de aliquo remoto, scilicet de dispensatione, vel excusatione: non est autem æqualiter probabile, quod quis, supposita tantùm probabilitate de dispensatione, vel excusatione, licitè agat; quia, quando lex est certa, & dispensatio tantùm dubia (qualis est illa, quæ tantùm est æqualiter probabilis) tenetur quis legem observare, ex dictis n. 262. Ad confirm. neg. ant. ad prob. dist. antec. conscientia dicitur, agendum tutius, tanquam ex præcepto, neg. antec. tanquam ex consilio, om. antec. & neg. conseq.

336. Ob. 6. Quilibet, volens navigare ad Indos, eligit navem, tutius, & probabilius illuc perventuram: ergo quilibet volens venire in cœlum, debet etiam eligere medium tutius, & probabilius. Resp. Hoc argumentum probaret, quod neque liceret uti sententia probabiliori; quia navigaturus ad Indos, cæteris paribus, si pra-

dentè agit, eligit, si potest, navem certò perventuram, & non tantùm probabilius perventuram. In forma dist. antec. si cætera omnia sint paria, conc. antec. secus, neg. antec. & sub eadem dist. conc. vel neg. conseq. si quis enim habet rationabilem causam, e.g. quia navis minus tuta, pergit in aliquem portum, ubi ipse magnum potest sperare lucrum, vel quem cuperet etiam lustrare: vel quia in minus tuta navi habet aliquem, qui ipsi in via præstet alimentum, vel quia vitat nimis magnos sumptus, ipsi valde difficiles &c. potest prudenter eligere navem minus tutam, modò ea adhuc moraliter tuta sit.

Paritèr in nostro casu potest quis ob rationes suas eligere sententiam minus tutam, æqualiter tantùm probabilem; quia hæc omnino moraliter tuta est, præsertim, si per principia reflexa deponatur omne dubium; tunc enim non est periculum peccati, nisi materialis, quod à cœlo non excludit, quando quis non tenetur illud evitare, ut non tenetur in nostro casu ob nostras rationes. Nec dicas, rem nullam comparari posse cum periculo salutis; nam etiam eodem ferè modo nullum lucrum æquivalet vitæ; & tamen non censetur imprudens, qui ob lucrum eligit navem minus quidem, attamen adhuc moraliter tutam. Dein non est periculum salutis in nostro casu, vide dicta n. 283.

337. Ob. 7. Stante æquali probabilitate, pro & contra legem, est dubium de licentia; sed, hoc stante, non licet operari: ergo. Confirmatur. Æqualis probabilitas non potest esse certa agendorum regula: ergo non potest præbere licentiam agendi. Resp. dist. ma. stante æquali probabilitate, est dubium speculative, vel remotum, conc. ma. est dubium practicum, seu proximum, & tale, quod per principia reflexa non possit prudenter deponi. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. In casu æqualium rationum, pro & contra legem, potest quis reflexè dicere, legem sibi esse moraliter dubiam, nec sibi sufficienter cognitam, aut promulgatam, adeò que non obligare: & sic potest, per hæc, vel similia principia reflexa, dubium practicum deponere. Ad confirm. dist. antec. æqualis probabilitas non est regula certa, se sola, sine adjumento principiorum reflexorum, conc. antec. non est regula certa cum istis, neg. antec. & conseq. Posita æquali probabilitate de non existentia legis, potest quis secum ratiocinari ulterius, ac dicere, legem dubiam, seu invincibiliter ignorantem, non obligare, sequè prudenter id facere, vel omittere, quod omnino absque passione prudenter judicat, sibi esse licitum, vel non præceptum, vide n. 223. ubi ostensum, quomodo possit dictam reflexum certum de licentia erui ex præsupposita æquali probabilitate &c.

338. Ob. 8. Honestas, vel inhonestas objectiva, seu ipsarum actionum, non dependet ab opinionibus humanis: ergo, si actio non sit in se honesta, non potest excusari per dictam probabilem, sive directam, sive reflexam, Resp. Hoc argumentum (ut patebit expendenti probaret, nec excusare ignorantiam invincibilem, nec certitudinem apparenter talem, quod est falsum. In forma dist. antec. honestas, vel inhonestas materialis objectiva actionum, dubit-

ctarum ab actu voluntatis, non dependet ab opinionibus humanis. om. antec. honestas materialis objectiva, actionum ipsius voluntatis, seu ipsarum, volitionum. subdist. honestas positivè talis. om. ant. honestas negativè talis, seu non inhonestas. neg. antec. & conseq.

Explico rem in exemplo. Ponamus, aliquem invincibiliter existimare, mentiri in bonum republicæ esse licitum, & consequenter eum, hac persuasione motum, re ipsa mentiri (eodem modo discurrendum est de aliis objectis, sive ex se, sive ex prohibitione malis) in hoc casu conceditur, mendacium esse materialiter malum, nec hoc dependet ab opinionibus humanis. At verò de actu voluntatis, imperante mendacium, aliter discurrendum est; nam iste in hoc casu in se non habet aliquam entitativam, seu objectivam, etiam tantum materiale, malitiam: consequenter est negativè saltem honestus, seu non est positivè inhonestus; nam talem actum à positiva tali inhonestate excusat ignorantia invincibilis; actus enim voluntatis non specificatur ab objecto præcisè, ut istud est in se, sed ut proponitur ab intellectu; unde, sicut objectum, in se etiam bonum, si per dictamen ultimum representetur ut malum, specificat, seu reddit actum malum: ita etiam objectum, e. g. mendacium, si per dictamen ultimum (quod tali homini, qui invincibiliter ignorat, mendacium esse malum, non representat istud ut malum, sed potius ut bonum) si, inquam, per dictamen ultimum representetur ut bonum, non potest actum, amplectentem e. g. mendacium, reddere positivè malum.

Quod autem facit ignorantia invincibilis, idem ex nostris rationibus facit dubium invincibile, vel æqualis probabilitas; atque adeo inhonestas, vel honestas, saltem negativa, actus voluntatis, dependet multum à præcedenti cognitione intellectus; si enim hæc bona fide, seu invincibiliter, aliquid objectum proponat ut honestum, vel saltem proponat ita, ut possit iudicari, per principia reflexa, honestè amabile, vel factibile, tunc actus voluntatis, objectum illud amans, vel amplectens, erit honestus. Cum autem in casu æqualis probabilitatis cognitio proponat objectum, ita, ut saltem per principia reflexa possit iudicari honestè amabile, vel factibile, hinc actus voluntatis consequens est honestus, saltem negativè, sive non inhonestus.

339. Alia est quæstio, an talis actus sit positivè honestus, seu etiam meritorius, de quo adhuc lis est inter auctores; cum aliqui velint, omnem actum tendentem in objectum in se, seu independentem à modo representandi intellectus, materialiter malum, non posse esse positivè honestum; quia, ut ajunt, bonum est ex integra causa, malum ex quocunque defectu. Alii verò putant, talem actum voluntatis esse positivè honestum; cum aliis, qui putaret, se obligatum ad mortem subeundam pro proximo (quando tamen reverà obligatio illa non daretur, sed potius obligatio conservandi suam vitam) et si mortem re ipsa subiret, tamen nihil mereretur, quod videtur valde durum. Quidquid tamen de hac quæstione sit, conclusioni sufficit, talem non peccare; an verò etiam mereatur, hic non decido, quamvis valde inclinem, talem,

si agat ex motivo virtutis, etiam posse mereri.

340. Ob. 9. Non ignorat legem, qui potest prudenter iudicare, eam dari; sed, qui habet æqualem probabilitatem pro lege, potest prudenter iudicare, eam dari: ergo non ignorat eam, neque potest prætereignare ignorantiam invincibilem. Resp. retorq. arg. Etiam non scit, neque in sensu aliquo morali, legem, qui potest prudenter iudicare, non dari legem; sed hoc juxta adversarios potest, qui habet æqualem probabilitatem contra legem; ergo. Si adversarii vellent negare hanc minorem, nego etiam illam priorem; si enim sunt æquales rationes, pro, & contra legem, poterit pro libitu utriusque assentiri, vel neutri poterit. In forma dist. ma, talis non ignorat legem ignorantia profusa omnimodà. conc. ma. ignorantia moraliter tali, & sufficiente ad eum excusandum ab obligatione observandi legem, neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Etiam quando quis habet tantum aliquam probabilitatem, quamvis notabiliter minorem pro existentia legis, hanc non omnimodè ignorat, quin tamen juxta adversarios, quibuscum modo agimus, debeat eam observare. Sufficit igitur ignorantia aliqua moraliter talis, & aliquantò laudis dicta, seu talis, ut quis ob eam adhuc moraliter, & quidem invincibiliter, dubius sit, an lex detur, vel non; tunc enim lex nondum est sufficienter ei proposita, vel intimata.

ARTICULUS XI.

Solvuntur alie objectiones à ratione.

341. **O**B. 10. Certus de lege, & dubius de exceptione, debet servare legem, seu agere tutius: ergo certus de lege e. g. non laborandi serviliter diebus festis, & labor sit servilis, debet servare legem, & laborem omittere; item certus de lege audiendi omnibus diebus festis sacrum, & dubius, an sit dies festus, debet sacrum audire; & tandem etiam certus de lege universalis, qua DEUS præcipit servare omnes leges, & dubius, an hæc, vel illa lex existat, teneat eandem servare. prob. conseq. In omnibus his casibus est dubium de exceptione à lege: ergo. Resp. supposito, quod sit verè dubium, ob æqualitatem, vel defectum rationum, in utramque partem, & quidem dubium invincibile, neg. conseq. quoad omnes partes.

Aliud est, quando certus es de lege, universaliter omnes personas, vel actiones comprehendente, pro certo die, aut certis circumstantiis, & dubitas tantum, an per accidens obstantiis, & dubitas tantum, an per accidens obstantiis, vel aliam causam extrinsecam, excusetur. Aliud est, quando dubitas, an lex sit universalis, & per se comprehendat omnes personas, atque actiones. In priori casu est lex certa, & excusatio dubia; unde debes legem servare; aliis enim, si sufficeret dubia quævis excusatio, sequeretur nimia transgressio legum. At

At in altero casu non est dubium propriè de excusatione, sed de lege ipsa, & mente legislatoris, an scilicet voluerit sua lege comprehendere omnes personas, vel actiones, e. g. an prohibendo actiones serviles, voluerit tantum prohibere actiones certò, vel etiam probabilius, serviles; an verò etiam dubiè tales: & pari ratione, an obligando ad audiendum sacrum, voluerit obligare, omnibus diebus festis, non tantum certis, sed etiam dubiis, ad illud audiendum. Similiter, quando DEUS vult observari omnes leges, dubium est, an velit servari eas tantum, quæ certò, vel probabilius, tales sunt, an verò etiam dubiè tales.

342. Ob. 11. Ex obligatione sequendi sententiam tutiorem, aut probabiliorem, non sequeretur nimia difficultas; ergo possit nostra ratio est nulla. prob. ant. non requiritur, ut quis sequatur, quod absolute est probabilius, sed quod post sufficientem diligentiam, operanti est probabilius: sed hoc non est nimis difficile: ergo. Confirm. Judex, vel Medicus, debet etiam juxta nos sequi probabiliorem, aut tutiorem: insuper scientiarum, præsertim Theologicarum, Professores, tenentur dicere, aut asserere, quæ ipsis videntur probabiliora: quin in his officiis homines apprehendant nimiam difficultatem, aut perplexitatem: ergo ista etiam non orientur in homine privato, est obligetur ad sententiam probabiliorem. Resp. neg. antec. ad prob. neg. min.

Hoc ipsum est valde difficile; nam, cum quis raro inveniat tantam præponderantiam motivorum, ut absque passione possit dicere, sibi aliquid, præsertim minus tutum, esse notabiliter, & clarè probabilius, teneatur quis ferè semper ad tutius, præsertim, cum tempus sæpè non sinat, actiones differre, donec major probabilitas pro licentia earum inveniat. Sanè viri doctissimi ordinariè non audent, sententias suas, tanquam clarè, & notabiliter probabiles, proponere, quamvis aliquantum probabiles iudicent. Imò, quo plùs materiis moralibus student, eò plùs dubitant; quia consuetus rationum sapientimè in materiis adhuc controversis est tantus, ut clara, & notabilis victoria, difficulter deprehendatur.

Ad confirm. Quantum attinet ad Professores, sanè debent sæpè esse contenti, si post diligentiam competentem, ab ipsis adhibitam, inveniant sententiam aliquantò probabiliorem: & de meis nunquam dixerim, omnes esse notabiliter probabiles oppositis; licet enim quasdam tales iudicem, non iudico alias. Quod ad iudices attinet, in primis non est eadem difficultas, conde mandandi alium, ac se ipsum: & hæc difficultas, quæ ad adversarios cuilibet homini imponitur, est absque comparatione major. Secundò. Judex sæpè potest uti illo principio: *Melior est conditio possidentis*: quod adversarii negant prodesse privato extra materiam iustitiæ. Tertio. Potest iudex sæpè partibus suadere compositionem, vel divisionem: hoc privatus non potest, præsertim in infinitis materiis extra iustitiam.

343. Quod attinet ad Medicos, ipsi versantur tantum circa unam materiam, scilicet circa sananda corpora, in qua quisvis pro se amplectitur probabiliorem absque difficultate, quam

neque habet Medicus; neque enim debet carere ullo commodo, si probabiliora adhibeat. Solum fortasse aliquando carere debet experientia, quam possit sumere de aliquo novo medicamento: sed potest hoc probare in aliis animalibus, vel, si id fieri nequit, potest supercedere eà experientia; non enim vita hominum est creata à DEO, ut eà utantur Medici ad suas experientias. Dein, si Medicus habet notitiam sufficientem pro suo officio, in magis obviis facile sciet, quæ sint probabiliora remedia.

Si morbus est extraordinarius, faciat, quantum potest in circumstantiis illis, & quæ probabiliora iudicat, adhibeat; neque enim ab eo exigitur, ut semper notabiliter probabiliora adhibeat; cum ea sapius nesciat (certè non semper Medici audebunt dicere, remedia sua esse notabiliter probabiliora) hac ratione suo officio fecit satis. Interim utique etiam Medicus debet studere, ut morbum, ejusque vires, intelligat, & remedium vim ritè agnoscat. In forma neg. conseq. quia in his non est tanta à longè difficultas, quanta esset, si quilibet privatus in omni casu deberet sequi tutius, aut probabilius.

344. Ob. ultimò. Ut quis possit licitè sequi aliquam sententiam, debet eam posse absolute iudicare veram: sed, stante tantum æquali probabilitate, non potest quis absolute, & quidem prudenter, iudicare, sententiam minus tutam esse veram: ergo. Hic est adversariorum recentiorum Achilles. Sed in primis, quæro: vel potest quis, sententiam æqualiter probabilem tutiorem iudicare absolute veram, vel non? si potest istam iudicare absolute veram, potest etiam iudicare veram minus tutam; quia rationes sunt, ut ponitur, æquales, & major, vel minor securitas, non reddit sententiam magis, vel minus veram: si autem potest, minus probabilem iudicare veram, tunc potest etiam juxta adversarios iudicare, actionem sibi esse licitam: cur igitur eam non possit facere? At, si non potest iudicare sententiam tutiorem absolute veram, consequenter nec potest iudicare, actionem sibi esse prohibitam: cur ergo statim eam sibi iudicet vitandam?

Resp. In forma neg. ma. quam adversarii nunquam possunt probare. Licet aliquis non asserat, actionem, directè in se spectatam, esse licitam, seu sententiam directam de ejus licentia esse veram, potest tamen sibi formare dictamen reflexum, moraliter certum de ejus licentia, & sic licitè eam efficere, scilicet affirmando, legem esse dubiam, & consequenter, hic & nunc, probabilius non obligare, etiam ex eo, ne nimium onus imponatur hominibus. Potest insuper experimentaliter nôsse, quòd hoc absque passione, & iudicio, quantum in ipso est, prudenti, iudicet: & consequenter etiam prudenter iudicet, actionem sibi esse licitam, nec se peccare, eam ponendo; eò quòd certum sit, illum non peccare, qui post omnia, absque passione, & mature considerata, iudicat, actionem sibi esse licitam; de quo dictamine reflexo, hinc inde jam egimus, maxime à n. 223. *Et seq.*

345. Dices. Licet quis, stante æquali probabilitate, non possit affirmare prohibitionem, vi legis, directè, & immediatè versantis circa hoc objectum, tamen potest eam affirmare ex aliis principiis, e. g. in dubio tutius esse eligendum.

dum: non esse exponendam animam periculo peccandi: verbo, ex omnibus illis rationibus, quibus adversarii probant suam sententiam, Resp. nos æquali, imò majori jure dicere, ex similibus rationibus, mediatis, vel reflexis, posse talem affirmare licentiam actionis; hoc enim est, quod hucusque probare conati sumus, & ut speramus, non ineffaciter. In forma neg. illat. quia satis hucusque probavimus, ea principia non probare intentum adversariorum.

ARTICULUS XII.

Quid censeant Authores de sententia minus tuta, & minus probabili.

346. **N**on instituitur quæstio de sententia minus tuta, quæ est tantum modicè minus probabilis, ita, ut excessus probabilitatis, qui datur in sententia tutiore, non sit notabiliter major. De hoc non opus est agere; quippe ex nostris principis sequitur, quod non detur obligatio sequendi tutiorem: & ita sentiunt Theologi non tantum benigniores, sed etiam benigni, hoc est, qui solum admittunt licitum usum sententiæ æquè probabilis; nam est communiter receptum ab authoribus, quod parum pro nihilo reputetur; hinc modicus excessus in moralibus non curatur, & sententiæ tales sunt in morali æstimatione adhuc æqualiter probabiles. videantur dicta n. 319.

Igitur quæritur hic maximè de sententia minus tuta, simulque notabiliter minus probabili, ita, ut excessus probabilitatis pro opinione tutiore sit satis clarus: nec levis tantum momenti, sed notabilis. Qui termini planè ulterius explicari non possunt, sed cuius prudenti sunt satis aperti, atque etiam experientiâ satis noti; quippe quivis utique advertere, & cognoscere potest, atque in se ipso experiri, an à motivis pro sententia tutiori intellectus illius trahatur, clarè, sensibiliter, ac notabiliter magis, ad assentiendum istis motivis, quam oppositis, an non. Dico motivis, seu rationibus; nam, si quis trahatur à meticolositate, vel anxietate animi, vel etiam affectu ad tutius, propterea sententia non est magis probabilis; sed debet quis trahi à rationibus, sive intrinsicis, sive extrinsicis, ut cuilibet rem hanc consideranti facile patet. In hoc itaque casu quæritur, an tamen liceat, sequi sententiam minus tuta, & notabiliter minus probabilem.

347. Plurimi, & absque dubio magni viri, ajunt, esse licitum, sequi sententiam minus tuta, & notabiliter minus probabilem, modò adhuc verè Theologicè probabilis sit: hoc ipsum tamen etiam magni, & plurimi auctores negant; nam negant hoc in primis omnes, qui rigidi vocantur, seu, qui negant, licere sequi sententiam minus tuta, & non notabiliter probabiliorem: qui ex antiquioribus Bartholomæo Medina fuere quamplurimi, teste Joanne Tabienfi, vel communis dicto Tabiena, qui scripsit circa annum 1525. § 1530. & in sua summa proœmio ait, se perlegisse innumeror penè, & diffu-

fos libros in his materiis, nempe moralibus, seu conscientia casibus, de quibus & ipse scripsit suam summam sat grandem. Sed & Antonius Possesivinus in bibliotheca selecta l. 3. c. 22. circiter sexaginta ex antiquis enumerat, qui de eisdem conscientia casibus scripserunt. Licet autem quidam ex his antiquis (de quibus postea) doceant, licere sequi sententiam minus tuta, modò æqualiter, vel quasi æqualiter probabilis, sit, tamen certè pauci adduci possunt, qui defendant, quòd liceat sequi sententiam, etiam notabiliter minus probabilem. Quamvis enim Terillus, pro suo in omnino benigniorem sententiam affectu, plures antiquorum cogat in eam sententiam, tamen colligi potest oppositum, ex ipsis eorum verbis, quæ melius referuntur à Ralslero in norma recti disp. 3. q. 8. a. 2. quam à Terillo: & meretur videri eadem norma recti loc. cit. itemque disp. 3. q. 10. a. 1. n. 926. § 937. Sanè Valquez, Azor, Sanchez, Amicus, alique ingenuè fatentur, antiquos, sententiæ omnino benignæ potius adversari, quam favere.

348. Quòd si quis antiquos tanquam meros Summistas, aut tanquam oves oves, & grues gruem sequentes, contemnere vellet, meminerit ex La Croix, auctore adversariis æstimationisimo, l. 1. n. 160. § 162. non esse tantum summistas, qui compendia scripsere variarum doctrinarum post examinatas sententias, aut traditam Theologiam (quales fuere antiqui quam plurimi, quorum opera, vel opuscula reveremur) sed eos esse tantum summistas, qui sententias à se non examinatas, tantum ex aliis exscribunt: quod fecisse aliquos paucos non negaverim, sed univèrsaliter hoc de antiquis, aut plurimis eorum, dici absque injuria minimè potest. Econtra de quibusdam recentioribus, benigniorem sequentibus, idem absque ulla injuria dici potest; cum, & ex his oves, & grues, absque dubio fuerint.

Neque etiam, tanquam exceptio, contra antiquos objici potest, eos nixos fuisse falsis principis; nam in primis plures gravissimi viri nixi non sunt illis, quòd nulla detur ignorantia, aut ea non excuset, ut est apertum ex textibus in norma recti citatis; vicissim autem, etiam recentiores plures, nixi sunt principis, si non aperte falsis, saltem prorsus incertis: e. g. quòd quis cuilibet, etiam minus probabili opinioni, prudenter agat, qui rationem quamecunq; probabilem pro se habeat: imò quidam etiam nixi sunt principis, aut ab Alexandro VII. aut ab Innocentio XI. damnatis. Secundò, ut supra diximus, etsi ratio auctoris non videatur efficax, vel solida, tamen ejus autoritate, præsertim, si aliàs magnæ æstimationis sit, meritò firmari potest sententia, de qua re videatur, n. 299.

349. Rursus sententia, negans licitum praxin sententiæ minus tuta, minusque probabilis, est plurimorum recentiorum, & in dies videtur sumere incrementa, saltem, ut recedant auctores à nimis benigna, & accedant ad mediàm, ita, ut, quamvis non velint, sequendam esse probabiliorem, aut tutiorem, negent tamen etiam, licitum, sequi notabiliter minus probabilem. Galcili univèrsaliter, Belgæ ut plurimum, negant, licitum usum sententiæ minus tuta, & minus probabili-

babilis: quos, si omnes, vel plures, quis vellet Janfenistis annumerare, maximis viris palmarum injuriam faceret: eumque videretur etiam tangere Innocentius XII. in suo Brevis ad Episcopos Belgii an. 1694. in quo istis injungit, ne permittant, quenquam vagà, & invidiosa Janfenismi accusatione, traduci, nisi docuerit aliquam ex propositionibus in Janfenio damnatis: quòd Breve, ejusque verba ad hanc rem factientia, citat Cardinalis Aguirre in synopsis Conciliorum Hispanicorum proœmio num. 40. quo in proœmio etiam lectori dat rationem operis sui, simulque sui transitus à benigna sententia ad rigidiorum.

Certè Cardinales, atque Episcopi Gallia plusquam centeni, qui fortissimè modò contra Janfenium, atque Quæsnellum stant, & hac in causa, plus longè pro Catholica Ecclesia præstiterunt, quam multi auctores benigni in Germania, aut alibi, Janfenistæ non sunt, & tamen sententiam omnino benignam rejiciunt: sed & alii Catholicissimi Doctores, & inter eos etiam nostri omnes in Gallia, Episcopi in hoc sententiunt, quin Janfenii sequaces dici queant. Scilicet, videtur mihi rigidiori sententiæ non alio jure objici Janfenismus, quam scientiæ mediæ Semipelagianismus; quia hæc sententiæ hæretici utriusque abusi sunt. Sicut autem rigidi quidam excessèrè nimium in rigore, ita benigni quidam in laxitate: & plures laxa, quam rigida sententiæ condemnatae sunt.

350. Plures quoque ex Italis, atque Hispanis, inter quos Cardinales, Aguirre ex Ordine S. Benedicti, Laureæ ex Ordine S. Francisci, ac Pallavicinus ex nostra Societate (ut ræceam Cajetanum, ac Bellarminum, qui etiam citantur) à rigida, vel certè à media stant, & quidem Aguirre, ac Pallavicinus, deserta, quam prius traderant, sententiâ omnino, benignâ, ut de se testatur idem Aguirre in eodem proœmio: præsertim autem plures ad rigorem accessèrè ex iis, qui scripsèrè post P. Thyrsium; unde Viva de Jubileo q. 3. a. 1. sub finem de sententia rigida ait: In bono lumine solide, ac ingeniosè, jam collocata à P. Thyrsio Gonzalez Præposito Generali Soc. JESU, passim à Doctores sua cum laude propugnatur.

Sed nec Germaniæ nostræ nova est sententia, rigida dicta, & ut tantum de vicinioribus locis (quid enim in aliis factum, mihi non fat perperum) dicam, in universitate Oenipontana bis, in Dilingana semel propugnata est, & typis in lucem data: item semel saltem in Herbipolensî à P. Christiano Hartmann S. J. editis a. 1703, thesibus, in quibus fol. 72. dicitur, non licitum esse, sequi sententiam minus probabilem sine speciali ratione, attamen cum ista id licitum esse: sed illa specialis ratio, præsertim talis, qualis ibi assignatur, e. g. obedientia, vel mandatum superioris, facit sententiam, ex aliis rationibus minus probabilem, hac, vel simili accedente, probabiliorem, vel saltem æquè probabilem, ut dicemus n. 380. Tenet eandem sententiam etiam P. Gervasius Brisacensis, ex Ordine Capucinorum, vir valde doctus, & quem plures ex eo Ordine Lectores prælegunt, atque abque aliis dictatis explicant. Ex quo hoc saltem inferitur, quòd quidem sententia omnino benigna meritò pro se adducat complures Cardinales, Episcopos, atque Doctores: attamen tot,

& fortè plures, pro negativa possunt opponi, & integritatem Ordines Religiosi, ut adeo auctoritas sententiæ hujus videatur ad minimum par, & æqualis oppositæ: imò P. Ralsler, qui tamen sententiam hanc præ aliis, profunditate sua insigni, per plures annos, rimatus est, asseruit, tutò posse dici, quòd computando antiquos, atque recentiores, plures stent pro negante, quam affirmante, licitum usum sententiæ, notabiliter minus probabilis, simulque minus tuta.

351. Sed neque ex eo præferenda videtur sententia benignior, quòd diutius habita fuerit communis; nam primus, qui aliquando appetitè eam tradidit, citatur modò Dominicus Sotus, qui mortuus est anno 1560. inde ejus alter, imò juxta quosdam primus, auctorque, parensque, fuit Bartholomæus Medina, qui scripsit circa annum 1578. Eam tamen jam iterum ex recentioribus impugnavit Paulus Comitulus ex nostra Societate anno 1609. (quem nescio, quo fundamento dicat La Croix, Theologiam non dōcuisse; cum Allegambe testetur oppositum; nam dicit, docuisse Theologiam moralem, & Sacram Scripturam: imò in libri sui titulo Comitulus vocatur Theologus Societatis JESU; quo nomine eum etiam compellat Possesivinus in apparatu sacro) nec minus tunc eam sententiam impugnavit alii varii Doctores. Licet autem sententia, dicta benignior, manserit communior usque circiter ad tempora Alexandri VII. qui cœpit regere Ecclesiam DEI anno 1655. tamen non fuit semper in pacifica possessione, & jam tempore ipsius Alexandri VII. multi cœperunt docere oppositam, eorumque exinde semper auctus est numerus. Longè autem diuturniori tempore viguit sententia, negans licitum usum sententiæ minus tuta, saltem notabiliter minus probabilis.

352. Verum nec omnes, qui communiter benigniores censentur, sententiæ mediæ, adhuc satis benignæ, aperte contrarii sunt (quantum non negem, plures esse) licet enim admittant, posse nos sequi sententiam minus probabilem, tamen non hoc ipso dicunt, posse nos sequi notabiliter minus probabilem. Dein quidam ex ipsis tantum ad probabilitatem requirunt, ut vix possit ad ipsorum mentem censeri sententia illa probabilis, quæ, notabiliter minus probabilis est. Certè Valerius Reginaldus in praxi fori penitent. p. 1. l. 11. c. 3. n. 28. valde restringit opinionem probabilem. Cardenas, qui cum adversariis sentit, tantum ad veram probabilitatem requirit, ut alii ad æqualem probabilitatem vix tantum requirant: sanè gloriatur, se septuaginta sententiæ è probabiliū numero exclusisse, quarum quosdam meritò reputes æqualiter probabiles, imò vix non probabiles, quam oppositas. Idem dicendum de P. Andrada, de quo infra n. 356. videatur hac de re P. Thyrsius in sua introductione ad dissertat. de recto usu opin. probab. & La Croix l. 1. de conscientia fusissimè agens de eo, quid requiratur, ut opinio verè Theologicè probabilis censenda sit.



ARTICULUS XIII.

Quæ sit auctoritas sententiæ, afferentis licitum usum opinionis aequaliter probabilis, non verò notabiliter minus probabilis.

353. Sententiæ, ut vocant, mediæ, quæ scilicet docet, licitum esse, sequi opinionem, etiam minus tutam, æqualiter tamen probabilem, non tamen licitum esse, sequi opinionem minus tutam, & simul notabiliter minus probabilem, obijci inter alia solet, eam esse, tam antiquis, quam recentioribus oppositam, adeoque tanquam auctoritate destitutam, esse rejiciendam: verum ad hanc objectionem refellendam sufficit dicere, quod hæc sententiæ mediæ, non sit una tantum conclusio, sed complexum ex duabus, quarum quælibet magnos, & multos autores numerat. Nec est insolitum, ut quis cum aliquibus auctoribus sententiæ, quoad unam assertionem, & cum aliis, quoad aliam. Isti ergo patroni hujus sententiæ mediæ, cum plurimis antiquis, & plurimis etiam recentioribus, dicunt, non esse licitum usum sententiæ, notabiliter minus probabilis, & simul minus tutæ: cum aliis autem recentioribus, etiam plurimis, dicunt, quod non sit obligatio, sequendi semper tutiorem, vel notabiliter probabilioerem. Neque enim una sententiæ est alteri opposita, aut everit alterius fundamenta, ut ritè consideranti facile patet. Addendum, quod mediæ huic sententiæ neutiquam omnes antiqui oppositi sint; cum ex antiquis magni viri, ut paulò post ostendemus, æquali probabilitate contenti sint: imò etiam illi, qui majorem probabilitatem requirunt, non eo ipso notabiliter majorem exigunt, atque adeò nobis multum favent: & fors dici potest, eos tantum aliquando majorem exigere, ut certius habeatur æqualis, & amor propius non ita facile decipiat. Quod idem eodem modo dici potest de lat multis recentioribus; nam & hi contenti esse videntur quocunque excessu probabilitatis.

354. Sed nec defunt magni, & graves auctores, qui sententiæ hanc mediæ, quoad utramque partem amplectuntur, ut ei propius saltem accedunt. Et imprimis favet ei Angelicus, dum admittit locis à n. 272. citatis, ignorantiam invincibilem excusare à peccato: hæc autem datur, saltem moraliter, in casu æqualis probabilitatis, non autem in casu probabilitatis notabiliter minoris, ut infra probabitur. Quod autem La Croix l. 1. n. 322. velit, S. Thomam docuisse omnino benignam, ex eo, quod dicat operantem ex propria opinione non peccare, non probat intentum; quia in hoc casu debet operari juxta S. Thomam, ex opinione propria, hoc est, ex ea, quam suo assensu facit propriam, cui scilicet prudenter assentitur tanquam veræ: hoc autem, ut ajunt autores mediæ hujus sententiæ, non potest quis facere, saltem prudenter, si opposita videatur majoris notabiliter probabilitatis, nisi accedat aliquod extrinsecum motivum virtutis, de quo plura inferius.

355. Stat pro hæc sententiæ clarior Alber-

tus M. in sua summa p. 2. quæ est de bono. Ralslerus in norma recti citat quæst. 221. sed meum exemplar Gothicis typis impressum (aliud nancisci non potui) nullum habet numerum, quæstionibus additum: imò nec ponit in titulo vocem quæstio: unde alii vocant articulos: ubi tamen verba modo afferenda ponuntur, ponitur titulus: *Utrum conscientia semper sit recta*: & de in in hac quæstione folio mihi 184. ita habetur: *Non obligat ad faciendum, nisi sit ut opinatum, vel creditum, vel scitum, id, quod est in conscientia*: unde juxta Albertum non obligat, quod est ambiguum. Remittit autem hic lectorem ad quæstionem superius traditam, quam Ralslerus citat n. 160. in exemplari autem, quo uti debui, ejus quæstionis titulus est: *Quid sit opinio, folio mihi 158. in qua sic explicat dubium, vel ambiguum: Ambiguitas enim est motus rationis ambiens utramque partem contradictionis per æqualia mediæ.*

Jam sic, in ambiguitate non tenetur quis juxta Albertum ad servandam legem: ergo non tenetur in æquali probabilitate: tenetur autem, juxta hunc magnum Doctorem ad creditum: hoc est, de quo habet fidem: quæ juxta ipsum q. 160. seu folio 158. est perfecta persuasio unius partis per multa probabilia: ergo tenetur, quando est notabiliter magis probabile: & confirmatur ex eo, quod idem Albertus eadem q. 221. (alii vocant articulum) seu mihi folio 184. quærens, an vera sit regula illa, quod dubius de mortali, & tamen faciens, mortaliter peccet, respondeat: *Dicendum, quod duplex est dubitans, scilicet dubitans, supponens aliquid magis esse, quam non esse: & de tali intelligitur regula.* Ecce, qui magis supponit, seu, cui lex magis probabilis est, & propterea suo modo dubitat, juxta hunc magnum auctorem peccat, si contra legem agat. Iterum eodem folio 184. seu q. 221. ait, teneri aliquem ad opinatum: sed per opinatum intelligit, saltem notabiliter magis probabile; nam folio 158. seu q. 160. cui titulus: *Queritur, quid sit opinio*: sic scribit: *Opinio enim est acceptio unius partis cum formidine alterius, ita tamen, quod ad illam, quam formidat, non habet rationem expressam: formidat tamen propter debilitatem rationis alterius partis.*

Gerlon in regulis moralibus, sub initium ait, exponere se periculo, & peccare eum, qui incertus est, non ex nimio timore, sed: *Dum tale est vehementer, & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum, vel magis*: ubi clarè docet, non licere sequi opinionem notabiliter minus probabilem: aut tamen, quod æqualiter probabilem sequi liceat, per hoc infiruat, quod non determinatè dicat, sufficere ad peccatum æqualem probabilitatem, sed disjunctivè, vel æqualem, vel majorem, quibus verbis saltem videtur infinuare, se non firmiter judicasse, quod sufficiat ad obligationem æqualis probabilitas. Gabriel in 4. disp. 15. q. 8. sub finem repetit verba Gerlonis.

Stat etiam pro hæc sententiæ mediæ S. Antoninus prima parte tit. 3. c. 10. §. 10. quatenus docet, posse aliquem sequi opinum tutam, præcipuè, quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat, ad hoc, quod sit illicitum hoc autem contingit in casu æqualis probabilitatis, in quo nihil sufficienter movet ad hoc, quod

Quæ sit auctoritas sententiæ, afferentis licitum usum opinionis aequaliter probabilis, &c. 137

quod sit illicitum. At verò, quando est notabiliter magis probabilis lex prohibens, jam invenit, quod juxta S. Antoninum sufficienter moveat; quia S. Pater ibidem ait: *Conspicitur certitudo moralis. . . . ex probabilibus conjecturis, profertur, & figurabilibus, magis ad unam partem, quam ad alteram, se habentibus.*

Rursus, cum S. Antoninus locis citatis n. 325. dicat, primò, quod quis possit sequi opinionem habentem pro se notabiliter Doctores: secundò, quod sequenda sit benignior legum interpretatio (quod asserit ex Hostiensis, quem ibidem citat) certè S. Doctor non vult, nos obligari ad tutius, nisi minus tutum sit notabiliter probabilius, ut videtur clarum. Sed neque etiam permittit usum opinionis minus tutæ, & notabiliter minus probabilis; cum juxta ipsum in casu probabilitatis, notabiliter majoris, seu desumptæ ex conjecturis grossis, magis ad unum, quam ad alterum inclinantibus (ut modò ostensum ex ejus textu) lex sit moraliter certa: qualem obligare nemo negat. At verò, quando rationes sunt æqualiter probabiles, tunc juxta S. Antoninum loc. cit. num. 242. res, aut lex, est dubia, adeoque non obligat ex eodem Sancto, qui apertè negat, quod in dubio debeamus sequi tutius; nam 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. ante medium sic scribit: *Respondetur, quod eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti.*

Equidem Sanctus hic prius dixit, quod quis sequi possit sententiæ minus tutam, si, excluso saltem scandalo. . . bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tanquam de probabilior parte: quæ videntur indicare, eum tantum concedere usum sententiæ aliquantum probabilioris: sed, cum non requirat magnum excessum, imò jam talem aliquo modo agnoscat, quando nihil sufficienter movet in oppositum, (nam in eo casu permittit, sequi sententiæ minus tutam, ut modò ex ejus verbis ostendimus) meritò censetur, mediæ sententiæ consentire. Nimis prolixum foret, omnium antiquorum verba exscribere, eaque quandoque subobscura declarare, vel ex eorum principiis sententiæ istam mediæ am eruerè.

356. Tenent autem sententiæ hanc mediæ quoad utrumque membrum recentiores, quos vide citatos in norma recti disp. 3. q. 10. a. 1. n. 933. Nempe Antonius Perez, Benedictinus Candidus Philalethes, seu Andreas Bianchi, Andreas Junius, Thomas Schiara, Herincx, Esparza, Rebellus, Cardinalis Pallavicinus, P. Daniel, seu author epistolarum ad P. Alexandrum Natalem, Burgo de Paz, Antonius Cotonius, Joannes Martinez de Prado, Cabafutius, & alii citati in norma recti disp. 3. q. 10. a. 1. n. 933. Ex quibus Antonius Perez in Laurea Salmanticensi certamine scholastico 10. c. 8. n. 53. dicit, neminem dubitare, quod inter æqualiter, vel quasi æqualiter probabiles sententiæ, liberum sit, sequi, quam quis maluerit: sequenti autem cap. 10. num. 55. & §. 56. apertè negat, licitum esse sequi sententiæ notabiliter minus probabilem.

Cabafutius autem, non tantum qualiscunque historicus, ut quidam ingeniosus recentior ad elevandam ejus auctoritatem eum nominat, sed vir in Conciliorum doctrina, quæ hic maxime attendenda est, veratissimus, ad canonem 48. R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

Concilii Triburienfis ait, ex hoc canone manifestè astrui, in quæstionibus ambiguis, & utrinque probabilibus, licitum esse, dnm adit bona fides, nec credatur opposita probabilior, quamcunque sequi. Ex quo legitime inferitur, non tantum privatam Cabafutii, sed totius Concilii Triburienfis auctoritatem nostræ sententiæ suffragari: & certè canone illo dicunt Patres, se nihil velle defendere propter eos, qui diversè de eo sentiunt: & relinquunt libertatem sequendi opinionem utramlibet. Esparza hanc mediæ sententiæ tota sua appendice defendit, præsertim autem à n. 152.

P. Daniel, author epistolarum ad P. Alexandrum, ep. 4. paulò post medium §. ex quo ait, se velle de ea agere sententiæ, ad quam tam multibus hodie accedere intueatur: dein per decursum epistolæ egregiè confirmat nostram hanc mediæ, adeoque non tantum eam ipse amplectitur, sed insuper fidem facit, quod hodie, id est, moderno tempore, tam multi ad eam accedant. Meretur hic auctor planè legi, ob elegantiam styli, & soliditatem doctrinæ: cumque Gallus fuerit, de Gallicis censendus est loqui, adeoque isti favent, mediæ sententiæ, licet fortè extrinsecis verbis majorem rigorem quandoque præferant. Pro hæc sententiæ etiam merito citatur P. Philippus Arranda in 1. 2. l. 10. disp. 38. ubi, cum sec. 3. n. 98. docuisset, licitum esse usum sententiæ etiam minus probabilis, idque ferè maxime præbasset ex eo, quod quis opinioni, etiam minus probabili, prudenter assentiar, postea sec. 6. ubi querit, an quis possit sententiæ minus probabili prudenter assentiri, n. 144. sic ait: *Nota secundò, quæstionem etiam esse de statu, & apparentia objectorum, ita, facta comparatione, se habentium in actu primo, ut excessus verosimilitudinis, & probabilioritatis, non sit evidens, & indubitabilis, sed inevidens, & obscurus, prout communiter accidit. Ratio est; quia, qui evidenter, & indubitanter, judicat verosimilius unum, non potest existimare contrarium ut verum; esset enim existimare, & judicare, esse verum, quod evidenter constat, quod videtur à vero recedere: & post pauca: Hinc opinioniones oppositæ iis, de quibus est probabilioritas indubitabilis, ac evidens, non manent capaces assensus in intellectu sic disposito, atque adeò nec probabiles, sed moraliter improbabiles. Quare non potest de his esse quæstio præsens, secus, ac multi recentis Probabilioristis, ad creandam verè nostræ sententiæ invidiam, videntur existimare. Quæ si bene expendantur, videbitur hic auctor nostram sententiæ amplecti, non minus, ac Esparza, cuius fundamento nititur, & quem ibidem citat. Accessit Adm. R. P. Mathæus Kreslinger ex Ordine Seraphico, qui hanc sententiæ mediæ, edita doctissima disquisitione illustravit. Itera accessisse censendus est P. Christianus Hartman, de quo n. 350. Omnium autem sussimè, ac clarissimè, hac de re egit P. Christophorus Ralsler in norma recti, qui, cum prius acriter omnino benignam defendisset, re per multos annos maturius considerata, hanc mediæ amplexus est, ac integro tomo illustravit.*

357. Sed & alios magnos viros, præsertim in Onipontana, & Ingolstadtensi Universitate, hæc sententiæ habuit patronos: & quamvis sæpius, ac diutius tradita fuerit in hisce Universitatibus, à maximis etiam viris, sententiæ omnino

benigna, tamen posterioribus hæc annis Ingolstadtii, quatuor saltem vicibus, prælecta est sententia mediæ: quare nihil insoliti facit, qui tanta vestigia sequitur. Repero tandem, quod supra jam dixi, *n. 353*, quamvis affirmari non possit, quod complexum utriusque partis hujus sententiæ mediæ conjunctim defendatur à plurimis, tamen quælibet pars seorsim à plurimis defenditur, quod sufficit in hac, sicut in aliis innumeris assertionibus, duas partes complexis. Ex quibus omnibus videtur, legitime posse inferri, quod auctores omnino benigni, non possint jure, sententiæ suæ autoritatem in tantum extollere, ut asserant, non posse ab adversa, id est, mediæ sententiæ, moraliter æqualem ei opponi. Hæc hucusque plus quam prolixè circa autoritatem, sed ideo; quia, ut mihi saltem videtur, argumentum, ab autoritate desumptum, est maximum, quod mediæ huic sententiæ objici potest. Unde opus fuit illud sub initium statim præoccupare, & apprehensionem nimiam in quorundam mentibus corrigere.

ARTICULUS XIV.

An liceat sequi opinionem minus tutam, & notabiliter minus probabilem.

358. **D**ico. Non licet sequi sententiam, quæ immediatè versatur circa licentiam actionis, & si nullo est minus tuta, ac clarè notabiliter minus probabilis. ita auctores articulo præcedente adducti. Prob. ratione. In moralibus quæstionibus, de licito, & illicito, de existentia vel non existentia legum, de earum sensu, extenso, aut restricto &c. sæpissime non potest haberi certitudo moralis strictè dicta, quæ excludat omnè dubium probabile in oppositum, seu omnem prorsus adhuc prudentem formidinem, & oppositæ partis probabilitatem, sed sunt incerta plurima, & posita sub opinionibus utrinque probabilibus: ergo, si nunquam obligamur ad observationem legis, nisi effect strictè moraliter certa, seu excluderet omnem probabilitatem de opposito, & quidem, nisi etiam esset certum, quod hunc, vel illum sensum, habeat; ad hunc, vel illum casum, se extendat, magnus numerus legum esset respectu plurimorum inutilis, & inefficax, suoque sine frustraretur, ac nimium laxaretur disciplina morum: hoc autem admitti non potest: ergo.

Antec. patet percurrenti materias particulares in Theologia morali, ubi occurrunt plurimæ quæstiones, quæ habent in utramque partem patronos, etiam circa leges Divinas, constat etiam clara. subsumptum autem, sive, quod hoc admitti non possit, probatur ex eo, quod non deceat providentissimum legislatorem, ponere magnum numerum legum inutilium: nec deceat hominem, DEO ex essentia sua subjectissimum, nolle pluribus legibus se subicere. Confirm. conclusio, maxime quoad leges humanas. Legislatores humani non possunt prævidere omnia prorsus dubia, quæ oritura sunt circa suas leges, adeoque non possunt velle non

Questio III. Articulus XIV.

obligare, si tantum aliquid dubium, notabiliter minus probabile, oriatur: ergo.

359. Respondet quidam recentior, quod si DEUS imponat legem, præsertim naturalem, semper futuri sint sapientes, quibus ita perfecta sit ejus existentia, ut oppositum ipsis non sit probabile: à quibus dein notitia derivari possit in alios. Contra est. Primò, etsi pauci aliqui tales essent, si tamen aliis plurimis doctoribus, certitudinem non agnoscentibus, non statim prævalerent, essetque propter hos doctores oppositos, & eorum rationes, adhuc oppositum probabile. Secundò, hoc prorsus gratis dicitur, & contra experientiam; cum plures opiniones dentur, circa leges etiam naturales, sine certitudine morali strictè dicta, quæ ab ullo habeatur. Sanè ante decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. de multis adhuc probabiliter disputabatur, quæ modò certi juris sunt, & quidem naturalis. Ex quo ulterius inferitur, quod, si assertum hujus recentioris esset verum, leges etiam naturales tunc primùm conditæ essent, quando earum existentia certa esse cepit, scilicet post illa decreta, quod omnino est falsum; cum Pontifices supposuerint, propositiones illas jam prius fuisse falsas, & leges illas jam prius obligasse; neque enim voluerunt, nec potuerunt, novas leges naturales condere. Si dicas, tunc saltem oppositum non fore probabile, quando DEUS voluerit, legem obligare. Contra est. Sic jam concedis, quod magnus numerus legum sit inutilis, quod ipsum dicere est absurdum.

Si dicas iterum, cum alio quodam recentiore, quod, si observarentur omnes leges certæ, mundus esset sanctus, sine omnibus adulteriis, furtis &c. Resp. neg. assertum; quia certum est, de multis probabiliter disputari, an sint furta, seu illicitæ acceptiones alieni, an simonia, an usura, an violationes jejunii, aut aliorum præceptorum &c. unde multa fierent adhuc peccata. Si dicas, ea fore tantum peccata materialia. Resp. hoc tantum esse per accidens, eoquod homines existimarent, se bona fide posse sequi sententiam dictam benignam: sed eodem modo, si bona fide, vel conscientia, omnes sequerentur sententiam asserentem, licet operari cum tenui probabilitate, etiam tantum materialia peccata fierent. Interim tamen semper maneret verum, quod plurimæ leges à sapientissimo legislatore essent frustra positæ &c.

360. Instabis. Ergo etiam, quando tantum æqualiter probabilis est existentia legis, jam debet observari: hoc est contra nos: ergo prob. ma. si leges, æqualiter probabiliter existentes, non obligant, tunc etiam plurimæ frustrantur suo fine: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. neg. ant. licet fortè aliquæ, vel, si vis, etiam multæ, frustrarentur, tamen sunt multò pauciores, quàm, si etiam notabiliter probabiles non obligarent. Secundò, fit aliqua saltem compensatio; quia etiam aliqua, re ipsa non existentes, observari debent; contingit enim, aliquas notabiliter probabiles re ipsa non dari: & quamvis compensatio non sit omnino æqualis, tamen non videtur DEUS exigere, ut omnes æqualiter probabiles observemus; cum tunc prorsus plurimas non existentes deberemus obser-

An liceat sequi opinionem minus tutam, & notabiliter minus probabilem.

servare; eò quod plurima sint æqualiter, vel quasi æqualiter probabilia: & esset onus incomparabiliter majus, ut infra iterum dicemus. Accedit, quod adhuc aliæ rationes succedant, non debere observari leges tantum æqualiter probabiles, quæ non probant idem de notabiliter probabilioribus: & vicissim aliæ probent, debere has observari, quæ non probant de illis.

361. Probatur conclusio 2. Lex reverà existens obligat omnes subditos, nisi illius invincibilem ignorantiam habeant, aut certè invincibilem dubium de illa, & hoc non tantum qualecunque; sed quod æquivalet moraliter invincibili ignorantia, atque excludat certitudinem moralem, etiam latius dictam: atqui neutrum habetur in casu probabilitatis notabiliter majoris, de existentia legis: ergo, ma. videtur non posse negari: certè longè probabilior est, quàm ejus contradictoria. min. prob. quoad 1. partem. ille non potest dici rem invincibiliter ignorare, qui de ipsa habet tantam notitiam, quanta communiter solet haberi in moralibus, scilicet notitiam notabiliter probabiliorem; quia moralis certitudo strictè dicta rarè habetur. Dein talis potest prudenter affirmare existentiam legis, sicut scilicet judex potest ex notabiliter probabilioribus prudenter judicium ferre de causa: e contra non est ulla ratio prudens (nisi accedat extrinsecum motivum virtutis) ex quo quis possit in hoc casu, legem prudenter negare: ergo.

Prob. min. quoad secundam partem. Quando habetur notabiliter major probabilitas, jam censetur haberi certitudo moralis, latius saltem dicta: ergo non habetur amplius dubium, quod excludat hanc certitudinem: & hæc sanè certitudo videtur sufficiens esse intimatio obligationis, quamvis cum ea stet aliquid dubium: nisi velimus dicere, quod in moralibus ferè nunquam res sufficienter, & moraliter sciatur. prob. antec. ex S. Thoma 1. 2. q. 96. a. 1. ubi sibi tertio loco objicit, legem humanam, cum sit mensura, & regula actuum humanorum, debere esse certissimam, & ita respondet ad 3. Non est eadem certitudo querenda in omnibus, ut in 1. ethicorum dicitur. Unde in rebus contingentibus (sicut sunt naturalia, & res humane) sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus. Idem S. Doctor quodlibeto 8. a. 13. sic ait: Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quodam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum &c. ubi per certitudinem intelligi debet tantum major probabilitas; hæc enim adhuc stat cum dubio; nam certitudo moralis strictè dicta excludit dubium, quod saltem sit alicujus momenti, & non levis scrupulus, de quo scrupulo S. Doctor ibi non loquitur.

362. S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10. sub finem. sic habet: Tertia certitudo, scilicet moralis, seu civilis, tangitur una cum præcedenti in principio ethicorum, ubi dicitur, quod disciplina est, in unaquaque re certitudinem querere, juxta exigentiam materia; æque enim vitiosum est, persuadentem querere mathematicam, & moralem demonstrantem; non enim conjungitur certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis, grossis, & figurabilibus, magis ad unam

partem, quàm ad aliam, se habentibus. Gerfon de contrariis par. 2. propositione 13. ait: Quod probabilis certitudo sufficit in moralibus, prout in moralibus dicit Aristoteles, sumendam esse certitudinem, grossè, & figuratè, quæ certitudo non removel in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam, vel ad aliam, quod sufficit.

Angelus de Clavasio ex Ordine Minorum de observantia, cujus summa Angelica, qua ego uti debui, Gothicis typis edita est Venetiis an. 1571. verbo, Opinio, postquam explicasset opinionem, fidem, scientiam, fermè iisdem verbis, quibus Albertus Magnus citatus n. 355. ibidem sibi objicit illud S. Augustini: Tene certum: &c. & respondet: Alia enim certitudo in moralibus, alia in naturalibus: propterea dicit Philosophus modo ethicorum, quod disciplinatus est, in unaquaque re certitudinem querere juxta exigentiam materia; æque enim vitiosum, persuadentem (hoc est, moralem certitudinem) querere mathematicam, & moralem (hoc est, Philosophum moralem) demonstrantem (hoc est, querere rationem demonstrantem) non enim conjungitur certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis, grossis, & figurabilibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam, se habentibus: quæ sunt fermè eadem cum verbis S. Antonini modò citatis. Sylvester in summa, verbo, Opinio, ait: Tenet iste certum sibi moraliter: cum in moralibus sufficit certitudo ex probabilibus: intelligit autem probabilioribus; quia minus, vel etiam quæ probabilia, non pariunt certitudinem, sed potius dubium, & ignorantiam. Dein, si attentè legatur, videbitur, non admittere, quod sit licitum, sequi minus probabilem.

Imò etiam ex recentioribus Terillus, inter præcipuos sententiæ omnino benignæ patronos, tract. de conscientia probabili q. 22. non tantum semel idem docet, & apertissime n. 76. ubi ita ait: Ecce major probabilitas de honestate operis, undecunque tandem derivetur, ex mente Gerfonis, Gabrielis, & communi Doctorum illius ævi consensus, est moralis certitudo, sufficiens ad excusandum a peccato, etsi opposita pars sit probabilis, suaque probabilitate inducat formidinem de opposito. At nos idem per omnia docemus. Si autem talis major probabilitas est moralis certitudo de honestate, eodem modo erit de inhonestate; quia omnimoda paritas est. Eadem ferè verba repetit n. 119.

Et sanè hæc certitudo moralis, latius dicta, est tanta, ut in temporalibus negotiis, ancipitis exitus, soleant eam esse contenti etiam illi, qui rerum suarum minimè negligentes, aut imprudentes habentur in sæculo: ergo sanè est notitia sufficiens. Adde, quod, cum major, quàm ex probabilioribus orta, certitudo frequentissime non possit haberi, debeat ista sufficere: ergo etiam stante adhuc aliquo non levi motivo, seu potente movere aliquid dubium prudens, modò sint rationes notabiliter graviore in oppositum, iam habetur certitudo, quæ in moralibus sufficit.

363. Respondebis, hoc argumentum tantum probare obligationem pro casu, quo lex existat. Resp. neg. illat. Argumentum hæc probat pro utroque casu, sive lex directa existat,

sive non; nam, si etiam lex directa non existeret, tamen lex reflexa obligaret; quia, qui nesciret, quod lex directa non existeret, & tamen haberet majorem probabilitatem, quod existeret, haberet se, sicut, qui certo (intelligere certitudine morali, vel certitudine adhesionis) iudicaret, legem directam existere: adeoque obligaretur per legem reflexam. Certè haberet dubium practicum, nec esset, unde posset illud deponere, vel dictamen reflexum de licentia actionis concipere; neque enim talis posset dubium invincibile, aut similem ignorantiam prætexere: ergo teneretur ad observationem legis existimatæ, seu notabiliter probabilis propositionis: sed de hoc iterum infra.

ARTICULUS XV.

Ultior probatio nostræ sententiæ.

364. **P**robatur conclusio 3. à pari. Si quis servus noller facere quidquam, de quo ei tantum notabiliter verosimilius esset, herumid velle, sed ubique expeteret certitudinem moralem strictè dictam, sanè suo officio deesse censeretur. Ponamus e.g. quod herus ei dicat, ut horà undecimâ serviat sibi ad mensam: sint autem duo horologia, quorum unum notabiliter probabilis consentiat cum horologio domini, adeoque tutius, & probabilis sit, ad suo tempore exhibendum obsequium: alterum notabiliter probabilis aberrat, adeoque minus tutum, atque minus probabile sit. Ponamus etiam, quod hic servus velit posteriori horologio se ordinariè conformare, non ex alia ratione, quam, ut suæ libertati non præjudicet, aut, ne sibi ingrati onus imponat: talis certè officio suo non satisfaceret, nec heri sui voluntatem studiosè inquirere, aut exequi censeretur: ergo ne homo ille satisfaciat officio suo erga DEUM, nec censeretur potest, huius voluntatem studiosè exequi, qui actiones suas, quibus ad DEUM venire, eique servire tenetur, dirigit juxta opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta altera tutiori, & probabiliori. Certè antecedens videtur innegabile, & tali servo suo quilibet merito, ut non dubito, indignaretur: consequentia non videtur ullam disparitatem formalem admittere.

Nec velint adversarii hoc argumentum retorquere in nostram sententiam, dicendo, quod dominus aliquis neque esset contentus, si servus se vellet conformare horologio, tantum æqualiter probabiliter convenienti cum horologio domini. Resp. enim. Si adest horologium notabiliter probabilis, tunc hoc debet juxta nos servus sequi, sicut debet sequi quivis sententiam notabiliter probabiliorum. Si autem tantam adest horologium tutius, & non probabilis, hoc (ut consideranti patebit) debet ordinariè præcedere horologio domini: atqui nullus dominus, merito, & prudenter, petit à servo, ut semper tempus præfixum præveniat, & plus temporis, quam ei præscriptum est, impendat, quamvis contingat, eum ideo aliquan-

do tardius venire: adeoque nec DEUS obligat hominem semper ad tutius.

365. **D**ices 1. Non est eadem ratio herologii, ac opinionis; bona fides enim non facit, ut horologium conformetur cursui solis, vel alteri horologio domini: at opinio probabilis facit, ut conformetur actio voluntati DEI, saltem secundariæ, & permittenti: adeoque non est paritas. Resp. Non quaritur hic, an opinio de horologio faciat illud conformari cursui solis, vel alteri horologio: sed an voluntati domini; quippe, an veniat servus, vel non veniat suo tempore, est tantum materiale objectum præcepti: quod præceptum, si servus, bona fide, & invincibiliter, non exequatur, est exculatus, e.g. si horologio probabiliori deceptus, non venisset in tempore: sicut scilicet, si quis, opinione notabiliter probabiliori deceptus, legem non observasset: sed quaritur, an talis voluntas servi, volentis se conformare horologio probabilis aberranti, possit censerì conformis voluntati domini, ita, ut, si tali horologio deceptus, suo tempore non veniat, exculari mereatur: & putamus, juxta communem hominum persuasivam, non excusandum, eo quod planè non videatur studiosè curare, prout obligatur, exequi voluntatem domini. Et inter hanc voluntatem servi, atque inter voluntatem hominis, volentis se conformare opinioni, notabiliter minus probabilis, instituitur paritas: verbo, paritas est inter horologium, & opinionem: & iterum inter voluntatem servi respectu heri, & hominis respectu DEI: & quoad punctum questionis disparitas nulla est. Accedit, quod gratis adversarii dicant, opinionem quamcunque probabilem, etiam Theologicè talem, in consorcio notabiliter probabilioris, reddere actionem conformem legi DEI permittenti; hoc enim à nobis merito negatur.

366. **D**ices 2. Herus non curat de voluntate servi, modo fiat objectum præceptum. Resp. Licet herus non curet omnem voluntatem, e.g. prorsus internam, tamen etiam curat modum agendi; unde, licet admittat aliquando exculationem omniæ actionis, e.g. si servus, quantum in se est, bona fide fecit, sed inculpabiliter, seu invincibiliter deceptus, mandatum exequi non potuit: tamen non admittit exculationem quamcunque, & non admittet, si tali horologio se excusaret. Pariter DEUS vult etiam rem præceptam, sed admittit etiam exculationem, ratione modi agendi, vel potius omittendi: sed non omnem, neque deductam ex opinione notabiliter minus probabilis, tanquam horologio probabilis aberrante.

Dices 3. DEUS non est tam severus erga nos, quam sint domini creati erga suos servos: ergo paritas est nulla. prob. ant. Reges creati e.g. ostendunt se graviter offensos, si ipsis loquentes non utantur summâ reverentiâ, & attentione: econtra DEUS non ostendit se graviter offensum, si loquentes ipsi in oratione sint minus reverentes: ergo. Resp. supponendo, quod esse severum tantum significet exigere exactam observantiam legum. neg. ant. Dedeceat sanè infinitam majestatem supremi legislatoris, minus curare suas leges, quam curent suas limitatissimæ potentie legislatores creati: & sanè

sanè est persuasio universalis omnium, DEUM velle, sibi exactè obediri, ad prob. dist. ant. Reges creati ostendunt se offensos, si ipsis loquentes non utantur summâ reverentiâ, & attentione, quando hanc circumstantiæ exigunt. conc. ant. semper, & in omnibus circumstantiis. neg. ant. & conf. Reges isti, saltem si prudenter se gerant, non exigunt eam reverentiam, & attentionem, semper, & ab omnibus, qui cum ipsis debent familiariter, quot horis, aut momentis, agere; hoc enim esset moraliter impossibile, nec ipsis principibus gratum: sed tantum exigunt eam reverentiam ab iis, qui rarioribus, aut in solemnioribus circumstantiis, sibi assistunt, quod moraliter fieri potest. Sic etiam DEUS non exigit, saltem sub gravi, reverentiam in omnibus orationibus; quia hæc sapientissimè sunt; & difficultas in procuranda semper attentione, etiam interna (quam creati reges non attendunt, advertit tamen DEUS) est: valde magna: at verò exigit DEUS eam attentionem aliquando, in circumstantiis solemnioribus e.g. in consecratione SS. Eucharistiæ &c. unde non minus, sed magis, exigit DEUS, sibi exhiberi reverentiam, & attentionem: atque adeo argumentum à pari est firmum.

Confirm. conclusio. Reverentia, supremo legislatori debita, videtur sanè à nobis exigere, ut tunc saltem ejus legibus nobis subjiciamus, quando earum existentia nobis notabiliter probabilior apparet, ita, ut eam possimus prudenter affirmare, non autem prudenter negare: ergo. antec. probatur ex frequentibus S. Scripturæ locis, ac SS. Patrum sententiis, quibus Divinæ legis amor, & observantia, nobis impensissimè commendatur; huius enim commendationis exigua ratio haberetur, si neque tunc nobis legi submitteremus, quando notabiliter probabilis innotescit; cum tamen major notitia ut plurimum haberi non possit. Et hoc saltem tamdiu verum haberi debet, quamdiu non efficitur, quales adversarii non afferunt, rationibus ostenditur, DEUM à nobis hoc non exigere.

ARTICULUS XVI.

Solvuntur Objectiones.

367. **O**B. 1. Autoritas antiquorum est omnino dubia; nescitur enim, de quibus sententiis minus probabilibus locuti sint, an de sententiis tantum directè in se consideratis, sine circumstantiis quibusdam, etiam extrinsecè advenientibus, & objectum extrinsecè mutantibus: qua ratione non essent contra recentiores, qui & ipsi negant, talem sententiam ita nudatam sequi licere: an verò locuti sint de sententiis consideratis, cum extrinsecè circumstantiis, auctoritate, principiis reflexis &c. quas ut ita vestitas, dicunt recentiores, licitum esse sequi: sed ex dubia auctoritate nihil probatur: ergo. Resp. neg. maj. Antiqui acceperunt sententias minus probabiles, eo in sensu, in quo eas modo accipiunt recentiores; nam eodem modo loquuntur, ut patet ex textibus à num. 355. citatis, & pluribus aliis videntis apud Ralslerum in norma recti. disp. 3. q. 8.

a. 2. Unde, sicut recentiores loquuntur de sententiis ut vestitis, ita etiam antiqui locuti sunt: ergo tam parum est dubia auctoritas antiquorum, quam parum dubia est auctoritas recentiorum.

Hoc tamen facile concedo, quòd, sicut recentiores, dum aliquam sententiam afferunt minus probabilem, nondum considerant eam ut vestitam principio illo suo reflexo: Probabilis licitum est, sequi quamvis sententiam vere probabilem (nam hac ratione, sententia prius, seu in se, minus probabilis, sit juxta ipsos magis probabilis) ita neque antiqui sententiam aliquam considerant ut vestitam hoc principio. Et sanè, cum de hoc ipso principio disceptaretur, an verum esset, imò antiqui communiter negarent, id esse verum, non potuerunt illud supponere, eoque sententiam minus probabilem antecedenter vestire. Nec dicas, antiquos tantum negasse, quòd licitum sit, agere cum ultimo dictamine conscientie minus probabilis; hoc enim est falsum; quia loquebantur de probabilitate, quæ præsupponebatur ad conscientiam, seu dictamen illius, ut patet ex S. Antonino c. 2. num. 355. imò alias ex Alberto ibidem citato sequeretur, quòd ambiguus, seu dubitans actu prædicto, sive in ultimo dictamine, in utramque partem licite ageret, quidquid eligeret, quod admitti non potest.

368. **O**B. 2. Sententia de licita praxi opinionis minus tutæ, & minus probabilis, fuit ultra centum annos, communis in Ecclesia DEI: ergo universaliter errasset Ecclesia, si sententia hæc non esset vera: atqui hoc DEUS non potuit permittere: ergo. Confirm. 1. Prudenter agit, qui sequitur præeuntes tanto tempore innumeros doctores, docentes, licitum usum sententiæ minus tutæ, minusque probabilis: ergo non peccat; quia peccatum non potest prudens esse. Confirm. 2. Vel isti authores benigniores fuerunt cæci, vel videntes: cæcos dicere, est inferre viris sapientissimis injuriam: si autem videntes fuere, tunc viderunt etiam nostras rationes; cumque tamen iis moti non sint, signum est, eas non esse efficaces: ergo.

Resp. Si adversarii possunt hoc deglutire, quòd doctores longè diuturniori tempore erraverint, imponendo hominibus onus, quòd DEUS non imposuerat, quòdque suo modo erat occasio peccatorum formalium, cur non potuerint minori tempore errare alii, & quidem errore, tantum inducente ad peccata materialia? Certè, ut jam dictum n. 260. inevitabiliter admitti debet, quòd aliquando longo tempore erraverint doctores: nec tamen propterea erravit Ecclesia, quæ nunquam ullam ex his duabus sententiis definit; quamvis autem magna pars fidelium erraverit in opinando, & multi etiam in operando, non tamen errarunt omnes: & etiam istos bona fide excusatos fuisse, facile concedo.

369. **A**d 1. confirm. dist. antec. Prudenter agit, qui sequitur præeuntes innumeros doctores, si non stet in oppositum moraliter æqualis autoritas, & ratio gravior. conc. antec. secus. neg. antec. & conseq. & retorqueo argumentum. Imprudenter agit, qui non sequitur innumeros, & gravissimos doctores, per longius tempus præeuntes viam arctiorem ad cœ-

lum, & simul graviorem rationem habentes: ergo peccat. Ad 2. confirm. Si adversarii audent, antiquos dicere cacos, non possent nos arguere irreverentiæ, si etiam tales diceremus recentiores. Resp. tamen cum majori reverentia facile neg. ma. datur enim medium, scilicet fuerunt minus videntes, & aut rationes nostras, non ita considerant, aut ad alia distrahi, vel aliter impediti, non ita penetrant. Nec est irreverens, hoc etiam de magnis viris circa particularem aliquam sententiam judicare; alias nunquam posset quis ab ulla sententia alicujus magni viri recedere. Scilicet posteri etiam plura discunt, ac præcedentium laboribus, seu scalis adjuti, sæpe alius ascendunt, & semper plura cum tempore clarescunt.

370. Dices 1. Etiam Summi Pontifices usi sunt opinionibus minus probabilibus, & juxta hæc dispensant: ergo, prob. antec. Honorius II. Clemens II. dispensant in voto solemnium Religionis ad contrahendum matrimonium: item S. Pius V. Gregorius XIII. & alii dispensant in matrimonio rato, ad contrahendum aliud: quod tamen tantum fuit minus probabiliter in eorum potestate: imò Adrianus VI. dicitur in matrimonio rato, contra propriam sententiam, juxta opinionem Cajetani dispensasse, sed, addidisse, dare se, quod posset, & tamen credere, se nihil posse: ergo ipsi Pontifices usi sunt opinionibus minus probabilibus.

Resp. cum Raslero, & Kreslinger, dist. antec. Summi Pontifices usi sunt opinionibus, quæ aliis tunc videbantur notabiliter minus probabiles. om. antec. quæ ipsismet Pontificibus, consideratis omnibus circumstantiis, videbantur notabiliter minus probabiles. neg. antec. & conseq. Imò, cum hic agatur de valore Sacramenti matrimonii, debent ipsi adversarii idem respondere. Quod attinet ad Adrianum, dispensavit istantem conditionatè, quod se posse ipsi certum fuit, attentis circumstantiis omnibus. Pariter, quando antiqui docuerunt aliquid, quod nunc videtur, vel visum est, minus probabile, non sequitur, quod etiam ipsis tale fuerit visum. vide etiam inferius n. 409.

Similiter, etsi quidam antiqui, quasdam sententias tanquam probabiliores amplexi, permiserint tamen aliis, amplecti oppositas, & iis uti, propterea non credendi sunt, usum illum permisisse, etiam iis, quibus eæ sententiæ minus probabiles viderentur, sed tantum iis, quibus illæ sententiæ apparerent magis, vel saltem æquè probabiles, quales supponebant, posse a iis videri: atque adeo eas, ut absolute improbabiles, condemnare ausi non sunt. Eodem modo, quando antiqui permiserunt simplicibus, ut sequerentur viri docti iudicium, non approbarent propterea etiam sententiam talis viri minus probabilem: sed tantum dixerunt, simpliciter posse illam sequi, si scilicet eam ipsos doceret vir doctus, de quo non haberent suspitionem, quod velit ipsos fallere, aut quod fallatur: verbo, in iis circumstantiis, sapissimè occurrentibus, in quibus simplex non tenetur plures interrogare, sed potest consilio prudentis viri acquiescere; hoc enim frequentsimè eum posse, est probabilissimum.

371. Dices 2. Obligatio, quam asserimus,

esset juris naturæ, & ad omnes homines spectaret, atque ad plurimas actiones se extendere: ergo non potuisset latere viros tam doctos tanto tempore. Resp. Sicut juxta adversarios potuit longè diutius latere licentia sequendi opinionem minus probabilem, ita potuit etiam longo tempore latere obligatio sequendi opinionem notabiliter probabiliorum. Nec est in uno major, quam in altero inconvenientia, respectu DEI, aut error respectu Ecclesiæ. Unde, quidquid adversarii respondeunt, serviet etiam nobis. Si ergo probatur ea obligatio dari, & simul probatur, aliquamdiu latuisse, merito negatur consequentia. videantur etiam dicta n. 368. & 266. Accedit, quod non omnes omnino latuerit ea obligatio, saltem non valde diu, ex supra dictis n. 371. & modò etiam plurimos non lateat.

ARTICULUS XVII.

Solvuntur aliæ Objectiones.

372. **O**B. 3. Quando est adhuc verè Theologicè, & comparative probabile, legem non dari, tamen adhuc lex est dubia: sed dubia lex, ut ipsi fuisse probavimus à n. 263, non obligat: ergo, prob. ma. Theologica probabilitas vera nititur tali motivo, quod movet saltem adhuc ad prudens dubium, & non sinit oppositum esse certum: ergo. Resp. dist. ma. in eo casu tamen lex est dubia, dubio excludente certitudinem moralem strictè dictam, conc. ma. est dubia, dubio excludente moralem certitudinem, etiam latius dictam, qualis in moralibus ordinariè tantum haberi potest, & sufficit, neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. ad prob. dist. eodem modo antec. & neg. conseq. videantur dicta à n. 361.

373. Dices 1. Antiqui per probabilis, asserens certitudinem aliquam moralem, etiam latius dictam, intellexerunt tale probabilis, quod non relinqueret morale dubium in oppositum, sed tantum dubium aliquod logicum, quod essentialiter oritur, ex ipsa incertitudine motivi probabilis, etiam absque ratione ulla gravi in oppositum: ergo illud necdum erat juxta antiquos moraliter certum, etiam latius loquendo, contra quod stabat adhuc ratio verè Theologicè probabilis. Ita quidam recentior, existimans, hac ratione concordari posse, ut ait, probabilistas, & probabilioristas. Resp. neg. antec. quod falsum esse ostenditur, ex allatis verbis auctorum à n. 361. & seq. S. Thomas tantum exigit, ut sit verum in pluribus, quamvis non in paucioribus, nec dicit in plurimis, aut paucissimis; cum tamen certitudo, quam adversarii requirunt, utpote excludens omne quomodocumque prudens dubium, rarissimè, & in paucissimis fallat. S. Antonius, & Angelus, exigunt tantum, ut motiva magis ad unam, quam ad alteram partem se habeant: hoc autem nullo modo est excludere probabilitatem, vel dubium quomodocumque prudens, in oppositum. Gerson expressè dicit, non debere removeri

omnem probabilitatem alterius partis. Sylvester tantum ait, ex probabilibus, sed intelligit probabilioribus, ut ibi expositum. Unde nullo modo probari potest, eos exigere tanta motiva pro una parte, ut nulla vera probabilitas sit pro altera.

374. Dices 2. cum eodem recentiore. Gerson ait, non posse haberi majorem certitudinem sine revelatione: sed potest haberi major, quam tantum notabiliter major probabilitas, à nobis assignata, scilicet certitudo tanta, quæ non relinquat prudens dubium in oppositum: ergo. Resp. etiam potest absolute haberi major certitudo, quam ista moralis, absque revelatione; quia absolute est possibilis certitudo etiam physica: ergo nec ista sufficit. In forma dist. mi. potest haberi major ordinariè, neg. mi. in quibusdam casibus rarioribus, conc. mi. & neg. conseq. Non potest haberi ordinariè tanta certitudo, quantam adversarius requirit, ut probatum jam à n. 358.

Dices 3. ex eodem. S. Thomas in exemplum majores probabilitatis asserit exemplum duorum, vel trium testium, sine teste in oppositum, quo casu non datur prudens dubium in oppositum: ergo S. Doctor ad moralem certitudinem latius dictam hoc requirit. Resp. neg. antec. S. Doctor eo loco, scilicet 2. 2. q. 70. a. 2. querit, an iudici sufficiat testimonium duorum, vel trium testium; cum possit fallere: & ait, sufficere; eoquod tantum requiritur certitudo, ut sit verum in pluribus: unde non affert illos testes in exemplum; alias affertret in exemplum, quod est in questione, sed potius ex eo, quod sufficiat, esse verum ut in pluribus (quod etiam potest dici de testimonio duorum, vel trium) intert, duos tales testes sufficere.

Dein ad 2. ibidem ait, testes contradicentes, vel non consentientes, actoris, & rei, comparandos à iudice quoad dignitatem, numerum, negotia &c. & sic judicandum: ergo non loquitur de casu, quando nullus testis est in oppositum, ut magis patebit legenti totum articulum. Et quis dicat, S. Doctorem supponere, quod tanta inter testes diversitas semper inveniri queat, quæ non relinquit probabile dubium in oppositum? Quare antiqui, ad moralem certitudinem, latius dictam, tantum expetierunt sensibilem, ac notabilem excessum probabilitatis.

375. Ob. 4. Libertas hominis tamdiu est in possessione, quamdiu ab ea non deturbatur per legem certam: atqui, quando datur opinio Theologicè probabilis, pro negatione legis, non datur lex certa, adeoque libertas à sua possessione non deturbatur: ergo. Confirm. Non debet adstrui aliqua obligatio, quæ non est sufficienter probata: atqui, quando lex est tantum notabiliter probabilior, non est sufficienter probata obligatio, e. g. ponendi actum, ab ea lege præceptum: ergo. Resp. neg. ma. & mi. Non queritur hæc de libertate physica, sed morali, seu de libertate, ad non parendum legi, probabilibus intimata; quæ non est in possessione, sed formalissimè in questione.

Utique enim hæc, & questio, inter nos, ac adversarios est, an homo hanc libertatem (quam à se habere non potuit, utpote essentialiter subiectus dominio DEI) à DEO acceperit: & qui-

dem adversarii affirmant, hominem eam libertatem moralem à DEO accepisse: nos autem negamus; homini concessam esse eam libertatem, eoquod laxaret nimium disciplinam, & redderet frustraneas leges &c. videantur nostræ probationes. Unde hæc libertas concessa homini, & in possessione existens, malè à quibusdam adversariis supponitur, tanquam principium, nulla indigens probatione; videtur enim hæc petitio principii valde esse vitiosa. Quare deberet hæc libertas positivè probari, sicut nos probavimus positivè libertatem ab obligatione legum, tantum æquè probabiliter existentium.

Sed etiam minor argumenti merito negatur; quia in casu probabilitatis, notabiliter majoris, lex est sufficienter certa ex n. 361. & seq. Si fortè, in quibusdam casibus particularibus, esset aliter statutum à iure humano, in ipsiis non posset istud quidquam præscribere DEO, vel juri naturali: dein etiam legislator humanus, nullo modo statuit universaliter, ut nulla lex obliget in ullo dubio (ut ostensum n. 358, & inferitur etiam ex eo, quod aliàs vix non etiam tenuis probabilitas obesse obligationi legis, sed ad summum id statuit universaliter, pro casu dubii oppositi certitudini morali, etiam latius dictæ.

Ad confirm. conc. ma. neg. mi. quando enim existentia legis est probata argumentis notabiliter gravioribus, est sufficienter etiam probata ejus obligatio. Certè, sicut in Philosophia illud principium: *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate*: non admittitur in hoc sensu, quod nihil sit admittendum, nisi illud moraliter certò probetur, sed tantum, nisi rationibus probabilioribus ejus necessitas adstruatur, ita etiam hoc principium adversariorum: *Non debet adstrui obligatio* &c. non est admittendum, nisi eoque, donec obligatio rationibus probabilioribus adstruatur. Sanè petere (prout adversarii videntur petere) ut admittatur, tanquam principium, nulla probatione indigens, hæc propositio: *Nulla obligatio est adstruenda, nisi moraliter certò probetur*: est petere vitiosè tanquam principium, id, quod ab innumeris negatur, & cuius statim prima fronte apparet dubium. Sed & gratis ab adversariis petitur, ut non tantum sit probata lex directa, & particularis, sed ut etiam lex reflexa, & universalis, sequendi scilicet probabiliorum, de novo probetur; si enim obligatio est probabilis asserita, pro omnibus casibus particularibus, etiam est sufficienter probata obligatio universalis, quæ est quasi aliquod totum, ex illis particularibus compositum: adeoque totum est in suis omnibus partibus probatum.

Dices 1. Præceptum fidei non obligat ad actum fidei, nisi sit moraliter certum: ergo neque alia præcepta obligant, nisi sint moraliter certa. Resp. neg. ant. modò enim objectum sit fidei Divina proximè credibile, potest quis obligari, ad eliciendum actum fidei, etiam ipsi non sit strictè moraliter certum, quòd, hic & nunc, teneatur ad eum eliciendum. Aliud est, quòd objectum fidei debeat esse certum, & revelatio pro moralem certitudinem applicata; nam hæc ita sunt necessaria, ut sine ipsis non possit elici actus fidei, ut docent communiter: & hinc, si ista non dentur, non potest sic DEUS obligare; quia non potest obligare ad impossi-

possibile. At non est ita impossibile, sequi tutius, & probabilius, sine pravia morali certitudine: de obligatione (si enim taliter impossibile esset, etiam ad istud non teneremur) & hinc est lata disparitas.

376. Dices 2. Obligatio certa non potest provenire, nisi à lege certa: atqui lex tantum notabiliter probabilior, non est: certa: ergo neque obligatio, adeoque est obligatio dubia, consequenter nulla. prob. ant. effectus certus non potest provenire, nisi à causa certa: ergo nec obligatio certa potest provenire, nisi à certa lege. Resp. 1. neg. mi. lex enim talis est sufficienter certa, certitudine illa morali latius dicta, qualis ordinariè in moralibus potest haberi: & taliter certa est etiam obligatio. Nec dicas, hanc obligationem non esse sufficienter certam; cum jus, & possessio libertatis, in homine sit certior; nam respondeo, nullo modo esse certum jus talis libertatis, quod adversarii adstruunt, sed omnino esse in questione, ut dictum n. precedente. Resp. 2. dist. minorem: non est certa lex directa. om. min. non est certa lex reflexa. neg. min. & conf. quamvis non strictè moraliter esset certa lex directa, est tamen certa lex reflexa non agendi, nisi deposito prius prudenter dubio practico: at in nostro casu nemo potest istud prudenter deponere, aut se resolvere quòd prudenter licitè agat; cum neque possit prudenter prætexere ignorantiam invincibilem, nec dubium invincibile, nec possessionem libertatis: atque adeo nemo potest elicere dictamen conscientie moraliter certum de licentia actionis: quamdiu autem non potest quis deponere dubium illud, aut elicere tale dictamen, tamdiu per legem reflexam certam tenetur abstinere actione.

377. Dices 3. Hoc ipsum non est certum, quòd talis non possit dubium deponere. Resp. Non sequitur: ergo potest deponere; an enim hæc resolutio foret prudens, prudentia Christiana? Non est certum, quòd non possim me resolvere: ergo possim, & volo me resolvere? Certò foret imprudens, nisi haberet alias rationes, aut principia reflexa, quæ tamen nos negamus posse haberi, & videmur id probasse: si quis tamen bonâ fide absolute judicaret, tales rationes adesse, e. g. si bona fide judicaret, sententiam omnino benignam esse absolute veram, non nego, talem per accidens posse ratione talis sui principii (quòd æquivaleret ignorantie invincibili) deponere dubium, & licitè operari.

ARTICULUS XVIII.

Respondetur aliis Objectionibus.

378. **O**B. 5. Juxta nos subditus non posset obedire superiori, præcipienti aliquid minus tutum, & subdito minus probabile: sed hoc est contra SS. Patres & evertit bonam disciplinam: ergo, mi. est clara; quia aliàs daretur ansa, detrectandi sæpissime imperia: & SS. Patres, ac asceta docent, in tali casu obedendum. Sic S. Augustinus, l. 21. contra Faustum Manicheum c. 75. ita scribit: Cum ergo vir justus, si forte sub rege, bo-

mine etiam sacrilego, militet, rectè possit illi jubente bellare; civica pacis ordinem servans; quòd jubetur, vel non esse contra DEI præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita, ut fortasse ream regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. S. Bernardus tract. de præcepto & dispensatione c. 9. ait: Quidquid vice DEI præcipit bono; quòd non sit tamen certum displicere DEO; haud secus omnino accipiendum est; quam si præcipiat DEUS, S. P. Ignatius in epistola de obedientia, 18. ait, obediendum esse omnibus in rebus, quæ cum peccato manifesto conjuncta non sunt: & consentient: passim doctores, atque ascetæ: ergo. Major autem patet ex eo, quòd juxta nos subditus non posset facere, quòd ipsi esset minus probabile, consequenter non posset exequi tale mandatum.

379. Resp. Inprimis videntur potius adversarii obesse obedientiæ; cum non improbabile videri possit, quòd subditus non teneatur obedire, quando ipsi probabile est, quòd superior non possit jubere, aut, quòd probabilius sit illicitum, quòd jubetur. Sanè non contemnendi auctores id dicunt, cum Castro Palao p. 1. l. 1. disp. 2. punct. 6. & disp. 3. punct. 13. & disp. 2. quidem plures citat, & non contemnendos auctores; interque eos Suarezium in 3. p. tom. 5. disp. 4. sec. 6. n. 6. qui loquens de lege (inter quam, & præceptum, vix assignant adversarii distinctionem formalem) ait, si manifestè probabilius sit, legem aliquid illicitum præcipere, valde probabile est, subditos posse se excusare ab observantia talis legis. Addi potest Ludovicus Schilderer, t. 2. de conscient. c. 4. n. 57. & alii adhuc, quos citat recentior quidam in manuscriptis. Cur igitur juxta adversarios non possit, subditus se liberare ab obligatione præcepti, & bonâ conscientia non obedire?

380. Resp. 2. & meliùs in nostris principiis. neg. ma. quia est notabiliter probabilius, quòd teneatur, saltem ordinariè, etiam in tali casu, subditus obedire, & ita habet, teste Castro Palao loc. cit. communis. Sanè superior in hoc casu est in possessione præcipiendi, donec subditus clarè ostendat, eum non rectè præcipere. Licet enim talis actio, independentè ab auctoritate superioris, per præceptum ei applicata, sit minus probabiliter licita, tamen, accedente per præceptum illa auctoritate superioris, sit ea actio probabilius licita, imò obligatoria; quia hæc circumstantia accedens extrinsecè immutat objectum, & DEUS, qui fortè prohibet talem actionem, lege prima directa, seu tendente in rem, tantum in se, & independentè à præcepto spectatam, permittit eam, vel etiam jubet, per accidens lege reflexa, seu secunda, tendente in rem, ut vestitam hac circumstantia præcipi.

Paritas est in hoc exemplo. DEUS usum materiae dubiæ, concernentis valorem Sacramenti, per se prohibet: permittit tamen, imò jubet eum, in casu extremae necessitatis: sic etiam DEUS sæpe per se prohibet, permittit, ratione ignorantie invincibilis. Ceterum quilibet, non præoccupatus aliis ideis, difficulter capiet, quòd omnia, quæcumque potest quis licitè facere, superiore jubente, e. g. circa omissionem jejunii, precum,

votorum, item circa res accipiendas, & retinendas &c. si sint ipsi valde dubia, & notabiliter minus probabilia, etiam possit facere antecedenter ad præceptum superioris.

Noto tamen, si subditus sciret, quòd superior esset manifestè malus, & indifferenter juberet, licita & illicita, tunc, nisi ipsi satis esset cognitum, hic & nunc nil mali præcipi, non teneretur: imò non statim posset obedire, nisi prius se sufficienter informaret de licentia. Idem deberet facere subditus, si videret, superiorem indolentem præcipere rem gravissimi momenti, vel quæ in grave aliorum præjudicium vergeret; quæ tamen omisso non vergeret in grave præjudicium superioris: simulque meritò dubitaret, an res sit licita. Noto tamen 2. d. cum Vasquez in 1. 2. disp. 62. c. 6. n. 33. superiorem non debere subditis semper manifestare rationem suorum præceptorum, & hinc e. g. si quando rex aliquos jubet ad bellum proficisci, satis est, ut subditi sciant, penes regem esse, qui ei sanum consilium præbeant &c.

381. Dices 1. Auctoritas superioris non potest esse talis circumstantia excusans: ergo nulla responsio. prob. antec. Auctoritas superioris nulla est, quando non præcipit nomine DEI, seu ut habens potestatem præcipiendi à DEO: sed hanc tantum habet, quando licita præcipit: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. dist. min. tantum eam habet, quando certò, vel probabilius licita præcipit. neg. min. quando etiam præcipit minus probabiliter licita, non tamen certò mala. conc. min. & neg. conseq. DEUS etiam dedit superiori potestatem valide præcipiendi, quando non est certum, quòd male imperet, ut probant ipsi adversarii ex SS. Patribus, præsertim SS. Augustino, & Bernardo, n. 378. adductis. Et, licet S. Augustinus tantum dicat, posse obediri, bene inferitur, etiam debere; quia, quando subditus potest obedire superiori strictè præcipienti, debet obedire.

Quamvis autem aliquando superior præcipiat malum, si non est certò malum, & quidem certitudine morali strictè tali (ita enim videntur sentire Patres, Ascetæ, atque doctores) tamen DEUS obligat per accidens, sicut obligat, quando nobis conscientia erronea dicit, aliquid faciendum, quòd re ipsa est malum. Præcipit autem DEUS per accidens, & vult obediri in hoc casu, ne evertatur ordinata disciplina, cuius bonum exigit, ut subditi in eo casu obtemperent; aliàs, ut advertit etiam Sarala de arte semper gaudendi, magnus sententiæ omnino benignæ patronus, tom. 2. tr. 5. n. 10, facilissima multis esset via ad non obedendum. unde ad præceptum superioris validum non debet, præsupponi res licita, sed, ut habent SS. Augustinus, & Bernardus, tantum res non certò illicita, seu, ut S. Pater Ignatius, non conjuncta cum manifesto peccato.

382. Dices 2. Quando lex DEI est sufficienter proposita, non potest attendi lex humana contraria: sed juxta nos, quando alicui lex prohibens est notabiliter probabilior, est sufficienter proposita: ergo non potest attendi lex humana contraria. ma. prob. ex illo Ador. 5. v. 29. obedire oportet DEO magis, quam hominibus. Resp. dist. mi. lex notabiliter probabilior est sufficienter proposita, ut obligans in circumstantiis præcepti, à superiore creato impositi, neg. mi. extra has circumstantias. conc. mi. & neg. conf. Etiam nulla necessitas debet præferri legi DEI sufficienter propositæ, & tamen necessitas sæpe excusat: e. g. in administratione sacramenti, extrema necessitas excusat usum materiae dubiæ; quia scilicet lex non est sufficienter proposita, ut obligans in extrema necessitate: Pariter autem non est sufficienter proposita ut obligans in casu superioris præcipientis.

Textus adductus tantum probat, magis obediendum DEO, quam hominibus, id est, superioribus, clarè & manifestè oppositum DEO præcipientibus: quale erat, quòd Judæi præcipiebant ibi Apostolis, scilicet, ne prædicarent doctrinam Christi Domini. Si autem aliquid non clarè oppositum DEO præcipiunt homines, tunc faciendo illud, obeditur etiam ipsi DEO, saltem per accidens præcipienti, per eos ipsos homines, ut jam probatum. Unde in tali casu conveniunt quasi duæ voluntates, vel leges Divinæ: una directa, quæ videtur prohibere actionem, altera reflexa, volens obediri superioribus: cumque hæc sit certius proposita (quia certius est, debere nos obedire superioribus, etiam in casu dubii, ut ipsi adversarii hic supponunt) prævalet alteri tantum probabiliter propositæ.

Ad summum tandem hoc argumentum probaret, requiri clariorem aliquam, & manifestiorem propositionem, seu intimationem voluntatis Divinæ directæ, in casu superioris creati præcipientis ei contrarium, quam in aliis casibus: sicut in casibus extremae necessitatis e. g. infantis, vel alterius hominis moribundi requiritur certitudo de invaliditate materiae, ad hoc, ut ea non possit adhereri in administratione sacramenti, si alia non adfit: quæ tamen certitudo non requiritur, quando similis, vel æquivalens necessitas non urget. Nec est absurdum, exigere hanc certitudinem de existentia præcepti Divini, in casu superioris oppositum præcipientis; cum talem præcepti Divini intimationem, vel propositionem in eo casu SS. Patres, & Ascetæ, quin & ipsi adversarii requirant.

383. Dices 3. Si Auctoritas superioris, vel præceptum, est talis circumstantia extrinsecè mutans objectum, & reddens actionem licitam, tunc etiam ipsum dictamen reflexum, seu ipsa sententia benigna, potest dici, esse talis circumstantia, quæ mutet extrinsecè actionem, ac reddat licitam. Resp. nego illatum; nam hæc ipsa sententia probabilius non subsistit, adeoque probabilius ista circumstantia non datur. Quòd autem probabilis sit sententia ista, nil evincit; quia circumstantia probabilitatis minoris ex una parte, prævalet circumstantia notabiliter majoris probabilitatis ex altera parte, vel alia ratio gravior: neque etiam auctoritas illius sententiæ reddit actionem licitam; non enim est licitum, sequi magnum, & multos auctores, si in oppositum sint æquè multi, ac magni, & ratio major. Hoc tamen concedo, quòd ij, qui invincibiliter judicant, sententiam omnino benignam esse veram, possint sequi sententias notabiliter minus probabiles; quia eos bona fides, & ignorantia invincibilis legis, saltem per accidens excusat. Sed hic esset alius casus; quia in eo non quæreretur,

sententia benigna sit vera, adeoque per se licite deducatur in praxin, sed, an supposito, quod invincibiliter iudicetur vera, possit practicè adhiberi: quod utique affirmandum est.

ARTICULUS XIX.

Solvantur adhuc aliæ Objectiones.

384. **O**B. 6. Qui sequitur sententiam, quamvis notabiliter minus, tamen adhuc verè Theologicè probabilem, prudenter agit: ergo non peccat; quia omne peccatum est evidenter imprudens. Respondent quidam, omitendo ma. & ajunt, teneri hominem, prudentius agere: sed non male nonnemo objicit his illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit:* scilicet, quamvis hic melius faciat, non facit ille malè: sic neque faceret imprudenter, qui sequeretur notabiliter minus probabilem, licet alter faciat prudentius, adeoque nec ille peccaret; quia, quamvis minus, tamen adhuc prudenter agendo, non peccamus. Resp. igitur neg. antec. nam non video, quæ prudentia sit, reliquæque motiva notabiliter graviora, & agnita quæ talia, atque amplecti notabiliter leviora; nec enim talis prudenter potest directè judicare, sententiam minus probabilem esse veram: nec reflexè se excusare dubio, aut ignorantia invincibili: neque prætere legem non sufficienter promulgatam, aut intimatam, quæ omnia patent ex suprâ jam dictis.

385. Dices 1. Titius Juvenis non potest argui imprudentiæ, si sic discurrat. *Licet videam, in Religione longè majorem pro me fore spem salutis; quia tamen in matrimonio video sufficientem salutis spem, & simul, quia Religio mihi esset onus valde difficile, ideo me determino ad matrimonium:* ergo neque alius potest argui imprudentiæ, qui sic discurret: *Licet videam in altera opinione longè majorem spem veritatis, salutis, vel rectè agendi; tamen; quia benignior sententia mihi adhuc sufficientem spem veritatis, salutis & rectè agendi præbet, & opposita opinio est mihi onus valde difficile; me determino ad sequendam hanc opinionem benigniorem.* Resp. 1. om. antec. neg. consequ. Titius, qui certus est, se non obligari ad Religionem, potest utique habere spem salutis in sæculo, aliquo modo sufficientem; quia potest prudenter judicare, se non peccare, non ingrediendo Religionem. At, quando obligatio legis est longè probabilior, tunc nec est sufficiens spes veritatis, saltem non talis, ut quis possit prudenter judicare, non dari obligationem: nec est sufficiens spes salutis, aut rectè agendi; quia non potest quis in eo casu prudenter judicare, se non peccaturum. Hæc clarescent magis ex dicendis. unde

Resp. 2. dist. antec. Titius non potest argui imprudentiæ peccaminosæ. om. antec. non alitibus imprudentiæ defectuosæ. neg. antec. & multo magis consequ. ubi intervenit imprudentia peccaminosa. Concedo quidem, quod Titius per se non peccet: (quidquid sit, an peccet per accidens, ratione periculi proximi &c. qua de causa omni antec.) At, si nullo modo impruden-

ter agit, cur toties inquam clamant acetæ v. negligentibus vocationem? Certè est innegabile, hunc vocationis neglectum saltem esse magnam imperfectionem positivam, quæ verè prudens non est.

Nec dicatur, quod aliquis etiam, qui non sentit vocationem ad Religionem, tamen possit videre, esse sibi majorem spem salutis in Religione. Resp. enim neg. illat. DEUS neminem vocat ad statum, in quo pro ipso est spes minor salutis: & quibusdam major spes est in sæculo, quàm in Religione: unde, si talis habet indicia sufficientia alterius vocationis, non debet credere, majorem spem salutis pro se fore in Religione. Quod si tamen ponatur aliquis quacunque de causa judicare, majorem spem sibi fore in Religione, hoc non obstante prudenter sequitur voluntatem Divinam, qua putat se vocari ad statum sæcularem, & optimè debet sperare. Verbo: positivè prudenter agimus, quando agimus ex motivo virtutis (sicut talis agit ex motivo implendi voluntatem Divinam) etiam inferioris: quia datur prudens, & prudentius: at, si ex nullo motivo virtutis agimus, non agimus positivè prudenter prudentiâ Christianâ, quamvis sæpe dicamur prudenter agere prudentiâ hujus mundi. Ex quo tamen non sequitur, quod semper agamus imprudenter peccaminosè; quia, quando certò nulla est obligatio, ut in casu Titii, vel quando ex sufficienti ratione potest quis se resolvere, se hic & nunc non teneri ad aliquid, etsi istud ex nullo motivo virtutis omitat, non peccat, quamvis etiam agat ex hoc solo motivo, eò quod non teneatur. Si autem accederet motivum virtutis, posset positivè bene agere.

386. Ubi obiter noto, posse aliquid esse motivum virtutis in quibusdam circumstantiis, non in aliis, e. g. manere domi amore solitudinis, & collectionis animi, est sapiens motivum virtutis, non autem est tale, quando est obligatio audiendi sacrum in templo; sic etiam potest aliquid esse motivum virtutis in circumstantiis certitudinis de nulla obligatione, non autem in circumstantiis obligationis, notabiliter probabilius propositæ; quia obligatio, ita proposita, prævalet alteri spontaneæ electioni. Sic, quando est notabiliter probabilis, rem non posse alienari, non est motivum virtutis, si eam dem in elemosynam. Quando ergo proponitur obligatio per motiva, notabiliter graviora, non video, quomodo non imprudenter quis agat, si ei non pareat. Certè si Titio proponeretur ingressus Religionis sub obligatione per rationes longè probabiliores, e. g. quia experientia longa ei ostendit, esse sibi periculum, & determinatas occasiones peccandi, vix evitabiles, aut vincibiles in sæculo, non video, qua prudentia posset discursum, in antecedente objectum, facere, & in sæculo manere.

In casu nullius obligationis potest tandem Titius, saltem sine imprudentia peccaminosa (quamvis, si nullum motivum virtutis aliunde accedat, Christianam positivam prudentiam non agnoscam) potest, inquam, sic dicere: *Nolo ingredi Religionem; quia non obligor.* In casu autem obligationis, per notabiliter majora motiva proposita, nemo sic dicere potest; quia, si quid huc-

usque probavimus, id probavimus, quod ex nulla ratione, Christiana cum prudentia, dicere possit: *Non obligor;* præcisè autem se resolvere sic: *Nolo obligari, quia obligatio est mihi onus, & opposita est mihi favorabile, etsi rationes longè fortiores sint in oppositum:* videtur tantum esse prudentia filiorum hujus sæculi, non filiorum lucis. Ex quibus etiam habetur, quod à casu, in quo certò nulla est obligatio, non sit paritas ad alium, in quo est obligatio notabiliter probabilior.

387. Dices 2. Potest quis sententiam minus probabilem absolute affirmare, vel judicare, esse veram: ergo etiam potest prudenter eam sequi. Resp. dist. antec. potest hoc absolute. om. antec. potest prudenter, subdist. casu, quo accedat aliud motivum virtutis. om. vel conc. antec. casu quo nullum accedat. neg. antec. & consequ. vide etiam num. 298. & seq. Sanè non malè Admodum R. P. Mattheus Kretzlinger, insignis Sositæ, in sua disquisitione Theologica de ultimo dictamine g. 2. §. 3. n. 62. ait, non fore prudentem, nisi prudentiâ carnis, qui diceret: *Ego quidem omnibus pensatis agnosco, hanc sententiam... similiorem falso, ... quia tamen desidero juxta mihi favorabiliorum operari, ideo absolute prudenter judico, illam... ve ipsa esse veram, quamvis attendendo ad contrarias rationes... graviores... gravissimam formidem de falsitate.* Quin istud neque imprudenter posse fieri, ajunt Layman l. 2. tr. 1. c. 5. n. 5. Munitia stimulo 6. cons. n. 113. Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 10. sec. 1. n. 5. P. Thyrsus de usu opinionis probab. dissert. 3. c. 2. n. 11. ubi longè plures adhuc citat: ad quod asserendum etiam valde inclinatur Ralserus disp. 3. g. 5. Quare, si qui sunt, qui hoc antecedens ex definitione sententiæ Theologicè probabilis putent parere, illi in definitione probabilitatis ab istis authoribus, & à nobis longe recedunt: & id, quod vel maximè est in questione, tanquam aliquod principium vitiosè petunt. Repetantur hic dicta istam primo articulo hujus quæstionis à num. 292.

388. Dices 3. Potest subditus prudenter, relicta opinione probabiliori propria, conformare suum iudicium per obedientiam cæcæ judicio superioris minus probabili: Item potest quis prudenter judicare, proximum suum esse bonum, etsi probabilis ei sit; esse malum. Certè Angelicus 2. 2. q. 60. a. 4. in corp. & ad 2. docet, de proximis bene sentiendum, nisi manifesta ratio in oppositum appareat: ergo potest quis prudenter assentiri opinioni minus probabili præ probabiliori. Resp. Non videtur posse negari antecedens: unde auctores n. præced. allati, & negantes, posse voluntatem imperare assensum absolute præstandum opinioni minus probabili, vel debent asserere (ut videtur velle P. Thyrsus) quod e. g. auctoritas superioris ex opinione minus probabili faciat magis probabilem, ferme, ut auctoritas Ecclesiæ facit certa, quæ soli naturali lumini viderentur ex se incredibilia: quod, licet possit admitti, & passim fieri, tamen non videtur universalitèr dicendum; cum superior non habeat infallibilem assistentiam Spiritus S. & sæpe superior subsequens corrigat acta, & præcepta prædecessoris: adeoque, vel priorem, vel posteriorem errasse, necesse sit.

Vel debent illi auctores explicari; quod

tantum velint, voluntatem non posse imperare assensum præstandum opinioni minus probabili, quamdiu intellectui adhuc applicata sunt motiva contraria magis probabilia: à quibus tamen considerandis possit voluntas eundem intellectum amovere, & dein, illis quasi disparentibus, hunc ad assensum, opinioni minus probabili præstandum permovere: quod mihi videtur probabilius dici. Sic autem voluntas poterit, licet non in omni, tamen in aliquo casu imperare assensum, præstandum opinioni minus probabili, quamvis tunc non ut tali agnita. Hoc autem voluntas faciet prudenter, si habeat motivum virtutis: at imprudenter, si tantum habeat pro motivo facultatem liberius vivendi. Hæc de mente istorum auctorum: ego, ut supra dixi, omitto, quod voluntas forte etiam stantibus in oppositum motivis fortioribus, possit intellectum despoticè impellere ad assensum opinionis minus probabili: at nego, id semper posse prudenter.

Unde in forma ad objectionem Resp. dist. consequ. potest hoc subditus, quando accedit prudens motivum imperandi talem assensum. conced. consequ. secus. neg. consequ. Assensus præstitus opinioni minus probabili, non est actus elicitus prudentiæ (quæ, cum sit virtus intellectualis, non habet actus elicitos, nisi certos) sed tantum est actus imperatus. Potest autem contingere, ut quis habeat motivum honestum virtutis, imperandi talem assensum: & tale motivum est obedientia erga superiorem, vel charitas erga proximum. Hinc assensus in antecedenti adducti sunt prudentes, sicut etiam prudens est, imperare sibi usum materiæ dubiæ sacramenti in casu necessitatis.

At, sicut non esset prudens, imperare sibi usum talis materiæ absente necessitate, ita nec est prudens, imperare sibi tales assensus absente motivo virtutis prudenti. In casu autem nostro non datur motivum virtutis; sic enim tenderet imperium: *Volo hanc sententiam, quamvis clarè, & notabiliter similiorem falso, quam verò, judicare tamen absolute veram; quia nolo esse obligatus lege, sed volo liberius vivere, & meam libertatem intactam retinere.* Quod autem hoc motivum sit motivum virtutis, & prudentiæ verè Christianæ, non tantum prudentiæ carnis, quam Apostolus reprobatur, planè dicere non audeo: & credo, nec adversarius audeat, si Christus dominus ipsemet eum interrogaret.

Dices 4. Possunt ex motivo virtutis obedientiæ, vel charitatis, judicare, esse verum, quod ex se est tantum minus probabile, ut modò dictum: ergo etiam possunt ex motivo virtutis humilitatis, seu ex honestate subjiciendi meum iudicium iudicio aliorum, judicare, esse veram opinionem, quamvis ex se tantum minus probabilem, tamen adhuc verè probabilem, adeoque eam sequi. Resp. neg. cons. in casu quæstionis; nam in tali casu, quando meum iudicium subijcio iudicio aliorum, faventium meæ libertati, & non aliorum, eidem non faventium, motivum, in quo ultimo quiesco, non est exercitium humilitatis, sed amor libertatis, nolentis obligari ad tutius; si enim motivum esset humilitas, deberem meum iudicium non minus subijcere iudicio aliorum, quando ista me obligant

ad servandam legem, quam quando ab ea servanda me deobligant.

Sed nec video, quæ virtus prudentis humilitatis sit, subjicere iudicium suum potius auctoribus, nec magis doctis, nec majores rationes, sed minores afferentibus, & liberiora suadentibus, quam subjicere illud auctoribus aliis, æquæ doctis, & notabiliter majores rationes afferentibus, ac legis observationem suadentibus: certe non videtur esse prudentis, illos istis præferre; cum tamen vera virtus humilitatis, etiam prudens esse debeat. Aliud foret, si ego solus contra torrentem sentirem, ob rationes non adeo convincentes; tunc enim possem cogitare, alios esse me prudentiores: at, si sint plures mecum ejusdem opinionis, cur ex humilitate istos deservam, ut & me, & ipsos aliis subjiciam?

ARTICULUS XX.

Satisfit iterum novis objectionibus.

389. **O**B. 7. Nostra sententia est nimis rigida: ergo rejicienda, prob. antec. plures leges non dantur, de quibus tamen probabilis est, eas dari; nam etiam falsa quandoque sunt probabiliora veris: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. dist. antec. non dantur aliquæ leges, de quibus probabilis est, eas dari. conced. antec. non dantur valde multæ. neg. antec. & conseq. Etiam plures leges existunt, de quibus non habetur major probabilitas: adeoque non debent observari: ergo fit compensatio: imò cum non teneamur servare leges, tam minus probabiliter existentes, quam æqualiter probabiliter existentes, fit compensatio ultra æqualitatem: ex hac enim benignitate DEI, nos in his duobus casibus non obligantis, fit, ut frequentius solvamus legibus existentibus, quam stringamur non existentibus, & elucet major bonitas DEI in remittenda, quam rigor in exigenda legum observantia.

390. Dices. Nostra sententia est causa peccatorum formalium: opposita autem tollit occasionem peccatorum formalium, & tantum est causa aliorum peccatorum materialium: ergo ista est præferenda. Resp. si tollentur omnes leges, illæ etiam, quæ de facto sunt certæ, adhuc minor foret occasio peccatorum formalium. In forma dist. antec. nostra sententia est causa per se peccatorum formalium. neg. antec. est causa per accidens. conc. antec. & neg. conseq. Quod enim homines nolint servare legem Divinam, culpa non est legis, aut DEI, sed malitiæ hominum, in cujus gratiam leges non debent tolli. Aliud est, si per nostram sententiam imponeretur onus humanæ fragilitati nimium, quod tamen planè non fit; est enim valde moderatum, debere tantum obligationem vereri, quando notabiliter probabilior est: Si autem etiam obligationem æqualiter probabilem deberemus attendere, tunc utique esset major difficultas ex n. 322. Cæterum non debet quæcunque occasio per accidens tantum peccati à legislatore caveri: & præsertim, si eâ amotâ sequeretur nimia laxitas disciplinae, vel inutilitas legum.

391. Dices 2. Deberet juxta nos semper

indagari, quænam sententia esset notabiliter probabilior, vel certè æquè probabilis, & non sufficienter, scire, esse Theologicè probabilem: sed sic imponimus hominibus grave onus, quod non probamus: ergo. Resp. Etiam juxta adversarios debet semper indagari, an sententia sit verè Theologicè probabilis, & non tantum tenuiter probabilis: & tamen certum est, plures sententias non esse amplius Theologicè probabiles, quæ veniuntur hinc inde in libris, præsertim eorum, qui scripserunt ante decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. Legant, obsecro, adversarii, quæ Cardenas in sua crisi Theologica part. 3, tr. 1. disp. 59. requirit, ut quis possit judicare de probabilitate sententiarum: item quæ la Croix l. 1. n. 119. item n. 150. 152. 157. & non erit multò majus onus in inquirenda probabilitate æquali.

In forma dist. ma. deberet juxta nos indagari, quænam sententia sit absolute æqualiter probabilis, neg. maj. quænam respectivè ad operantem, seu ipsi operanti, sit æqualiter probabilis. conc. ma. & sic dist. min. neg. conseq. hoc enim onus, qualecunque sit (quamvis adversarii valde id augeant) sufficienter probavimus, Dein, ut diximus n. 264. dubius delege, debet morali diligentia veritatem inquirere: si quis igitur hanc sufficientem adhibuerit, tunc (ut rectè ajunt Rasler in synopsis parte posteriore. n. 120. & Krelsinger in sua disquisitione q. 3. num. 111) vel percipit, intellectum suum vi rationum satis clarè, ac sensibiliter ad assensum magis trahi à fundamentis opinionis tutoris, tanquam notabiliter gravioribus, vel non percipit: si secundum, datur moraliter æqualis probabilitas, & licet sequi etiam minus tutam: si primum, non est amplius difficultas in indagando, vel intelligendo, sed exequendo, quam superari debere, nostræ rationes probant.

392. Circa hanc tamen diligentiam, requisitam, ut ignorantia non sit vincibilis, aut imputabilis, in primis auctores conveniunt, quod non debeat esse summa; aliàs quis vellet esse confessarius, vel consiliarius? vel quis auderet, aliquid minus tutum facere? P. Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 4. sec. 8. n. 19. ait, debere esse moralem, qualitati operis, vel ministerii accommodatam, e. g. ut ait, indoctus debet consulere doctos viros, vel peritos ejus rei, & carentes suspitione, quod ex malitia sint ipsum decepturi. Doctus debet Doctores aliquos evolere, vel leges ipsas mediocri diligentia inquirere, usque intelligendis studere: nam neque adversarii dicunt, quod semper ad habendam veram probabilitatem Theologicam sufficiat, inspicere tantum unum auctorem; quia multi, etiam magni viri, quandoque defendunt sententias, modò non amplius Theologicè probabiles.

Ubi tamen nota, hanc diligentiam mediocrem, debere esse proportionatam circumstantiis rei, & operantis; ut advertit Suarez loco modo citato; nam utique in gravioribus negotiis debet adhiberi major, quam in minoribus: & majorem quoque debet adhibere doctus, quam indoctus; hic enim, ut communiter docent, latius facit quærendo pro rei gravitate doctos: doctus, ut ait Rhodes tr. 4. de peccatis. disp. 2. q. 1. §. 2.

debet diligenter studere, quod idem ait Sanchez l. 1. in Decal. c. 16. n. 36. Munieffa stimulo 8. n. 4. ait, literatum debere legere aliquem, vel aliquos libros idoneos, aut consulere aliquem, vel aliquos doctiores. Rusticis verò, vel aliis indoctis, ait n. 5. sufficere, si interrogent confessarium, vel parochum. Et hoc utique in ordinariis est verum, ut habent etiam Suarez loc. cit. & Vasquez in 1. 2. disp. 62. c. 8. n. 42. & 43. Munieffa tamen cum aliis rectè advenit, posse utique casum graviorem dari, in quo major diligentia etiam ab indocto requiratur, videatur idem author à n. 118. ita tamen, ut, quando in casu æqualis probabilitatis negat usum licitum sententiæ minus tutæ, sciatur, nos ab eo recedere.

Præ aliis tamen hanc quæstionem contra Elizalde ac Camargo, nimis rigorosos, fufius pertrahat Raslerus in norma recti disp. 2. q. 8. a. 9. & eadem fermè ratione de indoctis quidem ait, ipsis sufficere, si à viris probis, ac doctis, syncerè consultis, acceperint responsum non ambiguum: & in plerisque sufficere ipsis responsum parochi, vel confessarii: doctis verò sufficere, si consuluerint alios doctiores, & maxime, si legerint scripta celeberrimorum auctorum, & eâ saltem, quæ in aliis magni momenti negotiis adhiberi solet, diligentia, rationes utrinque ponderaverint. Addit etiam, nunc majorem, nunc minorem requiri diligentiam, pro diversitate personarum, rerum, aut actionum &c. videri meretur ipse auctor hac de re doctissimè differens: ubi obiter noto, ex eodem, quod, quando aliqui antiqui dicunt, indoctum posse sequi opinionem alicujus magistri, ex hoc non inferatur, eos voluisse dicere, quod liceat sequi sententiam minus tutam, ac minus probabilem; nam probabilis est, certè ad minimum æquè probabile, quod rudis possit sapius absque ulteriori inquisitione sequi responsum viri docti.

393. Ob. 8. Juxta nos daretur varietas consiliorum, & unus doctorum, aut confessariorum, diceret aliquid licitum, alius idem diceret veritum: sed hæc varietas debet vitari: ergo. Resp. Etiam juxta adversarios admitti debet varietas consiliorum, dum quidam dicunt, sententias quasdam esse Theologicè probabiles, alii negant, videatur tantum Cardenas in sua crisi p. 3. tr. 2. disp. 66. c. 8. in catalogo post art. 9. ubi non unam sententiam improbabilem asserit, quas alii tanquam Theologicè probabiles propugnant. Dein quidam confessarii indocti quandoque dicunt licitum, quod certè est illicitum; nunquid ad vitandam varietatem responsum idem debet affirmare doctior? scilicet in hoc casu poenitens debet credere illi, cuius vel rationem, vel auctoritatem, prævalere bona fide existimat; si hoc non potest discernere, post factam sufficientem diligentiam, utraque sententia ipsi æqualiter probabilis est.

ARTICULUS XXI.

Respondetur denuo aliis Objectionibus.

394. **O**B. 9. Juxta nos confessarius non possit absolvere poenitentem,

qui non vellet desererere sententiam, quæ eidem confessario videretur notabiliter minus probabilis: hoc est valde durum: ergo. Resp. hoc non sequi ex nostra sententia; quia, ut rectè ait Munieffa, stimulo 8. n. 110. aliud est, confessarium non posse sequi illam sententiam: aliud, non posse eum, qui illam sequitur, absolvere: & potest esse probabilis istud, quin prius sit probabilis, vel æquè probabile; nam sunt duæ quæstiones diversæ. Hæc responso sufficeret pro speculatione: at, quia hic casus potest in praxi occurrere, operæ pretium est, eum magis discutere.

Ponamus igitur, poenitentem e. g. nolle restitueri aliquid, eò quod invincibiliter existimet, se non teneri ad restitutionem illius rei ex aliqua ratione, quæ confessario non videtur, nisi notabiliter minus probabilis, quæritur, an possit absolvi. Resp. Si poenitens est homo doctior, vel quasi æquè doctus, ac confessarius, utique debet absolvi; quia potest ipsi videri probabilis, vel æquè probabiliter licitum, quod licere confessario videtur notabiliter minus probabile: & non video, cur talis se debeat hac in re conformare judicio confessarii: de cætero, quia agit bona fide, ut supponitur, est ritè dispositus ad absolutionem.

Si est homo indoctus, sed bona fide credit, se non obligari ad restituendum; quia à doctis, & rei peritis, de quibus nulla suspicio est, eos ex malitia velle decipere, sine ambiguitate audiit, se non teneri, iterum potest absolvi; quia potest illis viris visum fuisse probabilis licitum, quod licere confessario videtur minus probabile: & non est, cur potius poenitens sequatur confessarium, quam illos viros doctos: Et sanè sententia, quæ confessario videtur minus probabilis, sæpe aliis magnis viris est probabilior, aut certè æquè probabilis.

395. Si autem homo indoctus invincibiliter bona fide judicat, se non teneri ad restituendum; quin doctos consuluerit, confessario autem videatur notabiliter probabilis, quod teneatur, tunc in primis videndum, an ex admonitione, vel instructione confessarii, fructus sit secuturus, vel non. Si meritò timeatur, quod, qui nunc materialiter peccat, postea peccatorum sit formaliter, est absolvendus absque eo, quod imponatur ei restitutio; si enim in aliis certis erroribus invincibilibus, ubi admonitio esset potius nocitura, quam profutura, non est monendus, ut docent gravissimi doctores, quos citat, & sequitur la Croix. l. 6. p. 2. n. 1758. tunc saltem æquali ratione non est urgendus in eo, quod non est certò, sed tantum probabiliter error. Si autem speretur fructus, tunc debet confessarius eum monere, suamque sententiam ei exponere: in qua, si nimiam difficultatem habeat, tandem, meo judicio, potest remitti ad alios, quos consulat, non quærendo laxiores auctores, sed bonâ fide doctos, & pios: quorum judicio, si se staturum promittat, videtur posse absolvi; cum non sit certa opinio confessarii, & ab aliis fors judicandum sit probabilis, quod ipsi videtur minus probabile.

Dices cum P. Thyro de rebo usu opinionum probab. dissert. 14. c. 9. §. 4. n. 134. poenitentem subjectum esse confessario, adeoque debere ejus sententiam

sententiam amplecti: & si ita sit affixus bonis terrenis, ut ea nolit ad mentem confessarii dimittere, non esse ritè dispositum. Resp. Quod ad primum spectat: poenitens tantum subiectus est confessario in ordine ad peccata, & dispositionem requisitam ad Sacramentum; non autem, quoad omnes opiniones: unde, cum talis, ut ponitur, exponat omnia peccata, nec habeat affectum positum ad ultimum peccatum (nam bona fides eum excusat) est ritè dispositus. Quoad secundum non est affectus peccaminosus ad divitias, si nolit eas relinquere, quando non iudicat, aut non potest, vel non debet iudicare, se obligatum ad eas relinquendas: at qui in casibus allatis non iudicat, aut non potest, vel certè non debet iudicare, se ita obligatum: ergo. vide hac de re *Munificam simul.* §. n. 106. *Thyrsus loco modo citato.* Schildere tr. 2. n. 120.

396. Hæc dicta sunt, quando poenitens invincibiliter iudicat, sibi actionem licitam esse, quæ notabiliter minus probabiliter licet. At, si poenitens dubitet de licentia actionis, quaritur, an confessarius possit ei asserere licitam, quamvis ipsi, omnibus ritè consideratis, videatur notabiliter minus probabiliter sententia asserens licitam. Resp. Licet recentior quidam Dilin-gæ editus (qui omnino rigidam tener) hoc licitum asserat, non videtur mihi, hoc posse concedi. Vel enim confessarius, dicendo, actionem esse licitam, intelligi vellet, actionem esse absolute licitam, & loqueretur contra mentem: vel intelligi vellet, eam esse operanti licitam, & non video, ex quo fundamento hoc diceret.

Non enim ea actio licita est; quia alii dicunt licitam; cum confessarius omnino iudicet, eos falsum dicere: non, quia aliis licet id dicere, nempe qui eam sententiam tenent esse æquè probabilem, vel saltem bona fide iudicant, licere sequi sententiam minus probabilem &c. nam istis licet hoc dicere; quia vel habent ignorantiam invincibilem legis, quam confessarius non habet: vel, si lex directe prohibens non detur, non habent conscientiam, aut persuasionem, seu veram, seu erroneam de existentia legis, quam confessarius habet, & qua stante non potest idem affirmare: non, quia poenitens habet bonam fidem; nam istam excludit dubium: non, quia, etsi confessarius dicat illicitam, tamen poenitens eam faciet; quia hac ratione hominibus projectæ conscientia omnia licerent: non, quia est difficile, abstinere ab actione; difficultas enim intrinseca observationi legis non excusat. Si tamen accederet aliqua difficultas extrinseca per accidens, posset hæc aliquando excusare: sed tunc actio, ex se minus probabiliter licita, posset ut vestita hac circumstantiâ difficultatis, videri probabilis, vel æquè probabiliter licita.

Hoc tamen non nego, posse confessarium dicere, se iudicare rem illicitam ex his rationibus; quosdam alios tamen iudicare eam licitam & his; vel illis rationibus, quas potest breviter addere, ut poenitens doctus possit ipse rationes librare, & videre, an propter illas ipsi videatur actio probabilis licita, vel non: vel, si est indotus, potest ei (uti etiam docto) permitti, ut bona fide consulat alios &c. *additum n. præced.* Interim autem actionem, prout potest, suspen-

dat: & dein bona fide prudentem, & plorim iudicium sequatur.

397. Dices. Potest quis, ut diximus n. 388. ex motivo charitatis iudicare, & affirmare, proximum esse bonum, licet notabiliter probabilis sit, eum esse malum: ergo etiam ex motivo charitatis, ne scilicet proximum nimium gravetur, potest dicere actionem licitam, quamvis minus probabilis sit, esse licitam. Resp. neg. conf. non est charitas, si proximo condescendamus in illicitis: neque charitas proximi exigit, ut in eius gratiam tollamus leges superiorum, quas ipse potest, & tantum non vult implere. Certè charitas non vult, ut falsum dicamus, aut ut viam arctam ad cælum nimium laxemus, neque ut legem DEI sufficienter cognitam non doceamus. Unde in hoc casu non est motivum virtutis charitatis, quæ tantum vult, proximo succurri in rebus, quæ non sunt contra leges: & hinc ad actum charitatis debet præsupponi, actionem non esse contra leges, atque tunc primum hæc potest ex charitate fieri; aliàs cur non possit idem quis dicere respectu sui ipsius; non enim minus potest quis amare se ipsum, ac alios: imò in causa pari potest quis sapissime præferre se, aliis. Quare longè aliud est in casu opinionis bonæ de proximo, aut obedientiæ; quia opinio illa non est ullo modo prohibita, auctoritas autem superioris est circumstantia, mutans extrinsecè objectum: non ita difficultas, quam in adimplenda lege habet proximus, cui compatimur; ut enim jam dictum, difficultas intrinseca legi non excusat ab eius observatione, nec te, nec proximum tuum.

398. Ob. 10. Sententia asserens, licitum esse sequi opinionem minus tutam, & notabiliter minus probabilem, est æquè probabilis, ac nostra, vel saltem non est notabiliter minus probabilis: ergo licet illam sequi: consequenter nostra conclusio evertit se ipsam. Hoc argumentum reflexum est etiam adhibitum contra rigoristas à benignis, dicentibus, sententiam benignam esse magis probabilem adeoque licite adhibendam: sed rigoristæ negarunt antec, & nos quoque existimamus, nostram sententiam esse notabiliter probabiliorum; nam auctoritas est saltem moraliter par, ratio pro nostra sententia notabiliter prævalet, cui accedit valde rationabilis, & satis clara solutio objectionum omnium, qualem nostris rationibus reponere adversarii non possunt. Igitur nihil deest, quo minus prudenter dicamus, nostram sententiam notabiliter prævalere. Resp. 2. om. antec. neg. conseq. non enim iuxta nos licitum est, sequi quamcumque sententiam æquè probabiliter probabilem, sed tantum illam, quæ immediate, & directè, versatur circa licentiam actionis, & immediate asserit, esse æquè probabiliter probabile, quod res liceat, vel non liceat: vel quando æqualis probabilitas cadit immediate super existentiam legis directæ, immediate prohibentis, vel permissivis aliquam actionem, ut expressè diximus n. 316. Sententia autem adversariorum, de qua hic agitur, non immediate cadit in existentiam legis directæ de actione ponenda, neque versatur immediate circa licentiam actionis, sed cadit reflexè in opinionem conceptam de licentia actionis, & hanc ex se minus probabilem, aliquo modo reflexè, & extrinsecè, facit æquè probabilem, atque sic tantum minus tutam, & notabiliter minus probabilem, atque sic tantum reflexè, & mediatè versatur circa licentiam actionis: quare non est similis casus cum casu nostræ conclusionis.

An liceat sequi opinionem minus tutam, & notabiliter minus probabilem 151

probabilem, atque sic tantum reflexè, & mediatè versatur circa licentiam actionis: quare non est similis casus cum casu nostræ conclusionis.

399. Dices 1. æqualis probabilitas non debet cadere in actionem, ut ita dicam, nudam, sed in vestitam suis circumstantiis objectivis: ergo potest dici, quod etiam sententia benigna cadat immediate in actionem ut vestitam opinionem minus probabilis: adeoque sufficienter immediate versetur circa licentiam actionis. Resp. dist. antec. æqualis probabilitas debet cadere in actionem vestitam circumstantiis objectivis, quæ sint objectum iudicii directi, & immediate versantis circa licentiam actionis, conc. antec. quæ sint tantum objectum iudicii reflexi. neg. antec. & conseq. Circumstantiæ illæ sunt e, g. necessitas, auctoritas, vel opinio aliorum de ea re directè iudicantium, præceptum, accidentaliter difficultas &c. quæ aut causant bonam fidem, aut sunt objectum directum, iudicii immediati, de licentia actionis.

Si jam iudicium directum, immediate respiciens has circumstantias objectivas, sit æquè probabile, actio est iuxta nos licita. At inter has circumstantias non debet computari opinio ipsa propria, vel ipsum directum iudicium minus probabile; nam hoc est tantum objectum iudicii reflexi, & hac ratione non jam directum iudicium, sed tantum reflexum esset æquè probabile: adeoque casus non est similis casui nostræ conclusionis: contra quam insuper non militant rationes, quæ contra sententiam adversariorum, scilicet, quod hac ratione nimis leges forent inutiles, & etiam existentes nec tamen invincibiliter ignoratæ, non obligarent: undecum hac sententia reflexa adversariorum, & nostra conclusione non est paritas, & contra eam pugnant rationes valde graves; quæ nostram conclusionem confirmant.

400. Dices 2. Etiam nos adhibemus principium reflexum: *In dubio legis non datur obligatio eam servandi.* Resp. nos non negare, posse adhiberi principia reflexa, sed dicimus, ad horum applicationem debere jam præsupponi æqualitatem probabilitatis sententiæ directæ; non enim ex hoc principio inferimus, sententiam aliquam esse æquè probabilem, sed æqualis probabilitas præsupponitur, & ex hac ipsa inferitur, legem esse dubiam, tunc autem primum ex principio reflexo inferimus licentiam actionis: Sic etiam alterum dictamen reflexum, *stante equali probabilitate utriusque sententiæ, non teneor amplecti tutiorem:* non probat, sententiam aliquam esse æquè probabilem, sed supponit.

401. Dices 3. Saltem nos tanquam circumstantiam objectivam ponimus ignorantiam, & dubium: ergo etiam potest poni sententia minus probabilis. Resp. neg. antec. in sensu stricto loquendo, quamvis aliquando latius loquendo, ignorantia, vel dubium vocetur circumstantia objectiva. Potius ponimus ignorantiam, & dubium loco opinionis directæ versantis circa licentiam actionis; nam ignorantia, & dubium saltem æquivalent opinioni directæ æquè probabilis: imò ideo juvat æqualis probabilitas, quia æquivaleret ignorantia, aut dubio: ergo jam per ipsam ignorantiam, & dubium habetur fal-

tem æquivalenter æqualis probabilitas immediata de licentia actionis, & non primum hæc licentia, vel aliquod iudicium directum de licentia, debet hanc æqualitatem probabilitatis recipere à principio reflexo, sicut tamen iuxta adversarios debet primum sententia directæ minus probabilis recipere æqualem probabilitatem à principio reflexo, scilicet ab isto, quod æquè probabiliter sit, licitum esse, sequi sententiam etiam minus probabilem. Quare, licet iuxta nos ignorantia, aut dubium, sit aliqua circumstantia objectiva respectu iudicii reflexi, non est talis circumstantia respectu iudicii directi: sed est æquivalenter hoc ipsum, neque in hoc casu debet haberi iudicium aliud directum æquè probabile; quia, quod æqualis probabilitas præstaret, immediate præstat ignorantia, vel dubium, ut modo ostensum.

ARTICULUS XXII.

Solvuntur ultime objectiones, & adduntur aliqua corollaria.

402. Ob. 11. Licet mihi videatur sententia aliqua notabiliter probabilior, possum tamen absolute iudicare, eam non esse magis probabilem, quam oppositam: ergo omnes licet sequi. prob. antec. possum utique falli meo iudicio: & sapit superbiam, velle suum iudicium aliorum iudicio præferre: ergo. Resp. retorq. arg. ergo, etiam mihi sententia videatur moraliter certa, possum iudicare, non esse talem, quia etiam possum falli, & sæpè sunt, qui etiam sententias aliis certis oppositas defendunt. Sanè Cardenas non unam tanquam certam defendit, cui oppositam tuentur alii. Ex hoc autem ulterius sequeretur, quod talibus sententiis non posset quis uti, quando agitur de valore sacramentorum, quod est valde durum. in forma neg. antec. supposito, quod omnia legitime consideraverim. ad prob. conc. 1. p. antec. neg. autem 2. & consil. licet enim possum falli, non sequitur, quod prudenter possum iudicare, me hic & nunc falli, aut non esse majus periculum deceptionis in opposita, quam in mea sententia, quæ ab auctoritate, vel ratione notabiliter prævalet. Cùmque quilibet debeat sibi formare dictamen conscientia proportionaliter ad suum iudicium, quod sine passione, & matura eum deliberatione, ac sufficienti intellectus capacitate, concepit, non potest in hoc casu iudicare actionem sibi licitam. Quod spectat ad 2. p. probationis, seu superbiam, esset quidem ei locus, si ego solus sine gravibus rationibus contra alios id iudicarem: at, si plures doctiores me, & doctissimi mecum sentiant, vel ego saltem rationes, mature, cum debita applicatione, ac capacitate, sine omni passione expensas, longè graviores habeam, & oppositas fat clarè solvam, nulla est superbia non sentire aliter; imò foret imprudentia, si oppositis levioribus fundamentis assentiret.

Ob. 12. Non semper teneor consulere doctiores, quamvis hi doctiores, & probabilis responsuri essent, sed sufficit consulere doctos; ergo etiam non teneor semper sequi sententias proba-

probabiliores, licet hæ sint verosimiliores, sed sufficit sequi sententias adhuc verè probabiles, Resp. Consultare in casibus conscientia alios viros doctos, spectat ad moralem diligentiam, quæ adhiberi debet ad inveniendam veritatem: quæ in re sufficit, saltem ordinariè, consulere doctos, & prudentes; quia isti, saltem in communibus, censentur non minùs sufficientes ad solvenda dubia, quàm magis docti, & existimatur æquè faciliè apud illos in communibus invenienda veritas, quàm apud istos: imò magis docti non semper respondent probabiliora, sed sæpe laetiora, & minùs probabilia. Si autem sint casus difficiliore, etiam non semper sufficit consulere quosvis minùs doctos: sed debent pro qualitate negotii consuli doctiores, quantum moraliter fieri potest; & quantum isti moraliter haberi possunt.

Certè si haberem doctiorem ad manum, & verosimilius mihi esset, quòd minùs doctus mihi responsurus esset probabilis falsum, non possem istum præ illo consulere; quia non bona fide inquirerem veritatem. In forma. neg. conf. Licet sæpe consulere minùs doctos; quia etiam hac ratione satisfit obligationi inquirendi veritatem; eoquòd æqualis spes sit eam inveniendi apud minùs doctos, quàm apud magis doctos. At non licet sequi sententiam minùs probabilem; quia hanc sequendo non satisfit obligationi servandi præcepta; cum ista non eodem modo observarentur, si minùs probabilis ratio ab eorum observatione eximere posset: sed multæ leges reverà existentes violarentur, aut frustra essent positæ &c. quæ in probatione sententiæ nostræ deduximus.

403. Collige 1. Judicem non posse judicare juxta sententiam minùs probabilem, quòd videtur per se clarum, & sumitur ex propositione damnata mox citanda: imò judex non potest judicare juxta æqualiter probabilem: sive, non potest, ex duobus æquale jus habeatibus, uni præ altero rem totam adjudicare, sed debet procurare, aut compositionem, aut transactionem, aut divisionem rei. Ratio est; quia, licet sit æqualis probabilitas circa jus, non est æqualis probabilitas circa licentiam actionis judicis; hic enim ex officio constitutus est, ut judicet secundum probabiliorum. Unde casus hic, qui à quibusdam vocatur *casus pro amico*, ab aliis rectius dicitur *casus pro diabolo*. Et hoc spectat propositio 2. damnata ab Innocentio XI. *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

Aliud est de Advocato, qui, cum ejus officium sit, non judicare, sed rationes proponere, & juvare clientem, potest causam æqualiter probabilem defendere, & rationum momenta afferre: imò potest etiam defendere minùs probabilem causam; quia fors judici videbitur magis probabilis: monere tamen debet clientem; quia fortè hic in causa ita periculosa nollet facere sumptus.

404. Collige 2. Ministrum Sacramentorum, extra casum necessitatis, non posse adhibere materiam, aut formam, vel aliam rem, ad valorem sacramenti requisitam, tantum probabilem, aut etiam tantum probabiliorum præ tuta, si hæc haberi possit; nam iterum non est probabile, quòd adhibere ista liceat, ex propositio-

ne 1. ab Innoc. XI. damnata: *Non est illicitum in Sacramento conferendis sequi opinionem probabilis de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.*

405. Quòd si objiciatur, ipsos summos Pontifices usos fuisse sententias minùs probabiles in dispensationibus, ubi agebatur de valore matrimonii, vel alterius Sacramenti. Respondetur, licet aliis minùs probabiles visæ sint, non tamen Pontificibus tales visas fuisse, imò, si Pontifices ejusmodi sententias usi sint, inferri, tales sententias esse sufficienter certas, vide etiam num. 370. Quantum autem attinet ad matrimonium Paraquariensium, circa quæ Urbanus VIII. videtur reliquisse nostris Patribus usum opinionum probabilium, intelligendum id est, si nempe tuta, aut certa haberi non possit, ut ibi crebrò non poterat haberi, eò quòd videretur fuisse tantum concubinitus vagus, & nesciretur sæpissimè, quanam uxor prima fuisset. videatur *Del Techo Histor. Paraquariens. l. 10. c. 15.* Item P. Thyrlus *de usu opinionum probabilium dissert. 14. c. 7.* Quando autem quædam consultoria judicant, in causis matrimonialibus, ubi agitur de valore Sacramenti, juxta sententiam minùs probabilem, & minùs tutam, si etiam ipsis talis videatur, & tamen rectè judicent, id eatenus fieri potest, quatenus censetur Ecclesia posse in iis dispensare, & simul, quantum potest, tacitè dispensate, eò quòd, ut ajunt, sciat, & toleret. De hac questione videri potest Cardenas, *dissert. 2. in 1. propositionem ab Innocentio XI. damnatam c. 8.* ubi per plures paragraphos, & numeros hac de re agit: & a. 3. n. 529. sic habet: *Quando est vera probabilitas juris de valore matrimonii, saltem in iis, quæ pendent ex jure humano Ecclesiastico, valor matrimonii sit omnino certus.* Veram autem probabilitatem opinionum, seu opiniones verè probabiles, num. 530. ait esse illas, *Quæ, licet non propugnentur ab omnibus, tamen ab omnibus recipiuntur tanquam probabiles.* Deinde a. 11. ponit hunc titulum: *Resolutum in dubio positivo circa impedimenta jure Divino, & naturali divinentia, certum esse valorem matrimonii ex dispositione juris Ecclesiastici.* Priùs autem num. 586. dixerat: *Dubium positivum est, quòd oritur ex varietate opinionum probabilium utrimque pugnantium.* Quæ longè fufius deducta in ipso auctore legi possunt.

406. Collige 3. Nec Medicum posse, adhibere medicinam tantum æqualiter probabilem præ tiori; exigit enim hoc charitas erga proximum, & officium medici, ut, quantum potest, tutissimè procuret valetudinem corporis. Si tamen nulla medicina foret certa, aut tuta, posset in casu gravis necessitatis adhiberi medicina probabilior, aut etiam, si hæc haberi non possit, probabilis. Plura corollaria similia faciliè est reperire apud morales Theologos. Cæterum, ut sub finem universaliter aliquid dicam, in morali materia maxime in id incumbendum, ut non nimium laxus, nec nimium rigidus sis. *Medio tutissimus ibis:* tuncque ritè incelleris, si Regio Prophetæ concinere possis: *Miserere cordiam, & judicium cantabo tibi Domine.*

INDEX

Disputationum, Questionum, & Articulorum In Tractatu DE ANGELIS.

DISPUTATIO I.
De Natura, ac Naturalibus proprietatibus Angelorum.

Art. II. Solvuntur Objectiones.
Art. III. Quomodo Demones puniantur.

In Tractatu
DE BEATITUDINE.
DISPUTATIO Unica.

QUÆSTIO I.
De Existentiâ, & Natura Angelorum.

Art. I. An Angeli existant.
Art. II. Quales sint Angeli.
Art. III. Solvuntur Objectiones.

3
14
20

De Beatitudine.

QUÆSTIO I.

De Beatitudine Objectiva.

QUÆSTIO II.
De Potentiâ Locomotivâ Angelorum.

Art. I. Per quid, & quomodo Angelus sit in loco.
Art. II. An, & quomodo Angeli possint moveri.

34
46

Art. I. An DEUS sit finis ultimus creature rationalis, & in omni actu morali intendatur.
Art. II. Solvuntur Objectiones.
Art. III. An DEUS sit Beatitudo Objectiva creature rationalis in quovis statu.
Art. IV. Solvuntur Objectiones.

2
11
24
34

QUÆSTIO III.

De Potentiâ Intellectivâ Angelorum.

Art. I. An Angeli indigeant speciebus ad cognoscenda objecta, & unde eas accipiant.
Art. II. Quanam objecta Angeli naturaliter cognoscere possint.
Art. III. Solvuntur Objectiones.
Art. IV. Quomodo Angeli inter se, & cum aliis loquantur.

54
67
81
103

QUÆSTIO II.
De Beatitudine formali supernaturali.

Art. I. In quo consistat essentia Beatitudinis formalis.
Art. II. Solvuntur Objectiones.
Art. III. An Perpetuitas Beatitudinis, & certitudo de ipsa sit de essentia Beatitudinis formalis.
Art. IV. Solvuntur Objectiones.
Art. V. Quanam adhuc bona secum afferat Beatitudo.
Art. VI. Solvuntur Objectiones contra assertam impotentiam peccandi, & errandi in Beatis.

43
43
80
91
106
130

DISPUTATIO II.

De Gratia, & Lapsu Angelorum.

QUÆSTIO I.

De Supernaturali Gratia Angelorum.

Art. I. An Angeli in primo instanti se disposerint ad primam gratiam.
Art. II. Quid tenendum de SS. Angelis Custodibus.

112
127

In Tractatu
DE ACTIBUS HUMANIS.
DISPUTATIO I.

De Moralitate Actuum Humanorum.

QUÆSTIO I.

De Voluntario, & Involuntario.

QUÆSTIO II.
De Lapsu, & Pœna Angelorum.

Art. I. Quando, & quomodo Demones peccaverint.

135

Art. I. Quid, & quotuplex sit Voluntarium, & Involuntarium.
Art. II. Solvuntur Objectiones.
Art. III. Quid sit Voluntarium in causa.
Art. IV. Solvuntur Objectiones.
Art. V. Quomodo ad Voluntarium se habeat

3
14
21
29

Metus, & Concupiscentia.	42
Art. VI. Solvuntur Objectiones.	49
Art. VII. Quomodo ad voluntarium se habeat Ignorantia.	53
Art. VIII. Solvuntur Objectiones.	65

QUÆSTIO II.

De Libero.

Art. I. Quid, & quotuplex sit Libertas.	75
Art. II. Solvuntur Objectiones.	85
Art. III. An homo sit liber.	94
Art. IV. An sit possibilis pura omisso libera.	109
Art. V. An libertas sit intrinseca, vel extrinseca actui.	126
Art. VI. Solvuntur Objectiones.	131
Art. VII. Qualis libertas, & quale meritum competat Actui interno imperato.	149
Art. VIII. Solvuntur Objectiones.	154
Art. IX. An Actus externus augeat meritum Actus interni.	164

QUÆSTIO III.

De Honestate, & Inhonestate Morali.

Art. I. Que sit Regula Moralitatis.	174
Art. II. Solvuntur Objectiones.	179
Art. III. An sit possibilis Actus Moralis Indiferens.	188
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	195

DISPUTATIO II.

De Conscientia.

216

QUÆSTIO I.

De Conscientia in Genere, & Certa in specie.

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Conscientia, & quomodo obliget Conscientia Erronea.	217
Art. II. An conscientie Dictamen Ultimius debeat esse certum.	220
Art. III. Solvuntur Objectiones.	227



QUÆSTIO II.

De Conscientia Dubia.

Art. I. Quid, & quotuplex sit Dubium, & an liceat agere cum dubio pratico.	241
Art. II. An in dubio semper sit eligendum tutius.	245
Art. III. An obligemur ad tutius in dubio legi.	262
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	269

QUÆSTIO III.

De Conscientia Probabili.

Art. I. Quid sit Opinio Probabilis.	292
Art. II. Quomodo dividatur Opinio Probabilis.	299
Art. III. An liceat in praxi sequi Opinionem magis probabilem, sed minus tutam.	304
Art. IV. Solvuntur Objectiones.	308
Art. V. Solvuntur reliquæ objectiones ex SS. Patribus.	312
Art. VI. An inter duas sententias equaliter probabiles liceat sequi minus tutam.	316
Art. VII. Solvitur prima obiectio ex SS. Patribus.	323
Art. VIII. Solvuntur aliæ objectiones ex SS. Patribus.	326
Art. IX. Solvitur obiectio ab autoritate antiquorum.	329
Art. X. Solvuntur Objectiones à ratione.	331
Art. XI. Solvuntur aliæ objectiones à ratione.	341
Art. XII. Quid censeant Autores de sententia minus tuta, & minus probabilis.	346
Art. XIII. Que sit autoritas sententia assensibilis, non vero notabiliter minus probabilis.	353
Art. XIV. An liceat sequi opinionem minus tutam, & notabiliter minus probabilem.	358
Art. XV. Ulterior probatio nostre sententia.	364
Art. XVI. Solvuntur Objectiones.	367
Art. XVII. Solvuntur aliæ objectiones.	372
Art. XVIII. Respondetur aliis objectionibus.	378
Art. XIX. Solvuntur adhuc aliæ objectiones.	384
Art. XX. Satisfit iterum novis objectionibus.	389
Art. XXI. Respondetur denuo aliis objectionibus.	394
Art. XXII. Solvuntur ultime objectiones, & adduntur aliqua corollaria.	402

TRACTATUS THEOLOGICUS

In Primam Secundæ

D. THOMÆ.

De Peccatis.



Post Tractatum de Actibus humanis, hoc est, post traditas regulas, seu principia, quibus actus humani conformes esse debent, ut sint honesti, ac boni, agere Theologi solent de peccatis, seu difformitatibus cum dictis regulis morum: inde de gratia, quæ defectus admissos emendat, & ad meritum (de quo post gratiam disputant) vel inchoandum, vel augendum, unice juvat. Hoc ordine & nos pergemus, & primo à peccatis incipiemus, ut ab his absoluti, ad gratiam perveniamus: & cum hac ad meritum progrediamur. Agit autem Angelicus de peccatis 1. 2. à quest. 71. usque ad 89. inclusivè. Postquam nempe prioribus quæstionibus egit de hominis fine, scilicet beatitudine, & via ad illam, scilicet actionibus moralibus, sapienter pergit ad indicandos errores, quibus à via recta deficiamus, hoc est, ad explicanda peccata, quorum expositio quoad quæstiones primarias nunc nostro est scopus. Dixi primarias: plura enim quæ sita de eisdem peccatis Theologia moralis explicanda ex more relinquimus.

est, de qua hic non agimus. Dividitur autem peccatum propriè dictum in *actuale*, *habituale*, & *originale*. Prima hac disputatione de primo, sequentibus duabus de reliquis duobus agemus.

QUÆSTIO I.

De Essentia Peccati Actualis.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quotuplex peccatum actuale.

3. **D**ico 1. Peccatum actuale rectè definitur ex S. Augustino, 1. 22. contra Faustum c. 27. *Factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*. Ita S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. qui ibidem docet, sufficere auctoritatem S. Augustini, in contrarium: hoc est, ut argumentis, in contrarium alatis, prævaleat: communiter etiam reliqui Theologi eandem definitionem admittunt; quantum enim sit disjunctiva, & fortè etiam alias minutias logicas non observet, tamen clarior est definitio, & ad instructionem fidelium valde apta; quia statim distinguit peccata cordis, oris, & operis: convenit etiam omni, & soli, quæ sunt primariæ dotes bonæ definitionis. Si quis tamen velit evitare disjunctionem, poterit cum S. Ambrosio 1. de Paradiso, c. 8. ac Magistro Sententiarum 1. 2. dist. 37. §. posthæc. Suarez in 1. 2. tract. 5. disp. 1. n. 1. & aliis, peccatum definire, quod sit *Libera transgressio legis Divinæ*.

DISPUTATIO I.

De Peccato Actuali.

2. **P**eccatum, latissimè sumptum, est defectus à regula dirigente ad finem. Est autem triplex, *Naturæ*, *Artis*, & *Moris*. Primum, seu peccatum naturæ, est defectus substantiæ creatæ à communi naturæ ordine, ac veluti lege: v. g. claudicatio, surditas, cæcitas &c. Alterum, sive peccatum artis, est defectus à regulis artis: e. g. solæcismus respectu Grammaticæ, inepta pictura, vel delineatio respectu pictoriæ &c. Tertium, seu peccatum moris, aut morale (quod solum nobis considerandum proponitur) est defectus liber à regula morum, seu à lege obligante ad ultimum finem. Et hoc est peccatum propriè dictum; nam, quando à Rhetoribus auctor sceleris, scelus dicitur: vel quando in S. Scriptura Deuter. 9. v. 21. vitulus aureus: vel ad Rom. 7. v. 13. concupiscentia: vel Ista, 13. v. 12. poenâ peccati: vel 2. Cor. 5. v. 21. & Osee. 4. v. 8. sacrificium pro peccato, vocatur peccatum, tropica locutio R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. 1.

Dicitur 1. libera; quia absque libertate non datur peccatum; unde idem prædicatum etiam subaudiiri debet in definitione S. Augustini, scilicet, dictum, vel factum, vel concupitum liberum. Dicitur 2. Transgressio legis Divinæ; quia, ut iterum suppono ex tract. de actibus humanis. à n. 176. regula moralitatis est lex æterna DEI, cui, si actus est conformis, est bonus: si autem difformis, est malus, seu peccatum. Ubi notâ, actus contrarios legibus humanis, esse etiam contrarios legi Divinæ; quia hæc jubet, legibus humanis nos subdi: &, ut rectè Suarez loc. cit. sicut nulla est potestas, nisi à DEO, ita nulla lex obligat, nisi in virtute legis Divinæ. Non tamen ideo leges omnes sunt juris Divini; nam jus Divinum est illud, quod est immediate à DEO datum, aut ex speciali commissione DEI qualiter non sunt lætæ leges, quæ humane dicuntur.

cuntur. Hæc definitio etiam clara est, omnique, & soli definito conveniens, adeoque bona.

4. Dividitur jam peccatum actuale communitur in peccatum commissionis, & omissionis. Illud est actus liber contra legem prohibentem: istud est ommissio libera actus præcepti contra legem præcipientem: & tale peccatum etiam est ommissio pura libera, quæ est possibilis ex tract. de act. hum. n. 110. Ut autem peccato puræ omissionis aptetur definitio Augustini, debet etiam intelligi, non dictum, vel non factum &c. cum enim contrarium eadem sit ratio, facile ex dicto, vel facto, intelligitur etiam, non dictum &c. 2. Dividitur in peccatum proprium, quod fit à persona, cui imputatur: & alienum, quod ab alio fit, alteri tamen ob moralem aliquem influxum, vel causalitatem, etiam attribuitur.

Dividitur 3. in peccatum spirituale, & carnale. Illius generis sunt, quæ sensibili carnis delectatione perficiuntur, ut peccata gula, atque luxuriæ: illius generis sunt, quæ animi delectatione perficiuntur, qualia sunt reliqua peccata capitalia. Dum autem Apostolus ad Galat. 5. à v. 19. inter opera carnis etiam recenset ea peccata, quæ aliàs spiritualia censentur, latius sumit peccata carnis, pro omnibus iis, quæ, ex natura nostræ in Adamo corruptione, pullulare solent.

5. Dividitur ulterius 4. peccatum actuale in peccatum cordis, oris, & operis. Primum in mente, & volitione perficitur: secundum verbis: tertium operibus consummatur. 5. In peccatum ex ignorantia, fragilitate, & malitia. Primum fit, cum quis ex ignorantia culpabiliter peccat: secundum, quando ex tentationis, aut passionis vehementia labitur: tertium, quod studiosè, & quia quis vult DEUM offendere, absque ignorantia, & vehementi passione, committitur, estque ex genere suo gravissimum. 6. In peccatum per excessum, & per defectum; cum enim virtus, e.g. liberalitas, consistat in medio, qui nimium opes effundit, per excessum peccat prodigalitate: qui nimis parcè dat, peccat per defectum avaritiâ.

Dividitur 7. In peccatum contra DEUM, proximum, & seipsum; quamvis enim omne peccatum sit contra DEUM, & ejus offensâ, tamen peculiariter peccatum contra DEUM dicitur peccatum illud, quod versatur circa materiam, directe pertinentem ad DEUM, e.g. circa materiam fidei, spei, charitatis, aut religionis &c. cujusmodi sunt peccata contra primam tabulam decalogi, seu tria priora præcepta. Peccatum contra seipsum est, quod est contra bonum proprium, e.g. gula, & luxuria, contra bonum sanitatis, & corporis. Peccatum contra proximum est, quod bono proximi adversatur, e.g. furtum, detractio, homicidium: cujusmodi sunt pleraque contra secundam decalogi tabulam, seu posteriora præcepta. 8. In peccatum mortale, & veniale, de qua divisione fufius infra: modò sufficiat dixisse, illud mortem animæ, hoc est, damnationem æternam asferre: non item secundum, cujus venia facilior est. Plures divisiones dari possent: sed facilis ad captum, & pro memoria, hinc inde, pro occasione plures explicabuntur.

6. Ob. 1. S. Paulus ad Rom. 2. v. 12. ait, Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege per-

bunt; ergo etiam peccari potest sine lege, adeoque non omne peccatum est contra legem. Resp. dist. conf. peccari potest sine lege Judaicâ, de qua ibi loquitur Apostolus, conc. conseq. sine omni lege naturali, vel Divina, neg. conseq. Responso firmatur ex ipso Apostolo ibidem v. 14. dicente, quòd gentes sine lege, sibi ipsi sint lex: ergo non sunt prorsus sine omni lege. Per hoc tamen, ut rectè Viva in proposition. 2. ab Alexandro VIII. damnatam de peccato Philosophico n. 10. ait, non intelligit Apostolus, ipsam naturam rationalem esse legem strictè talem, seu regulam primam morum; cum neminem suam natura obligare possit: (de qua re aliquantò plura tr. de act. hum. à n. 177.) sed tantum S. Paulus vult dicere, quòd habeant in se aliquid per modum legis, scilicet lumen naturæ rationalis, quod ad modum legis dirigit, & quid lex jubeat, ostendit.

7. Ob. 2. Multa dicuntur ideo prohibita; quia mala: non verò dicuntur mala; quia prohibita: ergo non omne peccatum est contra legem: vel certè hoc prædicatum non est primum, respectu cuiusque peccati. Confir. Peccatum veniale, ut multi docent in tractat. de incarnat. non est offensâ DEI: ergo non est contra legem: atqui tamen est peccatum strictè dictum: ergo non omne peccatum est contra legem DEI. Resp. nego conseq. quia, modò sint prohibita, sicut sunt omnia peccata, jam sunt contra legem. An autem hoc prædicatum omnino primum sit, an non, imprimis est minutia logica, non valde curanda: dein dici potest, esse prædicatum primum, saltem respectu hujus tractatus Theologici, qui maxime, & primariò considerat in peccato, rationem oppositionis cum lege Divina, in qua fundatur ratio offensæ. Ulterius, etiam illa, quæ dicuntur prohibita; quia mala, antecedenter ad legem DEI tantum sunt peccaminosa radicaliter, formaliter autem talia redduntur per legem DEI. vide tract. de act. hum. à n. 179.

8. Ad confirm. respondet Suarez in 1. 2. tract. 5. disp. 1. sec. 1. n. 2. peccatum veniale eodem modo esse contra legem, sicut est peccatum: neutrum autem esse simpliciter, sed tantum secundum quid: & moraliter loquendo, esse tantum analogicè peccatum: quod etiam docet D. Thomas. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. Idem 3. p. q. 88. a. 2. ad 2. ait, veniale non esse contra DEUM, sed præter ipsum. Idem docet Tannerus tom. 2. disp. 4. de peccatis. q. 5. dub. 2. n. 49. Suarez. in 1. 2. tract. 5. disp. 2. sec. 5. n. 7. & citat pro hac opinione Cajetanum & Vegam. Bellarminus tom. 4. controvers. 2. l. 1. c. 11. ait, veniale non esse peccatum, & simpliciter peccatum, sed imperfectè, & secundum quid.

Addit Suarez cit. loc. n. 8. non esse quidem propriè dictam analogiam, inter peccatum mortale, & veniale; quia peccatum veniale, independenter ab omni respectu (sine quo tamen non datur analogia stricta) ad mortale, habet inherentem sibi aliquem defectum ordinis debiti ad ultimum finem: attamen, quia hic defectus maxime ponderatur in moralibus, quatenus est dispositio ad mortale: itémque veniale tale denominatur; quia non habet malitiam tantam, quantam mortale, loquendo moraliter, & theologice, hæc denominatio est analogica. Ulterius ait eodem n. 8. Scripturam rarò, si quando, mine peccati simpliciter dicti, comprehendere peccata

peccata venialia. Si hoc tibi non placet, dist. conseq. peccatum veniale non est contra legem strictè dictam om. conf. non est contra legem latius dictam, neg. conf. omitto dein pro nunc subsumptum, & sub priori distinctione conc. vel neg. ultimam conseq. Dicit ergo potest, non omne, quod est contra legem DEI leviter obligantem, vel tantum contra legem ejusdem latitudinis sumptam, esse etiam offensam DEI strictè dictam.

9. Ob. 3. Possibile est peccatum essentialiter impunitum: sed hoc non est contra legem: ergo, prob. min. quod est contra legem, subjacet pœnæ: sed peccatum impunitum non subjacet pœnæ: ergo. Resp. 1. om. ma. neg. min. ad prob. dist. ma. nisi essentialiter supponat liberam determinationem DEI ad non puniendum, conc. ma. secus neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. ita ii, qui majorem admittunt. Alii probabilius negant, tale peccatum esse possibile, sicut negatur possibile peccatum essentialiter irremissibile; peccatum enim essentialiter impunitum tunc fieri deberet, si DEUS revelasset Petro, se nullum deinceps ejus peccatum puniturum, & Petrus, hæc revelatione, fretus peccaret: tunc enim (ajunt quidam) peccatum essentialiter supponeret illam revelationem Divinam, qua stante Petrus puniri non posset; quia aliàs revelatio redderetur falsa, quod impossibile est.

Sed probabilius, etiam in hoc casu, peccatum illud non essentialiter præsupponeret illam revelationem verè talem; nam, si Petrus, deceptus à dæmone, judicaret firmiter, eam revelationem sibi factam esse, idem numero peccatum committeret, ac tunc, quando reverè facta esset; nec enim volitio habet essentialem respectum ad hanc cognitionem determinatè sumptam, sed tantum ad aliquam indeterminatè sumptam, & quoad motivum, vel modum repræsentandi &c. æqualem: præsertim volitio naturalis, qualis est peccaminosa, non habet respectum, vel connexionem essentialem cum cognitione, seu revelatione supernaturali: & sic etiam responderi solet in tract. de pœnit. ad objectionem de peccato essentialiter irremissibili.

10. Ob. 4. Qui agit contra conscientiam erroneam, e.g. qui putat se obligari ad mentientium, ut liberet à periculo proximum, & non mentitur, peccat: at non peccat contra legem Divinam: ergo datur peccatum, quod non est contra legem Divinam: ma. est communis, & certa. mi. prob. DEUS non præcipit per legem suam mendacium: ergo. Resp. neg. mi. ad prob. dist. ant. DEUS non præcipit mendacium directè, & per se. conc. ant. non præcipit indirectè, & per accidens. neg. ant. & conf. DEUS præcipit, ut non agamus contra id, ad quod etiam per errorem putamus, nos esse ab ipso obligatos; quia ita agere jam esset virtualiter negligere, & postponere voluntatem DEI.

Quando ergo, in eo casu, quis per errorem putat, se obligari ad mentientium, DEUS indirectè, & per accidens, præcipit mendacium. Nec propterea DEUS est causa per se, sed tantum causa per accidens, & quidem tantum materialis peccati, quod non repugnat. Nec propterea etiam præcipit aliquid prohibitum; quia, ut Rhodes ait, res non est formaliter prohibita, nisi ut agnita mala: quia objectum non specificat actum, prout est in se, sed prout est in intellectu, ut ha-

bet Angelicus. 1. 2. q. 19. a. 5. in corp. plura vide tract. de virt. Theol. disp. 2. q. 1. a. 4. n. 72. ubi etiam tractatur, an tale mendacium, vel similis talis actus ex conscientia erronea factus, sit bonus, & meritorius.

11. Ob. 5. Lex etiam DEI per Moysen, five per Moysen promulgata; non est æterna; nec enim est ab æterno, nec erit in æternum; quia jam cessavit: & multa peccata sunt contra illam: ergo non omnia sunt contra legem æternam DEI. Confir. Promulgatio legis non est æterna: sed hæc est de essentia legis: ergo essentia legis, seu lex non est æterna: ergo peccata non sunt contra legem æternam. Resp. 1. om. ant. neg. conf. quia sunt saltem contra legem DEI æternam, ut ita dicam, reflexam; quæ præcipit servari legem Moysis, pro illo tempore. Resp. 2. neg. ant. quia jam ab æterno mente DEI lex extitit.

Ad confirm. In hac questione, suo modo de nomine, seu quid intelligatur per legem, standum est autoritate Theologorum, qui communiter admittunt, legem æternam DEI cum S. Augustino l. 1. de lib. arb. c. 6. & S. Thoma. 1. 2. q. 91. a. 1. in corp. unde, si promulgatio est de essentia legis, non tantum humana, sed etiam Divina, non debet ea ab æterno percipi: & talis promulgatio jam datur ab æterno; sicut enim habet Angelicus art. modò cit. ad 2. Dicendum, quòd promulgatio fit, & verbo, & scriptura: & utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte DEI promulgantis; quia & verbum Divinum est æternum, & scriptura libri vitæ est æterna: sed ex parte creature audientis non insipientis, non potest esse promulgatio æterna: & juxta hæc dicta, in forma neg. ma. Alii negant mi. dicuntque, promulgationem ad summam esse de essentia legis actu obligantis, non autem ipsius, in se præcisè spectatæ, quæ, præsertim si à DEO sit, cujus potestas est prorsus independens à populo, jam habet totam essentiam ante promulgationem; quamquam ante promulgationem non obliget: promulgari autem postea legem Divinam positivam per revelationem, legem verò naturalem per dictamen conscientia.

12. Ob. 6. DEUS non necessariò prohibet omne, etiam intrinsicè malum: ergo neque peccatum: ergo hoc non est necessariò contra prohibitionem, seu præceptum DEI. prob. ant. DEUS non amat necessariò bonum creaturæ: ergo nec odit, nec prohibet necessariò malum creaturæ: Confir. DEUS potest dispensare in præceptis naturalibus secundæ tabulæ: ergo potest ea præcepta non imponere; ergo etiam potest objecta intrinsicè mala, præceptis illis contraria, non prohibere. Resp. dist. ant. DEUS non prohibet necessariò necessitate absoluta, conc. ant. ex suppositione, quod creaturas rationales produxerit. neg. antec. & conseq. ad prob. om. ant. neg. conf. Cum DEUS sit essentialiter sanctus, & optimus gubernator, spectat ad ipsum essentialiter, ut, quod radicaliter saltem, peccaminosum, turpe, ac inhonestum est, prohibeat, & ab eo subditos rationales avertat, ut lumina naturæ notum videtur certè aliàs videretur manca esse ejus gubernatio: at non spectat ad ipsum, ut omne prorsus bonum extrinsecum sibi procuret, maxime, cum

Jam virtualiter, & eminenter, in sua essentia omnia continet.

Ad confir. Resp. cum pluribus aliis. neg. ant. Non potest DEUS propriè dispensare, sed tantum addere, vel demere, circumstantiam, quæ addita, vel dempta, quod prius fuerat malum, non amplius tale est: unde rectè Layman lib. 1. tract. 10. dicitur, c. 6. n. 9. ait, quasdam actiones esse ita malas, ut inseparabilis omnino malitia sit, e. g. manducium, blasphemia, &c. quæ nullis circumstantiis possunt cohonestari: alias autem esse ita malas, ut, vel ratione circumstantiarum, vel ex alia causa, malitia separari possit. e. g. cædes innocentis tantum est mala, si fiat absque legitimo jure, aut potestate: quam tamen DEUS potest dare, utpote supremus dominus vitæ, & mortis: quare, si DEUS daret potestatem occidendi innocentem, non dispensaret propriè in quinto præcepto; sed sua voluntate, & concessione potestatis, faceret, ut, quod alias contineretur sub materia illius præcepti, non amplius contineretur, adeoque licitè fiat. Dispensatio autem propriè dicta foret, si manente materia, vel re eadem, tamen aliquis eximeretur præcepto.

Ob. 7. Peccatum purè Philosophicum, non est contra legem: ergo definitio peccati non convenit omni, adeoque non est bona. Responderi facile potest. om. antec. dist. conf. definitio peccati non convenit omni peccato Theologicè tali, de quo hic maxime quæritur. neg. ant. alteri peccato, de quo hic non agitur. om. ant. & neg. conf. sufficit enim bonitati definitionis, à Theologis data, quod conveniat omni peccato, in consideratione Theologica accepto.

ARTICULUS II.

Quid sit, & an detur Peccatum Philosophicum.

13. Satisfactum, data modò responsione, omnino esset objectioni: attamen, quia hæc quæstio ante annos quadraginta, & aliquot, scilicet anno 1686. famosa esse cepit, & anno 1690. 24. Augusti ab Alexandro VIII. proscripæ sunt duæ propositiones, quarum una agit de peccato Philosophico, operæ præmium videtur, etiam de isto paulò plurius agere.

Propositiones autem damnatæ sunt istæ: Prima: Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum; interpretati- vè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vite sue moralis. Secunda: Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus, disconveniens nature rationali, & recte rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui DEUM vel ignorat, vel de DEO actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa DEI, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam DEI, neque æternâ penâ dignum.

Ex his propositionibus secunda dicebatur excerpta ex Theibus Divione propositis: at Vi- va Trutina Theol. p. 3. ubi sub initium de his duabus propositionibus agit, num. 3. probat, in ea propositione secunda, dum ad S. Sedem dei ferretur, fuisse aliquid per invidiam mutatum. Occasione autem hujus damnationis orta est, vel saltem magis ventilari cœpta, inter recentiores quæstio duplex, scilicet. 1. Quid sit peccatum Philosophicum, prout distinguitur à Theologi- cico, vel quæ sit ejus definitio. 2. An sit possi- bile, vel impossibile: pro quarum resolutione, 14. Dico 1. Definitio peccati purè Philoso- phici in ipsa propositione secunda damnata rectè exhibetur: scilicet quod sit actus humanus dis- conveniens nature rationali, & recte rationi: in- tellige soli; si enim disconveniret etiam legi Di- vine, & esset ejus transgressio, jam etiam esset peccatum Theologicè tale. Neque hæc pri- ma pars propositionis illius damnatæ est damna- ta: sicut non est damnata pars altera ejusdem, continens definitionem peccati Theologicè, quod sit transgressio libera Divinæ legis: quæ ve- rissima est.

Sicut etiam non est damnata illa pars pro- positionis damnatæ primæ, qua dicitur: Formidit verò bonitas consistit in conformitate actus cum regula morum: quod communiter omnes ita- dunt: sed in prima illa propositione damnatum potissimum illud est, quod ultimo dicebatur, scilicet non teneri hominem ad amandum DE- UM in principio, vel decursu vitæ. Et utique facile potest contingere, ut in propositione, vel formaliter, vel æquivalenter copulativa, una pars sit vera, altera falsa. Certè definitio illa peccati Philosophici, seu in consideratione Philo- sophica accepti, indicatur à S. Thoma 1. 2. q. 71. a. 6. ad 5. his verbis: Dicendum, quod à Theo- logis consideratur peccatum præcipue, secundum quod est offensa contra DEUM; à Philosopho au- tem morali, secundum quod contrariatur rationi.

Hoc autem peccatum, purè Philosophi- cum, dari non potest, quin detur ignorantia, vel oblivio DEI; siquis enim de DEO cogitet, & quidem de eo, ut prohibente illud, quod in his circumstantiis ipse cogitans facit, jam pec- catum Theologicum committit; nam, dum co- gitans, DEUM actus sui conscium, peccat, ad- vertit utique, se facere aliquid contrarium vo- luntati DEI, omne malum morale improbat, & prohibentis: consequenter talis actio est aver- sio à DEO, & conversio ad creaturam, quæ secum affert per identitatem peccatum Theologi- cum. Ex his oritur jam quæstio secunda, an nempe actus aliquis humanus, moraliter malus, fieri possit cum tali ignorantia inculpabili DEI, & sic dari peccatum purè Philosophicum. Igitur

15. Dico 2. Peccatum purè Philosophi- cum non est possibile: ita defacto communis- sime omnes. Prob. Quicumque peccat formaliter, seu cum morali advertentia ad culpam, non tantum advertit, se agere aliquid quomo- docunque indecens, seu erubescendum, quale e. g. etiam foret, si quis, à prædonibus spolia- tus omnibus vestibus, deberet incedere nudus: sed cognoscit, se agere aliquid culpabile, seu prohibitum: atqui hoc non potest agnoscere, quin agnoscat DEUM: ergo, ma. videtur non posse

posse negari; aliàs enim non posset dari discrimen, inter erubescentiam dignam compassione, & dignam reprehensione: seu inter ortam ex inculpabili causa, & ortam ex libero culpabili defectu. minor prob. Qui agnoscit aliquid prohibitum, debet agnoscere aliquem prohibentem: atqui nullum potest agnoscere prohibentem, nisi agnoscat DEUM: ergo debet hunc agnoscere. ma. est clara.

Prob. etiam min. Nihil potest esse prohibi- tum sub culpa, nisi sit, vel actus internus, vel certè complexum ex actu interno, & externo: atqui non potest agnosci, vel intelligi, prohibens actum internum, vel complexum ex actu inter- no, & externo, nisi agnoscat DEUS: ergo. ma. iterum non potest negari; nam, licet fors aliqui putaverint, actus purè internos, se solis non esse peccata, tamen nemo judicavit, aut judi- cat, solum actum externum, sine interna volitione libera, esse culpam, vel peccatum; cum- que ratio culpæ, vel unicè, vel potissimum, stet in actu interno, debet vel maxime iste esse pro- hibitus, & ut talis apprehendi. prob. jam min. Non potest intelligi actus internus prohibitus, nisi intelligatur DEUS, vel immediate, vel medi- atè saltem prohibens; quia, vel nemo alius po- test actum internum præcipere, aut prohibere: vel certè nemo id potest, qui non intelligatur, habere potestatem prohibendi à DEO, sicut e. g. habet Ecclesia: ergo.

16. Prob. ant. Si aliquis præter DEUM, & eos, qui ab ipso habent potestatem, posset ag- nosci prohibens actum peccaminosum, & con- sequenter actum internum, esset natura rationalis: sed hæc non potest agnosci prohibens talem actum: ergo. ma. admittitur ab adversariis (si qui sunt) & eruitur ex ipsa definitione peccati Philosophici. min. prob. Vel intelligitur natura rationalis individua ipsius peccantis: & hæc, cum non sit superior sui ipsius, non potest sibi ipsi aliquid prohibere, vel certè potest in præcepto facile secum dispensare: vel intelligitur natura rationalis ut sic, seu in communi, & quidem creata (nam DEUS supponitur non cogitari) & hæc, cum nihil sit à parte rei, sed tantum existat in intellectu, non potest reverà obligare.

Vel intelligitur per naturam rationalem collectio omnium naturarum rationalium ex- istentium (non existentibus, cum nihil sint, utique obligare non possunt) & nec ista potest prohi- bere efficaciter actus internos; quia non potest eos scire, consequenter neque de iis judicare, neque ab iis abstertere, neque eos punire; nam facile possunt celari; atque adeò inutilis, fru- stranea, atque etiam rationi naturali difformis esset ista prohibitio: & consequenter non datur. Confirmatur. Talis collectio naturarum rationa- lium plurimos actus, etiam externos, non posset scire: & multò minus posset scire, an sint conjuncti cum actibus internis, qui externos red- dunt malos: adeoque neque de istis posset ju- dicare, vel eos punire: Imò talis collectio eti- am non vellet communiter tales actus punire, vel etiam plurimos eorum prohibere; cum multæ ex ea collectione naturæ essent malæ, & cuperent multa licita, quæ tamen sunt culpa- bilia.

Vel intelligitur tandem unum tantum indi-

viduum, ex illa collectione, distinctum à pec- cante, e. g. superior creatus: & contra hunc pu- gnare eadem ferme rationes; quia scilicet ne- que posset scire, nec judicare, nec punire, uni- versaliter actus malos, præsertim internos. Ad- de, quod quis agnoscendo actionem tantum prohibitam ab aliquo superiore creato (cum hic non sit infallibilis regula) nondum eam agnos- cat ut culpabilem, vel reprehensibilem; quia posset à tali superiore bonum prohiberi, & ma- lum præcipi. Quare deberet prius, vel agnosci alia potestas infallibilis, adeoque Divina: vel certè deberet ille superior apprehendi ut im- pans conformia naturæ rationali universali, adeo- que ultimato iterum deberet recurri ad natu- ram rationalem universalem, quem recursum jam supra insufficientem ostendimus.

17. Nec dicas, recurri posse ad aliquam partem collectionis universalis, seu ad particula- rem aliquam communitatem individuum ratio- naliarum; nam contra est: hæc communitas non esset potestas infallibilis; posset enim aliquid præcipere, vel prohibere, in bonum suum particu- lare, oppositum bono communi totius natu- ræ, adeoque malè. Si autem dicas, debere eam præcipere conformia toti naturæ, iterum re- curris ad naturam universalem, tanquam men- suram honesti, & iterum impugnaris superiori- bus argumentis. Tandem, minor illa superior probari potest isdem ferme argumentis, quibus in tract. de actibus humanis à n. 176. probavimus, primam regulam morum necessariò statuendam esse legem æternam DEI.

18. Collige ex dictis, quod, etsi omittatur, possibile esse, ad breve tempus, invincibilem ignorantiam DEI, ea tamen non sit possibilis tunc, quando quis formaliter peccat; quia tunc eo ipso DEUM aliquo modo agnoscere debet. Vincibilis autem ignorantia DEI omnimoda om- nino impossibilis est; cum enim hæc ignoran- tia vincibilis sit peccatum, & hoc dari non possit sine aliqua notitia DEI, sequitur clarè, ad eam ignorantiam requiri aliquam DEI notitiam, consequenter ipsam ignorantiam non esse omni- modam. Dico omnimodam; quia utique potest dari aliquamdiu vincibilis, & invincibilis igno- rantia DEI, non omnimoda, seu tantum quoad aliqua prædicata, magis explicita, e. g. ignoran- tia immensitatis, immutabilitatis, Trinitatis &c. Imò quoad aliqua prædicata latet DEUS adhuc etiam doctos, qui disputant de iis ipsis, an debe- ant DEO attribui, an non.

Dixi etiam, DEUM aliquo modo debere agnosci; quia sufficit ad peccatum, ut agnosca- tur, sub ratione confusa legis æternæ, vel supremi legislatoris: quæ notitia non abest à peccante, qui eo ipso, quod rem prohibitam agnoscat, agnoscit, saltem exercitè, & implicitè, quamvis remisè, legem, vel legislatorem prohibentem, ut scilicet, quemadmodum ait La Croix l. 5. d. n. 55. cytharizans actu cognoscit regulas artis, quamvis non reflexè de iis cogitet: & sicut sa- cerdos, peccans contra castitatem, exercitè cog- noscit, se esse voto adstrictum.

19. Quæres 1. An hæc impossibilitas pec- cati philosophici sit metaphysica, vel moralis. Resp. aliquos, quos vide citatos apud Viva- trut. Theol. pag. n. 2. existimasse, peccatum phi-

Iosophicum tantum moraliter esse impossibile, eoquod non omnino implicet casus, quo aliquis tantum agnoscat actionem esse contrariam naturae rationali, non verò alteri superiori legi, quamvis, ut ait, id defecto nunquam fiat, eoquod homo peccans, exercitè, & implicite sciat, vel confuse, agnoscat legem Divinam. Mihi tamen cum communiiori (ut testatur Viva loco modo citato n. 3.) videtur verosimilius, esse se metaphysicam impossibilitatem, quam & ipse Viva ibidem videtur defendere.

Ratio est; quia non potest videri prohibitum aliquid à sola natura rationali, ut jam ostendimus: ergo, quando res apparet ut prohibita, & culpabilis (quod necesse est ad hoc, ut appareat esse peccatum, vel culpa) debet, saltem exercitè, & implicite, aut confuse, apparere ut contraria legi Divinae, adeoque DEO, ut jam explicatum. Et hinc videtur mihi etiam metaphysicè impossibilis omnimoda ignorantia DEI pro quo casu, quo quis peccat, seu aliquid facit, quod omnino absolute prohibitum, & culpabile iudicatur.

Licet autem peccans non semper agnoscat actionem suam immediate in se prohibitam à lege Divina, sed e. g. ab homine: tamen sicut is, qui aliquid committit immediate à lege Ecclesiastica prohibitum, agnoscat, idem, saltem mediatè, prohibitum esse à DEO, sic etiam talis, agnoscens eam ut immediate prohibitam ab homine, simul tamen satis agnoscat, eandem ut mediatè prohibitam ab altiori lege, ut patet ex dictis.

Si fingas casum, quo aliquis rudis ponatur sustinere, aliquem hominem sibi imperantem etiam scire actus internos, & habere potentiam eos puniendi, ita, ut nullus ejus vim effugere illa ratione possit, respondeo, vel talis existimat, eum hominem habere à se eam scientiam, & potentiam, vel ab alio: si dicatur secundum, debet agnoscere, saltem confuse, illum alium, hoc est, DEUM penetrantem secreta cordium, & omnipotentem vindicem: si verò primum, tunc hunc ipsum hominem sua opinione faciet DEUM: sicut antiqui gentiles coluerunt multos tales DEOS. Certè talis jam agnoscat supremam potestatem, & infinitam scientiam prohibentem, adeoque sufficienter agnoscat DEUM, licet dein in eo graviter erret, quod putat, eam potestatem residere in homine.

Sic nemo dicit, olim gentiles non peccasse formaliter, & Theologicè, quando putarunt, se aliquid facere contrarium voluntati Jovis; eoquod ratio, eum esse omnipotentem, ac supremum legislatorem, contra hunc ipsum egerint, quamvis eundem male cum Jove identificarent. Et licet gentiles tantum agnoscerint DEUM ut authorem naturae, non autem ut authorem gratiae, tamen graviter peccarunt, seque gehennâ dignos reddiderunt. Unde dici non potest, requiri ad peccatum Theologicum, cognitionem DEI ut auctoris supernaturalis; alias gentes nunquam Theologicè peccassent, quod est falsum.

Accedit, quod in hac providentia (de qua potissimum loquimur) non videtur DEUS permittente, ut homo invincibiliter DEUM ignoret, quando peccat, cum huiusmodi ignorantia quilibet indidit, quod, juxta S. Augustinum, cuique ratione

utenti, facillimè, & primò, DEUM ostendit, praesertim, cum aliquid prohibitum facere tentat, quando DEUS vel maxime vult, ab eo ipsum abstergere. Addendum adhuc: si quos casus, tanquam metaphysicè, non autem moraliter impossibiles, adversari ponunt, hi, vel moraliter, vel metaphysicè sunt, vel etiam metaphysicè implicite, quia rudes homines, inter barbaros in sylvis errantes, sunt innumeri: & si potest unus rationis utens habere talem ignorantiam DEI, ac peccatum philosophicum facere, non est ratio, quare non plures, aut pluries, idem possint pati: nisi dicatur, DEUM id in hac providentia non permittere, quod re ipsa est dicere, in hac providentia peccatum philosophicum impossibile esse. Gratis autem diceretur, DEUM quidem non posse, aut velle tale peccatum sapienter permittere, posse tamen rarissime; nam, si potest, aut vult aliquando, debet afferri positiva ratio, cur non sapienter, aliàs, sicut potest, & vult peccata Theologica sapienter permittere, etiam poterit sapienter permittere philosophica.

20. Quæres 2. Quæ de causa propositio hæc de peccato philosophico damnata sit. Respon. 1. Non est ullo modo damnata sententia eorum, qui tantum in sensu conditionato dixerunt, quod si peccatum philosophicum poneretur, illud non esset peccatum mortale, nec DEI offensiva, ait enim Pontifex, doctrinam, quam damnat, de novo erumpere: atqui sententia illa conditionata fuit jam satis antiqua tempore Alexandri VIII. cum eam teste La Croix l. 5. n. 57. jam docerit Gerson, Curiel, Suarez, Lessius, Lugo, Gonet, & alii: imò ita sentire videtur ipse S. Thomas 2. 2. q. 20. a. 3. in corp. ajens: Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à DEO, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale: atqui non datur aversio à DEO moralis, quæ suo modo est ejusdem contemptus, quando hic nullo modo cognoscitur. Itaque ex alio capite, & primariò quidem, ut rectè observat La Croix modò citatus n. 58. damnata est propositio illa, & iustissime quidem; quia, ut jacet, non facit distinctionem, inter ignorantiam, & inadvertentiam ad DEUM, vincibilem, & invincibilem, & de utraque aequaliter intelligi potest: multò minus hæc propositio indicat, aut supponit, impossibilem esse ignorantiam DEI vincibilem, sed potius videtur anam dare iudicandi, eam possibilem esse: est autem certum, quod ignorantia, vel incogitantia, aut inadvertentia ad DEUM, si vincibilis sit, non excuset ab offensiva DEI, & reatu penæ æternæ, actionem graviter naturæ rationali oppositam. Et hæc est causa damnationis primaria.

21. Fortè etiam Pontifici displicuit, quod propositio, prout jacet, abstrahat à sensu conditionato, & absoluto, à possibilitate, & existentia peccati philosophici, adeoque legenti ingerere possit opinionem, quasi talia peccata frequenter dari possint (nam non magis conditionatè loquitur de peccato philosophico, quam de Theologico, quod frequens est) consequenter det occasionem hominibus, excusandi sua peccata, tanquam purè philosophica, per ignorantiam, vel potius per inadvertentiam ad DEUM: qua ratione posset præbere scandalum, seu occasionem peccandi, id est, abutendi hac opinio-

ne ad excusandas excusationes in peccatis. Psal. 140. v. 4.

Dixi: Propositio, prout jacet; nam, ut Viva trutin. Theol. p. 3. n. 3. ait, Theses Divionenses, adjunctis præsertim scriptis Professoris, clarè ostendunt, propositionem tantum in sensu conditionato propugnatum fuisse. Addit etiam La Croix l. 5. n. 58. propositionem idèd quoque damnatam fuisse: quia negat, peccatum philosophicum esse offensivam DEI; cum tamen sit offensiva materialis. Sed rectè quidam ingeniosus recentior dubitat, an Pontifex ad talem quæstionem vocabulariam attenderit.

22. Objicit quidam contra nostram probationem, mendacium e. g. esse naturæ Divinae dissonum, eique moraliter malum, neque tamen esse à lege superioris, sed ab ipsa natura, DEO prohibitum, adeoque intelligi posse, quod aliquid per ipsam naturam rationalem, absque altiore legislatore prohibitum sit. Sed responderetur, in DEO non opus esse lege superioris; eum dari non possit, & sufficere mendacium ejus voluntati necessariò dissonum esse; eum per hoc ipsum ei mendacium reddatur metaphysicè impossibile, nec ipse in hoc secum dispensare possit: at non ita res se habet in natura rationali creata, cui mendacium, vel aliud peccatum, non redditur eo ipso impossibile, quod ejus voluntati rationali contrarium sit; præterquam enim, quod hæc voluntas creata non sit regula omnis honesti, & boni (sicut est Divina) insuper contra se ipsam potest agere, & secum, si non altiori potestatis ligetur, facile dispensare. Alia, quæ hæc objici possent, vel sunt soluta in tr. de DEO, n. 17. quando actum de ignorantia DEI: vel in tr. de actibus humanis, n. 174. quando de prima regula morum: vel tandem facile solvuntur ex dictis hucusque in probatione, & declaratione nostræ sententiæ.

ARTICULUS III.

In quo stet formalis malitia peccati.

23. Controversia hæc celebris est inter

auctores, sed speculativa, & in ordine ad praxin parùm faciens. Ad ejus intelligentiam notandum 1. Duplex datur privatio, physica, & logica. Illa est negatio pura formæ in subiecto capaci, seu negatio formæ aliquo modo debitæ subiecto, e. g. cæcitas in homine. Altera etiam vocatur privatio secundùm dici, & est aliquid positivum, sed tamen explicatur per terminum negativum, & ratione sui excludit aliam formam, vel quasi formam, cujus dicitur esse privatio, e. g. in divitio, quæ est positivum quid, scilicet ipsa realiter unitas rei, vel unio partium ejus inter se: explicatur tamen per vocem negativam, ut patet: excludit autem divisionem, quæ est forma, vel quasi forma, denominans divisum. Dixi quasi forma; quia, cum divisio sit negatio unionis, non est propriè forma.

Aliud exemplum est irrationalitas, quæ est quasi irrationalitas, seu non rationalitas, & est realiter quid positivum, scilicet ipsum animal: at explicatur per terminum negativum: exclu-

dit autem formam positivam, seu rationalitatem. Talis etiam est claudicatio, seu inceffus curvus, excludens ratione sui gressum rectum. Vocari etiam potest hæc privatio radicalis, quatenus suo modo causat, vel infert privationem, seu negationem formalem.

24. Notandum 2. Ad peccatum formale non requiritur tantum actus qualiscunque, sed liber; absque libertate enim non datur peccatum formale; unde in sententia (quam in tr. de adib. hum. à num. 126. amplexus sum) docente, libertatem non esse actui essentialem, & intrinsicam, sed extrinsecam, & constitui per actum primum proximum liberum, non potest malitia peccati formalis, saltem adæquate, stare in positivo; nam libertas, eam malitiam constituens, involvit negationem impedimentorum, &c. quæ consequenter etiam constituunt malitiam, quidditative, seu adæquate sumptam: quamquam in ea etiam sententia dici possit, malitiam denominativè sumptam, stare in positivo; quia malitia denominativè sumpta, seu id, quod dicitur malum, est ipse actus secundus, non verò actus primus &c.

Sed hic addendum, auctores, dum quærent, an malitia formalis peccati stet in positivo, vel negativo, seu privativo, non quærent, an stet in negationibus illis, quæ requiruntur ad actum primum, vel ad denominationem actus liberi, sed potius quærent, an stet in privatione, præsupponente totum actum liberum, & ex hoc resultantem, vel hunc subsequente, quatenus scilicet, posito actu libero, materialiter, ut ajunt, peccaminoso, resultat, vel sequitur privatio honestatis, rectitudinis, vel conformitatis cum lege, quam debet habere vel actus, vel voluntas; & ob cujus defectum datur actus malus.

Dixi: vel actus, vel voluntas; hæc enim, cum sit capax actus honesti, utique potest habere privationem, ejus: item actus in se indifferens ad hoc, ut fiat in circumstantiis, bonum, vel malum ipsum redditibus, e. g. præcepti, vel prohibitionis, potest etiam habere privationem honestatis: at verò, si actus sit intrinsicè malus, e. g. odium DEI, non est capax honestatis; adeoque neque privationis ejusdem: sed tantum est capax puræ negationis, nisi cum Gonetom tom. 3. tr. 5. disp. 3. a. 1. num. 9. Tannero tom. 2. disp. 2. quest. 5. dub. 2. num. 36. dicas, actum, secundum communem rationem genericam consideratum, e. g. præcisè ut actum voluntatis, seu odium, posse dici privatum honestate, vel rectitudine, quatenus actus odii, genericè sumptus, tendere potest in aliud objectum, & sic esse honestus; ferme sicut Logici dicunt, operationem intellectus ut sic posse fieri rectam, vel irreclam.

25. Notandum 3. Si possibilis est pura omisio libera peccaminosa, qualem admittit tr. de ad. hum. num. 110. 112. & seq. tunc ejus malitia, saltem denominativè accepta (quidditative enim accepta involvit actum primum proximum, qui multa positiva complectitur) stat in pura negatione: quæ quidem non potest esse privatio propriè dicta, respectu ipsius omisionis; nam hæc, etiam in genere sumpta, non est capax formæ propriè talis (quidquid sit, an capax formalis, vel honestatis qualiscunque moralis, & impu-

habilis ad laudem, vel meritum, de quo videatur Arriaga tom. 4. tract. de merito disp. 53. sec. 2. Ripalda tom. 1. de ente supernaturali l. 3. disp. 70.) sed tantum potest esse privatio proprie dicta respectu voluntatis, quæ per eam omissionem privatur actu tunc præcepto; si enim actus præceptus non esset, ommissio peccaminosa non foret.

26. Notandum 4. Quæstio hæc in eo versatur, an privatio illa subsquens, de qua n. 24. debeat dici tota, vel partialis malitia formalis peccati: vel an sit tantum aliquid connexum, & consequens, ipsa verò malitia stet in prædicato positivo, sive in actu ipso libero, qui legi opponitur. In qua tamen quæstione videtur tanquam certum supponi debere, quod actus liber malus sit saltem pars materialis peccati: item, quod ratione sui excludat rectitudinem, vel honestatem sibi oppositam, & sic sit causalis privatio.

Varie jam sunt sententiæ, quas vide apud Haunoldum l. 2. tract. 2. c. 1. controv. 4. §. 1. & Tannerum tomo 2. disp. 2. q. 5. dubio 2. Oviedo in 1. 2. tract. 4. controv. 5. puncto. 1. qui auctor puncto. 6. multis explicare contendit mentem P. Vasquezii in 1. 2. disp. 95. c. 10. ubi peccati malitiam in relatione rationis collocare videtur: per quam, si (ut videtur) aliud non intelligat, quam denominationem extrinsecam, nobis oppositus non est.

27. Dico. Malitia formalis peccati commissionis stat in ipso actu libero legi opposito, & non in privatione consequente, vel resultante: ita Oviedo loco n. præced. citato. puncto 7. & reipsa Vasquez, ut ostendit idem Oviedo puncto. 6. Haunoldus, loc. n. præc. citato §. 3. qui insuper citat Cajetanum, Medinam, Angles, Zumel, Perez, Cafalium, Arragonium, Curiel, Conink, Lessium, Comptonum, & alios. Cum autem in mea sententia actus liber, ut talis, sit concretum, ex ipso actu secundo vitali voluntatis in recto, & ex actu primo libero, sive omnibus principiis ad libertatem requisitis, constitutum, addendum est, quod malitia peccati commissionis, in recto, seu denominativè accepta, dicat ipsum actum vitalem, qui denominatur malus: si autem malitia sumatur quidditivè, seu secundum rectum, & obliquos, tunc dicat non tantum actum vitalem, sed etiam reliqua omnia requisita ad totum concretum.

Ubi insuper noto, non omne, quod constituit aliquod concretum, vel aliquam denominationem, posse etiam recipere eandem illam denominationem; nam multa constituunt libertatem, quæ non sunt libera, e. g. cognitio, habitus, &c. & pariter etiam constituunt aliqua malitiam adæquatè sumptam, quæ non sunt mala, e. g. lex prohibens constituit actum malum, seu prohibitum; cum tamen ipsa, nec sit mala, nec prohibita: quibus in casibus dicuntur ista denominare per contrarietatem, de qua ago tr. de virt. Theol. disp. 1. q. 1. a. 2. n. 14. Ex quo etiam inferitur, non omnia, quæ constituunt actum peccaminosum, quidditivè, vel adæquatè sumptum, displicere DEO, vel ab eo puniri, sed ea tantum, quæ constituunt actum malum denominativè sumptum.

Hæc præmittenda duxi, ut intelligatur, quo

sensu deinceps locuturi sumus, quando loquimur de actu libero malo: nempe, quando dicemus, malitiam consistere in hoc actu, intelligendi sumus ordinariè de actu, & malitia, denominativè sumptis.

28. Probatur jam conclusio 1. auctoritate, S. Augustinus l. de duabus animabus contra Manicheos c. 11. definiens peccatum bis sic scribit: Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Rufinus l. de perfectione justitie contra Cælestium c. 2. ratiocinatione. 4. concedit Cælestio, peccatum dici, & esse actum, qui vitari potuit. item l. 22. contra Eustum c. 27. ait peccatum esse, dictum, vel factum &c. Quæ omnia significant, rationem peccati in eo stare, quod sit actus positivus contrarius justitiæ. S. Damascen. l. 4. de fide c. 21. ait: Vitium enim non substantia aliqua, neque substantiæ proprietas, sed accidens, per vitium autem non intelligitur à Patribus habitus, sed sapius actus, ut debent fateri adversarii; nam plures textus, quos contra nos adducunt, includunt hunc terminum, quem ipsi explicant de vitio actuali.

De mente S. Thomæ ait Oviedo in 1. 2. tr. 4. contr. 6. punct. 8. num. 83. fe nihil velle definire. Vasquez in 1. 2. disp. 95. c. 13. ait, fuisse ambiguum: & faretur etiam Granado in 1. 2. contr. 6. tract. 1. disp. 1. sec. 1. n. 6. esse controversam. Certè non videtur minus nobis favore, quam adversariis; nam 1. 2. q. 19. a. 1. in corp. & alibi sæpius ait: Bonum, & malum, sunt per se differentie actus voluntatis: atqui differentia debet identificari generi: ergo bonitas, vel malitia debet identificari actui voluntatis. Rufinus l. 3. contra gentiles c. 9. ait: Nec malum, secundum quod est differentia specifica in genere moralium, importat aliquid, quod sit secundum essentiam suam malum: sed aliquid, quod secundum se est bonum, malum autem homini. Et 1. p. q. 48. a. 1. ad 1. ait: Malum, quod est differentia in moralibus, est quoddam bonum, adjunctum privationis: atqui pura negatio non est bona in se. vide Haunoldum l. 2. tract. 2. n. 429. Addit autem Oviedo loco cit. punct. 7. num. 77. pro hac sententia stare omnes Patres, & Scholasticos, qui dicunt, malitiam dicere oppositionem ad dictamen rationis, vel, quod idem videtur esse, ad legem æternam.

29. Probatur conclusio. 2. ratione. Malitia moralis nihil est aliud, quam contrarietas, vel difformitas, aut oppositio actus cum regula morum, seu lege Divina: sed hæc stat in ipso actu, & non in privatione consequente: ergo maj. videtur innegabilis, & probatur à part. Falsitas, vel malitia intellectualis iudicii, nihil est aliud, quam contrarietas, vel difformitas actus cum objecto: rursus malitia picturæ stat in difformitate cum regulis artis pictoriæ: item malitia definitionis, vel syllogismi, stat in oppositione cum regulis Logicæ: ergo etiam malitia moralis stat in difformitate cum regulis morum.

Prob. etiam min. Posito actu e. g. odii DEI vel esus carni die jejunii, & posita simul lege prohibente, absque intellecta ulla privatione subsequente, intelligitur jam oppositio, vel difformitas cum lege, sicut scilicet vitiositas syllogismi

gismi, vel absurditas picturæ, intelligitur præcisè positum ipsis, & legibus artium contrariis: ergo. Certè si, sive per possibile, sive per impossibile, viderentur simul amor DEI, & odium (quo casu utique non daretur privatio, & in qua adversarii volunt consistere malitiam) tamen odium DEI esset vitiosum, & malum: sicut quando in Christo Domino simul fuit summum gaudium, & summa tristitia, etsi tristitia non traxerit post se privationem gaudii, tamen fuit molesta, & dolorosa.

30. Prob. conclusio 3. Non potest malitia universaliter stare in privatione, quæ respicit voluntatem, neque in privatione, quæ respicit ipsum actum (de quo vide dicta n. 24.) atqui in una harum deberet malitia stare: ergo min. est clara. prob. 1. pars majoris. quando committitur peccatum contra præceptum purè negativum, quod sapientissimè sit, tunc non datur privatio respectu voluntatis: sed malitia peccati commissionis tunc datur, quando agitur contra præceptum purè negativum: ergo min. claret expendenti terminos.

Prob. ma. Quando præceptum est purè negativum, e. g. non furandi, non odio habendi DEUM, &c. ad id implendum non requiritur actus positivus, sed sufficit omni modo actus, & impletur hoc præceptum etiam à dormiente: ergo voluntas tunc non exigit actum positivum: atqui privatio non datur, nisi quando aliquid spoliatur aliquo, quod exigit, sive cujus est capax, non quomodocunque, sed cum aliquo jure, vel debito naturali, aut morali; neque enim dicitur quilibet gregarius pati privationem divitiarum imperatoris, neque animal irrationale privationem gloriæ cælestis: ergo in eo casu non patitur voluntas privationem ullius actus; quia tunc ei non debetur actus ullus, sed tantum negatio actus mali, seu furti &c. quod vel maximè verum est, quando ponitur possibile pura omissione libera, quam in tract. de act. hum. n. 110. adfluximus. Quod si etiam ista possibilis non esset, tamen sufficeret voluntati pro eo casu ad impediendum peccatum omissione necessaria, quæcunque tandem ex causa hæc daretur.

Si tamen ulterius contendas, & dicas, ex eo, quod voluntas libera omittere purè non possit, rectè inferri, quod in casu præcepti negativè obligantis, voluntas patiatur privationem alicujus actus, incompossibilis cum actu peccaminoso, debebis inprimis probare impossibilitatem puræ omissionis liberæ: 2. debebis ostendere, quam privationem patiatur voluntas in casu omissionis necessaria, 3. debebis admittere, quod, cum actus peccaminosus impediri possit per infinitos actus, seu bonos, seu indifferentes, debebis, inquam eo casu admittere, quod malitia peccati stet in privatione omnium istorum actuum; quia, si voluntas non privaretur omnibus, non peccaret; hoc autem est incredibile, & qui veller hoc asserere, deberet id planè rationibus efficacibus probare.

31. Prob. jam 2. pars majoris superius posita, scilicet, quod privatio illa non possit afficere ipsum actum. Sapientissimè actus est intrinsecè, sive ex essentia sua malus, e. g. odium DEI, mendacium &c. ergo non est capax bonitatis: ergo non potest habere privationem bonitatis, seu honestatis, ut est clarum. Nec dicas cum Goneto, & Tannero locis citatis num. 24. actum talem in genere acceptum esse indifferentem, & consequenter secundum gradum genericum esse capacem bonitatis, adeoque etiam privationis; hoc enim reipsa est dicere, actum, non quidem realiter, sed tantum præcisè sumptum, esse capacem bonitatis, seu honestatis: sive, alium actum, qui cum hoc quoad genus conveniat, non autem hunc ipsum actum intrinsecè malum, posse esse honestum; unde hic etiam non potest esse privatus rectitudine in sensu physico, sed ad summum in aliquo sensu præcisivo, & metaphysico: consequenter neque datur privatio physica, sed tantum aliqua metaphysica, sive per conceptum: quæ ratione etiam leo potest dici privatus ratiocinatione; quia leo genericè acceptus, sive ut animal, potest conjungi cum rationalitate, & ratiocinatione: quis autem dicat, malitiam formalem peccati stare in privatione tantum metaphysica?

32. Nec dicas iterum cum Goneto tom. 3. tract. 5. disp. 3. n. 11. actum genericè acceptum habere saltem debitum morale ex lege, ut habeat bonitatem, quale debitum non habet e. g. leo, ut habeat rationalitatem; nam contra est: leges non scribuntur actibus, sed voluntatibus: multò minus scribuntur actibus tantum genericè sumptis, qui à parte rei dari non possunt. Deim leges non præcipiunt aliquid impossibile: est autem omnino impossibile, ut actus intrinsecè malus habeat bonitatem moralem, unde nec talis actus habet debitum morale ad habendam honestatem, consequenter nec privationem inde ortam, nisi ad summum aliquid metaphysicam per conceptum, in qua stare non potest malitia formalis peccati. Confirm. Malitia e. g. odii DEI est major, quam tantum privatio actus alterius indifferentis, vel etiam boni, excludentis illud odium: ergo malitia odii non potest stare in ea tantum privatione: aut est clarum, utique enim pejus est, DEUM positivè odisse, quam tantum non amare, vel non exercere alium actum.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

33. **O**B. 1. SS. Patres sæpius dicunt, malitiam esse nihil, malum non existere, privare bono &c. ergo juxta SS. Patres malitia consistit in privatione. Ad hanc objectionem variè respondetur: & sanè ita fieri debet; cum etiam textus SS. Patrum variè sint, & varia intendunt. Longum nimis foret, eos omnes asserre: videri possunt apud Vasquez in 1. 2. disp. 95. c. 4. & 11. Aliqui, imò multi textus SS. Patrum tantum volunt, malitiam esse nihil substantiale; agunt enim contra Manicheos, qui volebant, aliquas substantias esse absolute malas; hinc SS. Patres dixerunt, malum esse nihil, sive non habere essentiam, seu substantiam. Sicut autem SS. Patres per naturam intelligebant substantiam, ita per existere simpliciter sumptam intelligebant existere substantialiter, quo in sententia, ut advertit Haunoldus l. 2. tract. de proprietatibus

tates non dicuntur existere, sed inesse. Sic etiam SS. Patres per rem quandoque non intelligunt quidlibet distinctum à pura negatione, sed ens substantiale: ita Augustinus l. de perfectione iustitie contra Cælestium c. 2. ratiocinatione. 4. distinguit inter actum, & rem, additque, peccatum quidem actum dici, & esse, non rem.

34. Econtra aliquando SS. Patres, dum dicunt, aliquid esse nihil, intelligunt in sensu morali: & sic peccatum erit nihil moraliter; quia nihil conducit ad ultimum finem. Sic S. Paulus 1. Cor. 8. v. 4. ait: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo*: & in hoc sensu S. Augustinus tr. 1. in Joannem longè post medium in illa verba Joan. 1. v. 3. *Sine ipso factum est nihil*. ait: *Peccatum quidem non per ipsum factum est: & manifestum est; quia peccatum nihil est: & nihil sunt homines, cum peccant. Et idolum non per Verbum factum est. . . & scriptum est: scimus, quia nihil est idolum*. Certè non in sensu physico, nihil est idolum, aut nihil sunt homines peccantes, sed tantum in sensu aliquo morali. Et hac ratione putant explicari posse SS. Patres Haunoldus, Comptonus, & alii.

Secundò, adhuc aliter responderi potest cum Vasquez in 1. 2. disp. 95. c. 11. n. 55. scilicet, SS. Patres peccatum explicasse, non formaliter in se ipso, sed radicaliter in suo effectu, vel quasi effectu, quem post se trahit, quique est privatio: Roboratur hæc responsio ex eo, quòd SS. Patres, explicantes peccatum per privationem, per hanc intelligant sapius privationem gratiæ, & iustitiæ habitualis, quæ est ponus effectus: & in hoc sensu etiam plerique dicunt, peccatum esse recessum, vel defectiorem à DEO, vide Vasquez loc. cit. n. 57.

35. Tandem expeditius potest responderi cum Haunoldo l. 2. tr. 2. n. 433. SS. PP. non attendisse ad subtilitates has scholasticas, nec voluisse intelligi de privatione physica formali, sed de logica, aut radicali, quam explicavimus n. 23. unde peccati malitia iuxta eos stabit in privatione rectitudinis, seu honestatis logica, qualis etiam est ipse actus positivus, qui ratione sui infert, vel post se trahit, negationem rectitudinis, vel honestatis actualis: & sic intelligi possunt textus, quibus dicitur, malum privare bono. In forma dist. ant. SS. Patres dicunt, malitiam nihil esse substantiale. conc. ant. dicunt, nihil esse accidentale. subdist. moraliter. conc. physice. neg. ant. & conseq.

Vel respondeo. 2. om. ant. dist. conseq. malitia peccati consistit in privatione logica. conc. conf. in privatione physica neg. conf. videatur Oviedo in 1. 2. tract. 4. contr. 5. punct. 3. num. 80. & 81. Nec refert, quòd SS. Patres aliquando dicant, malum, vel peccatum nihil esse, quàm privationem; nam vel tantum volunt indicare inevitabilem connectionem inter peccatum, & consequentem privationem, vel negationem honestatis: vel loquuntur moraliter: sicut sæpe solemus dicere: *Hic homo nihil est, quàm collyvolens vitiorum: hæc res nihil est aliud, quàm tua perniciis, &c.*

36. Ob. 2. Potest ostendi, quòd etiam malitia peccati, contra præceptum purè negativum, stet in privatione, seu negatione alicujus positivi, concernentis voluntatem: ergo probatio

nostra tertia, num. 30. allata, est nulla. prob. ant. potest dici, quòd illa malitia e. g. odii DEI, stet in privatione negationis odii ut præcepta: sed hæc negatio ut præcepta, est aliquid positivum; quia pro parte involvit ipsam præceptum: ergo. Resp. neg. antec. ad probat. dist. maj. potest dici, quòd malitia stet in privatione negationis ut præcepta, denominativè sumptæ. conc. maj. negationis ut præcepta, quid. dirativè sumptæ. neg. maj. & dist. sic min. neg. conseq. Malitia non potest stare in privatione negationis ut, præcepta, adquatè sumptæ; aliàs deberet dari privatio, seu negatio ipsius præcepti, quo casu, nec actus amplius foret prohibitus, nec negatio præcepta: qua ratione tolleretur peccatum, & ejus malitia.

Unde malitia tantum stare potest in privatione, seu exclusione negationis, denominativè acceptæ, sive negationis, quæ præcepta est, non quæ præcepta. Sic autem est pura negatio, nec quidquam positivum involvit. Adde, quòd præceptum etiam naturale (nam hoc est voluntas DEI obligans, & non dictamen conscientiæ; istud enim tantum est illius applicatio, vel aliquomodo promulgatio) quòd præceptum, inquam, naturale, sit purè extrinsecum voluntati: adeòque etiam ejus privatio, vel negatio, non afficiat voluntatem; quia non privat eam bono debito.

37. Ob. 3. Posset dici cum Cardinali de Lugo apud Haunoldum l. 2. tract. 2. num. 417. malitiam actus peccaminosi stare in carentia perfectionis, vel honestatis, non quidem possibili actui peccaminosè elicitò, e. g. odio DEI (nam huic non est possibilis honestas) sed possibilis alteri actui, e. g. actui charitatis: seu, potest dici, malitiam actus peccaminosi stare in negatione identitatis cum actibus bonis, vel saltem non malis, quam negationem habet actus malus: ergo potest explicari, quomodo malitia dicta stet in negatione, vel privatione. prob. ant. quodlibet ens est imperfectum; quia caret perfectione majori, non quidem sibi possibili, sed alteri: e. g. homo est imperfectus; quia caret perfectione Angelici, ergo.

Resp. hæc sententia ipsa est Gonetii, de qua n. 24. nec adstruit privationem physicam in actu, sed tantum metaphysicam; unde neg. ant. ad prob. conc. antec. neg. conseq. Aliud est imperfectum tantum physicè, aliud imperfectum moraliter, & culpabiliter. Imperfectio physica potest stare in aliquo prædicato necessario: at imperfectio moralis, & culpabilis, debet stare in aliquo, quod voluntas liberè potuit ponere, vel omittere; non enim datur culpa sine libertate. Jam verò illam identitatem actus mali cum perfectionibus actus boni, non potuit voluntas ponere; quia est impossibilis: sed nec potuit voluntas impedire illam negationem identitatis; quia est necessaria; hinc neutra potest reddere voluntatem culpabilem: sed hæc tantum redditur culpabilis ex eo, quòd actum hunc malum liberè posuerit, vel privationem actus, aut honestatis oppositæ, liberè non impediverit: non autem ex eo, quòd, posito jam actu positivo, non posuerit eam identitatem, vel non impediverit eam negationem: unde malitia stat, vel in eo actu, vel in illa privatione oppositæ honestatis: non

non autem stat in secundo (si fermo sit de peccato commissionis) ut probatum: ergo stat in primo.

38. Ob. 4. Debet dici cum Antonio Perez, quòd omnem actum liberum præcedat pura ommissio libera, quæ impossibilis fit cum omni alio actu positivo, impediende actum illum liberum. e. g. hunc actum: *volo mentiri*: præcedit ommissio libera pura omnis actus alterius positivi, v. g. actus charitatis, aded intensi, ut impossibilis fit etiam cum veniali mendacio: vel ommissio libera alterius actus, quo dicerem: *nolo mentiri*. &c. & in hac pura ommissione libera debet dici, quòd stet malitia peccati: ergo stabit malitia in negativo, seu privativo. prob. ant. si hoc non dicitur, debet dici, quòd DEUS sit auctor malitiæ peccati, eamque amet; quia DEUS est auctor omnis entitatis positivæ, eamque amat. Et sanè iste Theologus, qui vocatur *Doctor mirabilis*, dicit, DEUM amare ipsam entitatem actus odii Divini; cum in se bona sit, & malitiam omnem, in prævia ommissione libera resistentem, supponat.

39. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. de quo plura art. seq. Nec vera est, quam Perez tradit, definitio entis in genere, scilicet: *Ens est, quod est prudenter amabile*: certè S. Thomas 1. p. q. 5. a. 6. ad 2. ait: *Dicuntur tamen illa proprie delectabilia, quæ nullam habent aliam rationem appetibilibis, nisi delectationem, cum aliquando sint, & noxia, & inhonestas*. En bonum, adeoque ens, non prudenter amabile. Ulterius contra hanc Perezii opinionem est, quòd eodem modo experiar me habere circa libertatem, quando liberè dico: *volo orare*: quàm, quando dico: *volo mentiri*: & tamen libertas formalis actus boni stat in ipso actu bono, ut fatetur adversarius: ergo etiam libertas actus mali stat in ipso actu malo. Quamvis autem absolutè possibilis fit pura ommissio libera, omnino tamen gratis, & contra communem auctoritatem dicitur, eam dari ante omnem actum liberum malum.

40. Obj. 5. Actus idèd est malus; quia causat privationem actus debiti: ergo privatio est magis mala. Resp. neg. ant. nam sæpe non causat talem privationem, e. g. odium DEI non causat privationem actus debiti; cum sæpe nullus sit debitus, maxime, si possibilis sit pura ommissio libera, ut dictum n. 30. Quodsi etiam semper aliquis in iis circumstantiis debitus esset, ut transmisiimus eodem num. 30. tamen non propter privationem, sed propter seipsum, malus esset actus odii DEI, malitiæ distinctæ à malitia privationis: imò si, sive per possibile, sive per impossibile, conjungerentur in eodem subiecto, actus e. g. odii DEI, & alius actus, ex sua natura cum illo odio impossibilis, & consequenter non daretur privatio illa, tamen odium DEI esset malum, & homo propter illud reprehensibilis, ut dictum n. 29. Accedit, quòd privatio actus tantum indifferentis, impossibilis cum odio DEI, non fit tam mala, quàm malum est ipsum odium: consequenter non possit odium tantum idèd esse malum; quia causat eam privationem.

41. Obj. 6. Ens ut ens est bonum: ergo malitia non potest esse ens, seu actus positivus,

prob. conf. aliàs ens quòd bonum esset malum: hoc implicat: ergo. Confirm. Bonum quatenus bonum, est amabile: ergo quatenus bonum non est malum: sed ens quatenus ens, est quatenus bonum: ergo ens quatenus ens, non potest esse malum, & adhuc minus potest esse formalis malitia. Resp. dist. antec. Ens ut ens debet esse bonum physicum. conc. ant. bonum morale, neg. ant. & conf. Actus positivus malus est tamen bonum physicum, sive est ens, habens unam ex tribus bonitatibus, honestatis, utilitatis, delectabilitatis, scilicet ultimam.

Ad prob. dist. ma. ens quòd bonum physicum esset malum physicè, hoc est, esset distinctum ab omni bonitate etiam delectabili. neg. ma. quòd bonum physicum esset malum moraliter, hoc est, inhonestum, & prudenter non amabile. conc. ma. & dist. sic min. neg. conf. Ubi nota, per *malum physicum*, seu, ut alii loquuntur, *absolutum*, aut, ut Gonet loquitur, *simpliciter dictum*, hic intelligi illud, quod est distinctum ab omni triplici bonitate, adeoque est pura negatio: quamquam alias non raro per *malum physicum* intelligatur id, quod moraliter est bonum, sed tamen affligit, vel dolorem causat: & sic pœnæ inferni dicuntur sapius malum physicum, quamvis sint honestæ, & à DEO intentæ.

Ad confirmationem dist. ant. bonum morale, quatenus moraliter bonum, est amabile, conc. ant. bonum physicum, quatenus physicè bonum, subdist. est amabile, semper prudenter, neg. ant. est amabile, vel prudenter, vel imprudenter. conc. antec. & neg. conseq. quia etiam, quod non est bonum moraliter, tamen est imprudenter amabile. Distinguo etiam subsumptum. ens quatenus ens, est quatenus bonum physicum. om. est quatenus bonum morale. neg. subsumptum, & consequentiam. Adde, quòd, sicut bona physica, e. g. voluptas illicita, non sunt prudenter amabilia, ita mala physica, sive sint puræ negationes, sive entia positiva, sint sæpe prudenter amabilia, & in hoc sensu moralia bona negativa. Sic moraliter honestè amabilis est pœna, ob delictum justè inflicta, quæ est positivum malum physicum: item carentia peccati, quæ est physica negatio, & malum aliquo modo physicum.

42. Ob. 7. Ens morale etiam est bonum morale: sed juxta nos malitia peccati, si stat in actu positivo, est ens morale: ergo etiam est bonum morale: hoc est in terminis falsum: ergo. prob. maj. ex S. Thoma 1. 2. q. 18. a. 1. in corp. dicente, *Omnis actio, in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate*. Similia habet. 1. p. q. 5. a. 3. ad 2. ergo. Confirm. Omne ens physicum est bonum physicum: ergo omne ens morale etiam est bonum morale.

Resp. neg. maj. ad prob. neg. conf. S. Thomas loquitur de ente physico, & bonitate physica, quam habet etiam ens morale, si simul sit ens physicum; nam aliquando, saltem ab aliquibus, dicuntur etiam ea, quæ non sunt, existere moraliter, & in hoc sensu esse entia moralia. Ad confirm. neg. conf. bonitas enim physica est proprietatis omnis entis physici, & prædicatur transcendente: non item bonitas moralis, seu, honestas, & laudabilitas; quia hæc est diffe-

rentia entis moralis; nam aliqua sunt moraliter bona, alia moraliter mala.

43. Dices. Omne ens morale est bonum: non bonitate physica; hæc enim est propria enti physico: ergo bonitate morali. Confirm. 1. Omne ens morale est integrum integritate morali: sed in hac integritate stat bonitas moralis: ergo. Confirm. 2. Vel actus habet totum id, quod habere debet, vel non habet: si primum, est bonus: si secundum, est malus ob privationem: ergo, vel non datur malitia, vel ea stat in privatione.

Resp. dist. maj. omne ens morale est bonum, si sit simul ens physicum. conc. ma. si non sit simul ens physicum, neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Si enim ens morale simul est ens physicum, potest etiam habere proprietatem entis physici, scilicet bonitatem physicam: si autem non sit ens physicum, e. g. si sit pura omisso libera peccaminosa, non habet bonitatem physicam, nec etiam moralem, prout ista hic sumitur, nempe pro honestate, aut laudabilitate. Si autem tantum intelligeretur per bonitatem moralem delectabilitas objectiva imprudens, talis bonitas non repugnaret peccato. Sed de hac non est nunc questio.

Ad 1. confirm. dist. maj. omne ens morale est integrum integritate morali, hoc est, habet omnia, quæ ad suam essentiam sunt requisita, conc. ma. hoc est, habet omnia, quæ ad honestatem, laudabilitatem, aut conformitatem cum lege sunt requisita. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. Ad 2. confirm. conc. maj. neg. primam partem minoris; nam, quamvis actus habeat omnia, quæ ad ejus essentiam requiruntur, si essentia ejus sit mala, ipse non est bonus, sed malus; neque enim actus tantum malus est; quia privat bono, sed etiam; quia subiecto se ipsum adjungit, tanquam aliquod malum.

44. Ob. 8. Si malitia peccati potest stare in entitate positiva, tunc malitia erit perfectio: hoc repugnat in terminis: ergo. Confirm. Malitia juxta nos erit participatio essentia Divina: imò DEUS erit eminenter malitia; quia est eminenter omne ens creatum: hæc sunt profus absurda: ergo. Resp. 1. retorq. argumentum in ipso actu intrinsecè malo, qui juxta adversarios saltem est fundamentum, & exigentia malitiæ formalis: an DEUS est eminenter odium DEI? an odium illud est perfectio? an est participatio essentia Divina? Rursus retorq. in cognitione erronea, qua intellectus gravissimè decipitur, seu in errore positivo: an enim DEUS eminenter est error? Resp. 2. dist. ma. malitia est perfectio moralis. neg. maj. est perfectio physica; & quidem non simplex, vel pura, sed mixta maxima imperfectione. conc. maj. & dist. sic min. neg. conseq.

45. Ad confirmationem adverto, quòd, quando dicitur creatura esse participatio DEI, non significetur, quòd creatura sit pars physica, quasi avulsa à Deitate; sed tantum, quòd DEO aliquo modo assimilatur in eo, quòd, sicut ipse existit, ita creatura etiam existat realiter, non quidem à se, ut DEUS, sed à DEO, & dependenter ab ejus concursu: & hoc totum est verum, etiam de actu peccaminoso: quare, si termini ritè intelligantur, non est absurdum, in hoc sensu admittere primam partem majo-

ris. Quia tamen alii horrent, has phrasas simpliciter admittere, potest distingui prima pars. ma. malitia erit participatio essentia Divina, quatenus est ens physicum, & actus vitalis, tendens in objectum &c. conc. ma. quatenus est imperfectio, & malitia. neg. ma. quia sub hac præcisè ratione, & formalitate non dicitur ens; nam etiam pura omisso est imperfectio, & malitia.

Ad alteram partem majoris, noto, quòd, esse eminenter aliud significet, habere omnem bonitatem istius, demptis imperfectionibus. sic DEUS est eminenter homo; quia continet omnes perfectiones hominis puras, e. g. potentiam intelligendi, volendi, &c. exclusis imperfectionibus animalitatis, mortalitatis &c. si jam prædicatum aliquod non continet ullam bonitatem (quale est malitia) non potest eminenter contineri, saltem in sensu formali acceptum; quia non potest bonitas ejus contineri, cum nulla adsit: & hinc non potest dici, quòd DEUS eminenter sit malitia formaliter talis.

Si autem quæras, an DEUS saltem sit eminenter actus malus. Respondeo, hoc posse admitti in sano sensu, intelligendo, DEUM habere omnem bonitatem, quam habet is actus, e. g. existentiam, vitalitatem, tendentiam in objectum, vel ejus representationem, demptis imperfectionibus malitiæ, seu difformitatis cum lege. Simpliciter tamen, & absque restrictione, propositiones similes non debent admitti; quia aliqui per eminenter continere videntur intelligere, continere aliquid in eo genere, vel specie majus, e. g. in objecta propositione, DEUM habere majorem malitiam, quam habeat actus, quod est blasphemum. In forma igitur nego absolute hanc 2. partem majoris, in confirmatione objectam, seu istam propositionem, prout jacet; quia, similitudo formaliter sumatur, est omnino falsa propositio. Si autem velis, poteris ita distinguere 2. p. maj. DEUS erit eminenter malitia formaliter sumpta, neg. realiter sumpta. subdist. erit quoad prædicata, vitalitatis, existentia, & similia. conc. ma. quoad prædicatum malitiæ formaliter sumptum. neg. ma. & distincta sic minore. neg. conseq. Addenda etiam statim retorq. in errore positivo intellectus, vel actus voluntatis intrinsecè malo.

46. Obj. 9. Juxta nos contineretur malitia in DEO, tanquam in idea omnium entium: hoc est absurdum: ergo. Confirm. 1. Juxta nos DEUS esset exemplar omnis malitiæ: hoc utique est falsum: ergo. Confirm. 2. DEUS esset auctor malitiæ: hoc est hæreticum: ergo. Confirm. 3. DEUS sibi necessariò complaceret in malitia, vel saltem ejus possibilitate: hoc iterum est turpe: ergo. Confirm. 4. Malitia esset forma simpliciter bona: ergo non esset subiecto simpliciter mala: hoc autem est falsum: ergo. Confirm. 5. Malitia esset aptum medium ad manifestandas perfectiones Divinas, & ad complendum ordinem universi, ac pulchritudinem ejus, adeoque esset per se intendibilis: hoc admitti non potest: ergo.

Resp. dist. primam partem majoris. Malitia contineretur in DEO formaliter, vel eminenter. neg. ma. objective, conc. ma. & dist. sic min. neg. conf. Contineri objective aliud non dicitur, quam, quòd à DEO cognoscatur malitia in Divi-

na essentia, & quidem etiam ut factibilis, non quidem ex determinatione DEI, sed ex determinatione creaturæ; cum qua DEUS, tanquam causa per accidens, concurrat; qua de re plura inferius, ubi de auctore peccati.

Ad 1. confirm. neg. maj. sicut, esse exemplar virtutis, significat, in se habere formaliter virtutem, cui alii se assimilant, ita etiam, esse exemplar malitiæ, significat, habere formaliter in se malitiam: quod longissimè abest ab optimo DEO. Ad 2. confirm. neg. interim maj. de qua fusè infra. Ad 3. confirm. neg. maj. nam, quidquid sit, an DEUS necessariò sibi complacet in quibusdam creaturis possibilibus, certè non complacet sibi in iis, quæ ei displicent, quæque ex ipsius determinatione fieri non possunt. Ad 4. confirm. neg. ant. Malitia est ad summum aliquo modo in genere physico bona, simpliciter autem est mala: intelligendo simpliciter malum non ita, ut excludat omnem bonitatem physicam, sed ut malitia multum prævaleat, sicut æthiops dicitur simpliciter niger, licet in oculis, & dentibus habeat quid album, & in labiis quid rubrum.

Ad 5. confirm. neg. maj. Non omne, sine quo alterum esse non potest, dicitur medium ad istud: sed illud tantum dicitur medium, ad quod ponendum aliquis potest moveri ab amore alterius tanquam finis. Sic non dicitur DEUS medium ad omnia; cum tamen sine ipso nihil esse possit: nec peccatum est medium ad poenitentiam; quia non potest intendi à salutariter poenitente: nec etiam est medium ad ostendendam justitiam vindicativam, vel misericordiam; quia non potest à DEO intendi.

Hoc tamen verum est, quòd sine peccato præsupposito, & sine eo, tanquam occasione aliunde data, non possint hæ perfectiones DEI ostendi. Unde DEUS non potest, antecedenter ad peccatum, velle ostendere justitiam suam vindicativam, sed prius debet prævidere peccatum, aliunde ex determinatione creaturæ liberè futurum, si creatura sit ponenda in his, vel illis circumstantiis indifferentibus; tunc enim potest permittere peccatum, & pro posteriori rationis intendere ostensionem suæ justitiæ, vel clementiæ. Sed neque peccatum servit ad pulchritudinem universi; quia potius turbat ordinem, ac decorem illius: & debet deinde à DEO per alia media reordinari; hinc minimè per se intendibilis malitia est: imò neque per accidens est prudenter intendibilis.

47. Ob. 10. Si malitia peccati commissio- nis est simpliciter mala, eo ipso stat in privatione physica: sed est simpliciter mala, ergo, major videtur esse S. Thomæ, qui q. 1. de malo. a. 1. ad 1. per simpliciter malum videtur intelligere id, quod nullam habet bonitatem: cujus exemplum adducit S. Doctor negationem, seu privationem boni temperamentum in animali, quæ est pura negatio, nullam habens bonitatem, nec physicam. Econtrà per malum secundum quid videtur intelligere Angelicus illud, quod, licet sit alicui malum, habet tamen in se aliquam bonitatem, & est etiam bonum alteri. Sic (quod est exemplum S. Thomæ) ignis, in se bonus, est malus aquæ. min. prob. peccatum ex genere suo

est maximum malum: ergo est simpliciter malum. Confirm. Quod omni naturæ est inconveniens, est simpliciter malum: sed peccatum est omni naturæ inconveniens: ergo est simpliciter malum.

Resp. dist. ma. Si malitia peccati est ita simpliciter mala, ut excludat, tam bonitatem physicam, quam moralem. conc. ma. si tantum est simpliciter mala in genere moris, sive ita, ut excludat tantum omnem bonitatem moralem. neg. ma. & dist. sic min. neg. conseq. ad prob. minoris conc. antec. intelligendo malum maximum in consideratione morali, non verò in omni consideratione, etiam physica. & neg. conf. intelligendo simpliciter malum in sensu restricto D. Thomæ supra adducto; quia in hoc sensu, maximum, & simpliciter malum, est malum excludens omnem bonitatem, tam physicam, quam moralem, seu excludens tam omnem entitatem, quam omnem honestatem: quale malum maximum esset pura omisso libera peccaminosa. Et in hoc sensu videtur etiam S. Thomam intelligere Gonetus tom. 3. tract. 5. de vitiis & peccatis. disp. 3. n. 40. ubi ait, malum absolutum (seu simpliciter dictum) esse ex mente Angelici illud, quod ita est malum, ut nihil entitatis, & bonitatis in se includat: malum verò respectivum (seu secundum quid) quod aliquid entitatis, & bonitatis in se includit, intellige bonitatis physica. Sic autem etiam malitia peccati commissio- nis, e. g. furti, habet aliquam bonitatem physicam, quæ, licet non sit honestè bona, est tamen physicè bona, e. g. homini ea bona injusta appetenti: adeoque tale peccatum, in hoc restricto sensu Angelici, non est simpliciter malum. Sic S. Thomam intelligit Gonetus tom. 3. tract. 5. disp. 3. n. 40.

Ad confirm. dist. ma. quod omni naturæ est inconveniens, in consideratione, tam morali, quam physica, est simpliciter malum in sensu modò explicato. conc. ma. quod tantum est inconveniens, in consideratione morali, subdist. est maximum seu simpliciter malum, in genere morali, sive est ita malum, ut excludat omnem bonitatem moralem. conc. ma. est maximum, seu simpliciter malum, etiam in genere physico, sive ita malum, ut excludat etiam omnem bonitatem physicam. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Esti autem malitia peccati, ratione inhonestatis, sit inconveniens omni creaturæ in genere morali, & sit simpliciter ineligibilis, in quibusvis circumstantiis, tamen ratione delectabilitatis, seu utilitatis, est in genere physico conveniens homini, voluptates quærenti.

Ob. 11. Malitia peccati non tantum sibi, sed etiam alteri est mala: ergo est mala simpliciter in omni genere. Confirm. DEUS potest esse causa omnis mali tantum respectivi: sed non potest esse causa peccati: ergo peccatum non est tantum malum respectivè, sed absolute tale: ergo in omni genere. Resp. conc. ant. neg. conf. nam tantum in genere moris, non autem in genere physico, adeoque non in omni genere est ita simpliciter mala, ut excludat omnem bonitatem.

Malitia peccati est non tantum sibi in genere moris mala, quatenus seipsam facit, per suam identitatem secum ipsa, inhonestam, sed etiam in

eodem genere moris est mala voluntati, quatenus etiam hanc facit inhonestam, tanquam radicem, à qua procedit, & tanquam subiectum, in quo recipitur ipsa malitia, tanquam forma. At non etiam malitia peccati est ita mala in genere physico; quia, nec à se, nec ab alio, excludit omnem entitatem: saltem non est in genere physico simpliciter mala, prout simpliciter malum videtur accipi à S. Thoma juxta interpretationem Gonetii, de qua paulò antè. Hic obiter noto, quòd etiam id, quòd alteri est malum, possit esse bonum in se, & quòd malum physicum in se, possit esse bonum saltem morale alterius. Sic calor, in se bonus, est malus aquæ: & carentia strumæ, vel sexti digiti, quæ in se est nihil, seu malum physicum, est bona homini.

Ad confirm. dist. maj. DEUS potest esse causa omnis mali tantum respectivi, si hoc sit malum morale. neg. ma. si non sit malum morale, sed tantum physicum, in secundo sensu, quem explicavimus n. 41. five afflictivum, & causans dolorem. conc. maj. & concessa min. dist. primum consequens. peccatum est, non tantum respectivè, sed absolute malum, ita, ut neque habeat bonitatem physicam, neg. consequ. est in alio sensu absolute malum. om. consequentiam primam: nego autem iterum secundam, quatenus dicit, quòd malitia dicta sit mala in omni genere, sic, ut non habeat ullam bonitatem, etiam tantum physicam, seu entitatem.

QUESTIO II.

De Causa Peccati.

ARTICULUS I.

An DEUS sit Causa peccati.

48. **F**uit Hæresis, teste Vincentio Lirinensi in suo Commonitorio longè à medio, jam orta à Simone Mago, docens, DEUM esse auctorem peccati: quam postea amplexi sunt Marcion, Manichæi, & Priscillianistæ, ac tandem Lutherus, atque Calvinus, de quo vide Bellarminum *tomo 2. controvers. 1. l. 4. c. 9.* Hanc refellere potius ad Polemicam, quam Speculativam Theologiam spectat: breviter tamen ex occasione hac eam refellemus, tum, ut sequens controversia de influxu DEI in actiones etiam peccaminosas, clariùs intelligatur, quæ sine solutione argumentorum pro hac hæresi specie tenus facientium, difficiliùs perciperetur: tum etiam, ut remota ab optimo DEO hac turpissima macula, manifestius pateat, causam peccati aliam non esse, quam demones, vel homines, qui, vel propria voluntate illud immediatè perpetrant, vel suasionem, consilio, aut alia inductione, mediatè illud in alio efficiunt, sèquæ etiam illius participes faciunt.

49. Dico itaque cum omnibus Catholicis. DEUS non est causa peccati. Conclusio est de fide. Prob. 1. ex Scripturis. Sap. 17. v. 25. dicitur de DEO: *Nihil visisti eorum, quæ fecisti: atqui*

odit DEUS peccatum: ergo. Item 1. Joan. 3. v. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est: sed DEUS non potest esse ex diabolo: ergo. Iterum psal. 5. v. 5. Non DEUS volens iniquitatem tu es.* Huc faciunt infinita loca Sacra Scriptura, in quibus dicitur, DEO displicere peccata, ea ipsam prohibere, & punire, homines ab iis monendo, increpando, &c. abstrahere. Plura vide apud Suarez in 1. 2. tract. 5. disp. 6. num. 2.

Accedunt definitiones Conciliorum, Africanicæ, 25. & novissimè Tridentini sessione 6. can. 6. ubi sic statuitur: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, DEUM operari, non permissione solum, sed etiam propriè, & per se, adeo, ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Accedunt unanimiter SS. Patres, ex quibus S. Basilius habet propriam hominiam: *quòd DEUS non est auctor malorum.* S. Aug. 1. 3. de lib. arbit. c. 13. docet, non posse DEO attribui peccatum, eoquòd vitium non sit à DEO, sed à nobis, qui in illo non manemus: & paulò inferius ait: *Quid ergo inveniri potest in nostris peccatis, unde ille vituperetur, quando vituperatio peccatorum nostrorum nulla est, nisi ille laudetur?* Rursus ep. 105. multum post medium. *Sicut enim voluntati ejus DEI tribuitur humana natura, nullo dubitante laudanda, sic hominis voluntati culpa tribuitur, nullo recusante damnanda.* Plura vide apud Suarez, loc. cit. Quin etiam ipsi Philosophi ethnici, hanc veritatem agnoverunt, ex quibus Plato lib. 2. de republica refellit eos, qui volunt, DEUM malum, vel vitiosum, aut causam malorum esse, ac tandem non valde longè à fine ait: *Malorum autem alicui causam esse ipsum DEUM, cum bonus sit, refellendum est omnino: neque permitrendum, hoc quæquam dicere in sua civitate, si bonis institui legibus civitas debet: pergit dein multis refellere mendacia, & indecora figmenta Poëtarum.*

Prob. conclus. 2. ratione. Peccatum committere, evidenter repugnat summæ sanctitati, sapientia, bonitati, perfectioni, primæque regulæ omnis honestatis: sed hæ perfectiones identificantur DEO: ergo eidem repugnat, peccatum committere. subsumo: atqui, si DEUS liberè causaret peccatum, tunc peccatum committeret: (quid enim est peccatum committere, nisi liberè illud causare?) ergo DEO repugnat causare peccatum. Si fortè quis vellet tritari, & dicere, DEUM etiam causans peccatum non peccaturum; eoquòd non ageret contra aliquam legem superioris, cum talem non habeat, saltem admitti debet, DEUM inhonestè, & contra rectissimam regulam rationis Divinæ, acturum, quòd non minus sanctitati, sapientia, & perfectioni infinitæ, ac regulæ omnis honestatis, repugnat. Et hinc, licet DEUS non ageret contra legem superioris, tamen ageret contra legem, quam ipsius perfectissima essentia ei indispensabilem posuit. Vide etiam dicenda inferius ad objectionem ultimam.

Confirm. 1. DEUS, nec suadet peccatum, nec movet ad peccandum: sed potius ab illo dehortatur, quamvis, ne libertatem hominis liggeret, illud permittat: ergo non est causa peccati. Confirm. 2. Si DEUS esset causa peccati, non posset illud jure punire in homine, nec hominè

expro-

exprobrare, imò peccatum non posset DEO esse contrarium: hoc autem est certò falsum: ergo. Confirm. 3. In ea hypothese creatura non peccaret; quia se conformaret regulæ primæ omnis rectitudinis, & honestatis: dein DEO, causanti peccatum, & absolute illud volenti, creatura non posset resistere: ergo non peccaret, quod est ex terminis falsum.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

50. **O**B. 1. ab hæreticis. Scriptura DEO attribuit omnia opera nostra, five bona, five mala, tanquam auctori: ergo ipse est auctor, & causa, etiam malorum, seu peccatorum. prob. ant. psal. 118. v. 36. dicitur *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam:* ergo DEUS aliquos inclinat in avaritiam. psal. 43. v. 19. *Declinasti semitas nostras à via tua:* ergo à via recta in malam. ad Ephes. 1. v. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue:* ergo etiam mala. Confir. Prov. 16. v. 4. dicitur: *Unversa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum:* ergo DEUS fecit etiam propter se impios quæ tales. Resp. 1. Scripturas manifestissimè à DEO removere omne peccatum. Deuter. 32. v. 4. *DEUS fidelis, & absque ullâ iniquitate.* psal. 144. v. 13. *Sancus in omnibus operibus suis.* 1. Joan. 3. v. 5. *Peccatum in eo non est, ad Rom. 9. v. 14. Nunquid iniquitas apud DEUM? Absit, &c.* plura passim occurrunt.

51. Resp. 2. in forma. neg. ant. ad prob. neg. conf. Textus illi omnes accipiendi sunt de permissione tantum, ut docent S. Augustinus de gratia & lib. arb. c. 23. S. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa c. 20. ubi sic ait: *Scire illud attinet, in Scriptura more positum esse, ut DEI permissionem actionem ipsius appellet.* Idem sentiunt reliqui SS. PP. ac Theologi unanimiter. Scilicet DEUS negando auxilia specialia, quæ prævidit fore congrua, ex justis causis permittit lapsum, e. g. in avaritiam, vel recessum à via virtutis. Ad textum ex ep. ad Ephes. dic, eum intelligendum esse de iis, in quæ DEUS non quomodocunque influit, sed quæ ex sua determinatione operatur, qualia non sunt peccata. Ad confirm. Resp. Chaldæum textum, teste Sa, dicere *servat impium.* Unde non significatur, quòd DEUS ex intentione sua, faciat impium, aut voluntate antecedente eum velit, sed tantum significatur, quòd DEUS eum, qui sponte, & liberè, impius est, servet ad diem malum, seu poenam: vel faciat eum venire ad diem malum voluntate consequente ad scientiam de ejus peccato. ita Suarez, Sa, & Menochius.

52. Ob. 2. Scriptura attribuit DEO aliqua peccata hominum: ergo, prob. ant. psal. 104. v. 25. attribuitur DEO odium Ægyptiorum in Judæos. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus.* Iterum, Gen. 45. v. 8. venditio Josephi. *Non vestro consilio sed DEI voluntate hic missus sum.* Rursus Act. 2. v. 23. Crucifixio Christi. *Definito consilio, & præscientiâ DEI traditum &c.* ergo. Resp. iterum cum SS. Augustino, & Damasceno, quòd, quando DEUS aliquid tan-

tum permittit, tunc hanc permissionem sæpe Scriptura, juxta suum loquendi modum, vocet actionem, imò etiam præceptum DEI. Sic quando DEUS Job. 1. v. 12. Sathana tantum permittit, Jobum affligere, & id Sathan ex ea permissione fecit, tamen dein c. 2. v. 3. ea afflictio vocatur actio DEI; nam sic dicit DEUS: *Tuum tem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra.* Sic Matthæi 23. v. 32. Christus Judæis imperativo modo, seu quasi præcipiendo, loquitur: *Implete mensuram patrum vestrorum: & Joan. 13. v. 27. Judæ: Quod facis, fac citius: & tamen ea tantum permittit.*

53. Bellarm. tom. 4. controvers. 2. l. 2. c. 13; hanc rem explicat, valde apposita similitudine venatoris, qui, dum tantum solvit canem, jam dicitur, eum immisisse in leporem, quamvis tantum permittat jam sponte incitatum ad invasionem procurrere. Sic scilicet dicitur DEUS, immittere diabolos, vel malos homines, jam sponte, & liberè in malum ruentes, si impedimenta malæ voluntatis auferat, & peccatum permittit. Disparitas tamen est in intentione; quia venator ex intentione leporis capiendi, DEUS autem non ex intentione peccati ad hominem patranda, id facit.

Secundò. DEUS sæpè aliquid dicitur facere, quando tantum aliquid aliud facit, ex quo alii vitio suo occasione sumunt illud prius faciendi. Sic DEUS dicitur convertisse cor Ægyptiorum ad odium, quatenus, dum benefecit Judæis, Ægyptiis, ob suam malevolentiam, & invidiam, odium in illos ista prosperitate gaudentes, conceperunt. Tertio. DEUS dicitur sæpe in Scripturis aliquid facere, quando rem illam non quidem facit, sed eam aliunde jam prævisam, conditionatè, vel absolute futuram, permittit, ac ordinat ad fines suos optimos. Sic DEUS non voluit peccatum fratrum Josephi, nec crucifixionem Christi, antecedenter, & absolute; sed, postquam per scientiam mediam vidit, quòd, si forent in his circumstantiis fratres Josephi, & crucifixores Christi, illi liberè fratrem venderent, hi autem Christum liberè crucifigerent, tunc, non quidem ex intentione eorum peccatorum, sed ex justo judicio suo, permittit, vel posuit eas circumstantias, & permittit peccatum: istud autem dein ordinavit ad extollendum Josephum, atque salvandos in Ægypto Israëlitas à fame: & hinc fratribus Joseph dicit. Gen. 50. v. 20. *Vos cogitastis de me malum, sed DEUS vertit illud in bonum.* Pariter, DEUS crucifixionem Christi ordinavit ad salutem generis humani. Quarto. Bellarm. loc. cit. addit, DEUM dici, malum efficere; quia non quomodocunque permittit, sed tantum permittit istud, & non aliud, contra hoc subiectum, & non contra aliud: ex quibus facile patet responsio. In forma igitur neg. ant. seu nego, quòd DEO, tanquam causæ, attribuantur peccata; textus enim, in probatione adducti, tantum probant permissionem, vel ordinationem Divinam circa peccatum, ut ex jam dictis patet.

54. Ob. 3. Scriptura sæpe tribuit DEO, excæcationem, & indurationem hominum: sed hæc sunt peccata: ergo, prob. maj. sic Exodi. 9. v. 12. induratio Pharaonis DEO tribuitur. Joani. 12. v. 40. induratio, & excæcatio Judæorum. &

ad Rom. 9. v. 18. ait S. Paulus de DEO : *Quem vult, indurat.* Confirm. DEUS dicitur in Scripturis alios decipere. Ezech. 14. v. 9. *Ego Dominus decepi prophetam illum.* Job. 12. v. 24. *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos:* sed decipere alios est peccatum: ergo. Resp. iterum, DEUM non operari positivè excitationem, & obdurate, sed hominem positivè seipsum obdurare, vel excacare: unde psal. 94. v. 8. dicitur: *Nolite obdurare corda vestra;* hinc melius cum Suarez in 1. 2. tract. 5. disp. 6. n. 15; videtur dici, DEUM non esse causam excacationis; quia hæc dicit non tantum Divinam permissionem; sed malam quoque hominis dispositionem, cujus DEUS causa non est.

55. Potest autem dici, DEUM obdurare, vel excacare permittivè 1. quando peccatores non corrigit poenis; unde ipsi insolescunt, & obdurantur: sicut faciunt aliquando filii erga parentes, à quibus non castigantur. 2. Quando negat auxilia, quæ, licet non sint absolute necessaria (hæc enim nunquam deficient) tamen essent ferme moraliter necessaria, & sine quibus difficulter potest homo, & consequenter sapè non vult, converti.

Nec objicias, S. Augustinum l. 5. contra Julianum c. 3. dicere, DEUM non tantum indurare homines, aut desideris suis tradere per patientiam, sed etiam per potentiam; hoc enim ipsum est per potentiam indurare, aut malis desideris tradere, quando omnipotentia Divina producit alia auxilia, sufficientia quidem, sed non illa specialia, quæ hic, & nunc, efficaciter impedirent, ne homines obstinati in malo perseverarent, aut mala desideria sua perficerent. Dein potest etiam dici, DEUM per potentiam indurare, quando producit aliquid, ex se bonum, & ex bono fine, sed homo inde occasione malitiosè accipit ad peccandum, vel in peccato perseverandum, sicut n. 53. supra diximus, DEUM convertisse corda Aegyptiorum ad odium: imò S. Augustinus. l. 1. ad Simplic. q. 2. post medium expressè dicit, DEUM obdurare, esse idem, ac nolle misereri; sic enim ait: *Ut obduratio DEI sit nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum, quo sit melior, non erogetur.* in forma dist. ma. Scriptura excacationem DEO tribuit ut causæ. neg. ma. ut permittenti tantum. conc. ma. & conc. min. neg. conf. seq.

Ad confirm. DEUS non propriè positivè decipit, sed, vel tantum permittit, quosdam decipi, ut explicat Augustinus, quem citabimus n. 61. vel tantum consilia prava intervertit, vel exitum desideratum impedit, ut spe sua frustrentur principes, & sic decepti dicantur. Potest etiam hoc explicari, sicut S. Augustinus l. 2. quaestione super exodum (qui est. l. 2. ex 7. in Heptateuchum) q. 18. explicat illud: *Ego indurabo cor ejus Pharaonis Exod. 7. v. 3.* his verbis: *Ego indurabo: tanquam diceret: quam durum sit, demonstrabo.* Sic etiam DEUS dicitur decipere, dum demonstrat, deceptos esse principes illos, qui, nescio quam spem, ex consiliis suis conceperant, qua DEUS eos frustratos ostendit.

56. Obj. 4. In Scripturis aliquando dicuntur mali homines, vel demones, facere aliqua mala; ex præcepto DEI, & tanquam ejus instru-

menta: ergo DEUS est causa illorum malorum antec. prob. sic 2. Reg. 16. v. 10. *Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* Rursum 3. Reg. 22. v. 22. dicit DEUS ad spiritum, volentem mendaces reddere prophetas: *Egrede, & nuntiata: & infra v. 23. Dedit Dominus spiritum suum dicit in ore omnium prophetarum.* item 2. Reg. 22. v. 1. dicitur: *Et addidit furor Domini trajectura tra Israël, commovitque David in eis dicentem: vade, numera Israël, & Judam: quæ numeratio tunc fuit peccaminosa, & postea gravissima peste punita: ergo.* Resp. has quoque phrasas Scripturæ plus non significare, quam puram permissionem, juxta aliquem modum ex iis, quos explicavimus n. 52. & seq. Et in primis, ut observat Cornelius in proemio ad Genesim (quod est encomium S. Scripture) sec. 2. vox Hebræa *tsava*, pro qua Latinus interpres posuit vocem præcepit, significat ex se ordinare, providere, disponere: adeoque significat omnem DEI providentiam, tam positivam, quam negativam; unde sensus est: *DEUS permittivè ordinavit, ut Semei malediceret Davidi, ad excercendam hujus patientiam:* in quo nihil est mali. Illud, *egredere*, accipiendum est, quasi diceret: *Mente pace: facta: non impedit:* sicut etiam dictum ad Judæos. *Matth. 23.* & ad Judam *Joan. 13.* de quibus n. 52. in forma nego consequentiam.

57. Ad ultimum textum Abulenſis in hunc locum. *quæst. 4. itémque Menochius in hunc eundem locum* per furorem Domini intelligunt diabolum, qui est minister furoris DEI, sicut Assur seu Assyrius Rex *Isa. 47. v. 5.* dicitur à DEO *Virga furoris mei.* Favet etiam Scriptura, nam 1. Paralip. c. 21. v. 1. ubi hæc eadem numeratio populi refertur, dicitur: *Consurrexerunt autem Sathar contra Israël, & concitavit David, ut numeraretur Israël:* ergo, qui hic dicitur Sathan, prius dicitur *est furor domini:* & hoc supposito explicatio est faciliis. Si autem per furorem Domini intelligi debeat DEUS iratus, tunc vox commovet significat permittit commoveri à demone, ut supra n. 53. diximus in simili de venatore. ita Theodoretus & alii apud Gasparem Sanctium in l. 2. Reg. c. 24. quem erit operæ precium inspicere. Quamcumque autem expositionem elegeris, in forma nego consequentiam.

58. Obj. 5. S. Augustinus lib. 5. contra Julianum c. 3. tractans illud: *ad Rom. 1. v. 26. Tradidit illos DEUS in passionem ignominie* &c. reprehendit Julianum, quòd dicat, DEUM tradere deferendo, seu permittivè. 2. Ibidem S. Doctor ait, non tantum esse relictos, per patientiam, sed per potentiam in peccata compulsos. 3. Idem S. August. l. de gratia & lib. arbit. c. 20. ait, voluntates etiam malas ita esse in DEI potestate, ut eas, quòd voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam imgerendas. 4. Iterum eod. c. 20. inferius ita ait: *Voluntatem, proprio vitio suo malam, in hoc peccatum, judicio suo justo, & occulto, inclinavit.* 5. Rursum eod. l. de grat. & lib. arbit. c. 21. sub finem ait: *His, & talibus testimonio Divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur operari DEUM in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive pœdas eorum voluntates, quocumque voluerit, sive pœdas bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum,*

eorum, judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. 6. Denique l. de corrupt. & gratia. c. 7. ait: *Christum elegisse Judam ad fundendum sanguinem suum:* hæc indicant, S. Doctorem velle, quòd DEUS non tantum permittat peccata, sed ea positivè velit ergo.

Resp. Si S. Augustinus doceret, DEUM velle, & causare positivè peccatum, utique esset deferendus, post definitiones tot Conciliorum; damnata enim est ab Alexandro VIII. hæc propositio 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Sed longissime remotus est Sanctissimus Doctor ab hac impietate.

59. Resp. itaque ad 1. textum: à S. Doctore reprehendi Julianum, non, quòd simpliciter dicat, DEUM tradere deferendo, sed, quòd negaverit, unum peccatum esse poenam alterius, idque se probare putaverit ex eo, quòd DEUS tradat tantum deferendo; nam, quamvis DEUS tantum tradat deferendo, tamen hæc ipsa desertio, & consequens peccatum, potest esse poena peccati præcedentis, ut S. Pater ostendit cit. l. 5. contra Julian. c. 3. his verbis: *Sed quomodo libet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit: & vides, ejus traditionem, qualem libet, & quomodo libet intelligas, quæ consecuta sint.*

Imò (ut est manifestum legenti totum illud longum caput) S. Doctor non facit vim in eo, quid intelligatur per traditionem, & aliquoties saltem omittit, quòd sit sola desertio. Sic sub finem: *An hæc dicitur es, quod ait: Ego Dominus seduci prophetam illum: (Ezech. 14. v. 9.) intelligendum esse: deserui, ut pro ejus meritis seductus erraret? Age, ut vis, tamen eo modo punitus est pro peccato.* Sed S. Doctor in eo vim facit, ut monstrat, unum peccatum esse poenam alterius, quando nempe DEUS in poenam prioris privat gratias congruis. Nec juxta S. Doctorem peccatum dicitur poena peccati, in hoc sensu, quasi DEUS in poenam prioris impellat in alterum: sed quòd deferendo, seu non dando gratiam majorem, sinat in aliud labi.

Dein reprehendit S. Augustinus Julianum, quòd non rectè intellexerit vocem tradere, sed putaverit, eam significare præcisè, DEUM patientiam habere, relinquere hominem in desideris malis, quæ jam antè habuit, & non significare, deferere per negationem auxiliorum specialium, atque productionem tantum sufficientium, seu eorum, quæ prævisa sunt conjungenda cum dissensu, ita ut dein sequatur lapsus, seu consensus in desideria, non quidem ex positiva causalitate DEI, sed ex vitio hominis, nolentis bene uti mediis sufficientibus. Sumitur hoc ex verbis S. Doctoris, eodem capite dicentis: *Aliud est, habere mala desideria cordis, aliud, tradere eis, utique, ut consentiendo eis possideantur ab eis, quod sit, cum Divino judicio traditur eis.*

60. Ad alterum textum jam responsum est. n. 54. Adde tantum, fallum esse, quòd S. Doctor dicat, quosdam à DEO in peccatum compulsos; nam sic habet: *Quid est autem, quòd dicit: Cum desideris suis traditi dicuntur, relicti per Divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi:* verba itaque ista R. P. Ant. Mayr, Theol. Tom. I

sunt Juliani objicientis: nec refellit dein S. Doctor id, quòd Julianus dixit, non esse compulsos, sed tantum id, quòd ait *solum per patientiam, non per potentiam traditos:* esse autem traditos per potentiam, explicari potest, ut jam fecimus, sine eo, quòd dicantur in peccata compulsi.

61. Ad 3. textum. S. Augustinus se explicat eodem c. 20. de grat. & lib. arbit. nam, dum ibi agit de Semei, cujus voluntatem dicit à DEO inclinam ad maledicendum Davidi, per inclinare tantum intelligit permittere, scilicet ejus malæ voluntatis cursum, vel inclinationem; sic enim post pauca habet: *Nec causa tacita est, cur ei Dominus isto modo dixerit maledicere David, hoc est, cor ejus malum in hoc peccatum miserit, vel dimiserit, & eod. lib. c. 23. Quando ergo auditis dicentem Dominum: Ego Dominus seduci prophetam illum: & quod ait Apostolus: Cujus vult, miseretur, & quem vult, obdurat: in eo, quem seduci permittit, vel obdurari, mala ejus merita credite: in eo vero, cujus miseretur, gratiam DEI, non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, seduliter, & indubitanter agnoscite.* Ecce seducere, & indurare à S. Augustino exponuntur: *permittere seduci, vel obdurari:* atque adeò à DEO ista sunt tantum permittivè: & par prorsus est ratio de inclinatione ad malum. Bellarmin. autem Tom. 4. contro. 2. l. 2. c. 16. ait, DEUM juxta S. August. inclinare ad hoc malum, quatenus impedit alia, & hoc solum permittit, atque sic permittivè facit, ut hoc potius malum, quam aliud fiat: quod inde colligitur, quòd S. Doctor dicat, DEUM inclinare voluntatem, proprio vitio suo malam, hoc est, jam volentem malum. Hæc responsio servit etiam ad quartum, & quintum textum explicandum.

62. Ad ultimum de Juda, dicendum, Christum non voluntate antecedenti elegisse Judam, ad fundendum sanguinem: sed consequenti; postquam scilicet prævidit, Judam avarum in his circumstantiis de sua morte contracturum cum Judæis, permittit ex justo judicio eas circumstantias, ex quibus dein secuta est sua passio per malitiam Judæ: atque hanc ipsam dein ordinavit ad maximum bonum, scilicet ad mundi salutem. Ut autem Christus dici possit, elegisse Judam, responderi potest, quòd ex multis, quos præviderat, in his circumstantiis sui sanguinis traditores, vel venditores futuros, potius permiserit, talem esse Judam, quam alios, adeoque istum negativè elegerit: sive elegerit potius permittere in Juda, quam in alio, eam venditionem. ita Suarez in 1. 2. tr. 7. disp. 6. num. 16. quem, uti & Bellarminum loc. cit. vide hæc fusius pertractantes.

63. Objicitur. 6. Et si DEUS esset causa peccati, tamen non peccaret: ergo nostra ratio est nulla. prob. ant. DEUS non ageret contra legem Divinam, nec contra voluntatem DEI: nec se ipsum offenderet: ergo non peccaret. Confirm. DEUS influit physicè, & producit omnes actiones, tam malas, quam bonas, & quidem scienter, ac liberè, & tamen non peccat ergo. Resp. cum Suarez. in 1. 2. tr. 5. disp. 6. num. 6. Hæretici, qui ita loquuntur, negant quidem de DEO nomen peccati, attamen ejus tribuunt turpitudinem illius. Certè sic DEUS posset etiam mentiri, se ipsum odisse &c. in forma.



forma. neg. ant. ad prob. dist. ant. hoc est, non ageret contra legem superioris, conc. ant. non ageret moraliter inhonestè contra regulam omnium honestatis, & legem sibi ipsi indispensabiliter latam. neg. ant. & conf. Ageret enim Deus contra legem, quam sibi necessariò statuit, scilicet legem nihil agendi dedecens, nihil destructivum supremæ suæ sanctitatis, & auctoritatis; hoc enim necessariò Deus, & essentialiter odit, & essentialiter non vult. Ad summum in eo casu Deus ageret, & non ageret, contra suam voluntatem, adeoque fieret Chimæra, ex qua mea pace potest sequi altera. Ad confirm. conc. antec. neg. conf. sed de hac plura articulo sequenti.

64. Dices 1. DEUS non peccat causando peccatum; quia causat illud ex bono fine. Resp. neg. illatum. Non sunt facienda mala, ut evaniant bona, nec finis bonus exculat actionem ex se malam: quin imò juxta adversarios homo in eo casu non peccaret; cum se conformaret DEO ultimo fini, & nec contra, nec præter illum ageret. Dices 2. Homo potest ex prava intentione velle, quod DEUS vult ex bona. Resp. redire argumentum de illa ipsa intentione prava; an enim etiam hanc causavit DEUS, an non? si primum: illa intentio non fuit mala; quia conformis est ultimo fini: si secundum, tunc ruunt argumenta adversariorum, quibus scilicet probare volunt, DEUM causare omnes actiones, bonas, & malas.

ARTICULUS III.

Quomodo DEUS ad peccatum concurrat.

65. **S**uppono, quòd DEUS influat immediatè in omnes effectus creaturarum; ita enim contra Durandum, Ludovicum à Dola, & adhuc unum, aut alterum apud Haunoldum, l. 2. tr. 2. num. 439. communissima Theologorum, & Philosophorum, imò & SS. Patrum assertio, adeò, ut sententia opposita, quæ Durandisim vocatur, à quibusdam malè vapulet, & à S. Thoma in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. in corp. dicatur duplici errori proxima. videatur hac de re Comptonus disp. 28. pbyf. sec. 1. Sed & hic influxus DEI ab omnibus auctoribus probatur ex Scripturis; nam 1. Cor. 12. v. 6. dicitur: *DEUS, qui operatur omnia in omnibus.* Joan. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Joan. 5. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor:* ergo DEUS operatur immediatè omnia; dicere enim, quòd tantum mediatè operetur, scilicet eatenus, quatenus produxit creaturas alias, quæ nunc immediatè operantur, esset valde improprie loqui: sicut si quis diceret: *Adam usque nunc generat homines.*

Dein SS. Patres (ad quorum mentem Scripturæ exponi debet, ut definit Tridentinum sess. 4. decreto de editione, & usu sacrorum librorum) ista dicta intelligunt de immediato influxu. Sic S. August. epist. 146. sub finem: *Quomodo enim negare poterimus, DEUM etiam nunc operari cum-*

Et, que creantur, cum Dominus dicat: Pater meus usque nunc operatur? Quòd autem intelligat, DEUM immediatè operari, patet ex ejus dictis in Genes. ad liter. l. 5. c. 20. ubi ait: Sunt, qui arbitrantur, tantummodo mundum ipsum factum à DEO, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, & jussit: DEUM autem ipsum nihil operari: contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur.

S. Hieronymus adversus Pelagium ad Ctesiphontem c. 3. graviter reprehendit Pelagium, tanquam ingratum, & sacrilegum, quòd negaverit, esse semper necessarium auxilium DEI, etiam ad actiones naturales, ad curvandum digitum, movendam manum, sedendum, ambulandum; cum tamen Pelagiani mediatum auxilium minimè negaverint. S. Anselm. l. de concord. præscientia, prædestinat. & liber arb. c. 1. sub finem. *Nulla res habet ullam potentiam volendi, aut faciendi, nisi illo dante ipsum quoque velle, quòd aliquando justum est, aliquando injustum.* Videri de hac re plura possunt apud Suarez in Metaphys. disp. 22. num. 14. (ubi assertit etiam antiquos Philosophos, idem asserentes) Bellarminum l. 4. de gratia & lib. arb. c. 4. & alios.

66. Prob. 2. idem suppositum ratione. Esse ens summè necessarium, à quo omnia alia immediatè dependere debeant, est aliqua perfectio simpliciter simplex: ergo DEO est attribuenda, conseq. est certa: antec. patet ex eo, quòd non possit ostendi ulla imperfectio mixta, ipsaque hæc perfectio sit melior, quam omnis cum ipsa impossibilis. subsumo: dependentia ista immediata aliud non est, quam dependentia à causa immediata: ergo omnia debent dependere à DEO, tanquam causa immediata, seu immediatè influente.

Nec dicas, esse ens, à quo omnia adæquatè dependent, etiam esse perfectionem simpliciter simplicem, adeoque DEO tribuendam: consequenter DEUM se solo omnia, & creaturas nihil, agere; negatur enim illatum; nam opponitur illud prædicatum majestati DEI, & juri Divino, ad cultum à creaturis exigendum: quod jus, vel quæ majestas, est æquæ bona, nec tamen compositibilis cum adæquata dependentia omnium creatorum à DEO; sic enim homines nihil possent agere, adeoque nec DEUM colere, nec amare. Plures rationes videntur apud Haunoldum l. 2. tr. 2. num. 446. & præsertim aliquam Doctoris mirabilis ingeniosam, quam ibi Haunoldus illustrat: an tamen solida sit, ipse examina: ego non fido. Quæ contra hunc influxum DEI universalem, præscindendò ab influxu in peccata, objici solent, suppono soluta in physica, ubi hæc quæstio solet agitari: nobis ad magis Theologica, & primarium hujus articuli scopum proferendam. Supposito igitur hoc influxu DEI universali.

67. Dico. DEUS, licet physicè influat in actionem peccaminosam, cui identificata est malitia formalis peccati commissionis, tamen non est causa peccati. ita omnes ii, qui nobiscum tenent conclusionem n. 27. statutam, & insuper Lugo, ac alii, qui nostram sententiam non putant ex hoc capite impugnandam. Per causam autem hinc intelligimus non id, quòd tantum quomodocunque influit in effectum, sed

sed id, cui in genere morali, tanquam auctori, est effectus attribuitur, & quòd dici potest auctor effectus: sive intelligimus causam per se, & simpliciter dictam: non tantum causam per accidens, quæ non dicitur simpliciter causa, sed tantum ut ait Haunold. l. 2. tr. 2. n. 459. cum additò, per accidens sensum alienante.

68. Prob. conclusi. Si quis dat alteri potentiam proximam, & sufficientem ad bonum usum, atque hunc ipsum intendit, ac suadet, vel præcipit: e contra verò ab usum, quem absolute impedire non tenetur, serio prohibet, quamvis interim illi alteri libertatem, ac determinationem relinquat, atque, cum determinante ad ab usum prohibitum, concurrat contra suam inclinationem, talis nec est auctor, nec simpliciter causa illius ab usus, sed ad summum est causa physica per accidens: atqui DEUS ita se habet, quoad influxum cum creatura rationali, in peccatum: ergo.

Prob. ma. exemplis 1. Si sacerdos, privatim sciens, hominem indignè ad communionem accedere, tamen, ne eum infamet, ei sacramentum hostiam cum aversione à sacrilegio dat, non est causa sacrilegii. 2. Si superior dat pecunias subdito, cum mandato, ut bene expendat, licet prævideat, ab usum illicitum, si hunc gravibus de causis non tenetur impedire, non est causa illius. 3. Si puella, accedens ad sacrum, prævidet suo accessu scandalum accipiendum à juvene, quòd ei quidem displicet, sed certè non semper impedire tenetur, si in tali casu juvenis labatur, puella non est causa ruinæ. Similia passim occurrunt apud auctores. Imò, ut rectè Haunoldus l. 2. tr. 2. n. 459. si quis contra suam intentionem, concursu in actu primo indifferente, ad aliquem effectum concurrat, & postea sibi, tanquam causæ, gloriam ejus arrogare velit, solemus eum reprimere, dicendo, quòd se habuerit per accidens. Et sic sæpe hostis, dum alteri voluit nocere, profuit. Sic aliquando incarceratus liberatus est podagra: non tamen propterea inimico incarceranti debuit grates, tanquam medico suo.

Confirm. eadem ma. S. August. l. 5. de civ. DEI. c. 9. prope finem. ita loquitur: *Mala quippe voluntates ab illo DEO non sunt; quoniam contra naturam sunt, que ab illo est.* & c. 8. dixerat: *A quo DEO sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates.* & l. de spir. & liter. c. 31. *Nusquam autem legitur in Sanctis Scripturis: Non est voluntas nisi à DEO: & rectè non scriptum est, quia verum non est; alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est DEUS.* Plura habet Suarez in Opusculis Opus. 1. de concursu DEI. l. 2. c. 2. à n. 24. subsumo: sed voluntates sunt aliquid positivum, & omnis positiva entitas, à DEO producitur: ergo etiam voluntates: & tamen S. August. dicit, eas non esse à DEO, sive, hunc non esse causam: quòd non est verum, nisi in hoc sensu, quòd DEUS non concurrat, tanquam causa determinans, & cum inclinatione: sed tanquam causa determinata, & contra suam inclinationem, adeoque tantum, tanquam causa per accidens: ergo ab eo, qui ita concurrat, non est dicenda res esse, nec ipse dicendus est causa simpliciter dicta rei illius.

69. Prob. jam etiam min. prioris syllogismi. n. 68. positi. DEUS 1. dat homini libertatem in actu primo, & auxilia, saltem sufficientia, ad vitandum peccatum, & faciendum bonum. 2. Desiderat, & jubet, promissis, & pœnis incitat, ut homo bene, certè non malè agat. 3. Averfatur omne malum, atque peccatum odio essentiali. 4. Relinquit tamen homini libertatem determinationem, ut possit pro libitu, bene, vel malè agere. 5. Hinc offert ei concursum indifferenter, quo creatura uti possit pro libitu, ad malum, & bonum; non tamen eum offert animo indifferenti, ita, ut DEO perinde sit, sive homo bene, sive malè operetur: sed, ut inclinet ad bonum, malum autem duntaxat permittat: unde nec disjunctivè vult malum, quòd tantum permittit.

Ultraius 6. DEUS non tenetur impedire actum liberum malum, et si prævideat secutura; aliàs enim nemo præcepta Divina transgredi posset: nec esset beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus. Eccles. 31. v. 10. repugnaret iustitia DEI vindicativa, & omnes perfectiones Divinæ, & quarum exercitium peccatum præsupponit: tolleretur etiam libertas humana ad peccandum; nam hæc ipsa necessitas in DEO, impediendi omne peccatum, esset necessitas antecedens, & tolleretur omnem indifferentiam actus primi, respectu creaturarum; esset enim metaphysica necessitas, excludens omnem actum malum, & inimpedibilis, non tantum ab homine, sed etiam à DEO. 7. Tandem DEUS quidem cum creatura, ad malum se liberè determinante, etiam ipse concurrat physicè; quia sine ipsius concursu creatura nihil posset facere: non tamen concurrat, ut determinans, seu liberè immediatè actum eliciens, sed ut determinatus à creatura, sicut explicatum est in tract. de DEO, quando actum de prædeterminatione.

70. Confirm. conclusio. Etiam si dicatur, malitiam peccati stare in pura negatione, tamen necessariò debet dici, malitiam radicale stare in ipso actu libero malo, cum quo est connexa, vel quem sequitur privatio debitæ rectitudinis: insuper debet admitti, quòd DEUS physicè causet illum actum; ergo, nisi recurratur ad nostram responsonem, etiam adversarii non possunt explicare, quare DEUS non sit causa peccati, antec. non negatur, conseq. probatur. Privatio ipsa, seu negatio, in se non est capax physici influxus, & proprie non producitur, nec à DEO, nec à creatura: & creatura ideo est culpabilis; quia producit actum liberum, quem necessariò sequitur privatio: ergo, nisi dicatur, DEUM aliter, ac creaturam, influere in illum actum, tunc vel DEUS etiam erit auctor peccati, vel neque creatura erit auctor istius; quòd utrumque est falsum. Nec dicas, DEUM non teneri impedire privationem; namposito actu libero malo, nec creatura tenetur illam impedire; quia est aliquid impossibile, ad quòd nemo tenetur: adeoque creatura tantum eatenus tenetur impedire privationem, quatenus tenetur impedire actum.

71. Si dicas, DEUM non teneri impedire actum. Resp. Tenetur eum impedire, saltem ita, ut non fiat ex ejus determinatione, vel inclinatione: sicut etiam creatura debet talem actum

actum impedire, ne fiat ex propria determinatione; si enim fieret necessarium à creatura, e. g. si ab alio determinaretur, vel necessitaretur, non esset ei imputabilis ad culpam: ergo tandem debet recurri ad diversum modum influendi inter DEUM, & creaturam: qui diversus modus etiam excusaret creaturam, si scilicet ipsa quoque, non ut determinans influeret. Hoc tamen magnum discrimen adhuc est inter DEUM, & creaturam, quòd DEUS possit liberè permittere, se determinari ad influendum; quia non tenetur impedire hanc determinationem, ut probatum *n. preced.* contra creaturam rarissimè potest liberè permittere, se determinari ad influendum, vel concurrendum ad actum malum. Ex quibus omnibus tandem collige, DEUM, etsi physicè in actum peccaminosum (qui est realiter malitia formalis peccati) influat, tamen non esse causam illius simpliciter dictam, nec in eum actum, vel in eam malitiam, moraliter, aut imputabiliter influere, sed actum illum, & malitiam, in sensu morali purè permittere.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

72. **O**B. 1. DEUS prævitet actum malum, ex sua cooperatione secutum, & insuper potest sum impedire, si velit: ergo non tantum se habet per accidens. Resp. neg. conseq. Sæpe potest quis prævidere aliquid mali, ex sua actione secutum, & tamen non est causa per se illius, ut patet in exemplo sacerdotis, indigno præbentis sacram Eucharistiam, & pœniæ accedentis ad sacrum &c. de quibus *n. 62.* Dummodo scilicet quis non possit, vel non teneatur actum, vel effectum impedire, non est causa effectus, si actionem suam ponat ex alio fine, & cum aversione ab eo effectu: DEUS autem, licet possit impedire peccatum, tamen non tenetur id impedire *ex n. 69.*

Nec dicas, DEUM esse causam necessariam, adeoque causam per se; nam causa necessaria potest dupliciter sumi. Primò dicitur causa necessaria illa, quæ necessariò ex natura sua agit, v. g. sol, dum lucem producit: & hæc est in genere physico causa per se: sed talis non est DEUS, qui liberè dat saltem actum primum, & libertatem mediatam exercet. Secundò, causa necessaria etiam dicitur illa, sine cuius influxu effectus non potest dari, quæ quæ ex conditione causæ universalis, debet in omnes effectus influere: & talis causa quidem est DEUS: verum hæc causa necessaria non est necessariò causa per se, sed, si non aliter influat, quam DEUS, est causa tantum per accidens.

73. **O**B. 2. DEUS liberè determinat ad individuum peccati: ergo etiam ad speciem actus mali, sive ad ipsum actum: ergo non tantum agit per accidens, sed per se. prob. antec. species, & individuum sunt realiter idem: ergo etiam DEUS determinat ad unum, determinat etiam ad alterum. Confir. Si DEUS non determinaret ad actum in specie, tunc ideo; quia est causa universalis: hæc ratio nil probat: ergo.

prob. mi. sol etiam est causa universalis, & tamen non tantum determinat ad effectum, secundum gradum genericum, sed etiam secundum gradum specificum: ergo. Resp. om. ant. quod posse negari ostendit *tr. de DEO num. 604.* dist. conf. DEUS determinat ad speciem eodem modo, quo ad individuum. conc. conf. diverso modo. neg. conseq. ad prob. dist. ant. species adæquatè sumpta, & individuum, sunt realiter idem. neg. antec. species inadæquatè sumpta, sive hic gradus specificus. conc. ant. & sub priori distinctione conc. vel neg. conseq.

74. Hæc obiectio solet solvi in Logica, agendo de distinctione Scotistica, ad quam me possem remittere: ut tamen rem aliquantum explicem, noto, gradum genericum, adæquatè sumptum, esse realiter inadæquatè distinctum à specifico, & specificum ab individuali; nam gradus e. g. animalis, adæquatè, sive secundum totam latitudinem sumptus, convenit pluribus realiter distinctis, quam gradus hominis, & gradus hominis specificus convenit pluribus, quam prædicatum individuale Petri: at verò gradus genericus, vel specificus, inadæquatè sumptus, sive restrictus ad hoc individuum Petri, non convenit pluribus; nec enim hæc animalitas, aut humanitas, quæ est Petri, realiter convenit alteri, quam Petri, sed sunt realiter idem: unde, quidquid realiter verificatur de uno, verificatur etiam de altero.

Attamen in sensu formali, qui ordinariè tendit in gradum adæquatè sumptum, non dicitur DEUS determinare ad speciem, e. g. DEUS non determinat, ut ignis potius producat ignem, quam aquam; quia ad hoc determinat ignis, qui per naturalem suam exigentiam petit, potius producere ignem, quam aquam: at verò dicitur DEUS determinare ad individuum; quia determinat, ut ex multis individuis igneis, hoc potius, quam aliud producat. Nulla autem est in his contradictio: non determinare, ut potius producat ignis, quam aqua (& patet ratio de actu bono, vel malo) & determinare, ut, supposito, quòd aliquis ignis debeat produci, hic potius producat, quam alius: sicut nulla est contradictio in hoc, quòd e. g. senatus determinet tres, ex quibus eligatur aliquis ad certum officium: non autem determinet unum in individuo, sed ad hunc determinet totus populus, per pluralitatem votorum.

Quòd si autem etiam aliqua contradictio foret, ea caderet super duo realiter distincta, hoc est, super duos actus voluntatis diversos, quorum unus ad speciem, alter ad individuum determinat: sicut, si formaliter cognoscitur animal, non autem rationale, dantur etiam duæ cognitiones, realiter distinctæ. Unde, etiam si DEUS dicatur determinare ad individuum, & non ad speciem, nulla est contradictio, aut distinctio in objecto, sed tantum in determinationibus, quarum una competit DEO, non altera: verbo: per hoc, quòd DEUS dicatur, non determinare ad speciem, sed tantum ad individuum, tantum significatur, quòd DEUS non quidem determinet absolute, & efficaciter, ut potius actus in hac specie, quam in alia producat: at verò, ex suppositione, quòd creatura determinet, ut potius

alius actus in hac specie, quam in alia producat, tunc DEUS determinet, ut potius hoc individuum, quam aliud producat: cum autem huic individuo identificatus sit gradus specificus, inadæquatè sumptus, ideo DEUS eodem modo ad hunc gradum determinat.

75. Citius fortè, & expeditius obiectio paulò aliter solvitur, scilicet dist. antec. DEUS determinat ad individuum positivè. neg. ant. negativè. conc. ant. & dist. etiam conseq. DEUS determinat ad speciem adæquatè sumptam. neg. conseq. inadæquatè sumptam. subdist. determinat positivè. neg. negativè conc. conf. hoc est, DEUS, etiam supposito, quòd creatura determinet ad speciem, tamen non positivè exigat hoc individuum, sed, cum alia omnia impediat, hoc unum permittit, & sic negativè determinat, quatenus hoc unum non impedit. Hæc ratione ostenditur, quomodo DEUS, etiam determinando negativè ad speciem inadæquatè sumptam, nihil inhonesti faciat; nam indecorum non est, malum purè permittere. Ad confir. neg. ma. Non ideo DEUS non determinat ad speciem; quia est causa universalis: sed quia ipse circa hunc actum non exercet immediatam libertatem, nec influit cum inclinatione, sed cum aversione: nec tamen tenetur hic & nunc impedire actum. vide, quæ diximus à *num. 62. & 69.*

Quidam dicunt, DEUM ideo non esse causam per se actus mali; quia non immediatè liberè in illum influat. sed, quamvis verum sit, quòd DEUS non immediatè liberè in actum malum influat, & contra falsum, quòd (ut quidam volunt) DEUS immediatè libertate in omnia ad extra influat: tamen hæc ratio sola non sufficit ad excludendum DEUM à ratione causæ per se; nam DEUS est causa per se actus boni, & tamen in illum immediatè liberè non influat; unde recurrendum ad nostram responsionem.

76. **O**B. 3. Juxta nos DEUS offerret creaturæ suam concursum, indifferenter ad bonum, vel malum: ergo deberet concursus DEI determinari à creatura: sed, nec DEUS, nec concursus DEI, potest determinari à creatura: ergo. prob. min. qui determinat alterum, habet aliquam prioritatem respectu determinati: ergo debet prius operari: sed creatura non potest prius DEO operari: cum nullam actionem possit elicere sine DEO: ergo non potest DEUS determinare. Resp. conc. antec. in sensu explicato *n. 69.* & conc. etiam conseq. neg. autem min. subsumptam cum ultima consequentia, ad prob. dist. antec. qui determinat, habet prioritatem naturæ, neg. antec. prioritatem eligibilitatis. conc. antec. & neg. conseq.

Concursus DEI alius dicitur *concurfus in actu primo*, & consistit in omnibus iis principiis, quæ se tenent ex parte DEI, quæque DEUS impendit ad cooperandum homini, quæ sunt omnipotentia, auxilia gratiæ ad actum bonum &c. & hæc possunt determinari ab homine liberè agente, ut potius influant, quam non influant; item ut potius influant ea, quæ ad actum bonum, quam quæ ad actum malum, prærequiruntur, vel vicissim; quia hominis liberi est eligere potius hanc, quam illam speciem actus. Alius dicitur *concurfus in actu secundo*, & est ipsa actio, procedens simul à DEO, & à creatura:

& hæc determinatur à creatura, ut potius existat, quam non existat; est enim in potestate creaturæ, ut à DEO, & ipsa, potius producat actio bona, quam mala, vel vicissim. Ad hanc autem determinationem non requiritur, ut creatura prius agat, quam DEUS, vel, ut determinatio creaturæ sit prior naturâ ad concursum DEI, sive, ut determinatio creaturæ priori naturâ DEUM determinet, ut ipse posteriori ponat suum concursum: sed tantum ipsa creatura debet esse prior naturâ ad concursum in actu secundo, seu ad ipsam actionem.

77. **D**ices 1. DEUS etiam est prior naturâ ad concursum in actu secundo: quare ergo potius dicitur voluntas creata determinare, quam DEUS? Resp. Ad hoc, ut aliquid dicatur, determinare potentiam indifferenter ad actum, debet non quomodocunque esse prius naturâ, nec quomodocunque influere: sed debet influere certo modo, hoc est, cum jure eligendi, & exercendo hoc jus. Exemplum habes in voluntate, & habitu, quando influunt in eundem actum, e. g. temperantiæ, tunc non determinat habitus, licet sit prior naturâ, & influat in actum; quia scilicet non influat cum jure eligendi.

78. **D**ices 2. DEUS etiam est liber: quare ergo non influat cum jure eligendi? Resp. DEUM nolle exercere libertatem immediatam in actu secundo; alias enim tolleretur libertatem creaturæ, vide dicta *tr. de DEO, à n. 490.* ubi actum de prædeterminatione. Unde non influat DEUS in actum liberum, libertate immediata, sed immediatè liberè influat sola creatura: DEUS autem exercet suam libertatem circa actum primum, quatenus liberè offert concursum in actu primo, quem possit negare. Hinc DEUS semper est primum liberum; quia debet exercere suam libertatem in ordine ad actum primum, antequam possit creatura exercere suam in ordine ad actum secundum: non tamen DEUS est semper immediatum liberum; quia non in omnia immediatè liberè influat.

Neque propterea DEUS subjicit nobis suam omnipotentiam, quod dicere prohibitum est, & damnatum ab Innocentio XI. quia ex nostris dictis nec à longè sequitur, quòd nos habeamus aliquam superioritatem in omnipotentiam Divinam; neque enim possumus eâ uti pro libitu, ad quasunque actiones: imò pro libitu DEI possumus ab omnibus impediri; non enim potest creatura uti omnipotentia ex jure, vel dominio, sed tantum titulo gratuitæ promissionis: unde DEUS nec se, nec omnipotentiam suam subjicit nobis: sicut dominus creatus non subjicit se, vel potentiam suam servo, etsi huic liberè promittat, quòd, si velit aliquid facere, ei sit auxilio suo adiuturus.

79. **D**ices 3. DEUS, posito actu primo, adhuc est indifferens ad influxum: ergo immediatè liberè influat, prob. antec. alias enim non totus actus primus proximus esset indifferens: ergo. Confir. 1. DEUS, stante actu primo, adhuc potest impedire effectum: ergo est liber, & indifferens. Confir. 2. DEUS, stante actu primo, vult liberè permittere peccatum: ergo juxta nos vult permissionem peccati; sed hæc permissio

est actio mala: ergo. Resp. neg. antec. quia actus primus proximus totus, vel involvit decretum DEI, offerens concursum indifferentem, quem explicavimus n. 69. vel juxta meam sententiam tr. de DEO involvit potius negationem decreti impediens; unde DEUS tantum est liber ad ponendum decretum indifferentem, vel ponendam suo modo illam negationem, ut detur totus actus primus proximus: quando autem liberè posuit decretum, vel negationem illam, non est amplius liber, libertate consequenti; quia non potest mutari, nec suo decreto contrarium facere. ad probationem neg. illatum, tamen adhuc totus actus primus proximus est indifferens respectu creaturæ; quia ipsam non necessitat, sed relinquit ei plenam indifferentiam.

Ad 1. confir. Resp. neg. ant. quia DEUS impediendo effectum, faceret aliquid contrarium suo decreto, vel simul poneret negationem decreti impediens, & ipsum decretum impediens, quæ sunt contradictoria. Intelligi autem, Deum non posse amplius impedire effectum ex sua determinatione, quamvis id possit ex determinatione creaturæ, & cum ista: nec hæc necessitas consequens obest libertati Divinæ, ut omnes notum, Ad 2. confir. Resp. om. 1. enthymemate, neg. subsumptum. Permissio peccati est decretum DEI, quod est distinctum à peccato: sicut permissio superioris est distincta ab actu subditi permissi.

80. Ob. 4. Juxta nos DEUS vult actum primum indifferentem: ergo vult carentem omni impedimento: sed maximum impedimentum hujus indifferentiæ esset negatio concursus Divini: ergo vult negationem hujus negationis: hæc autem nihil est aliud, quam ipse concursus: ergo vult ipsum suum concursum, seu ipsam actionem. Resp. om. 1. enthymemate dist. subsumptum. Maximum impedimentum indifferentiæ esset negatio concursus in actu primo, conc. negatio concursus in actu secundo neg. subsumptum. & sub eadem distinctione conc. vel neg. 2. conseq. itémque 2. subsumptum: ultimam autem consequentiam absolutè neg. Indifferentia actus primi tantum constituitur per concursum in actu primo, quem explicavimus n. 76. & hujus tantum impedimenta debeant abesse, saltem, si non possint à voluntate creata pro libitu tolli; nam, si possint ita auferri, etiam ipsa non impediunt libertatem, e. g. licet janua clausa non possit exire, si tamen pro libitu januam potes aperire, utique non censeris impeditus ab ambulatione. At non constituitur indifferentia actus primi per concursum in actu secundo (aliàs constitueretur actus primus per secundum) sed præscindit ab eo concursu, estque compossibilis cum eo concursu, & cum negatione ejus: unde DEUS, tantum volens concursum indifferentem in actu primo, non debet velle, adesse negationem negationis concursus in actu secundo, sed potest esse inefficaciter saltem nolle, sive in ea sibi displicere: quamquam etiam non debeat, eam efficaciter, & impedibiliter nolle; aliàs enim eo ipso poneret decretum, impediens indifferentiam, & apponeret inauferibile impedimentum libertatis, redderetque omnipotentiam determinatam ad non concurrendum ad actum malum.

81. Ob. 5. DEUS potest velle actum pec-

aminosum, saltem ut bonum utile, vel delectabile: ergo potest in actionem influere cum inclinatione. Confir. 1. DEUS potest velle peccatum, tanquam medium utile, ad ostendendam suam justitiam vindicativam, vel misericordiam: sed velle aliquid, ut medium, est simpliciter illud velle: ergo. Confir. 2. Est non solum fidei, sed etiam rationi contrarium, dicere, aliquid ens, in quantum est ens, non esse à DEO: ergo DEUS vult etiam actum malum, saltem, ut est ens. Resp. neg. antec. non enim potest Deus velle aliquid bonum, nisi sit simul honestum. Ad 1. confir. neg. ma. peccatum enim non est medium, ut dictum n. 48. Ad 2. confir. dist. ant. Est fidei, & rationi contrarium, dicere, aliquid ens, in quantum est ens, non esse à Deo, tanquam causa physica, & per accidens, ac contra suam inclinationem influente, conc. antec.; tanquam à causa morali, per se, & juxta suam inclinationem influente, neg. ant. & conseq. Nota tamen, quando dicitur, Deum contra suam inclinationem influere, per inclinationem non intelligi voluntatem absolutè efficacem, cui resisti non possit, sed intelligi voluntatem inefficacem, seu beneplacitum DEI, quod non impedit, quo minus Deus oppositum permittat.

82. Ob. 6. DEUS est causa causæ, seu actus primi indifferentis: ergo etiam est causa causati, seu ipsius peccati. Confir. Vel concurrere ad actum malum, est bonum, vel est malum: juxta nos neutrum potest dici: ergo, prob. mi. si dicitur primum, DEUS potest illud velle: si secundum, nullo modo potest concurrere: ergo. Resp. neg. conseq. quia tunc tantum causa causæ est etiam causa causati, quando causa non est indifferens ad eum effectum; aliàs faber esset causa omnium homicidiorum, quæ gladio committuntur: & tamen nemo somniat, hunc esse reum omnium cadum, aut causam per se iltarum: de causa per accidens non est curandum. Ad confir. neg. mi. ad prob. neg. 2. partem. Si sermo sit, ut esse debet, de concursu in actu secundo, est quidem iste realiter malus, potest tamen à DEO physice, per accidens, & contra suam inclinationem fieri; nec enim actus malus denominat omnem suam causam malam; sed tantum causam per se, ac liberè influentem; aliàs, si quis tuum brachium violenter arriperet, eoque percuteret graviter clericum, tu graviter peccares, & esses excommunicatus.

83. Ob. 7. Voluntatis DEI non est sanctior, quam omnipotentia: ergo, si omnipotentia potest producere actum peccaminosum, etiam potest voluntas eum velle. Resp. retorq. argum. Intellectus Divinus est æquè sanctior, ac voluntas: ergo, si intellectus (ut est innegabile) potest cognoscere malitiam formalem peccati, etiam posito, quod stet in privativo, poterit voluntas eam malitiam formalem amare: quod nemo sanus potest admittere. In forma. neg. conseq. Disparitas, ab omnibus danda, est hæc, quod versari circa peccatum, non est malum, nisi respectu illius potentie, quæ illud liberè eligit: quod etiam patet in creatura, quæ potest honestè scire peccata, non tamen eligere. Ad do tandem, non esse oppositum nobis Tridentinum citatum n. 48. quia ibi non damnatur, qui

qui dicit, DEUM operari physice tantum malum, sed, qui dicit eum operari malum, ita ut bonum, hoc est, tanquam causam per se &c.

QUÆSTIO III.

De Differentia Peccati Mortalis, & Venialis.

ARTICULUS I.

Quid sit Peccatum Mortale?

84. **H**abetur ex fide, quadam peccata esse graviora aliis. Sic Christus dixit Pilato: *Joan. 19. v. 11. Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Est eadem fide certum, ex Trident. *sess. 14. c. 5. & can. 7. non omnia peccata esse mortalia.* Idem definiunt Pius V. & Greg. XIII. contra Baium, damnantes propositionem 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam æternam.* Certè Ecclesiastici 19. v. 1. dicitur: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* & Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Videtur etiam ex ratione clarum, quod non omne peccatum minimum, quod moraliter vitari non potest, statim destruat amicitiam cum DEO, & mereatur poenas æternas; lex enim tam gravis redderet homini moraliter impossibilem suam salutem: & non sat bene esset constituta humana natura in ordine ad eam assequendam; unde falsissima est hæresis Calvinii, dicentis, omnia quidem peccata esse ex se mortalia, fieri tamen venialia ex eo, quod à DEO non imputentur.

85. Certum etiam est contra Wicleffum, non omnia peccata reprobatorum esse mortalia; nam peccata complura in se ipsis, absque facta comparatione cum iis, qui ea admittunt, sunt venialia: & hinc comparantur à Scriptura festucæ. *Luc. 6. v. 41. novissimo minuto. Luc. 12. v. 59. culici. Matth. 23. v. 24.* cum alia graviora comparentur camelo apud eundem S. *Matthæum ibidem:* nec est, unde fiant mortalia in reprobis: certè reprobatio sequitur peccata gravia, non talia facit. Equè certum est, peccata infidelium non omnia esse mortalia; possunt enim omnes non justificati, adeoque etiam infideles, facere opera moraliter bona, certè non mala, ut expresse tradit Trident. *sess. 6. cap. 7. & cur non possint facere etiam venialiter mala?* aut quis dicat, omne verbum otiosum in infideli esse mortale peccatum? Econtra etiam certum est, non omnia peccata electorum esse venialia; nam Adæ, Davidis, & aliorum prædestinatorum, atque modò Sanctorum, peccata, fuere gravia, seu mortalia. Quæritur jam, quomodo ergo inter le differant peccatum mortale, & veniale, vel quibus definitionibus, aut descriptionibus discriminentur.

86. Varias descriptiones peccati mortalis, & venialis, itémque differentias inter hæc duo, videre potes apud Tannerum *tom. 2. disp. 4. q. 5. dub. 2.* Oviedo in 1. 2. tr. 6. *contr. 3. punct. 2.* & alios. Mihi non vacat omnes examinare: conformiter ad definitionem peccati in genere,

datam n. 3. quod sit libera transgressio legis Divine, potest hic, & nunc, convenienter definiti peccatum mortale, libera transgressio legis Divine graviter obligantis. ita Arriaga *tom. 1. in 1. 2. tr. de vitiis, & peccatis. disp. 48. sect. 5. n. 18.* & teste quodam doctissimo recentiore in *manuscriptis*, alii recentiores complures. Particula *graviter* significat *submissione ultimifinis*, quod mihi videtur optimè dici: vel, ut habet Arriaga *cit. sec. n. 19. sub reatu incurrendæ inimicitie Divine*, quod non rejicio. Nec contrarius est S. Thomas, aut Suarez in 1. 2. tr. 5. *disp. 2. sec. 1. n. 3. & seq. vel alii*, dum dicunt, quod peccatum mortale sit *aversio ab ultimo fine, & implicita, seu interpretativa, & virtualis prælatio creaturæ DEO;* nam reipsa nobiscum coincidunt; actus enim graviter malus est talis aversio; quia graviter prohibitus est: unde has, aut similes definitiones, non impugno.

87. Per liberam autem transgressionem intellige deliberatam, seu factam cum plena advertentia. ita auctores communiter; quia peccata tam gravis supponit culpam, ex pleno rationis usu, clara gravitatis cognitione, & plena voluntatis determinatione, profectam; delictum enim, ex imperfecta cognitione, ac semiplena deliberatione, proveniens, commiserationem aliquam, & poenæ mitigationem poscere videtur: atque adeo veniale, non mortale reputatur. ita communissimus auctorum omnium sensus: quæ ipsa auctoritas est maximi hac in re ponderis. Ratio ulterior etiam est; quia, cum peccatum mortale constituat DEI inimicum, & æternis poenis dignum, non est credendum, hominem reum fieri tantæ poenæ, atque miseræ, per eam actionem, in quam incidunt sæpe etiam ij, qui timoratifsimæ conscientie sunt, imò, quæ naturæ fragilitati vix evitabilis est: certè opposita sententia nimium gravaret fidelium conscientias peccatis innumeris.

Quanta autem claritas in cognitione, aut quanta deliberatio in voluntate, prærequiratur, DEUS optimus, & æquissimus iudex, solus optimè novit: & fatentur communiter auctores, hanc rem difficulter posse decidi. Quidam recentior cenlet, vetosimilius tantam saltem requiri cognitionem, & deliberationem, quantum ad contractus, & negotia magni momenti, afferre solemus. Hinc communiter dicunt, semisopitos, & semiebrios, non habere sufficientem deliberationem in suis actibus, ad hoc, ut sint mortales. Ita Valquez, & Cajetanus apud Tannerum *tom. 2. disp. 4. q. 5. dub. 5. num. 10.* quibus videtur ipse consentire. Idem tradit Layman *l. 1. tr. 3. c. 5. n. 12.* citans insuper Navarrum, & Medinam: additque, sobrios quoque, & vigilantes, posse subita passione iræ, timoris &c. vel etiam alienis cogitationibus ita implicari, aut distrahi, ut non sint capaces majoris deliberationis, quam semisopiti, aut semiebrii, hoc est, tantum imperfectæ.

88. Oviedo in 1. 2. tr. 4. *contr. 1. punct. 2. n. 27.* addit sequentes conjecturas, ex quibus prudenter possit inferri, non adfuisse, nisi, imperfectam deliberationem. 1. Si ætas sit imbecillis; hinc ante septennium, ait, in dubio præsumi imperfectam deliberationem. 2. Si quis sæpe firmiter statuit, non peccare mortali-

ter, habet in dubio juxta hunc auctorem præsumptionem pro se, quod non consenserit. 3. Si quis facile possit exequi peccatum, & tamen nolit, ait idem, talem præsumere posse, quod non consenserit. 4. Adit, ex communitate contingentibus sumi vehementer præsumptionem: unde diu assuetus resistere, potest præsumere, etiam hac vice se resistisse: at assuetus cedere, & labi, potest sibi persuadere, se quoque hac vice lapsurum.

Has tamen conjecturas Palao tom. 1. tract. 2. disp. 2. p. 6. num. 5. vult, non semper dubium tollere, nec à confessione excusare. Et potest utique contingere, ut quis habeat conjecturas æquales, etiam in oppositum. e. g. aliquis hucusque quidem non consensit mortaliter, sed tamen semper magis peccavit venialiter, & negligentior fuit in tentatione repellenda, talis utique non potest statim præsumere, se etiam hac vice non peccasse graviter. Interim illæ conjecturæ sæpe juvant ad prudens formandum iudicium de non consensu.

89. Reliqua, in definitione posita, sunt satis clara: scilicet debet lex, cujus transgressio sit, graviter obligare, & hoc aliquo modo agnosci; cui enim prorsus nihil incidit de malitia actionis, effi multum deliberet ob alias rationes, an sit faciendum, an non, si dein eam faciat, non peccat. e. g. si quis nescit diem festum, & deliberat, an velit laborare, an ob recreationem velit à labore cessare, etiam si ad laborandum se determinet, non peccat: imò probabiliter potest bene agere, & mereri, si ex motivo virtutis tunc laboret. Per amissionem ultimi finis intelligitur amissio DEI, seu visionis beatificæ ejusdem, & felicitatis æternæ, cum qua etiam semper connexus est reatus indignationis, ac odii Divini, & poenæ æternæ.

90. Jam bonitas definitionis probatur ex eo, quod sit clarior definito, & absolute in se cuique facile perceptibilis: conveniat etiam omni, & soli definito &c. Quod si exspectas, ut fiat per prædicatum primum, in hoc quoque non deficit, ut constat ex num. 7. saltem quoad considerationem Theologicam. Dein esse talem transgressionem, est prædicatum differentiale negativè primum; quia posita ea lege, & actu primo indifferente, nihil est prius, quam deliberata determinatio voluntatis, ad volendum, vel nolendum, se submittere legi: & casu quo se non submittat, adeoque peccet, nihil est prius, quam transgressio legis. Uterius etiam est primum prædicatum positivè; quia ex hoc alia prædicata, quasi proprietates emanant, ut virtualis, vel interpretativa averisio ab ultimo fine, & conversio ad creaturam; quia, dum quis agit contra legem, cujus observationi scit annexam consecutionem ultimi finis, eo ipso virtualiter, & interpretativè, se abdicat ultimo fine, & suo modo illi præferat creaturam. Insuper ex hac transgressione sequitur reatus inimicitie Divinæ, & poenæ æternæ; quia peccans reddit sibi DEUM iratum, & offensum. Sequitur etiam privatio gratiæ sanctificantis, ac filiationis adoptivæ DEI, atque hereditatis cœlestis, si hæc prius aderant &c. quæ consequenter non sunt prædicata prima peccati, sed proprietates: adeo-

que prædicatum liberæ transgressionis legis Divinæ, graviter obligantis, est primum.

91. Quænam autem lex graviter, quænam leviter obliget, optimè desumitur, imprimis ex communi doctorum, & hominum proborum sensu, aut consuetudine, quæ est optima legum interpres: vel ex Pontificum declaratione, aut Ecclesiæ sensu &c. Accedunt alia signa: & imprimis, ut ait Suarez in 1. 2. tract. 5. de peccatis disp. 2. sec. 4. num. 19. si lex continetur in Sacris Scripturis, & actio prohibita vocatur morte digna, ut ad Rom. 1. v. 32. vel excludere à regno DEI, ut ad Galat. 5. v. 21. vel si DEUS ob illam minuetur cœli privationem, vel poenas inferni, vel aliud grave malum per vocem *ut*: vel si Scriptura actionem, aut omissionem aliquam detestetur, vocet abominationem, nefas &c. censetur lex obligare sub gravi.

Cum verò utitur Scriptura mitioribus verbis, ait Suarez, loc. cit. signum esse, quod censenda sit obligatio venialis, e. g. S. Jacobus, dum in sua epistola c. 1. v. 15. docet, quod peccatum consummatum generet mortem, indicat, non consummatum, hoc est, non pleno consensu admissum, non generare mortem, adeoque non esse mortale, aut grave: quando S. Paulus ad Ephes. 5. v. 4. dicit de scurrilitate, & stultiloquio: *Quod ad rem non pertinet*, non videtur gravem culpam in ea per se agnoscere. Sæpe autem res ipsa, aut materia, assertet secum gravem obligationem; quia est in se gravis, ut blasphemia, odium DEI &c. de qua re inferius.

92. In legibus humanis, attendendum ad verba, quibus obligatio exprimitur. Sic, si Pontifices aliquid prohibent sub poena peccati mortalis, sub gravi censura, ipso facto incurrenda &c. gravis obligatio merito adstruitur, quæ etiam merito asseritur, si obligatio levis non sufficeret, ad obtinendum finem legis. Quod si nulla lex positiva extet, sed ea potius naturalis sit, tunc naturali etiam ratione utendum; sicut enim hac discernimus malum à bono, ita etiam debemus discernere majus malum à minore.

Sed in his omnibus utique attendendum ad sensum SS. Patrum, atque Doctorum, juxta quem exponendæ sunt Sacre Scripturæ. Sic putat Bellarm. tom. 3. controv. 1. l. 2. de effectu Sacramentorum c. 17. quando Scriptura dicit, aliquem ob aliquam actionem periturum de populo suo, non semper indicari reatum culpæ mortalis; cum etiam ob tactum cadaveris, & lotionem postea non adhibitam, hæc poena statuatur. Adit, per hanc poenam intelligi, vel mortem corporalem, vel etiam tantum aliquam exclusionem, seu quasi excommunicationem, aut separationem à populo reliquo. Pariter etiam sensus Canonum, & legum positivarum, multum pendet ab interpretatione, usu, & sensu doctorum.

93. Quæres, quænam peccata dicantur, ex genere suo mortalia, quænam venialia. Resp. Illa censentur ex genere suo mortalia, quæ intra genus, vel speciem suam, aut semper sunt mortalia, aut, si non semper sint talia, tamen ita possunt crescere, ut non addita alia specie fiant mortalia. Venialia autem ex genere suo dicuntur illa, quæ, nisi accedat alia species peccati, nunquam sunt mortalia. Prioris classis sunt, odium, vel contemptus DEI; ista enim, si for-

maliter talia sint, semper sunt mortalia: item furtum, quod, licet in modica quantitate non sit mortale, tamen intra speciem suam potest esse mortale, e. g. furtum centum florenorum est certè mortale: sic etiam se habent odium proximi, sic gula &c. Secundæ classis sunt e. g. mendacium, quod semper est contra solam veracitatem, manet tempore veniale: nec fit mortale, nisi, ratione detractionis, vel alterius circumstantiæ specificæ, fiat contra justitiam, fidem, charitatem &c. Putant autem Tannerus tom. 2. disp. 4. q. 5. dub. 5. n. 99. & Oviedo tr. 6. contr. 3. punct. 4. n. 41. ex genere suo venialia esse, quæ sunt contra virtutes liberalitatis, magnificentiæ, eutrapeliæ, veracitatis. Adit Tannerus n. 91. avaritiam duplicem esse, unam contra justitiam, quæ committitur, injuste acquirendo, vel retinendo: & hanc ex genere suo esse mortalem; nec præcisè contrariam esse liberalitati: alteram verò esse, quæ præcisè ita in amore inordinato divitiarum, & purè opposita est liberalitati: & hanc ex genere suo esse tantum venialem: estque etiam hæc doctrina clara S. Thomæ 2. 2. q. 118. a. 4. in corp.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

94. **O**B. 1. contra dicta n. 84. quod non omnia peccata sint mortalia. *Matth. 5. v. 19.* dicitur: *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Rursus *Jacobi 2. v. 10.* dicitur: *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omni-m reus.* Item, *Ezechielis 18. v. 20.* *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: ergo omne peccatum, quantumvis minimum, est mortale.* Resp. neg. conseq. Textus primus, ut censet Maldenarus, loquitur de mandatis, non absolute, sed respectivè ad opinionem Phariseorum, minimis, qualia erant peccata etiam graviora interna cogitationum, seu concupiscentiæ internæ; hæc enim peccata Pharisei non putabant graviora, & hinc facile committebant: in quo errore etiam fuit Josephus Hebræus l. 2. art. quitatum, de quo vide Cornelium a Lapide in *bunc locum*. Roboratur explicatio sequentibus verbis à Christo subjunctis, *Matth. 5. v. 20.* *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum, ac Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum:* quasi diceret, nisi magis observaveritis legem, quam Pharisei, qui hæc minima vocant, non admittemini in cœlum. Bellarm. tom. 4. controv. 2. l. 1. c. 12. putat, per minima intelligi mandata veteris testamenti, quæ, quia minus perscrutabantur hominem, ideo minima sint dicta. Conzen in *bunc textum*, & alii dicunt, non vocari minimum, qui tantum fecerit, sed qui etiam docuerit; nam e. g. licet mendacium facere, vel dicere, sit veniale, tamen docere, mendacium esse licitum, est mortale, & hæreticum.

95. Ad 2. textum Resp S. Jacobus non ait, qui tantum in uno peccato levi offendit, factus est omnium reus; nam leve peccatum non est simpliciter transgressio legis, nec contra, sed

præter legem, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. qui autem legem simpliciter non transgreditur, non potest dici reus transgressionis omnium legum; unde subintelligitur: qui offendit in uno gravi; talis enim reus est non observatæ totius legis: quæ tamen observatio necessaria est ad salutem, contra quam olim sentiebant Rabbini, qui putabant, observationem legis, aut legum, quoad majorem partem, sufficere ad salutem. Verbo: talis reus est non observatæ totius legis collectivè sumptæ, cujus observationem, si quis non exhibuerit, reus erit poenæ æternæ, & punietur æquè poenâ æternâ (quanquam minori) quam, si omnes leges violasset. Tertius textus non venit ad rem; nam propheta tantum vult dicere, eum ipsum, qui peccaverit (intellige graviter) moriturum, & non alium loco ipsius, e. g. non moriturum filium pro parente: nunquam autem propheta dicit, omnem, etiam leviter tantum peccantem, moriturum. Alii respondent, eum textum intelligendum de peccato simpliciter dicto, hoc est, mortali: & certè ibi propheta gravissima enarrat peccata.

96. Ob. 2. DEUS est ens perfectissimus: ergo non potest, nisi graviter offendi: atqui omne peccatum, quantumvis videatur leve, est offensiva DEI: ergo graviter DEUM offendit. Confirm. Omnis offensiva DEI est infinitæ malitiæ: ergo est gravis. prob. antec. omnis offensiva est contemptus DEI, & inhonoratio ipsius præsentis: ergo est infinitæ malitiæ. Resp. neg. conf. nec enim spectat ad dignitatem DEI, ut non possit, nisi graviter offendi: sed potius congruit ejus bonitati, ut cum creatura meat amicitiam, non ob quascunque causas minimas, & moraliter inevitabiles, dissolvendam: ita respondent ii, qui dicunt, peccatum veniale esse offensivam DEI. Qui verò id negant, possunt transmittere totum primum enthymema, & negare mi. subsumptam; nam saltem proprie, & strictè loquendo, peccatum veniale non est offensiva DEI. Sed de hoc redibit sermo inferius, num. 111. & 133. quando de peccato veniali.

97. Ad confirm. neg. antec. Nullum peccatum mortale, etiam quantumcumque grave, est simpliciter infinitæ malitiæ, ut fuse dicemus tr. de incarn. ad prob. neg. ant. sive nego, quod quodlibet minimum veniale sit contemptus DEI formalis: imò nullum peccatum veniale est contemptus DEI virtualis; cum homo, venialiter peccans, semper adhuc virtualiter præferat DEUM omnibus aliis; non enim est verum, quod peccans venialiter, e. g. levi gula, præferat eam voluptatem DEO; cum semper paratus sit, & hanc voluptatem, & omnia prius relinquere, quam DEUM graviter offendere.

Unde non est contemptus DEI, sed ad summum contemptum aliquis interpretativus alicuius mediæ, vel boni conducentis ad DEUM, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. Quamvis autem DEUS per omnem legem, sicut per omnia alia, ultimò intendat gloriam suam, non tamen eam intendit semper graviter obligando, sive sub interminatione odii sui, & inimicitie: consequenter nec per omnem actionem contrariam propriè contemnitur: nec peccatum veniale displicet DEO, ut oppositum ejus dignitati, sed tantum ut alicui bono ab eo intento.

98. Ob. 3. Omne peccatum adversatur primo mandato, diligendi DEUM super omnia: ergo adversatur fini legis, seu dilectioni, & amicitie Divinæ: ergo est eo ipso grave. Confir. Peccans quicumque, etiam tantum in minimo gradu, tendit in alium finem ultimum, quam DEUM: ergo avertitur à DEO ad creaturam. Resp. neg. antec. Mandatum illud vult tantum, ut nihil DEO præferatur, aut adæquetur, sed ipse toto corde, hoc est, super omnia ametur: quod totum stare potest cum peccato veniali; quia etiam venialiter peccans, ut dictum num. præced. præfert adhuc DEUM omnibus aliis.

Illam autem actualis semper dilectio DEI, tam perfecta, ut excludat omnem, etiam culpam venialem, non præcipitur ea lege, sed tantum indicatur, ut ait Bellarm. tom. 4. controver. 2. l. 1. c. 12. §. Respondeo. Dilectio, cum sit propria statui Beatorum potius, quam mortalium: certè ea dilectio non præcipitur sub gravi; potest enim lex aliquid præcipere sub gravi, aliud sub levi, ut patet in præcepto prohibente furtum. Addit Bellarminus ibidem, multos in Sacra Scriptura laudari, quòd toto corde secuti sint Dominum, vel ambulaverint in omnibus justificationibus eius, ut Davidem, Josiam &c. cum tamen Jacobi 3. v. 2. dicatur: *In multis enim offendimus omnes.* & 1. Joann. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Ad confirm. neg. antec. cum enim venialiter peccans nihil præferat DEO, ut dictam, nihil etiam sibi constituit finem ultimum extra DEUM. Nec dicas, saltem non posse peccando venialiter DEUM habere pro ultimo fine; cum peccatum hoc ad DEUM referri non possit. Resp. enim cum Suarez in 1. 2. tract. 5. sec. 4. n. 11. ultimum finem sub gravi non exigere, ut omnia ad ipsum referantur (quanquam utique levis inordinatio sit, aliquid facere, quod ad eum referri non possit) sed tantum exigere, ut nihil ei præferatur: qui autem venialiter peccat, nihil illi præfert, nec in creatura, tanquam sine quiescit, sed tantum, ut ait hic auctor, vult circa creaturam nonnihil immorari. Unde talis actus non tendit in ultimum finem, nisi fors in aliquo sensu negativè talem, qualem sæpe quis potest statuere creaturam, saltem sine gravi peccato, quandoque sine ullo, maximè, quando de fine positivè ultimo non cogitat.

99. Ob. 4. Nulla pura creatura potest satisfacere etiam pro minimo peccato: ergo quodvis est malitiæ infinitæ, adeoque saltem mortale. Confir. Quodvis malum culpæ est majus quovis malo pœnæ: ergo est infinitum, adeoque saltem mortale. Resp. 1. neg. ant. de quo suscipimus agemus tr. de incarnat. Resp. 2. om. antec. neg. conseq. quia nec mortalia sunt infinitæ malitiæ, ut iterum suscipimus dicemus tractat. de incarnat. Qui antec. admittunt, dicunt, creaturam satisfacere non posse pro veniali ideo; quia hoc, utpote offensæ strictè dictæ, est in superiori ordine ad omne meritum purè creaturæ: non autem ideo; quia est malitiæ infinitæ.

Ad confirm. Resp. cum Suarez in 1. 2. tr. 5. disp. 2. sect. 5. conc. antec. neg. conseq. Ex eo, quòd malum culpæ sit majus malo pœnæ, non sequitur, quòd sit malitiæ simpliciter infinitæ, sed ad summum, ut ait Suarez, aliquo

modo secundum quid, si per hoc aliud non intelligatur, quàm, quòd peccatum sit altioris ordinis, sicut equus respectu pecunie est altioris ordinis: de qua re plura tract. de incarn. Pariter ex eo, quòd malum culpæ sit majus malo pœnæ, non rectè inferitur, posse pro veniali peccato exigere pœnam æternam; nam, ut rectè Bellarm. tom. 4. controver. 2. l. 1. c. 24. culpæ ex ratione justitiæ debetur pœna, non æqualis (cum omnino æqualis esse non possit) sed proportionata, ut scilicet majori delicto respondeat major pœna, & minori delicto minor pœna, & levissimo levissima, juxta æquissimum DEI judicium. Unde, quamvis potius sit oppetenda mors, quam profertendum verbum otiosum, non tamen ideo potest verbum otiosum æterna morte puniri.

Esparza l. 5. q. 7. a. 2. ad 9. neg. 1. quòd peccatum veniale sit simpliciter majus malum, quam pœna inferni, ex eo, quòd hæc sit formalis, & æterna separatio à DEO, & privato ultimi finis, nec etiam, secluso saltem errore, eligibilis sit, sed creaturæ rationali maximè noxia: itémque secum ferat mortalem necessitatem gravissimorum peccatorum: quæ de veniali peccato dici non possunt, quamvis hoc ex alio capite secundum quid majus malum sit: quia scilicet simpliciter intelligibile est, nec à DEO, qui tamen eligere potest infernum, tanquam pœnam, quam graviter peccantibus infligat. Prior responso mihi sufficit, hanc secundam omittit.

100. Ob. 5. DEUS potest etiam innocentem damnare ad pœnas æternas: ergo multò magis potest ad eas damnare eum in peccato quamvis minimi. Confir. DEUS præmiat minimum quodvis meritum præmio æterno: ergo etiam potest quodvis peccatum punire pœnâ æternâ. Resp. neg. antec. Damnare innocentem DEUS certò non potest; quia damnari convenit tantum reis, quæ non sunt innocentes. Sed neque DEUS potest (ut mihi saltem longè probabilius videtur) æternum torquere innocentes, non tantum in hac providentia (in qua promittit innocentibus non solum immunitatem ab omni pœna æterna, sed etiam æternum gaudium) sed nec in alia.

Quamvis enim ista tormenta non essent contra justitiam, eoquòd DEUS suam creaturam, jure domini, tractare possit secundum placitum suum, tamen essent contra eas miserationes, ut rectè docet Arriaga in 1. 2. de vitii, & peccatis disp. 55. sec. 3. num. 10. Certè, si quis homo suam ovem torreret vivam, & ita quidem, ut illam sapius removeret ab igne, nec citò moreretur, ac iterum applicaret igni, quamvis non injustus esset, esset tamen barbarus. Et quid esset hic cruciatus respectu æterni cruciatus inferni, creaturæ rationali infligendi. Ad confir. neg. conseq. Maxima præmia etiam parvis meritis rependere, indicat magnam liberalitatem, quæ est virtus: at maximas pœnas inferre minimis delictis, indicat crudelitatem, quæ est vitium, longè à DEO remotum.

101. Ob. 6. Minimum peccatum probabiliter æternum punitur in inferno: ergo est mortale, prob. antec. tamdiu peccatum punitur, quamdiu manet: sed minimum peccatum sæpe manet in æterno: ergo, prob. mi. si quis moriatur cum gravi peccato, nondum expiato,

& cum alio levissimo, tunc etiam istud semper manet; quia non potest in inferno deleri: ergo. Resp. Antecedens deberet verificari in eo casu, quo quis habens mortale simul cum veniali, moreretur ante actam poenitentiam.

Et in hoc quidem casu Suarez, Vasquez, & alii plures, dicunt, tale peccatum veniale æternum puniri per accidens; quia pro eo in illo statu satisfieri nequit. At verò Scotus, Gabriel, Major, Medina, Navarrus, Vega, & Arriaga, quibus videtur consentire Haunoldus l. 2. tr. 2. n. 58, dicunt oppositum. Et Arriaga quidem citat pro se S. Thomam: sed, ut fatetur Haunoldus, est dubium, cui parti accesserit. Certè textus Angelici. q. 7. de malo, quæ est de peccato veniali. a. 10. in corp. favet Suarezio; sic enim habet: *Veniale autem peccatum, cum non sit contra charitatem, non meretur pœnam æternam, ex specie peccati, nec ex parte inherentiæ ad subiectum, per se loquendo; quia non privat gratiâ: sed per accidens sit irremissibile, peccato mortali conjunctum, in quantum est in subiecto privato gratiâ, & sic per accidens punitur pœnâ æternâ.* Rationes pro utraque parte vide apud Haunoldum loc. modo cit.

In forma dist. antec. minimum peccatum punitur æternum per accidens, om. antec. per se, neg. antec. & conseq. ad prob. Scotus & alii, qui negant, peccatum veniale puniri æternum, distinguunt ma. tamdiu peccatum punitur, quamdiu manet, si nondum sit condignè punitum, conc. ma. secus negant ma. & om. min. neg. conseq. dicuntque, peccatum, seu reatum culpæ, manere posse sine reatu pœnæ; neque in moralibus esse impossibile, ut maneat essentia sine proprietatibus: sicut potest manere sacramentum matrimonii sine proprietatibus, e. g. cessante debito ob adulterium &c. Ad id autem, quòd dicitur, in inferno nullam esse redemptionem, respondet, non esse redemptionem in hoc casu, sed solutionem.

Nec dicas, ad solutionem requiri satisfactionem, quæ dari non possit sine gratiâ. Respondet enim, ad solutionem sufficere satisfactionem, quæ potest haberi etiam ab invito; consequenter etiam à damnatis, & furentibus; quorum furor, licet sit novum peccatum; cum tamen non amplius spectet ad viam, sed jam ad terminum, non imputatur ad augmentum pœnæ: & sic etiam Suarez in 1. 2. tr. 5. disp. 2. sec. 1. n. 1. ait, demones committere peccata mortalia, quæ non puniantur novis pœnis. Alii totam probationem concedunt: sed ajunt, non antecedens, sed consequentiam fuisse probandam; quia non omne id, quòd tantum per accidens, sed, quòd per se punitur pœnâ æternâ, est mortale. Quidquid de hoc sit, facile etiam ad probationem respondemus, omittendo totum; quia plus non probatur, quam, quòd per accidens æternum puniatur peccatum veniale; hoc autem non probat, id esse mortale.

102. Ob. 7. Peccatum juxta nos veniale sæpe parum distat à mortali, e. g. in materia furti, ubi modica differentia potest ex veniali facere mortale, vel vicissim: ergo vel non potest mortale supplicio æterno affici; quia infinitum distaret una pœna ab altera: vel utrumque debet supplicio æterno affici, adeoque etiam veniale

esse mortale. Resp. dist. antec. Peccatum veniale parum distat à mortali, secundum objectum materiale, seu materialiter sumptum, conc. antec. secundum objectum formale, seu formaliter sumptum, neg. antec. & conseq.

Si genus peccati capax est parvitas materiæ, & materia adhuc parva est, nondum est graviter prohibita; esset enim intolerabile, si quævis minima materia in furto, vel minimus excessus in potu, graviter jam prohibitus esset: formalis autem malitia peccati mortalis, stat in oppositione cum lege graviter obligante: ergo, ubi non datur talis lex, nondum datur gravis malitia formalis, etsi materiæ sint valde propinquæ. Sic, si desint adhuc modicæ guttæ, nondum navis submergitur, etsi multum jam aquæ sit in sentina, & propter depressionem navigium jam sit propinquum submersioni.

103. Nec dicas, posse materiam gravem prohiberi sub levi: & consequenter etiam materiam levem sub gravi; respondet enim Suarez in 1. 2. tr. 5. disp. 2. sec. 4. n. 9. licet non possit dubitari, quòd DEUS, ut absolutus dominus, materiam levem sub gravi prohibere possit: at tamen hic præcipiendi modus non esset consentaneus ejus sapientiæ, ac suavi providentiæ. Ex quo tamen videtur sequi, quòd DEUS absolute non possit ita præcipere; cum non possit aliquid contra suam sapientiam facere; hinc Suarez tantum videtur velle dicere, quòd DEUS, si hoc per impossibile faceret, nihil facturus esset, quòd excederet jus suum in creaturas. Quidquid autem de hoc sit, quòd alibi disputandum est, saltem DEUS de facto non ita prohibuit omnem materiam levem sub gravi, & si quam ita prohibuit, ea, licet in se sola fuerit levis, spectatis tamen circumstantiis fuit gravis, ut e. g. gelus pomi, prohibitus Adamo, res gravis fuit ratione additi pacti. Sic etiam gravis est comestio minima ante sumptam Eucharistiam, ratione finis ab Ecclesia in eo præcepto intenti.

104. Ob. 8. S. Augustinus variis locis videtur innuere, quodvis minimum peccatum mereatur infernum, vel saltem plura venialia æquivalere uni mortali: ergo. Resp. hac de re videndus est Bellarm. tom. 4. controver. 2. l. 1. c. 13. ubi fusè ostendit, S. Augustinum nunquam docere, quòd unum veniale peccatum mereatur infernum, sed, dum de uno loquitur, sermonem esse ipsi de peccato mortali, quòd etiam homini potest esse incognitum, quamvis verè admittitur, & necdum expiatur. Quando autem S. Doctor de multis venialibus loquitur, piè exponendum est cum eodem Bellarmino loc. cit. scilicet, quòd velit dicere, peccata venialia disponere ad mortalia, & sic aliquo modo iis æquivalere. Etsi autem verba aliqua fortè difficulter ita intelligi queant, tamen ita intelligenda sunt, nec rigorosè accipienda, ne S. Augustinus dissentiat à communi doctrina Ecclesiæ, & Conciliorum.

105. Ob. 9. S. Basilii in Regulis, seu quæstionibus brevius disputatis. q. 293. dicit, differentiam hanc majorum, & minorum peccatorum nusquam in novo testamento reperiri: ergo juxta S. Basilium omnia peccata sunt æqualia, adeoque omnia mortalia. Resp. cum Suarez in 1. 2. tr. 5. disp. 1. sec. 2. n. 8. aut ab hæreticis verba illa fuisse addita: aut librum illum omnino non esse

S. Basilii: aut etiam tantum velle, Christianis omnia omnino peccata, esse sine distinctione vitanda. Et hoc ultimum præsertim videtur velle S. Pater; quia interrogatio ibi fit: *Quomodo agi par est cum iis, qui, cum majora peccata declinent, minora, ac si nihil referrent, committunt.* Quasi diceret, iis dicendum, quod omnia sint magna, & vitanda: inter alia ait, *magnum unicuique esse illud, à quo quisque superatur: contraque exiguum, quod unusquisque ipse superat.* Cæterum alibi differentiam peccatorum statuit, vid. Suarez loc. cit.

ARTICULUS III.

Quid sit Peccatum Veniale.

106. **D**ico. Peccatum veniale est libera transgressio legis, non graviter obligantis. ita Arriaga tom. 1. in 1. 2. tr. de vitiis, & peccat. disp. 48. sec. 5. n. 18. & recentiores complures. Definitio hæc convenit omni, & soli: insuper est clarior definito; quia cuilibet rationis capaci statim patet, quid sit libera transgressio legis, & in confuso etiam, quid sit lex, non graviter, hoc est, non sub amissione ultimi finis, obligans. Addi tamen debet explicatio aliquot terminorum, ut vindicetur à nonnullis objectionibus. Dicitur primò libera; quamvis enim ad veniale peccatum, juxta communem, non requiratur plena libertas, aut deliberatio, sed sufficiat semiplena (quia etiam ista est aliqua libertas indifferentiæ) tamen aliqua imperfecta libertas debet adesse; ubi enim est plena necessitas, absque ulla libertate, peccatum nullum esse potest.

Dicitur secundò transgressio legis. Intelligenda autem hic lex, & transgressio, sive contrarietas, si non simpliciter talis, certè lex, & contrarietas, aut transgressio secundum quid, sive latius dicta; nam S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. expressè docet, peccatum veniale non esse contra, sed præter legem, quem plures alii sequuntur. Unde nolim absolute defendere, peccatum veniale esse strictè contrarium legi strictè dictæ. Bellarm. tom. 4. contro. 2. l. 1. c. 11. ait, peccatum veniale non esse propriè, & simpliciter, contra legem, sed tantum secundum quid. Oviedo in 1. 2. tr. 6. contro. 3. punct. 3. n. 38. ait, venialia quidem lege prohiberi, & legem, quæ tantum venialiter obligat, habere quidem essentiam metaphysicam legis: communi tamen modo loquendi non venire nomine legis, seu mandati.

107. Suarez in 1. 2. tr. 5. disp. 2. sec. 5. n. 10. meo judicio prudenter ait, peccatum veniale esse aliquo modo contra præceptum; quia est contra dictam rationis, nobis dictans, id esse prohibitum, vel culpabile: item quia Levitic. 19. v. 12. prohibetur mendacium etiam leve: *Non mentiemini.* & rursus, Ecclesiastici 7. v. 14. *Noli velle mentiri:* at verò moraliter loquendo, ait idem Eximius num. 11. peccatum leve non esse contra legem, nisi secundum quid; qui enim non graviter peccat, simpliciter dicitur servare legem.

Nam si servat legem, seu mandata, qui po-

test ad vitam ingredi. Matth. 19. v. 17. atqui potest ingredi ad vitam, etiam venialiter peccans; quamvis enim peccatum veniale differat illum ingressum, non tamen simpliciter à regno cœli excludit. Rursus, taliter peccans, adhuc diligit DEUM: ergo servat mandata, seu legem, simpliciter loquendo, ut ait Christus Joan. 14. v. 15. Nec dicas, per veniale peccatum non diligit DEUM; nam Christus non loquitur de dilectione actuali, sed habituali (aliàs, qui non actu diligeret, actu non servaret mandatum, & peccaret, quod est falsum; cum præceptum positivum amandi DEUM non obliget pro semper) habitualis autem dilectio stat cum veniali peccato. Accedit, quod charitas sit adimpletio legis Matth. 22. v. 40. & ad Rom. 13. v. 18 & tamen stet cum levi culpa.

108. Addit Bellarm. tom. 4. contro. 2. l. 1. c. 11. de SS. Zacharia & Elisabeth Luc. 1. v. 6. dicit, quod fuerint *incedentes in omnibus mandatis;* cum tamen non caruerint venialibus peccatis, eoquod 1. Joan. 1. v. 8. dicatur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Tandem iterum ait Suarez loc. cit. num. 12. alia præcepta, distincta à præcepto charitatis, in tantum habere rationem præcepti, in quantum nuntur jillo præcepto charitatis, juxta illud Matth. 22. v. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & propheta:* ex quo inferit, quod illud quod charitati contrarium non est, non censetur ulli præcepto perfectè contrarium. Hæc pro sententia S. Thomæ, & ad eruditionem. Quodsi tamen quis contendat, peccatum veniale esse contrarium legi strictè dictæ, poterit id, salva nostra conclusione, admitti, modò omnia explicentur juxta ultimam responsonem num. 8. datam.

Tandem in definitione dicitur *legis non graviter obligantis:* intellige, hic & nunc, sive in his circumstantiis, non graviter obligantis; nam potest peccatum veniale committi contra legem, quæ quidem per se, & absolute graviter obligat: at tamen non ita obligat hic & nunc, e. g. prohibet lex per se graviter actus internos contra caritatem, sed, in desit libertas, & deliberatio plena, non peccat graviter; quia protunc, seu in illis circumstantiis, lex non graviter obligat, sicut quando omnino tolleretur libertas, omnino non obligaret sub peccato.

109. Jam tria genera peccatorum venialium communiter assignantur 1. *Venialia ex objecto.* 2. *Venialia ex parvitate materiæ.* 3. *Venialia ex defectu deliberationis, seu libertatis.* Prima etiam possunt dici venialia ex genere suo; quia scilicet objectum, quod attingunt, intra genus, vel speciem suam, si nempe non jungatur alia species, est semper quid parvum: & de his dictum n. 93. Secunda sunt illa, quorum quidem objectum, vel materia ex genere suo mortalis est, ita, ut sine addita nova specie sit peccatum grave: at hic & nunc in tam modica quantitate attingitur, ut grave non censetur: tale est furtum crucigeri diviti factum; quam enim furtum in suo genere possit esse grave, tamen tam parvum furtum non est grave. Tertia sunt, quorum objectum per se est grave, & si plenè deliberatè ea peccata fierent, mortalia essent; hic & nunc autem excusantur à mor-

mortali ob imperfectam deliberationem, de qua n. 87. Talia sunt desideria impudica in semilapitis &c.

110. Ex his collige, quomodo peccatum per se, seu ex genere suo, mortale, possit per accidens fieri veniale, scilicet, si non fiat cum plena deliberatione, vel in materia tam parva, ut gravis culpa non sit, cuius exemplum est furtum crucigeri paulò antè allatum: & par est ratio de aliis, in quibus parvitas materiæ dari potest: quæ tamen non potest dari in omni genere peccati; quia aliqua peccata dantur, in quibus admitti non potest parvitas materiæ: sed de his dicemus inferiùs à n. 140. Adde ignorantiam, qua quis inculpabiliter, saltem sine gravi culpa vel omnino invincibiliter judicat, esse tantum veniale, quod est ex se mortale; hæc enim circumstantia etiam ex mortali facit veniale.

Econtra autem, peccatum ex genere suo veniale, nunquam potest fieri mortale, nisi addatur circumstantia speciem mutans; quia, si ex genere suo veniale est, quantumvis deliberatissimè fiat, grave non fit. Sic, licet reflexè, & attentè, mentiaris, tamen tantum jocose, non peccas mortaliter: si verò e. g. meniendo alterum infameres, aut aliter ei noceres, peccatum posset esse grave: at in eo casu peccatum non esset præcisè in genere mendacii, sive contra veracitatem: sed esset in genere injustitiæ, vel odii, contra justitiam, vel charitatem, pro diversitate casuum.

Idem dicendum esset, si accederet conscientia erronea, dictans, esse mortale, quod in se est tantum veniale, quo casu esset saltem species gravis inobedienciæ, virtualiter talis: vel si accederet formalis contemptus superioris quæ talis: vel intentio finis, graviter prohibiti: vel periculum proximum, alia ratione graviter peccandi: vel scandalum &c. Peccata autem venialia ratione imperfectæ deliberationis, vel parvitas materiæ, sunt mortalia, si, aut crescat materia, ut gravis summa sit, aut grave objectum: vel plena consideratio succedat.

111. Quæres 1. An peccatum veniale sit offensa DEI. Resp. cum S. Bonaventura in 2. disp. 42. a. 2. q. 2. ad 6. seu ultimum, Gormaz de incarnatione n. 315. & 322. Suarez in 1. 2. tr. 5. disp. 2. sec. 5. num. 15. & aliis. Peccatum veniale non est offensa DEI, strictè, aut simpliciter dicta, sed tantum secundum quid, & analogicè dicta. Noto autem, Vasquezium tom. 1. in 1. 2. disp. 100. c. 6. n. 16. dicere, offensam posse dupliciter intelligi: primò, ut significet actionem, quæ sit averfio à DEO, & tollat amicitiam; secundò, ut significet actionem, quæ quocunque modo sit contra voluntatem DEI, eique displiceat, tanquam factum contra rationem. Et quamvis ipse puret, etiam offensam, secundo modo acceptam, esse propriè talem, tamen, ut ipse *ibidem* videtur fateri, alii plures Theologi rationem offensæ constituunt in averfione à DEO, vi cuius amicitia tollitur.

Sanè, ut rectè Gormaz loco modò citato ait, ubi amicitia manet, nec DEI offensæ gratia amittitur, strictè, & simpliciter dicta offensa non est; nam, neque in humanis, censetur statim aliquis simpliciter offensus, si modicum quid contrarium ejus voluntati, aut ei displicens fiat, e. g.

non censetur præceptor simpliciter offensus, vel injuriâ affectus, si discipulus modicam negligentiam contra ipsius voluntatem admittat, quamvis id ei displiceat, & quandoque eum propterea vituperet, aut etiam poenas exigit: sed, ut sit offensa, debet esse aliquid gravius, & ad solvendam amicitiam aptum (nisi juberet DEUS inimicis ignoscere) unde peccata venialia sunt offensanculæ duntaxat, & secundum quid, aut, ut ait Suarez, analogicè tantum dictæ offensa.

Confirm. ex Suarez loc. modò cit. Peccatum veniale, ratione deliberationis minus perfectæ, non est actus simpliciter, & perfectè humanus; hic enim non datur sine plena libertate: ergo neque est simpliciter injuria, sive offensa. Quodsi etiam peccatum sit deliberatum, sed ratione materiæ veniale, nec directè tendens in DEUM, e. g. furtum crucigeri, non videtur propterea DEUS simpliciter esse offensus, sed tantum secundum quid: imò, quando veniale etiam proximè versatur circa DEUM, e. g. modicissima aliqua irreverentia coram SS. Eucharistia, tamen, ut ait idem auctor loc. cit. res. adè leve est, ut moraliter non censetur pertinere ad honorem DEI offendendum, vel injuriâ afficiendum.

112. Quæres 2. An multa peccata venialia non adæquant unum mortale. Resp. nullo modo, quantumvis multiplicentur. ita est communis doctrina, non tantum Theologorum, sed etiam Ecclesiæ, & Conciliorum. Certè, si aliquando venialia mortali æquivalerent, deberent exponi in confessione, contra definitionem Tridentini sess. 14. c. 5. Rursus deberent excludere habitum charitatis, contra communem Theologorum. Accederet, quod piorum conscientia multis ambiguitatibus redderentur perplexæ; cum nullibi extet, quod venialia uni mortali æquivalent. Tandem poena venialium est temporalis: mortalium verò æterna: nunquam autem poenæ temporales, quantumvis multiplicatæ adæquant æternam; quia finita non possunt adæquare infinitum: ergo nec venialia possunt æquare mortale, quantumvis multiplicentur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

113. **O**B. I. contra id, quod diximus n. 106, scilicet ad peccatum veniale sufficere semiplenam deliberationem. Dormiens sæpe habet usum rationis imperfectum: ergo juxta nos venialiter peccaret, si somnio turpi, durante somno, consentiret: sed hoc est contra communem: ergo. Confirm. 1. Christi jugum suave est, & onus leve: non autem foret tale, si etiam actiones semideliberatæ, ad graves purgatorii poenas damnerentur: ergo. Confirm. 2. Ad meritum requiritur plena libertas; ergo etiam ad demeritum, seu peccatum. Resp. si antecedens est verum, etiam verum erit consequens: falsa autem minor subsumpta: ordinariè tamen antecedens est falsum; nec enim durante somno homo elicit ratiocinationes, sed apprehensiones phantasia. Si

accedat aliquis usus rationis, aut iudicii, non est semper perfectus, sed semelominium, & homo tantum semeloptimus.

Ad 1. confir. neg. mi. Tamen est suave jugum Christi, & mandata ejus graviora non sunt; quia probabilis venialia deliberata, & multo magis mortalia, cum gratia Divina (si eam imploramus, eaque dignos nos reddamus,) possumus vitare. Quamvis autem cum gratia ordinaria non possimus moraliter vitare omnia venialia, tantum semelideliberata, possumus tamen probabiliter vitare singula, & physice saltem omnia. Adde, quod valde suavis sit Dominus erga semelideliberatè tantum venialiter errantes; cum facile iterum placeatur, & modica satisfactioe posita, culpam, & poenam remittat. Licet autem poena purgatorii sit valde gravis, puto tamen, eum, qui tantum ex fragilitate humana semelideliberatè peccaret, facile à bono DEO impetraturum gratiam, ut ante mortem ea deleat per indulgentiam plenariam: vel certè, respectivè saltem, parum patere.

Ad secundam confir. om. antec. neg. conf. Meritum supernaturale debet mereri præmium æternum: non autem peccatum veniale poenam æternam. Negabunt alii antec. dicentque, suppositis cæteris, sufficere ad meritum etiam actum semelideliberatum, & assignabunt inter peccatum semelideliberatum, ac talem actum meritorium, hoc discrimen, quod meritum possit excedi à præmio, non verò peccatum à poena, de quo vide Gormaz de merito num. 46. § 47. Saltem negari non potest, meritum semelideliberatum mereri præmium temporale: cur non etiam peccatum semelideliberatum poenam temporalem? Nec dicas, DEUM non ferre leges semeloptimis. Resp. enim, semelideliberatè operantes non esse semeloptimos; cum sint rationales, & actu ratione utantur, quamvis imperfectè: hoc tamen admittendum est, DEUM istos non obligare graviter.

114. Ob. 2. Si Princeps obligaret aliquem sub gravissima poena ad hoc, ut semper tangeret sagittà jactà centrum minimum orbitæ longè distantis, censeretur tyrannus; quia obligaret ad aliquid moraliter impossibile: ergo etiam DEUS esset nimis severus, si obligaret nos, ad vitanda peccata venialia semelideliberata; quia hoc nobis est moraliter impossibile. Confir. Votum de vitandis omnibus peccatis, etiam tantum semelideliberatis, est nullum: ergo etiam nulla est lex, ad ea vitanda obligans. Resp. in primis non esse paritatem, inter illum casum, & nostrum. Jaculator ille, nec physice habet in sua potestate, singulis etiam vicibus tangere metam; quia non omnia pendent ab ipso solo, sed à variis circumstantiis, quæ non sunt semper in ejus physica potestate: dicitur tamen, non esse physice impossibile, attingere semper metam; quia sine miraculo circumstantiæ illæ possunt concurrere.

At verò homo, habet in primis in potestate physica, vitare omnia peccata venialia; dein habet in potestate non tantum physica, sed etiam morali, vitare saltem singula distributivè sumpta peccata venialia, etiam semelideliberata, quamvis non omnia collectivè; unde longè majorem habet potestatem, in ordine ad peccata vitanda, quam alter, ad tangendam metam.

DEUS etiam in particulari tantum obligat ad vitanda singula, quæ si vitentur, vitabuntur omnia. In forma potest distingui antec. Talis princeps censeretur tyrannus, præcisè, quia obligat ad aliquid moraliter impossibile. neg. antec. quia obligaret ad aliquid etiam physice impossibile solis subditi obligati viribus, & quidem antecederet ad omnem illius culpam. om. antec. & neg. conseq.

115. Responderi potest 2. om. antec. neg. conseq. Princeps humanus non est supremus Dominus, ut possit subditi suo talem obligationem imponere: at DEUS est supremus Dominus, atque potest creaturæ sibi subjectissimæ obligationem imponere aliquid faciendi, modò ad illud habeat potentiam physicam: & præsertim id potest, supposito originali peccato. Quamvis autem DEUS per scientiam mediam videat, se ex culpa creaturæ non obtenturum finem sui præcepti, tamen prudenter præcipit; quia videt se obtenturum alium finem, e. g. ostensionem suæ justitiæ, vel misericordiæ: sicut præcipit prudenter evitacionem aliorum peccatorum, etiam gravium deliberatorum, etsi provideat, se non esse obtenturum, quod præcipit. Quomodo autem homo sit necessitatus, ad venialiter, saltem semelideliberatè, peccandum cum gratia ordinaria, & quomodo hæc necessitas stet cum libertate, explicatum fuit tract. de DEO an. 643.

Ad confir. om. antec. Religiosi, dum vota nuncupant, se obligare, non tantum, ad vitandas plenè deliberatas, sed etiam semelideliberatas transgressiones) neg. conseq. non enim habet homo tantam in seipsum potestatem, quantam DEUS: unde, licet ipse sibi non possit hanc obligationem imponere, potest eam imponere DEUS, qui etiam potest dare media sufficientia, quæ sibi ipsi non potest dare homo. Adde tandem, quod hæc obligatio, à DEO posita, levis sit, non gravis: insuper, quod DEUS suavis sit tantum semelideliberatè errantibus.

116. Ob. 3. contra dicta n. 106. Prohibitio peccati venialis est vera ordinatio rationis, in commodum subditorum promulgata: ergo est vera lex: ergo peccatum istud est contra legem strictè dictam. Confir. Peccata venialia dicuntur absolute peccata: ergo debent esse contra legem strictè dictam, ut conveniat ipsis definitio à nobis posita n. 3. Responderi potest, conc. antec. dist. 1. conseq. est lex strictè talis in sensu physico. om. vel. conc. conseq. in sensu morali, in quo solet hic sumi lex Divina. neg. primam, atque etiam secundam conf. vid. n. 106. § 107. Potest etiam juxta nos transmitti totum; nam nihil est nobis contrarium, ut patet ex n. 8. § 108.

Ad confir. Respondet Bellarminus tom. 4. contr. 2. l. 1. c. 11. § 12. neg. conf. Etsi enim peccata venialia vocentur peccata, exinde non inferitur, ea esse simpliciter, & perfectè peccata; cum sæpe id, quod tantum analogicè alicui convenit, absolute ei tribuatur: sic prædicatum entis tribuitur DEO, substantiæ, & accidentibus, quibus tamen, ut multi volunt, non convenit univocè, de quo plura Logici. Videtur autem Bellarmino loco modo citato ex Jacobi 1. posse probari, peccatum veniale non esse peccatum simpliciter, seu perfectum; quia hoc esset peccatum consummatum, quod prædicatum soli

mortali, five, quod generat mortem, ibi v. 17. S. Jacobus tribuit. Nec dici potest, per peccatum consummatum intelligi opere completum; ut Bellarm. lib. cit. c. 9. rectè advertit, etiam peccata quævis interna, pleno consensu facta, circa materiam gravem, generant mortem. Resp. ego facilis. om. totum; quia nihil est nobis contrarium, modò omnia intelligantur juxta responsionem ultimam n. 8. datam.

117. Ob. 4. contra dicta n. 109. nempe, quod ratione imperfectæ deliberationis, in materia etiam gravi, tantum peccetur venialiter. Non potest explicari, in quo stet illa imperfecta deliberatio, vel semelideliberatio ergo. prob. antec. vel enim consisteret in cognitione remissa malitiæ: vel in morali necessitate ad peccandum: vel in cognitione obscura, qua tantum apprehenditur malum ut sic: nihil horum potest dici: ergo prob. min. Non potest dici primum; quia quantumvis remissa cognitio sufficit ad peccandum graviter, modò gravem malitiam representet, sicut à pari, quivis actus remissus contritionis, modò sit actus amoris DEI super omnia, sufficit ad delendum peccatum. Non potest dici secundum; quia moralis necessitas neminem excusat à peccato mortali: sic non excusat à mortali damnatus, nec etiam malis habitibus, tanquam alterà naturā ad malum maximè inclinatos. Non potest dici tertium; quia, qui cognoscit malitiam in genere, & tamen eam amplectitur, videtur graviter peccare; nam liberè se exponit periculo patrandi peccati, non tantum mortalis, sed gravissimi, & virtualiter in hoc consentit.

118. Resp. Etsi non possit illa semelideliberatio clarè explicari, tamen non sequeretur, falsum esse nostrum assertum; sæpe enim effectus, talis, vel talis futurus, asserti potest, quamvis causa non possit clarè ostendi, imò sæpius omnino nesciatur. Secundò, etsi semelideliberatio non possit ostendi à priori, sufficienter ostenditur à pari: e. g. à paritate cum semeloptimis &c. item à concomitanti, vel posteriori, seu ex signis quibusdam, de quibus num. 87. § 88. Dein hæc difficultas debet ab omnibus explicari; nam est innegabile, quod sæpe aliquid agamus cum tenui quadam libertate, ex præcipitantiâ, somnolentia, imperfecta consideratione &c. Unde hæc res est ab experientia satis nota.

Setd. ut sim liberalior, in forma. neg. ant. ad prob. neg. ma, videtur enim illa semelideliberatio potius consistere in obscura quadam, & nebulosa, aut obscurata cognitione, non qua apprehendimus tantum malum ut sic, sed qua non discernimus, neque consideramus totam rei gravitatem, seu quando, ut habet Illung tr. 2. disp. 2. num. 5. cognitio valde confusè representat obligationem legis gravem, circumstantias, motiva allucientia, vel retrahentia, inhonestatem actus &c. quod contingere potest ex variis causis. Quanta autem requiratur, aut sufficiat consideratio, dictum aliquatenus est num. 87. § sequentibus.

119. Quod autem ad probationem mi. attinet, haud opus esset respondere; quia negata est probor. Interim propter utilitatem doctrinæ respondeo conc. 1. part. ant. ob rationem à pari ibi adductam: & quia remissa cogitatio potest

esse facta clara representatio malitiæ etiam in specie. Ad 2. dam partem autem respondeo, necessitatem moralem duplicem esse. Una est, quæ tollit plenam deliberationem: & hæc excusat à peccato mortali, nisi quis culpabiliter se in eam necessitatem concesserit; tunc enim daretur plenè voluntarium, & liberum in causa. Altera necessitas moralis non tollit plenam deliberationem; quia stat cum perfecta cognitione malitiæ: & sic se habent malè habituati, e. g. in genere luxurix, qui quam optimè agnoscunt, se graviter peccare: attamen vehementiâ passionis, aut consuetudinis, impelluntur, ut moraliter quandoque necessitentur: & hi utique non excusantur à gravitate peccati. Eadem est ratio de damnatis, qui etiam satis clarè agnoscunt malitiam e. g. odii injusti, aut blasphemiarum contra DEUM.

Accedit, quod necessitas moralis in damnatis, & malè habituatis, proveniat ex causa ipsa particulari, scilicet ex propriis peccatis, quæ physice ab ipsismet patratæ sunt: at verò necessitas moralis, proveniens ex semelideliberatè, oritur ex causa omnibus communi, scilicet naturæ fragilitate, ita, ut Sancti quoque homines sæpe semelideliberatè, circa materias etiam graves, labantur: & probabiliter in statu puræ naturæ quoque eandem, saltem ferme, fragilitatem omnes communiter passi fuissent. Unde, si hæc non excusaret à gravi crimine, certè natura humana moraliter vix posset attingere finem ultimum, ad quem tamen creata est.

120. Dices. Semelideliberatio, vel imperfecta libertas ad peccatum veniale, non excusat à veniali: ergo nec semelideliberatio ad mortale, excusat à mortali. Resp. neg. conf. Quamvis imperfecta libertas non omnino liberet à peccato veniali, tamen hoc longè minus reddit; nam utique minus est ex venialibus illud, quod tantum semelideliberatè fit, quàm, quod omnino deliberatè patrat: non potest autem semelideliberatio omnino excusare à peccato veniali; quia aliàs omnino non daretur peccatum semelideliberatum; cum non detur genus peccatorum inferius, seu minus, quam veniale. Ratio ulterior est. Imperfecta deliberatio non omnino tollit rationem peccati; quia cum ea datur saltem aliqua libertas indifferentia, adeoque homo adhuc liberè amplectitur malum, quod utique culpabile est. Accedit, quod moralis necessitas ad veniale non impedit simpliciter à consecutione ultimi finis, consequenter nec à longè tam mala sit humana natura, quàm moralis necessitas ad mortale.

121. Ad 3. partem ant. de cognitione representante tantum malum ut sic, respondeo, neque hanc necessariò tollere plenam libertatem; potest enim talis cognitio esse valde clara, & sufficiens ad plenam libertatem. e. g. si quis clarè cognoscat, hanc rem quidem esse malam, sed simul dubitet, an graviter, an verò tantum leviter mala sit: tuo casu, si non ex prudenti consilio, vel, si hoc haberi non possit, ex prudenti motivo, se resolvat, peccat cum dubio practico, in re gravi graviter: nec puto, hac in re controversiam esse.

Quæstio ulterius institui potest, an, qui agnoscit rem, tantum in genere, seu in communi

ni malam, five præcindendo, an graviter, an leviter, mala sit, & tamen hæc & nunc, nec formaliter, nec virtualiter dubitat, an veniale, an mortale, malitiam involvat, an, inquam, talis, eam rem faciendo, graviter peccet. Resp. eum Tannero tom. 2. disp. 4. q. 5. n. 109. Illung. tract. 2. disp. 2. n. 7. Oviedo in 1. 2. tract. 4. controvers. 1. punct. 3. & pluribus ab eo citatis. Qui tantum apprehendit dicto modo in communi rem malam (esto etiam cognoscat speciem malitiae e. g. contra iustitiam, vel religionem) sed non, an gravis, an levis sit, nec etiam ei incidat de hoc dubium, si illam rem facit, vel amplectitur, tantum leviter peccat. Ratio est; quia nihil voluit, quin præcognitum: atqui in hoc casu non est ullo modo præcognita malitia mortalis: ergo nec volita. mai. est communis, & complectitur non tantum volita in se, sed etiam in alio, ut patet. min. est suppositum huius casus: conf. est clara. Nec dicas, talem hominem se exponere periculo mortaliter peccandi; quia non se exponit liberè illi, quod non cognoscit: nec etiam debet rem magis examinare; cum nullum dubium, aut scrupulus ei incidat, ut ponitur in casu; si enim ei incidere tale quid, utique deberet in rem indagare: quod si facere nollet, graviter peccaret: at tunc esset extra casum.

122. Dices 1. Talis amplectitur objectum, indifferens ad mortalem, & veniale malitiam: ergo se exponit periculo peccati mortalis. Resp. dist. ant. amplectitur objectum indifferens, ita, ut cognoscat eam indifferenter. neg. ant. ita, ut eam non cognoscat. conc. antec. & neg. conf. Dices 2. Talis neque cognoscit malitiam venialem: ergo neque peccaret venialiter iuxta nos. Resp. neg. conf. cum enim aliquo modo peccet, ut est innegabile, debet saltem venialiter peccare: nec potest conquiri, si, quod in ratione peccati est minimum, ei imputetur. Neque ex hoc sequitur, quod rustici, & rudes nunquam graviter peccent; quia, licet sæpe non apprehendant malitiam mortalem sub hoc formali conceptu, apprehendunt eam sub æquivalenti. e. g. hoc esse magnum peccatum, hoc grave nocivum inferre, non autem illud: vel aliquid simile. Et planè non est ullo modo verisimile, quod rudes non apprehendant maiorem malitiam in uno, quam in altero peccato. vid. Oviedo in 1. 2. tr. 4. controvers. 1. punct. 3. n. 46.

123. Ob. 5. Homo cum semiplena deliberatione, & advertentia, operans, vel potuit habere plenam advertentiam, vel non potuit habere: neutrum potest dici: ergo. prob. min. si primum, peccat mortaliter; quia culpabiliter omittit, eam advertentiam sibi procurare. Si secundum, ita urgetur argumentum: vel cum illa semiplena deliberatione absolute non potuit vincere eam tentationem ad grave peccatum, vel potuit eam vincere: si primum, nullo modo peccat, ne quidem venialiter: si secundum, peccat mortaliter; nec enim à peccato excusat difficultas, ut patet in malè habitatis, & damnatis, de quibus n. 119.

Nec est ratio, quare excuset potius moralis necessitas, aut difficultas, orta ex defectu plenæ deliberationis, quam orta ex mala con-

luetudine, vel simili causa ad malum impellentem. Hæc objectio, ut observat Oviedo in 1. 2. tr. 4. controvers. 1. punct. 2. n. 23. utique difficilis est: sed quia communissima auctoritas omnium nostræ sententiæ favet, & rationes adductæ n. 87. planè efficaces sunt, idè, non obstantè hac objectione, tenenda est firmiter illa nostra, & omnium doctrina.

124. Resp. nego min. & dico, supponi, quod non potuerit habere plenam advertentiam; si enim habere potuisset, utique eam procurare debuisset. ad probat. secundi membri, dico, absolute quidem potuisse vitari peccatum cum semiplena advertentia: nego tamen, quod non vincendo mortaliter peccet; nam debitas potentia excusat à mortali. Ubi nota, aliud esse, dari difficultatem, aliud potentiam esse imperfectam, seu debilem: illud non excusat à mortali, si potentia est ex sua parte perfecta, & plenè libera, ut docent omnes: & sic non excusat e. g. difficultas mortis subeunda ob professionem fidei coram tyranno: nec malus habitus difficile reddens victoriam tentationis impuræ, si libertas sit plena, hoc est, si potentia sit perfecta, five, si ex constitutivis intrinsicis plenæ libertatis omnia adsint, quanquam conjuncta ipsis sit aliqua difficultas, vel impedimentum facilitioris operationis, quale est habitus vitiosus. At verò, si potentia ipsa in se, five quoad sua constitutiva, sit imperfecta, sicuti, si tantum adest semiplena advertentia ad rei gravitatem, vel semidelibratio (utique enim plena cognitio malitiae, vel deliberatio, liberam potentiam, seu actum primum proximum liberum, intrinsicè constituit) tunc excusat, ut iterum docent omnes; nam potentia, in se debilis, à Philosopho vocatur impotens.

125. Quare autem potius defectus potentia, quam alia difficultas, aut moralis necessitas, excuset à mortali, ratio est ipse sensus communis Doctorum, & impressa omnibus opinio, qua iudicamus, ob defectum libertatis minui culpam, neque hominem, semidelibere operantem, esse ita culpabilem, sicut est, qui cum plena deliberatione agit: & hinc censemus, non quidem plenè venià, attamen mitiori pœna esse dignum eum, qui minus advertenter, vel minus liberè peccavit. Et quidem doctores omnes, in hoc casu deliberationis tantum semiplenæ, tantam imminutionem culpæ adstruunt, ut loco mortalis peccati fiat duntaxat veniale: quæ tamen communis Doctorum opinio non idem asserit, de aliis difficultatibus: neque de istis etiam nobis impressa est par existimatio, quasi etiam istæ pariter culpam imminuant.

Ex hoc habes etiam responsum ad ultimum, quod objiciebatur, scilicet, non esse rationem potius pro una, quam pro altera difficultate: est enim ratio potius pro defectu libertatis, quam pro aliis difficultatibus, illa ipsa, quam modo assignavimus: quæ tamen ratio, ut verum fatear, potissimum reducitur ad sensum communem doctorum: qui tamen, cum in moralibus magnam vim habeat, sæpe ultimata ratio alicujus assertionis esse debet, quando alia non habetur: imò sæpe multis rationibus prævalet; cum concors tot doctorum, aliàs iam diversa sententiarum, sententia, videatur ferme quidam esse taci-

tacitus Numinis instinctus, qui ideo videtur Doctores in eandem sententiam inclinare, ut aliis veritas innotescat de iis, quæ apertè revelata non sunt, & maxime pendent à voluntate DEI, volentis ita, vel ita obligare, inter quæ etiam est obligatio etiam aliquid cum semiplena libertate. Et certè, vitandi alia multa hinc inde, probari non possunt, nisi auctoritate communi.

126. Dices 1. Major est distantia peccati mortalis à veniali, quàm huius à nullo peccato: & tamen semidelibratio circa peccatum, ex se veniale, non excusat ab omni veniali peccato: ergo etiam semidelibratio circa peccatum, ex se mortale, non excusat à mortali. prob. conf. aliàs semidelibratio magis faveret peccanti mortaliter, quàm venialiter. Resp. neg. conf. ex num. 121. Non tamen propterea semidelibratio magis faveret peccanti mortaliter, quàm venialiter: sed tantum DEUS, & ratio, magis favent homini semidelibere agenti, quatenus taliter agens non incurrit reatum æternæ pœnæ: quanquam autem propter veniale semidelibratio aliquis incurrat pœnam temporalem, hæc tamen pœna pro veniali semidelibratio longè minor est, quàm, quæ incurritur propter culpam venialem plenè deliberatam: quamvis utique tantò minor non sit, quantò minor est pœna temporalis, respondens veniali, ex semidelibratione circa materiam gravem commisso, minor est pœnæ æternæ, respondente peccato plenè deliberato circa eandem materiam gravem, adeoque mortali, ut facile patet consideranti.

Dices 2. Ista imperfecta advertentia, fragilitas, semidelibratio &c. oritur ex peccato originali: ergo oritur ex culpa, adeoque non excusat. Resp. om. ant. quia in statu puræ naturæ (id est, non lapsæ, sed nec elevatæ) probabiliter fuisset eadem necessitas semidelibere peccandi: quamvis defacto post elevationem hominis, ad iustitiam originalem, oriatur hæc imperfectio, & fragilitas, ex peccato originali; si enim Adam non peccasset, tam fragiles non effemus. neg. conf. Peccatum originale non amplius imputatur ad culpam post baptismum: nec etiam, quæ fiunt propter defectus, ortos ex peccato originali, imputantur ad culpam; aliàs etiam peccaretur cum ignorantia invincibili, quod supra negatum. Et sicut non sufficit ad peccandum libertas habita in Adamo, vel peccato originali, ut patet ex 1. propositione damnatâ ab Alexandro VIII. ita nec sufficit plena deliberatio, quam habuit Adamus, ad peccandum mortaliter, cum nostra tantum semiplena deliberatione.

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

127. Ob. 7. contra dicta n. 110. quod nempe ex peccato veniali, ob accedentem aliquam circumstantiam specificam gravem, fiat quandoque mortale. Accidens non mutat speciem: sed circumstantia peccati accidens: ergo non mutat speciem peccati; ergo nunquam facit ex veniali

mortale: vel debet admitti, quod sine mutatione speciei possit peccatum ex genere suo veniale, fieri mortale. Resp. dist. maj. Accidens physicum non mutat speciem. conc. vel om. maj. accidens metaphysicum, vel morale. neg. maj. & distin. min. circumstantia est accidens tantum physicum. neg. min. metaphysicum, vel morale. conc. min. & neg. conf.

Accidens physicum est, quod tantum est unum: metaphysicum, quod est identificatum: Sic voluntas mentiendi ut sic, sistendo in puro mendacio, est veniale peccatum: at, si simul sit voluntas mentiendi cum damno gravi alterius, hæc circumstantia reddit eam mortale peccatum; quia facit eam esse alterius speciei. Neque hæc circumstantia est tantum physicum accidens istius volitionis, sed est accidens metaphysicum, five realiter identificatum: estque tantum accidentale respectu volitionis ut sic, non verò respectu huius in specie: sicut scilicet, respectu animalis ut sic, est accidens metaphysicum esse rationale, non verò respectu animalis in specie humana. Idem docet S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 5. in corp. dum asserit, circumstantiam non posse ex peccato veniali facere mortale, nisi illud ad aliam speciem transferat. Sed & Tridentinum sess. 14. c. 5. dum ait, explicandas esse in confessione circumstantias, quæ speciem mutant, satis insinuat, quod aliquæ circumstantiæ speciem mutare debeant.

128. Si velles ulterius opponere, quod saltem iuxta sententiam eorum, qui libertatem volunt esse extrinsecam actui (quam etiam nos amplexi sumus tract. de aliis human.) tale accidens non sit metaphysicum, seu identificatum. Resp. etiam eâ sententiâ suppositâ, accidens ex veniali faciens mortale, ordinariè saltem esse metaphysicum; cum ordinariè tendentia sit diversa, quæ est intrinseca actui: e. g. tendentia volitionis in mendacium, cognitum ut nocivum proximo, est alia, quàm tendentia in idem, non cognitum ut nocivum; voluntas enim fertur in rem, non, ut est à parte rei, sed, ut proponitur ab intellectu. Quod si tamen hoc ipsum velles negare, vel, si quacunque de causa, accidens faciens ex veniali mortale, non esset metaphysicum, e. g. si esset plenior deliberatio, responderi potest, etiam tunc non fore accidens tantum physicum, sed morale, quod saltem intrinsecum est toti actui concretive sumpto, & eum constituit in alia specie morali: quæ diversitas speciei moralis maxime attenditur, & plurimum facit in ordine ad imputabilitatem actuum, five ad culpam venialem, five ad mortalem.

129. Ob. 8. Si mendacium e. g. potest fieri mortale peccatum, tunc debet in confessione exponi: sed hoc est nimis durum: ergo, prob. min. si aliquis e. g. utatur jocosò mendacio, ad inducendam puellam ad fornicationem, tale mendacium non debet in confessione exponi; aliàs talis non sufficeret se accusaret, dicendo: *Induxi puellam ad fornicationem*: sed deberet addere, jocosò mendacio se usum: ergo. Confir. Si aliquis, ut inordinatè diutius ludere, vel ambulare, vel dormire possit, ex amore hoc inordinato statuat, non audire sacrum die festo, talis amor, aliàs per se levis, fieret iuxta nos, ob pravam intentionem additam gravis: atqui non fit,

fit; aliàs deberet exponi in confessione, & non sufficeret, si hic se accusaret, dicendo: *Neglexi sacrum*: sed deberet exponere inordinatum a morem ludendi, ambulandi, vel dormiendi, quæ sunt nimis dura: ergo. Resp. dist. maj. si mendacium sit mortale, malitiam distinctam ab illa, quam habet addita circumstantia, conc. mai. si tantum malitia eadem, seu indistincta, neg. mai. & dist. sic min. conseq. ad prob. conc. antec. (supposito, quod illud mendacium non habeat aliam malitiam mortalem, quam illius inductionis ad fornicationem) & neg. conseq. Ad confir. neg. ma. nam, si etiam inordinatus ille amor ludi, vel somni, non habeat aliam malitiam, quam sacri neglecti, sufficit, si quis dicat: *Neglexi sacrum*: ut est sententia satis communis, de qua videatur *Lugo de penitentia. disp. 16. sec. 11. n. 493.* & *Dicastillo de penit. disp. 9. n. 69. 672. & 693.* qui fuscè hoc tractant.

130. Videtur autem mihi in hoc casu intentione mentiendi, ut inducatur puella ad fornicationem, realiter quidem esse unum peccatum; quia est unus actus, sed habens duplicem speciem, unam mortalem, scilicet inducendi ad peccatum grave: alteram venialem mendacii; cum ergo non teneamur confiteri species, seu circumstantias específicas tantum veniales, etiam non tenemur confiteri in hoc actu formalitatem mendacii. Quando autem dicimus, ex veniali fieri mortale, ratione circumstantiæ specificæ, non volumus dicere, quod formalitas mendacii fiat mortalis, sive, quod ille actus sit mortale peccatum sub ratione formali mendacii: sed tantum, quod hoc mendacium, vel intentio mentiendi, in hoc casu realiter sit mortale peccatum. Idem dicendum de ambulatione, lusu, vel somno, si non aliunde sint mortaliter mala. Addunt alii, debere talem ambulationem e. g. exponi in confessione, si tam inordinatus sit amor illius, ut in ea constitutur ratio ultimi finis: sed *Lugo eodem loco n. 487.* putat, hanc observationem esse scrupulosam; quia non solent homines ita peccare, ut omnia ordinent ad ambulationem, tanquam ad finem simpliciter ultimam.

131. Ob. 9. contra dicta n. 110. quod nempe crescente materia possit ex veniali fieri mortale peccatum. Qui singulis diebus jejunii, extra tempora licita, comedit aliquid modicum, tantidem per totam quadragesimam comedit sat magnam materiam, & tamen non peccat mortaliter: ergo. Confirmatur 1. Sacerdos, qui per longum tempus, omittit singulis diebus aliquam orationem in Breviario, omittit valde multa: & tamen non peccat graviter: ergo. Confir. 2. Qui eodem die festo constituit plures operas, e. g. viginti, ut simul laboret dimidiâ horâ, facit, ut æquivalenter laboretur per plures, e. g. decem horas, quæ est per se materia absque dubio gravis hujus præcepti: & tamen non peccat graviter: ergo. Resp. dist. ma. Talis comedit magnam materiam, si ea materia moraliter coalescat in unam. conc. mai. si non coalescat, neg. mai. & conc. min. neg. conseq. Cum præceptum jejunii sit affixum diei, comestio, uno die facta, non coalescit cum comestione, alio die facta. Si quis tamen eodem die, interpolatis vicibus,

sæpius modicum quid comederet, ita, ut omnes comestiones simul sumptæ, gravem materiam conficerent, graviter peccaret: quod definitum habetur ab Alexandro VII. qui damnavit hanc propositionem 29. *In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Eadem responsio servit ad 1. confirmationem; quia etiam recitatio Breviarii est onus affixum diei: & pariter, qui eodem die ex pluribus horis canonicis aliquod leve omitteret, e. g. psalmum, ita, ut simul gravem materiam constituerent, etiam graviter peccaret; quia istæ materiæ quoque coalescerent.

132. Ad 2. confirm. conc. ant. cum Sanchez, Palao, Tamburino, Bonacina, Illung, *tract. 5. disp. 2. q. 1. a. 2. n. 166.* neg. conseq. quia nec isti labores coalescunt, ad faciendam quasi extensionem, quod tamen requireretur ad violandum graviter hoc præceptum. Nec est paritas cum furis minutis, si quis ea juberet fieri, vel esset causa eorum; quia hæc coalescunt, & faciunt unum magnum damnus, vel eadem personæ, vel communitati, aut republicæ humanæ: quod damnus in violatione septimi præcepti maxime attenditur. Hinc etiam damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parvas furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Sed & Sacra Scriptura *Prover. 11. v. 1. & Deuter. 25. v. 13.* abominatur fateram dolosam, diversa pondera, & modium majorem, & minorem: quibus scilicet, parvæ quidem, sed successivè graves, fiant deceptions. At verò labor plurium non coalescit, nec facit longius tempus, sive diuturniorem eundem laborem (quæ tamen diuturnitas maxime attenditur, non autem utilitas domini, vel magnitudo operis facti) quamvis fors faciat laborem moraliter intensiorem, quæ tamen intensio non attenditur in violatione festorum.

Alii casus plures hic afferri possent ex moralis Theologia: sed omnes resolvere non est hujus operis. Universaliter dico, semper attendendum esse, an materia seorsim parvæ coalescant, an non: quod sæpe colligendum, vel ex communi sensu auctorum, aut hominum: vel ex intentione agentis, & plura per modum unius volentis: vel ex aliis principis, quæ hinc inde ab authoribus, præsertim moralibus, assignantur.

133. Ob. 10. contra dicta n. 111. quod veniale peccatum non sit offensa DEI strictè dicta. *Jacobi 3. v. 2.* dicitur: *In multis offendimus omnes: si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*: quod communiter exponitur de peccatis venialibus: ergo ista, sunt offensa. Confirmatur. Qui præbet alteri jus ad displicentiam, vituperationem, aut pœnam, hic eum strictè loquendo offendit: atqui hoc jus DEO præbet venialiter peccans: ergo. Resp. neg. conseq. Verbum *offendere* potest habere saltem duplicem significationem, scilicet 1. ut significet, offensam strictè dictam facere. 2. ut significet impingere, vel incurrere, e. g. in lapidem, vel alium obicem, atque sic labi: & hanc significationem habet loco *objeto*; nam in græco habetur, teste *Cornelio in hunc locum, πτοίμεν*, quod derivatur à πτοίω, quod significat *cado* vel, ut habet *Lexicon Gyrtleri*, significat, *impingo*.

Quod

Quod etiam videtur probare *Cornelius 4. Ratio est.* ubi explicans moralem necessitatem peccandi venialiter, ait: sicut inter crebras rupes per aliquot dies ambulans, moraliter aliquoties impingit, ita homo inter pericula mundi, moraliter aliquando impingit, & offendit: adeoque videtur eo loco tantum significari, quod in multis venialiter erremus, cadamus, impingamus: non autem, quod strictè DEO offensam irrogemus. Ad confir. neg. mai. Ad offensam strictè dictam non sufficit, tantum dare jus ad aliquam displicentiam: sed debet quis dare jus ad aversionem, & sublationem amicitia, ut diximus n. 111. ubi rem hanc explicavimus exemplo discipuli modicè negligentis. Plura hac de re dabit *tract. de incarnat.* quando quæremus, an pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato veniali.

134. Ob. 11. contra dicta n. 112. Lex humana, licet sub levi tantum prohibeat unicum actum, tamen aliquando sub gravi prohibet multiplicationem, vel consuetudinem: e. g. in Religiosa familia, quamvis una, aut altera transgressio regularum, non sit gravis; si quis tamen absque cura, ex consuetudine, frequenter regulas violaret, graviter peccare posset: ergo etiam lex Divina potest unum actum prohibere sub levi, simul autem multiplicationem ejus sub gravi: imò Divina lex reflexa, & vim conferens præceptis humanis, id actu facit.

Resp. conc. totum; si lex Divina sit positiva, quod id possit facere: at nego, quod id fecerit: & multò magis nego, quod id fecerit lex naturalis: nisi sermo sit de lege illa reflexa. Cæterum etiam in casu illo legis humanæ, prohibentis sub gravi frequentiam actuum, si in se singulariter spectentur, tantum levium, non sit ex peccato veniali mortale, præcisè ratione multiplicationis, sed ratione additi specialis præcepti, prohibentis ulteriorem actum sub gravi: vel ratione advenientis gravis circumstantiæ: e. g. in allato casu Religiosi, ratione gravis scandali, vel nimia laxitatis in disciplina. Quot autem debeant esse veniales transgressiones, ut ulterior transgressio sit mortalis, vel debet esse statutum à tali lege, vel debet colligi ex auctoritate, vel ex eo, quod censetur, ratione additi actus advenire aliqua circumstantia gravis, de quibus supra.

135. Ob. 12. Singula peccata venialia minuunt charitatem: ergo multiplicata tandem eam omnino tollunt. Confirm. Peccatum mortale est finitæ malitiæ: ergo potest tandem adæquari per malitiam venialium. Resp. distin. ant. Singula venialia minuunt charitatem actualem. om. antec. habitualem. neg. antec. & conf. Quando dicuntur venialia minuire charitatem, non intelligitur, quod aliquam partem auferant ex habitu charitatis, vel gratia sanctificante, in quibus stat amicitia DEI: sed tantum, quod impossibilia sint cum tam intensis, vel tam perfectis actibus charitatis, quales quis elicere possit, si non venialiter peccaret: adeoque non tam minuunt, quam impediunt charitatem majorem actualem; minuere enim strictè loquendo significat, aliquid ex jam datis auferre. Ex hoc quidem etiam sequitur, quod charitas habitualis non ita crescat, sicut crevisset per actus

perfectiores: at hoc non est strictè minui, sed tantum minus crescere.

Ad confir. neg. conseq. cum enim mortale sit in linea, vel ordine superiori, non potest adæquari ab inferiore, quantumvis multiplicato. Sic, quantumvis multiplicetur equus, nunquam adæquat hominem. Quod autem pœna venialium peccatorum aliquando possit in purgatorio esse tanta, vel major, quam sit peccati mortalis per poenitentiam deleti, nihil probat; quia eo ipso, maxima jam pœna, scilicet æternitas ejus, est remissa, & per poenitentiam deleta.

136. Ob. 13. Qui semper leviter mentitur, gravius opponitur virtuti, quam, qui tantum semel perfectè se inebriat: ergo peccata venialia æquant mortale. Confirm. Propositum committendi omnia, & quæcumque venialia, est mortale peccatum: ergo etiam actualis patratio, vel commissio plurimorum venialium. Resp. neg. antec. quod non probatur; quamvis enim talis mentiendi opponatur virtuti sapius, non tamen opponitur gravius; quia præceptum veracitatis est leve: præceptum verò temperantiæ, in ordine ad vitandam ebrietatem perfectam, est grave. Ad confir. Plures cum Salas, Palao, Granada & Oviedo in 1. 2. *tract. 6. controuv. 3. punct. 6. num. 81.* docent, tale propositum, per se non esse mortale, quanquam per accidens, ratione periculi proximi, incidendi in mortale, vel ratione scandali, aut contemptus formalis, possit esse mortale. Et in praxi fateor, tale propositum facillè posse esse mortale. Interim, si grave est, tale non est præcisè ratione objectorum multorum venialium, sed ratione periculi, scandali, vel alterius accidentalis circumstantiæ.

137. Ob. 14. Qui committit plura venialia, se exponit periculo proximo incidendi in mortale: atqui se exponere tali periculo est peccatum mortale: ergo. Resp. Hoc argumentum non probat quidquam contra nos; non enim hac ratione fieret peccatum mortale ex multiplicatione venialibus; sed actus aliquis, qui aliàs, ratione objecti sui, per se esset venialis, ratione annexi talis periculi, fieret mortalis, quod absolute possibile esse, nullo modo negamus. Quod autem hoc fiat semper, quando quis committit plura peccata venialia, non est verum. Certè, qui diu vivit, etiam in religione austera, & cum ædificatione, tamen successivè valde multa committit peccata venialia, saltem semeliberata: nec propterea dicendum est, eum exponi periculo proximo graviter peccandi.

Dein hoc periculum peccandi graviter (casu quo quis non proponat patrare omnia venialia, aut non curare ulla vitare, sed tantum frequenter in ea labatur) non est omnino certum, nec determinatum, & difficultas vitandi illud est nimia: imò ex obligatione gravi, hoc periculum indeterminatum vitandi, sequeretur fortè æquale periculum novorum peccatorum; unde non videtur adstruenda tam gravis obligatio illud vitandi. Fufius hac de re loquemur *tract. de penitent.* ubi de obligatione statim agendi poenitentiam post commissum grave peccatum.

138. Dices. Peccatum veniale est dispositio ad mortale, juxta illud *Ecclesiastici 19. v. 17.* *Qui spernit modica, paulatim decidet*: & insuper

sæpe est ejusdem speciei cum mortali, e. g. parvum, & magnum furtum. Resp. Peccatum veniale tantum est moralis dispositio, non verò physica ad mortale: & tantum physicam, non verò morale dispositionem, sequitur necessarium effectus, ad quem disponit. Sed neque peccatum veniale est propriè loquendo ejusdem speciei cum mortali; nam, etsi materiæ, e. g. in genere furti, sint ejusdem speciei, & tantum detur excessus majoris, & minoris, tamen formalis malitia est toto genere diversa; nam peccatum mortale est deliberata aversio à DEO, tanquam sine ultimo, qualis nullo modo est peccatum veniale. Sed nec furta parva generant per se habitum furandi majora; quia actus repetiti inclinant tantum ad actus similes. Quod si autem aliquis tandem in mortale peccatum labatur, id fit non necessarîo, sed ex libera mala voluntate: ad quam quidem veniale peccatum indirectè disponit, at non tanquam dispositio physica, sed tantum tanquam dispositio moralis, quemadmodum jam explicatum est.

139. Dicitur autem à S. Thoma 1. 2. q. 88. a. 3. in corp. & communi aliorum, peccatum veniale disponere ad mortale, vel directè, quatenus veniale, ob similitudinem materiæ, ansam, & inclinationem præbet ad mortale similis, sed majoris materiæ. e. g. parvum furtum ad magnum: vel indirectè, quatenus impedit, ne DEUS det gratias majores, quibus deficientibus, homo ex sua culpa labatur in peccatum mortale: neutro tamen modo disponit physicè, seu ut calor ad ignem; nam, si iste sit in debita intensione, necessarîo sequitur ignis: non verò peccatum mortale sequitur necessarîo unquam veniale. Ad textum Ecclesiastici 19. Resp. illum loqui de eo, qui contemnit peccata venialia, & ex contemptu peccat, qui utique est in magno periculo peccati mortalis: non verò de quocunque, qui venialiter peccat. e. g. ex fragilitate, & post lapsum venialem iterum se erigit, ac damnum, quod passus est, per bona opera reparare satagit; hic enim modica non spernit.

ARTICULUS VI.

Quid sit parvitas materiæ, & in quibus peccatis non detur.

140. Sæpe diximus, maximè n. 110. aliqua peccata, ex genere suo mortalia, fieri venialia, ratione parvitatæ materiæ: queritur hic, quam sit regula, ex qua colligatur, quamnam materia censenda sit parva. Resp. cum Illung tract. 2. disp. 2. n. 13. (ubi etiam citat Palao P. 1. tract. 2. disp. 2. n. 13. Valquez Sanchez. Suarez. Layman. & alios) non attendendam præcisè physicam gravitatem, vel quantitatem rei: sed attendendum ad hoc, an materia graviter præjudicet fini legis, sub gravi obligatione intento; si enim materia tali fini graviter præjudicet, peccatum erit mortale, ratione parvitatæ materiæ: si autem tantum leviter præjudicet fini sub gravi obligatione intento, vel si ipse finis tantum sub levi obligatione intendatur, erit peccatum veniale. Sic, cum legis prohibentis divitias, finis sub gravi obligatione inten-

tus, sit, ut cuique fervetur illatum jus suum, ne domino detur causa, ut sit rationabiliter graviter invitus, ægrè ferat, ac tristeretur: & huic fini leviter tantum repugnet furtum unius, aut alterius crucigeri, istud est leve peccatum; quia autem eidem fini graviter præjudicet furtum aliquot florenorum, est grave peccatum.

Nec dicas, non præjudicare fini legis, furtum graviter prohibentis, ablationem aurei respectu regis, cum tamen aureus communiter statuatur materia gravis, etiam respectu regis; nam respondeo, utique talem ablationem præjudicare graviter fini illius legis; tum; quia rex habet plurimas expensas: tum; quia finis legis etiam est, ne homines nimium alliciantur ad furta, quod fieret, si magna quantitas respectu regum non esset graviter prohibita. Idem proportionaliter dicendum in materia detractionis jejunii, laboris die festo &c.

141. Ex hoc facile colligitur, aliquando materiam, physicè in se spectatam, esse parvam: at ratione finis adjuncti fieri magnam, e. g. comedere pomum est physicè res levis: at, quia abstinentia ab illo fuit à DEO præcepta Adamo, in finem contestandi suam obedientiam erga Creatorem, qui finis, præsertim accedente pacto, de gratia, vel culpa, transfundenda in posterum, fuit gravissimus: cumque comestio illa graviter huic fini præjudicaverit, fuit ipsa quoque gravis.

Sic, ut rectè ajunt Illung, tract. 2. disp. 4. num. 12. & Lugo de SS. Eucharistia disp. 15. sec. 2. num. 22. comestio buccellæ in se est levis, etsi contra temperantiam fiat: at si fiat ante communionem, & sequatur communicatio, est gravis; quia finis non comedendi ante communionem (ut habet S. Augustinus relatus in Decreto de consecratione, distinctione 2. c. liquido. 54. & Concilium Maticonense II. canone 6.) est, ne cibis corporalis spirituali præponatur: qui finis utique ob reverentiam, debitam sacramento summo, gravis est: cumque hæc præpositio fiat, sive parum, sive multum comedatur, quælibet etiam minima comestio illi fini graviter repugnat.

Certum saltem hoc est, esse grave peccatum, post minimum etiam cibum, aut potum, per comestionem, aut potationem acceptum, sumere SS. Eucharistiam, si eam sumat sanus, ut docent de facto omnes ex traditione Apostolica, & sensu Ecclesiæ, ut videre est apud Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 68. sec. 3. & 4. & opposita sententia, ut ait Eximius eadem disp. 68. sec. 4. est erronea. Concilium certè Toleranum VII. Cap. 2. ait: Nullus post cibi, potus,ve, quantumlibet minimum sumptum, Missas facere.... præsumat: subjungit etiam poenam excommunicationis in transgredientes hanc ordinationem. Sic etiam, etsi in se quid parvum sit tempus modicum, si quis tamen modico tempore ante completam legitimam ætatem, susciperet sacros Ordines, aut faceret professionem Religiosam, graviter peccaret, & professio esset irrita.

142. Sed iam ulterius queritur, quamnam peccata sint talia, ut non admittant parvitatem materiæ, vi cuius fieri possint venialia, aut, quæ tantum venialia esse possint, ratione imperfectæ deliberationis. Adverit circa hoc questum sapienter Haunoldus. 1. 2. tract. 2. n. 411. non posse

Quid sit parvitas materiæ, & in quibus peccatis non detur.

QUESTIO IV.

De Differentia Specifica Peccatorum

ARTICULUS I.


Quenam peccata differant specie

143. posse regulas hujus rei tam explicatè tradi, ut earum applicatio pro omnibus casibus, & omni materia sit evidens: imò Palao apud eundem part. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 7. n. 2. putat, hanc rem desumendam esse, ex communi sensu Ecclesiæ, & fidelium, qui aliquas culpas reputat in omni materia graves. Potest tamen cum Illung 1. 2. disp. 2. n. 9. dici, illa peccata non recipere parvitatem materiæ, per quæ vel immèdiatè DEO attribuitur aliqua imperfectio, vel per quæ, si levitatem materiæ reciperent, humano generi gravissimum præjudicium crearetur, vel denique, quæ in omni materia æqualiter præjudicant fini à lege sub gravi culpa intento.

143. Per primum membrum habetur, quodd (prout communiter omnes sentiunt) non recipiat parvitatem materiæ odium, & contemptus DEI formalis, infidelitas, idololatria, desperatio, blasphemia, periurium, saltem quantum est assertorium, & DEUM in testem mendacii assumentem: item commercium cum dæmone, Sacramentorum frustratio, vel indigna susceptio, simonia, saltem contra jus naturale, seu rei sacræ, aut supernaturalis, venditio pro pretio temporalis &c. nam ista, & similia in quavis, minima etiam materia, affingunt DEO imperfectionem mendacis, aut non summè veri, non infinite misericordis, non infinite æstimabilis, quasi dignitas, à DEO in res sacras transfusa, prudenter commutari possit pretio temporalis.

144. Ratione secundi membri, non recipit parvitatem materiæ delectatio venerea extra legitimum conjugium; cum enim peccatorum venialium horror modicus sit apud communem hominum sortem: cumque etiam difficillimè statueretur limes, ubi peccatum veniale, & mortale, in hoc genere separarentur, & quousque se veniale extenderet: cum insuper sit nimia naturæ corruptæ proclivitas in has voluptates, sequeretur maximum humano generi præjudicium, si non essent in quavis minima materia graviter prohibita, tum quia homines ut plurimum laborarent mortaliter; tum quia generationi humanæ sic minimè consultum foret, maximè, cum matrimonio, quod voluptates illas coonestat, gravissima secum onera afferat. Hinc, ut habet Illung, tract. 2. disp. 2. a. 2. n. 11. Claudius Aquaviva anno 1612. 24. Aprilis oppositam sententiam sub præcepto obedientiæ, & gravi censura nostris prohibuit, vetuitque, eam etiam tantum tolerabilem dicere.

145. Ratione tertii membri non recipiunt parvitatem materiæ violatio jejunii naturalis ante communionem: non observatio legitimæ ætatis ante professionem: item violatio sigilli confessionis; quia huius finis est, ut certissimi sint poenitentes, de omnibus secretissimè habendis, & sic allevietur utcumque onus confitendi. Si forte hæc regulæ, in casu aliquo excogitabili, non sufficerent, recurri poterit cum Palao cit. n. 142. ad communem Ecclesiæ sensum.



146. Dico. Illa peccata differunt specie, quæ opponuntur diversis præceptis, sub diversa ratione formalis obligantibus, adeoque Differentia Specifica peccatorum est oppositio, vel difformitas cum legibus, seu præceptis, sub diversa ratione formalis obligantibus. ita Layman 1. 1. tract. 3. c. 2. Valquez in 1. 2. disp. 98. c. 2. Sanchez, Palao, & complures alii. Consentit etiam Oviedo in 1. 2. tract. 6. contrav. 5. puncto 2. n. 7. & apud hunc alii, maximè quoad illa peccata, seu actiones, quæ sunt malæ; quia prohibita. In hanc quoque sententiam, ut paulò post videbimus, ferme conveniunt illi, qui dicunt, peccata specie differre; quia tendunt in objecta specie diversa, quæ est sententia S. Thomæ 1. 2. q. 72. a. 1. Nota autem, hic non agitari quæstionem de differentia specifica peccatorum in consideratione physica; in qua differt furtum auri à furto argenti: sed de differentia morali, seu ad mores dirigendos pertinentem, & de qua loquitur Tridentinum, dum sess. 14. c. 5. definit, exponendas esse in confessione species peccatorum.

147. Prob. conclusio 1. Malitia peccati ut sic, stat in ipsa oppositione, vel difformitate actus cum lege obligante, præcipiente, vel prohibente, ut sic accepta: ergo malitia specialis, sive in certa determinata specie, stat in difformitate actus cum lege speciali, sive in certa specie obligante: ergo peccata speciem suam, & consequenter differentiam specificam, desumunt à legibus specie diversis: eæ autem leges specie diversæ sunt; quæ sub rationibus formalibus specie diversis obligant, ut nemo negat: ergo, antecedens probatum est à n. 27. consequentia prima videtur patere; nam si principium sentiendi ut sic, est animal ut sic, tunc principium sentiendi in certa determinata specie sensationum, e. g. rugiendi, hinniendi, est animal in certa determinata specie. Item, si medicina ut sic, est remedium contra morbum ut sic, medicina in specie est medicina contra morbum in specie; Pat autem est ratio de peccatis, ut patet consideranti. Nec dicas, eandem medicinam in specie, posse esse remedium plurium morborum; nam etiam idem actus potest esse contra plures leges specie diversas, quo casu habebit plures species peccatorum, exponendas in confessione; ergo adhuc est paritas. Altera consequentia, supposita veritate primæ, est clara; nam quodlibet ens per suam speciem, per quam constituitur, etiam ab aliis specie distinguitur, aut differt. Sic leo per rugibilitatem, per quam constituitur, etiam ab aliis animalibus distinguitur.

148. Prob. conclusio 2. refutatione aliarum sententiarum. Itaque primò aliqui dicunt, eæ peccata differre specie, quæ opponuntur diversis specie virtutibus. Sed contra est. Eidem virtuti opponuntur peccata specie diversa, e. g. castitati opponitur fornicatio, & mollicitas, &c. eidem liberalitati avaritia, & prodigalitas: etiam

dem iustitiæ homicidium, & detractio &c. Si dicas, ista opponi quidem eidem virtuti, sed diverso modo, debes explicare, quis ergo sit ille diversus modus; qui inferat differentiam specificam? quem modum vix explicabis, nisi recurras ad nostrum modum, seu ad motivum formale diversum, intra lineam ejusdem virtutis, sub quo actus ille præcipitur, vel prohibetur: vel certe, nisi recurras ad objectum formale diversum, seu honestatem diversam objecti formalis illius virtutis (quia scilicet eadem virtus, sicut fugit diversas inhonestates diversorum actuum malorum, ita amplectitur diversas honestates actuum bonorum) sed hoc idem est, ac recurrere ad objectum formale actus, ut pluribus inferendis dicemus.

149. Secundò aliqui dicunt, peccata differre specie ideo; quia opponuntur diversis legibus: quam tamen diversitatem non volunt desumere ex diversa ratione obligandi, sed vel ex diversitate legislatorum, e. g. quia una lex est Divina, altera humana: vel ex diversitate juris, e. g. quia una lex est juris naturalis, altera positivi: vel ex diversitate finis, quatenus una lex intendit alium finem, quam alia. Sed contra, est. Longè communior est sententia, quòd diversitas legislatorum, sub eadem ratione formali obligantium, non inferat differentiam specificam in peccatis. Certè furtum simplex, quamvis sit contra legem naturalem, & positivam Divinam, itémque humanam, canonicam, & civilem, adeoque contra legislatorem Divinum, & creatum, atque hunc Ecclesiasticum, & civilem, tamen non censetur in se plures malitias specie diversas includere. Ex quo etiam patet, quòd neque diversitas juris inferat diversitatem specificam violationum ejusdem.

Quod attinet ad diversitatem finis: vel sermo est de fine immediato præcepti: & hic est ipse actus, consequenter committitur circulus vitiosus; explicatur enim diversitas specifica actuum per diversitatem legum, & diversitas legum per diversitatem actuum: vel sermo est de fine extrinseco præcepti, quem intendit sèpe legislator: & hic nihil refundit in actum, potèstque ignorari ab eo, cui præceptum impositum est. Sed neque per finem intelligi potest objectum materiale; hoc enim non specificat actum: ergo tandem debet per finem intelligi objectum formale actus: at sic tenetur nostra sententia; quia hoc objectum formale diversum, est diversa specifica ratio, sub qua diversa præcepta obligant.

150. Tertio Pallavicinus vult, differentiam specificam peccatorum desumendam esse ex differentia specifica dictaminum conscientia. Sed contra est. Dictamen conscientia est tantum cognitio honestatis, vel inhonestatis, & jam præsupponit objectivè malitiam actuum, seu formam denominantem actum malum, estque tantum quasi applicatio, ut ita loquar, illius formæ ad actum: ergo non est ipsa malitia, nec generica, nec specifica peccati: sed hæc stat in oppositum conscientia cognoscitur, vel, ut ita dicam, applicatur, & promulgatur. Hinc, quando etiam peccatur ex conscientia invincibiliter erronea, tamen actus non est formaliter malus

ideo; quia est contra hoc dictamen, sed, quia est contra legem reverà existentem, quæ obligat ex eadem virtute, contra quam putatur actus esse; quia quælibet virtus obligat ad omittendam eam actionem, quæ per dictamen conscientia, etiam erroneum, proponitur contraria eidem virtuti: præterquam, quòd talis actio sit contra legem, quæ universaliter præcipit, ut sequamur conscientiam invincibiliter errantem.

151. Quarto Haunoldus l. 2. tract. 2. num. 474. pro regula differentia specificæ statuit diversas rationes speciales prohibendi, unde unde proveniant. Sed vel intelliguntur speciales rationes prohibendi, præsuppositæ ad præceptum, tam naturale, quam positivum: & hæc, sicut tantum sunt fundamentales malitiæ, ita etiam sunt tantum fundamentales specificæ malitiæ, adeoque in iis potest quidem fundamentaliter consistere differentia specifica, sed nondum formaliter. Sic e. g. gestatio armorum (casu quo est periculum alicujus seditionis) antecederet ad prohibitionem, nondum est formaliter mala: & consequenter, licet differat e. g. à comestione carnis die Veneris, non tamen differt formaliter in ratione mali. Vel intelliguntur speciales rationes prohibendi, actu affectæ à præcepto: & tunc coincidit hæc sententia cum nostra.

Id tamen advertendum, quòd hic auctor, volens explicare diversas rationes prohibendi, dicat, attendendum esse, an, si unum licitum esset, tamen adhuc esset specialis ratio prohibendi alterum: quod difficulter potest admitti; nam; etsi non prohibeatur furtum unius aurei, tamen adhuc esset ratio prohibendi furtum decem aureorum; cum tamen ista duo furta sint ejusdem speciei. Reponit hic auctor, attendendum esse, an, si peccatum gravius liceret, tamen adhuc esset ratio prohibendi minus grave. Sed, si liceret adulterium, difficulter ostenderetur ratio prohibendi simplicem fornicationem, quæ tamen specie differunt: item, si rapina liceret, vix inveniretur ratio prohibendi furtum simplex, quæ iterum specie differunt; quod enim innuat Haunoldus num. 476. rapinam, quæ tantum à potentioribus fieri potest, non ita fore frequentem, quam furtum, quod etiam à debilibus potest committi, non videtur solidum; nam etiam debiliores, physice, vel moraliter, maxime, si conjungantur, possent frequentissimas rapinas exercere.

152. Quinta sententia est, differre specie ea peccata, quæ differunt notabiliter judicio prudentum. Sed inprimis furtum unius tantum aurei, & furtum millionis aureorum, differunt valde notabiliter, non tamen specie. Si autem per notabiliter intelligatur, ita, ut prudentes judicent, ea differre specie, equidem hæc regula servire sæpe debet minus doctis: attamen, ut rectè Haunoldus, l. 2. tract. 2. n. 469. definitio hæc non est fundamentalis, qualis desideratur à Theologis, qui debent dare conceptum, & regulam magis rigorosam; aliàs possemus etiam dicere, *Illud est homo, quod prudentes judicant esse hominem*:

Verum quidem est, quòd neque prudentes semper possint ex stapede, vel tripode, dare responsum, & determinare statim, an aliquod pec-

peccatum specie differat ab alio: item verum est, quòd, si notum sit, quale judicium communiter ferant prudentes de aliqua re, utique id possit etiam prudentibus aliis servire pro regula in praxi: at nunc, dum speculative hæc quæstio agitur, potius explicandum est fundamentum, cui prudentes judicium suum, de differentia specifica peccatorum, inædificant, & quo sententiam suam, quam ex pluribus defendere volunt, stabiliant. Accedit, prudentes sæpe diversa sentire; unde hæc regula esset valde dubia, & manca; nam hoc ipsum judicium, ut sit prudens, debet fundari in aliqua ratione, & fundamento, se tenente ex parte peccatorum: & de isto hic quæritur.

153. Sextò quidam censent, peccata suam speciem desumere ab objecto, in quod actus peccaminosus tendit. Sed, vel intelligunt objectum materiale, vel formale. Si materiale: universaliter non est verum; nam aliquando differunt talia peccata, aliquando non: e. g. furtum auri, & furtum argenti, si nulla alia diversitas moralis accedat, non differunt specie: e contra e. g. furtum argentei scyphi ex templo, & furtum scyphi similis ex laici domo, differunt specie, & tamen est idem objectum materiale.

Si autem intelligunt objectum formale, explicent se, dicantque, quid intelligant per objectum formale: si intelligunt causam moralem, falsum dicunt; nam, licet causa moralis possit refundere aliquando speciem malitiam in actum, id tamen non facit necessariò; five enim homicidium fiat propter preces amici, five propter minas ejusdem, est ejusdem speciei: e contra à cædes sacerdotis, & cædes laici, propter eandem specie causam, e. g. injuriam, differunt specie: si intelligunt causam finalem, iterum falsum dicunt; potest quidem finis malitiam speciem addere, sed non necessariò id facit; five enim fureris, ut ludas, lusu per se honesto, five, ut commodè vivas, est ejusdem speciei peccatum: e contra, si ex eodem fine ludendi fureris sacrum, & profanum calicem, peccata specie differunt. Quòd si etiam intelligant utrumque objectum, tam materiale, quam formale, sumendo istud pro causa morali, vel finali, tamen falsum dicunt, ut patet in furto ex sacro, vel profano, ob eundem finem.

154. Si autem per objectum formale intelligant rationem illam formalem objecti, ob quam ipsum est malum, & debet vitari, quam tamen rationem peccans, hic & nunc, negligit, & non vitat, tunc coincidunt cum nostra sententia; nam hac ratione per objectum formale intelligitur malitia formalis: at malitia formalis, ut diximus n. 3. item 7. § 27. stat in difformitate actus cum lege: imò etiam malitia, sive inhonestas formalis objectorum, stat in contrarietate illorum objectorum cum lege DEI: quod pluribus probatum in tract. de actibus humanis. à n. 176.

Nec id tantum verum est in actibus, qui mali sunt; quia prohibiti: e. g. comestio carnis die Veneris; sed etiam in actibus, qui prohibiti sunt; quia mali: etsi enim isti antecederent, seu pro priori rationis, ad legem æternam, sint radicaliter mali, tamen formalis malitia derivatur in eos à lege DEI prohibente, & per contrarietatem denominante, quem modum denomi-

nandi aliquantum explicavimus n. 27. adeoque dicere, peccata differre ratione objectorum formalium, in hoc sensu, est idem, ac dicere, ea differre ratione oppositionis, quam habent, cum diversis legibus, sub diversa ratione formalis obligantibus; quæ est nostra sententia.

155. Dices cum Haunoldo, nostram regulam relinquere adhuc sub iudice, an hoc, vel illud peccatum, determinatè sumptum, differat specie ab alio, an non; cum sit incertum, an diversa legi opponatur, an non. Resp. nos dare potius definitionem differentia specificæ peccatorum, quam regulam ejus cognoscendæ: contingit autem in omnibus definitionibus, ut se solis sumptæ non statim manifestent, cui conveniant. Sic etiam Philosophi, dum affirmant, illa differre specie, quæ essentialiter differunt, per hoc non statim ostendunt, quoniam in particulari specie differant: sed conditionatè tantum dicunt, quòd, si hæc, vel illa essentialiter differant, differant quoque specie: ergo etiam potest tolerari in nostra definitione differentia specificæ peccatorum, quòd ex ea sola (quia etiam implicitè conditionata est) non inferatur, quoniam omnia absolute in particulari specie differant: sed debet prius hæc definitio, vel, si ita vis dicere, regula applicari, verbo: debet ostendi, quòd præcepta prohibentia sint obligantia sub diversa ratione: id quod debet colligi ex aliis signis, vel indicis.

156. Talia autem indicia, ex quibus inferuntur diversa ratio, sub qua præcepta obligant, & peccata diversa faciunt, possunt esse. 1. Si peccata opponantur diversis virtutibus, quas specie differre aliunde est notum, e. g. si unum opponatur fidei, uti hæresis, alterum charitati DEI, vel proximi, ut odium. 2. Si opponantur quidem eidem virtuti, sed unum per defectum, alterum per excessum, e. g. eidem liberalitati opponitur prodigalitas per excessum, avaritia per defectum: eidem iustitiæ vindictivæ nimius rigor, & nimia bonitas. 3. Si unum peccatum opponatur uni virtuti, alterum verò pluribus, e. g. fornicatio simplex soli opponitur castitati, adulterium etiam iustitiæ. 4. Si unum sit simplex complacentia, alterum desiderium. 5. Si unum sit contra præceptum affirmativum, alterum contra negativum, licet ejusdem virtutis, e. g. ex eadem virtute religionis præcipitur auditio sacri, præcepto affirmativo, & omisio laboris servilis, præcepto negativo. 6. Si peccata sint diversi nominis, plerumque videntur esse diversæ speciei, e. g. detractio, & contumelia, furtum, & rapina; quia ipsa diversitas nominis, indicat diversas rationes formales prohibendi. dixi: *plerumque*; nam potest utique contingere, ut voces sint omnino synonymæ.

157. Item 7. Si peccata sint contra bona diversi ordinis, unum contra bonum spirituale, & supernaturale, alterum contra bonum naturale: aut, si unum sit contra bona fortunæ, ut furtum, alterum contra bonum corporis, ut occisio, mutilatio: vel unum contra bonum famæ, aliud contra bonum honoris. 8. Aliquando etiam diversitas status læsi inferat diversitatem specificam, ut percussio clericis differt specie à percussione laici. 9. Si peccata sint contra diversa præcepta decalogi (excipe nonum, & decimum,

icum, ex quibus prius continetur implicitè sub sexto, alterum verò sub septimo) differunt specie: non autem vicissim, si sint contra unum, & idem præceptum, non differunt specie; quia, ut dictum, eidem præcepto plures species peccatorum possunt adferri, & quidem plures tam per excessum, quam per defectum, ut patet consideranti primum statim præceptum Decalogi. 10. Si unum peccatum sit veniale, alterum mortale, differunt etiam specie; si non quoad objectum materiale, five objectum conversionis, saltem quoad formalem malitiam, five objectum aversionis. Ista autem omnia indicant, dari diversas rationes formales, diversas inhonestates, diversas displicentias DEI, circa ea peccata, ratione quarum prohibentur. Hæc signa sunt magis patentia: dantur tamen adhuc alia plura signa differentie specificæ peccatorum, quæ asserre nimis longum foret.

158. Tandem utique negari non potest, quod sæpe hæc differentia specificæ rationum formalium, desumenda sit ex sensu communi hominum, quando scilicet cuivis prima fronte apparet magna diversitas, non tantum quoad intensiorem, vel majorem quantitatem, sed quoad ipsam formalem inhonestatem objectorum: vel certè quod desumenda sit ex communi sensu Doctorum; quando enim isti communiter dicunt, aliqua peccata specie differre, utique in rebus moralibus (quæ sæpe ex rationibus, maximè physicis, decidi non possunt) merentur assensum; unde, licet non sit admitenda, tanquam definitio differentie specificæ peccatorum *notabilis differentia iudicio prudentium* (de qua re diximus *num. 152.*) tamen admitti potest, & debet, tanquam indicium aliquod, maximè, quando ex ratione, vel aliis iudiciis, in neutram partem aliquid potest concludi.

159. Porro, ut ista diversitas rationum formalium, præcipiendi, aut prohibendi, adhuc melius intelligatur, sciendum, istam multiplicem esse. Si DEUS præcipit actus Theologicos, fidei, spei, aut charitatis supernaturalis, ratio præcipiendi est aliqua perfectio Divina, scilicet veracitas, omnipotentia, fidelitas, bonitas, propter quas nos vult credere, in quas sperare, quas amare &c. Et hæc perfectiones sunt quoque ratio, quare DEUS prohibeat actus oppositos, hæresis, desperationis, odii &c. imò propter eas etiam DEUS prohibet omissionem actuum illorum, pro tempore, quo ipsi præcipiuntur; illæ enim perfectiones, ratione suæ dignitatis, exigunt positionem actuum bonorum illorum, tanquam se decentium, & quibus colantur: e contra etiam exigunt exclusionem actuum oppositorum, tanquam dignitati suæ contrariorum: finis autem immediatus &c. intrinsecus talium præceptorum sunt iidem boni actus, vel fuga, aut ommissio actuum malorum iis oppositorum.

160. Quodsi præcipiantur actus virtutum moralium, tunc ratio sub qua præcipiendi, potest esse prædicatum Divinum; quanquam enim, prædicatum Divinum non possit esse objectum formale quod actus virtutis moralis (qua de re agendum tract. de virtute theol.) potest tamen esse objectum formale quo, seu ratio sub qua, si scilicet actus exigatur ab aliquo prædicato Divino: e. g. actus religionis à dignitate, & ex-

cellentia DEI. Dixi: potest esse; non enim debet; si enim actus non tam in bonum DEI, quam alterius tendat, e. g. actus misericordie, vel similis, tunc ratio sub qua præcipiendi, est decencia, & convenientia, relucens in objectis, & in actionibus circa talia objecta: cujus decencie intuitu DEUS certas actiones præcipit, alias verò oppositas prohibet. Cum autem hæc decencia, vel indecentia, in quibusdam sit magna, in aliis parva, præceptum, pro tali diversitate, gravius vel levius obligat.

161. Rursus, cum aliqua sint intrinsecè mala eorum indecentia exigit necessariò prohiberi: quæ autem intrinsecè necessariò bona sunt, eorum decencia prohiberi non potest: sed necessariò exigit suaderi, vel præcipi. Ea verò objecta, quæ ex se indifferentia sunt, nec præcipi, nec prohiberi exigunt: quia tamen quædam ad finem honestum conducunt, quædam ab aliquo sine honesto abducunt, quem legislator intendit, hinc sub ratione talis decencie, vel indecentie, extrinsecus adveniens, possunt præcipi, vel prohiberi: idque sæpius fit, per jus positivum, five Divinum, five humanum.

Harum autem rationum formalium specificæ diversitas, colligitur quandoque ex eo, quod ipsa objecta materialia, vel ipsæ actiones, personæ, aliæque circumstantiæ, moraliter diversæ sint: quandoque etiam ex peculiari alterius actionis difficultate, quæ communiter sentitur in prosecutione decencie, vel fuga indecentie, ut propterea detur specialis laudabilitas, vel vituperabilitas in tali prosecutione, vel fuga. Hæc tamen diversitas moralis debet quoque notabilis esse, & moraliter considerabilis; non enim quævis diversitas minima earum rationum facit diversitatem specificam peccatorum in sensu Theologico, ne nimium multiplicentur species, & onus illas in confessione explicandi. Neque etiam sufficit diversitas tantum in intensiōne, aut quantitate: sic e. g. actus iræ intensus à remisso, vel furtum 100. florenorum à furto 10. florenorum, juxta communissimam non differunt specie. Tandem ista diversitas moralis debet vel per se ipsam statim patere, vel ex alia ratione, aut sensu communi, vel omnium, vel Doctorum, inferri.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

162. **O**B. 1. S. Thomas. 1. 2. q. 72. a. 7. in corp. docet, peccata cordis, oris, & operis esse ejusdem speciei: sed hæc sunt prohibita sub diversis rationibus formalibus; nam est alia inhonestas, ob quam prohibetur peccatum iræ tantum internæ: & alia, ob quam prohibetur peccatum iræ, in verba prorumpentis: ergo. Confirm. 1. Idem S. Doctor. q. 2. de malo. a. 6. in corp. de peccatis, ait: *Nec est dicendum, quod differant specie secundam differentiam præceptorum: sed magis è converso præcepta distinguuntur secundam differentiam virtutum, & vitiorum;* ergo. Confirm. 2. Iterum S. Doctor 1. 2. q. 72. a. 1. in corp. ait, speciem actus potius desumi ab eo, quod ipsi per se inest, quam ab eo, quod ei inest per acci-

dens: addit autem, in ordinationem actus, (quæ est idem cum recessu à lege) tantum per accidens inesse actui: ergo actus non desumit speciem ab hac in ordinatione, sed ab objecto, ut Angelicus ibi concludit.

Resp. S. Doctor loc. citato ad 3. ita scribit: *Dicendum, quod peccatum cordis, & oris, non distinguuntur à peccato operis, quando simul cum eo conjunguntur: sed prout quodlibet horum per se invenitur.* Quare tantum vult dicere, quod, si opus sit consummatum, e. g. fornicatio, & tunc ipsum, & prævia cogitatio, atque etiam verba turpia, in ordine ad id opus prolata, quæ sine morali interruptione cum opere dantur, sint moraliter unum peccatum: non verò vult dicere, quod ista tunc non constituentur peccata specie, saltem incompletè diversa: sicut nempe corpus, & anima sunt substantiæ specie diversæ, sed incompletæ, quamvis constituent eundem hominem. Item non negat S. Doctor, quod, quando peccata cordis, oris, & operis, sunt ab invicem separata, & in iis sistunt, sint peccata suo modo completa, & specie distincta. In forma. neg. mai. tantum enim docet Angelicus, quod in casu conjunctionis moralis, seu quando nulla interruptio morali ab invicem separantur, sint moraliter unum numero peccatum, de quo plura infra à n. 182. ubi de distinctione numerica peccatorum.

163. Ad 1. confirm. neg. conf. Non dicimus, differentiam peccatorum esse differentiam præceptorum: sed dicimus, differentiam peccatorum stare in oppositione cum præceptis, quæ, licet quidditative sumpta, involvat ipsa præcepta, non tamen ea involvit denominativè sumpta. Nec est contrarius S. Doctor, qui, si rite perpendatur, videtur tantum velle, quod prima radicalis, seu fundamentalis differentia in iis, quæ prohibita sunt; quia mala, non desumatur à præcepto, sed præsupponatur ad id ut (quod non negamus) nam statim addit Angelicus: *Si ergo aliqua essent peccata, solum quia prohibita, in his rationabile esset, ut secundam differentiam præceptorum, specie peccata differrent:* ergo admittit, aliquando posse re-fundi differentiam specificam peccatorum, in diversitatem præceptorum; quando scilicet malitia refunditur in actum ab oppositione cum præcepto, & præceptum non est tantum numero diversum, sed habet diversam rationem prohibendi: quæ semper adest in præceptis positiviis prohibentibus actiones, quæ censentur esse specie diversæ; nam semper ista habebunt diversas rationes formales prohibendi.

At verò in peccatis, quæ prohibita sunt; quia mala, jam quidem, antecedenter ad præceptum, datur malitia fundamentalis: attamen nondum datur formalis, ut probatum tract. de act. bum. à n. 179. & hinc rationes speciales, antecedentes præceptum, & trahentes post se necessariò prohibitionem, sunt quidem differentia aliqua, in genere mali fundamentalis, quam S. Thomas ibi adstruit, & ratione cujus dicit præcepta inter se differre: at, sicut nondum sunt formales malitiæ, ita neque sunt formales differentie actuum, seu peccatorum, ut formaliter malorum: sed hæc differentie formaliter stant in oppositione cum legibus, ex

diversa formaliter ratione obligantibus,

164. Ad 2. confirm. S. Thomas per inordinationem, ut bene observat Tannerus. tom. 2. disp. 4. q. 2. dub. 1. n. 12. intelligit privationem, quæ consequitur actum, de qua dictum n. 24. Idem videntur sentire Cajetanus, Zumel, Medina, & alii recentiores Thomistæ (apud eundem Tannerum cit. dub. n. 15.) qui ex hoc textu S. Thomæ intulerunt nostram sententiam, asserentem, quod malitia formalis peccati in positivo consistat. Et certè S. Doctor ibi ad 2. sic scribit: *Dicendum, quod peccatum non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus:* unde non tantum statuit peccatum in positivo, sed per inordinationem intelligit privationem debiti ordinis. Idem S. Thomas docet eodem articulo, ex professo, actus peccaminosus differre ex objectis, utique non tantum materialibus, sed formalibus, ut probavimus n. 153. igitur, ut probatum n. 154. coincidit cum nostra sententia, in forma. neg. conseq. vel potius ejus suppositum, scilicet, quod inordinatio privativa, quam S. Doctor ibi intelligit, & quæ actui non per se, sed tantum per accidens inest, sit illa. positiva difformitas actus cum lege; in qua nos statuimus differentiam specificam peccatorum.

165. Ob. 2. Sæpe sub eadem ratione prohibentur peccata specie diversa: ergo ad differentiam specificam peccatorum non requiritur diversitas in ratione formali præcipiendi. antec. prob. sub eodem motivo bonitatis Divinæ, aut charitatis DEI, prohibentur odium DEI, & odium proximi: sub eodem motivo justitiæ prohibetur furtum, & detractio, &c. ergo. Confirmatur 1. Peccatum mortale, & veniale, differunt toto genere: sed prohibentur sæpe ex eodem motivo. e. g. furtum parvum, & magnum, ex eadem formali ratione justitiæ: ergo. Confirm. 2. Diversa sunt peccata, non audire sacrum die festo, & non recitare Breviarium: comedere carnes die quadragesimali, & se inebriare: & tamen hæc omnia prohibentur sub eadem ratione infima religionis, vel temperantiæ: ergo.

Resp. dist. antec. Prohibentur peccata specie diversa sub eadem ratione, seu sub eodem motivo in genere. conc. antec. sub eodem in specie morali ultima. neg. antec. & conseq. ad prob. conc. antec. neg. conseq. quia ista motiva sunt nimis generica, & continent sub se multas rationes formales, specie non tantum physica, sed etiam morali, & quidem notabiliter diversas, ut patet cuilibet vel obiter consideranti. Certè contra bonitatem DEI sunt omnia peccata: & contra justitiam sunt plurimæ species peccatorum, suntque rationes valde diversæ aliquid contra justitiam prohibendi; nam sunt valde diversæ indecentiæ illarum diversissimarum actionum, quæ fundant valde dissimiles, seu rationum valde diversarum displicentias in DEO, & consequenter præbent fundamenta, seu rationes prohibendi diversas.

166. Ad 1. confirm. neg. min. nam peccatum mortale prohibetur, tanquam aversens à DEO, & destruens amicitiam ejusdem, atque præferens, interpretativè saltem, creaturam voluntati Divinæ, ac DEUM simpliciter offendens: hæc ratio non est ratio prohibendi peccatum

veniale, quod nec est simpliciter peccatum, nec est simpliciter contra legem, nec est simpliciter offensæ DEI, ut dictum, n. 8. § 111. Ad 2. confirm. nego 2. p. ant. ista enim virtutes, sicut complectuntur actus speciei diversos, ita etiam respiciunt peccata speciei diversa: estque notabiliter alia inhonestas unius ex talibus peccatis, quam alterius; unde non est tantum diversitas objecti materialis, sed etiam objecti formalis, seu inhonestatis. Non tamen nego, sæpe attendendum esse ad communem sensum, & ex eo desumendum, an inter peccata, quæ eidem virtuti opponuntur, detur, vel non detur talis notabilis diversitas: & sanè sensus communis censet, peccata supra assignata esse diversæ speciei; omnes enim censent, aliud esse, & valde diversum, se inebriare, & aliud, die jejunii comedere carnes, quamvis utrumque sit contra temperantiam.

167. Ob. 3. Sæpe præcipitur, vel prohibetur aliquid ex duplici, valde notabiliter diverso motivo, & tamen illud omittendo, vel faciendo, tantum committitur peccatum unius speciei: ergo nostra sententia non subsistit, prob. antec. Ecclesia in vigiliis Sanctorum præcipit jejunium ex motivo cultus eorum, in aliis diebus, e. g. quadragesimæ, illud præcipit ex motivo abstinentiæ: rursus in festis Domini præcipit abstinentiam à labore servili, & auditionem sacri, ex motivo lætitiæ: in festis sanctorum eadem præcipit ex motivo dulciæ: & tamen, incidente festo S. Mathiæ in primam Dominicam Quadragesimæ, si quis præcedente Sabbatho non jejunaret, juxta communem tantum unum peccatum committeret: & qui tunc ipso die S. Mathiæ laboraret, etiam tantum unum specie peccatum committeret: idem est, si eo die non audiret sacrum.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. nam etiam in pervigiis Sanctorum præcipitur jejunium, directe, & immediate, ex motivo abstinentiæ, & indirectè tantum ex motivo religionis. Pariter motivum, sub quo prohibetur labor servilis, & præcipitur auditio sacri, est cultus DEI, in cujus honorem præcipiè etiam ipsa festa instituantur. Aliud esset, si quis vovisset jejunium, vel auditionem sacri illis diebus; tunc enim esset obligatio diversæ rationis, & duplex species peccati, exponenda in confessione. Et idem esset, si quis e. g. Religiosus transgrediretur jejunium, ad quod voto, & præcepto Ecclesiæ, tenetur; peccaret enim contra abstinentiam, quæ est ratio formalis obligandi respectu præcepti, & contra religionem, quæ est ratio obligandi respectu voti.

168. Ob. 4. Quædam peccata differunt specie, non ob diversam rationem motivam, sed tantum ob diversum modum tendendi: ergo, ant. prob. sic se habent prodigalitas, & avaritia, sic delectatio morosa & desiderium &c. ergo. Resp. neg. ant. quia hic ipse valde notabiliter diversus modus tendendi fundat diversas displicentias in DEO, & diversas rationes formales suppeditat eas actiones prohibendi.

Dices. Ergo etiam diversitas inter actum valde intensum, & valde remissum, præbebit diversas rationes formales prohibendi. Resp. neg. illatum; nam, quamvis actus intensior, si indivisibilis sit, speciei differat à remisso in con-

sideratione physica, non differt in consideratione Theologica; sicut enim voluntas furandi decem aureos: differt specie physica à voluntate tantum furandi unum: non tamen differt specie Theologica, sed tantum habet majorem gravitatem intra eandem speciem: ita pariter etiam actus intensior habet tantum majorem gravitatem intra eandem speciem; nec est motivum prohibendi specie diversum; sed tantum est majus in eadem specie Theologica. Unde quamvis possit in ratione gravitatis peccati magis differre desiderium valde remissum, & valde breve à desiderio valde intenso, ac diuturno, quam differat desiderium valde remissum à delectatione morosa; non tamen possunt illa duo desideria magis inter se differre specie Theologica; hæc enim ex communi non desumitur ab intensione.

169. Ob. 5. Potest dici, quod diversitas legislatorum afferat differentiam specificam in transgressionibus legum, sive peccatis: ergo non subsistit dicta num. 149. prob. antec. lex quælibet dicit ordinem essentialem ad suum legislatorem: ergo, ubi hic specie differt ab altero, etiam differt lex, & consequenter transgressio. Confirm. 1. Diversi legislatores habent diversos fines: ergo obligant sub diversis motivis. prob. ant. lex naturalis habet pro fine felicitatem naturalem: lex Divina, & Ecclesiastica supernaturalem: lex civilis autem politicam: ergo. Confirm. 2. Lex humana, & Divina sunt leges speciei diversæ: ergo etiam specie diversæ sunt earum transgressionibus. Resp. neg. antec. ad prob. om. ant. distin. conseq. differt lex, & transgressio in consideratione physica, conc. conf. in consideratione Theologica. neg. conf. supposito, quod non differant leges ratione diversi motivi formalis.

Ad 1. confirm. dist. ant. diversi legislatores habent diversos fines mediatos, conc. antec. immediatos, & quidem semper. neg. ant. & conseq. vide dicta num. 149. ad prob. dist. ant. & felicitates illæ sunt tantum fines mediatos, conc. ant. sunt fines immediati. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conf. Si tamen aliquando finis immediatus est diversus, e. g. si lex naturalis tantum obligat ad actum naturalem, supernaturalis verò ad supernaturalem, erunt etiam diversæ rationes præcipiendi. Obiter noto, per legem naturalem non solum intelligi eam, quæ ad finem naturalem tendit, sed eam quoque, quæ applicatur, seu quasi promulgatur per lumen naturalis rationis, quæ sapissime (supposita elevatione nostra ad finem supernum) etiam ad hunc profequendum tendit, & obligat.

170. Ad 2. confirm. dist. ant. Lex humana & Divina, sunt leges speciei diversæ in consideratione physica. conc. antec. in consideratione Theologica, neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conf. Nec dicas, specie Theologica inter se differre obedientiam debitam DEO, & obedientiam debitam homini, adeoque etiam transgressionem præcepti Divini, & transgressionem præcepti humani; nam hoc negat communior Theologorum, ut videre est apud Oviedo in 1. 2. tr. 6. controv. 5. punct. 4. num. 90. Nec est paritas inter fidem DEO, & fidem homini ex una: & obedientiam DEO, & homini exhibitam, ex altera parte; fides enim Divina præ-

præcipitur ex motivo veracitatis Divinæ, quæ non est ratio credendi homini fide humana; nam ratio credendi homini est tantum auctoritas humana: neque applicatur homini moraliter veracitas Divina, nisi loquatur verbum DEI, quod non semper fit: quando autem id fit (sicut quando sacri scriptores scripserunt sacra Biblia) tunc debet credi fide Divina, quod dicunt, aut scribunt.

At verò ratio obediendi DEO, & ratio obediendi homini, est eadem voluntas Divina obligans, vel eadem potestas obligandi, quæ moraliter applicatur homini, tanquam Vicario DEI; hinc S. Bernardus, ut eum citat S. P. Ignatius ep. de obedient. n. 16. ait: *Sive DEUS, sive homo Vicarius DEI, mandatum quodcumque tradiderit. pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen DEO contraria non præcipit homo.* Et hoc rectè additum; si enim contraria præciperet homo, non præciperet ut Vicarius DEI. S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2. ad 4. etiam docet, obedientiam non respicere personam præcipientis, sed tantum rationem præcepti, & superioritatis in communi: ergo non videtur facere discrimen inter obedientiam erga DEUM, & erga hominem. Quando autem huic communiori sententia obijciatur, justitiam erga DEUM, & cultum DEI, differre à justitia erga homines, & cultu hominum, sicut mentiri DEO differt ab eo, quod est mentiri homini; quia illud est ex se mortale, hoc veniale. Respondetur, disparitatem esse hanc ipsam, quod in ordine ad hos actus dentur diversæ rationes formales præcipiendi, vel prohibendi.

171. Alii verò cum Oviedo in 1. 2. tr. 6. controv. 5. punct. 4. n. 92. admittunt, obedientiam erga DEUM differre specie ab obedientia erga hominem: sed idem Oviedo cum pluribus trad. 6. controv. 2. punct. 3. n. 18. § seq. usque ad 32. rectè docet, non omne peccatum imbibere in se speciem inobedientiæ; quia DEUS non omnia prohibet, vel præcipit ex motivo obedientiæ, sed tantum ex motivo illius virtutis, ad quam actus per se spectat, vel cui contrarius est: e. g. odium DEI vetat ex motivo charitatis, ex quo motiva quoque præcipit actum amoris. Inobediencia autem materialis, quæ culibet peccato inest, non est ratio specifica peccati; quia est aliquod prædicatum transcendens omnia peccata. Consentit S. Thomas loc. cit. n. præced. ad 1. ubi ait, inobedienciam, prout est peccatum speciale, non committi, nisi quis actualiter contemnat præceptum: hoc est, nisi velit præceptum transgredi, non quomodocunque, sed idè; quia non vult se subicere præcepto: qui actus unque prohibitus est specialiter ex motivo obedientiæ, & qui, si fieret contra præceptum Divinum, esset juxta hos auctores diversæ speciei, ab eo actu, qui fieret contra præceptum humanum.

172. Ex quibus hoc saltem inferitur, quod non habeatur differentia specifica peccatorum ex diversitate legislatorum, nisi simul habeantur rationes formales diversæ obligandi: quamquam juxta aliquos hæc ipsa diversitas possit fundari in magna diversitate inter legislatorem Divinum, & humanum, ut sentit Oviedo in 1. 2. tract. 6. controv. 5. punct. 4. n. 92. qui tamen præcedente n. 89. tradit, diversitatem legislatorum creatorum esse levem, nec facere aliam speci-

em peccati; quia omnes æqualiter obligant in concientia: & sicut ex eadem virtute eos reveremur, ita etiam, ait hic auctor, ex eadem virtute iis obedimus. Dices. Si diversitas legislatorum non inferat differentiam specificam transgressionum, ad quid ergo sæpe per plures leges a diversis legislatoribus idem præcipitur, vel prohibetur? Resp. Sicut potest idem prudenter à pluribus fide dignis dici, ad faciendam majorem fidem; ita potest idem à pluribus præcipi, ad faciendam majorem obligationem, & ejusdem obligationis innumerationem.

173. Ob. 6. Peccata contra jus naturæ differunt specie à peccatis contra jus positivum: ergo potest à diversitate jurium desumi differentia specifica peccatorum, contra dicta n. 149. ant. probatur. Cædes patris, vel matris, item incestus cum consanguinea in primo gradu lineæ rectæ (in quo copula est incestuosa ex jure naturali) differunt specie à cæde aliorum consanguineorum, vel etiam ab incestu commisso cum aliis consanguineis, e. g. in tertio, vel quarto gradu, in quibus gradibus copula est incestuosa ex jure tantum positivo: ergo. Resp. incertum esse, quod plura peccata speciei diversa sint contra jus naturale, & plura etiam contra jus positivum tantum: quomodo ergo ista inter se specie differant?

Resp. 2. dist. ant. differunt illa peccata præcisè propter diversitatem istorum jurium. neg. ant. propter diversam inhonestatem, seu formalem rationem prohibendi, conc. antec. & neg. conseq. ad prob. om. antec. quia aliqua in eo sunt dubia. Cædes patris utique differt à cæde aliorum consanguineorum, in tertio & quarto gradu; quia parricidium habet speciem impietatis, quam non habet cædes aliorum remotiorum consanguineorum. Sanè docet Oviedo in 1. 2. tract. 6. controv. 5. n. 44. punct. 3. in iis tantum cædem, vel percussionem, aut injuriam, habere malitiam impietatis, quando ita conjunctæ sunt personæ, ut jure naturæ prohibitum sit inter eos matrimonium: non item in aliis; quia nulla lex naturalis, aut positiva, ob malitiam impietatis eam cædem prohibet: addit tamen, hæc rem necdum ab auctoribus sufficienter agitatum esse.

174. Quod attinet ad incestus, S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 9. videtur admittere, omnes, excepto saltem, qui committitur in primo gradu lineæ rectæ, esse ejusdem rationis, sive sint incestus ob consanguinitatem, sive ob affinitatem. Alii putant, si sint æquales gradus affinitatis, & consanguinitatis, etiam incestus esse æquales: incestus verò in diversis gradibus remotioribus, & præsertim tantum jure positivo ad malitiam incestus determinatis, dicunt, differre specie ab iis, qui sunt in gradibus jure naturæ prohibitis, vide Oviedo in 1. 2. tract. 6. controv. 5. punct. 3. n. 72. Quidquid de hoc sit, si isti incestus inter se differant, non differunt præcisè ex diversitate juris, aut legis, sed rationum formalium prohibendi. Ubi addo ex eodem Oviedo loc. cit. n. 40. § 41. non omnia peccata contra parentes contrahere malitiam impietatis, sed tantum illa, quæ ex eo motivo prohibita sunt. Sic furum filii, ex bonis paternis, non contrahit hæc malitiam; quia non est prohibitum ex motivo pietatis.

tatis; nec est contra id, quod patri ut patri debetur, sed contra id, quod debetur ipsi, ut aliis hominibus. Excipe, nisi ratione talis furti pater in gravem miseriam devolveretur, quam debet filius ex pietate cavere in patre: sicut debet miseriam contrafactam avertere. Est autem contra reverentiam patri debitam, non tantum, ei verbera, sed etiam convicia ingerere, aut ei famam detrahere; si enim debet filius patrem honorare, non debet conviciis inhonorare, nec debet facere id, ex quo pater reddatur vilis, quod fit detrahendo.

ARTICULUS III.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

175. **O**B. 7. Lex naturalis constituit actionem præceptam, vel prohibitam, in materia necessaria virtutis, ad quam pertinet: lex positiva autem tantum constituit actionem, in materia necessaria obedientiæ: ergo peccata ista differunt specie, ratione istarum legum. Hoc argumentum probat nimium, scilicet violationem jejunii, & omissionem sacri, & celebrationem nuptiarum tempore prohibito, & quidquid tandem sola lege positiva prohibitum est, esse ejusdem speciei; quia tantum essent peccata inobediendiæ: quod est omnino falsum, & contra omnes auctores. In forma neg. 2. p. antec. Ut enim habent Vasquez in 1. 2. disput. 98. c. 2. Oviedo in 1. 2. tract. 6. contr. 5. punct. 2. Imò Doctores saltem plerique, etiam lex positiva constituit actionem in materia virtutis, ad quam pertinet, nisi aliunde colligatur, superiorem præcisè intendere actum obedientiæ. Ut intelligatur hæc obiectio, sciendum, constituere aliquid in materia necessaria virtutis, esse, facere, ut, si illud casu, quo præceptum est, non fiat, vel casu, quo prohibitum est, fiat, peccetur contra illam virtutem. Sic, dum præceptum Ecclesiasticum constituit abstinentiam à carne die Veneris, in materia necessaria temperantiæ, facit, ut, si quis ea die carnes comedit, peccet contra temperantiam: & quamvis valde moderate comedit, tamen est intemperans: non autem est formaliter inobediens, nisi expressè velit se subjicere præcepto, aut superiori obliganti: vel nisi aliunde colligatur, superiorem exigere hic & nunc actum obedientiæ, sicut exigebant aliquando antiqui monachi, e. g. quando jubebant suos conficere crates, & factas iterum resolvere, vel comburere, vel quando jubebant aridum lignum rigare.

176. Dices 1. Cur abstinere à labore die festo præcipitur ex motivo religionis, seu reverentiæ erga DEUM: & non jejunium in vigilia præcedente e. g. Nativitatem Domini? cur ingressus in domum periculofam, si prohibeatur, erit peccatum contra castitatem; & non erit contra castitatem, si cui, ex fine melius vincendi tentationes carnis, imponatur jejunium, casu quo hoc non observetur? Resp. hæc de re factus est disputat Oviedo in 1. 2. contr. 5. punct. 2. ubi imprimis distinguit inter actus indifferentes, & actus intrinsecè determinatos ad aliquam virtu-

tem. Prioris classis e. g. sunt abstinere à labore, & ingredi domum periculofam, quæ ex se sunt indifferentia, & possunt esse mala, vel bona: secundæ classis sunt jejunium, auditio sacri &c.

Actiones secundæ classis, si non aliunde aliud colligatur, præcipiuntur ex virtute, ad quam per se spectant, ut est sensus communis Doctorum: & ratio etiam est ex Oviedo loc. cit. num. 18. quia hoc est magis connaturale, & quasi debitum rei præceptæ; unde in dubio præsumendum est, actiones præcipi tantum ex virtute, ad quam per se spectant; quia præsumitur, quod magis connaturale est, aut quod frequentius fieri solet: frequentius autem præcipi solent actiones ex ea virtute, ad quam spectant.

Actiones autem primæ classis, cum per se, & intrinsecè, ad nullam virtutem spectent, sed tantum habeant aliquam extrinsecam conducentiam, vel assumptibilitatem, quatenus aptæ sunt ad hanc, vel illam virtutem, vel ejus actum significandum, determinantur per præceptum ad eam virtutem, ex cujus motivo præcipiuntur, & in ordine ad quam assumuntur; unde, cum Ecclesia assumpserit abstinentiam à labore servili, ad exhibendam aliquam reverentiam DEO, & ex hoc fine eam præceperit, determinavit eandem ad hanc virtutem religionis, & sic per præceptum suum constituit actum religionis; oppositum verò laborem constituit actum contra religionem. Sic etiam in antiqua lege sacrificia animalium erant actus religionis: in nova essent actus superstitiosi, & graviter peccaminosi; quia scilicet nunc non amplius ea sacrificia sunt à DEO determinata ad hoc, ut sint actus religionis. Sic apud nos est actus civilitatis deponere coram altero tegmen capitis, quod plerisque orientalibus est actus inurbanæ rusticitatis.

177. Dices 2. Etiam actus, intrinsecè determinati ad unam virtutem, habent extrinsecam conducentiam ad alias virtutes: & hinc actus unius virtutis potest imperari ab alia virtute. e. g. flagellatio ob castitatem, jejunium ob honorem Sancti, seu ob religionem. Respondetur cum Oviedo in 1. 2. tr. 6. contr. 5. punct. 2. n. 17. hoc non negari: neque etiam negari, quod Ecclesia præcipiendo, vel prohibendo talem actum ex motivo alterius virtutis, possit facere, ut actus habeat novam speciem bonitatis, vel malitiæ, derivatam ab ea virtute, cujus intuitu præcipitur: cur enim non possit uni bonitati, vel malitiæ superaddere aliam; si potest indifferenti actui aliquam addere? Imò sic videtur per præceptum suum addidisse novam malitiam quibusdam actionibus, e. g. furto rei in loco sacro, copulæ cum consanguinea in quarto gradu: quæ non prohibentur ab Ecclesia ex motivo justitiæ, vel castitatis; cum etiam furtum ex non sacro sit contra justitiam, nec tamen Ecclesia id ita specialiter prohibeat: igitur Ecclesia tale furtum ex sacro, vel talem copulam cum consanguinea in quarto gradu, prohibet ex alia ratione formalis, seu ex motivo alterius virtutis, scilicet ex motivo reverentiæ debitæ locis sacris, aut ex motivo pietatis, vel reverentiæ debitæ consanguineis.

178. Hoc totum admittit Oviedo in 1. 2. tr. 6.

tr. 6. contr. 5. punct. 2. sed videtur negare, hac ratione omissionem talium actuum peccaminosorum committui in materia necessaria religionis: & consequenter negare, peccata ista esse contra religionem, quod non satis intelligo. Si tantum vult dicere, actus illos semper esse contra virtutem justitiæ, nec ex ejus prohibitionem extrahi, verum dicit: si vult dicere, talem actum, duplici tali diverso præcepto prohibendum, non esse contra duas virtutes, nec continere duplicem malitiam, nempe oppositionem tam cum justitia, quam cum religione, falsum dicit.

179. Dices 3. Si etiam actus aliarum virtutum possunt præcipi ex motivo alterius virtutis, quare non dicamus, eos ita præcipi? Resp. rationem jam fuisse datam n. 175. quia scilicet non debet præsumi, quod actus jam ex se determinatus ad aliquam virtutem, imperetur etiam ex motivo formali alterius virtutis, nisi id vel ex verbis præcepti (ex quibus e. g. constat, furtum ex sacro esse sacrilegium, consequenter non tantum esse contra justitiam) vel aliunde colligatur. Unde si alicui imperetur jejunium, ut facilius servet castitatem, præceptum hoc non obligat ex virtute castitatis (excipio iterum: nisi vel verba præcepti, vel aliæ circumstantiæ, aliud probent) sed tantum obligat ex virtute temperantiæ: castitas autem in hoc casu est tantum finis extrinsecus, & remotus, ex quo non est defumenda differentia præceptorum, ut rectè docet Oviedo in 1. 2. tr. 6. contr. 5. p. 2. n. 18. & nos diximus n. 149. Ratio etiam ulterius est; quia actus temperantiæ, formaliter ut habens honestatem temperantiæ, valde utilis est ad castitatem obtinendam; hinc rationabiliter præcipitur, immediatè quidem intuitu temperantiæ, mediatè autem, seu ex fine remoto, intuitu castitatis. Sic etiam, dum Ecclesia præcipit jejunium in honorem alicujus Sancti, immediatè illud præcipit intuitu temperantiæ, mediatè autem intuitu Sancti colendi.

180. Dices 4. Votum est quasi privata lex, & tamen non constituit rem promissam in materia necessaria alterius virtutis, quam religionis; ergo neque aliæ leges positivæ. Confitr. 1. Si regularis violet præceptum superioris, satisfacit, consistendo, se inobedientem fuisse, nec opus est addere, in qua materia: ergo signum est, quod votum tantum obliget ex religione. Confirm. 2. Qui contra votum non comedendi carnes, tamen eas comedit, non est intemperans, nisi immoderatè comedat, sed tantum irreligiosus: ergo nec est intemperans, qui eas comedit contra præceptum.

Resp. neg. 1. p. ant. quidquid sit de secunda. Votum non est propriè lex; vovens enim non est superior respectu sui, ut sibi ipsi legem, vel præceptum, propriè dictum, ferat; unde votum tantum assimilatur præcepto in eo, quod etiam obliget: de cætero est promissio facta DEO de meliori bono, & per se obligat ex motivo fidelitatis, vel justitiæ DEO debitæ. Posita autem ea promissione, lex naturalis sub motivo religionis obligat ad præstandum DEO, quod ratione promissionis spectat ad ejus cultum. Ad 1. confirm. neg. antec. si materia gravis sit, & non constat aliunde confessario: si autem materia levis est, tunc sicut peccata venialia non debemus con-

fiteri, ita nec infimas eorum species. Ad 2. confirm. om. antec. neg. conf. supposita enim veritate antecedentis, necessariò debet esse diversa efficacia voti, & præcepti; cum votum non possit jejunium promissum constituere in materia necessaria temperantiæ: quod tamen potest præceptum, ut satis probatum. Videantur dicta n. 175. & seq. Cæterum, sicut superior potest obligare, ita simpliciter potest obligare sub hac ratione formali immediatè, & non sub alia.

181. Collige 1. Transgressio voti, sæpius repetiti, non est peccatum diversæ speciei à transgressione ejusdem voti, semel tantum editi: & par est ratio de juramento sæpius præstito: item de transgressione præcepti, sub eadem ratione formali sæpius repetiti, & transgressione præcepti, semel tantum impositi; quia, licet esse gravius, non tamen est alterius speciei; cum talia vota, juramenta, aut præcepta, non sint alterius speciei: at verò transgressio rei, voto & juramento simul promissæ, differt à transgressione rei, tantum voto promissæ; diversa enim est obligatio voti, & juramenti.

Collige 2. Si religiosus violet e. g. jejunium, ad quod præcepto, & voto tenetur, duplicis malitiæ, specie diversæ, peccatum committit; quia votum sub ratione formali religionis, præceptum autem sub ratione formali temperantiæ obligat, ut rectè notat Palao part. 1. tr. 2. disp. 3. punct. 3. n. 12. 3. Si Sacerdos Beneficiatus non recitet Breviarium, peccat contra religionem, ratione Ordinum, & contra justitiam, ratione Beneficii. 4. Si quis vovit obedientiam alteri, qui non habet jurisdictionem in ipsum, e. g. pœnitens confessario; & transgreditur præceptum, vel quasi præceptum, talis confessarii, peccat contra religionem; quia præceptum tale non est verè præceptum, sed tantum conditio, qua posita obligat votum.

Collige 5. cum Oviedo in 1. 2. tr. 6. contr. 5. punct. 3. n. 25. Qui die jejunii comedit carnes, duplex peccatum specie distinctum committit; quia, cum jejunium frangi possit etiam nimia refectione, vel nimio usu ciborum tantum esurialium, sunt duo diversa præcepta, non comedendi carnes, & non adhibendi, nisi unam refectionem. Et quanquam præceptum jejunii videatur involvere alterum non comedendi carnes, & etiam hanc comestionem prohibere, nil refert; sic enim præceptum castitatis etiam prohibet adulterium, quamvis hoc habeat adjunctam aliam malitiam contra justitiam. Plura vide apud Oviedo loc. cit. à n. 22. per plures paragraphos, & apud alios, maxime morales Theologos.

QUÆSTIO V.

De Differentia Numerica Peccatorum.

ARTICULUS I.

Quenam peccata distinguantur numero.

182. **N**on quarimus hoc loco de distinctione individuali, seu numerica in sensu physico; nam cla-

horam: sed statim, & bene, addit, longiori temporis spatio, etiam longè facilius contingere interruptionem moralem. Unde iudicat, saltem longiorem durationem explicandam; cum difficile sit, tanto tempore durare eundem quasi congressum cum objecto, & hominem non discedere plena libertate ab illius cogitatione.

Docet ulterius, non posse eandem regulam tradi pro omnibus actibus malis; cum aliqui facilius moraliter interrumpantur, & brevius durent, ut blasphemia interior: alii diutius, ut delectatio turpis, odium proximi: & ex his etiam longius durent, qui ex vehementi passione procedunt. Tandem ait, regulariter ultra duas, vel tres horas, non videri perseverare moraliter eandem voluntatem merè internam; cum difficile sit, quòd homo velit longius perseverare in eadem cogitatione, & non se divertere ad alia; hinc durationem saltem longiorem solere explicari, eoquòd regulariter habeat interruptiones morales, & homo utique voluerit per diem aliquoties discedere ab objecto, quamvis cogitatio omiffa, iterum & iterum redierit.

Illung tract. 2. disp. 2. num. 62. (cui videtur consentire Tannerus disp. 4. de peccatis q. 2. dub. 4. num. 57.) ait, tantam interruptionem sufficere ad discontinuandos hos actus, quanta sufficit communiter ad animum immutandum, & ejus impetum, ac intentionem enervandam: quanta autem hæc sit, ait, desumendum ex natura actuum, objectorum, circumstantiarum, facilius, vel difficilius animum immutantium.

191. Dico 3. Actus voluntatis interni, & etiam externi oris, similes, consummati, vel non consummati, eodem quasi voluntatis impetu, actualiter, vel virtualiter durante, repetiti, unum tantum moraliter peccatum constituunt, ita communis. Prob. isti actus sunt similes, & uno tractu, adeoque una moraliter voluntate eliciti: ergo juxta communem æstimationem veniunt nomine unius actionis. Sic, qui turpiter absque interruptione se per plures actus physicè distinctos oblectat, unam moraliter delectationem admittit. Et certè, si non omni interruptione semper tollitur hæc unitas (ut num. 168. & sequentibus modò diximus) tunc minus tollitur, si nulla addit interruptio. Par est ratio de pluribus similibus actibus externis oris, e. g. contumeliosis, uno tractu in eundem proximum jactis, vel de tractionibus similibus contra eundem commissis: item de perjuriis continuatis circa eandem rem. Ita Lugo de penit. disp. 16. sec. 14. num. 559. & seq. Illung. tract. 2. disp. 2. num. 65. qui insuper citat Molinam, Gobat, Azor, Diana, & plures alios.

192. Dico 4. Actus externi, opere commissi, sed non consummati, qui ad eundem finem tendunt, & uno tractu, vel impetu, sunt repetiti, unum tantum moraliter peccatum constituunt, ita communis. Sic, qui eundem pluribus verberibus continuò cædit, unius verberationis est reus: qui continuatis acceptionibus plures pecunias rapit, unum furtum committit. Imò, in hoc casu furti, etiam tantum est unum peccatum, etsi fur domo egrediatur, ut rapta exportet, si retineat animum statim redeundi, & alia accipiendi. Ulterius, qui turpes aspectus, turpes tactus, continuatos exercet, vel plura

oscula repetit, cum intentione fornicationis, respectu ejusdem personæ, sufficienter confitetur dicendo: *Semel impudicos tactus, aspectus, & oscula exercuit, cum tali persona, & cum intentione fornicandi.* Probatur hæc conclusio, ut superior; quia scilicet ratione continuationis, intentionis, & finis isti actus in sensu morali veniunt nomine unius actionis.

Confirm. ex S. Thom. in 2. disp. 42. q. 1. a. 1. in corp. ubi ait. *Contingit, esse actus plures, secundum quod ad genus nature referuntur* (hoc est, physicè) *qui tamen sunt unum, secundum quod in genere moris considerantur, ut patet in eo, qui furatur; quia omnes actus ejus, qui ad finem furti ordinantur, peccatum sunt; cum mala intentione fiant: qui possunt valde multi esse, & tamen omnes computantur ut unum peccatum; quia non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem, in unum perversum finem ordinantur.* Quibus, ultimis præsertim verbis, etiam rationem nostram approbat.

193. Dico 5. Si actus externi sint opera consummata (quæ explicavimus n. 183.) totidem moraliter peccata sunt, quot talia opera, & ut totidem explicari debent in confessione, ita communis. Probatur exemplis. Sic qui tres homines tribus continuatis ictibus occidit, tria homicidia declarare debet: qui ter copulam continuo congressu habuit, numerum hunc exponere debet: item si sacerdos die Nativitatis Dominicæ in statu peccati gravis, sine interruptione tria sacra legat, tria sacrilegia distincta committit: & sic de similibus. Ratio est; quia talia opera consummata, in sensu morali, & æstimatione communi hominum, veniunt nomine plurium actionum: & hæc est etiam praxis contentium, ut in talibus casibus se accusent, exponendo numerum talium actionum.

194. Quod si autem peccans, actus externos, seu opera, non ad alium finem ordinet, sed in ipsis quiescat, e. g. turpes actus non ulterius ordinet, nec fornicationem intendat, tunc distinguendum est: si sunt actus similes, & non interrupti, nec consummati, videntur venire nomine unius actionis, adeoque sufficere, si per modum unius explicentur. Sanè sic se habet verberatio per plures ictus continuata, furtum pluribus acceptionibus patratum, comestio plurium ciborum ex carne in uno prandio die jejunii: quæ exempla auctores solent adducere, ut in iis ostendatur unitas peccati. Et certè neminem legi, qui dicat, debere explicari numerum turpium tactuum, si fuerint continui: nec auctores videntur, communiter saltem, requirere coordinationem ad unum finem alium, seu distinctum ab aggregato actionum continuarum, nisi in uno casu, quando scilicet externum opus factum est, ad quod tales actiones omnes ordinantur, & questio agitur, an sufficiat explicare opus externum, ad quod omnia ordinata sunt, quæ est longè alia ab ea, quam modò tractamus: & de illa agemus postea. Si autem actus sint specie dissimiles, aut moraliter interrupti, debet utique numerus eorum explicari, etiam quando non sunt actus consummati.

195. Dico 6. cum de Lugo disp. 16. de penit. sec. 14. n. 522. Illung. tract. 2. disp. 2. n. 57. Non potest statui de actibus externis oris, vel operis

operis, homogeneis, five ejusdem speciei, unica universalis regula, ex qua desumatur, quando moraliter interrumpantur, ita ut faciant plura moraliter peccata in confessione explicanda, aut quando non ita interrumpantur: sed hoc juxta arbitrium prudentis viri debet determinari, vel ex circumstantiis temporis, nimio, vel non nimio intervallo, interrupti, aut certarum actionum mediatione quasi intersecti: vel ex qualitate actionum, habentium, vel non habentium rationem medii, aut finis: vel ex communi sensu, & modo operandi: ex quibus desumendum est, an ij actus, stante tali interruptione, tamen censeantur moraliter una, vel an multiplex operatio: vel etiam aliquando, an censeatur eadem voluntas virtualiter permanere: quod ultimum, quamvis non ubique necessarium sit, tamen, ut patebit ex sequentibus, si adest in operibus non consummatis, multum facere potest ad faciendam determinationem: nisi fors iterum aliunde ejus vis elidatur.

196. Prob. conclusio, seu explicatur. Imprimis, etsi per retractationem voluntatis sæpius, & fors ordinariè, interrumpantur moraliter tales actus, tamen non videtur, omnino semper id fieri; nam Lugo cit. disp. 16. de penitentia n. 551. censet, quòd is, qui die jejunii jam secum statuit, in prandio nihil amplius comedere, si tamen, antequam à mensa surgat, novum afferatur ferculum, possit licitè de isto comedere; quia continuatio prandii, ratione loci, & temporis, non obstante brevi illa mutatione voluntatis, sufficit ad continuandam licitè comestionem: quod etiam tenent Lessius de justit. l. 4. c. 2. dub. 2. n. 17. & Filiucius. tom. 2. tract. 27. p. 2. n. 41. (quod Layman l. 4. tr. 8. c. 1. n. 6. etsi oppositum teneat, tamen probabile esse asserit) imò hi auctores admittunt, quòd, etsi quis jam à mensa surrexerit, possit tamen redire, & iterum comedere: & sanè valde probabile est, quòd talis possit rursus comedere, postquam proposuit, nihil ultra comedere, saltem, si nondum surrexit; cum hoc multum faciat ad moralem æstimationem. Quo supposito, si quis iterum post mutatam voluntatem carnes comederet, quas prius jam comedisset, non videtur talis novum peccatum, moraliter à priori distinctum, committere, in quo consentit etiam Illung. tract. 2. disp. 2. n. 60. cum aliis ab ipso citatis.

Pariter difficile mihi videtur, quòd, si quis cum altero litigare ceperit, vel etiam convicia ei dicere, & ab amico persuasus dicat, se jam velle tacere, adeoque voluntatem priorem retractet: sed mox ab adversario laceratus, iterum incipiat litigiosas voces, vel convicia jacere, difficile, inquam, videtur, dicere, quòd in hoc casu dunt duo moraliter distincta peccata; cum videatur in morali opinione ex natura litigationis &c. dari adhuc continuationem. In his tamen casibus, etsi actus externus possit dici non interruptus, & moraliter unus, tamen non video, qua ratione etiam duo actus interni, unus ante, alter post retractationem voluntatis, denuo Imperans comestionem carnis, vel convicia jacienda, non sint duplex peccatum; cum isti juxta primam conclusionem, ab omnibus receptam, per contrariam voluntatem interrumpantur.

197. Quòd si voluntas non sit retractata, R. P. Ant. Mayr, Theol. Tom. I.

sed tantum per liberam, vel necessariam cessationem interrupta, tunc, si opera externa, quamvis homogenea, & continua, sint consummata, constituunt plura peccata, ut jam dictum n. 193. præsertim, si accedat actus interni plures etiam continui; si autem non sint opera consummata, aliquando constituunt plura peccata, aliquando non; unde attendendum ad circumstantias &c. n. 195. assignatas. Quòd enim aliquando plura peccata constituunt, habetur ex his exemplis. Qui quotidie per mensem blasphematur, & à blasphemia quotidie cessat, absque voluntate retractante, ac proposito emendationis, plura utique peccata committit, nec sufficienter se accusat, dicendo, se blasphemasse per mensem; nam sic intelligeretur, blasphemiam moraliter durasse per mensem, quod nemo dicit contigisse in hoc casu. Par est ratio de eo, qui singulis diebus convicia in aliquem jactit, vel singulis diebus florenum furatur.

198. Quòd autem non semper peccata moraliter plura committantur, ostenditur, & quidem quantum ad actus oris, seu verba, exemplis sermonis contumeliosus (de quo n. 189) sermone impuri, & detractorii, de quibus par est ratio cum sermone contumelioso: quoad opera verò exemplo comestionis carnum, quæ, licet durante prandio sæpè interrumpatur garrindo, literas, vel nova legendo, tamen manet moraliter una. Item, si fur exportationem rerum colloquio aliquo interrumpat. Item, si sacerdos in statu mortalis peccati canat Missam, licet sub musica in choro facta, etiam aliquantum garrat, tamen manet, sicut unum sacrificium, ita unum peccatum; quia, præsertim manente retentione sacrarum vestium, & populo finem sacrificii expectante, manet virtualiter eadem voluntas sacrificandi.

Unde ingeniosus quidam recentior docet, accedere ad templum, vestes induere, ad aram facere, imò & si Communionem distribuisset durante Sacro, postea residua fragmenta absumere, in statu peccati, esse tantum unum peccatum, eoquòd sit unum tantum sacrificium ex omnibus his actionibus completum: quamvis distributio Communionis esset aliud distinctum peccatum. Pariter, qui intendit inimicum occidere, & sic iter agit, atque in via cum aliis loquitur, prandet, ut vires necessarias refocillet, atque ideo non semper actu cogitat de inimico, tamen adhuc censetur unum peccatum committere. At verò, si nimis diu inimicitia duret, non coalescunt omnes actiones, ex ea profectæ, in unum peccatum; quia utique per longum tempus sæpè moraliter interrumpuntur; alias, si rex per plures annos bellum injustum gereret, unum peccatum committeret, quod est falsum.

ARTICULUS II

Reliquæ Conclusiones huc spectantes.

199. Dico ulterius. 7. Quando plures actiones, five ex se malæ, five indifferentes, ordinantur ab operante ad eundem finem malum, tanquam media, aut dispositiones, vel tanquam partes, sine

ne interruptione morali, & ita, ut cum ipso opere unius actionis completa vocabulo designentur, unum moraliter peccatum constituunt. Conclusio est juxta communem doctorum, & probatur exemplis. Sic, licet quis ante fornicationem, quam intendit, habeat desideria turpia, tactus, & oscula, tamen, si copula sequatur, omnia ista unum peccatum constituunt, & sufficienter intelliguntur, si quis se accuset de habita copula. Pariter, si quis se accuset de homicidio patratio, satis intelliguntur, præcedens ira, vel odium, desiderium vindictæ, præparatio, & assumptio armorum &c. si non diu præcesserint, vel morali interruptio data sit.

200. Imò (quamvis aliqui auctores contrarii sint) etiam tactus, & similia, quæ copulam immediatè sequuntur, adhuc satis intelliguntur, tanquam complementa actûs prioris, sicut & gaudium immediatè subsequens: nec ista haberi debent semper, tanquam essent dispositiones ad copulam novam, sed potius tanquam approbatio, & delectatio de præcedenti; quia nova copula non statim intenditur, nec illi actus, ex natura sua, semper ordinantur ad copulam novam, neque censei debet statim ista intendi, nisi detur morali interruptio inter priorem copulam, & istos actus: vel certè, nisi tandiu isti actus continuentur, ut etiam attenda voluntate peccantis censerentur dispositio, vel præparatio ad novam copulam: ita Lugo de pœnit. disp. 16. num. 555. Castropalao Navarrus, Tamburin, l. 2. de confessione c. 1. num. 72. Illung. tract. 2. disp. 2. num. 63. & plures ab eo citati. Fagundez in 2. præcept. Eccles. l. 3. c. 4. n. 14. At, si notabilis interruptio fuerit data, censetur actus sequentes ad novam copulam referri: vel certè censentur non amplius referri ad priorem, adeoque debent tanquam novum peccatum explicari.

201. Dico 8. Casu quo quis ab initio abstrahat à copula, hoc est, istam nec intendat, nec positivè excludat, ut sæpe fit, postea autem eam ex occasione admittat, tamen adhuc tactus prævii, non ex intentione copulæ habiti, probabiliter coalescunt cum copula in unum moraliter peccatum. Huic conclusioni quidem contrarius est Lugo de pœnit. disp. 16. num. 556. attamen æquè probabiliter eam defendunt Illung. tract. 2. disp. 2. num. 63. citans Moyam, à quo ait, citari Delgadillo, Leandrum, Oviedo, & alios recentiores, quos in manuscriptis etiam ante paucos annos hæc secuti sunt insignes recentiores. Probatur. Etiam si tales actus non coalescant cum copula ratione voluntatis directæ, possunt tamen coalescere sufficienter ratione voluntatis indirectæ, ut ait quidam ingeniosus recentior; cum enim talis peccans voluerit ea, quæ ex natura sua tendunt ad opus ultimum, censetur etiam voluisse istud, & ea, quæ ipsi sunt occasio proxima ad opus illud: vel, si tales actus non coalescant ratione voluntatis, coalescunt, ut vult Illung, ex eo, quod sint præambula ad actum perfectum: quod sufficit; neque enim ad hoc, ut aliqua constituant totum morale, requiritur, ut intentio totius compositi præcedat omnes partes: sed sufficit, si quis intendat partibus prius jam positis conjungere reliquas: ita ingeniosus recentior.

202. Confirmatur ex Illung loc. cit. ita

arguente. Sicut actus subsequentes, e. g. tactus post copulam exerciti, coalescunt cum ista, tanquam complementa, licet cum ea non coalescant ratione intentionis; quia non fiunt ex intentione copulæ; cum hæc præcesserit, nec admittitur ex intentione illorum, sed sit ultimum intenta: ita tales actus prævii coalescunt cum copula, & includuntur in ea, tanquam præambula, præparamenta, & exordia.

Adde, quod Lugo videatur velle probare, eos actus subsequentes coalescere cum copula antecedente, ex eo, quod confessarii (ut ait se credere) non soleant, accusantes se de fornicatione &c. interrogare de actibus subsequentibus; quod tamen deberet fieri, si isti actus essent nova peccata: atqui etiam videtur, quod confessarii non soleant, accusantes se de commissa fornicatione interrogare, an statim initio eam intenderint: quod tamen deberent rescire, si in casibus, in quibus non statim copula intenta fuit (qui sanè frequentes sunt) præcedentia essent seorsim exponenda. Nec dicas, circa hoc vitium cautè esse interrogandum, & ideo forè confessarios non interrogare; nam potest fati cautè, & honestè, hæc interrogatio fieri, non minus, quam fiat, ut sæpe debet fieri, de numero copularum.

203. Quod si tamen aliquis habuisset ab initio serium propositum, excludendi actum perfectum, & tantum committendi turpes tactus &c. postea verò crescente concupiscentia, mutaret voluntatem, & copulam admitteret, putocum pluribus aliis, tunc moraliter ista disjungit, & tanquam distincta peccata explicandos esse tactus prævii &c. nam serium illud propositum facit inprimis, ut non statim, saltem non semper, possit dici actus ultimus, jam indirectè intentus. 2. Facit, ut non videantur illi tactus &c. posse dici præambula; nam tactus impurus intentus ùt finis, & conjunctus cum serio proposito, non progrediendi ulterius, non potest dici præambulum, aut propositum, ad ulteriora.

Nec est par ratio cum comestione carniæ, de qua num. 196. nam ibi habetur alia moralis continuatio ratione circumstantiarum, nondum sublatæ mensæ &c. quæ facit, ut censeatur durare idem prandium. At nihil est simile, quod ita conjungat tactus cum copula, si ab ea per memoratum propositum disjuncti sunt: certè vix erit, qui dicat, ista, qualiscunque voluntas intermediat, tamen eodem modo coordinari, sicut plures patinæ coordinantur in idem prandium.

204. Dico 9. Actus tendens in plura objecta, numero tantum distincta, spectando rationem probabilius non habet, saltem per se, & universaliter, totidem malitias numero distinctas, quot sunt objecta. ita Suarez. tom. 4. in 3. p. disp. 22. sec. 5. n. 34. Lugo de pœnitent. disput. 16. sec. 3. n. 131. & seq. Tamburin. metodo expedite confessionis. l. 2. c. 1. n. 58. & seq. Illung. tract. 2. disp. 2. n. 44. & seq. qui plures alios citat n. 43. item recentior quidam in manuscriptis, qui citat etiam Thyrsium Gonzalez, Gobat, Serram, Bannez, qui dicant, esse unum moraliter peccatum. item citat Bonacinam, Fagundez, Layman, Mendo, quorum verba allegat: quin imò pro conclusione cum nostra meditatione addita, possent adhuc plures adduci. Non

Non autem contraveritur hæc, an talis actus constituatur ex pluribus malitiis, physicè numero distinctis; hoc enim non contingere admittunt nobiscum adversarii: & ratio est manifesta; eum enim sit, ut ponitur, unicus indivisibilis actus, non potest habere partes physicè distinctas, aut ipse esse distinctus. Sed controvertitur, an talis actus in sensu morali, & æquivalenter, in ordine ad confessionem, habeat multiplicem malitiam, ita, ut numerus objectorum debeat exponi, non minus, quam si realiter duo, vel plura, physicè distincta peccata, fuissent.

205. Prob. conclusio ex Suarez loc. citat. n. præced. Actus charitatis e. g. quo decem hominibus volo dare elemosynam, non habet decem bonitates: sicut si aliquo actu vellem infinitis dare elemosynam, non haberet ille bonitates infinitas; nam infinitum actu creatum dari non potest: ergo nec actus, quo decem hominibus, quamvis extremè indigentibus, nihil volo dare, habet decem malitias. Confirm. 1. Actus tendens in infinita objecta mala, e. g. si quis uno actu voluntatis vellet infinitos homines occidere, non habet infinitas malitias; alias daretur infinitum actu: ergo etiam actus tendens in decem objecta, e. g. si quis, uno actu voluntatis, vellet decem occidere, non habet decem malitias: certè disparitas formalis non videtur posse assignari.

Respondent quidam adversarii, actum tendentem in infinitos, non habere objecta distincta; at verò ea habere actum, tendentem in decem, vel centum. Contra est. Juxta adversarios actus, qui tendit in infinitos, saltem non potest habere tantum unam malitiam; si ergo non habet infinitas, dicant, quot habeat. Dein, si quis velit uno actu integrum exercitum occidere, etiam tantum confusè tendit in individua, nec tamen juxta adversarios talis actus habet tantum unam malitiam, quot ergo habet?

206. Retorquent tamen adversarii argumentum, & petunt, quid nos dicamus de actu, quo quis vellet infinitas species peccatorum committere? Sed respondeo cum nostris auctoribus, talem actum non habere infinitam malitiam, aut infinitas species malitiarum: sed tantam habere unam aliquam speciem innominatam, hoc est, confusè tendentem in infinitas species, confusè representatas. Urgent: ergo neque, quando quis vult uno actu duas species peccatorum committere, e. g. adulterium, actus habebit duas species malitias. Resp. strictè loquendo non habere duas, sed unam duabus æquivalentem: vel habere duas species tantum formaliter distinctas.

Instant. Ergo etiam actus, tendens in plura objecta similia, habebit plures malitias individuales, formaliter distinctas. e. g. si quis uno actu vult inhonorare omnes Apostolos, talis actus habebit duodecim malitias individuales formaliter distinctas: e. g. unam, quatenus tendit in S. Petrum, aliam, quatenus in S. Andream &c. Resp. om. illatum. quod nil probat contra nos; nam præcisè habere malitias plures, ita formaliter distinctas, non est, habere eas, in sensu morali distinctas; alias, cum etiam furtum decem aureorum habeat totidem malitias, in sensu formali ita distinctas, etiam deberet habere decem malitias, in sensu morali distinctas, adeoque deberet

in communi acceptione morali, esse decem furtiva quod, supposita sententiâ de non necessariò exponendis circumstantiis notabiliter aggravantibus, non est verum.

Aliud est de speciebus formaliter distinctis, in eodem actu; cum enim ex Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7. habeatur, circumstantias, speciem mutantes, seu rationes specificas, in eodem actu, realiter quidem identificatas, formaliter tamen distinctas, exponendas esse in confessione, ideo istæ formalitates, in ordine ad confessionem, æquivalent speciebus realiter distinctis, id quod desumitur ex ipso Tridentino, loc. cit. definiente, dari obligationem, circumstantias specificas confitendi. At adversarii probare ex nullo capite possunt, quod etiam formalitates illæ individuales æquivalent individuis realiter distinctis, in ordine ad eandem confessionem.

207. Instant iterum. Ergo actus tendens in infinitas species malas, habebit malitias infinitas. Respondet Illung tract. 2. disp. 2. n. 49. actum non contrahere specificas malitias suorum objectorum, confusè tantum, & implicite representatorum; quia hoc ipso talis actus non dependet à cognitione directiva, explicitè representante illorum objectorum differentias, & virtutum oppositarum honestates, tanquam motiva neglecta; unde talis actus tantum contrahit speciem innominatam malitiæ, ut diximus n. præced. E contra differentia numerica objectorum non debet juxta adversarios explicitè representari, modò cognoscatur pluralitas, nempe esse decem objecta, vel esse finita, aut infinita, esse exercitum, vel minorem turbam; nam, qui desiderat integrum exercitum occidere, juxta ipsos jam contrahit malitias, numero militum in exercitu æquales.

208. Urgent denuo cum Dicastillo. Actus, quo vellem e. g. occidere infinitos homines, est tantum inefficax; quia tendit in objectum impossibile: in tali autem casu objecta coalescunt in unum: ergo non est parias cum actu efficaci. Contra. Inefficacia actus non facit, ut objecta coalescant in unum: ergo responso non subsistit. ant. prob. si actu inefficaci vellem DEUM destrui, & Luciferum in celo collocari, absque dubio duæ malitiæ specie diversæ, & moraliter distinctæ, darentur in hoc actu. Dein, si aliquando in casu actus inefficaci, possunt objecta totalia coalescere, non est ratio, quare non etiam, in casu actuum efficacium. Rursus, si darentur duo distincti tales actus inefficaces, & duo objecta, absque dubio darentur duæ malitiæ: ergo, si adversariorum modus arguendi bonus est, debent etiam dari, quando est unus actus; nam ipsi contra nos sic arguunt, & dicunt: Si darentur duo actus interni, essent duo peccata: ergo etiam, si datur unus, is æquivalens, sunt duo peccata: ergo, vel ipsorum argumentum est nullum, vel in hoc casu dantur infinitæ malitiæ.

Dicunt tandem, talem actum, tendentem in infinita objecta, habiturum infinitas malitias in confuso. ita La Croix. Sed perverba in confuso vel intelligitur tantum, quod dentur malitiæ, ab intellectu creato non discernibiles; & reverà tamen dabitur infinitum actu, seu categoricè malitiam, quod saltem DEUS deberet cognoscere, id quod non admittitur: vel intelligitur aliud &

explicetur. Certè, quidquid dicatur, non evitabitur infinitum actu malitiarum. Alius doctissimus recentior in manuscriptis docet, talem actum habiturum malitias infinitas, sed non determinatas, quæ indeterminatè tamen non se teneat ex parte objecti, sed tantum ex parte estimationis moralis; quia scilicet homo peccans, vel etiam alius, numerum determinare non potest. Verum non queritur, hic, quid estimare, vel judicare possint homines; cum sæpe de numero peccatorum præteritorum, in se determinatissimo, ex oblivione, vel aliis causis, judicare non possint: sed queritur de determinatione in se, malitiarum à parte rei existentium, quæque saltem à DEO cognosci possint (sicut idem auctor mox dicit, numerum personarum familiarum, quam indeterminatè cognovit quis occidere velit, à DEO satis cognosci) & hæc malitiæ deberent juxta adversarios esse infinitæ: cum autem infinitæ esse non possint, manet totum argumentum.

209. Prob. conclusio 3. Ubi est una sola difformitas ejusdem indivisibilis actus cum eadem unica lege, ibi est tantum una malitia: sed in casu, quo quis e. g. vult occidere decem homines, est una sola difformitas cum eadem unica lege: ergo. mai. non videtur posse negari; quia difformitas cum lege, & malitia, est unum & idem ex n. 29. min. probatur. Ubi est unus indivisibilis actus, & una indivisibilis lex, sub unico motivo prohibens, est una tantum difformitas, seu contrarietas; quia est unica ratio fundandi dissimilitudinem, seu difformitatem, aut contrarietatem: atqui in nostro casu datur unus indivisibilis actus, & una indivisibilis lex: ergo.

Ex quo iterum habetur disparitas inter circumstantias specificas, & numericas; illæ enim, cum sint oppositiones, vel difformitates cum diversis legibus, sunt moraliter diversæ inhonestates: at istæ, cum opponantur eidem legi, sunt una difformitas. Dices, ratione objectorum plurium etiam dari multiplicem difformitatem, vel contrarietatem. Sed contra est. Objecta nec multiplicent actum, nec legem: ergo neque multiplicent difformitatem. conf. patet ex dictis: ant. etiam est clarum; nam, si objecta multiplicarent actum, tunc actus, quo quis vellet furari centum, esset centuplex, & actus, quo quis vellet furari infinita, esset infinitus: quod est falsum. Item, si objecta multiplicarent legem, tunc lex pro multiplicatione individuali objectorum, quæ respicit, esset multiplex: adeoque quælibet esset infinitè multiplex; cum quævis respiciat objecta syncategorematicè infinita. Et quæso, quis dicat, quod, si quis mentiatur jocose, mille homines esse occisos, mille mendaciorum malitiam contrahat, vel mille legibus veracitatis contrarius sit?

210. Dico jam 10. Quando unus, idemque actus internus, tendit in plura objecta totalia, solo numero distincta, spectando rationem non videtur per se, & universaliter, necesse esse, singulorum objectorum distinctè confiteri, sed satis esse, ea numero plurali exponere. e. g. qui simul delectatus est tarpiter circa decem feminas; non tenetur hæc numerum distinctè exponere; sed sufficit dicere: Circa plures delectatus sum.

ita Illung, Lugo, Tamburinus locis citatis, 204. citatis, Thyrius Gonzalez, Stoz, Gobat, & alii, ac multi Recentiores. Dixi 1. spectando rationem; nam non nego, oppositam communio-rem saltem fuisse, maximè ante Lugonem; an autem adhuc sit inter recentiores communio, dicere non ausim. Doctissimus quidam recentior in manuscriptis ait, si moderni nostræ sententiæ patroni jungantur prioribus, auctoritatem pro nobis fore æqualem, vel etiam majorem.

Dixi 2. per se, & universaliter; nam, an non forte unus, aut alter casus sit excipiendus, discutietur inferius. Dixi 3. non videri necesse; utique enim consultius, ac melius est, & omnino suadendum, ut fiat oppositum, tanquam securius, & conscientiæ tranquillandæ aptius: quamvis non videatur esse stricta obligatio. Conclusio- nem hanc ideo vel maximè admitto; quia sequitur ex præcedenti, & altera, quam hic suppono ex tract. de penit. scilicet non dari obligationem consistendi circumstantias tantum aggravantes: & si hanc etiam admitteret Suarez, qui nobiscum admittit priorem, hæc quoque nobiscum sentiret: at, quia putat, eas circumstantias in confessione esse exponendas, in hac decima conclusione à nobis recedit.

211. Probatur conclusio. Tridentinum sess. 14. c. 5. plus non requirit ad confessionem, quam, ut in ea exponantur numerus, & species peccatorum: atqui talis, qui confitetur, se delectatum fuisse circa plures feminas similes, quando determinatè est delectatus circa decem, explicat numerum, & speciem sui peccati: ergo facit id, quod requirit Tridentinum: ergo satisfacit suæ obligationi, nec ad plus tenetur, ma. patet legenti Concilium: certè nil dicit de circumstantiis aggravantibus, nec de numero objectorum; quia hic numerus etiam est tantum circumstantia aggravans, quatenus scilicet peccatum facit in eadem specie gravius, sicut numerus florenorum furto sublaturum. min. etiam constat ex præcedenti conclusione, qua probavimus, tale peccatum esse non tantum physicè, sed etiam moraliter unum. consequentia prima est in forma: secunda probatur, non debemus hominibus imponere majus onus confitendi, (quod aliàs difficile accidit) quam ex Conciliis possit desumi: ergo.

Nec dicas, Concilii finem eo loco tantum fuisse, negare obligationem confitendi peccata oblivioni tradita; nam, si hic solus finis fuisset, non debuisset meminisse circumstantiarum, speciem mutantium, de quibus sollicitè mentionem facit, licet eas, stante earum oblivione, non debeamus confiteri: cumque insuper Concilium expressè dicat, nihil aliud exigi, nec nos aliud exigamus, simulque colligamus, quod, licet forte quæstio de peccatis oblivioni traditis fuerit unica occasio hujus decreti, non tamen fuerit unica finis; sed Concilium simul intendit, dare plenam instructionem fidelibus, ad quam maximè conducebat enumerare ea, quæ explicare in confessione necesse est.

212. Confirm. conclusio exemplis. Primò Qui injustè integrum pecudum gregem abegit, licet plurium dominorum jura, numero diversa violaverit, juxta communem, peccatum suum suffi-

sufficenter confiteri censetur, si dicat, se injustè gregem abegisse, licet non dicat, quot domini furto illo sint læsi (quod idem etiam est, si quis summam pecuniam, ad plures spectantem, abstulerit) atqui, si deberet explicari numerus objectorum, in quæ tendit actus, deberet hic numerus dominorum læsorum exponi: ergo. Nec dicas, læsiones distinctas distinctorum jurium non coalescere in unam moraliter læsionem; nam 1. si hoc esset verum, tunc nunquam parva damna pluribus illata, e. g. per stateram dolosam, coalescerent in unum damnum grave, vel mortale, quod est omnino falsum. 2. si non coalescerent istæ læsiones in unam, deberet multò magis explicari numerus læsorum; cum quilibet gravior lædatur, cui una, aut duæ oves auferuntur.

Secundò, ut habet Lugo disp. 16. de penit. n. 560. qui eodem sermone pluribus æqualibus æqualiter detraxit, (& idem est, si scandalum præbuit) satisfacit in confessione dicendo, se pluribus graviter detraxisse, vel scandalo fuisse in hac, vel illa gravi materia (nam hæc debet exponi, utpote speciem mutans. Et hæc videtur etiam esse praxis communis. Advertit autem Illung tr. 2. disp. 2. num. 55. debere exprimi, saltem in confusio, numerum pluralem hominum, si quis pluribus detraxit: non autem, si quis pluribus furatus est (saltem, nisi ratione plurium læsorum alia species peccati misceatur, e. g. ratione cautæ gravis necessitatis peccetur simul contra charitatem) eoquod, ut ait, furtum sit per se contra solam justitiam, & gravitas ejus desumatur à quantitate rei ablata: at verò in detractioe etiam peccetur contra charitatem, & gravitas ejus desumatur quoque ex respectu ad personas.

213. Addit recentior ingeniosus, difficile, & contra communem praxin videri, quod, qui toti alicui urbi scandalo fuit, vel omnes ejusdem Ordinis Religiosos infamavit, teneatur inire numerum læsorum &c. Huc etiam facit, quod idem recentior asserit, scilicet omnes detractioes graves probabiliter esse ejusdem speciei; quia omnes bono ejusdem ordinis, scilicet bono famæ, adversantur: sicut ejusdem speciei sunt furtum auri, argenti, equi, tritici, gemmarum &c. quod videtur approbare Illung tr. 2. disp. 2. n. 65. quatenus asserit, pluribus detractioibus continuatis eundem impetere, esse tantum unum peccatum. item Lugo de penit. disp. 16. n. 559. qui in exemplum peccati à detractioe diversi asserit exemplum contumeliæ. Hoc idem, censet laudatus recentior dicendum de contumeliis; cum & istæ adversentur eidem bono honoris, quod probabiliter sustineri posse ait Palao part. 1. tr. 2. disp. 3. punct. 3. num. 6. Non verò idem dicendum est de imprecationibus; cum mala, quæ imprecati homines solent, aut possunt, sint diversissima, & diversis bonis opponantur.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

214. Ob. 1. contra 9. & 10. conclusio- nem (nam contra priores

non sunt objectiones magni momenti, vel jam sunt præoccupatæ) Quod æquivaler pluribus individuis, est æquivalenter numero multiplex: sed actus, tendens in plura objecta inhonestæ, æquivaler pluribus actibus, quorum singuli tenderent tantum in unum objectum: ergo est æquivalenter multiplex. Confirm. 1. Possunt plures actus, physicè distincti, fieri moraliter unus: ergo etiam potest actus, physicè unus, fieri moraliter multiplex. Confirm. 2. Actus, tendens in plures species, est æquivalenter multiplex specie: ergo etiam actus, tendens in plura individua, est æquivalenter multiplex numero. Resp. Inprimis ex hoc sequeretur, furtum plurium florenorum esse plura peccata, quod nemo dicit. Dein dist. ma. quod æquivaler pluribus individuis quoad omnia, est æquivalenter numero multiplex. conc. ma. quod tantum æquivaler quoad aliqua. neg. ma. & dist. sic minorè neg. conseq. Actus ille, tendens in plura objecta, licet fortè pluribus peccatis æquivaler quoad damnus, non tamen æquivaler quoad distinctionem, libertatem, malitiam, ac demeritum. Dein, licet etiam æquivaleret quoad malitiam, non tamen essent plura peccata, ut patet in furto graviore.

215. Ad 1. confirm. neg. conf. & paritatem. Unio plurium actuum, physicè tantum distinctorum, probatur aliunde, omnibus rationibus fusè deductis à num. 191. & seq. per plures conclusiones: quibus tamen rationibus nequaquam probatur multiplicitas, seu divisio moralis unius actus in plures, sed potius ex illis impugnatur. Addunt hic aliqui, dari parem æquivalentiam, ita scilicet, ut, sicut actus plures quandoque æquivalent uni, sic unus æquivaler pluribus: sed respondetur, neque hanc paritatem omnimodam esse, ut modò ostensum, neque etiam ex ea probari unitatem actuum physicè distinctorum. Ad 2. confirm. vel neg. anteq. strictè sumptum, vel dist. ut supra. Actus talis æquivaler quoad aliqua. conc. ant. quoad omnia neg. anteq. & conf. quia, ut jam dictum n. 206. etiam actus tendens in plures species, non est plura peccata, sed tantum unum, participans plures species, seu habens plures formalitates, aut plura prædicata specifica.

216. Dices, Saltem talis actus æquivaler pluribus in ordine ad confessionem; quia debent omnes species Theologicæ peccati exponi: ergo actus, tendens in objecta numero diversa, etiam æquivaler in ordine ad eandem confessionem. Resp. neg. conseq. quam negant adversarii in furto, supposito, quod circumstantiæ merè aggravantes exponi non debeant. Disparitas autem in ordine ad confessionem est doctrina Tridentini sess. 14. c. 5. diversa de uno, ac de altero casu; nam hoc Concilium clarè docet, exponendas esse circumstantias speciem mutantes; at de aggravantibus, vel numero objectorum, nil dicit: nec debemus nos majus onus hominibus imponere, quam ex Ecclesiæ, vel Conciliorum doctrina colligatur. vide n. 206. & seq.

217. Ob. 2. Actus, tendens in plura objecta, differt numero ab actu tendente in unum objectum: ergo est numero multiplex. Confirm. 1. Juxta nos, qui concupisceret plures feminas, suffi-



sufficienter se accusaret dicendo: *Habui turpem concupiscentiam*: hoc est falsum: ergo. *Confirm. 2.* Qui in dicto casu concupiscentiæ plurium foeminarum, numerum tantum confusè explicat, exponit peccatum sub dubio: atqui non licet peccatum certum exponere sub dubio: ergo. prob. mai. dicendo *plures*, non reddit confessarium certum, sed dubium de numero: ergo. Resp. r. neg. conf. & retorq. argum. in furto majore, & minore. Resp. 2. neg. ant. Petrus, & Paulus differunt numero, quin unus sit numero multiplex: ad illud sufficit, unum esse distinctum ab altero: ad hoc requiritur, ut unum sit plura.

Ad 1. confirmat. neg. maj. quia hæ phrasæ, ex communi intelligentia confessariorum, significant, eam concupiscentiam versatam esse tantum circa unam foeminam: unde debet saltem dicere: *Concupivi plures foeminas*: juxta dicta n. 187. Idem saltem dicendum, casu quo quis uno ictu occideret plures, e. g. exploso tormento bellico; non enim sufficeret dicere: *Feci homicidium*: sed deberet saltem dicere: *Occidi plures, vel feci stragem hominum*. Dixi saltem; nam, an in hoc casu numerus non sit aliter explicandus, fors inferius dicemus. n. 222. §. 2. §. 2.

Ad 2. confirm. retorq. argumentum in eo, qui se accusat de furto gravi in communi; nam etiam iste reddit confessarium dubium de quantitate. in forma neg. mai. ad prob. neg. conf. non dicit talis: *Dubito, an tot, vel tot fuerint*: sed peccatum certum concupiscentiæ confitetur sub termino generico, quando ad numerum individualiter explicandum non tenetur: sicut si quis confitetur venialia, sine addito numero, non confitetur ea sub dubio. Quod autem confessarius reddatur æquivalenter dubius de numero objectorum, non refert; quia non debet hunc certo scire, sicut scire non debet certam quantitatem furti.

218. Dices 1. Non est paritas inter furtum, & inter desiderium plurium homicidiorum, vel copularum: ergo nulla retorq. prob. ant. si sit una voluntas furandi, vel etiam plures volitiones non interruptæ, imò, si etiam sint plures acceptiones successivæ, moraliter tamen non interruptæ, fit tantum unum peccatum: at, si sint plures volitiones, etiam non interruptæ, occidendi, & fiant plures cædes, per ictus successivos, quamvis continuos, nemo est, qui non dicat, quod sint plura peccata, & debeant ut talia in confessione exponi: ergo est lata disparitas. Idem est de copulis fornicariis, successivè, quamvis continuatè, habitis.

Resp. dist. ant. non est paritas materialis, quoad ea, in quibus non instituitur, conc. ant. non est formalis, in ordine ad ea, in quibus instituitur. neg. ant. & conseq. ad prob. con. ant. & dist. conseq. ut supra. Paritas à nobis instituitur in hoc, quod, sicut idem realiter actus, quo quis etiam pluribus furatur summam tam gravem, ut etiam pluribus gravibus æquivaleret, tantum est unum peccatum, quamvis tendat in plura objecta, imò etiam violet plurium jura: ita etiam actus tendens in plures foeminas, vel cædes, fit tantum unum peccatum. Quod autem plura furta non coalescant in unum: cædes vero, vel copulæ non coalescant (quia scilicet non

quolibet ablatio summæ etiam gravis per factum, est actus in sua ratione consummatus: & ideo cum alia coalescit in unum, quando non datur interruptio actuum; e contra quolibet cædes, vel copula, est actus in suo ordine consummatus, & ideo non coalescit) est disparitas tantum materialis. verbo: ex paritate cum furto probamus, quod actus tendens in plura objecta, aut etiam contrarius plurium juribus, non hoc ipso sit moraliter plura peccata, nec debeat numerus objectorum, aut jurium, in confessione exponi: an autem, & quando plures actus, physicè distincti, coalescant in unum moraliter peccatum, vel non, hic non queritur: & quamvis, quoad hoc posterius, non conveniant furtum successivè, aut etiam contra plurium jura commissum, & cædes successiva plurium, non sequitur, quod non conveniant quoad prius.

219. Dices 2. Tunc actus, tendens in plura objecta, est tantum unum moraliter peccatum, quando objecta illius externa, successivè facta, coalescunt in unum: atqui hoc non contingit in nostris casibus: ergo. Resp. neg. ma. quæ profus gratis asseritur, nec ratione ulla probari potest: sicut nec ulla ratione potest ostendi, quod actus contrarius disparatis diversorum juribus, e. g. voluntas abigendi integrum gregem, ad diversos dominos spectantem, vel ipse actus abigendi, sit tantum unum peccatum, & non etiam voluntas occidendi plures homines; nam, quamvis actus successivi consummati cædium non coalescant in unum actum exteriorum, coalescunt tamen in unum objectum, e. g. in unam stragem, simul & semel volitam. Ut autem Illung tr. 2. disp. 2. n. 51. ait, si actus est unicus, non videtur requiri alia coalescentia; maxime, si sistatur in actu interno; alias quomodo explicabitur, quod actus, tendens in objecta consummata infinita, non habeat malitias infinitas? Quodsi tamen in istis, communibus doctoribus ita sentire, potest fortassis sententia opposita, esse quidem extrinsecè ab autoritate tibi probabilior; at non spectando rationem, de qua sola nostra conclusio loquitur.

220. Dices 3. Duo homicidia, vel duæ fornicationes, non possunt coalescere in unum: & similiter non possunt coalescere in unum duæ transgressiones jejunii duobus diebus, duæ neglectæ recitationes Breviarii diversis diebus: ergo nec duæ malitiæ eadè illis desumptæ. Resp. nego suppositum consequentis, quod, quando est unus actus, sint duæ malitiæ; est enim tantum una, indivisibiliter tendens in plura objecta. Unde bis actu peccare, & bis actu velle peccare, tunc tantum sunt idem, quando sunt duo actus voluntatis, conjuncti duobus actibus externis non coalescentibus.

221. Dices 4. Actus externus, & internus efficax, habent eandem indivisibilem malitiam: ergo, si duo actus externi habeant duas malitias, etiam habet duas malitias actus internus in eos tendens. Resp. nego suppositum consequentis, quod duo actus externi, intentionaliter tantum existentes, ut ponitur in hoc casu, habeant duplicem malitiam formalem; habent enim tantum unam, derivatam ab actu interno malo. Si autem loquaris de malitia objectiva, vel radicali, nihil probas; quia malitia duplex radicalis, &

& objectiva, si sit ejusdem speciei, potest quantumque coalescere in unam formalem, si accedat unus actus internus: sic duæ acceptiones externæ furtivæ habent duplicem malitiam objectivam, & radicalem; cum possint terminare duos actus internos, & fieri interruptè: at, si fiant continuatè, tantum habent unam malitiam formalem.

222. Dices 5. Ex dictis sequitur, quod, qui uno ictu e. g. tormenti simul occidisset decem homines, sufficienter se accusaret dicendo: *occidi aliquot homines*, vel: *Feci stragem hominum*: hoc non videtur admittendum: ergo. probatur maj. non est major ratio, quare sit unum tantum peccatum, quando actus internus tantum est unus, quam quando actus externus est tantum unus: ergo. Resp. r. majorem admittunt auctores citati num. 210. & negant minorem, quæ certè ratione difficulter probatur. Equidem censeo, suadendum hominibus, ut hoc in casu numerum objectorum explicent: neque etiam hanc obligationem adstruere est contra nostram conclusionem; quia nos loquimur in casu, in quo sistitur in actu interno, non vero, quando progressio fit ad externos. Attamen, si actus externus tantum sit unus, tendens simul in plura objecta, spectata sola ratione (quod nos in hac conclusione facimus) videtur difficulter posse probari minor superior; potest enim dici, quod ratione actus interni, & externi unius, fiat etiam tantum unum peccatum, una strages, seu unus effectus peccaminosus. Fateor, contradictoriam illius minoris videri contra communione antiquorum: attamen non est destituta sua autoritate, ut patet ex num. 210. potestque videri Illung tr. 2. disp. 2. num. 43.

223. Dices 6. Ergo, si eadem volitio duraret per plura instantia, & durante illa aliquis successivis, attamen continuatis ictibus occideret plures, etiam tantum unum peccatum committeret: hoc videtur durum: ergo. Resp. quidam recentior, hoc fieri non posse, eoquod actus voluntatis sint affixi durationibus suis, & consequenter quovis instanti, vel saltem tempore, quo unus ictus fit, mutantur: sed hoc non est adeò certum. Idem ait 2. mutato objecto mutari volitionem: sed nec hoc videtur sufficere; quia potest quis simul velle plures occidere, quo casu objectum non mutatur. Ait 3. in hoc casu unum fore peccatum, consummatum in cæde duorum, vel plurium; cum unum sit exercitium libertatis, una difformitas cum eadem lege, unum concretum accidentale: sed addit, hunc casum extraordinarium fore, nec in hoc fundari iudicium sensus communis, qui censet, per duas cædes externas fieri duplex numero peccatum.

224. Verùm, quamvis casus extraordinarius sit, quod idem homo, durante eadem sua volitione, plures occidat: tamen non est extraordinarius casus, in quo recurrit eadem difficultas, scilicet, quod aliquis injustè jubeat uno imperio, plures occidi, qui dein successivè, sed continuatè ab alio occidantur, adhuc moraliter perseverante, ac influente eodem unico, nec repetito imperio. An ergo etiam talis injustè mandans sufficienter se accusabit: *Jussi plures occidi*? Resp. jam me dixisse, nos loqui de casu, in quo sisti-

tur in actu interno: si autem petas, quid dicam ad hunc casum, respondendum mihi videtur, in hoc casu, quo isti actus externi, qui consummati dicuntur, fiunt successivè, etsi unus sit actus internus, esse peccata moraliter distincta, & numerum eorum, quantum fieri potest, declarandum esse in confessione. Ita Illung tr. 2. disp. 2. num. 55. §. ultimo Neque tamen &c.

Ratio ex hoc auctore est. Actus externus denominatur ab actu interno verè peccatum, quod debet in confessione exponi: ergo, ubi sunt plures actus externi, qui non coalescunt, sunt plura peccata in confessione exponenda: atqui in nostro casu non coalescunt: ergo. prob. subsumptum. actus isti, e. g. ictus, quo occiditur Petrus, & alius, quo occiditur Paulus (idem est de diversis copulis cum eadem, vel diversa persona habitis) sunt realiter inter se distincti: & quamvis continuenter, tamen sunt opera externa omnino consummata, sive sunt actus non tantum quomocumque consummati, sed ita, ut quilibet per se ipsum sit completum, & ultimum exercitium creaturæ rationalis peccantis: ac propterea sunt juxta communem æstimationem hominum incapaces, ut per eundem actum internum, vel per continuam confessionem, fiant moraliter unum; cum nullum habeant ad se invicem ordinem, ad constituendum totum morale: ergo non coalescunt.

225. Dices 7. Si cædes plurium fiat per unum actum, etiam non habent ordinem ad se invicem. ergo etiam in illo casu debet explicari numerus. Resp. 1. conseq. non esse contra nos ut notavi n. 222. Respondet Illung 2. neg. ant. ut, enim ait, illæ cædes passivæ, seu mortes, coalescunt in unum effectum ejusdem unici actus externi, e. g. ictus, vel explosionis tormenti: suntque moraliter una strages; unde, quamvis exponi debeant in confessione effectus actus peccaminosi, ut contendunt quidam contra multos alios, qui negant, talem effectum esse peccatum, & volunt, tantum ipsum actum externum esse peccaminosum (de quo agit Illung tr. 6. disp. 6. a. n. 67.) tamen, cum effectus in casu e. g. explosi tormenti, tantum sit unus, sufficienter in confessione exponitur, etsi numerus occisorum tantum confusè exponatur. Et sanè videntur utique facilius coalescere plures effectus partiales ejusdem actus externi, in unum effectum totalem completum, quam plures actus externi, seu opera completa, & consummata, in unum actum, aut opus.

Si ad verbari dicant, quod plura objecta sint plura peccata, saltem æquivalenter in ordine ad confessionem, reponetur, id probandum esse, non supponendum. Si dicant iterum, communem sensum censere, etiam in casu, quo per unum ictum plures occiduntur, dari moraliter plura peccata. Resp. negando illatum; nam, licet antiqui fors communis ita sentire vixi sint, tamen non ita sentiunt recentiores. Certè post Lugonem multi graves viri aliter sentiunt. Dein, ut rectè observat quidam recentior, multæ sententiarum, quæ olim fuere communissimæ, successu temporis, ob inventas novas rationes, factæ sunt minus communes, & minus probabiles. Certè, etsi, ut jam diximus, nos tantum agamus hic ratione, non autoritate; tamen, quia aucto-

authoritas in hac materia toties obicitur, etiam de ea aliquod amplius dicemus sequenti objectione.

226. Ob. 3. Sententia adversa habet pro se maximam auctoritatem, adeo, ut Dicastillo de pœnit. tr. 8. disp. 9. dub. 4. n. 217. dicat, esse communem, & receptam sententiam antiquorum, & recentiorum: sed hæc auctoritas in hac quæstione, in qua agitur de voluntate Christi, volentis, vel non volentis nos obligare ad confessionem magis distinctam, est maxime æstimanda: ergo ob istam sententiam opposita est nostræ præferenda. prob. mi. ut solet alias, præsertim agendo de obligatione confitendi peccata dubia, dici, talis communis auctoritas, est aliqua quasi traditio, & communis sensus fidelium, de existentia legis obligantis ad distinctiorem confessionem, quæ lex, cum sit juris Divini positivi non scripti, vel maxime debet innotescere per traditionem, vel quasi traditionem, & communem sensum fidelium, adeoque doctorum (nam his sensum sensum accommodant indoditi) ergo hæc auctoritas est maxime ponderis, & æstimationis.

227. Resp. 1. Hoc argumentum nos non ferit cum n. 210. ubi conclusionem statuimus, expressè dixerimus, nos eam tantum spectando rationem asserere. 2. Ex communi fidelium sensu nondum probaretur, esse plures in tali actu malitias, sed tantum esse unam graviorem, quæ debeat distinctè in confessione exponi, ut juxta multos debent exponi circumstantiæ notabiliter aggravantes. 3. Merito negatur major; etsi enim sententia adversa pro se forte numeret plures auctores ex paulo antiquioribus, tamen excessus non est tantus, quantum ingeniosus quidam recentior adversarius describit: & Dicastillo difficulter suum assertum posse probare; nam antiqui, ut S. Thomas, Scotus, & iis quasi æquales, hanc quæstionem non tractant, imò pauci ante Lugonem, aut Suarezium: unde nequitiam sensus aliorum recentium auctorum, debet haberi quasi pro traditione communi Ecclesie. Quin etiam paulo post alii docuere oppositum, cum Lugone, ac aliis: & præsertim nunc multi recentiores id docent, videri potest Illung tr. 2. disp. 2. a. 5. n. 43. ubi ostendit, nostram sententiam minime esse auctoritate destitutam. Sed & ipse Dicastillo tr. 8. de pœnit. disp. 9. n. 255. admittit, actum internum, in multa objecta peccaminosa tendentem, sed non affectum executionem externam, e. g. desiderium plurium cædium, sed non secutarum, esse tantum unum peccatum. Suarez autem tom. 4. in 3. p. de pœnit. disp. 22. sec. 5. n. 34. & seq. docet nobilium, talem actum non continere plures malitias, quamvis dein numerum objectorum putet exponendum, ex eo capite, quod ipse putet, circumstantias notabiliter aggravantes in confessione exponendas esse: quod tamen adversarij, quibuscum modò agimus, negant.

228. Ob. 4. Si conjugatus cum altera conjugata committit adulterium, debet in confessione exponi, utramque partem fuisse conjugatam, quod ait Palao p. 1. tr. 2. disp. 3. puncto 3. n. 9. certissimum esse: & oppositum ex Apborismis Emmanuelis Sa, teste Illung tr. 2. disp. 2. n. 55. deletum est, tanquam improbabile: sed hu-

jus ratio alia non est, quam, quòd tale adulterium sit duplex: ergo debet talis actus, habens duplicem malitiam, ut talis exponi. Resp. Illung loco cit. neg. mi. Ratio non est tantum; quia in eo casu adulterium est duplex, sed quia hæc duplicitas neque in confuso explicatur, quod tamen fieri debet juxta dicta n. 188. nam, ait hic auctor, confessarius audiens adulterium, tantum intelligit simplex, quod ordinariè solet contingere, & hoc verbum, sine addito prolato, ex communi acceptione plus non significat: sicut etiam homicidium significat tantum eadem unius hominis: ait tamen idem auctor, talem sufficienter se accusaturum, si dicat: *Fornicatione violavi altarum jus conjugale*: quo modo loquendi implicitè, & in confuso fateretur duplex jus violatum.

Resp. 2. Recentior quidam ex Lugo, & aliis, neg. min. quia differunt specie adulterium simplex, & duplex; cum in casu duplicis adulterii non tantum quis violet fidem alteri, sed etiam cooperetur ad hoc, ut altera pars violet fidem illi, cui prior pars non est obstricta: quæ cooperatio differt (ut ajunt isti authores) specie à violatione fidei, quam adulterans e. g. debet prestare conjugi suæ. Quidquid dixeris ex his duobus, majorem admittes, & minorem negabis, qua negata, nihil probatur contra nos.

229. Ex dictis deducit Illung tr. 2. disp. 2. n. 64. supposito, quòd quis peccet mortaliter, distribuendo SS. Eucharistiam accumbentibus ad mensam Divinam, vel juxta quosdam; quia est in statu peccati mortalis, vel quacunque de causa, hoc, inquam, supposito, tamen esse tantum unum peccatum, si sacerdos talis pluribus continuatè distribuatur sacram Eucharistiam; quia, licet respectu cujuslibet personæ sit integra actio, & completa ministratio Sacramenti, tamen est pars tantum integri ministerii, vel functionis, cum tali multiplicitate peragi solita. Idem docent alij, & videntur debere docere omnes, qui admittunt cum eodem Illung, ac Lugo de pœnit. disp. 16. sect. 14. n. 558. quòd tantum unum peccatum committat sacerdos, qui in statu gravis peccati audit plures confessiones, ex simili ratione; quia, licet quælibet confessio sit integrum judicium completum, nec una ordinetur ad alteram, tamen in ratione unius functionis, cum tali multiplicitate peragi solita, conveniunt, & sunt una indigna functio, unum indignum ministerium.

Addit Lugo loco cit. illas auditiones confessionum convenire etiam ex intentione agentis, qui sedet in sacro tribunali, ut plures audiat, & præcipue ex materia ipsa; cum omnes illæ actiones contineant irreverentiam contra DEUM, & Christum, cujus Sacramenta irreverenter tractantur; cum in rigore non sint contra jus residens in Sacramentis, sed contra jus residens in auctore Sacramentorum. Negari autem non potest, ait Lugo, quòd facilis conveniant, ad constituendum unum peccatum, quæ tendunt contra jus unum ejusdem personæ, quam, quæ tendunt contra jus plurium diversarum. Idem circa administrationem Sacramenti pœnitentiæ, pluribus in statu peccati factam, censent Illung tr. 2. disp. 2. a. 5. n. 64. Henriquez, Gobat, Tanner, Diana, Fagundez, Rodriguez, Leander, Escobar, Bauni.

230. Colligit 2. idem Illung loco cit. n. 67. unum esse moraliter peccatum, si sacerdos eadem die totum Breviarium recitare omittat; quia omnes partes Officii Canonici in unam orationem, ab Ecclesia præceptam, coalescunt. Idem etiam docet Lugo de pœnit. disp. 16. n. 547. qui citat Suarezium, Navarrum, Vegam, Reginaldum, Ledesma, Sa, Dianam, à quo ait citari plurimos; unde sufficit, si talis sacerdos in confessione dicat, se peccasse graviter, non recitando Officium Divinum, quoniam explicet, quot horas omiserit. Et Suarez quidem tom. 2. de Relig. l. 4. c. 25. n. 18. hæc docet: attamen rectè advertit, peccatum quidem externum esse tantum unum, interna autem voluntatis posse esse plura & varia, ratione interruptionis, retractionis &c. actuum voluntatis. Aliud est, si sacerdos diversis diebus omittat diversas partes Breviarii; tunc enim omissiones non coalescunt; sed sunt peccata numero diversa contra diversas obligationes, diversis diebus affixas: sicuti etiam aliud est, teste Illung, si quis eodem die sæpius interruptim comedat carnes; quia lex negativa respicit singulas diei partes divisibiliter, sicut lex e. g. non faciendi alteri injuriam; unde per interruptas comestiones, divisibiliter, seu pluries, ea lex violatur: Id tamen ex conclusione n. 210. positâ sequitur, tantum esse unum peccatum, si quis internam tantum violationem eliciat, qua statuat e. g. viginti diebus omittere Breviarium: attamen postea mutata voluntate id opere ipso recitet. Videatur hac de re ipse Lugo, aut Illung locis citis.

DISPUTATIO II.

De Peccato Habituali, & Originali.

231. Hucusque sat multis egimus de Peccato Actuali, ejusque essentia, causis, ac differentiis, tum specificis, tum numericis: restat, ut paucioribus agamus de Peccato Habituali, & Originali. Quanquam autem etiam peccatum originale sit habituale, ut ex dicendis patebit, & sic rectè utrumque sub una disputatione comprehendatur, tamen habituale latius patet, & per hoc intelligitur id, quod post quodcumque peccatum, actualiter commissum, remanet. Unde de isto prima quæstione agemus, & in quo consistat, examinabimus: quod serviet etiam ad intelligendum peccatum originale, de quo, ejusque pœnis, itèmq; de immunitate immaculatissimæ Virginis ab hac labe, secunda quæstione agemus, atque sic toti tractatui de peccatis finem imponemus.

QUÆSTIO I.

De Peccato Habituali.

ARTICULUS I.

Quid sit Peccatum Habituale.

232. Maftrius disp. 6. q. 9. a. 5. n. 291. & Oviedo in 1. 2. tr. 6. con-

tr. 8. punct. 4. n. 28. dicunt, ex communi doctorum, quòd peccatum habituale sit peccatum actuale præteritum moraliter permanens. Et sancta, transacta peccaminosa actione, ac physice jam præterita, manet homo, qui peccavit, adhuc peccato infectus, ut eleganter probat D. Augustinus l. 1. de nuptiis & concupiscentia c. 26. ex Ecclesiastici. 21. v. 1. ita habet S. Doctor: *Si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret, ut hoc nos moneret Scriptura: fili, peccasti, non adjicias iterum: non autem sufficit, sed addidit: & de pristinis deprecare, ut tibi remittantur: manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt? nisi quia præterierunt actu, manent reatu: ergo manet aliquis aliquo modo infectus peccato: non actualiter; quia actus jam transiit: ergo moraliter, seu habitualiter: nec de peccato actuali transactò, & moraliter permanente, potest esse, nec etiam est, inter Catholicos dubium.*

233. Certum autem est 1. peccatum habituale non esse tantum peccatum præteritum; nam peccatum jam præteritum erit semper verum, & nunquam potest hæc veritas falsificari, vel mutari: adeoque si idem esset peccatum habituale, ac peccatum esse præteritum, nunquam posset deleri, sed semper daretur peccatum habituale, quod utique falsum est. Certum est 2. peccatum hoc non consistere in peccato præterito, & negatione qualiscunque retractionis; quia potest dari peccatum hoc etiam, quando datur retractatio ejus naturalis, vel etiam supernaturalis extra sacramentum sine perfecta contritione: dein probabilius etiam est, posse peccatum illud deleri de absoluta potentia DEI, absque retractione, seu stante negatione istius, ut plurimi auctores tradunt tract. de pœnit. Quæritur jam, in quo formaliter hoc peccatum consistat: qua de re dissentus notabilis est inter auctores, ut videre est apud Oviedo in 1. 2. tract. 6. contr. 8. punct. 2.

234. Dico. Peccatum habituale in genere (prout abstractit, ab hac, & ab alia providentia, statu elevationis, & puræ naturæ &c.) consistit in complexo ex peccato actuali præterito, & negatione tam condignæ satisfactionis, quam gratuita remissionis. ita quoad verba, vel saltem quoad rem, Suarez, Vázquez, Arriaga, Lugo, Goimaz de grat. sanctif. n. 32. & plurimi alij. Explicatur conclusio. Peccatum habituale in primis involvit peccatum actuale præcedens; si enim nunquam fuisset actuale, non posset esse habituale. Insuper debet actuale esse præteritum; alias existeret adhuc actualiter, & non habitualiter, seu nondum esset peccatum habituale.

Hoc autem peccatum habituale, seu, quòd idem est, actuale moraliter perseverans, maculat hominem: quod quomodo fiat, rectè explicat Suarez. in 1. 2. tr. 5. de peccat. disp. 8. sec. unica. n. 13. hac similitudine. Si quis in republica exercuit vilissimum munus, e. g. carnificis, licet postea id non amplius exerceret, manet tamen moraliter maculatus, donec respublica, vel princeps, maculam illam moraliter tollat, in quantum quoad plures effectus tollere potest: ita, qui semel exercuit vilissimum opus peccati, cor-

ram DEO semper manet maculatus, donec macula illa moraliter tollatur.

235. Hæc autem ipsa macula (quæ etiam dici potest reatus culpæ, seu obligatio sustinendi indignationem DEI) moraliter perseverat in negatione tam satisfactionis, quam remissionis: nam tandem censetur moraliter perseverare, quamdiu non satisfactione æquali deletur, vel gratuito condonatur. Sicut scilicet in humanis moraliter perseverat injuria, vel offensæ, alteri illata, donec vel læso satisfiat, vel hic gratuito offensam remittat, sive jure offensi cedat; non est enim alius modus delendi offensam. Si autem unum ex his duobus fiat, cessat injuria; unde perseverantia peccati, seu offensæ Divinæ, involvit negationem utriusque. Conclusio sic explicata.

Prob. In omni, & solo illo, formaliter consistit peccatum habituale, quo formaliter posito, formaliter ponitur peccatum habituale: sed posito eo complexo, ponitur, & non posito illo, seu omiſſa etiam tantum aliqua parte illius, non ponitur peccatum habituale: ergo, maj. est certa ex regula partis, communiter à Philosophis recepta. mi. probata, jam est in explicatione partium constitutarum. Si quis hic vellet contendere, reatum culpæ non esse ipsum peccatum, sed proprietatem inde resultantem, non esset cum eo multum litigandum; nam saltem erit proprietates metaphysica, realiter identificata cum macula: nec fumus hæc solliciti de omnibus minutis logicis.

236. Ex his collige. 1. non rectè dici, peccatum habituale consistere in habitu vitioso, prævæque ad malum inclinatione, ab actuali peccato relicta, ut fertur voluisse Gregorius Ariminensis; nam sæpe non datur prava inclinatio, e. g. in illo, in quo datur peccatum habituale, quando prima vice peccavit, & statim horrefcit peccatum, necdum tamen perfecta contritio, aut confessioe id delent. Econtra potest manere aliquando prava inclinatio, quin maneat peccatum habituale, e. g. in consuetudinario, postquam ritè confessus est. Unde non dicitur peccatum habituale idè, quasi esset malus habitus, sed ideo; quia sicut habitus perseverat, cum hoc tamen discrimine, quòd habitus physice, peccatum verò tantum moraliter maneat. Si quis autem vellet ipsum habitum vitiosum dicere peccatum habituale, loqueretur contra communem consuetudinem modernorum doctorum. Verum est, S. Augustinum sæpe vocare peccatum id, quod est effectus peccati: at modò non solent Doctores ita loqui, saltem sine addito: nec est bonum argumentum à pari in quætionibus de nomine; unde, quamvis habitus charitatis dicatur charitas habitualis, non propterea habitus odii dicitur odium habituale; per hoc eam intelligitur actus odii habitualiter perseverans.

237. Collige 2. non rectè dici, peccatum habituale consistere in physica quadam, & morbida qualitate, animam peccatricem fœdante; nam hæc sententia hodie unanimiter à Theologis rejicitur, nec est ulla hujus qualitatis necessitas; cum sine ea possit facillè explicari peccatum habituale. Accedit, quòd dici nequeat, quænam sit causa productiva illius qualitatis; non enim esset DEUS solus; aliàs ipse esset auctor peccati

habitualis, quod DEUM dedecet: non actus malus; quia hic nihil producit, quam speciem sui, quæ manere potest delecto peccato habituali, adeoque ab isto distincta est: dein potest peccatum actuale esse pura omiſſio libera, quæ nullam qualitatem physice potest producere. Adde, quòd, si actus malus produceret qualitatem vitiosam, actus bonus deberet producere qualitatem pulchram, quod gratis asseritur: neque esset causa illius qualitatis voluntas; quia hæc immediate tantum producit actus vitales: & si in casu peccati produceret qualitatem morbidam, ac deformem, deberet in casu boni operis producere sanam, & decoram, quod gratis dicitur.

238. Collige 3. non posse peccatum habituale statui in privatione gratiæ sanctificantis, ita Lugo de penit. disp. 7. sect. 2. Arriaga in 1. 2. disp. 49. de peccat. sec. 3. subsec. 2. n. 11. Oviedo in 1. 2. tr. 6. contr. 8. punct. 4. n. 26. Rhodes disp. 3. de peccat. q. 2. §. 1. (quibus videtur consentire Gormaz de gratia sanctificante disp. 2. n. 32.) qui negant, hanc privationem, etiam in hac providentia, esse partem peccati habitualis. Ratio est. Primò, quia ea privatio non est pars peccati venialis habitualis, quod, licet non sit strictè dictum peccatum, est tamen macula habitualis. Secundò, quia hæc privatio, ut habet Arriaga modò cit. disp. sec. 3. subsec. 1. n. 9. est potius poena, vel effectus peccati, quam pars: Nec dicas, eam privationem esse poenam peccati actualis, non verò habitualis; nam, ut bene respondet hic auctor, peccatum habituale non est poena peccati actualis, sed est ipsum peccatum actuale moraliter perseverans, adeoque illa privatio etiam est effectus, & poena peccati habitualis. Eandem rationem allegant Oviedo, & Rhodes.

Tertiò. Ut ajunt Arriaga, & alii, essentia peccati habitualis manet semper eadem; quia est immutabilis: atqui in statu puræ naturæ non involvisset hanc privationem: ergo neque involvit in statu elevationis, quanquam in hoc statu habeat annexam hanc ipsam privationem tanquam effectum, quem non haberet in alia providentia. Hinc infert Arriaga, peccatum quidem posse dici privationem gratiæ in actu primo, hoc est, hanc exigere, seu inferre in hoc statu, non verò in actu secundo. Quartò. Peccata habitualia sunt speciei, & numero diversa: privatio semper est eadem: imò privatio datur statim post primam peccatum grave in quo stabunt igitur peccata habitualia subsequenter? Si dicatur, connotari etiam ipsa peccata; contra est; quia, ut suppono ex regula partis, ista connotata, vel debent etiam esse partes peccati habitualis, vel non sufficient ad novam denominationem faciendam; quia non potest dari nova denominatio sine nova parte. Hæc tamen ratio tantum probat, peccatum habituale totum non stare in sola privatione gratiæ.

239. Collige 4. Peccatum habituale non consistere in reatu poenæ, vel obligatione passiva sustinendi poenam, quæ obligatio tandem moraliter manet, donec vel condigna satisfactione, vel gratuita condonatione tollatur, ut videtur docere Scotistæ cum Subtili Doctore: & quidam ex ipsis volunt, intelligendam esse obligationem, quæ oritur ex voluntate DEI, peccatum subsequente, & ordinante, vel destinante peccatorem ad poenam. Sed hoc non videtur

verum. 1. Quia peccata, à damnatis, & demonibus commissa, sunt verè peccata habitualia, in æternum durantia: & tamen, ut est sententia probabilissima, non amplius in eo statu ordinantur ad poenam, ipsis respondentem, ut num. 101. retulimus. 2. Ut homo, sic etiam DEUS potest retinere jus ad indignationem, vel inimicitiam, quin velit punire. 3. Non ideo peccatum est malum, vel turpe; quia DEUS illud puni, vel poenam ei statuit: sed potius vicissim, quia peccatum est malum, ideo DEUS illud puni, vel ei poenam statuit: ergo habituale peccatum præsupponitur ad hunc reatum.

240. Alii cum Mairio disp. 6. q. 9. art. 5. & seq. intelligunt obligationem, quæ oritur ex voluntate DEI, peccatum antecedente: seu intelligunt legem, peccatum sub poena prohibentem, cujus fit reus peccator, & tandem manet, quamdiu non tollitur uno ex modis n. præced. expositis. Huic sententiæ, uti & præcedenti, quidam objiciunt propositiones damnatas in Bajo, scilicet 56. In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam. & 57. Unde in sacramento baptismi, aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, & ministrum sacerdotum solum liberat à reatu. Sed Oviedo in 1. 2. tr. 6. contr. 8. punct. 4. num. 36. docet, hanc damnationem hos auctores non ferire; quia ipsi non dicunt, manere puram dignitatem ad poenam, eo modo, quo remanet dignitas ad poenam temporalem, deletà culpà: sed dicunt, in hac ipsa dignitate ad poenam permanere moraliter actionem præteritam malam, ejus maculam, atque malitiam. Hoc supposito autem dici debet, quòd non peccatum habituale, sed tantum permanentia ejus moralis, stetit in isto reatu: quod roboratur ex eo; quia reatus culpæ videtur esse aliquid formaliter consequens ad peccatum, & ex hoc, pro posteriori saltem signo rationis, primò oriri, adeoque multò magis esse aliquid consequens reatus poenæ: qui, quamvis juxta quosdam sit identificatus eum reatu culpæ, tamen est saltem formaliter posterior. Sed quidquid de hoc sit, huic opinioni obstant rationes n. præced. adductæ.

ARTICULUS II.

An Reatus culpæ, & Reatus poenæ distinguantur.

241. EX occasione hujus sententiæ quæres, quid sit reatus culpæ, quid sit reatus poenæ? Resp. Reatus culpæ est debitum, ex peccato contractum, ad sustinendam indignationem, vel inimicitiam DEI, si peccatum sit mortale: vel ad sustinendam displicentiam, si sit veniale: & in utroque casu ad sustinendam reprehensionem à DEO: insuper etiam est debitum satisfactionem præstandi; unde, cum homo condignam satisfactionem ex se pro culpa mortali præstare nequeat, contrahit per illam debitum insolubile. Ratio horum est communis sensus, juxta quem culpabilis ille est, qui propter peccatum, vel culpam, meritis est indignationem, vel reprehensionem &c. Reatus

autem poenæ est debitum satisfaciendi, hoc est, sustinendi supplicium, vindictam, vel poenam, nisi remittatur.

242. Controversum jam apud Theologos est, an reatus hi duo distinguantur realiter, an tantum formaliter. Scotistæ, Nominales, & alii quidam contendunt, reatus culpæ, ac poenæ, esse realiter identificados, atque ideo nunquam aboleri unum ex integro, quin etiam alter aboleatur. Mairius disp. 6. de peccatis n. 36r. ex mente Scoti, ut ait, docet, quòd, quando mortale, aut veniale, sive intra, sive extra sacramentum, remittitur quoad reatum culpæ, remittitur etiam totus reatus præcedens poenæ: loco prioris autem dein imponatur, vel à DEO, vel à confessario, obligatio præstandi aliquam satisfactionem, vel satisfationem minorem, quam prius fuerit.

Hæc tamen obligatio, ut ajunt, non est simul reatus culpæ; cum multum differat à priore reatu, imò & priore poenæ, ad quam peccator ante absolutionem tenebatur; nam non tantum hæc remanens est duntaxat temporalis; cum prior fuerit æterna: sed etiam non constituit inimicum DEI, & stat cum gratia sanctificante: nec est amplius proprie reatus; cum non immediate oriatur ex culpa, sed ex hac tantum remotè, immediate autem oriatur ex voluntate DEI, vel confessarii, quatenus scilicet DEUS, seu justitia Divina, exigit, ut culpa reordinetur per poenam, & peccator cum tali onere recipiatur ad gratiam, ut à lapsu absterreatur. Thyrsus Gonzalez tom. 3. select. disp. 8. & 9. cum multis etiam defendit, reatus culpæ, & poenæ, non realiter, sed formaliter tantum distingui: at in hoc recedit à Mairio, quòd velit, nunquam totum reatum culpæ dimitti, nisi etiam totus reatus poenæ remittatur; unde, quamdiu manet aliquis reatus poenæ, juxta hunc auctorem etiam manet aliquis reatus culpæ.

243. Communior tamen Theologorum vult, hos duos reatus saltem inadæquate distingui: imò Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 10, sec. 2. à num. 8. putat, DEUM posse de potentia absoluta, remissà culpà, punire hominem æternam poenam, non quidem eam, quam modò patiuntur damnati in inferno, quæ conjuncta est cum obligatione voluntatis, morali necessitate ad DEUM odio habendum &c. attamen alià, e. g. ut eum nunquam admittat ad gloriam. Lugo autem de peccat. disp. 8. sec. 2. n. 70. omnino putat, remissà culpà, posse manere reatum poenæ æternæ, vel totius, vel ferme totius illius, quam modò patiuntur damnati; quod tamen aliis durum videtur, eo quòd DEUS talem hominem tractaret, ut inimicum, quem tamen in amicitiam recepisset.

Quod si loquamur de hac providentia, certum est ex Tridentino sess. 6. c. 14. poenam æternam unà cum culpa mortali semper remitti: & certè nunquam defacto culpa mortalis remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ est jus ad gloriam, & hæreditatem filiorum DEI, cum quo jure non stat poena æterna. 2. Ex eodem loco Tridentini habetur, non semper unà cum mortali omnem poenam temporalem remitti: iis, qui post baptismum graviter peccarunt. 3. Etiam inter Catholicos convenit, non semper totum

tum reatum venialium remitti, etiam si clavibus subiciantur, sed sæpe adhuc alicujus poenæ reatum restare, quamvis reatus poenæ prius correspondens minuatur; hinc etiam in confessione venialium poenitentia injungitur, & pii fideles student lucrandis indulgentiis, etiam post confessionem peractam, ad delendas poenas, quas contraxerunt ob commissa venialia, quamvis ista clavibus subjecerint. Ex quibus constat, in hac saltem providentia reatum totum culpæ mortalis non separari à reatu poenæ æternæ, quamvis reatus culpæ mortalis separetur à reatu, vel obligatione aliqua poenæ temporalis, scilicet casu, quo reatus culpæ mortalis per poenitentiam delentus est, nondum verò omnis reatus poenæ temporalis. An autem isti duo reatus, scilicet culpæ, & poenæ, identificati, vel realiter distincti sint, adhuc est dubium.

244. Qui defendunt, reatum culpæ realiter distingui à reatu poenæ, afferunt pro se primò Tridentinum *sess. 5. can. 5.* ubi definitur, in baptismo remitti totum id, quod habet veram, & propriam peccati rationem, & nihil in baptizatis DEUM odisse &c. ergo remittitur in baptismo totus reatus culpæ: sed, quamvis remittatur etiam omnis reatus poenæ æternæ, vel etiam temporalis in altera vita, tamen non remittitur omnis reatus poenæ temporalis in hac vita: ergo jam aliquis reatus poenæ est distinctus à reatu culpæ. mi. prob. nam mors corporis est poena peccati originalis *ex Gen. 2. v. 17. & c. 3. v. 4. & ad Rom. 5. v. 12.* item rebellio concupiscentiæ, & aliæ miseriæ corporis, & animæ. Nec dicas, per reatum poenæ intelligi reatum poenæ in altera vita; nam certè poenæ hujus vitæ sunt verè poenæ, quibus DEUS verissimè punit: ergo & obligatio eas subeundi, est verè reatus poenæ.

Secundò. Tridentinum *sess. 14. c. 8.* damnat afferentes, culpam non remitti, nisi simul universa poena remittatur: ergo distinguit hæc duo. Dicere autem, nec culpam universam dimitti, durum videtur; nam cur Concilium Tridentinum nil addidit restringens, si tantum voluit, aliquam culpæ rationem, non verò omnem dimitti? Certè ejus verba, obvio in sensu, planè videntur loqui de tota, seu universa culpæ ratione. Tertio. Stat pro distinctione istorum reatum auctoritas pleborumque Theologorum, qui Sacram Scripturam, Patres, & Concilia, ac potestatem remittendi peccata, intelligunt de remissione peccatorum quoad omnem reatum culpæ, non verò quoad omnem reatum poenæ: in quo, quoad primam partem, conveniunt etiam Scotistæ, quamvis non videantur bene negare, quòd obligatio ad poenam post remissam culpam sit reatus poenæ. Imò Scotus ipse apud Maltrium *disp. 6. q. 9. a. 7. n. 310.* fatetur, Sanctos distinguere inter remissionem cujusunque culpæ, & remissionem poenæ: utque ex contextu patet, loquitur de distinctione reali.

245. Quarto. Stat pro distinctione ista Angelicus, ut probat communis Thomistarum, atque nostrorum ejus interpretum: & variis locis ex S. Doctore adductis potest ostendi, maximè *1. 2. q. 87. a. 6. in corp.* ubi expressè ait: *Et sic reatus poenæ remanet peccato remoto.* item *ad 2. ait: Virtuosus non debetur poena simpliciter: potest*

tamen sibi deberi poena ut satisfactoria. Unde, quando ad primum dicit: *Cessante verò macula non remanet reatus poenæ secundum eandem rationem:* tantum vult dicere, non manere obligationem ad poenam infligendam ex odio, tanquam inimico, vel acceptandam ab invito (in quo videtur S. Doctor statuere poenam simpliciter talem) manere tamen obligationem ad poenam satisfactoriam; sic enim habet *in corp.* ad finem: *Remotà maculâ culpæ, potest quidem remanere reatus non poenæ simpliciter, sed satisfactorie.*

Quintò prob. hæc opinio à paritate, ex humano foro desumpta, cum enim in isto sæpe soleat separari reatus culpæ, à reatu poenæ, cur id non etiam fiat in foro DEI? Sic patens sæpe punit filium, & magister discipulum, & iudex reum, quanquam culpa jam sit dimissa, & jus ad indignationem dudum abdicatum. Ratio autem hujus rei ulterior est, quòd poena non sumatur per se ex displicentia personæ, sed ex amore justitiæ, cautelæ, & exempli aliis dandi, utque damnus per culpam illatum refarcitur, disciplina conservetur &c. videatur Tridentinum *sess. 14. c. 8.* ubi fines satisfactionis, in poenitentia tribunali impositæ, ad delendam poenam temporalem residuam, pulcherrimè explicat: ergo, licet jus ad displicentiam, vel indignationem contra personam (in quo stat reatus culpæ) cessaverit, nondum cessavit jus, ad reparandum damnus per culpam illatum, conservandam disciplinam, absterrendos alios à simili lapsu, in quo stat reatus poenæ.

246. Qui verò volunt, reatum culpæ, & reatum poenæ, tantum formaliter inter se distingui, afferunt pro se primò argumentum negativum, quòd nulla sit necessitas distinctionis: sed hanc videntur probare argumenta superius posita. Secundò dicunt, quòd sæpe in Scripturis reatus culpæ vocetur peccatum; hoc autem non probat, illum esse strictè peccatum, vel culpam; cum hæc vox sæpe aliis per tropum in Scriptura applicetur, ut patet ex *n. 2.* Tertio ajunt, à DEO æternus hominem odio haberi, quatenus huic ab illo infliguntur poenæ, adeoque reatum culpæ, sive obligationem sustinendi odium, vel indignationem DEI, esse realiter identificatam cum obligatione sustinendi poenam: sed videtur falsum esse assumptum; cum pateat, DEUM malis affligere etiam amicos, quibus omnem culpam dimittit, ut patet in baptizatis.

Quartò afferunt pro se S. Thomam, *3. p. 4. 86. a. 4. in corp. & ad 1.* ubi S. Doctor in peccato mortali duo distinguit, aversionem à DEO, cui correspondeat poena æterna, & conversionem ad creaturam, cui correspondeat poena temporalis: & addit, remissa aversione, remitti peccatum mortale, manere autem adhuc conversionem, pro qua debeatur reatus poenæ temporalis: ergo, inferunt, nunquam remittitur tota culpa, quin remittatur etiam tota poena, adeoque possunt isti duo reatus esse identificati. Respondent tamen oppositæ sententiæ patroni, S. Thomam tantum velle, quòd remaneat conversio quoad aliquem effectum, scilicet reatum poenæ; sive quatenus remanet adhuc aliquid pro ea solvendum: non verò, quòd maneat formali-

maliter in se. Adde, quòd eodem articulo per totum ubique S. Doctor distinguit hos reatus ab invicem: & præsertim *in corp.* adducto exemplo Davidis, cui, post remissum peccatum, dictum est, moriturum in poenam delicti filium parvulum, & sic concludit: *Ergo remissa culpâ remanet reatus alicujus poenæ:* unde planè videtur intelligere, non tantum remissa parte culpæ, sed remissa totâ simpliciter culpâ, remanere adhuc aliquem reatum poenæ. Utraque sententia probabilis est: at quia posterior, seu, quæ afferit, hos duos reatus realiter distingui, communior est, & rationibus etiam verisimilioribus niti videtur, in eam præ altera valde propendo.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones contra conclusionem articulo 1. statutam.

247. **O**B. 1. Peccatum habituale est effectus peccati actualis: at qui effectus debet esse distinctus à causa: ergo etiam peccatum habituale debet esse distinctum ab actuali: sed hoc non esset verum juxta nos: ergo. Confirm. Privatio gratiæ est quasi effectus peccati actualis mortalis: ergo potest dici, quòd in ista stet habituale peccatum, præsertim, cum etiam hæc privatio sit macula moralis, & quidem distincta à peccato actuali. Resp. dist. ma. Peccatum habituale adæquatè sumptum est effectus peccati actualis, neg. ma. peccatum habituale inadæquatè sumptum, omnia & dist. sic min. neg. conseq. Ut diximus, peccatum habituale dicit duo, actuale præteritum, & morale ejus perseverantiam: prius non causatur ab actuali; aliàs causaretur à se ipso: alterum potest dici aliquo modo causari ab actuali, quatenus scilicet istud pro priori præsupponitur ad moralem perseverantiam suam: quamvis non minus causetur hæc perseverantia ab aliis, e. g. ab ipso peccante, dum non præstat satisfactionem &c. Sed, quidquid de hoc sit, non est absurdum, quòd una pars concreti causet alteram. Sic in hoc concreto, *intellectus cognoscens*, utique intellectus causat alteram partem, scilicet cognitionem. Ad confirm. neg. conseq. ob rationes adductas *n. 238.* sed de hoc plura inferius.

248. Ob. 2. Negatio satisfactionis, vel condonationis, præsupponit peccatum habituale: ergo non constituit illud. Resp. dist. antec. præsupponit peccatum habituale adæquatè sumptum, seu ut dicens morale perseverantiam, neg. antec. inadæquatè sumptum, seu ut dicens peccatum actuale præteritum, conc. antec. & neg. conseq. In primo instanti A, quo Petrus peccat, nondum datur peccatum habituale, sed actuale adhuc præsens, necdum præteritum. Hoc peccatum, cum physicè transeat, non amplius manet physicè in sequenti instanti B, ut autem maneat moraliter, debet pro instanti B, nec pro ipso condignè satisfieri, nec ipsam benignè condonari; si enim unum ex his duobus fiat, peccatum pro hoc instanti non amplius manet; quia satisfactio, vel condonatio, sunt formæ destruentes peccatum habituale: hæc autem dari

non possunt cum re destructa: ergo peccatum, ut moraliter perseverans pro instanti B, non potest præsupponi adæquatè constitutum ad negationem remissionis ponendam in instanti B; sed per hanc completur, & constituitur in ratione moraliter perseverantis. Sic proportionaliter discurrendum est de sequentibus instantibus.

249. Dices. Ideo DEUS pro hoc instanti negat remissionem peccati Petro; quia dignus est, seu, quia peccator habitualis est: ergo pro priori ad negationem remissionis est habitualis peccator. Resp. dist. antec. quia dignus est suo modo radicaliter pro hoc instanti, conc. antec. quia jam formaliter dignus est, neg. ant. & conf. Radicaliter dico dignum Petrum; quia, cum formaliter fuerit dignus negatione remissionis, seu peccator, in præcedenti instanti A, etiam exigitur, ut sequenti instanti B, eodem modo dignus, seu peccator, maneat, nisi pro priori signo naturæ, aut condigna satisfactio, aut benigna remissio fiat: & hanc exigentiam voco radicalem dignitatem: formaliter autem dignus fit per ipsam negationem satisfactionis, aut remissionis. Paritas habetur in homine, qui prorsus sanus, & vegetus in instanti A, exigit, ut etiam duret pro instanti B, nisi pro priori signo naturæ interveniat cædes subitanea: in quo casu homo non durat pro instanti B, per durationem A, formaliter, sed tantum radicaliter. Responso firmatur ex eo, quòd, si pro instanti B, jam formaliter daretur peccatum habituale, non posset pro eo instanti à DEO remitti; quia non posset simul dari peccatum, & ejus destructio.

250. Ob. 3. Creatura non potest de condigno satisfacere pro peccato mortali: ergo satisfactio condigna à creatura præstanda est Chimæra: ergo negatio illius est negatio Chimæra: ergo juxta nos peccatum habituale constitueretur ex negatione Chimæra, quod est absurdum: Resp. neg. suppositum, & ultimam consequentiam. Etsi non possit satisfactio condigna haberi à creatura, potuit creaturæ applicari satisfactio condigna Christi Domini; unde non dicimus, peccatum habituale consistere in negatione condignæ satisfactionis præstandæ ab homine, sed præscindendo, à quocunque demum præsterit. Accedit, quòd saltem pro peccato veniali juxta multos probabiliter possit pura creatura satisfacere, adeoque saltem peccatum veniale habituale possit stare in negatione talis satisfactionis, præstandæ à pura creatura. Sed, etiam si hoc verum non esset, sufficeret responso prior.

251. Ob. 4. Si negatio remissionis constituit peccatum habituale, DEUS est auctor peccati habitualis: hoc est blasphemum: ergo, prob. ma. qui liberè complet totum, est auctor, & causa per se totius: sed DEUS, negando remissionem, complet, & quidem liberè, totum peccatum habituale: ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dist. ma. qui liberè complet totum, est auctor totius in physicis, omnia in moralibus, subdisting. si teneatur abstinere à complendo eo toto, omnia si non teneatur abstinere, neg. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Quis dicat, quòd is, qui accepit injustè ingens damnus, & non vult (sicut non teneatur) remittere compensationem sibi faciendam, sit auctor injustitiæ perseverantis? certè nemo hoc cogitat. Illi scilicet imputatur perseveran-

verantia injuriæ, vel injustitiæ, qui dedit liberè justam causam negandi remissionem. Urautem res se habet in humanis, ita etiam se habet in Divinis: certè etiam DEUS non tenetur injuriam gratis homini remittere. Ratio ulterior est; quia, qui utitur jure suo, non est causa peccati; sed peccatum respectu ipsius est tantum effectus per accidens.

252. Ob. 5. Si DEUS destrueret peccatorem, non maneret peccatum habituale, & tamen juxta nos manerent omnes illius partes: ergo etiam ipsum maneret: adeoque simul maneret, & non maneret, quæ sunt contradictoria. Prob. 2. p. ant. maneret enim verum, peccatum actuale præteritum, & pro eo non fuisse satisfactum, nec ipsum benignè remissum: ergo. Resp. neg. 1. p. antec. quæ non est probata; nam, licet eo casu non maneret peccator, maneret tamen peccatum. Sic in humanis, mortuo debitore, nihil relincente, potest tamen manere debitum; quia semper manet jus ad exigendum debitum, quamvis per accidens solutio haberi nequeat. Imò, cum DEUS posset semper peccatorem reproducere, posset denuo ab eo pœnas reposcere. Si autem reproducere nolle, fortè dici posset, implicitè peccatum remississe, quamvis id necessariò dici non deberet, ut patet ex modò dictis. Tandem hoc argumentum probarer ad summum, quòd peccatum habituale etiam constituitur ex duratione, vel existentia peccatoris: quod, quamvis necessariò admitti non debeat, posset tamen salva conclusione omitti.

253. Ob. 6. Peccatum habituale est macula intrinseca animæ: sed juxta nos nihil esset intrinsecum: ergo. ma. prob. Scripturæ dicunt, animam à peccato mundari, lavari &c. sed ista in sensu proprio, in quo debent accipi Scripturæ, significant, maculam esse animæ physice intrinsecam: ergo. Confirm. 1. Ex eo, quòd charitas dicatur diffusa in cordibus nostris, colligitur, eam intrinsecam esse: ergo etiam ex eo, quòd peccatum habituale dicatur macula, per charitatem eluenda, colligi debet, ipsam esse intrinsecam. Confir. 2. Gratia, quæ expellit peccatum, est forma intrinseca: ergo etiam peccatum, quòd expellitur, debet esse intrinsecum.

Resp. dist. ma. Peccatum habituale est macula intrinseca physice. neg. ma. est intrinseca moraliter. conc. ma. & dist. mi. juxta nos nihil esset intrinsecum physice. conc. mi. intrinsecum moraliter. neg. mi. & conf. Scilicet hæc macula habet se, sicut macula ex administratione vilis officii, de qua num. 234. vel sicut privatio gratiæ, quæ, cum etiam nihil sit, tantum moraliter intrinseca est. ad prob. neg. mi. Scripturæ sã proprie accipiuntur, saltem quantum possunt in hoc casu, attentis rationibus pro nostra conclusionem, si sumantur in sensu morali. Adde, quòd lavatio peccati, etiam per gratiam facta, non sit physica, sed tantum moralis. Ad 1. confirm. dist. ant. colligitur, charitatem esse intrinsecam, ex hoc solo, quòd dicatur diffusa in cordibus nostris. neg. ant. colligitur, esse intrinsecam, ex hoc, & simul etiam aliunde, scilicet ex autoritate Conciliorum, & Patrum, atque Doctorum, qui eam textum ita explicant. conc. antec. & neg. conf. Ad 2. confirm. neg. confeq. & retorq. argumentum. Gratia est positivè intrinseca:

ergo etiam peccatum debet esse positivè intrinsecum. Si velis vim facere in termino expellere, Resp. gratiam non expellere physice peccatum, sed tantum moraliter. Tandem hæc omnia adversariis possunt objici; quia etiam privatio, cum nihil sit, strictè loquendo, physice intrinseca non est.

254. Ob. 7. DEUS odit peccatum habituale totum, non autem odit negationem remissionis gratiæ: imò hanc sæpe vult: ergo hæc non constituit peccatum. Confirm. Hæc negatio est decretum DEI, quòd realiter est DEUS, seu summum bonum: atqui summum bonum non constituit peccatum, quòd est summum malum: ergo. Resp. dist. 1. p. antec. DEUS odit totum peccatum habituale denominativè sumptum. conc. quidditivè sumptum. neg. 1. p. antec. & conc. 2. neg. confeq. Non omnia, quæ constituunt malum, in odio habitum, quidditivè sumptum, etiam sunt mala, vel odio habita, de qua re vide num. 27. Ad confir. om. ma. dist. mi. summum bonum non constituit malum denominativè sumptum. conc. mi. quidditivè sumptum. neg. mi. & confeq.

Dices. DEUS non odit tantum peccatum præteritum, sed etiam moralem ejus perseverantiam: ergo nulla responsio. prob. ant. si DEUS solum peccatum odisset, deberet adhuc odisse Davidem, & S. Petrum; quia semper verum est, eorum peccata fuisse, & præteritisse: atqui eos non odit: ergo. Resp. dist. ant. DEUS etiam odit moralem perseverantiam peccati formalem. neg. ant. radicelem in hac providentia, conc. ant. & neg. confeq. In hac providentia, licet peccati habitualis perseverantia non flet formaliter in privatione gratiæ, ut dictum n. 238. tamen istam trahit post se, tanquam effectum, qui in radice homini est liber, & imputabilis; si enim homo ageret pœnitentiam, vel adhiberet media ad delendum peccatum, posset ex meritis Christi peccati perseverantiam auferre: adeoque DEUS hunc neglectum mediorem, tanquam radicalem perseverantiam peccati, meritò odit: quamvis non oderit ipsum decretum suum non remittendi, nec condonandi gratis peccatum. Si autem ponatur alia providentia, in qua moralis perseverantia staret in sola negatione remissionis; quia DEUS homines non elevasset, nec Christus venisset ad condignè satisfaciendum, tunc neg. antec. ad prob. neg. maj. Peccatum illorum Sanctorum DEUS semper odio habebit; at non semper odio habebit Sanctos propter peccatum; quia, ut DEUS aliquem propter peccatum odio habeat, requiritur tanquam conditio, ut addit negatio remissionis peccati, quam tamen DEUS odio non habet. Sic, ut ignis uras debet adesse applicatio, quæ tamen ipsa non urit. Potest fors etiam responderi, ipsum quoque peccatum præteritum esse constitutum moralis perseverantia, ut videtur innui sequenti objectione: & tunc DEUS etiam ipsam moralem perseverantiam, saltem inadæquatè sumptam, poterit odisse.

Ob. 8. Duratio physica est adæquatè distincta à re durante: ergo etiam duratio, seu perseverantia moralis peccati. Confirm. Negatio destructionis est tantum conditio ad durationem, vel perseverantiam: ergo non est ipsa perse-

ARTICULUS IV.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

256. Ob. 10. contra dicta n. 237. Justitia habitualis est qualitas pulchra, & sana: ergo injustitia habitualis est qualitas scæda, & morbida.

Confir. 1. Peccatum originale, quòd est habituale, transfunditur ex Tridentino sess. 5. can. 2. in posteros, mundatur, seu eluitur per baptismum: item cuique proprium inest: sed hæc nec conveniunt privationi gratiæ, nec peccato Adami præterito moraliter perseveranti: ergo debet admitti qualitas maculans, in qua flet hoc peccatum: ergo etiam alia peccata habitualia stant in tali qualitate; quia est par ratio. Confirm. 2. Scriptura vocat peccatum simpliciter maculam: ergo intelligenda est de macula physice tali.

Resp. loquendo de justitia naturali, antecedens posset negari; quia illa posset stare in actu charitatis moraliter perseverante: at verò justitia habitualis supernaturalis est qualitas, quòd vel maxime colligitur ex Conciliis, & Scripturis, & communi sensu Doctorum, qui Scripturas, & Concilia ita interpretantur. Ratio etiam est; quia justitia habitualis supernaturalis est participatio Divinæ naturæ, pignus hæreditatis æternæ, radix operationum, & habitum infusorum supernaturalium, quæ non possunt convenire actui charitatis, moraliter tantum perseveranti. At injustitia habitualis non est juxta communem Doctorum, Scripturas, & Concilia interpretantium, qualitas positiva; nam opinio adstruens hanc qualitatem est vix unius, aut alterius. Dein injustitia est quidem in genere moris valde scæda, non tamen est radix malorum habituum infusorum: nec est proprie participatio naturæ diabolicæ, nec pignus exclusionis ab hæreditate æterna &c.

257. Ad 1. confirm. Trident. non loquitur de transfusione physica, & proprie dicta; aliàs peccatum originale deberet esse liquor: nec loquitur de strictè dicta lotionem; quia non est corpus: sed Concilium tantum vult, quòd peccatum originale moraliter transfundatur, (id est, propagetur) atque etiam moraliter lavetur. Quomodo autem cuique peccatum originale proprium sit, dicemus inferiùs, agendo ex proposito de peccato originali. In forma conc. ma. neg. mi. & confeq. Ad 2. confirm. neg. confeq. Scriptura intelligenda est juxta communem interpretationem Patrum, atque Doctorum, qui eam non interpretantur de macula physice tali: sufficit ergo, si dicatur esse turpitudine moraliter talis. Nec opponas sensum fidelium, censentium, animam scædari intrinsecè; nam hoc totum admittimus in sensu morali; non verò in physico, pro quo sensus communis fidelium non stat.

258. Ob. 11. Actus charitatis tantum radicaliter, gratia autem formaliter justificat: ergo etiam peccatum præteritum tantum radicaliter, & qualitas deformis formaliter maculat. Confir. Sicut dantur qualitates, reddentes corpus pulchrum, & aliæ reddentes illud deforme, ita etiam de-

peraverantia. Resp. 1. om. totum; nil enim inde contra nos inferitur; nam, si etiam duratio moralis peccati esset adæquatè distincta à peccato actuali (hoc enim dicitur durare, seu moraliter perseverare) non obesset nostræ conclusioni; neque enim inde inferretur, quòd etiam negatio peccati, actualiter existentis, item negatio satisfactionis &c. deberent esse distincta à morali ejus perseverantia. Dixi om. ant. quia, licet consequentia non obesset nostræ conclusioni, tamen absolute non videtur vera; nam, etiam si daretur negatio satisfactionis, & condonationis, si peccatum non præcessisset, non daretur moralis peccati perseverantia, adeoque hujus quidditivè sumptæ pars est quoque ipsum peccatum.

Unde resp. 2. retorq. imprimis arg. Existencia physica est adæquatè identificata cum re existente: ergo etiam existencia moralis, dein neg. confeq. Disparitas petenda est ex eo, quòd distinctio durationis physice à re durante probetur rationibus, quæ non probant distinctionem, saltem adæquatam, rei moraliter durantis ab ipsa duratione, seu existentia, aut perseverantia morali; cum præteritum ista denominatio moraliter durantis non sit tota positiva. Ad confir. dist. ant. negatio destructionis est tantum conditio ad durationem physicam: om. antec. ad moralem neg. antec. & confeq. Duratio physica præsupponit, vel pro priori temporis, vel pro priori naturæ, negationem destructionis: cumque ipsa sit modus, qui se solo adæquatè physice denominat subiectum durans, illa negatio est tantum conditio: at perseverantia moralis peccati, cum non sit physica duratio, non præsupponit negationem remissionis, sed ex ea constituitur, ut dictum n. 249.

255. Ob. 9. Non potest explicari, quale objectum habeat juxta nos decretum DEI, volentis condonare, vel remittere peccatum: hoc est absurdum: ergo, prob. ma. DEUS non vult peccatum non præteritisse; hoc enim est impossibile: non vult satisfactionem condignam; sic enim non remitteret, vel condonaret: non vult gratiam; quia in alia providentia, si homo non esset elevatus ad statum supernaturalem, gratia ei non infunderetur: imò etiam in aliquo statu elevationis possibili, diverso ab eo, in quo nunc conditi sumus, posset peccatum condonari sine infusione gratiæ: non vult condonationem; sic enim veller decretum DEI seipsum: ergo.

Resp. neg. ma. & dico, hoc decretum habere varia objecta 1. Habet pro objecto peccatum præteritum, non volendo, illud non præteritisse, sed volendo, illud non ulterius moraliter perseverare: 2. Habet pro objecto ipsum peccantem, cui bene vult, dum vult ei remissum peccatum. 3. In hac providentia habet etiam pro objecto gratiam, quam vult homini infundere. 4. Habet pro objecto inadæquato seipsum, quatenus hoc decretum vult, per se ipsum peccatum condonare: nec est ullum, vel minimum absurdum, admittere, quòd aliquis actus habeat seipsum pro objecto partiali. Sic omnis lex, dum vult per se ipsam obligare, habet se ipsam pro objecto inadæquato. Sic Logicis est notum, hanc cognitionem: *Omnis cognitio est actus vitalis: habere seipsum pro objecto inadæquato.*

debet dari qualitates quædam, reddentes animam pulchram, quædam reddentes eam deformem: ergo. Resp. conc. vel om. antec. neg. conseq. suppono enim, actum charitatis non esse formam sanctificantem talem, qualis sanctificatio datur in hac providentia; si enim talis esset, antecedens negandum esset. At verò peccatum est sufficiens forma, moraliter inquinans hominem. Ad confirm. Dantur etiam tales qualitates in anima, ut sunt habitus virtutum, & vitiorum, & species veræ, & erronæ, vel etiam qualitas deformans dæmones, & animas damnatorum; sed ex hoc non sequitur, debere hoc semper fieri. Dein corpus aliquando maculatur physicè positivè, aliquando negativè, seu privativè: cur non etiam negativè, vel tantum moraliter, possit maculari anima? In forma. om. antec. neg. conf. nam non sequitur: ergo peccatum debet esse qualitas deformis: sufficit, si talis qualitas sit habitus vitiosus; quamvis nec hoc absolutè necessarium esse ex hac paritate probetur; non enim debet admitti in omnibus paritas inter corpus & animam, nisi aliunde probetur.

259. Ob. 12. Contra dicta n. 238. Posset dici, peccatum habituale stare in privatione gratiæ, non nudè sumpta, sed ut orta ex diversis titulis: ergo ratio nostra tertia est nulla. Resp. Est tertia ratio non esset efficax, tamen essent adhuc aliæ validæ. Dein neg. conseq. Illi tituli deberent esse pars peccatorum novorum, non tantum connotata, ut probatur eodem numero 238. ergo jam non in sola privatione staret peccatum, sed etiam in illis titulis, qui reverà aliud non essent, quàm peccata præcedentia, & præterita: quod solum ea ratione tertia probare intendimus.

Dices. Saltem peccatum habituale non stabit in negatione condonationis. Resp. neg. illatum; quia, vel DEUS absolutè potest infundere gratiam, quin remittat peccatum, vel id non potest. Si primum, requiretur ad remissionem peccati præter gratiam adhuc decretum condonans, & in hujus negatione perseverabit peccatum: si secundum, ipsa infusio gratiæ juxta quosdam esse positiva aliqua formalis remissio peccati (de qua re tamen vide infra n. 264.) & consequenter in negatione hujus, & cujuscunque alterius remissionis, stabit moralis perseverantia peccati. In negatione autem condignæ satisfactionis etiam eadem perseverantia peccati disjunctivè debet stare; nam si satisfactio, sive per possibile, sive per impossibile poneretur, sive à pura creatura, sive à DEO-homine, & quidem talis, quæ non aliunde debita esset DEO (qua de re agi solet in tract. de incarnatione) DEUS, utpote justissimus, deberet cedere suo jure.

260. Ob. 13. Justitia habitualis adæquata est gratia: ergo injustitia habitualis adæquata est privatio gratiæ. prob. conseq. per id constituitur homo injustus, per cujus oppositum constituitur justus; nam denominationes oppositæ etiam ab oppositis formis desumendæ sunt: sed per gratiam homo constituitur justus: ergo per ejus oppositum, nempe per privationem gratiæ, constituitur injustus: ergo. Resp. conc. antec. loquendo de justitia supernaturali, neg. conseq. nam justus, & injustus, prout hic sumuntur, non sunt denominationes contradictoriæ (alias

cum ex contradictoriis unum semper debet dari, in statu puræ naturæ omnes essent injusti) sed sunt denominationes contrariæ, sicut e.g. verum, & falsum.

Sicut ergo falsitas non est negatio veritatis, seu negatio actus veri: sed est positiva diffinitio actus cum objecto: ita injustitia, prout hic sumitur, non est negatio, vel privatio gratiæ, sed est actus peccati præteritis moraliter perseverans. ad prob. dist. ma. per id constituitur homo injustus, per cujus oppositum constituitur contradictoriè justus. om. ma. per cujus oppositum constituitur contrariè justus. neg. ma. & conc. min. (si sermo sit de hac providentia) neg. conf. Gratia non tribuit homini prædicatum justus, quod sit contradictorium prædicatum injustus, prout istud hic accipitur, & significat hominem non tantum carentem gratiâ (qualis fuisset in statu puræ naturæ, etsi non peccasset) sed insuper reum culpæ: adeoque hæc prædicata sunt contraria, non contradictoria.

261. Ob. 14. Gratia est habitualis conversio ad DEUM: ergo peccatum est habitualis aversio à DEO: sed habitualis aversio à DEO est privatio gratiæ: ergo. Resp. dist. min. subsumptam. Omnis habitualis aversio à DEO est privatio gratiæ. neg. min. aliqua. conc. min. & neg. conf. Habitualis aversio potest variè sumi, & primò quidem pro aversione virtualiter, & interpretativè tali, sive pro conditione, qua posita manet homo aversus, & ex qua, tanquam signo, colligitur, hominem esse aversum: & sic in hac providentia se habet privatio gratiæ. Secundo potest sumi pro actuali aversione præterita, & moraliter adhuc perseverante: & sic non est privatio gratiæ, sed aliquid aliud, scilicet id, in quo diximus stare peccatum habituale. Sic etiam gratia non est habitualis conversio in hoc sensu, quod sit moralis perseverantia conversionis actualis præteritæ, sed tantum; quia est habitus, quo posito, homo est conversus ad DEUM, seu ejus amicus: consequenter est virtualiter tantum, & interpretativè conversio; nam hæc strictè loquendo significat actum hominis ad DEUM se convertentis.

262. Ob. 15. Gratia est forma expellens peccatum: sed id, quod gratia expellit, est privatio gratiæ: ergo hæc est peccatum. Resp. dist. min. id quod gratia expellit, est tantum privatio gratiæ. neg. min. est etiam aliquid aliud. conc. min. & neg. conseq. Rectè advertit Gormaz de gratia sanctificante. n. 48. & seq. formas se expellentes non debere esse contradictorias, sed tantum contrarias. Sic calor, tanquam forma expellens frigus, non est contradictorium frigoris; aliàs nec per absolutam potentiam DEI posset simul esse calor, & frigus; & quando non daretur calor, deberet dari frigus, quod est falsum; cum ante mundum creatum nec fuerit calor, nec frigus. Calor ergo, dum ponitur in subjecto, formaliter expellit tum negationem caloris, & hoc metaphysicè necessariò, tum ipsum frigus, & hoc physicè necessariò, non quatenus producit aliquid à se distinctum, cum frigore impossibile; sed quatenus ponitur ipse impossibile naturaliter cum frigore: quod juxta hanc auctorem significat, formaliter, seu tanquam formam contrariam, expellere. Idem tradit Oviedo

in 1. 2. tract. 8. de justificatione controu. 4. punct. 2. n. 30.

Quia tamen hæc impossibilitas est tantum physica, potest DEUS dispensare in ea, & utramque hanc qualitatem simul in eodem subjecto conservare: adeoque, ut expellatur frigus, requiritur adhuc decretum DEI, volentis se accommodare exigentiæ caloris, vel certè negatio decreti, volentis dispensare in ea impossibilitate, aut utramque qualitatem simul conservare. Illud tamen decretum, vel hæc negatio, non impedit, quo minus calor formaliter expellat frigus; quia calor semper est forma frigori contraria, & naturaliter exigit dictum DEI decretum, vel dictam negationem.

263. Jam ad rem nostram. Gratia est forma, non contradictoriè, sed contrariè opposita peccato, adeoque expellit non tantum negationem gratiæ, cui contradictoriè opposita est, sed etiam ipsum peccatum, cui contrariè opposita est. An autem hæc oppositio gratiæ cum peccato sit tantum physica, an metaphysica, alibi est decidendum. Porro, si ulterius objiciatur, gratiam esse unicam formalem causam nostræ justificationis. Resp. hoc aliud non significare, quàm eam esse formam justificantem, seu expellentem peccatum, intelligendo per contrarietatem, non per contradictionem: quamquam Gormaz distinguat inter remissionem peccati, & justificationem, de quo alibi.

264. Ob. 16. Juxta nos requiritur ad peccatum habituale constituendum negatio omnium condonationis peccati: sed infusio gratiæ est aliqua condonatio peccati: ergo etiam requiritur constitutivè negatio infusionis gratiæ, seu privatio gratiæ: Resp. 1. om. totum, quia, si gratiæ infusio est formalis remissio peccati, tunc, ut diximus jam n. 259. stabit perseverantia moralis peccati præteriti, tam in negatione, seu privatione gratiæ, quàm in negatione omnium alterius remissionis, aut condonationis peccati. Resp. 2. & fortè meliùs. dist. min. infusio gratiæ est condonatio formaliter talis, neg. min. est condonatio arguitivè talis. om. min. & neg. conseq.

Condonatio formalis est actus voluntatis Divinæ, vel decretum DEI, cedentis jure suo: & hic actus non est gratia habitualis, de qua agimus. Condonatio arguitivè talis est aliquid, quod exigit, illud decretum poni: & tale quid est etiam gratia. Unde gratia est quidem forma condonans, seu potius destruens peccatum: non tamen est formalis condonatio, seu destructio: sicut calor est forma destruens frigus, non tamen est formalis ejus destructio. Si gratia confertur, cum ea exigat, saltem connaturaliter, illud decretum, arguimus, etiam dari condonationem formalem: & hinc gratia est condonatio peccati arguitivè talis. Nos autem dicimus; peccatum habituale constitui, non per negationem condonationis arguitivè talis, sed formaliter talis. Sic rem illuminatam non constituit sol, sed lux, quamvis ex presentia solis arguamus lucem. Accedit, quòd juxta valde probabilem sententiam, gratia sanctificans, saltem de potentia absoluta, possit stare cum peccato; adeoque negatio gratiæ non sit meta-

physicè necessaria ad permanentiam peccati habitualis, consequenter nec eam constituat.

QUÆSTIO II.

De Peccato Originali.

ARTICULUS I.

Quid sit Peccatum Originale, & an ab hominibus contrahatur.

265. Dico 1. Peccatum originale est præterita transgressio mandati Divini, prohibentis comestio-

nem fructus ex arbore scientiæ boni, & mali, quæ transgressio ab Adamo quidem physicè, à posteris autem, naturali modo ex ejus semine natis, (quorum voluntas voluntati Adami erat divinitus alligata) moraliter facta est, & in negatione condignæ satisfactionis, vel gratiæ remissionis, moraliter perseverat. ita Oviedo in 1. 2. tract. 6. controu. 9. punct. 9. n. 67. Rhodus disp. 4. de peccat. q. 1. sec. 2. §. 3. (cum priùs §. 2. dixisset, peccatum originale non esse formaliter privationem gratiæ: quod idem dicit Oviedo cit. controu. punct. 8. n. 62. Lugo de incarnat. disp. 7. sec. 3. n. 26. & alii plures, maxime ab Oviedo citati. Probatur hæc definitio, seu saltem descriptio, per partes. Gen. 2. v. 17. habetur præceptum non comedendi de illo fructu: & Gen. 3. v. 6. habetur ejus transgressio, physicè facta, & consequenter ante plura annorum millia jam præterita.

266. Quòd autem ea transgressio etiam moraliter facta sit à posteris Adami, habetur ad Rom. 5. v. 12. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pervenit, in quo omnes peccaverunt: ergo omnes peccatum commiserunt in Adamo: non physicè: ergo moraliter.

267. Accedunt Concilia plura, maxime contra Pelagium celebrata: & novissimè Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali, canone 3. ubi definitur, peccatum hoc esse origine unum, propagatione, & non imitatione, transfusum in omnes, & inesse cuique proprium (ubi tamen excipendus est Christus, & immaculatissima ejus mater, de qua ibidem Tridentinum sub finem decreti ait, se nolle eam hoc decreto includere: & nos paulò post eam immunem fuisse ostendemus) Taceo SS. PP. atque Doctores, qui cum universali Ecclesia idem sentiunt.

268. Ex quibus habetur, non tantum peccatum redundare in posteros, sed hos etiam peccasse, & hoc peccatum cuique proprium inesse. Non autem inest physicè; tum, quia, utpote peccatum habituale, suo subjecto moraliter tantum inest; tum, quia à posteris physicè commissum non est; quia nemo ex posteris Adami de arbore illa physicè comedit. Quòd autem hoc peccatum perseveret in negatione condignæ satisfactionis, vel condonationis, probatur iisdem omnibus rationibus, quibus quæstione antecedenti probatum est à n. 254. peccatum habituale in iis moraliter perseverare; quia quoad hoc conveniunt peccatum habituale, & originale: quamvis, ut ait Oviedo in 1. 2. tr. 6. controu. 9. punct.

punct. 9. n. 70. differant habituale communiter dictum, & originale, quod illud dicatur inesse subiecto statim, ac actio commissi est, seu mox in instanti actionem peccaminosam sequenti: originale autem tunc primum dicatur inesse, quando parvulus producitur.

269. Itaque essentia peccati originalis consistit in complexo, ex præterito Adami peccato, ex alligatione voluntatum posterorum, per quam fit moraliter peccatum posterorum, & ex negatione condignæ satisfactiois, aut gratuita remissionis in qua perleverat. Naturalis autem ab Adamo descensus non videtur constituere hoc peccatum, sed ad illud præsupponi; nam præsupponitur ad alligationem voluntatis; propter hunc enim descensum alligati sunt posterii voluntati Adami: & sanè, si aliqui non fuissent descendentes ab Adamo, & tamen alligati ejus voluntati, videntur contracturi fuisse peccatum originale. In hoc tamen descensu stat, seu fundatur debitum remotionis peccandi, ut pluribus explicabimus inferius, agendo de immaculata Conceptione B. Virginis.

270. Insuper, ut hoc peccatum dicatur actualiter contractum, seu anima per illud maculata, requiritur etiam existentia descendens ab Adamo; nam parvuli post annum nascituri, etsi jam in Adamo peccasse dici possint (quia per hoc tantum intelligunt Doctores, quod eorum voluntates voluntati Adami alligatæ fuerint, adeoque moraliter cum Adamo præceptum transgressi sint, seu, quod actio Adami fuerit moraliter actio eorum, & ipsi debitum proximum maculæ contrahendæ habeant) nondum tamen possunt dici, actualiter peccatum contraxisse, vel jam maculati esse.

271. Restat explicandum, quomodo hoc peccatum Adami sit factum moraliter nostrum, seu posterorum; hoc autem factum est hac ratione. Voluntates posterorum divinitus alligatæ sunt voluntati Adami, in ordine ad observationem prædicti mandati, quæ alligatio fuit quoddam decretum DEI, constituentis Adamum caput morale posterorum, ita, ut, quod ipse faceret, censerentur etiam moraliter, & imputabiliter ad culpam, vel meritum, fecisse posterii. Hoc decretum fuit formale, aut virtuale pactum cum Adamo, de transfundenda justitia originali in posteros, si ipse præceptum servaret: vel contra de contrahenda à posteris culpa, si Adamus inobediens foret.

272. Dixi pactum virtuale; ut enim rectè Tannerus tom. 2. disp. 4. q. 7. dub. 1. n. 17. ex Scoto ait, non fuit necesse, ut DEUS expectaret acceptationem Adami; sed sufficit, quod DEUS id vellet: nec dubitatur, id Adamo satis innotuisse. Nec aliud videtur sentire Ulloa de incarnat. disput. 1. c. 9. n. 166. quando ait, pactum hoc non fuisse contractum, seu colloquium inter DEUM, & Adamum; non enim videtur hic auctor vel se contradicere communi Doctorum, imò & SS. Patrum; qui hoc pactum inter DEUM, & Adamum adstruunt.

273. Sic S. Aug. l. 16. de civit. DEI c. 27. ponderans illa verba Genes. 17. v. 14. Masculus, cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit. S. Doctor legit: quia testamentum meum dissipavit (testamentum autem est idem,

ac pactum) & ait, parvulum ipsum non potuisse illud pactum, seu testamentum dissipare; & hinc infert, id intelligendum de prævaricatione communi generis humani, in sua origine: accidit: Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profectò illud est: quia die ederitis, morte moriemini: ergo juxta S. Doctorem, testamentum, seu pactum initum est à DEO cum Adamo.

274. Similiter S. Hieron. in illud Osée 6. v. 7. Ipsi autem, sicut Adam, transgressi sunt pactum: ibi prævaricati sunt in me: ait: Ipsi autem imitati sunt Adam, ut, quod ille in paradiso fecerat, pactum meum, legemque præteriens, ipsi in terra facerent: & ibi, hoc est, in paradiso, omnes prævaricati sunt in me, in similitudinem prævaricationis Adam. Ecce, etiam juxta S. Hieronymum, pactum cum Adamo initum est, quod ipse, & posterii quoque in paradiso (quatenus scilicet jam tunc voluntates eorum Adamo alligatæ erant) prævaricati sunt.

275. Hoc pactum, & alligatio nostrarum voluntatum, fundatur in Genes. 2. v. 17. ubi Adam dicitur: In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris: quæ verba Ecclesia semper intellexit de morte corporis, & animæ, Adami, & posterorum: ergo voluntas posterorum fuit alligata voluntati protoparentis; aliàs, quare morerentur secundum animam posteri? Hinc etiam ait Apostolus cit. c. 5. ad Rom. v. 19. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. & Osée 6. v. 7. Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum: quæ verba de pacto cum Adamo exponunt, ut modò dictum, S. Hieron. & alii Patres. Adde, quod in Scripturis sapissime mentio fiat de pactis à DEO cum homine initis, ut Genes. 9. v. 9. cum Noe, & posteris ejus: Genes. 17. v. 4. cum Abraham, & sapissime cum populo Israëlito: adeoque nullo modo sit inconveniens, dicere, tale pactum, etiam formale, initum cum Adamo.

276. Probatur hoc pactum, & alligatio voluntatum nostrarum etiam ratione. Ut Adæ peccatum transiret in posteros, non erat satis, eum esse caput physicum, seu physicè primum parentem; aliàs etiam ejus opera bona, & penitentia, debuissent in filios transire: imò etiam opera proximorum parentum deberent transire in filios: ergo debuit Adam esse caput morale, & tale constitui à DEO (qui solus habet potestatem absolutam in omnium voluntates) & quidem debuit ita constitui, ut, quidquid ageret ipse, posteris justè imputaretur, quasi factum ab ipsis; aliàs non videtur posse explicari, quomodo posterii possint dici in Adamo peccasse, & eis justè imputari ad culpam, & poenam, factum Adami: hæc autem constitutio capitis moralis aliter fieri non potuit, nisi per prædictam alligationem voluntatum nostrarum, ut expendenti patebit.

277. Equidem Ulloa de incarnat. disput. 1. c. 9. n. 164. tres assertit disparitates, inter peccatum Adami, & aliorum parentum; ex quibus vult monstrare, quod quidem peccatum Adami transierit in ejus posteros, non verò peccatum aliorum parentum transierit in eorum filios. Sed nulla videtur sufficiens, imò nec omnes simul, nisi insuper dicatur, quod voluntates posterorum fuerint alligatæ Adamo, non verò voluntates filiorum aliis parentibus.

fuerint alligatæ Adamo, non verò voluntates filiorum aliis parentibus.

278. Ait Ulloa. loco modò citato 1. peccatum Adami fuisse omnium primum, 2. fuisse paratum à parente totius generis, & 3. fuisse ex majore malitia; quia absque passione, & mentis cæcitate, paratum. Sed secundum, & tertium tantum probat, quod peccatum aliorum non toti generi humano, nec ad tam magnam culpam fuisset imputabile: non verò probat, quod peccatum aliorum parentum non fuisset imputabile descendentibus ab ipsis, saltem ad minorem culpam. primum autem dat disparitatem, per se tantum materiale; potuisset enim DEUS absolute facere, ut non contraheremus primum peccatum, sed secundum Adami: sicut non contraximus peccatum Evæ, quæ adhuc ante Adamum peccavit.

279. Confirmatur. Hæc alligatio respectu DEI fuit æquissima; nam mundanus magistratus utique non habet majorem potestatem in actiones civiles subditorum, quam habeat DEUS, absolutissimus Dominus, in omnes actiones morales hominum: atqui ille potest alligare voluntatem pupilli vel filii, voluntati tutoris, aut patris, quoad actus civiles, & civilem eorum valorem: ergo DEUS potuit alligare voluntates posterorum voluntati Adami, quoad actiones morales, & moralem eorum valorem.

280. Secundò hæc alligatio (præscindendo ab eventu, præcedentè à nobis non suspicabili, & excipiendo Christum, ejusque Matrem) erat nobis valde optabilis; ingens enim erat, & probabilissima spes, Adamum excimià sapientiæ, charitatis, aliisque donis præditum, DEI, sui, suorumque amanissimum, ac communis etiam felicitatis studiosum, nulla prava inclinatione detortum &c. DEO in re tantilla obtemperaturum, ac posteris justitiam originalem promeriturum. Contra, si DEUS cuique nostrum eam conditionem proposuisset, præsertim, si tantis gratis, quantis Adamus, præventi non fuisset, imminerebatur periculum, ne inobedientes fieremus, & justitiā excideremus: ergo etiam tacitus, aut interpretativus consensus posterorum, merito præsumi potuit.

281. Ex his collige. 1. Adæ peccatum, moraliter, non physicè, in posteros propagari; nam posita hæc alligatio, itémque Adami peccato, & existentia, seu infusione animæ in corpus, ac negatione condonationis, ac satisfactiois, jam verum est, infantem & in Adamo peccasse, & originale peccatum contraxisse, adeoque dignum esse privatione gratiæ, odio DEI, ac aliis poenis. Hinc, ut rectè Ulloa de incarnat. disput. 1. c. 9. n. 166. ait, peccatum originale respectu posterorum est actuale in instanti conceptionis, seu infusione animæ; tunc enim actualiter contrahitur: sequenti verò instanti est jam habituale.

282. Quare explosa dudum jam est quorundam sententia, volentium, peccatum Adami, virtute instrumentalitatis virilis seminis, transfundi in descendentes; nam vel ista virtus esset naturalis, vel supernaturalis: non potest dici primum; aliàs etiam in statu puræ naturæ propagatum fuisset peccatum: insuper deberet qualitas, vel virtus materialis, naturaliter agere in voluntatem, & animam spiritualem, quod fieri nequit: ulterius de-

beret defecto aliquid physicum produci in anima geniti infantis, quod est omnino superfluum; cum sine omni ente physico possit peccatum originale explicari. Neque secundum dici potest; nam entium supernaturaliter productorum principalis auctor est DEUS, qui tantum non potest esse auctor peccati. Confirmatur. Si Adamus non peccasset, non physicè per semen transfusa fuisset justitia originalis; hoc enim profus gratis fingeretur: ergo neque tunc ea ratione transfunditur injustitia.

283. Collige secundò, longè magis à veritate recedere errores hæreticorum. Mathias Flaccus Illyricus ex Centuriatoribus Magdeburgensibus l. de essentia imaginis DEI, & diaboli apud Bellarm. tom. 4. contr. 2. l. 5. c. 2. ait, peccatum originale esse substantiam, hoc est, substantialem diaboli imaginem, in quam animam rationalis per peccatum originale fit transformata: sicut nempe transformatur homo, juxta multos philosophos, quando, recedente anima, succedit forma cadaverica. Sed contra est: vel debet dici, quod DEUS hujus substantiæ non sit auctor; cum tamen omnes Patres dicant, non dari substantiam, cujus auctor DEUS non sit: vel debet dici, quod DEUS sit auctor peccati, quod est summè blasphemum. Deum animam rationalis est immortalis, & indivisibilis: ergo neque partialiter potest corrumpi, ut ei succedat etiam tantum pars alterius substantiæ. Adde, quod juxta hunc hæreticum Christus non assumpserit animam, qualem nos (quod est contra Concilia, & Patres) non enim Christus assumpsit peccatum originale. Item Adamus post peccatum acquisivisset aliam imaginem, vel animam, nec fuisset prior homo.

Lutherus, & Calvinus cum aëclis docent, concupiscentiam esse peccatum originale (vide Bellarminum tom. 4. contr. 2. l. 5. c. 5.) Sed contra 1. Concupiscentia non est peccatum; nam S. Jacobus c. 1. v. 15. suæ epistolæ distinguit clarè peccatum, & concupiscentiam; ait enim: Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum. Rufus ad Rom. 8. v. 1. Nihil ergo nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo JESU: hoc est, in baptizatis: atqui in his est concupiscentia: ergo hæc non est peccatum; cum enim peccatum sit damnabile, etiam concupiscentia esset damnabilis, adeoque aliquid damnationis esset in baptizatis. Nec dicant, manere in baptizatis peccatum, sed sine reatu damnationis; nam, quidquid sit de absoluta potentia DEI, saltem in hac providentia reatus damnationis, & peccatum non separantur. Accedunt infiniti textus SS. Patrum, ex quibus solum Augustinum refero l. 6. contra Julianum. c. 16. Tu autem, qui putas, quod, si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multum erras; omni enim peccato caret, non omni malo. Plura suppeditabunt Theologi Polemici. Videri etiam potest Bellarm. tom. 4. contr. 2. l. 5. c. 7. & seqq.

284. Dico jam 2. Omnes posteri Adami, ex eo naturali via geniti (excepta B. Virgine, de qua paulò post) contrahunt peccatum originale. Conclusio est contra Pelagium hæreticum, qui ab initio docuit, neque peccatum, neque mortem ex Adamo trahi, sed homines præcise naturaliter mori: quem errorem postea secuti sunt

sunt Anabaptistæ. Post aliquod tempus Pelagius factus est, mortem quidem, sed non peccatum ab Adamo deduci: quam falsitatem amplexus est Zvinglius, & Joannes Faber. Tandem admisit Pelagius, Adamum peccando posteris nocuisse: at hoc postea discipulis explicavit in hoc sensu, scilicet Adamum nocuisse exemplo malo, quod posteri imitentur.

Probatur veritas Catholica primò illo textu Pauli ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccaverunt.* Nec dicas 1. cum Zvinglio l. de baptismo. intrasse peccatum in mundum per Adamum; quia Adami peccatum fuit primum. Contra enim est Adami peccatum non fuit primum in mundo; prius enim fuit peccatum Luciferi, atque etiam Evæ. Dein dicitur peccatum intrasse, ut mors: non autem mors Adami fuit prima; cum saltem Abel prius occisus sit. Nec dicas 2. per peccatum intelligi, non peccatum strictè, sed tropicè effectus peccati, ærumnas, concupiscentiam &c. Apostolus enim distinguit peccatum ab effectu primario, seu à morte: ergo intelligitur peccatum re ipsa tale, & non effectus; aliàs, si per peccatum intelligeretur etiam mors, verba, in quo omnes peccaverunt, significarent, in quo omnes perimuntur: quod, quam toitum sit, nemo non videt.

Nec dicas 3. peccatum intrasse imitatione Adami; nam contra. Hac ratione peccassent homines; quia imitati essent Adamum: a qui imitari alium significat, actionem exercere ad ejus imitationem: hoc autem parvuli ante usum rationis non potuerunt facere: ergo hi non peccassent, adeoque non omnes. 2. Ethnici originaliter peccant, quamvis nihil sciant de Adamo: quomodo ergo ad ejus imitationem peccabunt? 3. Non peccant posteri commotione ex arbore scientiæ: sed peccatis e. g. luxurie, homicidii &c. quæ tantum habent generalissimam quandam similitudinem cum peccato Adami, quæ non sufficit, ut dicantur homines peccasse imitatione Adami: sic non dicitur blasphemus peccare ad imitationem luxuriosi. Multò minùs ea generalissima similitudo peccatorum posterorum cum peccato Adami sufficit, ut illi dicantur, ab isto traxisse originale; nam ad hoc neque sufficit similitudo enam, aut imitatio propinquior; aliàs, cum peccemus etiam ad similitudinem majorum nostrorum, ab his etiam traheremur peccata. Nec dicas 4. illud, in quo, non intelligendum, in quo Adamo, sed in quo peccato; falsitas enim hujus replicæ patet: ex græco textu, in quo ἀναγρη (quod significat peccatum) est feminini generis, adeoque non ad ipsum spectat articulus masculinus. Dein textum hunc nobiscum de Adamo explicat antiquissimum Concilium Millevitanum c. 2. jam ab Innocentio I. approbatum.

285. Probatur eadem Catholica veritas ex pluribus aliis S. Scripturæ locis. Sic Job. 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? vel, ut habet versio septuaginta interpretum. Nemo mundus à sordè, nec infans, cujus est unius diei vita super terram. Psal. 50. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in pec-*

catis concepit me mater mea. Ad Rom. 3. v. 24. Omnes peccaverunt, & egent gloriâ DEI. Ad Ephes. 2. v. 3. Eramus naturâ filii iræ. Eandem veritatem definierunt plura Concilia: Millevitanum, canon. 2. & Carthaginense in Africa, Toletanum VI. in Hispania, Arausicanum II. in Gallia, Moguntinum in Germania, Florentinum in Italia: & ultimò Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali. Accedit antiquissimus ab usque Apostolis usus baptizandi infantes, si periculum mortis instaret, cujus rationem dat Siricius Papa (qui jam sedit anno Christi 385. epist. 1. ad Himerium Tarraconensem. n. 2. apud Binium. tom. 1. Concil. fol. 530. ne sine baptismo exeuntes de hoc sæculo, regnum perdant. & vitam. Acceduntinnumera Patrum testimonia, quæ, & alia vide apud controversistas maximè Bellarm. tom. 4. contr. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati, præsertim l. 4. c. 5. & c. 14.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

286. **O**B. 1. contra 1. conclus. Si quid de facto nasceretur independentè ab Adamo, non eo ipsa nasceretur sanctus: ergo, etiamsi descendat ab Adamo, non nascitur injustus: ergo descensus ab Adamo nihil facit ad peccatum originale. Confir. Adami peccatum fuit unum, & originale ex Tridentino est multiplex: ergo sunt distincta. Resp. Supposito, quòd DEUS vellet hominem illum relinquere in statu puræ naturæ, aut ex nullo pacto, vel decreto, ei gratiam conferre, ut posset in alia providentia, conc. antec. & neg. consequ. In hac providentia nullus purus homo nascitur, nisi dependentè ab Adamo, quamvis DEUS utique posset independentè ab Adamo hominem vel creare, vel aliter producere: at tunc deberet determinare, an in statu puræ naturæ, an in statu gratiæ vellet ipsum producere: item an vellet eum alterius voluntati alligare, an non: supposito autem pacto cum Adamo, in hac providentia nascitur viâ ordinariâ homo injustus. Nec est paritas ab alio statu ad hunc diversum: sicut nulla est argumentatio: si murus non haberet nigredinem, non eo ipso esset albus; posset enim esse ruber; ergo, si habet nigredinem, non eo ipso est niger, sive non albus. Ad confir. dist. 1. p. ant. est unum, physicè factum ab Adamo. conc. antec. est unum, ut moraliter factum à pluribus posteris. neg. antec. & consequ. vide num. 265.

287. **O**B. 2. Per justitiam Christi non reddimur formaliter justus: ergo neque per injustitiam Adami reddimur formaliter injusti: ergo peccatum nostrum distinguitur à peccato Adami. ant. est clarum ex Tridentino sess. 6. c. 7. conf. prob. S. Paulus ad Rom. 5. facit comparationem inter Christum, & Adamum, ac ait, quòd, sicut per hunc mortui sumus, ita per illum sumus vivificati: ergo, quod suo modo facit in nobis justitia Christi, idem modo suo facit injustitia Adami. Resp. neg. conf. ad prob. iterum. neg. consequ. Comparatio S. Pauli non est omnimoda, sed tantum quoad aliqua, nempe, quòd, sicut

sicut unus inobediens fuit ratio, cur multi redditi sint peccatores, ita unus obedientia sit ratio, cur multi sint redditi justus: non verò, quòd modi isti, reddendi justos, & injustos, in omnibus convenient.

Ubi addendum, voluntates nostras non fuisse ita alligatas voluntati Christi, sicut fuerunt alligatæ voluntati Adami: & hinc per opera Christi non meremur: nec voluit ipse sua merita hominibus applicari, nisi adultis, se disponentibus, & bona physicè recipientibus: parvulis verò non nisi recipientibus Sacramenta. Si quæras, an in alia providentia, in qua voluntates nostræ essent alligatæ Christo, ut in hac providentia fuerunt alligatæ Adamo, mereremur per actiones meritorias Christi. Resp. quòd ita. Si petas, an illud meritum esset infinitum. Resp. Realiter in se esset infinitum; quia omne meritum Christi est infinitum: at verò formaliter, quatenus consideraretur ut actio moraliter nostra, sub hoc, inquam, respectu non esset infinitum; quia meriti finitudo, vel infinitudo, desumitur ex dignitate elicentis meritum, quæ in nobis est finita. Sic etiam demeritum Adami respectu ipsius fuit majus, quàm respectu nostri.

288. **O**B. 3. Non potest respublica prohibitu suorum subditorum voluntates invicem alligare: ergo neque DEUS voluntates hominum. Confir. Non potest defacto DEUS alligare voluntatem Petri jam existentis, & ratione utentis, voluntati Pauli, ita, ut quando hic peccat, etiam aliter peccet, & damnetur: ergo nec potuit alligare voluntates nostras Adamo, antec. probatur. in eo casu posset Petrus per actum charitatis physicè à se elicito mereri cœlum, & per peccatum Pauli mereri moraliter infernum, quod est absurdum. Resp. dist. antec. non potest hoc respublica quoad actiones morales, hoc est, imputabiles ad meritum, vel demeritum. conc. antec. quoad actiones politicas, subdist. si talis alligatio non sit conveniens, nec per se, præscindendo ab eventu, optabilis. conc. antec. secus. neg. antec. & consequ.

Quæ consequentia aliunde etiam nulla est; cum utique DEUS habeat longè majus dominium in creaturas, quàm magistratus in suos subditos; magistratui enim DEUS non concessit potestatem, nisi necessariam ad gubernationem subditorum, in bonum ipsorum, ad quam non requiritur potestas alligandi voluntates in ordine ad quasvis actiones. Ad confir. om. antec. ob ipsam rationem additam, quæ nullo modo militat in nostro casu: posset autem fortè DEUS illud ipsum inconveniens impedire, & saltem in eo casu, in quo alligatio voluntatis, unus jam existentis, & ratione utentis, ad voluntatem alterius, esset ita conveniens, ut fuit in casu Adami, & posterorum, posset illorum voluntates colligare: sicut respublica alligat voluntatem pupilli voluntati tutoris, adeo, ut ille civiliter agat, lucretur, vel perdat etiam dormiens, potest ejus nomine agit tutor.

289. Dices. Hæc ipsa alligatio non fuit nobis optabilis; facta est enim dependentè à scientia media de futura transgressione Adami: ergo non potuit fieri. Confir. Hæc alligatio fuit causa peccati: & DEUS causa alligationis:

ergo DEUS fuit causa causæ, adeoque etiam causa causati, scilicet peccati. Hoc argumentum manifestè probat nimium; probat enim, nihil esse per se optabile, quo nos malè usuros DEUS prævidit, adeoque nec fuisse universaliter optabilem redemptionem generis humani; quia etiam hæc multis cedit in majorem perniciem, juxta illud Simeonis Luc. 2. v. 34. *Postus est hic in rutam, & in resurrectionem multorum.* Unde reprobus DEUS nullum beneficium faceret, quando confert donum, in se etiam optimum, quo ipsi sunt abusuri.

Quare, ut res dicatur optabilis, vel non optabilis, debet ea considerari, præscindendo ab eventu, & eventum consequente scientiâ media. Hic tamen addendum, quòd DEUS, quando aliquod donum alicui homini confert, quò videt eum malè usurum, non imo illud confert; quia ipsum malè usurum prævidet: sed sit paratus ad idem dandum, si prævideret, eum bene usurum. In forma. neg. antec. quia tamen alligatio fuit optabilis præscindendo ab eventu. Ad confir. neg. consequ. Hæc alligatio non determinatè post se traxit peccatum, sed tantum constituit actum primum indifferentem, sicut gladius non trahit post se homicidium, sed est indifferens. vide num. 82.

290. **O**B. 4. Melius diceretur, peccatum originale stare in privatione gratiæ, vel justitiæ originalis, per Adami peccatum inducta: ergo, prob. antec. Tridentinum sess. 5. can. 3. docet, peccatum hoc cuique parvulo proprium inesse; atqui nihil inest proprium parvulis, nisi hæc privatio: ergo. Confir. 1. Gratia formaliter expellit omne peccatum originale; ergo hoc stat in negatione, & privatione gratiæ. Confir. 2. S. Anselmus l. de conceptione virginis c. 26. sic habet: *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, falsam per inobedientiam Adæ, justitiæ debitæ multitudinem, per quam omnes filii sunt iræ;* ergo stat in privatione. Confir. 3. S. Thomas 1. 2. q. 82. a. 3. in corp. ait: *Privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur DEO, est formale in peccato originali.* & post pauca: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia:* ergo peccatum originale præcipue stat in privatione gratiæ.

Antequam respondeam, optis est paucis explicare, quid sit justitia originalis: est autem hæc, non sola gratia sanctificans; nam hæc datur etiam in statu naturæ lapsæ, in qua non datur justitia originalis: & quamvis gratiam hanc etiam habuerint protoparentes, ut est certum apud omnes Catholicos, tamen non habuere in hac sola justitiam originalem. Stat ergo hæc etiam in tali appetitûs sensu, & omnium aliarum potentiarum subjectione ad voluntatem, ut sine hujus imperio, vel rationali motu, nullus pravus motus insurgere possit. Hæc subjectio juxta quosdam est habitus dicto modo potentias voluntati subordinans, & actiones voluntatem præventuras impediens: juxta Vasquez autem, & Oviedo in 1. 2. tr. 6. contr. 9. punct. 7. consistit in externa DEI protectione singulari, impediens omnes similes motus. Hanc subjectionem non habemus defacto, etiam post receptionem gratiæ. Vult ergo obiectio, mater-

nam originalis peccati consistere in privatione gratiæ, tum hujus subjectionis potentiam ad voluntatem.

291. Resp. jam. neg. antec. nam, ut diximus num. 238. peccatum habituale in genere non stat in negatione gratiæ: ergo neque in ea stat hoc peccatum habituale in specie, seu originale; quia revera etiam est aliquid peccatum habituale, sive peccatum ab Adamo physicè, à posteris autem moraliter factum, & nunc habitualiter perseverans: imò verosimiliter potuisset peccatum originale etiam dari in statu puræ naturæ, in quo tamen non fuisset data privatio gratiæ. Negant quidem hoc aliqui adversarii; sed gratis. Alii fingunt, tunc dandam privationem alicujus perfectionis naturalis: sed & hoc gratis asseritur. Accedit ratio ab Oviedo in 1. 2. tr. 6. *controv. 9. par. 8. num. 62.* adducta. Ideo privatio gratiæ in posteris estet culpa; quia isti debuerunt habere gratiam: atqui non debuerunt eam habere à se, vel ipsi eam ponere, sed tantum debuerunt ponere aliquid aliud, quo posito, DEUS dein conferret gratiam; ergo obligatio posterorum non erat immediatè ad gratiam, sed immediatè ad aliquid aliud ponendum: ergo ratio peccati stat immediatè in transgressione hujus obligationis, seu non positione rei præceptæ, vel positione rei prohibitæ: quæ transgressio intelligitur jam ante privationem gratiæ, & ista potius habet rationem pœnæ.

292. Ad prob. ant. dist. ma. Tridentinum docet, peccatum originale quæ inesse physicè, neg. ma. moraliter, conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Etiam privatio non inest physicè; quia nihil est: ergo sufficit, inesse moraliter, qualiter etiam inest peccatum quodlibet aliud habituale, atque etiam originale, ut dictum num. 268. Ad id autem, quod Tridentinum dicit, peccatum originale esse cuique proprium. Resp. esse cuique proprium ideo; quia, quod peccatum hoc sit moraliter factum ab uno, est quid distinctum ab eo, quod sit moraliter factum ab alio; quippe est alia voluntas moraliter peccans in Paulo, alia in Petro. Sicut, quando duorum pupillorum, Petri, & Pauli nomine, agit unus, tutor, alia est moraliter actio Petri, alia Pauli.

Ad 1. confirm. neg. conseq. Calor etiam formaliter expellit frigus, nec tamen istud stat in privatione frigoris; nam expellere formaliter, nihil aliud significat hic, quam expellere tantquam formam alteri expulso oppositam; potest autem forma opponi, vel contradictoriè, sicut opponitur lux negationi: & sic calor expellit suam negationem: potest etiam opponi contrariè, & sic calor opponitur suo contrario, scilicet frigori, atque etiam expellit frigus tantquam suum contrarium. Jam gratia quidem tantquam forma expellit, saltem physicè, peccatum, attamen huic non contradictoriè, sed contrariè opponitur: atque adeo peccatum non stat in negatione, seu privatione gratiæ. Idem debent dicere adversarii de peccato actuali, quod etiam expellitur per gratiam, quoniam stat in privatione gratiæ. Sed de hoc plura, in tract. de grat. sanctific. à num. 282. quando agemus de eo, an gratia stare possit cum peccato. vide interim dicta num. 264. ubi hæc res aliquantò magis explicata est.

Ad 2. confirm. neg. conf. S. Anselmus explicandus est, sicut paulò post S. Thomas explicabimus, de peccato metonymicè tali, seu effectu peccati: idque eo etiam ex capite, quod S. Anselmus statim addat: *Quoniam & naturam accipiat spontanea, quam fecit in Adam, justitia defertio; hæc enim justitiæ desertio non est privatio gratiæ; quia hæc natura non fecit, verum potius eam passa est: sed est ipsa actio peccaminosa Adami, per quam natura humana justitiam, seu observantiam præcepti Divini, in Adamo deseruit.* Hæc itaque, tanquam vera culpa, accusat (prout scilicet peccatum dicitur accusare) naturam, ut ei detrahatur justitia originalis, & fiat nuditas gratiæ: atque adeo ista nuditas est effectus, seu pœna illius, nempe actionis naturam accusantis, seu ream facientis: in qua accusante stat etiam juxta S. Anselmum formaliter ratio culpæ, in altero autem ratio pœnæ: quæ tamen pœna potest metonymicè, ut dictum, vocari etiam peccatum.

Ad 3. confirm. dist. antec. & S. Doctor loquitur ibi de peccato formaliter tali, neg. ant. de peccato tantum per metonymiam accepto, conc. antec. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. Angelicus ibi loquitur de peccato per metonymiam, qua sumitur effectus pro causa, & ibi sumit effectum peccati originalis pro ipso peccato; nam dicit ibi, concupiscentiam esse reatum originalis peccati, item esse materiale peccati: quæ tamen in rigore non ita se habent; nam materiale peccati est pars peccati: atqui juxta communem concupiscentiam non est pars peccati originalis strictè dicti, sed ad summum peccati latè accepti; unde optimè dicitur, S. Doctorem plus non velle, quam, privationem gratiæ, uti & concupiscentiam, esse peccatum originale per metonymiam, seu esse effectus illius.

293. Ob. 5. contra dicta num. 283. ex Illyrico. *Ad Rom. 6. v. 12.* dicitur: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore:* sed nihil potest regnare, nisi sit substantia: ergo peccatum est substantia. Confirm. 1. Imago DEI est substantialis: ergo etiam imago diaboli, quæ est peccatum. Confirm. 2. *Ad Ephes. 2. v. 3.* dicitur, quod simus *natura sicuti iræ:* ergo natura nostræ, seu substantia est peccatum. Resp. hæc esse levia. dist. mi. nihil potest regnare physicè, & strictè. conc. mi. nihil moraliter, & metaphoricè, neg. mi. & conseq. Textus hic, & similes, quos adducit Illyricus, juxta omnes debent metaphoricè accipi, & significant, concupiscentiam debere supprimi, ac subjugari. Ad 1. confirm. neg. conseq. Imago est triplicis generis, vel ratione substantiæ, seu naturæ, vel ratione habitus, vel ratione actus. Primi generis imago DEI est homo ratione animæ: quæ imago per peccatum non fuit destructa, sed deformata. Secundi, & tertii generis imago DEI est homo ratione habitus gratiæ, & operationum supernaturalium, tanquam ornamentorum accidentalium: & hæc imago fuit per peccatum destructa; atque introducta imago peccati, non substantialis, diaboli. Alii dicunt, non imaginem, sed similitudinem DEI, in homine per peccatum destrui. Ad 2. confirm. Etiam aqua dicitur naturam frigidam, quin frigus sit substantia: scilicet naturale duplex

plex est, unum accidentaliter tale, alterum substantialiter: & sic tantum accidentaliter sumus naturam filii iræ: quod tamen non ita intelligendum est, quasi, sicut aqua exigit accidentale frigus, ita natura hominis exigit peccatum; sed tantum, quod per Adami peccatum, accidentaliter factum, naturæ nostræ ita originale peccatum sit conjunctum, ut non ejascatur ullus homo (exceptis semper Christo, ejusque sanctissima Matre) non infectus peccato. In forma. conc. ant. neg. conseq.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones reliquæ.

294. Ob. 6. contra 2. conclus. Ezechiel, 18. v. 20. dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris:* ergo nec infantes iniquitatem Adami. Confirm. 1. *Ad Rom. 5. v. 19.* dicitur: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:* ergo non omnes. Confirm. 2. Rursus *ibidem v. 15.* dicitur, gratiam Christi in plures abundasse: ergo non omnes homines peccaverunt; alias non potuisset gratia in plures abundasse; quia tantum abundavit in homines. Resp. neg. conseq. Textus Ezechielis loquitur de peccato aliorum proximorum parentum, quorum voluntati voluntates filiorum non sunt alligatæ: ad omnium voluntates fuerunt alligatæ Adamo. Ad 1. confirm. neg. conseq. Etiam omnes sunt multi: dein *ibidem* dicitur: *v. 12.* *In quo omnes peccaverunt:* ergo per multos intelliguntur omnes. Ad 2. confirm. locò illius *plures*, in græco habetur *multos*. & id etiam hic significat; unde non fit hic comparatio cum prioribus multis, sed tantum dicitur plures, ut intelligatur, non esse restrictam gratiam ad unum, sed esse extensam ad multos, ut græcus textus habet.

295. Ob. 7. S. Paulus *ad Rom. 5. v. 12.* ait: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit:* ergo non per generationem; alias intrasset per duos. Confir. 1. Idem Apostolus *2. Cor. 5. v. 10.* dicit: *Ommes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum:* atqui infantes nihil gesserunt: ergo nihil debent recipere. Confir. 2. Iterum S. Paulus *ad Rom. 7. v. 8.* dicit *Sine lege enim peccatum mortuum erat: ego autem vivebam sine lege aliquando:* ergo ipse non peccavit. Confirm. 3. ex eodem *ad Rom. 5. v. 14.* *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ:* ergo, aliqui in Adamo non peccaverunt.

Resp. neg. conf. Generatio quidem per se non est causa peccati, sed Adam generans, & hic solus; nam, si Eva tantum peccasset, ejus peccatum in nos transfusum non fuisset, ut expressè docet S. Thomas *1. 2. q. 81. a. 5. in corp.* quia, ut arguit S. Doctor, per unum hominem, non per duos intravit peccatum. Sicut nec transfusum fuisset peccatum alterius hominis, Adamo posterioris; quia Adami solius voluntati alligatæ erant voluntates nostræ. Addit Comptonus, quod, si Adam non esu pomi, sed alio pec-

cato peccasset, nos non contracturi fuissetis originale peccatum; eoque pactum illi commitioni alligatum fuerit. Si tamen post alia peccata comedisset, tunc ij, qui postea essent nati, peccatum hoc contraxissent.

296. Ad 1. confir. dist. min. infantes nihil gesserunt physicè, & voluntate physicè sua, conc. min. nihil moraliter, aut voluntate moraliter sua. neg. min. & conseq. S. August. *ep. 107. ad Vitalem.* & quidem inter duodecim sententias (quas, si Pelagiani admittant, nullum certamen amplius de hac re futurum, ait) sententiâ octavâ, sic scribit: *Scimus etiam, parvulos secundum ea, quæ per corpus gesserunt, recepturos, vel bonum, vel malum: gesserunt autem non per seipsos, sed per eos, quibus pro illis respondentibus, & renunciare diabolo dicuntur, & credere in DEUM . . . unde & ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea, quæ per corpus gesserunt, id est, tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda, & ora gestantium, crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati sunt, . . . judicantur.* si autem, ut ait S. Doctor, parvuli post sunt dici, agere, vel gerere aliquid, per voluntatem, vel actionem gestantium, quantum magis per voluntatem Adami, cui utique eorum voluntates magis alligatæ fuerunt.

Alii dicunt, S. Paulum ibi tantum loqui de adultis; hinc quæstio est inter doctores, an infantes, ante baptismum mortui, sint comparitari in extremo judicio. Negant Durandus, & Cartusianus, quorum sententiam probabilem ait Suarez in 1. 2. tr. 5. *disp. 9. sec. 6. n. 4.* at idem Suarez, & Vasquez, putant, eos esse comparituros, & staturos quidem ex parte sinistra; sed sententiâ illâ: *Matth. 25. v. 41.* *Discedite à me maledicti in ignem æternum, eos non esse tangendos; cum tam bona, quam mala sententia, tantum feratur contra adultos.* Certè S. Thomas in 4. *dist. 47. q. 1. a. 3. quæstioncula 1. ad 3.* ait: *Pueri ante perfectam ætatem decedentes in judicio comparabunt, non autem, ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis:* ergo etiam possunt adesse mortui ante baptismum, quin judicentur.

297. Ad Confirm. 2. Resp. cum Bellarm. tom. 4. *controv. 2. l. 4. c. 8.* sine lege fuisse peccatum mortuum, hoc est, non fuisse imputatum; vel reparatum, sive non habitum pro peccato ab hominibus, quamvis imputaretur à DEO: & sic videtur se explicare Apostolus *ad Rom. 5. v. 13.* ubi ait: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur; cum lex non esset.* Cornelius in hunc locum *ad Rom. 5. v. 13.* ait, non reputatum fuisse peccatum, vel valde modicè æstimatum: unde per peccatum mortuum potest intelligi, quasi non curatum. Quomodo autem Apostolus dicat, se fuisse sine lege, iterum variè explicatur. Alii id explicant de tempore ante usum rationis, alii de adolescentiâ, quo vixerit exlex, & quasi sine lege: sed hæc nihil contra nos. Alii aliter exponunt: videatur Cornelius in hunc locum. In forma neg. conseq. quia, etsi fors Apostolus non curaverit peccatum, vel alii in ipso, aut in quocunque tandem sensu, ex his allatis, fuerit sine lege, tamen contraxit peccatum originale, in animæ suæ infusione in corpus: & postea etiam actualiter peccavit, ut ipse dolens non semel fateatur. Ad

Ad 3. confirm. Apostolus non ait, eos omnino non, seu neque etiam originaliter peccasse, sed tantum ait, non peccasse in similitudinem, hoc est modo simili, quo Adam, sive, ut explicant auctores, non peccasse actualiter, & contra legem clarè cognitam, ut peccavit Adam: & hac ratione non peccarunt infantes ante usum rationis.

298. Ob. 8. SS. PP. Clemens Alexandrinus l. 3. Strom. sub finem. Chrysostr. homil. 10. in ep. ad Rom. & alii negant peccatum originale parvulorum: ergo non datur. Resp. neg. antec. nam primus tantum sic quærit: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Ade cecidit execrationem, qui nihil est operatus: & est incertum, an ex sua mente loquatur, an ex mente hæretici obijcientis, qui supponens, peccatum originale dari in infantibus, partim ex hoc supposito, partim ex eo, quod isti actualiter peccare non possent, inferabat, nuptias esse malas: adeoque & per hæc verba tantum negabat actuale peccatum in infantibus, atque ex hoc, quod non videret, qua alia ratione possent isti in execrationem Adæ incidere, nisi per generationem, inferabat, quamvis malè, malam esse generationem: quod non esset contra hanc conclusionem. Quod autem generatio propterea mala non sit, nec illicita nuptiarum, ostenditur à n. 300.*

S. Chrysostr. si attentè legatur, tantum negat peccatum actuale in parvulis, non originale; nam ibidem sic habet: *Quid igitur hoc loco verbum hoc: Peccatores? significat? Mihi videtur tantundem significare, quantum illud: supplicio obnoxii, ac mortis rei: ergo agnoscit in parvulis, quos peccatores dici fatetur, aliquam culpam; quia sine hac nemo supplicio obnoxius, aut reus est. Aliis autem locis citatis à Bellarmino tom. 4. contr. 2. l. 4. c. 9. admittit idem S. Pater clarè, parvulos peccasse: sic homil. ad neophytos ait: *Venit semel Christus: invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam: ille inivum induxit debitt: nos scænus aoximus posterioribus peccatis: ubi per chirographum clarè intelligitur debitum, per peccatum respectu DEI contractum, quod cum dicatur nostrum, & tamen ab Adam scriptum, clarè innuitur, per Adami peccatum etiam nos reos, seu culpabiles factos: & defendit jam olim S. Chrysostr. S. Augustinus. l. 1. adversus Julianum c. 6. negans, eum à cœpiscopis, & summo Pontifice recessisse: ubi etiam textum, modò ex S. Chrysostr. allatum, adducit præter complures alios, videatur Bellarm. loc. cit. Alii PP. autem, qui etiam ab hæreticis quandoque obijciuntur, vel loquuntur de peccatis actualibus, vel malè citantur, aut ipsis aliorum scripta apocrypha, vel omnino perverfa, adscribuntur &c.**

299. Ob. 9. Christi justitia non prodest non credentibus: ergo nec obest injustitia Adami nil mali facientibus. Confirm. Vel peccavimus, quando Adam peccavit, vel quando cœpimus existere: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. non potest dici primum; quia tunc omnino nondum exitebamus, consequenter nec liberi eramus; cum tamen libertas sit peccato essentialis. Neque potest dici posterius; quia tunc Adæ peccatum jam præterit, & etiam nos non

statim habuimus libertatem pro primo instanti vitæ: ergo. Resp. neg. antec. Certè parvuli non credunt: & tamen ipsis vel maximè prodest justitia, vel meritum Christi, si eis per baptismum applicetur. Si dicas, parvulos credere per aliorum fidem, repono, eos etiam peccare per alienam voluntatem. Sed om. etiam antec. potest negari consequentia; quia est in potestate DEI, tale, vel tale pactum, sub his, vel illis conditionibus inire.

Ad confirm. Resp. neg. mi. ad prob. neg. primum membrum; ad peccandum enim originaliter non requirebatur actualis existentia, aut actualis libertas: sed sufficiebat, ut nostræ voluntates essent alligatæ voluntati Adami, & sic peccatum nobis esset liberum, & voluntarium, non physicè, sed moraliter, scilicet in voluntate Adami moraliter nostra: sicut voluntas tutoris est moraliter voluntas pupilli. Unde, qui in voluntate Adami inclusi fuimus, vel ei alligati, tunc cum ipso moraliter peccavimus. Attamen, ut est communis doctorum, tunc necdum maculam actualiter contraximus; sed primum postea, quando in rerum natura exstitimus, seu anima rationalis corpori infusa fuit. Hinc Authores, qui in Beatissima Virgine admittunt debitum proximum contrahendi peccatum originale, dicunt, eam quidem in Adamo peccasse, sed in primo instanti, infusâ gratiâ præventam, à macula actualiter contrahenda præservatam fuisse: nos autem debitum proximum in immaculatissima Virgine negabimus, & solum remotum admitemus.

300. Ob. 10. Si generatio naturalis est conditio, inferens peccatum originale, tunc nuptiarum sunt illicitæ: sed hoc est falsum: ergo. Confirm. 1. sequeretur ex nostra sententia, quod DEUS, creans de novo animas, peccato infectas, crearet: hoc dicere est blasphemum: ergo. Confirm. 2. Non peccat generans, nec generatus, nec DEUS: ergo nulla datur rima, ut ait Julianus, per quam ingrediatur peccatum. Resp. dist. ma. Si generatio est conditio per se inferens peccatum. conc. ma. si tantum per accidens. neg. ma. & conc. mi. neg. consequ. Facere aliquid, ex quo per se sequitur alterius peccatum, est malum; at non est malum, facere aliquid, ex quo tantum per accidens sequitur malum, quando quis utitur jure suo ad actionem, sicut facit generans, utens jure conjugii. Non autem per se sequitur ex generatione peccatum; quia etiam generatio fuisset in statu justitiæ originalis, ut rectè docet S. August. l. 14. de civit. DEI. c. 2. 4. & 26. Gignitur itaque à parentibus natura corrupta, sed causa corruptionis pertinet ad primum hominem: parentes autem immediate tantum permittunt illam corruptionem, seu peccatum originale.

301. Ad 1. confirm. neg. ma. Etiam creatio animæ est tantum per accidens conjuncta cum peccato, & DEUS creans animas, mox inficiendas, utitur jure suo; quia, utpote gubernator universalis, debet providere bono universali, ne deficiat genus humanum. ita S. Thomas 1. 2. q. 83. a. 1. ad 5. ubi ita ait: *Dicendum, quod bonum commune præfertur bono singulari: unde DEUS, secundum suam sapientiam, non prætermittit universalem ordinem rerum, qui est, ut tali corpori talis anima infundatur, ut vitetur singularis in-*

infectio hujus anime, præsertim, cum natura anime hoc habeat, ut esse non incipiat, nisi in corpore, ut in primo habitum est. Melius est autem ei sic esse secundum naturam, quam nullo modo esse, præsertim, cum possit per gratiam damnationem evadere. Hæc S. Thomas.

Ex quo textu obiter etiam respondetur iis, qui dicunt, prolem in peccato natam non debere grates parentibus; eoquod melius ipsi fuisset non nasci; negat enim id S. Doctor hoc loco. Verum quidem est, præstare, non esse, quam DEUM offendere: suppositâ tamen offensa, optabilis est, aliquamdiu conservari peccatorem, & in eo maculam perseverare: cum spe felicitatis æternæ, & aliorum bonorum. Ad 2. confir. Resp. non peccare generantem; quia hic potest esse justus, & justè officio suo fungi: atamen, ut rectè S. Augustinus, sicut granum sine palea generat triticum cum palea: ita homo sine peccato, generat hominem cum peccato; peccat autem tunc generatus, vel potius, jam cum, & in Adamo peccavit, non personaliter, sed originaliter: nunc autem maculam actu contrahit:

302. Ob. 11. Peccatum originale non est dictum, aut factum, aut concupitum: ergo non est peccatum. Confirm. Peccatum hoc juxta nos esset vitium naturale: ergo deberet attribui DEO conditori naturæ. Resp. 1. om. antec. neg. conf. Definitio illa est peccati actualis, non originalis. Resp. 2. neg. antec. est enim physicè factum Adami, scilicet comestio prohibita, moraliter factum nostrum. Quæritur tamen adhuc inter authores salva fide, an cum aliis peccatis, actualiter à nobis commissis, conveniat peccatum originale, prout à nobis factum est, univocè, an tantum analogicè, de quo vide Tannerum tom. 2. disp. 4. q. 7. dub. 1. n. 13. qui putat, analogicè tantum convenire, eoquod ratio voluntarii non eodem modo conveniat originali, ac actuali: alii consent oppositum.

Ad confirm. Resp. vocem naturæ plures habere significationes. Aliquando significat per se conexum cum natura rei: sic autem peccatum originale non est naturale; quia natura potuit esse sine peccato absque miraculo. Aliquando significat, non supernaturale: & sic peccatum hoc est naturale. Aliquando significat, id, cujus natura est capax: & sic Apostolus ad Ephes. 2. v. 3. ait: *Eramus naturâ filii iræ.* Hinc sub distinctione omitto antec. neg. consequ. quia, quod tantum per accidens convenit naturæ, & cujus tantum quomodocunque natura est capax, id DEO tribui non potest. Nec dicas, potius dæmoni, tanquam conditori, attribuendas animas peccato fœdatas, quam DEO; nam, cum per accidens tantum, ratione circumstantiarum, ad quas non DEUS, sed Adam physicè, & posteriori moraliter determinarunt, fœdaturæ sint, potuere à DEO produci. Nec iterum dicas, hac ratione DEUM producere animas, ut eas dæmoni subjiciat; non enim eas ullo modo producit in hunc finem, sed tantum producit illas, quæ voluntate aliena peccando, se illi subjecerunt.

303. Ob. 12. Peccatum habet sedem in anima, non in corpore: anima autem non trahitur ab Adamo per generationem, sed producit à DEO creativè: ergo non potest anima ab R.P. Ant. Mayr, Theol. Tom. 1.

Adami peccato infici; nec enim caro potest agere in animam. Resp. 2. dam partem antecedentis vifam olim S. Augustino dubiam: at nunc est certa, & Catholica doctrina, quod anima non generetur, sed creetur, de quo Bellarm. tom. 4. contr. 2. l. 4. de miss. gratiæ. c. 11. Et videtur ex S. Hieronymo epist. ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani desumi, quod ei jam tunc vifum fuerit, Ecclesiasticum dogma esse, quod DEUS animas quotidie fabricetur. Itaque concedo utramque partem antecedentis. neg. conf. feq.

Ad hoc, ut anima maculetur, sufficit, ut sit pars hominis, qui ab Adamo generatur; totus enim homo dicitur generari, etsi non omnes partes generentur, sicut totus dicitur filius Adæ; id autem, quod constituit filium Adæ, totum fuit in pacto inclusum; quia fuit contentum in lumbis, seu in semine Adami, quando is præceptum accepit, illudque violavit. Sicut etiam Levitæ, & posteri Abrahæ, dicuntur ad Hebr. 7. v. 5. fuisse de lumbis ejus, & Christus psalm. 131. v. 11. dicitur de fructu ventris David: ergo etiam anima fuit in pacto cum Adamo inclusa; imò ipsa moraliter per voluntatem Adami peccavit; nam caro strictè loquendo non potest peccare; cum non habeat voluntatem, nec ipsi, utpote inanimatæ, possit moraliter applicari voluntas Adami. Quare postea, quando anima constituit filium Adami (quod fit in primo instanti, quo unitur corpori) itatim est maculata: verbo: filius Adæ fuit maculatus peccato, cumque peccatum non sit in corpore, sed in anima, fuit maculatus in ista. Quod spectat ad illud additum, carnem non posse agere in animam, Resp. quod, etsi caro non agat in animam physicè, tamen fortè aliquo modo dici possit agere moraliter: modò illa caro fuerit inclusa in pacto cum Adamo.

ARTICULUS IV.

An B. Virgo contraxerit peccatum originale, vel saltem habuerit debitum, illud contrahendi.

304. UT ex hucusque dictis colligitur, peccatum originale non est macula aliqua physica, sed moralis; nec tantum moralis in eo sensu, quod maculatum reddat moraliter minus æstimabilem, sicut e. g. ignorantia, sed quod cum reddat verè culpabilem, & poenâ dignum. Unde etiam non est tantum poena; (nam una poena non puniatur altera, sicut tamen peccatum originale puniatur variis poenis, de quibus inferius) sed est verè culpa, non actualis, sed habitualis, atque etiam habitualis aversio à DEO: imò à S. Ignatio Martire epist. ad Trallianos vocatur antiqua impietas; nam sub medium de Christo Domino sic scribit: *Ut non sanguine suo mundaret ab antiqua impietate, & vitam nobis præstaret, incipientibus nobis jam perire pro malitia, quæ erat in nobis.* Cùmque hoc peccatum privet hominem gratia sanctificante, est majus quovis veniali, ut advertit Suarez in 1. 2. tr. 5. disp. 9. de pecc. orig. sec. 2. num. 34. quanquam veniale secundum K

quid sit gravior, respectu personæ, cui magis est voluntarium.

305. Hoc peccatum absolute contrahitur in ipsa infusione animæ in corpus, non ante; nam animæ, nondum creatæ, nondum contraxerunt peccatum originale; transfunditur enim suo modo à parentibus (ut est communis modus loquendi) ratione generationis. Quare, quando Scripturæ dicunt, omnes in Adam peccasse, e. g. ad Rom. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt*: non volunt dicere, omnes homines, adhuc in statu possibilitatis, vel futuritionis existentis, jam contraxisse peccatum: sed verborum illorum sensus tantum est, quod omnes illi fuerint inclusi in pacto DEI cum Adamo (de quo n. 271.) & quod ideo actio, quæ fuit physice Adami, fuerit moraliter omnium hominum, ex Adamo nasciturorum: adeoque isti contraxerint peccatum illud sub conditione, si scilicet essent nascituri.

Unde (quod in hac questione bene notandum) aliud est, in Adamo peccasse, aliud, peccatum illud contraxisse. Prius (ut jam diximus) est, fuisse inclusum in pacto, & actionem in, & cum Adamo moraliter fecisse: ad quod non requiritur actualis existentia, sed sufficit moralis (qualis datur etiam hominum futurorum) quia etiam actio non physice, sed tantum moraliter fit à taliter peccante. Secundum est, esse actualiter maculatum: ad quod requiritur actualis existentia. Prius, juxta communem modum loquendi Theologorum, est, habere *debitum proximum contrahendi peccatum*, seu maculam: alterum est, actualiter esse eam maculam infectum, per quam maculam infans constituitur, non quidem actualis peccator; quia infans nullam actionem tunc elicit: sed habitualis peccator, & habitualiter averfus à DEO; quatenus peccatum originale in ipso habitualiter perseverat, donec suis remediis deleatur: de qua re vide dicta. n. 281.

306. Hoc autem *debitum*, ut ex dictis colligi potest, distinguitur à Theologis duplex, *proximum*, & *remotum*. Prius, seu *proximum* dicitur, quod oritur ex inclusione in pactum cum Adamo initum; ex hoc enim proxime sequitur, quod, supposita prævaricatione Adami, debeat taliter inclusus, in instanti suæ conceptionis, vel potius animationis, aut infusionis animæ in corpus, esse maculatus macula originali, nisi eo ipso instanti DEUS ex misericordia sua, & voluntate extraordinarie benevola, infundat gratiam sanctificantem, & sic maculam illam impediatur. Alterum, seu *remotum* debitum dicitur, quod non oritur ex inclusione in pactum, sed tantum ex descensu ab Adamo, per ordinarium naturalem modum generandi ex semine virili, & utero matris; quia homo taliter genitus, etsi ex speciali privilegio non fuerit in pacto inclusus, debuisse tamen de via ordinaria includi, nisi DEUS singulari favore cum ipso dispensasset.

Recte autem vocatur hoc debitum *remotum*; quia tantum est debitum subeundi pactum, ex quo primum sequeretur debitum proximum, seu debitum contrahendi peccatum. Debitum proximum, ut diximus n. præced. affert secum, quod quis jam possit dici peccasse in Adamo: non autem hoc affert debitum tantum remotum; quia, qui in pacto inclusus non fuit, adeoque ejus voluntas voluntati Adami alligata non

fuit, hic non potest censer, moraliter unâ cum Adamo agere, consequenter actio physica hujus, non est actio moralis illius. Unde, quando auctores aliqui antiquiores admiserunt, B. Virginem in Adamo peccasse, non admiserunt tamen ullo modo, quod absolute contraxerit culpam originalem, sed ad summum conditionatè, si scilicet eam DEUS non prævenisset suâ gratiâ in primo instanti Conceptionis. Dico *Conceptionis*; quia sic omnes loquuntur: intelligunt tamen instans infusionis animæ: & sic etiam inceps hunc terminum *Conceptio* in hac significatione usurpabimus. Recentiores autem Theologi longè communius negant, in B. Virgine fuisse debitum proximum, & tantum admittunt remotum.

307. Debet tamen admitti, quod etiam B. Virgo sit aliquo modo ex meritis Christi redempta; aliâ enim ipsa non esset Christo Salvatore, ut tali, obstricta; nam ei ut tali non esset obstrictus, qui non esset redemptus. Dicere autem, quod aliquis non esset obstrictus Salvatore ut tali, esset restringere ejus dignitatem, seu estimationem, ut per se patet. Hinc Christus Dominus debet esse Redemptor, non tantum totius generis humani, sed etiam singulorum hominum, nullo proflus excepto; sic enim habet communissimus fidelium sensus, & in tanta latitudine communissimè accipiuntur textus S. Scripturæ, qui de Christo redemptore loquuntur. Ex quo tamen non sequitur, quod etiam textus, qui universaliter loquuntur de contracto Adami peccato, simili in latitudine debeant exponi; nam, ut Catholici omnes fatemur, Scriptura non est ex se clarissima, sed sæpe opus habet expositione, quæ, ut authentica sit, debet fieri ab Ecclesia, vel traditione, vel communi fidelium, aut etiam doctorum sensu: & tunc habebit vel certitudinem fidei, vel inferiorem, proportionaliter ad auctoritatem exponentis.

Jam *Redemptio* est duplex, *Præservativa*, & *Reparativa*. Hæc tunc datur, quando quis maculam, captivitatem, vel malum aliud, jam incurrit, & ab aliquo postea dato pretio liberatur. Hac ratione nos sumus redempti à Christo, postquam jam incurreramus malum, nempe maculam originalem, & captivitatem sub dæmonis potestate. *Præservativa* autem redemptio datur, quando quis prius juvatur, & liberatur à malo, ut nunquam illud incurrat, nunquam maculam contrahat, nunquam in captivitate abstrahatur. In hoc sensu loquitur Psalmista, dum ait: *psal. 85. v. 13. Eruiisti animam meam ex inferno inferiori.* & *psal. 143. v. 10. Redemisti David servum tuum de gladio maligno.* Et sic juxta sententiam piam negantium, B. Virginem contraxisse maculam originalem, ipsa redempta est.

308. Hæc redemptio præservativa longè nobilior, ac melior est, quàm reparativa, quod probari, & simul explicari potest variis clarissimis exemplis: & primo exemplo morbi. Potest quis liberari à morbo, postquam jam æger lecto decumbit; & hæc est redemptio reparativa. Potest quis liberari ab eodem, e. g. à contagione pestifera, remediis præservativis, quæ censentur præstantiora: certè Hippocrates l. 5. de morbis popularibus loquens ait: *Si aliquid Divinum est in medicina, quid nisi præcautio?* Similia habent

An B. V. peccat. origin. contraxerit, vel saltem habuerit debitum illud contrahendi. 75

Galenus in Slogoge, Avicenna, & alii apud Gormaz de Incarnat. num. 823. Et sanè videtur per se notum, majus esse beneficium, si femper conserveris sanus, quàm si, postquam jam debuisti decumbere, primum saneris.

Hæc tamen ipsa redemptio præservativa iterum duplici modo fieri potest. 1. Si quis jam conjunctus morbidis, ex quorum consortio deberet sequi morbus, nisi remedio sumpto præveniat, tali remedio juvetur, & à morbo liberetur: & sic se habet redemptio ejus, qui incurrit debitum proximum peccandi. 2. Si is, qui aliâs deberet conjungi cum talibus morbo infectis, impediatur, ne cum iis conjungatur: & sic se habet redemptio ejus, qui tantum incurrit debitum remotum, & impeditus est ab incurrendo debito proximo per hoc, quod non fuerit inclusus in pacto.

Alia similitudo sumi potest à captivitate. Potest quis dato pretio liberari à captivitate, & vinculis, in quæ jam incidit apud latrones: & hæc est redemptio reparativa; quai nos redemit Christus Dominus à potestate, & captivitate dæmonis. Potest alius, cui jam proximi sunt latrones, eique jam volunt injicere vincula, eo ipso momento, quo injicienda erant vincula, soluto pretio liberari: & hæc est redemptio præservativa, similis illi, qua quis, habens debitum proximum, peccatum contrahendi, liberatur à culpa originali. Potest iterum alius ita liberari, ut neque incidat in latrones, e, g. si dato pretio conducatur eivæ dux, qui per aliam viam, quàm aliâs taliter redemptus non invenisset, illum ducat, ut latrones obvios non habeat: vel, si dato pretio constituatur ipi equus, quo latrones effugiat. Et hæc est redemptio præservativa nobilior, similis illi, qua aliquis liberatur à peccato originali & etiam debito proximo illud contrahendi. His præmissis

309. Dico I. Beatissima Virgo, in primo suæ Conceptionis instanti, fuit ab omni labe originali immaculata, ita præter paucos, reliqui doctores, & fideles communissimè omnes. Argumenta autem pro hac pia sententia (ut eam vocat Alexander VII. in sua Bulla) tot suppetunt, ut libros multos jam impleverint, nec à longè omnia afferre liceat; itaque ex pluribus paucissima seligo: qui plura cupit, adeat Suarezium tom. 2. in 3. p. disp. 3. per totam. Ferdinandum Salazar in Defensione immaculate Conceptionis per totum librum. Gormaz de Incarnatione disp. 19. Piatellum p. 2. c. 4. §. 3. à n. 329. Tannerum tom. 2. disp. 4. q. 7. dub. 2. Cardinalem Everardum Nidhardum in exanane 4. propositio-num, & alios plures, qui passim fusi sunt in extolendo hoc Virginis Deiparæ privilegio.

Prob. Conclusio 1. ex Scripturis, quæ, licet expressè assertionem nostram non affirmant, (aliâs enim esset de fide, & opposita contra fidem: quod tamen de hac dicere est sub gravissimis poenis prohibitum) implicitè tamen, & argutivè nostræ conclusioni plurimum favent. Sic *Cantic. 2. v. 2.* de B. Virgine fusi schemate sponsæ dicitur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Rursus *Cantic. 4. v. 7. Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Item *Gen. 3. v. 15.* de B. Virgine, quæ est illa mulier, inter cujus, & serpentis semen, inimicitia futuræ erant, scilicet inter

Christum Mariæ filium, & impios, ac infideles, qui ex patre diabolo sunt, de hac, inquam, muliere dicitur: *Ipsa conteret caput tuum*: & ita legendum esse probat Cornelius in hunc locum: per caput autem, scilicet serpentis infernalis, scilicet dæmonis, vel intelligitur potestas dæmonis, cui nunquam subiecta fuit Beatissima Virgo, sed potius eam sibi subiecit: vel intelligitur peccatum originale. Iterum *Prov. 8. v. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum*: hoc est, in initio suæ circa creatura providentiæ, ut nullo instanti viderit me à dæmone possessam, ratione peccati originalis, sed semper possessam à se, ratione gratiæ. Item *Estheris 15. v. 12. & 13. dixit Assuerus ad Estherem: Noli metueri: non morieris non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*: quam historiam fuisse figuram præservationis B. Virginis à morte peccati originalis, plures Patres, & doctores affirmant. Plura vide apud auctores supra citatos.

310. Accedit traditio jam à tempore Apostolorum; Flavii Dexteri enim, qui vixit sæculo IV. & cujus mentionem facit S. Hieronymus de Scripturis Ecclesiasticis: hic, inquam, Flavius in historia perpetua ad annum 308. n. 9. ita habet: *Jacobi prædicatione celebratur in Hispania festum immaculate, & illibate Conceptionis DEI genitricis Mariæ*: de quo etiam, & aliis idem testantibus, vide Gormaz de incarnatione n. 816. S. Jacobus in Liturgia, quæ habetur tomo 6. Bibliothecæ Patrum, ait: *Commemorantes sanctissimam, immaculatam, gloriosissimam Dominam nostram Matrem DEI*: & paulò post: *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Domine nostræ Matris DEI, & semper Virginis Mariæ: & iterum: Præcipue sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriose Domine nostræ Deiparæ, semperque Virginis Mariæ*. Et rursus: *Dignum est, ut e verè beatam dicamus Deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem DEI nostri*.

311. Prob. 2. ex SS. PP. quorum textus in varias classes dividit Suarez tam. 2. in 3. p. disp. 3. sec. 5. quem operæ præteritum est videre, Paucos afferro. S. Augustinus l. de natura, & gratiæ c. 36. ait: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam præorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem; unde enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eam, quem constat, nullum habuisse peccatum*. Loquitur autem S. Doctor etiam de peccato originali; quia agit contra Pelagianos, & universaliter de omni peccato; aliâs enim oportuisset etiam alios Sanctos excipere. S. Damascenus orat. 1. de Nativ. Virgæ agens de conceptione ait: *Natura gratiæ factum antevertere minime ausa est; verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset*. Vocatur dein post pauca B. Virgo *immaculatam Semen, & Fœtus Sanctissimus*. S. Laurent. Justinian. serm. de annuntiatione. *Ab ipsa namque in conceptione, in benedictionibus præventa dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, prius est sanctificata, quàm nata*. Iterum de casto concubio Verbi, & anime c. 7. circa medium: *Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis duntaxat Mediatore DEI, & hominum, homine Christo*

JESU (S ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi. Et l. de gradibus perfectionis c. 1. circa medium. Ab hoc quippe originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem. S. Vincentius Ferrerius serm. 2. de Nativ. B. Virg. Et facta est lux. Ecce sanctificatio Virginis Mariæ. Non credatis, quod fuerit, sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, & nascimur, & nutrimur . . . sed statim, postquam fuit corpus formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata. Idiota, qui ante 900. saltem annos scripsit, & ob humilitatem hoc nomen assumpsit, in contemplatione de Virgine Maria c. 2. sententiam nostram expresso adstruit, & ait: *Macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, nec unquam fuit, nec erit.* & c. 6. *Fuerunt in te ab originali labe preservatio, Angelica salutatio, Spiritus S. superventio, & Filii DEI conceptio.* S. Anselmus l. de conceptu virginali c. 18. *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEUS Pater unicum filium suum, quem de corde suo equalem sibi genuit, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus, idemque communis DEI Patris, & Virginis filius: & quam ipse filius substantialiter facere sibi matrem eligebat: & de qua Spiritus S. volebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & nasceretur ille, de quo procedebat.* Plura vide apud Suarezium loc. cit.

312. Adde tantum textum S. Thomæ in 1. sententiarum disp. 44. q. 1. a. 3. ad 3. ubi textum citatum S. Anselmi exponit: ita autem habet: *Dicendum, quod puritas intenditur per recessum à contrario: & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit: fuit tamen sub DEO, in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Si quis vellet dicere, hoc textum tantum significari, Beatissimam Virginem immunem, ac puram fuisse ab originali, non in conceptione, sed tunc primum, quando postea purgata, & sanctificata fuit, planè non esset audiendus; sic enim non esset verum, quod nulla contagione peccati inquinata sit modo speciali, qualem utique S. Doctor in B. Virgine adstruit; nam omnes Sancti debent ita esse puri, si volunt cœlum intrare: neque tanta esset hæc puritas, ut major in creatis esse non possit. Certè, si Adam non peccasset, majorem hac puritatem habuisset; & potuit non peccare. Alios Angelici textus omitto; quia illas editiones operum ejus, in quibus inveniri dicuntur, non habeo, videatur Goræaz de incarnat. n. 820. & seq.

313. Prob. conclus. 3. ex Ecclesiæ favore, & fidelium sensu. Quod Ecclesiæ faveat piæ nostræ sententiæ, est nimis clarum: certè eam laudat, piæ vocat, & multis prærogativis alteri præfert. Hanc doceri permittit in cathedris, pulpitis, libris: alteram publicè, & privatim prohibet. Declarat, cultum, secundum piæ sententiam B. Virginis exhibitum, esse piæ. In ejus favorem eidem Bullas Sixtus IV. Paulus V. Gregorius XV. & præsertim anno 1662. Alexander VII. quam magna ex parte refert Platellius parte 2. num. 330. totam autem Everhardus Nidhardus in exam. 4. proposit. part. 2. §. 3.

qui part. 3. §. 2. insuper ait, eam Bullam primum editam post duos annos, huic rei expendendæ impensis, & p. 5. §. 1. ait, esse propria Papæ hujus manu totam exaratam.

Addit idem, Pontificem dixisse regis Hispani oratori, se egisse prius adversarium retractarium hujus causæ, sæpe in omnes partes eam discussisse, orationes fuisse, Bullam jam scriptam quatuor menses sub imagine Crucifixi habuisse, ut DEUS scilicet veritatem inspiraret: tandem Festo Immaculatæ Conceptionis Missam pro hac causa celebrasse, & Constitutionem sub sacris linteaminiibus altaris collocasse, ac finito sacro eam subscripsisse; & si vel minimum dubium ei occurrisset, se non subscripserunt fuisse. In hac ergo Bulla expressè dicit hic Pontifex, se velle, exemplo suorum Prædecessorum, huic sententiæ favere.

314. Concilium Basileense sess. 36. definit sententiam nostram, tanquam piæ, & consonam rectæ rationi, fidei, & Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam, & amplectendam; vetatque docere contrarium. Quamvis autem hujus Concilii autoritas in plurimum sit irrefragabilis, tamen saltem ex eo colligitur sensus communis tot Episcoporum, illuc confluentium. Concilium Tridentinum sess. 5. suum generale decretum de peccato originali sic claudit: *Declarat . . . non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam DEI genitricem: sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Xisti (seu Sixti) IV. &c.* Imò refert Platellius p. 2. c. 4. n. 349. P. Nicolaum Lancicium anno 1599. ex speciali licentia Clementis VIII. in actis hujus Concilii legisse, quod ferme omnes Episcopi, ad eam quæstionem examinandam deputati, suffragium pro immaculata Conceptione dederint.

Quod autem etiam sit pro nostra sententia communis fidelium sensus, est innegabile, tum; quia Alexander VII. in sua Bulla hoc affirmat, tum; quia, exceptis paucissimis, pro ea stant doctores, & Academiæ omnes, Religiosi Ordines, si fortè unum excipias, omnes: insuper, à ducentis saltem jam annis, fideles utriusque sexus communissimè pro ea, tanquam pro aris, & focus, certant, ac festum Immaculatæ Conceptionis maxima devotione peragunt. Quin imò ex ordine S. Dominici S. Vincentius Ferrerius supra citatus, stat pro nobis, & teste Everhardo Nidhardo in exam. 4. propositionum part. 2. §. 3. ex eodem Ordine absque comparatione plures fuerunt, qui sententiam nostram amplexi sunt, quam, qui ei contrarii fuerunt. Rursus eodem teste §. 8. Capitulum Hispanicum ejusdem celeberrimi Ordinis statuit, ut deinceps non sit ipsis curæ defendere, quod B. Virgo sit concepta in originali, eoquod sit materia inutilis, & valde scandalosa; quia (ut additur) fermè tota Ecclesiæ tenet contrarium. Nec Pius V. ut testatur idem Everhardus p. 4. §. 8. absolute asseruit, opinionem nostræ sententiæ oppositam; esse probabilem, sed solum permittit teneri, prout, quis, inquit, alterutrum, vel magis piæ, vel magis probabilis esse, judicaverit. Imò non dubito, etiamnum plurimos in eo celeberrimo Ordine, & cultui B. Virginis singulariter addicto, nobis cum

An B. Virgo peccatum originale, vel saltem habuerit debitum, illud contrahendi. 77

cum sentire, quamvis ob bonum pacis Religiois reverenter hac de re fileant.

315. Confirmantur dicta hucusque, afferendo aliqua in Bulla Alexandri VII. contenta. Itaque dicit Pontifex I. veterem jam esse fidelitatem pietatam, sentire de B. Virgine, ejus animam in primo instanti creationis, & infusionis in corpus, fuisse speciali gratia, ex intuitu meritum Christi, à macula originali præservatam, & in hoc sensu cultam fuisse festivitatem Conceptionis ejusdem. 2. Sixtum IV. in hujus commendationem edidisse Constitutionem, quam innovaverit Concilium Tridentinum. 3. erectum esse, approbantibus Romanis Pontificibus, Ordinem Religiosum, sub hoc nomine, item confraternitates: concessas esse indulgentias, & accedentibus Academicis, ferme jam omnes Catholicos hanc sententiam complexi. 4. Paulum V. vetuisse doceri publicè opinionem contrariam: Gregorium autem XV. etiam vetuisse doceri privatim.

Ulterius §. ait, offensiones, & scandala, ex contraria sententia fuisse orta, quibus voluerint Prædecessores sui obviare. 6. Sacram Romanam Ecclesiam festum hoc celebrare, & Officium ejus etiam ordinasse. 7. velle se, exemplo Prædecessorum suorum, huic pietati, cultui, & festo, favere: & consequenter innovare decreta priorum Pontificum. 8. eos, qui decreta hæc ita interpretentur, ut pia sententia favore Pontificum frustreretur, vel qui, quovis excogitabili modo, contra eam loqui audeant, poenas in Constitutionibus dictis contentas, incurrere, & quidem ipso facto 9. prohibere se libros contra hanc piæ sententiam editos, post Pauli V. Constitutionem (hanc Pauli V. Constitutionem exhibet Tannerus tom. 2. disp. 4. q. 7. n. 55.) 10. Tandem addit, iisdem etiam poenis se subjicere eos, qui contrariam opinionem hæresis, aut defensores ejus peccati mortalis damnaturi essent.

316. Probatur conclusio 3. Ecclesiæ Romana tota nunc celebrat festum Conceptionis B. Virginis, & Ecclesiæ Græca illud, teste Suarezio tom. 2. in 3. p. disp. 3. sec. 5. jam celebravit ante mille annos: ergo debet Conceptio illa esse sancta; nam Ecclesiæ celebrare non potest, quod sanctum non est. Et hæc est ratio, qua S. Thomas probat, Beatissimæ Virginis Nativitatem sanctam fuisse. Nec dicas, celebrari tantum Conceptionem moraliter sumptam, hoc est; tempus aliquod sequens primum instanti Conceptionis: in quo fuerit sanctificata; nam oppositum docet Alexander VII. citatus n. præced. & idem aliàs dici pariter posset de Nativitate.

Nec dicas, celebrari eam Conceptionem, ut magnum beneficium DEI, festa gratiarum actione; nam planè fideles volunt illam celebrare, tanquam valde honorificam B. Virginis, qualis tamen non esset, si maculata fuisset, & si hæc replicæ veræ forent, S. Bernardus ep. 174. non contradixisset Lugdunensibus Canonicis, ex eo, quod rem novam introduxissent. Eodem modo Ecclesiæ instituit Ordinem Religiosum, ab immaculata conceptione dictum, in cujus regula c. 3. dicitur, *Animam Virginis à primo instanti creationis fuisse sanctam, de quo vide Suarez tom.*

2. in 3. p. disp. 3. sess. 5. Item ad hanc devotionem incitavit Ecclesiæ homines, propositis indulgentiis, & erectis Congregationibus.

Huc spectant etiam revelationes de hoc mysterio factæ. Certè libro 6. revelationum B. Birgittæ c. 49. dicit Beatissima Virgo. *Veritas est, quod ego concepta sui sine peccato originali, & non in peccato.* item eod. lib. c. 55. eadem B. V. eidem ait: *Placuit DEO, quod amici sui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato.* Quod autem contrarium revelatum sit S. Catharinæ Senensi, in vita ejus nullo modo habetur: nec etiam quidquam contrarium in sermonibus S. Antonii Patavini, ut testatur Suarez cit. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sec. 5. Refert e contra Bernardinus de Bultis Ord. Seraphici eximius vir in suo Mariali, impresso an. 1513. sermon. 7. de excellent. Virginis Concept. in fine Fantino Episcopo Patavino, dum legeret tertiam partem Summæ Angelici, & miraretur ejus sententiam de B. V. Conceptione, apparuisse B. Thomam, atque ei dixisse: *Quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad Divinum statutum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum fuisset preservata: sed DEI Filius matrem suam ab originali macula preservavit: & his dictis disparuisset.* Addit de Bultis, hanc revelationem Episcopum suo Vicario non sine lacrymis narrasse. Refert etiam Platellius p. 2. n. 355. (& Sisilinus apud P. Leonardum Tschiederer, de lapsi hominis lib. arbitrio n. 23. ait, esse liquidissimam, & firmissimam autoritatis; cum de ejus veritate ab Inquisitoribus Hispanicis sæpius authentica inquisitio facta sit, & semper hoc miraculum authenticum inventum, atque ab omnibus pro verissimo habitum) anno 1428. 9. Sept. Dominum Franciscum Muleti Canonicum Vicensem, Manresæ in templo interfectum, rediisse ad vitam, & revocasse priorem opinionem, ac dixisse, se in altera vita piæ sententiam veram didicisse.

317. Prob. conclus. 4. ratione. Quando B. Virgo dicitur gratiâ plena, juxta omnium, etiam D. Thomæ 3. p. q. 27. a. 1. in corp. expositionem, indicatur, ei data esse præ omnibus aliis majora gratiæ privilegia: imo, ut habet S. Doctor 3. p. q. 7. a. 10. ad 1. ei data esse omnino privilegia, & gratiæ dona, quæ juxta rectam rationem decet Matrem DEI: simillima habet S. Doctor 3. p. q. 27. a. 5. in corp. Hinc inferunt SS. PP. & cum his S. Thomas 3. p. q. 27. a. 1. in corp. & a. 4. in corp. atque Theologi, sanctificationem Beatissimæ Virginis in utero, immunitatem ab omni peccato actuali &c. ergo etiam potest inferri immunitas à peccato originali; quia non minus hæc decet matrem DEI; nam decuit DEUM, matrem habere purissimam; ex hoc enim inferit S. Thomas cit. q. 27. a. 4. in corp. eam debuisse carere omni peccato actuali: atqui originale majus est aliquo actuali: ergo.

Dein, si ex hac decentia à S. Thoma. 3. p. q. 27. a. 1. in corp. & a. 4. ad 1. inferatur, quod B. Virgo debuerit carere omni fomite, quod debuerit esse semper virgo, quod ejus corpus in sepulchro debuerit manere incorruptum &c. cur non magis inferatur, debuisse eam semper manere sine peccato; cum etiam tantum semel ha-

habuisse peccatum, sit aliquid turpius, & minus decens, quam illa priora. Adde, quod B. Virgini debuerint unque concedi eæ gratiæ, quæ aliquibus aliis fuere concessa: atqui non tantum Angeli, sed etiam Adam, & Eva, fuere sine originali peccato: ergo. Insuper, cum S. Joannes Baptista fuerit sanctificatus in utero, itémque Jeremias, demus Matri DEI aliquid plus, quam servis, & dicamus, eam nunquam maculatam fuisse.

318. Hucusque dicta intelligenda sunt de donis gratiæ sanctificantis, vel illis, quæ conducebant ad majora merita, vel majorem sanctitatem, & dignitatem Beatæ Virginis, non verò de aliis donis, e.g. gratiarum gratis datarum, ex quibus, quæ ipsi collata fuerint, dubitatur: nec necesse fuit, ei alia omnia conferre; cum non ob ipsam, sed potius ob alios data fuissent, nec ad majorem ejus sanctitatem aliquid consulissent. Sic non habuit donum immortalitatis; quia nec propriè est donum gratiæ, nec Christus id sibi voluit: neque habuit B. Virgo alia quædam privilegia, Sanctis quibusdam concessa, etiam supernaturalia, sed non spectantia ad ordinem gratiæ sanctificantis, vel meriti: imò nec habuit semper plura, & plura in iis, in quibus proceditur in infinitum; quia debuit aliquando DEUS mensuram finitam determinare; cum infinitum dari non possit.

319. Dico 2. B. Virgo non tantum caruit peccato originali, sed etiam debito proximo illud incurrendi: & tantum habuit debitum remotum. Prob. conclusio. 1. ipsa auctoritate, & communi sensu modernorum doctorum, atque etiam fidelium: certè recentiores ita communissimè docent. Prob. 2. Immunitas ab hoc debito utique decuit Matrem DEI, ut scilicet esset (quemadmodum loquitur S. Anselmus supra citatus. n. 311.) tantæ puritatis, quanta sub DEO intelligi potest; nam, si non fuisset hoc debito immunis, sanè potuisset major sub DEO puritas intelligi, nempe illa, quam habuere Adam, & Eva, in sua creatione ante peccatum. Certè hoc debitum est fat magnus accessus ad peccatum; cum tamen ex S. Thoma citato n. 312. puritas sit recessus à peccato.

Confirm. 1. Decuit, ut Filius Divinus Matrem præservaret ab iis inconvenientiis, quæ num. 317. allata sunt: ergo etiam decuit, ut eam præservaret ab hoc debito, quod, cum supponat alligationem voluntatis B. Virginis voluntati Adami, supponit etiam, eam in Adamo peccasse, ut explicatum n. 309. quamvis postea gratiæ præventa non contraxerit maculam peccati; nam hoc ipsum jam satis est indecens, & accessus magnus ad peccatum. Imò, ut P. Thyrsus ait tom. 3. select. disp. 6. f. 3. n. 15. §. seq. hoc ipsum, quod est, patrassè cum Adamo moraliter illud peccatum, est præcipuum caput malitiæ in peccato originali; cum subsequens privatio gratiæ, aut alia, quæ constituunt peccatum originale, in parvulo habitualiter existens, sunt potius pœna, saltem non sint ita indecentia.

320. Confirm. 2. Magis recederet ab hoc peccato, qui non tantum illud non contraxisset, sed neque cum Adamo moraliter illud patrasset; essetque major in ipso puritas: ergo B. Virgo, quæ habuit maximam puritatem sub DEO, habuit etiam puritatem ab hoc debito.

Confirm. 3. Non decuit, ut voluntas illius creaturæ, quæ futura erat Regina Angelorum, & hominum, alligaretur voluntati alicujus sui servus: ergo B. Virgo non fuit inclusa in pacto cum Adamo, adeoque non debuit ab Adamo, & ejus obedientia, vel inobedientia, dependere: quod insuper infertur ex similitudine B. Virginis cum Esthere, de qua n. 309.

Confirm. 4. B. Virgini debet concedi omnis gratia, quæ decet Matrem DEI, nec repugnat honori DEI, aut Christi: atqui immunitas à debito proximo eam decet, nec repugnat honori DEI; quia tamen B. Virgo adhuc est sub DEO, ut ait S. Thomas citatus n. 312. In quantum erat in ea potentia ad peccandum: nec repugnat honori Christi, qui tamen est ejus redemptor præservativus; quia B. V. ex meritis Christi fuit exempta, ab hac alligatione suæ voluntatis, ad voluntatem Adami, & consequenter per Christum liberata à peccato originali, ac debito proximo illud incurrendi; nam constanter dicimus, quòd hoc speciale privilegium meriti fuerit Matri suæ Divinus Filius, & quidem per merita passionis, & mortis suæ, ut videtur supponere Alexander VII. in suo decreto; quia scilicet Christus hæc ipsa merita sua ad impetrandum suæ Genitrici hoc privilegium obtulit æterno Patri.

321. Difficultas videtur esse in explicando decreto Divino, quo decretus est Christus, & ejus sanctissima Mater, atque hujus exemptio à pacto, atque peccato, & quidem per merita passionis Christi. Quidquid autem sit de eorum systemate, qui admittunt decreta DEI virtualiter distincta, scilicet, intentiva, & executiva, res hæc in systemate aditruentium unicum decretum virtualiter indivisibile (quibuscum sensu in tr. de DEO n. 557.) non ita diffculter explicatur.

Scilicet, ut in tr. de DEO diximus, DEUS nihil decernit, nisi ut instructus plenissimâ scientiâ, tam simplicis intelligentiæ, quam mediâ; hinc antecedenter ad decretum condendi mundum, & mittendi Christum, ac produciendi homines &c. vidit DEUS præter plurima alia, quæ ad hanc rem explicandam afferre opus non est, vidit, inquam, per scientiam simplicis intelligentiæ, se posse Christum decernere, ante, vel post Adamum: eumque posse venire, vel passibilem vel impassibilem: se posse cum Adamo pactum inire, vel non: se posse includere in hoc pacto posteros, vel non, plures, vel pauciores: se posse id facere propter merita Christi, tam passibilis, quam impassibilis: se posse permittere lapsum Adami, vel non.

Vidit DEUS etiam, quòd, si pacto cum Adamo inito includerentur posteri Adami, per viam ordinariam ab eo gignendi, tunc quæcumque persona humana per talem viam generaretur, nec specialiter exciperetur, etiam esset in pacto includenda. Vidit ulterius, quòd, si Adam peccaret, & ipse vellet habere satisfactionem condignam ab homine, deberet aliqua Divina Persona assumere humanam naturam: & si mittenda esset secunda, eaque satisfacere deberet per suam passionem, illa deberet venire in carne passibili. Vidit præterea, DEUM hominem posse in mundum venire, vel per gene-

rationem ex Matre, vel alio modo; nam omnes hæc veritates sunt necessariæ. Dein vidit per scientiam mediam, quòd, si crearet Adamum, eique posterorum voluntates alligaret, atque has gratias conferret, ille physicè, & posteri moraliter peccarent. Vidit, quòd, si mitteret Christum, sive passibilem, sive impassibilem, hic statim sua merita, sive passionis, & mortis, sive alia, oblaturus esset pro Matre, ut sic rediretur à pacto, & alligatione ad voluntatem Adami.

322. His, & similibus scientiis suppositis, potuit DEUS per unicum virtualiter indivisibile decretum (quod tamen nos ob nostri intellectus imperfectionem in plures formalitates distinguimus) potuit, inquam, DEUS omnia, & inter hæc redemptionem B. Virginis, optimè decernere. Et quidem in systemate eorum, qui tenent Christum non fuisse venturum, si Adam non peccasset, potuit ita decernere: *Volo concedere mundum, & in eo producere Adamum, ex quo volo nasci tot homines usque ad finem mundi: at ex bis volo alligare ejus voluntati, in ordine ad servandum præceptum de non comedendo ex arbore scientiæ boni, ac mali, voluntatem horum determinatè posterorum* (nam DEUS omnes numeratos habet, quos nasci usque ad finem mundi vult, & hinc omnes determinatè alligavit: in eo tamen numero B. Virgo non fuit) *volo insuper Adamo conferre has gratias, & permittere ejus lapsum: ad quem reparandum volo mittere Christum passibilem, ut sua morte, ac passione, condignam satisfactionem præset, & hominem superabundanter redimat: volo autem eum nasci ex Matre, quamvis sine patre: hanc autem ejus Matrem, nascituram ex parentibus ordinariam via, tamen ex meritis passionis, ac mortis Filii, mihi ab ipso pro Matre offerendis, volo eam non esse inclusam in pacto, atque adeo immunem ab originali peccato, ac ejus contrahendi proximo debito.*

323. Qui autem tenent Christum venturum fuisse, etiam Adamo non peccante, primam formalitatem decreti hanc ponunt: *Volo mittere Christum, & ad ejus gloriam etiam condere Adamum* &c. dein reliqua, ut in priori decreto. Nec est absurdum, per idem decretum Christum bis attingi, vel bis decerni, prima formalitate decreti præcisiva ab impassibilitate, & passibilitate, item à modo mittendi per Matrem, vel alia via: dein altera formalitate, non præcisiva; hæc enim imperfectiones non sunt in decreto, sed in imperfecto nostro modo explicandi; quia intellectus noster aliter clarè non potest ista exponere.

Qui volunt, etiam B. Virginem jam decretam fuisse ante Adamum, debent duas primas formalitates decreti sic ponere: *Volo mittere Christum, nasciturum ex Matre: unde volo propter ipsum producere B. Virginem: propter ipsam autem, & Christum volo producere Adamum* &c. Tantum opus est, novam admittere in nostro intellectu præcisionem, in eo, quòd secunda formalitas præcindat adhuc à pacto cum Adamo, inclusione, vel exclusione B. Virginis: unde per illam formalitatem B. Virgo necdum fuit formaliter exempta à pacto, sicut Christus nondum remotus ab impassibilitate. Et sic ex hucusque explicatis habetur, quòd vi decreti, quod modò in hac providentia datur, B. Virgo

non exempta fuisset à peccato originali, nisi ex meritis passionis Christi, quæ per posteriorem formalitatem attinguntur: adeoque per ista exempta, vel præservativè redempta fuerit, quod erat ostendendum. In his autem decretis proflux nihil est repugnans, aut indignum DEO, & quocumque eorum posito, faciliè intelligitur, quomodo B. Virgo fuerit, ex meritis mortis Christi, præservativè redempta à peccato, & debito ejus proximo; non tamen à remoto; quia non fuit exempta à communi modo generandi, à quo tamen exemptus fuit Christus.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

324. **O**B. 1. variis Scripturæ locis dicitur, omnes peccasse originaliter: ergo etiam peccavit Beatissima Virgo. ant. prob. sic juxta editionem 70. interpretum Job. 14. v. 4. habetur: *Nemo mundus à sorde, neque infans, cuius est unius diei vita. Ad Rom. 3. v. 23. Omnes peccaverunt, & egent gloria DEI. Ad Rom. 5. v. 12. Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. & v. 18. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vite. rursus 2. Cor. 5. v. 14. Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. & 1. Cor. 15. v. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Resp. dist. antec. Dicitur peccasse omnes in sensu accommodo. conc. antec. in sensu strictissimo. neg. ant. & conseq.

Ut Suarez, & alii docent, generales istæ locutiones non sunt strictissimè sumendæ, ita, ut nullam patiantur exceptionem; aliàs B. Virgo etiam deberet dici actualiter peccasse, quod est falsum; nam Jacobi 3. v. 2. dicitur: *In multis offendimus omnes.* Unde textus isti optimè accipiuntur in sensu accommodo, sive cum aliqua exceptione, & privilegio Matris Divinæ, ut ait S. Anselmus apud Cornelium in 2. ad Cor. c. 5. Quia tamen B. Virgo contraxit debitum saltem remotum, hinc jam indigebat redemptione Christi: & in hoc sensu latiori, potest ei utcumquè accommodari S. Pauli comparatio, vel argumentatio, quamquam non omni eodem modo, quo aliis hominibus. videatur num. 307. Dein, licet omnes, qui peccaverunt in Adam, redempti sint, non tamen omnes, qui redempti sunt, peccarunt in Adam; Eva enim non peccavit in Adam, sed ante ipsum.

325. Ob. 2. SS. PP. docent, omnes omnino homines fuisse lapsos per culpam originale: ergo. Confirm. 1. Idem docent Concilia: ergo. Confirm. 2. SS. PP. communiter docent, B. Virginem fuisse baptizatam, vel à Christo, vel à S. Petro: ergo peccavit etiam ipsa originaliter. Confirm. 3. Angelicus est nobis omnino oppositus: ergo. Resp. neg. ant. Satis, superque ostendimus, plures ex SS. Patribus nobiscum sentire: & fortè vix unus, aut alter, & nec isti omnino apertè, sunt in sententia opposita; quod ideo fieri

fieri potuit; quia olim sententia pia nondum erat adeò nota, ac nunc: nec Ecclesia Romana tantos favores ei exhibuerat. Adde, Patrum dicta saepe non omnino universaliter accipi posse; cum saepe etiam actualibus peccatis omnes maculatos dicant, ut observat Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sec. 5. §. Sexto quæ.

Quare nec illud, quod S. Augustinus dicit l. 1. de nupt. c. concupisc. c. 12. nempe, omnem carnem, quæ ex concubitu nascitur, esse carnem peccati, prorsus ita universaliter accipiendum est, ut etiam id de B. Virgine intelligendum sit; cum ipsam à peccato omni clarè excipiat, ut patet ex ejus verbis num. 311. citatis: nisi cum quibusdam dicere velis, per carnem peccati non intelligi peccato infectam, sed aliquid aliud, quod tamen necdum satis explicatum videtur. Cæterum huc spectat dictum S. Ludovici Bertrandi, quod refert Gormaz de incarnat. num. 851. Omnes antiqui Patres, si modo viverent, dicerent, scriberentque id, quod nos sentimus, de immaculata Virginis Conceptione. Certè, si viderent, toti Ecclesiæ celeberrimam esse Immaculatæ Conceptionis solemnitate, si viderent tot Bullas Pontificum, tot Academiarum juramenta &c. absque ullo dubio, si fuissent in opposita sententia, eam mutarent.

326. Ad 1. confirm. neg. antec. nam ut Scripturarum, ita & Conciliorum, generales locutiones intelligendæ sunt cum exceptione, ut satis patet ex Tridentino, quod sess. 5. decreto de peccato originali sub finem addit: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam &c.* Quibus verbis, ait Suarez, Concilium significat, B. Virginem, nec comprehendendi in generalibus locutionibus aliorum Conciliorum, vel Scripturarum; nam est eadem fides, & doctrina Scripturarum, & omnium Conciliorum: nec comprehendere potest ab uno, quod ab alio excipitur. Adde ex eodem Eximio, has locutiones, sive Scripturæ, sive Conciliorum, posse etiam significare, solum Christum esse ex se exemptum: sicut scilicet solus DEUS dicitur habere immortalitatem, aut esse bonus, quamvis creaturæ etiam ex DEI beneficio possint esse tales. Adde, ut advertit idem Suarez, Concilium Millevitanum cap. 2. loqui etiam de natiuitate, adeoque ad B. Virginem extendi non posse.

Ad 2. confirm. neg. conseq. nam baptisimus etiam potest impendi iis, qui non habent originale peccatum, ut patet in adultis, cum contritione ad eum accedentibus: item in Apotolis, qui jam in circumcissione erant ab eo liberati. Unde primarius finis baptisimi est conferre gratiam, ex se remissivam peccati originalis, & actualis, characterem, & capacitatem ad reliqua sacramenta: forma autem non significat necessariò ablutionem internam actualem abolutionem à peccatis, sed tantum sub conditione, si adsint: imò etiam, si adsint peccata, seu maculae, non debent necessariò actu abluvi, ut patet in eo, qui sic accedit ad baptismum.

327. Ad 3. confirm. Resp. me non ignorare, asseri ex Angelico loca complura, quæ nostræ sententiæ minimè favent. Ea videre po-

teris apud Sfondratum in Innocentia vindicata §. 11. Sed scio etiam, asseri ex eodem S. Doctore textus pro nobis, qualem etiam supra attulimus n. 312. Insuper graves auctores dicunt, S. Doctorem in c. 5. epistol. ad Rom. sic scripsisse: *Omnes in Adam peccaverunt, una excepta B. Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati: quæ verba saltem olim in antiquissimo codice Bibliothecæ Sfortianæ inventa, & Urbano VIII a. 1625. exhibita fuisse dicuntur.* Etsi autem in communibus exemplaribus, non invenitur hic textus, extat tamen in omnibus ille, quem citavimus num. 312, qui satis clarus est; unde saltem mens Angelici non est adeò certa. Deia neque adeò certum est, an non S. Thomas, dum ait, omnes peccasse in Adam, tantum intelligat, contraxisse qualecunque debitum peccandi, ut eum explicat insignis Dominicanus Johannes à S. Thoma tom. 1. in 1. p. disp. 2. proemiali: de approbatione doctrine S. Thomæ. a. 2. ubi pro sua opinione citat plures: imò Angelicus scribitur, è cælo apparens se ipsum ita explicasse Episcopo Patavino, de quo vide num. 316.

Adde, quòd verba S. Thomæ in rigore acceptari non possint; nam 1. 2. q. 81. a. 3. in corp. vult, secundum fidem Catholicam firmiter tenendum, quod ibi docet de peccantibus in Adamo. Rursus in 4. disp. 43. q. 1. a. 4. questiuic. 1. ad 3. ait esse erroneum dicere, scilicet oppositum ei, quod ibi habet de originali peccato. Unde, si verè, & propriè assereret, neminem præter Christum, adeoque neque B. Virginem, peccato originali strictè sumpto caruisse, planè inferret censuram severissimam sententiæ pix, cui tot Pontifices summè favent, unà cum Tridentino, ut patet ex dictis. Quare malim, S. Doctoris verba aliquanto minus propriè accipere, quam ei opinionem, sententiæ tam pix contrariam, attribuerem. Quòd si tamen omnino immobiliter contendas, Doctorem Angelicum nobis esse oppositum, dicam cum S. Ludovico Bertrando ex Ordine S. Dominici apud Gormaz, de incarnat. n. 851. etiam Angelicum cum aliis Patribus, si modò viveret, & scriberet, aliter, & id, quod nos dicimus, sensurum, & scripturum.

328. Ob. 3. SS. Patres dicunt, neminem post mortem, nisi, vel pro suo peccato, vel pro alieno, pro quo satisfaciatur: sed B. Virgo est mortua, & non pro alieno: ergo pro suo peccato. Confirm. S. Pius V. sustulit olim Officium proprium Conceptionis; quia in eo dicebatur B. Virgo immaculata, & præservata: ergo. Resp. neg. ant. saltem nego, quòd multi Patres hoc dicant, & quidem intelligendo peccatum strictè dictum; nam utique pro nostra sententiâ sunt multi SS. Patres: alii autem tri plurimum non adeò examinârunt hoc privilegium B. Virginis.

Si autem quæras, cur igitur B. Virgo passibilis fuerit, imò mortua, si peccatum non contraxit? Resp. Mors per se fuisset naturalis homini, etiam non peccanti; aliàs enim non fuisset, cur DEUS statuisset in medio paradysi lignum vitæ, quod vitam semper conservaret: nec etiam fuisset ratio dammandi propositionem 78. Baij, *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*: adeoque mors non fuit necessariò pœna: fuisset ea tamen impedita in statu justitiæ originalis: at modò

modò non debuit impediri in B. Virgine: sed, sicut non est impedita in Christo, ob redemptionem nostram, ita neque fuit impedita in Beatissima Virgine, ob alias rationes.

Unde, quando Concilia, & Patres, videntur negare, mortem fuisse homini naturalem, vel ex necessitate naturæ secutam, tantum loquuntur de necessitate, etiam stante gratia originali, & solum negant, quòd mors tunc non fuisset impedienda. Adde, mortem in Virgine non fuisset impedienda, nec indecentiam ullam attulisset potius fuisse occasionem meriti majoris, servivisset etiam ad majorem similitudinem cum Christo. Addit quidam recentior, B. Virginem mortuam fuisse, ne putaretur ab hæreticis Dea. Neque ex morte potest inferri admittum peccatum; cum enim, etiam eo remisso, maneat mors, non habet cum peccato necessariam connexionem. Ad confirm. neg. conseq. S. Pius V. id non fecit ideo, quòd falsi aliquid in eo Officio contineretur: sed quia voluit omnia revocare ad antiquum morem. Posteriores autem Pontifices, maxime Paulus V. & Alexander VII. plurima in favorem immaculatæ Conceptionis statuerunt, & Officium ejus horis Canonicis inseruerunt.

329. Ob. 4. contra 2. conclus. Si Adam non peccasset, Christus Matrem non habuisset: ergo B. Virgo non fuit intenta ante Adamum: prob. antec. tunc Christus non venisset infans, sed ut homo perfectus, qualis fuit Adam: ergo. Confir. B. Virgo juxta nos fuit exempta à lege, seu pacto cum Adamo: sed nemo eximitur à lege, nisi priùs ei fuerit subiectus: ergo B. Virgo fuit pacto subiecta, vel ei inclusa, adeoque non fuit intenta ante Adamum, & pactum cum ipso initum. Resp. 1. Si etiam B. Virgo ante Adamum non fuisset intenta, tamen potuisset non fuisse in pacto inclusa, ut patet ex systemate eorum, qui volunt, Christum non fuisse venturum, si Adam non peccasset: itémque ex decreto priori, in systemate etiam eorum, juxta quos Christus venisset, etiam Adamo non peccante.

Respondi quoque potest 2. neg. antec. ad prob. neg. antec. quod etiam Suarez negat tom. 2. in 3. partem disp. 1. sec. 3. potuisset enim DEUS fieri homo immortalis, non in statu gloriæ, sed in eo, quo alii tunc homines nascerentur; decere enim potuit, Christum esse viatorem cum conditione corporis, statui hominum accommodata, ut illis mereretur, & suo exemplo viam ad beatitudinem demonstraret. Ad confirm. dist. mi. nemo eximitur à lege, nisi sit subiectus, saltem conditionatè. conc. mi. absolute subiectus, neg. mi. & conseq. Fuit autem B. Virgo conditionatè saltem legi subiecta, vel pacto inclusa, quatenus in hoc inclusa fuisset, nisi ex meritis Christi exempta fuisset.

330. Ob. 5. Si B. Virgo fuit decreta, vel intenta ante Adamum, venisset ipsa, etiam si Adamus non futurus fuisset: imò nec mundus: hoc est incredibile: ergo. Confirm. Ista intentio B. Virginis, & ejus exemptio, non habet fundamentum in Scripturis: ergo gratis asseritur. Resp. neg. ma. saltem quoad id, quòd venisset B. Virgo, etiam si mundus non fuisset conditus: & quæro ab adversariis, si Adamus juxta ipsos fuit priùs decretus, an venisset, etiam si nullus alius homo secutus fuisset? Scilicet, saltem in hac providentia, non videtur DEUS voluisse Christum, vel B. Virginem, vel Adamum

solum, sed istos primò, & alios propter ipsos producere, qui ideo posterioribus decreti formalitatibus sunt intenti. Sic etiam rex intenditur primò, non tamen intenditur, ut sit ipse solus, seu, etiam si nullus existeret subditus. Ad confirm. neg. antec. Exemptionem B. Virginis sufficienter ex Scripturis ostendimus in probationibus, & figura in Esthere præcedens sat bene eam adstruit. Quod spectat ad intentionem B. Virginis ante Adamum, quamvis ea à nobis positivè non adstruatur, tamen à fuis auctoribus valde bene probatur ex Prov. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. item ex Ecclesiastici 24. v. 14. Ab initio, & ante secula creata sum.* Quæ verba, licet primariò intelligi debeant de Christo, tamen etiam ab Ecclesia attribuantur B. Virgini: cumque Beatissima Virgo non fuerit ante secula possessa, creata, ordinata, in executione, debent ista intelligi de intentione: atque adeò ipsa in intentione DEI alias creaturas, etiam Adamum, præcessit.

331. Ob. 6. Si quis accepisset scæminam in servitutem, cum expresso tamen pacto, ne proles, ex ea nascitura, sit serva: postea autem alius eandem scæminam ex captivitate redimeret, hic quidem esset Redemptor scæminæ, non verò proles ejus: sed ita se haberet B. Virgo juxta nos; cum expressè esset exempta à pacto cum Adamo, & transfusione maculæ in illam: ergo Christus non esset ejus Redemptor, quod dici non potest ex n. 307. Resp. dist. ma. si talis non priùs etiam dedisset pretium pro hoc ipso, ut proles non sit serva. conc. ma. si pro hoc ipso etiam dedisset pretium neg. ma. (tunc enim esset Redemptor præservativus proles) & dist. sic min. neg. conseq. nam Christus pro hac ipsa exemptione Matris suæ pretium dedit. Nec dicas, Christum pro solis in Adamo lapsis dedisse pretium, juxta illud Matth. 9. v. 12. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus;* nam hoc intelligi debet de medico reparativo, non verò de præservativo, qui utique sæpe etiam valentibus necessarius est, ad valetudinem conservandam.

332. Ob. 7. Si B. Virgo fuit ex meritis Christi exempta à pacto, tunc, si Christus pro ea non obtulisset sua merita, fuisset ipse auctor originalis peccati in ea: sed hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. tam parum enim Christus tunc fuisset auctor peccati in Matre, quam parum est auctor in nobis, quos non exemit; quia tunc tantum non impedivisset peccatum: causa autem fuisset Adamus, & voluntas B. Virginis alligata voluntati Adami. Ex hac occasione nota, quòd, quando dicitur DEUS inisse pactum cum Adamo, de transfundenda justitia, vel macula originali, non eodem modo intelligenda sit hæc propositio, de justitia, vel gratia, & de macula, seu peccato; nam illam DEUS positivè transfudisset, & in hominibus produxisset: non ita maculam, quam non positivè, sed tantum negativè, & analogicè transfudit, hoc est, non impedivit.

333. Ob. 8. Si Beatissima Virgo non fuit inclusa in pacto cum Adamo, tunc neque habuisset gratiam originale per Adamum: hoc autem dici non potest: ergo. Respondent 1. aliqui, negando minorem cum gravissimis, ut ajunt, auctoribus, dicuntque, quòd, etsi B. Vir-

go gratiam non habuisset dependenter ab Adamo, sufficienter illam habitura fuisset aliâ viâ ex meritis Christi, scilicet ratione electionis in Matrem Divinam. Et sanè, cum Beatissima Virgo incomparabiliter plus gratiæ esset receptura, quam Adam, imò, cum futura esset hujus, & omnium Sanctorum Regina, difficile videtur, quòd quoad primam gratiam debuerit ab illo dependere.

Resp. 2. in forma dist. ma. B. Virgo non habuisset gratiam originalem per Adamum, vi præsentis decreti, & in hac providentia, conc. mai. vi alterius decreti, & in alia providentia: subdist. si probetur, quòd B. Virgo eam gratiam necessariò debuisset habere per Adamum, neg. ma. si id non probetur, uti difficulter probabitur, conc. ma. & dist. proportionaliter min. neg. conseq. Decretum, quod nunc datur, cum jam supposita fuerit scientiam mediam de lapsu Adami, non decrevit gratiam derivandam ab Adamo in illum hominem, quamvis DEUS, si prævidisset Adamum non lapsurum, per aliud decretum gratiam ab Adamo in posteros derivandam decrevisset: & si in eo casu etiam B. Virgo debuisset recipere primam gratiam dependenter ab Adamo, tunc etiam ejus voluntas ipsius voluntati probabiliùs alliganda fuisset: ex quo tamen non sequitur, eam etiam modò alligatam fuisse. Et potuisset utique DEUS velle eam alligare in circumstantiis favorabilibus, non autem in odiosis, seu noxiis; sicut rex potest subditum aliquem vellet fieri favoribus communibus, non verò premi oneribus communibus.

334. Ob. 9. Si B. Virgo non fuit inclusa in pacto cum Adamo, non potest explicari, quid factum fuisset, si DEUS in primo instanti conceptionis, seu animationis, gratiam illi non infudisset: sed hoc debet explicari: ergo, prob. ma. non potest explicari, an tunc habuisset privationem gratiæ, an tantùm puram ejus negationem: ergo, prob. ant. si dicatur primum, tunc habuisset peccatum originale, saltem juxta multos auctores, juxta quos id peccatum stat in privatione gratiæ: ergo antecedenter jam habuit debitum proximum; quia fuit obnoxia huic privationi gratiæ: si autem dicatur secundum, tunc B. Virgo relicta fuisset in statu puræ naturæ, quod dici non potest in hac providentia, in qua omnes homines sunt elevati ad statum gratiæ: ergo ista exemptio à pacto defendi non potest. Confirm. Si B. Virgo fuit exempta à pacto, tunc, etiam si gratia ei data non fuisset, tamen non contraxisset peccatum originale: ergo gratia collata non fuit præservativa ab illo peccato: ergo non est ex meritis Christi ab eo peccato præservata, & consequenter neque redempta.

335. Resp. neg. suppositum ma. cum enim DEUS in hac providentia omnem hominem elevaverit ad statum gratiæ, adeoque negatio gratiæ fit in homine privatio: cum insuper à Christo per merita sua, impetrata fuerit Matri exemptio à pacto, non qualiscunque, sed conjuncta cum infusione gratiæ, & quæ exemptio tenderet in hunc finem, ut B. Virgo remotior esset à carentia gratiæ, seu à debito proximo eâ carendi, non potuit DEUS in hac providentia gratiam B. Virgini non infundere; alias enim eo ipso Christi merita non acceptasset. Si autem quæratur, quid in alia providentia factum fuisset, in qua homo mansisset in statu puræ naturæ, de-

bes priùs determinare, an in illa etiam Christus venisset, & quid tunc pro Matre petisset, vel non: quibus positus, non erit valde difficile, etiam hoc determinare. Interim in ordine ad hanc quæstionem non sumus valde solliciti de alia providentia, præsertim tali, in qua non detur elevatio naturæ ad statum gratiæ.

Ad confirm. neg. antec. vel ejus suppositum; quia, si B. Virgini non fuisset collata gratia, etiam non fuisset exempta à pacto; Christus enim utrumque indivisim à Patre petiit, ac impetravit, & DEUS etiam utrumque indivisim decrevit: hæc quoque gratia B. Virgini, ex meritis Christi collata, fuit formaliter ejusdem Dei paræ præservativa à privatione gratiæ: quæ privatio (etsi in ipsa non iter ratio peccati originalis, ut diximus) tamen est effectus hujus, & macula quædam animæ, quæ etiam debuit removeri à B. Virgine, & formaliter removeretur per ipsam gratiæ collationem. Neque dicas, juxta nos B. Virginem liberatam fuisse à peccato, & ejus contrahendi debito, per gratiam purè extrinsecam, scilicet per benevolentiam decretum DEI; nam, licet formaliter per hoc decretum exempta fuerit, seu liberata à pacto, tamen simul vi ejusdem decreti, gratia ipsi collata est, & impedita privatio: non minus, ac quando aliis hominibus remittitur peccatum per infusionem gratiæ: & ut gratia in aliis hominibus est forma justificativa, & deletiva peccati, ita quoque in B. Virgine est forma justificativa, & præservativa à peccato: de qua re vide dicta n. 292.

336. Ob. ultimo. Ex nostris principis sequeretur, quòd B. Virgo neque contraxisset debitum remotum peccandi: hoc autem est nimium: ergo, prob. ma. potest enim juxta nostrum modum arguendi dici, quòd non deceat Matrem DEI ulla, etiam tantùm remota necessitas, seu debitum peccandi in Adamo: ergo, Confirm. 1. B. Virgo fuit miraculosè genita, ex sterilibus parentibus: ergo non descendit via naturali ex Adamo: ergo non contraxit illud debitum. Confirm. 2. Si ideo contraxit debitum remotum; quia, si non fuisset electa in Matrem DEI, fuisset inclusa in pacto, tunc etiam Christi humanitas contraxit debitum remotum, adeoque etiam DEUS per communicationem idiomatum poterit dici, id debitum contraxisse; quia, si illa humanitas non fuisset assumpta, sed ut alius purus homo, ex Adamo fuisset progenita, etiam in Adamo peccasset: de Christo autem dicere, quòd habuerit debitum remotum peccandi, est proflus absurdum: ergo, Confirm. 3. Angeli non habuere hoc debitum remotum: ergo nec Angelorum Regina.

337. Resp. Majorem admittit recentior Scoiusta: sed planè contra torrentem auctorum, nec videtur in ejus sententia posse ostendi, quomodo B. Virgo sit à Christo propriè redempta; si enim nullum habuit periculum, incurrendi maculam, tam parùm est redempta per Christum à peccato originali, quam parùm Angelus, qui ab hoc per illum nullo modo redemptus est: quamvis enim dicatur, eos gratiam à Christo, & per ejus merita accepisse, & sic aliquo modo dicatur Christus Angelorum Redemptor à S. Bernardo *serm. 22, in Cantic.* non tamen potest dici, Christus redemisse Angelos à peccato originali Adami; quia scilicet nullum habuere ejus incurrendi debitum: ergo nec posset dici,

ei, quòd B. Virginem ab eo peccato redemerit.

Dicere autem, quòd Christus B. Virginem non redemerit ab originali peccato, esset asserere aliquid, omnino contrarium sensui communi fidelium, expresso in Bulla Alexandri VIII. citata n. 315. in qua dicitur, sensum fidelium esse, Beatissimam Virginem fuisse speciali DEI gratia, intuitu meritorum Christi, à macula peccati originalis præservatam; quin etiam in oratione, sub finem Officii parvi immaculatæ Conceptionis apposita, dicitur: *Ex morte sicuti prævisâ, eam ab omni labe præservasti*; unde Suarezio *tom. 2. in 3. p. dist. 3. sed. 2.* videtur non cariturum errore, si quis assereret, B. Virginem non esse ab originali labe redemptam. Quare neg. ma. ad prob. neg. ant. quia non est ulla moralis indecentia puræ creaturæ, quòd nascatur viâ ordinariâ ex parentibus: econtra autem oppositum videtur minuerè dignitatem Christi; sic enim non esset universalis redemptor omnium hominum, qualis tamen ab omnibus dicitur, & quidem non tantùm omnium in sensu accommodo, sed omnium strictè loquendo; sic enim accipiuntur textus Scripturæ, & Patrum, à fidelibus, ut dictum n. 307.

338. Ad 1. confir. neg. conseq. Per viam ordinariam intelligitur, ex duobus parentibus, & ex femine masculino: non autem intelligitur exclusivè miraculi; alias etiam S. Joannes Baptista, & S. Franciscus de Paula, & plures alii, qui miraculosè ex sterilibus parentibus nati sunt, debuissent carere peccato originali. Ad 2. confir. Syllogismus non est in forma; non enim purificator condito, ut patet consideranti; si autem purificaretur in minore, hoc est, si diceretur: *sed ideo contraxit* &c. dist. min. præcisè ideo, neg. min. simul etiam ideo; quia per viam ordinariam fuit genita ex Adamo, conc. min. & neg. conseq. Humanitas Christi autem non fuit ita genita; unde de facto hæc humanitas debitum etiam remotum non habuit. Si autem in alia providentia non fuisset assumpta, & per viam ordinariam generata, potuisset debitum remotum, vel etiam proximum habere.

Ad 3. confir. Quare non etiam dicitur B. Virgo esse purissimus spiritus, vel natura alioris, quam alii homines? in forma neg. conseq. Angeli, utpote purissimi spiritus, non potuerunt ita nasci ab Adamo, & consequenter non potuerunt includi in pacto, quod præcisè posteros Adami spectabat. At verò B. Virgo ita nata est: & ut communis fidelium sensus habet, ipsa fuit præservata per speciale privilegium ab originali labe: quod ipsum innuit, eam habuisse periculum, saltem remotum, incurrendi illud peccatum.

ARTICULUS VI.

Alia Quæstio circa Lapsum primorum Parentum.

339. Quæritur 1. Quodnam fuerit peccatum primorum parentum. Resp. Si quæritur de actu externo ultimo, fuit comestio pomi, de arbore scientiæ boni, & mali: & hoc in sensu literali accipiendum esse, omnes SS. Patres clamant cum Ecclesia, & communi interpretum Scripturæ consensu; sicut etiam omnes conveniunt, quòd patraditus fuerit verè locus in terra. Et hinc SS.

Patres graviter invehuntur in Origenem, qui voluit, ista omnia tantùm metaphoricè intelligi, de qua re videatur Bellarm. *tom. 4. contrrov. 1. & unico de gratia primi hominis c. 10.*

Qualis autem fuerit arbor illa, controvertitur. A DEO vocata fuit *arbor scientiæ boni, & mali*, occasione eventus futuri, vel prævisi, ut censent Tostatus, Rupertus, Pererius; quia scilicet dæmon erat prævisus, promissurus Evæ scientiam boni, & mali, ex illius fructus comestione. Re; ipsa autem fuit, vel juxta Theodoretum, & alios, arbor ficus; quia statim post comestionem fructus prohibiti subditur *Gen. 3. v. 7. Conserunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata: vel* juxta alios arbor malus, juxta illud *Canticorum 8. v. 5. Sub arbore malo suscitavi te: ad quem tamen textum respondet Cornelius, & verè, quòd malus sit nomen genericum, quòdque omnes fructus, habentes tenuem corticem, veniant nomine malorum, adeoque etiam ficus. vide Cornel. in *Gen. 2. v. 9. ad verba. Lignumque scientiæ boni, & mali.**

340. Sed non est hoc, quod hic potissimum petitur; nam quæritur potius, quinam fuerit motus primus malus in protoparentibus; cum plures concurrerint (quamvis teste Ovièdo in 1. 2. tr. 6. contrrov. 9. punct. 9. num. 72. una tantùm intemperantiâ malitia in parvulis sit transfusa) & Cornelius in *Gen. 3. v. 6. Qui comedit*; octo recentet, ex quibus modò investigatur, quis fuerit primus. Ex ultimo, hunc motum probabiliùs fuisse motum, seu peccatum superbiæ. ita SS. Patres plurimi, atque etiam S. Thomas 2. 2. q. 163. a. 1. & communis Doctorum. Probatur autem cum S. Thoma, ex illo *Ecclesiastici 10. v. 15. Initium omnis peccati est superbia: quem textum, licet fors possit exponi de peccato Luciferi, tamen Angelicus, & alii etiam exponunt de primo peccato hominis, quod potest dici primum, seu initium peccati humani; nam Apostolus ad Rom. 5. v. 12. ait: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: hoc est, peccatum humanum; nam Angelicum priùs intravit per Luciferum.*

341. Accedit, quòd DEUS postea irriserit Adamum, eoquòd aliquo modo voluerit esse sicut DEUS, dicens: *Genes. 3. v. 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.* Insuper ad hanc superbiam parentes primos incitavit serpens *Genes. 3. v. 5. Eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum.* Accedit, quòd appetitus concupiscibilis, seu inferior, tunc esset perfectè subditus rationi, nec rebellare poterat, antequam superior DEO rebellasset; unde non per hunc appetitum inferiorem primò peccarunt Adam & Eva. Sed neque etiam primum peccatum potuit esse infidelitas; nam in eo statu justitiæ originalis, non cadebat in primos parentes error; quare primum peccatum fuit elatio animi.

At, postquam præcessit motus superbiæ, successit infidelitas; nam, quòd protoparentes fidem perdiderint, constans est sententia SS. Patrum. Quidam tamen asserunt, Evam non putasse, quòd DEUS ipsi mentitus fuerit, sed potius, quòd ipsa illius verba non ritè intellexerit, adeoque eam non credidisse, quòd DEUS sibi prohibuerit esum pomi: cui opinioni videtur favere textus hebræus, ex quo loco dicitur serpens i-

pentis: *Cur præcepit vobis DEUS?* Gen. 3. v. 1. posset poni: *Esne verum, quòd vobis præcepit DEUS?* Tandem accessit aperta inobedientia, & comestio vitæ pomi: & sic, ut habetur ad Rom. 5. v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* vide Bellarminum tom. 4. contr. 2. de amissione gratiæ l. 3. c. 4.

342. Quæritur 2. An peccatum originale potuisset esse veniale. Respondetur communitè; cum S. Thoma 1. 2. q. 89. a. 3. quòd non; eoquòd in statu originalis iustitiæ, locum non habuisset peccatum veniale. Ratio est; quia in eo statu felici non habuisset locum dolor, aut infortiia, timor, aut poena; ait enim S. Augustinus, l. 14. de Civit. DEI c. 10. absurdissimum esse, hæc ponere in eo statu felicissimo: & tamen ista debuissent sequi in eo statu, si datum fuisset peccatum veniale; quia hoc statum innocentie non sustulisset. Hinc non potuit Adam e. g. verbum tantum otiosum loqui cum plena deliberatione (semiplena enim, & imperfecta libertas, tunc non habuisset locum) sed vel debuit nullum peccatum committere, vel mortale: quòd, cum statum innocentie sustulisset, illis miseris locum fecit. Unde peccatum Adami absque dubio fuit mortale; quamvis enim materia, in se nudè spectata, fuerit levis, scilicet comestio unius tantum pomi, tamen, quia finis huius præcepti fuit gravissimus, scilicet, vel transfusio iustitiæ originalis, vel ejus privatio, etiam ipsa transgressio gravis, & mortalis fuit.

343. Quæritur 3. Qualis serpens fuerit, qui Evam seduxit. Resp. De hoc agit Bellarminus tom. 4. contr. 2. de amissione gratiæ l. 3. c. 3. Et fuere olim hæretici, dicti *Opbitæ*, id est, serpentarii, qui exultimant, illum serpentem fuisse sapientiam DEI, quæ contraria fuerit creatori, atque in odium huius, hominibus aperuerit oculos, ad videndum bonum, & malum; hinc istum serpentem coluerunt, eique panem obtulerunt, teste S. Epiphano *heresi 37.* Manichæus teste S. Augustino l. de *heresibus, heresi 46.* dixit, eum serpentem fuisse Christum. Origenes, qui, ut dictum n. 339. omnia volebat explicare allegoricè, intellexit per serpentem delectationem, per Evam sensum, per Adamum rationem. Alii, teste Procopio, putarunt, dæmonem assumpsisse serpentem tantum phantasticum, sicut quandoque assumit phantasticum corpus humanum.

Sed dicendum est, fuisse verum, & naturalem serpentem, quem invasit dæmon, & per quem fuit locutus. certè poenæ, quæ Gen. 3. v. 14. serpenti infliguntur, non delectationi, nec sapientiæ DEI conveniunt, nempe, super peccatus gradi, terram comedere, inimicitias habere cum hominibus &c. DEUS autem punivit serpentem, tanquam organum dæmonis, in quantum puniri potest creatura non libera, hoc est, malis eum affecit: de qua poena videantur Cornelius in *bunc locum* & Bellarminus tom. 4. contr. 2. de amissione gratiæ l. 3. c. 3. § 11. ubi iste putat, quòd serpens prius posteriore tantum parte replevit, anteriore rectus inceserit, in poenam autem nunc toto corpore reparat: insuper ait, quòd, cum ante peccatum non fuerit animal homini noxium, eidem etiam non fuerit horro-ri, & execrationi, sicut nunc est, quando occi-

dit homines, & ab hominibus occiditur: adeò, que nunc sint inimicitia inter ipsum, ac hominem, quæ prius non erant.

344. Pererius tamen in Gen. l. 6. disp. 1. q. 4. putat, serpenti reptationem jam prius naturalem fuisse: sed, cum ante peccatum non faceret eum horridum, & execrabilem, postea eum talem reddidisse, ac sub hac ratione poenam fuisse: sicut scilicet mors homini naturalis est, & tamen modò est poena; nam, cum in statu iustitiæ originalis mors, ex speciali DEI favore, impedita fuisset, modò autem specialis ille favor in poenam peccati subtractus, & ea impeditio sublatà sit, meritò mors nunc dicitur poena. Putat autem hic author eadem quidem disputat: sed priore quæst. nempe 2. serpentem, quem dæmon invasit, fuisse illum, qui dicitur *Scytale*, de quo ait Solinus, eum esse ita pulchrum, ac squammis tam fulgentibus, ut quasi miraculo sui capiat aspicientes. Cornelius autem in c. 3. Gen. v. 1. ait, *Scytalem esse stupidam naturam*, cum tamen serpens decipiens Evam fuerit *calidior cunctis animalibus.* Gen. 3. v. 1. Quòd autem Eva non timuerit loquentem serpentem, rectè ait Cornelius *loc. modò cit.* inde ortum, quòd necdum peccatrix privilegio iustitiæ originalis timore exempta fuerit.

Pererius ead. disp. q. 3. in fine ait, Evam non fuisse ita repletam sapientiâ, sicut Adamus fuit, sed habuisse plurium rerum ignorantiam negativam, quarum notitia ad ejus statum non pertinebat (quanquam in eo statu non habuerit ignorantiam positivam) adeoque necesse, alia animalia loqui non posse: quamvis neque firmiter crediderit, animalia loqui posse, aut etiam serpentem vera dicere; nam talis firmus assensus fuisset positivum malum: motam autem fuisse splendens serpentis promissis, ad eum audiendum, vel utcumque ei credendum assensu dubio, & suspensio. Alii autem putant, eam quidem agnovisse, spiritum per serpentem loqui, sed aliquo modo putasse, bonum, & suis commodis studentem. Quòd autem dæmon non aliud animal invaserit, ait S. Aug. l. 11. in *Genes. ad lit. c. 3.* inde fuisse, quòd DEUS id illi non permisit. Adit Magister Sententiarum l. 2. disp. 21. §. sed quia, DEUM non voluisse fraudem nimis occultam, & hinc non permisit dæmonem ingredi e. g. columbam, sed tantum animal toriuolum, & altutum. Plura Pererius disp. cit. q. 5. videri etiam meretur Cornelius à Lapide in Gen. c. 3. v. 1.

345. Quæritur 4. Quænam fuerint poenæ peccati originalis in hac vita. Resp. Recensentur à Scholasticis quatuor vulnera naturæ, ignorantia, malitia, concupiscentia, infirmitas: quæ Bellarminus tom. 4. contr. 2. l. 6. de amiss. gratiæ c. 8. § sequent. sùle prolequitur, atque ait, in intellectu dari positivam ignorantiam plurium rerum, præsertim in infantibus: in quibusdam hominibus etiam fatuitatem: dari ignorantiam finis ultimi, saltem talem, ut non cognoscatur, sine admixtione falsi: item ignorantiam mediorum, quin & propriæ naturæ: accedere difficultatem discendi &c. In voluntate, idem Bellarminus ait, dari amorem inordinatum sui ipsius, ac difficultatem resistendi vitis: dari negligentiam circa necessaria ad beatam vitam: & contra immoderatam sollicitudinem circa temporalia:

alia: item perversitatem voluntatis, difficulter se convertentis ad DEUM, & faciliter ad creatura: incontinentiam, instabilitatem, fastidium proprii status, difficultatem vitandi sine gratia peccata mortalia.

346. In parte inferiori animæ, seu sensitiva, recensentur ab eodem illusio somniorum, phantasia turbata, & inobediens, ira rationem prævertens, concupiscentia vehemens &c. In corpore, juxta eundem patitur morbos, defectus sensuum, difficultatem medendi, media incerta, & summè dolorosa, famem, sitim, & reliqua vitæ incommoda, brevitas vitæ, timorem mortis, & tandem mortem ipsam. Accedunt extrinseca: scilicet, nascimur filii iræ: dæmon habet in nos magnam potestatem, quandoque etiam invadit corpora; item calamitates ferendæ sunt nobis ab omnibus quatuor elementis; animalia irrationalia non amplius nobis obediunt: homines etiam ipsi sibi invicem sunt lupi &c.

347. Quæritur 5. Quam poenam patiantur parvuli mortui in originali peccato. Resp. In primis de fide certum est, eos non posse in troire in cælum, juxta illud *Joan. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum DEI.* Neque etiam extra cælum visionem DEI beatificam habebunt; sed hac æternum privati existent; unde revera damnati dici possunt, scilicet patientes æternam poenam damni. Quamvis autem aliqui ex SS. Patribus videantur voluisse, eos æternam poenam sensûs, etiam ignis perpetui, licet mitiorem, quam damnati ob actualia peccata, passuros, tamen jam est communis post SS. Thomam, ac Bonaventuram, eos ignem non pati.

Quòd etiam tradidit ex antiquioribus Patribus SS. Gregorius Nazianzenus, & Ambrosius. Sed & S. Augustinus, qui eos igni adjudicasse videri posset *serm. 14. de verb. Apostoli c. 3.* tamen id absolute non videtur facere, sed ea de re dubitare; nam albi fatetur, se id nescire: ita enim habet *epistola 28. ad Hieronymum post medium: Cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec, quid responderem, prorius invenio.* Quòd suum dubium ibi fuisse prolequitur, & solutionem ejus à S. Hieronymo flagitat. Quamvis autem dicat, illos damnari, non eo ipso dicit, damnari ad poenam sensûs, vel ignis; nam sufficienter damnati sunt, si æternam poenam damni ferant: certè Scholastici communissimè judicant, poenam ignis destinam esse tantum peccatis actualibus. Et sanè, cum fides aliud dicere non cogat, durum esset, affirmare, quoniam propter peccatum originale, moraliter tantum à se nondum existente commissum, nec à sua voluntate propria evitabile, æterno igne cruciari.


348. An autem præter poenam damni parvuli illi sentiant aliqualem poenam sensûs, e. g. ex obscuritate loci, vel ex tristitia de amissione cœli, vel alia de causa, certi absolute nihil habemus. Beatitudinem perfectam etiam tantum naturalem, eis tribuere, videtur nimium; etiam hæc non videtur convenire damnatis, quales revera sunt parvuli isti. Joseph. Requiescit in additione ad quæstiones selectas S. Thome disp. 1. de statu parvulorum. quidem omnem, dolorem, & tristitiam, ab his parvulis removeret, attamen n. 14. negat, eos beatos esse posse, ex

eo, quòd sint peccatores, & habeant in semetipsum peccati, ac positivam indignitatem ad receptionem donorum supernaturalium. Docet etiam hic author n. 14. eos carituros, non bonis naturalibus, sed tantum gratiis, adeoque carituros poenâ omni sensûs; alias carerent bono naturali; quia dolor utique repugnat alicui bono naturali. Addi potest, eos non habituros tam perfectam cognitionem abstractivam DEI, quam requiratur ad beatitudinem naturalem, de qua à n. 29. de beatit.

349. Requiescit in deo videtur consentire S. Thomas, qui in 2. disp. 33. q. 2. a. 1. docet, parvulos nullam poenam sensûs pati: & obijciunt sibi S. Augustinus, qui ait, eos parvulos puniendos æterno supplicio, ait ad 1. per supplicium intelligi poenam damni, imò in Scripturis per ignem frequenter quamlibet poenam significari iterum. Dein art. 2. ait, pueros non passuros ullum dolorem; quòd idem docent Suarez, Oviedo, Rhodes, & alii. Suarez insuper in 1. 2. tr. 5. de peccatis disp. 9. sec. 6. n. 4. ait, probabile esse, pueros hos non adfuturos in die judicii, vel, si adint, non omnia comprehensuros: de suo autem præmio, vel poena nihil intellecturos. Idem Eximius in 3. part. tom. 2. disp. 57. sec. 6. §. ad 2. dam confirm. ait, quòd parvuli illi quidem sint probabilis venturi ad iudicium universale, tamen ex sua privatione æternæ gloriæ &c. non sint contristandi: quòd autem non tristitentur, proventurum partim ex speciali providentia Divina, partim ex prudentia, & rectitudine voluntatum parvulorum.

Bellarminus e contra tom. 4. contr. 2. l. 6. de amissione gratiæ c. 6. putat, eos sensuros mitissimum aique modicum dolorem internum. Sed S. Thomas loco supra cit. negat, dolorem de tanto amisso bono parvum esse posse. Bellarminus quidem putat, eos aliter non posse dici damnatos. Sed ad hoc sufficere videtur poena damni. At quomodo sunt filii iræ Divinæ, si nullâ eriam tristitiâ puniuntur? Resp. Salmeron in 5. ad Rom. disp. 48. iram DEI non esse plenam, respectu peccati originalis parvulorum, ut est respectu actualium peccatorum. Requiescit autem n. 43. ait, iram sufficienter exerceri, excludendo eos à visione sua, ut David 2. Reg. 14. v. 24. eam exercuit excludendo Absalonem. In his omnibus possunt varia probabiliter dici, sed certò pauca affirmari.

350. Quæritur tandem 6. ubi habituri sint parvuli post finem mundi. Resp. Ex illis authoribus, qui putant, parvulos tristitiam passuros, quidam asserunt, eos in loco obscuro infra terram mansuros. Sed utique hæc esset poena sensûs, satis acerba, scilicet esse æternum in loco obscuro, Verum (reponunt isti auctores) inimicis DEI non competet locus tam amœnus, qualis futura est post diem iudicii terra. ita Bellarm. tom. 4. contr. 2. l. 6. c. 3. & alii. Qui verò negant, eos passuros tristitiam, statuunt eos in loco amœno, & alii quidem supra terram, ut Salmeron disp. 48. in ep. ad Rom. c. 5. alii verò, qui putant, terram tunc aquis inundandam, statuunt eos infra terram, quæ, cum pellucida futura sit, etiam locus eorum talis erit. Sed in his omnibus malo cum Oviedo in 1. 2. tr. 6. contr. 9. punct. 12. n. 96. referre, quid alii sentiant, quam in re obscura firmiter aliquid decidere. Videri meretur hic auctor citato puncto 12. per totum.



TRACTATUS THEOLOGICUS

In Primam Secundæ

D. THOMÆ.

DE DIVINA GRATIA ET MERITO.



Ribus disputationibus Tractatum hunc circumscribemus. Primam agemus de Gratia Actuali, seu Gratia, quæ datur ad salutares actus eliciendos, tentationes vincendas &c. Altera agemus de Gratia Habituali, seu Sanctificante. Tertia de Merito. Prima complectitur in se quæstiones potissimum controversas cum Janfenistis, ratione auxilii sufficientis. Altera paucioribus potest absolvi. Tertia paucissimis: quare, adjuvante ipsa Divina gratia actuali, sine qua boni nihil possumus, de eadem Tractatum inchoamus.

DISPUTATIO I.

De Gratia Actuali.

2. Differunt Gratia Actualis & Habituali, quod ista, quæ etiam sanctificans dicitur, tanquam habitus aliquis, & qualitas permanens, ex se maneat, ut alii habitus, donec à contrario expellatur: at verò illa, seu gratia actualis, ex se transiens sit, & sicut actus, ita & ipsa transeat, quamvis à nullo contrario expellatur. De hac itaque, atque ejus essentia, necessitate, ac existentia per tres quæstiones sat longas nobis erit agendum. Agit autem Angelicus Doctor de gratia in 1. 2. à quæstione 109. usque ad 114. ubi de merito incipit, & usque ad finem 1. 2æ de eodem differit: de quo & nos post finitas de gratia quæstiones, quantum opus fuerit, agemus: interim sit.

QUÆSTIO I.

De Essentia, & Divisionibus Gratia Actualis.

ARTICULUS I.

Varia Acceptiones, & Divisiones Gratia.

3. SOlet aliàs ante divisionem præmitti definitio rei; prius enim solet expeti notitia de essentia rei, quam de ejus partibus; at, cum non satis inter auctores conveniat, in quo gratia consistat, prius, ad meliorem naturæ ejus indagationem, præmittendæ sunt variæ, tum gratiæ divisiones, tum communiter receptæ hujus vocis Gratia acceptiones, quibus suppositis, tanquam ab omnibus fermè admittis, facilius pergere poterimus ad examinandam hujus rei essentiam. De his divisionibus, & acceptionibus gratiæ, passim agunt auctores: nos communiori ubique adharebimus, & cum iis, qui in terminorum acceptione fortè aliquantulum discrepant, perspecta eorum mente, faciliè conveniemus.

4. Itaque in primis gratia in sensu grammaticali significat *venustatem*, seu pulchritudinem corporis: sic Prov. 31. v. 30. dicitur: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo*. Iterum in eodem sensu significat *elegantiam sermonis*: sic Ecclesiastici. 6. v. 5. *Lingua eucharis* (id est gratiosa) *in bono homine abundat*, & Luca 4. v. 22. de Christo dicitur: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius*. Rursus in eadem

eadem acceptione grammaticali significat *affectionem benevolentiam*: sic dicitur quis cum altero redire in gratiam: & hic modus loquendi est valde usitatus in Scripturis: sic dicitur Genes. 47. v. 29. *Si inveni gratiam in conspectu tuo*. & alibi passim. At de gratia, in hoc sensu grammaticali accepta, nos hic non disputamus: sed de gratia, prout significat *aliquid donum, vel auxilium ex gratuito favore à DEO collatum*, quod tamen donum iterum est multiplex, atque valde diversum.

5. Alia enim est *gratia naturalis*, quæ est aliquid donum purè naturale; talis gratia est beneficium creationis, liberum arbitrium, & alia dona naturalia, quæ, si sint collata ex meritis Christi, sunt extrinsecè supernaturalia, & hinc aliquando etiam à Patribus cum S. Augustino ep. 95. vocantur gratia; ita enim ait Hipponenis: *Non improbanda ratione dicitur gratia DEI, qua creati sumus*. alia est tamen, qua prædestinati vocantur. Ratio autem istorum Patrum est; quia etiam ista à DEO in radice gratis conferuntur ob nullam DEI utilitatem; unde effectus prædestinationis latius patet, quam gratia Theologica; nam hæc est intrinsecè supernaturalis: ille autem potest constare etiam gratis entitativè naturalibus, e. g. auditione istorum, vel istorum verborum, visione mortis talis, vel talis: ex quibus aliquis sumit occasionem melioris vitæ: quæ tamen gratiæ naturales peculiari modo ordinantur ad salutem prædestinati, & sic sunt effectus prædestinationis.

Ad gratias intrinsecè naturales, & extrinsecè tantum supernaturalia, potest etiam referri *gratia extrinsecè protectionis*, quæ consistit in extrinseca remotione impedimentorum ad bene operandum; hæc enim ex intrinsicis suis non conducit ad visionem beatificam: sed tantum removet impedimenta, ut principium supernum, seu gratia operari possit. Unde non est gratia Theologicè, seu intrinsecè supernaturalis, sed tantum extrinsecè, ratione decreti, vel motivi, vel modi conferendi.

6. Alia est *gratia supernaturalis*, quæ scilicet est donum, seu concursus, qui superat exigentiam totius naturæ creatæ; cum enim natura rationalis duplicem finem respiciat, naturalem, & supernaturalem, etiam respicit duplicem concursum, naturalem in ordine ad consequendum finem naturalem, supernaturalem autem in ordine ad finem supernaturalem. Quamvis enim in hac providentia, & statu elevationis, homo non amplius ordinetur ad finem naturalem, sed vel debeat consequi finem supernum, aut utroque excidere, tamen absolute potuisset à DEO ad eum finem ordinari: & finis, ad quem nunc ordinatur, ei non est naturalis, ut contra Michaellem Bajum definiunt Pius V. & Gregorius XIII. dum damnarunt propositionem illius 21. nam: *Humana nature sublimitas, & exaltatio in consortium Divine nature, debita fuit integritati primæ conditionis: & proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis*. Verum neque de gratia naturali, seu, ut quibusdam eam placet vocare, philosophica, agimus, sed de Theologica, seu illa, quæ supernaturalis est,

& quidem Theologicè talis, seu intrinsecè conducens ad visionem beatificam.

7. Hæc gratia Theologica dividitur in primis in *gratiam increatam*, & *gratiam creatam*. Prior, seu gratia increata consistit in prædicatione Divinis, sive absolutis, sive relativis. Hæc autem gratia potest præstare effectum suum, vel per unionem physicam; & sic Personalitas DEI, quæ per unionem physicam sanctificat humanitatem Christi, potest dici gratia increata, respectu ejusdem humanitatis: vel potest præstare effectum absque unionem; & sic omnipotentia Divina, extrinsecè applicata, concurrens loco habituum, cum peccatore, habitibus spoliato, ad actum virtutis, est gratia increata. Sic etiam Spiritus Sanctus, cui specialiter opera superna attribuuntur, dicitur passim à Conciliis gratia; & etiam à S. Augustino *serm. 61. de verbis Domini. c. 1.* dicente: *Gratia quippe DEI donum DEI est: donum autem maximum ipse Spiritus S. est, & ideo gratia dicitur*. Huc reduci possunt merita Christi, quæ, utpote intrinsecè constituta ex dignitate increata Verbi, etiam quoad nobilissimum constitutum accepta, sunt gratia increata. Gratia creata autem sunt omnia illa dona, quæ aliquid creatum sunt, & à benignissimo DEO gratuito conferuntur.

8. Gratia creata distinguitur in *gratiam gratis datam*, & *gratiam gratum facientem*; quamvis enim omnis gratia sit gratis data, tamen gratia gratis data antonomastice vocatur illa, quæ non datur primario in ordine ad sanctificationem recipientis, sed potius ad utilitatem Ecclesiæ, aut aliorum, de quibus gratis fusè Suarez in *prolegomeno 3. de gratia c. 4.* At gratia gratum faciens est illa, quæ confertur in ordine ad sanctificationem propriam recipientis, quales sunt inspirationes, & illustrationes supernæ &c. Quamvis autem istæ, quando homo iis non cooperatur, eum actu gratum, seu sanctum non faciant, nihil obest; quia id faciunt saltem in actu primo, hoc est, sunt aptæ, & intentæ ad gratum faciendum.

9. Gratia autem gratis data numerantur novem à S. Paulo 1. Corinth. 12. v. 8. Prima est *sermo sapientiæ*, seu donum loquendi, inferendo ex fidei principiis conclusiones circa altissima mysteria, & prædicatione Divina. Secunda est *sermo scientiæ*, id est donum loquendi, inferendo ex principiis fidei conclusiones circa objecta creata. Tertia est *fides*, sumpta, non pro habitu fidei infuso, sed, vel pro fiducia ad patranda miracula, vel pro dono proponendi clarè, & bene, fidei mysteria, ut etiam rudes faciliè ea intelligant. Quarta est *gratia sanitatum*, seu donum sanandi morbos, & aegritudines. Quinta *operatio virtutum*, seu donum ad celebriora patranda miracula, ad manifestandam apertius potentiam Divinam, qualia fecit Moyses in Ægypto, & Apostoli in omni mundo.

Sexta est *prophetia*, seu donum prædicendi futura, vel manifestandi secreta cordium. Septima *discretio spirituum*, id est, donum discernendi cogitationes, affectiones, atque intentiones cordis, utrum sint à natura, an verò à spiritu Divino, an à spiritu malo, transformato in Angelum lucis. Octava *gratia linguarum*,

seu donum loquendi variis, & peregrinis linguis. Nona interpretatio sermonum, seu donum interpretandi sacras Scripturas, sive aperiendi sensus in iis latentibus: vel etiam capiendi linguas obscuriores, & intellectu difficiliore. Quenam autem ex his gratiis concedantur per modum habitus, quanam per modum puræ motionis transeuntis, latè tractat Suarez citato prolegom. 3. c. 5.

10. Jam gratia gratum faciens, de qua nobis hîc ex professo est sermo, alia est habitua, alia actualis. Illa, seu habitualis, est gratia sanctificans, quæ instar habitus infunditur in baptismo, vel in sacramento penitentiae, & augetur per actus supernaturales bonos, ac meritorios: manet etiam per se, ut habitus, donec per peccatum grave expellatur. Ad hanc gratiam habitualem reducuntur habitus virtutum Theologicarum, & moralium infusarum, itemque septem dona Spiritus Sancti, per quæ dicitur Spiritus Sanctus requiescere super homine. At verò gratia actualis, quamvis ordineatur à DEO ad sanctificationem, seu justificationem nostram, tamen non semper in actu secundo nos justificat, quando nempe ei non consentimus, sed ei resistimus. Dein stare etiam potest cum peccato; nam utique peccatores plura recipiunt auxilia gratiæ actualis. Non tamen manet hæc gratia per modum habitus, sed transit per modum actus: imò, ut infra dicemus, probabilibus hæc gratia stat in actibus vitalibus voluntatis, & intellectus.

11. Dividitur autem gratia Theologicè supernaturalis, prout complectitur gratiam habitualem, & actualem, ulterius in gratiam DEI, & gratiam Christi. Gratia DEI dicitur à Theologo illa, quæ à DEO est, non per Christum, nec intuitu meritorum ejus data: talis est gratia unionis hypostaticæ, item lumen gloriæ, & visio beatifica Christi quoad substantiam, quæ, ut communiter tradunt Theologi, Christus non est meritis. Gratia Christi est, quæ per Christum Redemptorem generis humani, sive intuitu meritorum ipsius, data est, qualis est omnis gratia, & gloria hominum, & Angelorum, ut iterum solet dici tr. de incarnatione: & videtur indicare Apostolus ad Ephesios 1. v. 3. de DEO dicens: Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo.

12. Jam verò gratia actualis, de qua, ut dictum n. 2. nobis nunc sermo est, dividitur ulterius in gratiam sanitatis, & medicinæ, seu medicinale. Ista, seu medicinalis est, quæ datur hominibus post lapsum in peccatum originale, qui per hoc redditi sunt infirmi & ægroti. Gratia sanitatis est, quæ datur sanis, hoc est, nullo morbo, aut vulnere peccati originalis afflictis. Talis gratia data est Beatissimæ, & Immaculatissimæ Virgini, item Sanctis Angelis, rursus Adamo, & Evæ in primo instanti creationis: & danda fuisset etiam nobis, si in primo parente non peccassemus.

13. Ulterius gratia actualis alia dicitur excitans, alia adjuvans: præveniens, comitans, subsequens: operans, cooperans: gratia, sive auxilium, sine quo non, & auxilium quo: tandem alia gratia sufficiens, alia efficax: ex quibus prædicatis tamen plura possunt eidem enitenti gratiæ

convenire, ut patebit consideranti. Gratia excitans est illa, quæ excitatur, monemur, & movemur à DEO ad operandum bonum. Adjuvans hîc intelligitur, non quomodocumque potens juvare; hæc enim dicitur à quibusdam tantum adjuvans: sed illa, quæ in actu secundo adjuvat; nam hic terminus adjuvans in his circumstantiis sumitur non latè, in quo sensu omnis ille dicitur adjuvare, qui auxilium qualecunque præstat, sed sumitur hic restrictè à Theologis, & significat adjuvare actu agentem, & in hoc sensu nemo dicitur adjuvari, nisi etiam ipse agat, ut ait S. Augustinus l. 2. de peccator. merit. & remissione c. 5. Nec adjuvari potest, nisi, qui etiam aliquid sponte conatur, & enarrat. in psalm 78. ad v. 9. Qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit. & serm. 13. de verb. Apost. c. 11. Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. Potest autem gratia juvare, vel moraliter, vel physicè cooperando, de quo plura infra.

Gratia præveniens, per quam simpliciter dictam intelligitur gratia intrinseca animæ, eique inhærens, atque ad actus bonos movens, est eadem cum gratia excitante: si autem intelligantur gratiæ extrinsecæ, gratia præveniens potest esse prædestinatio, seu electio Divina, item extrinseca protectio, & similia. Gratia comitans est illa, quæ comitatur actum bonum elicatum, adeoque eadem est cum gratia adjuvante. Gratia subsequens etiam est eadem cum comitante; nam, quæ dicitur comitans respectu actus eliciti, dicitur subsequens respectu gratiæ excitantis. Et hinc etiam S. Augustinus comitantem, & subsequentem sumit pro eadem. vide Suarez. de gratia l. 3. c. 23.

Gratia operans ad mentem S. Augustini est eadem cum excitante; quia per hanc (ut S. Aug. ep. 105. sub initium ait) Paratur, voluntas à Domino: & per illam DEUS solus moraliter operatur, quamvis etiam nos physicè, sed indeliberatè eam gratiam producimus. Cooperans autem juxta eundem S. Doctorem eadem est cum adjuvante; sic enim loquitur l. de grat. & liber. arbitri. c. 17. de DEO: Qui preparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit. Ubi noto cum Suarez. l. 3. de grat. c. 24. n. 11. Gratia cooperans potest sumi dupliciter. 1. pro actuali influxu gratiæ, qui imbitur in essentia actus liberi supernaturalis meritorii, seu est ipse actus liber, & formalis cooperatio DEI cum libero arbitrio; nam ipse actus, aut cooperatio est etiam gratia, ut nemo dubitat, & breviter ostendit Eximius prolegom. 3. de grat. c. 6. n. 9. unde ipse actus noster bonus dicitur gratia cooperans, ut etiam expressè asserit S. Thom. 1. 2. q. 111. a. 2. in corp. & idem potest etiam dici auxilium; nam etiam per ipsum actum DEUS nos formaliter adjuvat; quia formaliter per eum cooperatur: quod cooperari est formalissimè adjuvare. 2. gratia cooperans potest sumi pro auxilio, quod sit principium actus superni, atque hîc & nunc actualiter illum actum producat, & per quod DEUS actualiter influat.

14. Auxilium sine quo non, est illud, quod est ita necessarium, ut sine eo non sit expedita potentia ad agendum, quamvis non necessariò cum illo agat. Auxilium quo est, per quod sit ipse

ipse actus: sic S. Augustinus de corr. & gratia c. 12. ait, alimentum esse, sine quo non vivitur, quamvis cum eo non necessariò vivatur; potest enim abundans alimentis mori: e contra ait, beatitudinem (intelligendam formalem) esse auxilium quo; quia, qui eam habet, non potest non esse beatus. Gratia sufficiens est, cum qua possumus agere: & quidem purè sufficiens est, cum qua quidem possumus agere, sed ex nostra culpa non agimus.

Gratia efficax potest duplici in sensu accipi: vel, ut significet tantum auxilium, quod in se habet virtutem, potentiam, seu efficaciam in actu primo, sicut e. g. sol est causa efficax caloris, licet sæpe ab eo producendo impediatur: item medicina est efficax, etsi non fumatur, vel aliquando ob alia impedimenta sanitatem non efficiat. Et in hoc sensu omnis gratia sufficiens est efficax; aliàs enim repta non sufficeret, ut rectè probat Reverendissimus Knippenberg Inquisitor Colonien. ex ord. D. Domini in opusculo contra librum auctoris anonymi a. 3. Neque nos hoc negamus, quando negamus, ad elicendum actum bonum prærequiri necessariò gratiam efficacem: imò in hoc sensu gratiam efficacem necessariam esse, atque semper dari, quando homo est proximè liber ad actum bonum, contra Jansemitas constantissimè contendimus. At verò negamus, prærequiri ad actum bonum gratiam efficacem in alio sensu, in quo antonomasticè à Theologis dicitur, quando gratiam efficacem simpliciter dictam indigitare volunt; tunc enim intelligitur gratia efficax, seu effectrix actus, sive quæ infalibiler post se trahit actum bonum, in ordine ad quem datur: & talem negamus necessariam esse; quia, etsi actus non sequatur, potest tamen auxilium præcedens verè sufficiens fuisse.

ARTICULUS II.

In quo consistat Gratia Actualis.

15. Dux sunt celebriores sententiæ hæc de re. Prima Thomistarum cum Alvarez disp. 74. de auxiliis, qui dicunt, gratiam excitantem, prævenientem, vel etiam adjuvantem, non solum stare in actibus vitalibus indeliberatis, intellectus, & voluntatis: sed etiam in qualitate mortua, supernaturali, essentialiter fluida, sive transeunte cum actibus, ad quos movet per modum physici impulsus, & ad quos effectivè concurrunt: quàmque qualitatè DEUS nobis, juxta istos auctores, infundit ad hoc, ut illas illustrationes, & inspirationes indeliberatas, utpote actus intellectus, & voluntatis, producamus.

Altera sententia est eorum, qui dicunt, gratiam excitantem, & prævenientem, stare in ipsis actibus vitalibus sanctarum illustrationum, & affectionum, quas DEUS producit in nobis sine nobis liberè, aut moraliter cooperantibus; quamvis ad eas, utpote actus immanentes, potentie nostræ physicæ, sed indeliberatè concurrant. Ita Suarez l. 3. de auxiliis gratiæ c. 4. n. 2. Tannerus, Amicus, Oviedo, Arriaga, alique ex nostris, & externis: imò juxta Suarez ibidem communiter etiam antiqui Theologi.

R.P. Ant. Mayr, Theol. Tom. I.

16. Dico cum hac secunda sententia. Omnis gratia interna excitans, aut præveniens ad opera salutaria, saltem in hac providentia, consistit in solis actibus vitalibus, seu illustrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis: non autem in qualitate non vitali. Probatur. In quo consistat gratia, in hac providentia, debet desumi ex Conciliis, & Patribus, nec debet alia adstrui, quàm quæ ab his traditur: atqui à Conciliis, & Patribus, non traditur alia gratia, quàm quæ consistit in actibus vitalibus: ergo, ma. videtur innegabilis; cum doctrina de gratia desumenda sit tota, ex revelatione Divina, & Sacra Scripturæ sensu, per Concilia, & Patres explicato.

Probatur mi. in primis ex Tridentino, quod sess. 6. c. 5. ita habet: Declarat Sancta Synodus præterea, ipsius justificationis exordium in adultis, à DEO per Christum JESUM præveniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut, qui per peccata à DEO averti erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando, disponantur, ita, ut tangente DEO cor hominis, per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abjicere potest: neque tamen sine gratia DEI, movere se ad justitiam coram illo, libera sua voluntate possit.

Ex quibus verbis habetur, gratiam excitantem esse vocationem: atqui vocatio non est qualitas mortua, sed actus vitalis, per quem cognoscimus voluntatem DEI, & illuminamur interne. Ex istdem habetur, gratiam, per quam DEUS tangit, seu movet cor hominis (non materialiter, sed spiritualiter) esse illuminationem: hæc autem illuminatio interna, seu illustratio, aliud non est, quàm cognitio in intellectu producta, per quam supernaturaliter cognoscimus, quid sit bonum, ac honestum. Pariter Concilium Senonense decreto 15. de libero arbitrio, dum voluntatem humanam gratiæ juvari tradit, id magis explicans dicit, eam interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis affatu contactam, sese convertere ad DEUM. Sic etiam Cælestinus l. epist. 1. ad Episcopos Gallia de gratia ait: Preparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.

17. Probatur eadem min. ex Patribus, præsertim ex S. Augustino, cujus autoritas in materia de gratia præ alis magna est, & qui variis locis gratiam in actibus vitalibus stare asserit. Sic l. de spir. & liter. c. 34. Visorum suasionibus agit DEUS, ut velimus, & ut credamus. & l. 2. de peccator. merit. & remiss. c. 17. Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratia DEI est. & c. 19. Cum autem ab illo illius adjuvatorum deprecamur, ad facendam, perficendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quàm, ut appareat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat: quæ verba à prioribus sensu non discrepant ubi particula quid aliud, per interrogationem addita, significat idem, ac nihil aliud: adeoque ex S. Augustino gratia illa non est aliud, quàm illi minatio,

M

minatio, & inspiratio vitalis. Similia habet alibi, quæ per decursum hujus tractatus plura asferemus. Eodem modo gratiam explicat S. Prosper l. 2. de vocatione gentium c. 26. *Gratia quidem DEI in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dandò intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando; & fidei affectionibus imbuendo.* item S. Cyrill. l. 4. in Joannem c. 6. dum ait, homines trahi ad Christum monitione, doctrina, revelatione, ineffabiliter facta. Confirm. tandem conclusio ratione negativa; quia scilicet qualitatis distinctæ, in qua gratia consistat, nulla unquam necessitas potest probari.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

18. **O**B. 1. Gratia præveniens, & excitans, est illa, quam DEUS facit in nobis sine nobis: ergo non potest stare in actibus vitalibus. conseq. patet; quia actus vitales essentialiter producuntur à vivente; nam sunt actiones essentialiter immanentes: adeoque illustrationes intellectus, & inspirationes voluntatis, producuntur etiam à nobis, qui per eas illustramur. antec. probatur ex Scripturis. psal. 120. v. 2. dicitur: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram:* ergo gratia, sive auxilium, ita est à DEO, sicut cælum, & terra, quæ ab ipso solo, absque ullo alterius influxu, producta sunt. Idem antec. etiam probatur ex Concilio Arausicano II. quod cap. 20. ait: *Multa in homine bona sunt, quæ non faciuntur à nobis, sed à Domino.* quod potissimum à Concilio dictum est de gratia præveniente: ergo.

Resp. dist. antec. Gratia est, quàm DEUS facit in nobis sine nobis, moraliter, aut meritorie concurrentibus. conc. antec. sine nobis physicè concurrentibus. neg. antec. & conseq. ad primam probationem. neg. conseq. Non dicit psalmista, eodem modo produci gratiam, quo producitur cælum, & terra: sed tantum dicit, produci eam ab eodem DEO. Ad 2. prob. ex Arausicano servit superior distinctio de influxu libero morali, & meritorio, & de influxu tantum physico. Neque Concilium excludit alium influxum, quàm morale, & meritorium; quia plus non requiritur ad intentum Concilii, quod contra Massilienses voluit definire, quòd natura, nisi gratià præventa, non possit elicere actum salutarem, vel, prout oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, qui est modus loquendi Tridentini.

Ad clariorem rei hujus intelligentiam notandum, particulas *sine nobis*, triplicem cooperationem excludere posse, physicam, liberam, & meritoriam: quamnam autem excludant, ex circumstantiis, & subjecta materia est colligendum. Certum autem est, in hac materia de gratia præveniente, ex mente Conciliorum, & Patrum, per particulas *sine nobis*, excludi semper influxum liberam, & meritorium; nam, si homo in primam gratiam influeret meritorie, adeoque eam mereatur, non jam esset gra-

tia, & minus essent gratia ea, quæ eam consequuntur: quæ tamen ideo dicuntur gratiæ; quia in prima gratia, tanquam in radice, gratis dantur.

At non excludunt Concilia, aut Patres influxum purè physicum, indeliberatum, & necessarium; quia hic influxus, qui nec liber, nec moralis, nec meritorius est, nullo modo præjudicat intentioni Conciliorum, quæ fuit contra Pelagianos, & Semipelagianos asserere, gratiam præcedere omne meritum nostrum, & prorsus gratis, absque prævio ullo merito, dari, nec naturam sufficientem esse ad merendum etiam initium fidei. Imò influxus physicus in gratiam est ad mentem Conciliorum, & Patrum, qui gratiam volunt in actibus vitalibus stare, ut probatum à n. 16.

Accedit, quòd Concilia, & Patres dicant, illud quoque facere DEUM solum, vel sine nobis, in quod tamen etiam nos physicè influimus: ergo tantum excludunt influxum morale, & meritorium. antec. prob. Sic S. Augustinus epist. 105. longè post medium ait: *Quod enim promittit DEUS, non facit nisi DEUS:* ubi illud nisi, quod significat DEUM solum, non excludit nostram cooperationem physicam; cum DEUS promittat etiam visionem beatificam, quæ est manifestè actus vitalis, & in quem influimus. Sic etiam promittit DEUS Ezechielis 11. v. 19. se ablaturum *cor lapideum*, & daturum *cor carneum*, seu molliorem affectum erga bonum: in quem etiam physicè influimus. Sic Tridentinum citatum n. 16. ait, DEUM tangere cor hominis per illuminationem: utique autem DEUS solus dicitur tangere, & non homo ipse; aliàs gratia etiam esset ab ipso homine: & tamen homo quoque ad eam illuminationem cooperatur, quamvis non liberè cooperetur.

Dein ea, quæ non facimus liberè, & moraliter, juxta modum loquendi Scripturarum, & Patrum, non censetur facere. Sic Paulus ad Romanos 7. v. 17. de motibus inordinatis involuntariis ait: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* quamvis physicè utique in eos, actus influxerit. Sic Christus Matth. 10. v. 20. ait Apostolis: *Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis:* utique autem etiam ipsi, physicè saltem, locuti sunt. Sic D. Bernardus de gratia, & libero arbitrio c. 44. n. 46. ait: *DEUS tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit.* Et tamen utique in cogitationes, & volitiones nostras physicè influimus.

19. **O**B. 2. Ad hoc, ut gratia sit à DEO sine nobis, debet excludi concursus noster, tam physicus, quàm moralis: ergo. Confirm. Gratia excitans est pulsatio januæ cordis, juxta illud Apocal. 3. v. 20. *Sto ad ostium, & pulsabo: sed pulsatio est à solo pulsante, non à recipiente pulsationem:* ergo etiam gratia est à solo DEO. Resp. neg. antec. ut patet ex jam dictis. Adde tantum hoc: sicut non potest dici; peccatum esse à DEO, licet hic physicè ad illud concurrat; quia scilicet non concurrat imputabiliter; ita neque gratia potest dici esse à nobis, licet physicè

physicè in eam influamus; quia non influimus in illam imputabiliter.

Ad confirm. potest negari min. nam etiam janua pulsata concurrat physicè ad sonum, ut puro esse clarum. dist. tamen ma. gratia est pulsatio tantum materialis, & externa. neg. ma. spiritualis, & interna. conc. ma. & eodem modo dist. min. neg. conseq. Certè à Tridentino, & Cælestino Papa citatis n. 16. dicitur DEUS tangere (hoc est, pulsare; quia sunt idem) per illuminationem, quæ physicè etiam est ab homine; illuminatio enim, seu cognitio boni, dari non potest sine physico nostro concursu. Ubi nota, pulsationem DEI dupliciter nos posse audire: primò per concursum liberum, & consensum præstitum gratiæ: & hæc auditio distincta est à pura vocatione juxta illud psal. 84. v. 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus DEUS:* secundò per solam perceptionem, aut receptionem inspirationis: quæ non est distincta realiter à vocatione, sed tantum formaliter, & dicitur vocatio, quatenus fit à DEO, seu quatenus est actio DEI: quatenus autem nobis inhæret, & objectum, à DEO intentum, vitaliter repræsentat, dici potest auditio, juxta illud psalmi 94. v. 8. *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

20. **O**B. 3. Si gratia præveniens, à qua habetur saluus exordium, esset actus vitalis, simul à DEO, & à nobis physicè productus, tunc justificationis initium reduceretur tam in in nos, quàm in DEUM: sed hoc est Semipelagianum: ergo. Resp. neg. ma. Ut utrique attribui posset justificationis exordium, deberet illud esse tam imputabile nobis, seu nostræ naturæ, quàm DEO: atqui hoc nullatenus ex nostris principiis sequitur; nam dicimus, illum concursum nostrum, purè physicum, indeliberatum, & nullo modo morale, vel imputabile, aut meritorium esse: sicut pari ex ratione DEO imputari non potest peccatum. Semipelagiani autem docebant, naturam nostram, solis viribus sibi debitis, elicere merita, quæ sint initium salutis, & quibus meritis salus inchoetur, quibus etiam debeatur gratia, ad salutem perficiendam: à quo errore doctrina nostra longissimè distat, quantum scilicet actus prorsus non meritorius à meritorio.


21. **O**B. 4. S. Paulus ad Rom. 8. v. 14. ait: *Quicumque enim Spiritu DEI aguntur, ii sunt filii Dei:* ergo homines aguntur gratià DEI: sed agi non est agere, seu physicè concurrere: ergo non concurrunt homines physicè ad gratiam DEI. prob. min. ex S. August. c. 2. de gestis Pelagii (qui liber non quidem habetur inter opera S. Augustini; quia teste Bellarm. de script. Eccles. primum postea inventus est: habetur autem apud Suarezium p. 1. de grat. prolegom. 6.) dicente: *Qui enim regitur, aliquid agit: & à DEO regitur, ut rectè agat: qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur.* Resp. neg. min. subsumptam, ad prob. S. Aug. non ait: *Nihil agere intelligitur, sed vix aliquid;* hoc est, quasi nihil, qualis est hic influxus physicus, qui in genere moris nihil reputatur. Imò S. Augustinus l. de corr. & grat. c. 2. hanc nostram responsonem clarè confirmat, sic scribens: *Aguntur enim, ut agant, non, ut ipsi nihil agant.*

Dices 1. In quo ergo distinguuntur agi & regi? Responder S. Chrysostomus homil. 1. in epist. ad Rom. non valde longè ab initio sic scribens: *Quicumque spiritu ducuntur, hoc est, quicumque omnem vitam ita vivunt. Quid autem velit per hoc ita intelligi, explicavit superius, nempe ut non corpus solum, sed ipsam etiam animam ductui S. Spiritus subjiciant, nec velint animam dominari suo instituto, sed subjici potestati S. Spiritus: adeoque ii tantum reguntur, qui non ita vivunt. Resp. 2. S. Augustinus eo loco non opponit, agi Divinum, & regi Divinum; nam ibidem dicit: *Spiritu sapientiæ, non viribus propriæ voluntatis, reguntur, & aguntur filii DEI:* adeoque agnoscit, etiam esse filios DEI, qui reguntur à DEO: consequenter hic non facit discrimen, inter agi per gratiam Divinam internam, & regi per illam (quidquid sit, an aliquid discrimen sit) sed opponit sibi agi Divinum, & regi Pelagianum: atque inter hæc facit discrimen; nam opponit sibi operari ex spiritu sapientiæ, hoc est, ex gratia DEI interna, & operari ex viribus naturæ debitis.*

Pelagius enim docebat (ut eodem loco habet S. Augustinus) omnes propria voluntate regi: adeoque homines, solis viribus naturæ debitis, à DEO regi: vel saltem volebat, solas naturæ vires à DEO dirigi per legem, atque doctrinam. hoc est, per gratiam externam. ita refert S. Augustinus epist. 107. additque, Pelagium in hunc sensum malè interpretatum esse illud psal. 36. v. 23. *A Domino gressus hominis diriguntur:* (ita legebat S. Augustinus, modò legitur: *Apud Dominum.*) Econtra S. Augustinus hoc constantè negabat, & contendebat, filios DEI spiritu sapientiæ agi, & non viribus naturæ regi, hoc est, ex gratia DEI habere, ut bene agant, & etiam, ut bene velint; hinc ait, eodem versu psalmi statim addi: *Et viam ejus volet:* hoc est, homo volet viam DEI; quia scilicet à DEO per gratiam, seu spiritum sapientiæ, directus est: non autem dicitur *Quia viam ejus voluit:* seu quia viribus naturæ bene usus est, ideo ad gratiam directus, vel promotus fuit. In hoc autem sensu utique diversissima sunt, regi Pelagianum, & agi Divinum: illud denotat piè operari ex viribus naturalibus: hoc significat operari piè, seu ad salutem, viribus supernis.

Quare ex S. Augustino is, qui juxta Pelagium tantum regitur, agit viribus naturæ, & tantum causa principalis: quod cum nequeat homo in ordine ad actus supernales, rectè rejicitur error Pelagii, volentis, hominem etiam à DEO tantum regi in ordine ad actus supernales: qui autem agitur, juxta S. Augustinum agit viribus supernæ gratiæ, & consequenter vix agit; nam, si non agat liberè, aut imputabiliter, sed concurrendo tantum physicè ad gratiam, seu illustrationem indeliberatam, moraliter non agit. Si autem agat liberè, & imputabiliter, in ordine ad actus meritorios, seu salutares, tamen non agit ut causa principalis; hæc enim est gratia juxta illud Apostoli 1. Cor. 15. v. 10. *Non ego autem, sed gratia DEI mecum:* & hæc longè plus agit, quamvis etiam homo ex Tridentino non omnino nihil agat: quia autem longè minus agit, dicitur juxta S. Augustinum vix agere.

22. Dices 2. Plus est agi, quàm regi: sed



regi est moveri moraliter: ergo agi est moveri physice per qualitatem mortuam, Resp. Argumentum est simile huic. Gravius est furtum decem crucigerorum, quam tantum duorum: sed furtum duorum est veniale: ergo furtum decem crucigerorum non est veniale, sed mortale: quia argumentatio est nulla. In forma respondeo, syllogismum non esse bonum, ut jam ostensum. dist. tamen ma. plus est agi Divinum, quam regi Pelagianum. conc. ma. agi Divinum, quam regi Divinum. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Excessus autem stat in eo, quod ex una parte sint vires supernæ, ex altera naturales, quæ ab illis plurimum superantur. Qui admittunt discrimen inter agi Divinum, & regi Divinum, dicunt, per illud intelligi collationem gratiæ efficacis, per hoc collationem gratiæ tantum sufficientis: in quo utique est excessus magnus. Sed dubito, an hoc sit ad mentem S. Augustini, qui loc. cit. n. 21. pro eodem videtur sumere reguntur & aguntur; quia e conjungit, item dicit, eum, qui regitur, plus agere, quam qui agitur; cum tamen instructus gratia sufficienti non agat; at verò agat instructus efficacis. Minime autem per hunc textum probatur motio physica per gratiam, tanquam qualitatem mortuam; nam, cum de hac non fuerit controversia inter S. Augustinum, & Pelagium, sed lis tantum fuerit de necessitate alicujus gratiæ supernaturalis intrinsecæ, non potest ex hoc textu inferri, quod S. Doctor talem motionem voluerit adstruere.

23. Dices 3. Homo per gratiam non tantum ducitur, sed trahitur, juxta illud Joan. 6. v. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: atqui duci est moveri moraliter, per illuminationes vitales, in quas physice influit homo motus, seu ductus: ergo trahi est moveri physice, per qualitatem mortuam, in quam non physice influit homo motus. Resp. Duci præcisè, prout hic sumitur, in actu primo, potest dici etiam de eo, qui non sequitur, seu non consentit gratiæ: si quis verò ductum sequitur, is jam trahitur; unde trahi est excitari per gratiam prævisam cum consensu conjungendam.

In forma neg. conseq. Utrumque, ducti, & trahi, est moveri moraliter: sed differunt in eo, quod trahi connotet gratiam efficacem, duci vero sufficientem. Neque verum est, quod tractio intelligatur physica; nam S. Aug. tr. 26. in Joannem post initium ait: Trahitur animus & amore: qui utique est actus vitalis, & tractio moralis, non physica: & paulò post addit: Voluptate traheris... trahit sua quemque voluptas. iterum inferius: Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam: naves pueri demonstrantur, & trahitur, & quia, quò currit, trahitur, amando trahitur &c. quæ omnes tantum sunt tractiones morales. Qui autem dicunt, hanc tractionem moralem accedere ad Semipelagianismum, aut non satis capiunt, aut capere nolunt, in quo ster ea hærent. Sed de hac actum est tract. de DEO. n. 415. & paulò post iterum de ea mentio fiet. 24. Ob. 5. Gratia excitans, quæ consistet in qualitate mortua, non repugnat: ergo debet admitti in hac providentia. Confir. 1. Non est contra mentem Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, admittere gratiam prævenientem, non

vitalem, nobis inhærentem, & physice effectivam illarum illustrationum supernaturalium, etiam indeliberatarum, quibus excitatur: ergo debet admitti talis gratia. Confir. 2. Connaturalis est, naturam elevari per potentiam intrinsecam, quam per extrinsecam: ergo debet admitti ea qualitas; aliàs enim deberet natura, ad producendas primas affectiones supernaturales, elevari per omnipotentiam DEI extrinsecè applicatam; quia tunc necdum haberet habitum. prob. conseq. hæc ipsa connaturalitas est sufficiens ratio, cur admittantur habitus virtutum infusorum: ergo etiam est sufficiens ratio, cur admittatur hæc qualitas.

25. Resp. neg. conseq. à potentia enim ad actum nullum est argumentum affirmativum, ut constat apud omnes. Ad 1. confir. Resp. 1. om. antec. neg. conseq. debet res, quæ non aliunde probatur, non tantum non esse contra Scripturam, sed etiam in ea habere fundamentum. Resp. 2. neg. antec. nam ea, quæ Tridentinum, & Pares citati n. 16. & seq. dicunt de gratia, ejusque munis, & effectibus, non conveniunt qualitati mortuæ. Ad 2. confir. neg. antec. Ut rectè observat Gormaz in M. S. ubi non est positivum prædicatum, neque est comparativum: seu, ubi non est connaturale, neque est connaturalis; cum ergo naturæ nostræ non sint connaturales potentia supernaturales, neque possunt esse connaturaliores. Aliud est, quòd gratiæ sanctificantis, quæ est quasi natura in ordine supremo, connaturales sint potentia, seu habitus supernaturales infusi. Neque negamus, quòd in homine habente gratiam sanctificantem, & consequenter habitus virtutum, isti possint etiam influere in actus indeliberatos illos, qui sunt gratia excitans.

At, si gratia sanctificans desit, & consequenter non adiunt habitus (excepta fide, & spe, qui marient, donec per contraria ipsis peccata indeliberatis, aut desperationis expellantur) tunc neque adsunt potentia intrinsecæ; quia non adest radix ipsas exigens. Et tunc suppletur earum defectus per potentiam DEI extrinsecè applicatam. Ubi hoc addendum, gratiam DEI excitantem, consistentem in vocatione, seu illuminatione, non esse suppleibilem per potentiam DEI extrinsecè applicatam; quia non potest creatura intelligere, neque supernaturaliter, sine actu vitali, per solam DEI potentiam. At gratiæ DEI physice tantum concurrentes (quales sunt habitus) possunt suppleri; quia potest aliquis agere, modò habeat aliquam virtutem adjuvabilem, sive juvetur extrinsecè, sive intrinsecè, e.g. qui prius non potest portare pondus, potest juvari, vel intrinsecè, si robustior intrinsecè in corpore fiat, vel extrinsecè, si alius extrinsecè simul eum eo portet.

26. Dices. Saltem convenientius est, ut creatura semper agat per potentias intrinsecas, quam per adiutorium tantum extrinsecum: ergo debet in defectu habituum, e.g. in peccatore, admitti hæc qualitas mortua, quæ sit principium intrinsecum eliciendi actus supernaturales, etiam indeliberatos, ne debeat recurri ad omnipotentiam DEI extrinsecè applicatam. Confir. 1. Non est contra mentem Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, admittere gratiam prævenientem, non

juvat, aut determinat voluntatem: ergo debet admitti physice movens, & physice influens. Resp. neg. antec. intellectum de actionibus supernaturalibus; cum enim istæ actiones naturæ creatæ non habent gratiam, tanquam radicem potentiarum intrinsecarum; per se non conveniant, sed supra ipsam sint, ea non magis exigit agere supernaturaliter per potentias intrinsecas, quam per extrinsecas, & spectat ad DEUM eligere, quomodo velit concurrere. Unde Pares, ac Theologi non admittunt habitus internos infusos; tanquam connaturaliores naturæ, sed tanquam connaturaliores gratiæ.

Nereplices, Theologos communiter docere, animam Christi, eoquòd operata sit modò convenientissimo; operatam esse per habitus intrinsecos; Respondetur enim facile, illi animæ; unitæ Divinitati; fuisse actiones supernaturales debitas, & positivè convenientes: adeoque etiam debitas, ac convenientes fuisse potentias intrinsecas ad eas actiones: at non sunt ita debite actiones supernaturales naturæ puræ, & gratia sanctificante non instructæ. Neque pertinet ad suavem DEI providentiam, dare vires intrinsecas homini, nisi in ordine ad naturales, vel in ordine ad supernaturales tunc, quando homo est in statu perfectò, seu gratiæ: non verò, quando est in contrario statu.

Ad confir. neg. antec. supposito enim, quòd homo habeat conprincipia supernaturalia, physice influentia, e.g. habitus virtutum, vel omnipotentiam DEI, specialiter, & supernaturaliter applicatam, sufficientissime potest juvari, & moveri illustrationibus &c. sicut in ordine ad actus naturales movetur ad consilii, & rationibus naturalibus. Et utique aliquis juvatur, quando animatur, & incitatur; certè sapientissime dicitur aliquis juvari consilio, adhortatione &c. sine quibus animus; aut languidus non auderet, aut mox desisteret, vel dubius, & incertus hæreret, nec ageret: & ita etiam magnum est auxilium gratiæ moraliter incitantis.

ARTICULUS IV.

An Gratia excitans physice influat in actus salutare.

27. Dico. Probabilissimè gratia actualis excitans non physice influat in actus salutare, ita Suarez l. 3. de gratia. c. 17. n. 5. Oviedo in 1. 2. tr. 7. contro. 1. punct. 7. n. 61. Gormaz in manuscriptis & alii, præsertim antiqui; nam, ut ait Suarez cit. cap. n. 16. nec Divus Thomas, nec alii Theologi antiqui, hanc efficientiam physicam gratiæ tribuunt; quamvis, ut ait Eximius, diligenter hæc de re authores inquisiverit. Idem Eximius cit. lib. c. 18. n. 10. ait, Concilia, & Patres de hoc physico influxu nihil specialiter tractasse. Non tamen nego, etiam oppositæ sententiæ magnam probabilitatem inesse.

Probant quidam hanc conclusionem sic. Gratia excitans non tantum deberet influere physice in actus salutare hominis iusti, sed etiam in actus peccatoris; (non enim videtur ulla ratio, quare in uno casu debeat influere, & non

in altero, cum in utroque gratia detur ad actus eos eliciendos) atqui in homine peccatore non potest gratia excitans physice influere: ergo. prob. min. gratia excitans est causa principalis actus boni: ergo, si influeret physice, deberet esse æquè saltem perfecta, ac est ipse actus: atqui gratia excitans, utpote actus indeliberatus, non potest esse tam perfecta; ac est actus salutaris deliberatus: ergo non potest physice influere. antec. 1. habetur ex S. Paulo 1. Cor. 15. v. 10. dicente: *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia DEI mecum*: ubi in operando sibi gratiam, tanquam causam principalem, præponit: conseq. est communis, & videtur haberi ex naturali instinctu, quò judicamus; ab imperfectiori non posse physice; & simul principaliter produci aliquid perfectius. prob. etiam subsumptum: actus deliberatus, etiam si non sit intrinsecè liber, tamen est; saltem ordinariè, magis intensus, aut clarus, aut firmus amplexus objecti, quam actus indeliberatus antecedens: adeoque iste, seu gratia excitans; saltem ordinariè, est imperfectior.

Si dicas, gratiam istam ex se non satis perfectam; ad hoc, ut sit causa principalis, elevari à DEO; rectè urget Suarez: vel elevatur intrinsecè, & debet qualitas aliqua poni in ipso actu vitali; quod est incredibile: vel elevatur extrinsecè; & melius dicitur, quòd immediatè elevetur voluntas. Non autem eodem modo requiritur; ut causa; moraliter tantum influens; quamvis principaliter; seu quatenus principale motivum repræsentat, sit æquè perfecta, ac est effectus, ut est clarum vel ex eo, quòd ipsum motivum repræsentatum sæpe non sit tam perfectum, quam vel actus, vel effectus; quòd illud elicitur.

Nec dicas, non quamlibet partialem causam physicam, sed tantum totam causam physicè influentem, debere esse æquè perfectam; ac est actus, vel effectus; nam, licet hoc verum esse possit, quando nulla est causa principalis, ut fortè accidit in generatione tertiarum specierum animalis: tamen, quando una causa ex omnibus est principalis, videtur ex communi instinctu, quem habemus, quòd illa debeat esse saltem tam perfecta, ac est effectus. Quia tamen hæc ratio videtur posse impugnari ex paritate cum lumine gloriæ (de quo in tract. de DEO num. 244.) quod est causa physica principalis visionis beatificæ; quamvis sit imperfectus; ut iterum diximus tract. de DEO. num. 352. item in habitibus aliis influentibus in actum, etiam imperfectioribus actu libero, & vitali (nam dicere, quòd perfectio vitalis conpensetur per perfectionem habitualitatis, seu exigentia ad permanendum, foret dicere aliquid satis incertum) hinc.

28. Prob. conclus. 2. aliter. Gratia excitans requiritur tam in iusto, quam in peccatore: ergo deberet etiam physice influere in actus peccatoris se convertentis, ita; ut ipsa, tanquam conprincipio intrinsecò, instructus peccator, possit elicere actus salutare: ergo falsum esset, quòd communissimè dicunt Theologi, scilicet quòd habitus, quos iustus habet, dent simpliciter posse; prob. conseq. gratia excitans daret simpliciter posse; quia cum ipsa jam simpliciter possit peccator actus bonos elicere, con-

Sequenter id etiam posset iustus, in quo non minus debet semper adesse gratia excitans: & hæc non haberet minorem vim in præsentia habituum, quam in eorum absentia.

Si dicas, gratiam excitantem non sufficere ad eliciendum actum bonum absque habitibus: sed, si isti desint, debere adhuc eorum defectum suppleri per potentiam DEI extrinsecè applicatam; inprimis contradicis physici influxus patronis, & evertis præcipuum eorum fundamentum, quod est, potentiam debere per principia intrinseca reddi expeditam; hoc enim iuxta hanc responsionem non fieret. Dein, si debet aliquis defectus suppleri per omnipotentiam DEI specialiter concurrentem, melius dicitur, quod omnis suppleatur, ne tribuatur gratiæ aliqua virtus partialis, quæ non videtur ipsi convenire.

29. Prob. conclus. 3. Gratia excitans est actus intellectus, vel solus, ut iuxta quosdam auctores aliquoties contingit, vel unà cum actu voluntatis, ut ordinariè, vel saltem ut plurimum fit: sed actus intellectus non potest influere in actum voluntatis: ergo, prob. min. actus unius potentia non est principium physicum, & proximum actus alterius potentia; quia, ut habet Suarez *l. 3. de grat. c. 17. num. 6.* istæ sunt virtutes, vel actiones diversarum rationum: ergo. Confirm. In naturalibus cognitio non est principium physicum volitionis, nec volitio cognitionis, ut teste Suarez *loc. cit. num. 7.* ab omnibus philosophis receptum est: ergo nec in supernaturalibus actus intellectus est principium physicum actus voluntatis; quia non est ulla ratio, quare DEUS aliud stauerit, vel aliam efficientiam actibus his tribuerit in ordine superno. Confirm. 2. Voluntas non dicitur movere intellectum, nisi imperando, & intellectus non dicitur movere voluntatem, nisi illustrando: sed hæc utraque motio est tantum moralis, & alia non probatur: ergo.

Confirm. 3. conclus. ex communi auctoritate, saltem implicite pro nobis stante, eorum Theologorum, qui non admittunt elevationem extrinsecam voluntatis per omnipotentiam DEI extrinsecè applicatam; hi enim, quando quaritur, quænam sit causa physica actus, qui est ultima dispositio ad habitum e. g. in peccatore poenitente, dicunt, causam esse ipsum habitum, & admittunt aliquam mutuam naturæ prioritatem potius, quam assignent pro causa gratiam excitantem: ergo signum est, quod non agnoscant in hac gratia vim physicè effectricem. Tandem conclusio hæc probatur etiam argumento negativo, ex eo scilicet, quod hic influxus physicus gratiæ excitantis non sufficienter probetur: adeoque tantum admitti debeat influxus moralis, quem nemo negat.

30. Ob. 1. S. Paulus *1. Cor. 15. v. 10.* ait: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum:* ergo causa principalis actus salutaris est gratia: ergo debet esse physicè effectiva. Resp. neg. 2. conseq. Imò ex hoc textu, & ex eo, quod gratia debeat esse causa principalis, inferunt aliqui, ut dicitur *num. 27.* quod gratia actualis non possit esse causa physica: & hinc debeat physicè concurrere gratia habitualis, sive habitus superni virtutum insularum: cumque hi sint etiam gratia, potest de his intelligi S. Paulus

tanquam de physicè influentibus: de actuali autem gratia potest intelligi tanquam de moraliter influente. Quodsi habitus virtutum, ut contingit in peccatore, desint, jam dictum est, splendendum influxum physicum ab omnipotentia DEI, quæ etiam est supernaturalis gratia increata. Accedit, quod sæpe causa principalis sit tantum moraliter influens, ut patet in mandante, & exequente.

31. Ob. 2. Concilium Milevitanum *can. 4.* anathema dicit ei, qui dixerit, per gratiam DEI solum aperiri nobis intelligentiam mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus: ergo gratia non tantum illuminat intellectum, sed etiam physicè influit. Resp. neg. conseq. Concilium loco citato loquitur de gratia justificante; nam hanc nominat *can. 2.* & dein *can. 4.* objecto vocat eandem gratiam; per gratiam autem sanctificantem præstari nobis etiam, ut id facere valeamus, seu vires physicas supernaturales, non negamus; quia per illam, tanquam quasi naturam, exiguntur nobis habitus infusi, & propter illam dantur.

Neque, ut observat Gormaz, per gratiam justificantem intelliguntur tantum affectiones, vel illuminationes supernæ; cum Tridentinum *sess. 6. c. 7.* eam à gratis istis, & aliis actualibus, sitis distinguat. Saltem probari non potest, Concilium loqui de solis gratis actualibus, & non etiam simul de gratia habituali, aut gratia supernorum habituum.

Dein per illuminationes illas, & piæ affectiones, non tantum datur qualiscunque intelligentia mandatorum, sed, maxime ratione inspirationum voluntatis, datur etiam dilectio aliqua indeliberata boni: itémque dantur vires, si non physicè, moraliter saltem cooperantes: cumque, ut habet Suarez *cit. l. 3. de grat. c. 15. num. 4.* voluntatis imbecillitas, utpote ex ignorantia, & infirmitate orta, magna ex parte moralis sit, per auxilia moraliter adjuvantia magna ex parte potest tolli, & totaliter per principia supernaturalia, præter gratiam excitantem requisita, scilicet per habitus &c.

32. Ob. 3. Trident. *sess. 6. c. 5.* dicit, nos cooperando gratiæ disponi ad justificationem: ergo cooperamur ipsi: ergo ipsa operatur physicè; quia nos operamur physicè, Resp. neg. ultimam conseq. cooperari non significat operari in eodem genere causalitatis. Sic consulens, & mandans, & physicè exequens homicidium, cooperatur, quin primi duo operentur physicè. Sic fides tantum moraliter influit in actus voluntatis salutaris, & tamen dicitur *Jacob. 2. v. 22. Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius: scilicet Abraham circa sacrificandum Isaacum physicè operantis.* Sic Tridentinum ipsum *sess. 6. c. 10.* ait: *Cooperante fide bonis operibus crescunt:* quin fides physicè influat in actus humilitatis, charitatis &c. Adde, quod Tridentinum *loc. cit. v. 2.* videatur loqui de gratia excitante, ac adjuvante, quasi de distinctis: ergo, licet diceret, aliquam physicè concurrere, non sequeretur; eam esse excitantem.

33. Ob. 4. Concilia, & Patres, agentes contra Pelagium, nullam faciunt mentionem de gratia

adiutorium petere, quam quod moraliter nos adjuvet: adeoque nec aliud recipere.

35. Dices. Iuxta nos istæ illuminationes neque essent causæ morales; non enim cognitio rei causat, aut movet; sed tantum est applicatio motivi: ergo gratia esset tantum conditio moralis, non verò causa. Resp. neg. antec. quia ad causam moralem sufficit, si moveat, quia est: atqui illæ illustrationes movent, quia sunt: nec tantum movet objectum per eas representatum, sed etiam movent ipsæ; aliàs neque consilium diceretur causa moralis; sed tantum ratio per id applicata: nec imperium domini moveret servum, sed tantum potestas jurisdictionis per imperium applicata, quæ sunt contra communem. Sic etiam omnes dicunt, exhortationem movere, & non tantum rationes, seu objecta per eam representata; unde, licet cognitio finis non sit causa finalis, tamen potest esse causa moralis; quia censetur etiam ipsa, in communi estimatione, movere, saltem in concreto cum objecto, & non esse pura pura applicatio causæ moralis. Certè tales illuminationes supernæ, sunt quasi locutiones, aut consilia, aut præcepta DEI, quibus nobis suadet, aut præcipit, aliquid faciendum, aut omitendum: si ergo in naturalibus consilia, præcepta &c. sunt verè causæ morales, cur non sint in supernaturalibus etiam istæ illuminationes?

36. Ob. 6. Omnis cognitio, vel affectio, per se dirigens ad agendum, influit physicè in actum: ergo etiam illustratio ista gratiæ. Prob. antec. omnis forma, essentialiter præsupposita ex parte principii, censetur cum ipso physicè concurrere: atqui cognitio est talis forma: ergo. Confirm. Liberum arbitrium non est tantum insufficienti in genere morali, sed etiam in genere physico ad actus supernos: ergo non tantum juvatur à gratia in genere morali, sed etiam in genere physico. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ma. potest enim talis forma esse tantum conditio in genere physico, & causa in genere moris: & sic planè se habere videtur in ordine naturali cognitio respectu volitionis, ut ex Suarez diximus *n. 29.* sic etiam se habet fides respectu bonorum operum, de qua *n. 32.* Ad confirm. dist. conseq. Liberum arbitrium juvatur à gratia actuali illustrationis, vel affectionis, in utroque genere. neg. conseq. juvatur ab illa in genere morali: in genere physico autem à gratia habituum intrinsecorum, vel omnipotentia extrinsecè applicata, conc. conseq. non enim debet gratia actualis excitans sola dare sufficientiam in omni genere; modò enim ipsa det aliquam, & alia gratia det aliam, jam verum est, gratiæ juvari naturam infirmam.

37. Ex hucusque dictis inferitur, gratiam aliam esse moraliter, aliam physicè adjuvantem. Gratia excitans est moraliter adjuvans, casu quo quis ei consentiat: quo casu etiam est moraliter cooperans. Gratia physicè adjuvans sola est physicè adjuvans effectivè, alia adjuvans formaliter. Illa adjuvat aliquid efficiendo: & talis gratia sunt habitus superni, quando cum ipsis elicimus actus bonos, vel, si hi desint, est omnipotentia DEI extrinsecè applicata, loco habituum concurrentis. Gratia physicè formaliter adjuvans est ipse actus liber, & salutaris, qui & ipse est gratia

habituum supernaturalium; sed dicunt, nobis per ipsas illustrationes, & piæ affectiones, præberi sufficientiam ad actus salutaris: ergo supposuerunt, has gratias illustrationum physicè influere. Resp. Concilia & Patres etiam mentionem faciunt habituum supernaturalium, ut Viennense sub Clemente V. *Clementina, de summa Trinit. & fide Catholica:* item Trident. *sess. 6. c. 7.* ubi ait, *infundi fidem, spem, & charitatem:* rursum Innocentius III. *C. Majores. de baptismo. s. illud verò:* ulterius S. August. *l. 22. de civit. DEI c. 24.* dum ait: *Præter enim artes bene vivendi, & ad immortalem perveniendi felicitatem, quæ virtutes vocantur, & solâ DEI gratiâ, quæ in Christo est, filii promissionis, regni que donantur &c.* Quodsi contra Pelagium de his habitibus mentionem non faciunt, inde est; quia voluerunt modo optimo ostendere necessitatem gratiæ, quam melius ostendebant in illuminationibus, & affectionibus supernis, quam in habitibus.

Ratio est; quia illæ illuminationes &c. ita sunt necessariae, ut non possint extrinsecè per omnipotentiam DEI suppleri; non enim potest quis cognoscere per solam omnipotentiam extrinsecè applicatam, vel per alterius cognitionem extrinsecam: econtrâ habitus non sunt ita necessarii; sed eorum defectus potest suppleri per omnipotentiam DEI, extrinsecè applicatam: imò in peccatoribus ita suppletur. Quare SS. Patres magis de illis gratis actualibus, quam de his habitualibus, agebant, ut scilicet necessitatem gratiæ, nobis inhaerentis, clarè contra Pelagium ostenderent: quod bene norandum ad mentem Conciliorum, & Patrum, intelligendam. In forma. neg. conseq. non enim volunt SS. Patres, totam sufficientiam nobis dari per eas gratias actuales, sed tantum sufficientiam ab extrinsecò insuppleibilem, & magis necessariam. Quæ responsio firmatur ex communi auctoritate Theologorum, qui aliam causam physicam assignant, ut dicitur *num. 28. & 30.* nec putant, ex Conciliis hanc sufficientiam gratiæ excitantis in genere physico erui.

34. Ob. 5. S. August. in illud *ad Rom. 8. v. 14. Qui spiritu DEI aguntur:* ait, plus esse, agi, quam regi (quod regi est moraliter juvari) ergo agi est physicè juvari. Confirm. Idem S. Doctor passim docet, illustrationes, & affectiones piæ causare salutem: ergo physicè effectivè concurrunt. Resp. neg. conf. Textum, & mentem S. Augustini fusè explicavimus à *num. 21.* quem vide. Ad confirm. neg. conf. nam modò illustrationes illæ &c. sint causæ morales, quales esse dicimus, verè causant: nec probari potest, quòd aliam causalitatem gratiæ excitanti tribuat S. Augustinus. Certè ejus vim tractivam (quæ est ejus vis effectiva) ut vidimus *n. 23.* comparat ramo ostenso ovi, vel nucibus ostensis pueri: adeoque plus quam morale causalitatem ei non tribuit. Iterum, cum ait *l. de spir. & liter. c. 34. Visorum suasionibus agit DEUS, ut velimus, & ut credamus:* sanè non aliam, quam morale efficientiam adstruit. Rursum, cum *l. 2. de peccator. merit. & remiss. c. 19.* ait, nos, dum oramus auxilium ad perficiendam justitiam, non aliud deprecari, quam *ut appareat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat* (de quo textu vide *n. 17.*) sanè indicat, nos non aliud

gratia actualis adjuvans; quia etiam est concursus DEI, supernaturalis, & multo magis ex gratia DEI, quam ex operatione hominis: & de hoc actu etiam verum est illud Apostoli: 1. Cor. 4. v. 7. *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et quidem actus liber, ac salutaris est gratia adjuvans illa, quam n. 14. ex S. Augustino, diximus vocari *auxilium quo*, & coniungitur cum consensu per identitatem.

Ubi addendum, quod gratia omnis, sive sit illuminatio, sive habitus, aut augmentum habituum, sive concursus DEI superius, sive ipsa visio beatifica &c. uno verbo, omnis gratia illa, quam per præcedentes bonos actus mereamur, etiam sit, & dicatur gratia: communiter autem dicitur gratia pro gratia: per quam intelligitur illa, quæ ratione prioris gratiæ est debita. Sic S. Augustinus l. de gratia, & libero arbitrio c. 8. *Sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, DEI gratia est; & ipsa enim gratis datur; quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia.* Et hic loquendi modus desumptus est ex Joann. 1. v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Hinc Trident. sess. 6. c. 16. docet, etiam beatitudinem nostram esse mercedem bonorum operum, & simul gratiam, filius DEI per Christum promissam. Item S. Thomas lect. 2. in illud Pauli 2. ad Timoth. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ: quærît, quomodo sit corona justitiæ, cum sit gratia?* & respondet, esse justitiam, quantum ad actum procedentem à voluntate, & esse gratiam, quantum ad radicem merendi.

QUÆSTIO II.

De Necessitate Gratiæ Actualis.

ARTICULUS I.

An Gratia sit necessaria ad actus supernaturales, tum intellectus, tum voluntatis.

38. **C**eleberrima hæc quæstio fuit, maxime tempore S. Augustini, inter Catholicos, & Pelagianos, ac Semipelagianos. Negavit initio Pelagius, gratiam supernaturalem necessariam esse ad opera bona, ac ad salutem conducentia. Dein, accusatus de hoc errore, admisit, necessariam esse gratiam: per hanc tamen intellexit libertatem, à DEO homini gratuito donatam. Postea admisit præter libertatem etiam gratiam, quæ statet in lege, atque doctrina, & exemplis Christi. Quibuscunque autem dein usus sit verbis æquivocis, aliam gratiam internam non admisit, ut patet ex S. Augustino citato à nobis num. 422. de DEO. Videri etiam hæc de re potest Theodorus Eleutherius in appendice Historiæ de auxiliis.

Fundamentum autem hujus hæresis erat, quod putaret Pelagius, admittente necessitate gra-

tia everti libertatem; cum judicaret, eum liberum esse non posse, qui indigeret auxilio alieno; sic enim Critobolus, seu Pelagianus, loquentem inducit S. Hieronymus, libro 1. dialog. adversus Pelagianos cap. 1. *Si enim absque DEO, & nisi per singula ille me juverit, nihil possum agere, nec pro bonis me justè operibus coronabit, nec affiget pro malis: sed in utroque suum, vel recipiet, vel damnabit auxilium.* & cap. 2. *Mihi autem nullus auferre poterit liberi arbitrii potestatem, ne, si in operibus meis DEUS adjutor extiterit, non mihi debeatur merces, sed ei, qui in me operatus est.* Quem errorem refellit Concilium Senonense decreto 15. de libero arbitrio, sic docens: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo DEUS non stet ad ostium, & pulset: cui, si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo: nec denique tale sit hujusmodi trabentis DEI auxilium, cui resisti non possit.*

39. Jam Semipelagiani, sive Massilienses, in pluribus quidem à Pelagio recedebant, sed tamen non omnino, & quod spectat ad præsentem quæstionem, non quidem admittebant, totum justificationis negotium esse in libertate naturali hominis positum; sed tamen initium fidei & primam vocationem; ajebant enim: sicut ægrotus potest quidem ex suis viribus vocare medicum, non tamen potest se sanare, ita natura nostra ægrota, ex se potest vocare, seu implorare DEUM, ut ipsam sanet, sed non potest, sanam se reddere. Putant (ait S. Augustinus l. de prædestin. Sanctorum c. 2.) *ex nobis esse fidei cœptum, & ex DEO esse fidei supplementum.* Ex quo infert rectè S. Doctor, eos velle, quod gratia prima secundum merita detur, & jam non sit gratia, sed merces.

Non autem admiserunt gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei; damnat enim Innocentius X. hanc propositionem 4. Janfenii: *Semipelagianii admittent prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, utiam ad initium fidei, & in hoc erant heretici: quod vellet, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: de qua vide dicta in tractatu de DEO. n. 420.* Fundamentum hujus erroris erat idem cum fundamento Pelagii; quia putabant, aliàs everti libertatem, ut refert S. Augustinus epistola 105. sub initium. eo quod gratia non esset in manu nostra. Alii putant, eos etiam existimasse, voluntatem non posse resistere gratiæ efficaci: aliis videtur hoc non convenire cum reliqua eorum doctrina. Sed, ut rectè advertit Ariaga disp. 35. de gratia sectione 5. n. 29. non est quærenda in hæreticis consequentia doctrinæ, aut reflexio, seu attentio talis ad omnia sua dicta, ut non possint ex suis assertis impugnari; unde, quamvis non semper fuerint uniformes, non sequitur, eos aliquid non dixisse; cum hæreticorum sit propria inconstantia, & difformitas doctrinæ.

40. Dico. Ad omnem actum supernaturalem, & ad salutem æternam conducentem, sive intellectus, sive voluntatis, etiam ad initium fidei, & primam voluntatem credendi, necessarium simpliciter est auxilium gratiæ supernaturalis. Ita Catholici omnes. Probatur 1. Hæc veri-

veritas definita est à pluribus Conciliis, Palæstino in Asia, Milevitano in Africa, Arauciano in Gallia, Tridentino in Germania, & alibi. Sic Arauciano canone vel capitulo 5. dicit anathema ei, qui asserit, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum non per gratia donum nobis inesse: & adducit in hunc finem plures textus Sacræ Scripturæ. Ad Philippenfes 1. v. 6. *Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet.* & v. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam, ut pro illo pati mini.* Ad Ephes. 2. v. 8. *Gratiæ enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est.* 1. Cor. 4. v. 7. *Quid autem habes, quod non accepisti.* & c. 15. v. 10. *Gratiæ autem DEI sum id, quod sum.*

Idem Concilium can. 7. subdit. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, sive salutari, id est, Evangelicæ predicationis consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, heretico salutaris spiritu.* Unde habemus etiam, textus citatos Scripturæ ita intelligi oportere, ut fides quoque, sive initialis, sive aucta, sit donum, seu gratia à DEO accepta, sicut & omnia bona.

Tridentinum autem sessione 6. de justificatione cap. 5. ait, justificationis exordium in adultis, à DEO per Christum Jesum præveniente gratia, sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione. Dein ita definit can. 1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humane naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque Divina per Jesum Christum gratia, posse justificari coram DEO, anathematisit.* & canon. 2. *Si quis dixerit, ad hoc solum Divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilis homo justè vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed egrè tamen, & difficulter possit, anathematisit.* & canon. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathematisit.* Ex quibus, & aliis plurimis, quæ possent afferri, & videri queunt apud Rhodos disp. 2. de gratia q. 1. sect. 1. & 2. doctrina nostra clarè patet.

41. Accedunt plures alii textus Sacræ Scripturæ; qui, accedente præsertim explicatione Conciliorum, in hanc nostram sententiam sunt invicti roboris. Sic præter jam supra citatos, Joann. 6. v. 44. dicit Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ubi Arauciano II. canon. 8. ponderat particulam *Nemo*, quæ ait probari, quod nullus à necessitate gratiæ excipiatur: quem textum S. Augustinus libro 1. contra duas epistolas Pelagianorum. c. 3. adducit, & ponderat particulam: *venire ad me*: quibus primum pietatis opus, seu initium ait significari, eoquod ea Dominus propter credentes, & non credentes dixerit: adeoque etiam isti ad habendam fidem opus habeant gratiæ. Sed & illud *traxerit* significat, primum motum bonum esse à DEO. Alter locus est iterum Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere*: ex quo arguit Concilium Milevitanum can. 5. & Augustinus, tr. 81. in Joann. nihil proflus boni nõs

posse facere sine gratia Christi. Et ne quis dicat, justos saltem posse aliquid boni facere, refellitur hoc iterum ex Joann. 15. v. 4. ubi Christus justos comparat palmitibus, & se viti: aitque. *Sicut palmæ non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis:* in quo textu (ut ait S. Augustinus hoc eodem tractatu) continetur magna gratiæ commendatio.

42. Consentunt SS. Patres, Prosper, Fulgentius; & maxime S. Augustinus plurimis non tantum locis, sed libris, quos contra hostes gratiæ scripsit, in quibus plura adhuc Scripturarum testimonia ponderat, atque ex iis infert, voluntatem, ex viribus naturæ, neque posse remotam aliquam dispositionem positivam ad actum bonum, vel justificationem ponere sine gratia præveniente. Et primò ponderat illud psal. 76. v. 11. *Dixi: nunc cœpi; hæc mutatio dextera excelsi:* ubi observat, mutationem hanc, seu initium conversionis, esse non opus liberi arbitrii, sed dextere excelsi. Rursum psal. 55. v. 8. *Pro nihilo salvos facies illos:* in quem locum S. Augustinus. l. de patientia. c. 20. ait: *Si autem vera sit gratia, id est gratuita, nihil invenit in homine, cui merito debeatur: quod bene intelligitur & in eo, quod dictum est: Pro nihilo salvos facies eos: profecto ipsa dat merita, non meritis datur. Prævenit ergo etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt.*

Idem S. Augustinus l. 2. contra duas epistolas Pelagianorum c. 8. sic scribit: *Si enim sine DEI gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratia veniat adjutorium, ac sic gratia DEI non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur: quo dicto alludit ad illud Apostoli ad Rom. 11. v. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Ex quibus omnibus habetur, voluntatem creatam, ex viribus naturæ, neque posse remotam aliquam dispositionem positivam ad actum supernum, vel justificationem, ponere sine gratia præveniente; quia aliàs homo non omnino nihil posset ex se in ordine ad actus supernos: & hæc ipsa positiva dispositio jam aliquo modo exigeret concursum ad actum salutarem, atque hunc saltem pro libitu voluntatis cooperari volentis, post se traheret.

43. Probatur 2. conclusio ratione. Actiones creaturarum sunt essentialiter actiones servorum: & actiones servorum non possunt habere proportionem, & exigentiam ad hæreditatem filiorum; cum hanc non possint servi quales exigere, sed debeant eam gratuito accipere: ergo actiones creaturarum non possunt habere exigentiam, seu proportionem ad vitam æternam, quæ est hæreditas filiorum DEI: ergo non possunt esse supernaturaliter meritoria, seu salutares, aut conducentes ad vitam æternam. Confirm. 1. Actus salutares, seu meritorii, sive de condigno, sive de congruo, vitæ æternæ, sunt supernaturales, & quidem Theologicæ tales: ergo sunt supra exigentiam totius naturæ creatæ, adeoque supra exigentiam potentiarum, & mediorum naturalium: ergo ad eos actus est necessarium auxilium supernaturale gratiæ.

Hæc ratio etiam probat, quod actus purè

naturales neque possint esse dispositio tantum remota, positivè conducens ad actum salutarem, vel etiam ad gratiam; quia inter dispositionem positivam, & formam debet dari proportio: atqui inter opus naturale, & gratiam, vel etiam actum supernaturalem, nulla est proportio; cum illud sit in ordine longè inferiori: ergo. Eadem hæc ratio probat, Adamum quoque in statu justitiæ originalis, & Angelos, opus habuisse gratiæ; quia & ipsorum vires, purè naturales, non poterant sufficere ad actus supernaturales. Et hinc S. Fulgentius l. 2. *De Trinitate* c. 2. vel sub initium, ait de gratia: *Non aita stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, que lapsum hominem post ruinam potuit reparare: una est in utroque gratia operata: in hoc, ut surgeret, in illo, ne caderet.* & S. Augustinus l. de corrupt. & grat. cap. 11. ait de Adamo: *Sanè habuit gratiam primus homo, in qua, si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset.* vide Rhodes disp. 2. de gratia, quest. 1. sec. 2.

44. Confirmatur 2. & simul explicatur ulterius hæc ratio. Voluntas non potest se exercere circa objectum, nisi hoc ei repræsentetur; nihil enim volitum, quin præcognitum: at non sufficit qualiscunque repræsentatio, sed debet esse proportionata; nam ad actum voluntatis, e.g. amorem spirituales, non sufficit cognitio materialis, sed debet esse cognitio spiritualis: ergo etiam, ut voluntas se exercent per actum supernaturalem, debet præcedere cognitio supernaturalis, seu illuminatio gratiæ. Confirm. 2. à pari. Principium tantum materiale non potest sufficere ad actum spirituales efficiendum, sed debet adesse aliquod principium spirituale: ergo etiam principium naturale non sufficit ad efficiendum actum supernaturalem, sed debet adesse etiam aliquod principium supernaturale.

Confirm. 4. Debilis, & infirmus non potest incedere, nisi ab aliquo juvetur: atqui liberum arbitrium nostrum post peccatum est debilitatum, & infirmum: ergo. Sicut autem debet infirmus juvari, tum excitando, & suadendo, tum etiam manu ei, & opem physicam porrigendo, ita etiam debet juvari nostrum arbitrium, tum gratiæ illuminationis, & inspirationis, seu gratiæ excitante, & suadente, tum physico auxilio, sive habitu, sive omnipotentis extrinsecè applicatæ. Et hæc rationes omnes valde bonæ sunt, attamen ratio ab autoritate Conciliorum, & Patrum est primaria, & se sola esset sufficientissima.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

45. **O**B. 1. Scriptura dicit, quod voluntas auxilium DEI præveniat: ergo voluntas sola potest aliquid agere, quod mereatur gratiam, vel saltem ad eam disponat. prob. ant. Sic psal. 22. v. 6. dicitur: *Miserordia tua subsequetur me.* psal. 87. v. 14. *Manè oratio mea præveniet te.* psal. 118. v.

147. *Præveni in maturitate.* & clamor. Proverb. 16. v. 1. *Homini est animam præparare.* &c. et. Resp. neg. ant. ad prob. repono, non minus dicit psal. 58. v. 11. *DEUS meus, misericors dia ejus præveniet me:* ergo DEUS prævenit, & sequitur: hoc est, dat gratiam prævenientem, & subsequentem, quas explicavimus n. 13.

In secundo textu illud manè oratio significat Christum (de quo est ille psalmus) prævenisse tempus passionis, ut peteret, calicem à se transire, neque tamen exaudiret esse, ut indicatur vers. seq. seu 15. *Ut quid Domine repellis orationem meam?* vel, si de quovis homine velis explicari illum verbum, plus non significat, quam quoddam citò ad orandum DEUM surrecturum sit, cum adhuc esset tempus dormiendi. Idem significat sequens textus ex psal. 118. Textus ex Prov. 16. significat, quod homo præparat animam, sed non sine gratia DEI: & centies in clamat S. Augustinus: *Præparatur voluntas à Domino:* eique præsertim pulcherrimus textus l. 1. retract. c. 23. ubi ait: *Utrumque ergo nostrum est (scilicet credere, & bene operari) propter arbitrium voluntatis: & utrumque tamen datum est per spiritum fidei, & charitatis: utrumque ipsius est; quia ipse præparat voluntatem: & utrumque nostrum; quia non fit, nisi volentibus nobis.*

46. Ob. 2. S. Augustinus docet variis locis, quod saltem in statu naturæ integræ non fuisset necessaria gratia: atqui hoc est contra dicta n. 43. ergo. ant. probatur. Sic de corrupt. & gratia c. 12. *Ut ergo non acciperet hoc donum DEI, id est, in bono perseverantiam, primus homo, sed perseverare, vel non perseverare, in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, que sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* & serm. 2. de verbis Apostoli. *Verum est, magnas arbitrii liberi vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit.*

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. S. Augustinus nunquam somniavit, quod per vires naturæ solius Adam in statu innocentie potuerit salutariter agere, & in bono supernaturali perseverare; nam de corrupt. & gratia c. 11. sic scribit: *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua, si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset.* Nec ipsum ergo DEUS esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotentis bono. Imò adversarii, qui hæc obijciunt, alibi millies clamant, Adamum habuisse adiutorium sine quo non, prædestinatos autem modo in statu naturæ lapsæ habere adiutorium quo.

47. Unde quando S. Augustinus videtur dicere, quod Adam per liberum arbitrium potuisset perseverare, loquitur de arbitrio sano, integro, & non tantum naturaliter, sed etiam supernaturaliter completo, quale homo primitivè accepit in prima sua creatione, scilicet etiam gratia supernaturali instructum. Sic se explicat S. Doctor de natura & gratia. c. 43. *Quis enim ne-*

scit, eum sanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum: sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus saucius, confosissimè vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere. Ecce per hominem sanum intelligit, non qualicumque libero arbitrio instructum, sed tali, quod libera potestate ad justè vivendum sit præditum, quam potestatem ex textu superiore dat gratia.

Eandem explicationem repono ad alterum textum; nam homo habens vires peccando amisit; non autem naturæ arbitrium liberum, quamvis hoc fuerit sauciatum. Hunc ipsum textum secundum aliqui exponunt, quasi S. Augustinus voluisset dicere, liberum arbitrium omnino amissum fuisse: sed falluntur, & fallunt; nam tantum S. Doctor dicit, perditam esse libertatem à servitute concupiscentiæ, quæ libertas magnas præbeat vires: non verò perditam esse omnimodam libertatem.

48. Ob. 3. Saltem justus, habens gratiam habituales, non opus habet gratia actuali excitante: ergo adhuc nostra conclusio non subsistit. prob. ant. justus habet habitus supernaturales infusos, qui possunt illum excitare: ergo non indiget alia gratia excitante. Confirm. Posito lumine gloriæ Beatus non eget aliâ gratiâ ad eliciendam visionem, vel amorem beatificum: ergo neque, posito habitu fidei, indiget gratia excitante ad actum fidei. Resp. neg. ant. ad prob. neg. supposit. ant. Habitus, licet operentur in genere physico, & adjuvent voluntatem, nunquam tamen excitant; nam excitatio est pia cogitatio, quæ non potest procedere ab habitu ante omnem excitationem.

Quia ipsi habitus debent excitari ad operandum; nec enim se solis facere possunt, ut homo vigilet, & vitaliter attendat; aliàs semel justificatus non egeret gratia ulla actuali, donec perderet habitus cum gratia sanctificante per peccatum; sed hoc dici non potest, ut probavimus n. 47. ex similitudine palmitis, & vitis, à Christo adducta. Ad confirm. neg. conf. Lumen gloriæ necessitat ad visionem, & amorem; unde non est opus alia gratia excitante ad visionem, sicut necessaria est ad actum liberum. Sic etiam ad ipsam gratiam excitantem, quæ est actus necessarius indeliberatus, non est necessaria alia gratia præcedens; aliàs iretur in infinitum. At verò ante actum deliberatum opus est alia gratia illuminante, ut res prius cognoscatur, & dein deliberetur; aliàs non posset voluntas eam deliberatè amplecti.

49. Dices 1. Actus fidei est actus intellectus: ergo est necessarius: ergo ad hunc non est opus gratia excitante, sed tantum habitu fidei. Confirmatur. Facta sufficienti propositione mysterii revelati sequitur necessariò assensus fidei: ergo non requiritur ad eum alia gratia, quam revelatio, & propositio motivi: prob. ant. implicat, ut intellectus clarè cognoscat, DEUM summe veracem aliquid loqui, & non simul cognoscat, id esse verum: sed veritati clarè cognoscit intellectus necessariò assentitur: ergo. Resp. disting. 1. conf. actus fidei est necessarius, positus omnibus ad eum prærequisitis. conf. conf. non positus omnibus illis. neg. 1. & etiam 2. conseq.

quia inter prærequisita est etiam gratia excitans, ut clarè docet Tridentinum sess. 6. can. 3. Adde, quod actus fidei, ut sit meritorius, debeat esse liber, non quidem intrinsecè, cum sit actus potentie necessariæ, scilicet intellectus: atramea extrinsecè, in imperio voluntatis, seu in pia affectione, quæ imperat actum fidei; unde hæc quoque prærequisitum, & ipsa etiam est aliqua gratia, qualis est omnis actus supernaturalis ex n. 37.

Ad confirm. Resp. 1. neg. ant. ad prob. neg. suppositum antecedentis, nempe quod semper clarè proponatur, DEUM esse locutum; nam revelatio rarè est omnino clarè, seu evidenter proposita: sed adhuc datur aliqua obscuritas de ejus existentia, quamvis clarè, seu evidenter sit proposita ejus credibilitas, de quibus agitur in tractatu de virtut. Theolog. seu de fide. Resp. 2. disting. ant. sequitur necessariò assensus aliquis præstitus mysterio fidei. conf. ant. sequitur necessariò assensus fidei verè talis. neg. ant. & conf. ad prob. supposito, quod detur evidentia in attestante, dit. min. intellectus tali veritati necessariò assentitur per assensum qualemcunque. conf. min. per assensum fidei. neg. min. & conf. Ut sit verus assensus fidei, & meritorius, debet is, etiam datà evidentia in attestante, tamen esse liber; hinc assensus, qui necessariò sequitur ex tali veritate evidenter cognita, non est assensus fidei meritorius, sed alius qualiscunque. Potest tamen etiam tunc liberè elici verus, & meritorius actus fidei, qui imperetur à pia affectione, per quam homo paratus est assentiri, etiam si non adesset evidentia, modò adesset evidens credibilitas &c. ut ad eò intellectus non moveatur ab evidentia, sed tantum à revelatione, hæc & nunc quidem evidenti, movendus tamen etiam à non evidenti: in quo stat libertas actus, & captivitas intellectus. Sed talis actus non elicitur necessariò, & hinc etiam in tali casu non elicitur necessariò actus fidei: multoque minus elicitur sine prævia gratia. Plura de his in tractatu de fide, ubi de compossibilitate evidentie in attestante cum actu fidei.

50. Dices. Actus fidei non est supernaturalis: ergo non requiritur gratia ad eum eliciendum. prob. ant. actum fidei circa eundem Christum, e.g. passum, elicit hæreticus, & Catholicus: sed in hæretico actus hic non est supernaturalis: ergo nec in Catholico. Resp. neg. ant. quod omnes negant Theologi. ad prob. neg. ma. hæreticus enim non habet verum actum fidei; quia non assentitur propter solam revelationem DEI; aliàs assentiretur etiam aliis revelatis, quæ negat: sed assentitur propter alia motiva, quæ suadent ipsi, hoc, vel illud esse revelatum: actus autem fidei debet objectis assentiri propter solam revelationem DEI. Et, si hæreticus dicat, se credere propter solum verbum DEI, seu revelationem, falsum dicit; aliàs enim, ut dictum, etiam alia deberet credere.

51. Ob. 4. Si gratia esset necessaria ad actus meritorios, tunc in DEUM caderet vitium acceptionis personarum: hoc est falsum: ergo. prob. ma. DEUS daret uni ex speciali favore gratiam, & non alteri: ergo esset acceptor personarum. Confirm. Necessitas gratiæ evertit libe-

liberum arbitrium: ergo non debet admitti. Resp. neg. ma. ad prob. neg. conf. Acceptio personarum non datur, quando quis ex puro favore, sine ullo debito, vel jure alterius, potius dat uni, quam alteri (aliis, quando quis ex liberalitate aliquid daret potius amico, quam ignoto, esset acceptor personarum) sed tunc datur id vitium, quando unus potius habet jus accipiendi, quam alter, vel saltem æquale jus, & distributio debet fieri ex justitia legali, e. g. beneficium debet dari digniori, & aliquis illud confert minus digno; quia est amicus, vel commendatus ab amico (qui tituli nihil ad rem faciunt) tunc enim fit contra jus dignioris, & committitur hoc peccatum. At imprimis DEUS nemini quidquam debet ex justitia legali: dein dat omnibus gratias sufficientes, & quandoque illis majores, qui iis non utuntur. Ad confirm. neg. ant. vide Concilium Senonense citatum n. 38.

52. Ob. 5. Dicitur *Matth. 25. v. 15. DEUS sub nomine Domini dedisse servis, uni quinque, alteri duo, tertio unum talentum, unicuique secundum propriam virtutem*: ergo vires naturales possunt elicere actus meritorios gratiæ, & DEUS dat gratiam secundum merita naturalia. Confirm. Meritum de congruo, vel moralis dispositio, non tollit rationem gratuiti: ergo opera naturalia possunt esse merita de congruo respectu gratiæ ad alios actus &c. prob. ant. quamvis dominus der aliquod donum servo; quia hic eum orat, tamen dat gratuitò: ergo à pari DEUS etiam dat gratuitò, quod dat tantum de congruo merentibus, vel tantum de congruo merentibus, vel tantum de congruo merentibus. Resp. neg. conf. Vel enim per illa talenta tantum intelliguntur dona naturalia: vel, si intelliguntur dona supernaturalia, etiam per virtutem non intelligitur virtus naturalis, sed supernaturalis gratiæ: vel, si intelligitur virtus naturalis, & tamen dona supernaturalia, tunc illud secundum non significat vim moralem, aut meritoriam inesse illi virtuti, sed eam tantum fuisse purum terminum, quem DEUS sibi præfixit.

Sic e. g. DEUS divitem sapiens movet ad actus elemosinæ faciendos, quam pauperem: & tamen divitiz non sunt causa meritoria motionis Divinæ: sed tantum sunt purus terminus, quatenus DEUS habentes majorem potestatem exercendæ virtutis, sapiens ad eam exercendam movet. Et sic explicat hæc verba S. Prosper *l. 2. de vocatione gentium c. 2. dicens: Unicuique secundum propriam virtutem, id est, secundum propriam, & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum.* Ad confirm. dist. ant. meritum de congruo, vel moralis dispositio non tollit omnem omnino rationem gratuiti. om. ant. non tollit eam, quam SS. Patres, & Concilia adstruunt in gratia respectu actuum naturalium. neg. ant. & conf. Ex SS. Patribus, & Conciliis habetur, actus naturales nullam omnino habere proportionem, aut rationem positivæ dispositionis ad gratiam: & vires naturales nullam habere proportionem ad actus supernaturales.

53. Ob. 6. Infirmus, licet non possit se sanare, potest tamen ex naturalibus viribus medicum vocare: ergo etiam natura lapsa potest saltem invocare DEUM. Confirm. 1. Natura

humana, licet non possit producere animam rationalem, potest tamen producere dispositionem, quæ exigit, animam rationalem infundi; ergo potest etiam producere dispositionem exigentem, produci gratiam, vel actum supernaturalem. Confirm. 2. Si hoc negatur, opera bona naturalia erunt otiosa, & inutilia: hoc dici non potest: ergo. Resp. neg. conf. cum enim sanitas, seu operatio medici, etiam sit naturalis, utique potest æger ponere aliquam dispositionem, vel exigentiam proportionatam actioni medici: at gratia est aliquid ordinis superioris, ad omnem actum naturalem; ut enim diximus *num. 43.* actiones hæc, cum sint essentialiter actiones servorum, non possunt habere proportionem, seu exigentiam ad hæreditatem filiorum, sed hanc DEUS debet omnino gratuitò dare. Ad 1. confirmationem servit eadem responsio; nam etiam infusio animæ est naturalis, & juxta exigentiam, saltem indeterminate materiz. Ad 2. confirm. neg. ma. nam imprimis opera naturaliter bona, sunt removens prohibens, ut vocant, peccati; quia sæpe actus naturalis, si fiat, impedit peccatum: dein, quamvis ea opera non mereantur præmia supernaturalia, possunt mereri præmia naturalia plurima.

54. Ob. 7. Potest quis sine gratia amare DEUM super omnia: sed amor DEI super omnia est actus conduens ad salutem: ergo potest quis sine gratia elicere actum conduentem ad salutem. Confirm. 1. Potest quis infidelis sine gratia baptizare infantem; quia res est facilis: sed baptizare, cum sit adimpletio præcepti supernaturalis, est actus supernaturalis: ergo. Confirm. 2. DEUS facienti, quod est in se, non denegat suam gratiam: sed potest aliquis per solas vires naturæ facere, quod est in se: ergo potest mereri gratiam. Resp. Plures admittunt ma. sed negant mi. cum amor ille purè naturalis non conducatur positivè ad salutem. Sed de hoc infra. Interim, si majorem concedas, nega mi. si minorem velis concedere, nega majorem.

Ad 1. confirm. potest quis etiam validè baptizando infantem peccare, adeoque actus baptizandi non est necessariò supernaturalis: unde neg. mi. Neque, ut ait Tannerus *tom. 2. disp. 6. de gratia. quest. 3. num. 149.* talis actus est perfectè adimpletio præcepti supernaturalis, sed tantum secundum quid. Putat tamen idem auctor *loc. cit. num. seq.* etiam talem actionem præcedi à cogitatione congrua in infideli, quæ sit specialis gratia, non respectu infidelis, sed respectu infantis. Mihi sufficit prior responsio, Ad 2. confirm. neg. conf. Sylogismus, ut patet consideranti, non est informis; nam in conclusione infertur meritum, de quo non fuit facta mentio in præmissis. Quiddam tantum admittunt, quod DEUS facienti, quod est in se ex viribus gratiæ, non neget gratiam ulteriorem: & hi negant minorem. Alii id principium intelligunt quidem de faciente, quod est in se, viribus naturæ, negant tamen, actus naturales esse meritorios: sed dicunt, esse tantum puros terminos, quibus positus DEUS ex pacto cum Christo gratiam conferat. Verum de hoc principio redibit paulò post sermo.

55. Quæres, an ista gratia, excitans ad actus salutare, sit actus intellectus tantum, seu illuminatio,

natio: an verò sit etiam actus aliquis indeliberatus voluntatis, seu inclinatio aliqua hujus potentiz ad objectum, excitans eandem ad deliberatam applicationem ejusdem objecti. Resp. cum Suarez *l. 3. de auxiliis c. 7. num. 5.* & pluribus aliis, imò, ut Suarez *loc. cit.* ait, omnibus modernis scriptoribus, esse utrumque actum, nempe intellectus, & voluntatis; hoc enim videtur conformius menti SS. Patrum, & Conciliorum, quorum verba multò convenientius in hac sententia explicantur; nam, quando Patres, & Concilia, loquuntur de gratia in ordine ad fidem, vel conversionem, utrumque actum, tum intellectus, tum voluntatis solent adstruere. Sic Concilium Milevitanum *cap. 4.* ita habet: *Cum sit utrumque donum DEI, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus*: & Tridentinum *sess. 6. c. 5.* gratiam vocat illuminationem, & inspirationem: & quidem requiri à Concilio actum intellectus nemo dubitat; cum nihil volitum, quin præcognitum, de quo plura *num. 44.*

Quòd verò etiam requiratur ab eodem Concilio actus voluntatis, probatur ex eo; quia Concilium dicit, *tangente DEO cor hominis*; nam nomine cordis intelligitur voluntas: per tangere autem intelligitur impulsus aliquis voluntatis. Verum quidem est, quòd illum tactum mox Concilium vocet illuminationem, adeoque videri possit, de actu intellectus loqui: at quia, (ut rectè Suarez *loc. cit. num. 7.*) per actum intellectus non propriè tangitur cor, sed per aliquam inclinationem, vel impulsum, aut motum, vocatur hic impulsus tantum idèò illuminatio; quia ex illuminatione statim resultat.

56. S. Augustinus verò sæpius distinguit duas gratias, nempe unam ex parte intellectus, alteram ex parte voluntatis. Sic de gratia loquitur *l. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 17.* *Ut autem innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delebat, gratia DEI est.* (similia repetit *eod. l. 1. c. 119.* & sæpius alibi) ex quibus primum spectat ad intellectum, alterum ad voluntatem; nam nihil suave fit formaliter, nisi per aliquem suavem affectum voluntatis; licet enim cognitio possit esse causa suavitatis; quia potest, rem tanquam suavem representare: non tamen potest esse ipsa suavitatis, quæ formaliter est affectus dulcis. Ex his autem clarè infertur, quòd S. Augustinus, dum docet, naturam lapsam juvari gratiâ, semper velit eam juvari duplici; cum distinguat, non latere, & delectare. Accedit, quòd natura lapsa, tam in voluntate, quam in intellectu, vulnerata, in utraque potentia debet sanari: & in intellectu quidem ignorantia debet sanari per gratiam, quam S. Augustinus *l. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 19.* vocat *certam scientiam*: in voluntate autem infirmitas, & concupiscentia, debet sanari per gratiam, quam eodem *c. 19. S. Doctor* vocat, *viticium delectationem.*

57. Accedit ratio tacta à Suarezio *l. 3. de auxiliis c. 7. v. 8.* Indeliberatus ille affectus, seu motus voluntatis, disponit, & paulatim trahit voluntatem ad perfectum consensum; nam prima gratia excitans intellectum, per cogitationem e. g. ad objectum virtutis, non statim sufficienter representat omnes rationes id amplectendi, & idèò necesse est, ut voluntas aliquo modo, necdum deliberato, afficiatur ad cogitationem

illam, vel objectum, ut sic intellectus ex imperio aliquo voluntatis magis cogitet: crescent sic attentione, vel cogitatione intellectus, crescit etiam indeliberatus affectus voluntatis, donec ista tandem eò perveniat, ut deliberatè, & efficaciter, velit objectum, atque id amplectatur.

Et hic est ordinarius modus operandi in natura lapsa: non verò, ut statim ex perfecta intellectu advertentia in motum plenè deliberatum voluntas erumpat, ut iterum ait Suarez *loc. cit. num. 17.* Non tamen per hoc velim negare, quòd asserunt magni viri cum Granado *tr. 5. de grat. disp. 2. sec. 4.* nempe absolute fieri posse, ut aliquando homo, cum speciali illuminatione, seu gratia ex parte intellectus, statim actum voluntatis deliberatum eliciat, ut etiam non negat Suarez *ibidem n. 17.*

ARTICULUS III.

Quomodo intelligatur Principium: Facienti, quod est in se, DEUS non denegat suam gratiam.

58. Negavimus hucusque, quòd opera naturalia possint esse etiam tantum remota dispositio ad gratiam: jam igitur oritur questio, an ergo nihil profint opera tantum naturaliter bona: an non DEUS facienti, quod est in se, in ordine naturæ, det dein gratiam supernaturalem, qua adjutus salutariter operari queat. Et quidem principium hoc: *Facienti, quod est in se, DEUS non denegat suam gratiam*: Theologi communisane admittunt: sed non eodem modo explicant. Difficultas oriri videtur ex eo, quòd ex una parte DEUS velit, omnes homines salvos fieri, ut testatur Apostolus *1. ad Timoth. 2. v. 4.* nec tamen videatur omnibus gratias supernaturales largiri; nam prima gratia supernaturalis est vocatio ad fidem, ex eodem Apostolo ad *Hebr. 11. v. 6.* dicente: *Sine fide autem impossibile est placere DEO; credere enim oportet accedentem ad DEUM: quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* item Tridentinum *sess. 6. c. 2.* ait: *Fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnium justificationis, sine qua impossibile est placere DEO.*

Hac autem gratia, seu vocatione ad fidem, videntur caruisse, & adhuc carere plures, præsertim gentiles, inter Indos barbaros, in sylvis ferarum more habitantes, qui nihil de fide verè audierunt: ex quo videtur inferri, gentiles istos caruisse omni gratia supernaturali. Unde, cum causa damnationis istorum non in DEUM, sed in ipsosmet referenda sit, non videtur hæc assignari posse, nisi dicendo, quòd non fecerint viribus naturalibus, quantum erat in ipsis: quod si fecissent, DEUS ipsis gratiam largitus fuisset. Ex altera parte videtur, ex hac assertione sequi, quòd quis per opera naturalia possit accedere ad fidem, aut mereri auxilia supernaturalia, adeoque, quòd inchoatio salutis sit à natura: qui fuit error Semipelagianorum, dudum rejectus ab Ecclesia, & iterum proscriptus à Tridentino *sess. 6. c. 5.* ubi definit, *justificationis exordium à preveniente gratia sumendum esse.*

59. Ad evitandos hos scopulos varii vias inierunt. Prima sententia (quæ videtur esse Durandi, & aliorum, quos refert Ripalda. tom. 1. de ente supernaturali. disp. 17.) vult, quod DEUS facienti, quod est in se, per vires naturæ, non neget gratiam, ob opera naturalia, merentia gratiam, non quidem de condigno, sed tamen de congruo. Verum, qui ita sentiunt, non satis recedunt à Semipelagianis; nam etiam isti non affirmarunt, opera naturalia esse merita de condigno, sed tantum de congruo. Certè, ut videre est apud Aldrete. disp. 16. de predestinat. sec. 7. §. 3. n. 5. Cassianus duntaxat dixit, opera naturalia esse ortum quandam bonæ voluntatis, vel eorum bonæ voluntatis, ne (ut ait) videatur DEUS irrationabili munificentiæ dormienti, aut inerti, gratiam dare: qua ratione putavit posse defendi, gratiam tamen gratuito dari: ergo Cassianus non admisit meritum de condigno, sed tantum de congruo: & tamen SS. Patres constanter ipsam, & consequenter etiam hoc meritum de congruo, impugnarunt. Videri potest Ruiz disp. 14. de predestinat. sec. 3. & Ripalda loco supra citato, qui insuper cit. disp. n. 60. variis modis Doctores Catholicos, qui nimium hac in re admisisse videri possunt, excusat.

60. Secunda sententia docet, DEUM facienti, quod est in se, dare gratiam, ob actus naturales, non tanquam meritorios gratiæ, sed tanquam dispositiones morales ad gratiam. Verum hæc dispositiones essent causæ morales, & aliqua merita de congruo; unde hæc sententia jam refutata est. n. preced. (vide etiam, n. 63. §. 64.) si tamen dispositiones intelligantur positivè, seu strictè tales; si enim tantum intelligerentur latè, seu negativè tales, sive removens prohibens (qualis exempli gratiæ dispositio improprie dicta est in ordine ad celebrandum Sacrum, si quis comedat, ne moriatur; non enim, nisi latè, dici potest comedens se disponere ad celebrationem Missæ; cum tantum removeat mortem, quæ prohiberet, seu impediret celebrationem Sacri) in hoc sensu tam lato posset aliquid naturale dici dispositio negativa ad aliquid supernaturale.

61. Tertia sententia docet, axioma hoc intelligendum esse de faciente, quod est in se, viribus gratiæ, non viribus naturæ. Ita moderni Thomistæ cum Alvarez, & alii cum Aldrete disp. 26. de predest. sec. 7. §. 4. quos nuper secutus est insignis recentior in suis Theibus Ingolstadtii editis. Quarta sententia vult, illud facere, quod est in se, intelligi debere de faciente, per vires quidem supernaturales, sed simul etiam per naturales; nam ajunt hi auctores, quod DEUS, quando prævidet per scientiam mediam, hominem naturaliter operaturum per vires naturales, tunc simul cum illis viribus naturalibus det etiam vires supernaturales, ut homo, præter actum naturalem, eliciat simul supernaturalem. Ita Ripalda tom. 1. de ente supernaturali disp. 20. sec. 2. cum aliquot aliis, quibus videtur consentire Molina in Concordia disp. 10.

62. Quinta sententia tradit, DEUM non denegare gratiam facienti, quod est in se, per vires naturales quidem, sed indebitas. Quod ut intelligatur, notandum, dona aliqua in se naturalia, quæ conferunt homini robustiorem po-

tentiam ad actus naturales, non esse debita, sed tem naturæ lapsæ; nam ea potentia robustior, ut ait Eximius l. 4. de auxiliis c. 16. n. 20. est vera gratia, non tamen Theologicè supernaturalis; cum enim ex se non conducatur ad visionem beatificam, non est supernaturalis, in eo saltem sensu, in quo Patres accipiunt gratiam supernaturalem. Talia dona DEUS ut auctor naturæ sibi reservat, ut conferre possit pro suo libitu, quandocunque ei placuerit, majorem virtutem ad actus naturales.

Imò Vasquez in 1. 2. disp. 139. c. 12. à n. 149. contendit, quod multa dona, quoad substantiam naturalia, sint gratia per Christum, qua adjuvati peccata vincamus, & bonum morale, quantum non supernaturale, operemur. Præmisit autem c. 16. n. 133. talia dona esse distincta à dono creationis; quia hoc collato posset DEUS illa dona, seu cogitationes congruas negare: sive homines talibus mediis instruere, quibus liberè abufuri essent. Tum eod. c. n. seq. addit, talia auxilia, in se ordinis naturalis, rectè vocari gratias; eoquod DEUS liberaliter, & ex misericordia, ea conferat. Pergit n. 145. Vasquez, & ait, agnoscere etiam Bellarminum distinctionem gratiæ, in gratiam ordinis supernaturalis, & naturalis. Per hæc igitur auxilia facientibus, quod est in se, dicunt auctores hujus quintæ sententiæ, DEUM gratiam deini supernaturalem non negare. Ita præsertim Rhodes. disp. 2. de grat. q. 1. sect. 2. §. 4.

63. Sexta tandem sententia ait, DEUM non negare gratiam homini facienti, quod est in se, per vires naturales, seu facienti, quantum est in se, opera naturaliter bona, ac honesta: quæ tamen neutiquam sint meritoria gratiæ Theologicè supernaturalis: neque etiam sint conditiones, aut dispositiones, strictè dictæ ad illam: sed tantum sint dispositiones negativè tales, aut puri termini, quibus positus DEUS, ex pacto cum Christo inito, conferat gratiam ex meritis Christi. Ita Suarez. l. 4. de auxiliis à c. 12. usque ad 17. §. præsertim hoc ultimo, seu 17. mo eamque sententiam refert tom. 1. in 1. p. tr. de predest. l. 2. c. 18. ubi valde multos pro hac sententia citat: eandem tenent Arriaga, Lessius, & plures alii ex nostris, & externis.

Nota autem, magnum discrimen esse, inter dispositionem moralem positivam, & negativam: item magnum discrimen esse, inter dispositionem positivam, & purum terminum. Dispositio moralis positiva est etiam causa moralis, & habet in se virtutem movendi potentiam ad producendum effectum: at hanc virtutem non habet dispositio negativa, neque purus terminus, qui est res quædam, quam sibi præfigit voluntas, ut eâ positâ aliquem effectum producat, ad quam productionem aliunde movetur. e. g. Dominus præcipit servo, ut Petro det eleemosynam: in hoc casu præceptum domini, est dispositio positiva moralis, seu causa moralis dationis eleemosynæ; quia servum verè movet: & per illud dominus fit etiam causa eleemosynæ datæ. Si jam dominus addat, ut servus eam eleemosynam det hora tertia sonante, sonus iste non est dispositio positiva, aut causa, sed tantum purus terminus; quia servus non movetur à sono, sed à præcepto domini, sibi illum

Quomodo intellig. Principium: Facienti, quod est in se, Deus non denegat suam gratiam 103

illum sonum, tanquam purum terminum, præfixum: quo posito, & non aliter, vult eleemosynam dari, cum posset æquè sibi præfigere horam quartam, vel secundam: nec eo casu aliter moveretur servus, quam nunc movetur.

64. Similiter discrimen magnum est inter conditionem strictè dictam, & purum terminum. Condicio est, quæ movet propter bonitatem suam, ad eam appetendam, vel propter malitiam suam, ad eam fugiendam. At purus terminus, ut n. preced. dictum, non movet. Rursus voluntas, respiciens aliquam conditionem, non est absoluta, sed conditionata: at, quæ respicit tantum purum terminum, non est conditionata, sed absoluta. e. g. qui vover ingressum Religionis, si ex morbo convalescat, vel ex vinculis evadat, ut scilicet DEUM moveat, facit votum conditionatum, & habet voluntatem tantum conditionatam, non absolutam.

Qui autem vover ingressum Religionis in diem crastinum, facit votum absolutum: quamvis pro termino exequendi votum, respiciat diem crastinum, nec votum perfecte stringat, nisi postquam dies crastinus advenerit. Utrum autem aliquid respiciatur à voluntate ut purus terminus, an ut conditio, debet desumi ex eo, an quis ab ejus odio, vel amore moveatur, an non. Et posset etiam contingere, ut recuperatio sanitatis esset purus terminus, si scilicet quis non moveretur ab ea recuperatione, sed hanc independentem à voto, & aliunde futuram supponeret, atque illam tantum respiceret, tanquam terminum, & occasionem exequendi suum votum.

65. Ex quibus colligitur, opera naturalia, cum DEUM non moveant, ad conferendam gratiam supernaturalem, utpote improporcionata, non posse esse dispositiones positivas, aut conditiones strictè tales, respectu voluntatis Divinæ conferendi gratiam, sed esse puros terminos: DEUM autem moveri ex meritis Christi, & pacto cum ipso inito, vi cuius Christus, prout ajunt patróni hujus sententiæ, peccat, ut gratia detur propter merita sua, quando homo facturus esset viribus naturalibus, quantum in se est, seu positurus illa naturalia opera; tanquam puros terminos, sive negativas dispositiones.

Res scilicet se habet, ut in supra adducto casu servi; sic enim servus dat eleemosynam Petro propter imperium domini ad pulsus horologii: imò etiam, si dominus jufferit, ut det eleemosynam ad petitionem Petri, tamen potest eam dare propter solum præceptum domini, non propter petitionem Petri, ob quam sæpe non daret, & à qua, præsertim, si foret importuna, sæpe moveretur ad negandam eleemosynam: consequenter etiam hæc petitio potest se habere, ut purus terminus, ita se explicant authores hujus sententiæ.

66. Addendum adhuc, quod voluntas dupliciter possit sibi præfigere talem terminum 1. ut nolit aliquid facere, nisi terminus sit positus, e. g. si jubeat dominus, ut servus det eleemosynam, quando sonuerit hora, & aliàs non det. 2. ut voluntas quidem velit aliquid agere, quando terminus est positus: sed tamen etiam velit agere, quando non est positus, e. g. si velit

dominus, ut servus det semper eleemosynam, quando horologium sonaverit: attamen etiam possit dare, & aliquando etiam det, quando non sonaverit.

Primi generis terminus, respectu voluntatis Divinæ est intentio ministri in consecratione Sacramenti (si hæc intentio non sit pars Sacramenti, ut hic supponitur) hæc enim posita e. g. in baptismo, DEUS dat gratiam; eâ non posita non dat. Secundi autem generis terminus juxta hos auctores sunt opera naturalia, in nostro casu; quia, licet DEUS semper det gratiam, quando ea opera ponuntur: non tamen semper negat, quando non ponuntur, sed sapissime eam confert etiam non facientibus, quod est in se. Sic Isaiæ 65. v. 1. dicitur: Invenitur, qui non quaerunt me. & S. Paulus ad Rom. 10. v. 20. ait: Invenitur, qui non quaerunt me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. Et hanc misericordiam ostendere sapissime DEUM erga homines latè probat S. Augustinus l. 1. contra duas epistolas Pelagianorum c. 19. & iterum l. de gratia & libero arbitrio c. 8. ubi conversionem S. Pauli in exemplum adducit.

ARTICULUS IV.

Quo in sensu sit verum dictum Principium.

67. Dico 1. Hoc Principium, intellectum de faciente, quod est in se, viribus gratiæ supernaturalis, est certissimum; Huic assertioni nemo Theologorum Catholicorum refragatur: probatur autem breviter, & clarè. DEUS, quantum est in se, vult sincerè, & serio, omnes homines salvos fieri: ergo facientibus, quod est in se, sive cooperantibus gratiæ supernaturali, debet ulteriorem gratiam, saltem sufficientem; conferre antec. est certum de fide, & fuscè probatum tract. de DEO. à n. 615. prob. conf. si DEUS homini facienti, quod est in se, negaret ulteriorem gratiam; simpliciter necessariam ad salutem, non posset dici serio velle salutem; qui enim rem serio vult, debet saltem ea subministrare, quæ necessaria sunt, ad eam obtinendam, & ab alio, quam ab ipso haberi non possant, ut videtur per se clarum: tale quid autem, & ita necessarium ad salutem, est gratia: ergo.

68. Dico 2. Si DEUS non det cuilibet homini statim gratiam supernaturalem, tunc facienti, quod est in se, viribus naturæ, seu ponenti opera requisita naturalia, tanquam puros terminos (quos supra n. 63. explicavimus) DEUS dat gratiam supernaturalem. Hæc conclusio etiam non videtur habere adversarium, & probatur iisdem rationibus; nam, si homo aliud non habeat, quam vires naturales, & faciat per has, quantum est in se, nec tamen illi DEUS unquam det gratiam supernaturalem, necessariam ad salutem, explicari non potest, quomodo DEUS serio velit hominis hujus salutem, aut quomodo eum non deserat, antequam deseratur: quod, licet Tridentinum sess. 6. c. 17. tantum neget de justificatis, tamen etiam de aliis, saltem necessariis

in actu grave peccatum (per veniale non de-feritur DEUS) lapsis, intelligendum est, juxta SS. Patres, præsertim S. Augustinum, qui *serm. 88. de tempore* ait: *Primo hoc fideliter, & firmiter credat dilectio vestra; quia nunquam prius DEUS deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. & S. Prosperum, qui ad objectiones Vincentianas ad 7. ait de DEO: Qui & priusquam deseratur neminem deserit, & multos desertores sepe convertit.*

Unde auctores, qui negant, DEUM facienti, quod est in se, viribus naturæ, dare gratiam, simul asserunt, eum homini prius dare gratiam illustrationis supernæ: & hinc controversia purè speculativa est, an homo per vires naturales faciat, quod est in se, an per supernaturales: in qua tamen, quia auctores gravissimi oppositi sunt, juvat utriusque partis fundamenta afferre, & quid ad ea responderi soleat, subjungere.

69. Itaque, qui facienti, quod est in se, viribus naturæ, volunt gratiam conferri, pro se afferunt primò auctoritatem SS. Patrum, quos videre est apud Suarez *l. 4. de auxiliis maxime c. 15. a. n. 38. & 40.* qui plus non requirunt ad gratiam accipiendam, quam, ut homo non ponat impedimentum: sicut scilicet sol (cui Christum comparant) omnes illuminat, qui eum non impediunt: atqui hoc facere potest homo viribus solius naturæ: ergo. Secundo afferunt auctoritatem S. Thomæ *in 2. dist. 28. q. 1. a. 4. in corp. dicentis: Non oportet, ut actus, quibus homo se ad gratiam habendam preparat, sint naturam humanam excedentes: sicut enim natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium se habent ut dispositiones materiales ad ipsam.* Item eod. art. 4. ad 4. ait: *Etiam ad fidem habendam aliquis se preparare potest per id, quod in naturali ratione est. Unde dicitur, quod, si aliquis, in barbaris natus nationibus, quod in se est, faciat, DEUS sibi revelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo: ubi Angelicus sat clarè asserit, quod per vires naturæ possit quis se disponere (intellige materialiter, sive negativè) ad gratiam supernam.*

70. Tertiò afferunt Tridentinum, quod *sess. 6. c. 8.* ait: *Fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: item illud Apostoli ad Hebr. 11. v. 6. Crede enim oportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* ergo prima gratia supernaturalis est vocatio ad fidem: atqui plurimi barbari non videntur unquam vocati fuisse ad fidem, adeoque nullam habuisse gratiam supernaturalem: ergo ex n. 68. DEUS ipsis facientibus, quod est in se, viribus naturæ, dedisset gratiam. prob. subsumptum. multi inter barbaros gentiles, præsertim sylvestres, nihil unquam audierunt de fide, neque de ea ipsis quidquam incidit: & hinc Theologi communissimè cum S. Thoma 2. 2. q. 10. a. 1. in corp. distinguunt inter infideles positivè tales, hoc est, eos qui vocationem acceptam culpabiliter neglexerunt: & negativè tales, hoc est, eos, qui vocati non fuerunt, aut inculpabiliter (quod fortè paucis accidit) vocationem non secuti sunt; quia inculpabiliter non adverterunt: ergo.

71. Ad hæc argumenta respondent autho-

res oppositi. Ad 1. Inprimis ajunt, non omnes Patres, & præsertim SS. Augustinus, & Prosper, non ita loquuntur, quorum tamen auctoritas in materia de gratia gravissima est: & horum duorum verba inferiùs adducentur. Dein, essi SS. Patres dicant, DEUM dare gratiam, modò modò impedimentum non ponat, non sequitur, quòd negent, DEUM etiam dare gratiam ad hoc ipsum, ne impedimentum ponatur, sive dare gratiam ad ponendas illas actiones, quibus vitetur peccatum, seu impedimentum; neque enim per non ponere impedimentum hic intelligitur præcisè negativè se habere; nam præcisè negativè se habendo nemo facit, quod est in se. Unde, ajunt, SS. Patres explicari possunt de non ponente impedimentum ulteriori gratiæ per neglectum anterioris. Imò SS. Patres non videntur loqui de gratia omnium primæ, seu quocunque vocatione ad fidem, saltem non de hac sola, sed etiam de aliis sequentibus, quibus ponitur impedimentum, per neglectum priorum: adeoque rectè dicuntur, pro positum impedimentum intelligere neglectum gratiæ, vel neglectam cooperationem.

72. Ad auctoritatem S. Thomæ dicunt, Angelicum sententiam prius traditam revocasse in Summa 1. 2. q. 112. a. 2. in corp. ubi expressè sic docet: *Nulla preparatio requiritur ex parte hominis, quasi præventionis Divinum auxilium, sed potius, quocunque preparatio in homine esse potest, est ex auxilio DEI, moventis animam ad bonum.* Iterum 1. part. q. 62. a. 6. ad 2. sic ait: *Unde magis videtur, quòd gratia detur secundum gradum naturæ, quam ex operibus.* Sumit autem, ut saepe aliàs, particulam magis exclusivè: vultque dicere, gratiam primam Angelis non dari, respiciendo opera eorum naturalia, tanquam dispositiones qualescunque, sed solam naturam, quæ à DEO est.

Nec dici potest, Angelicum ibi loqui de gratia habituali; quamvis enim etiam de ea loquatur, simul tamen etiam loquitur de actuali; nam in corp. expressè dicit *dona gratiarum*, quæ verba significant, non tantum gratiam habitualem, sed alias omnes. Adde, quòd S. Doctor ibi respondeat ad objectum sibi textum ad Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia:* quo textu centies utitur S. Augustinus, & alii defensores gratiæ, contra Pelagianos, & Semipelagianos, intelligendo eum de gratia actuali.

73. Ad 3. dicunt, quòd nulla quidem gratia præcedat vocationem ad fidem latius dictam, sed tamen aliqua præcedat vocationem ad fidem strictè dictam; sicut enim ad actum fidei strictè talem præcedit pia affectio (quæ est actus imperans actum fidei) ita hanc debet præcedere illustratio, ostendens, eliciendam esse illam piam affectionem: & ideo damnatam voluit 27. propositionem Quesnelli: *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum;* quia, si nulla prius præcederet gratia, non posset prius elici pia affectio, & consequenter ipse actus fidei non posset esse liber.

Sicut autem præcedit aliqua gratia, ad ipsum actum fidei, vel etiam ad piam affectionem, immediatè determinantem ad illum, sic etiam potest dari gratia præcedens, seu illustratio, ad actus,

Quomodo intellig. Principium: Facienti, quod est in se, Deus non denegat suam gratiam. 105

qui tanquam dispositiones, vel inchoamenta, conducunt ad fidem, possuntque dici fides latius dicta: qui actus à S. Augustino *l. 1. ad Simplician. q. 2.* vocantur *inchoationes quadam fidei conceptionibus similes:* qua ratione, licet admittendum sit, quòd aliqua gratia præcedat vocationem ad fidem, strictè dictam, non tamen admitti debet, quòd aliqua gratia præcedat vocationem ad fidem latè dictam.

Sic e. g. quando infideles, ex consideratione machinæ mundi, vel aliis naturalibus rationibus, vel etiam aliorum sermonibus, aut quacunque occasione, moventur ad inquirendum mundi auctorem, vel gubernatorem, DEUS addit auxilium gratiæ supernæ, vi cuius excitantur, ut eum invenire studeant. Si jam illi auxilio cooperentur, acquirunt notitiam supernaturalem DEI existentis, ac remuneratoris; licet enim DEI existentia, ac providentia, naturali cognitione percipi possit, non sequitur, DEUM in his circumstantiis non addere illustrationem supernam. Habita autem notitia illa supernaturali, ulterius movebuntur alia illustratione, seu inspiratione, ad DEUM colendum, cui si iterum cooperentur, obtinebunt tandem gratiam ad justificationem, sed tantum remotè, quatenus scilicet disponunt ad fidem strictè dictam: pertinere tamen illos actus ad fidem, quia involvunt implicitam voluntatem credendi, tum, quia saltem ex DEI ordinatione tendunt ad fidem obtinendam. Et sic fides strictè dicta est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; quia omnis alius actus, vel supponit fidem, vel ad eam disponit. Nec isti termini *initium, fundamentum, radix,* sunt ita rigorosè sumendi, ut nihil prorsus antecedat; aliàs nec timor Domini posset dici *initium sapientia.* *psal. 110. v. 10.* quia præcedit fides: nec Apostoli Ecclesiæ *fundamentum.* ad *Ephes. 2.* quia præcedit Christus: nec radix arboris verè *radix;* quia præcedit semen, ex quo oritur.

Sed neque hæc sententia impedit, quomòdò dicatur, dari infideles negativè tales; nam, si infideles possunt absque culpa non facere viribus naturalibus, quantum est in se, atque adeò fide absque culpa carere, poterit id etiam contingere infidelibus gratia supernaturali instructis; quia inprimis, ut dictum, gratia illa supernaturalis non est semper vocatio immediata ad fidem strictè dictam, sed tantum illustratio, ad cognoscendum DEUM, e. g. tanquam conditorem mundi, vel ejus gubernatorem, sicut id præstant in sententia opposita apprehensiones naturales.

Secundo, sicut solis naturalibus viribus instructus, potest sine culpa contra fidem non ulterius inquirere, vel quia non proponitur ipsi obligatio inquirendi, vel quia ad eam inculpabiliter non attendit, sic etiam potest instructus

gratiâ, sine culpa infidelitatis, non inquirere, vel quia talis illustratio non proponit statim obligationem ulterius inquirendi, vel quia etiam ob varia alia ad eam non attendit, aut obligationem non advertit, saltem non ita, ut sub gravi obligatum se judicet. Accedit, quòd quis possit quidem tali illustrationi in ordine ad assensum de DEO existente cooperari, simul tamen ex alio capite graviter peccare, atque adeò reus fieri non infidelitatis, sed unius, vel plurium peccatorum alterius speciei, adeoque damari, non ob neglectam fidem, sed ob neglecta alia præcepta.

75. Ita auctores isti respondent, qui proinde contendunt, principium supradictum exponendum esse de faciente, quod est in se, viribus gratiæ. Horum autem fundamenta sunt Canones Concilii Arausiaci II. quod Concilium, etsi tantum fuerit Provinciale, tamen, ut præmittitur *Capitulo 1.* canones ejus submissi sunt ab ipsâ Apostolica Sede, sicutque extracti ex diversis scriptis SS. Augustini, & Prosperii, ac tandem à Bonifacio II. approbati. Sic autem habent. *Canon. 3. Si quis ad invocationem humanam gratiam DEI, dicit, posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Evangelia Prophetæ, vel Apostolo &c. Canon. 4. Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram DEUM expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per S. Spiritus infusionem, & operationem, in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui S. &c. Canon. 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare posse confirmari hæretico fallitur spiritu. & Cam. ultimo ait Concilium: *Credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per misericordiam DEI adjuvamus, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat.**

Ex his sic argumentantur sententiæ hujus patroni. Juxta sententiam assentientium, DEUM dare gratiam facienti, quod est in se, viribus naturæ, videntur hic reprobatam aliquo modo verificari: ergo ea sententia non est admittenda. prob. min. subsumpta. Si quis viribus naturæ, colendo DEUM & ante acceptam gratiam eum invocando, faceret, quantum est in se, daretur ei gratia ad invocationem humanam, seu naturalem. Rursus, licet non semper, tamen aliquando, DEUS expectaret voluntatem humanam, facientem, quod est in se, viribus suis, ut conferret gratiam; cum non semper det gratiam nihil facientibus. Item videntur talia opera saltem aliquatenus pertinere ad salutem vitæ æternæ, & istis videmur nos incipere: dein autem postquam per ista fecimus, quantum in nobis est, per misericordiam DEI ad ulteriora opera bona adjuvari.

76. Confirmant ex S. Gregorio, qui *homil. 9. in Ezechielem* sic ait: *Nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant. Sicut Cornelius ante, pro bonis operibus meruit audiri, quam fidelis existeret. Qua ex re colligitur; quia bona opera pro fide percipienda faciebant:* ergo jam ante fidem dantur opera verè salutaria, si pro fide acquirenda fiant, adeoque jam ante fidem debet dari gratia. Insuper S. Prosper contra *Collatorem*

cap. 4. in respons. ad c. 3. Collatoris. ait: *Vides bonos conatus, pia studia: Sed dubitas esse DEI dona? ergo, cum ante, & post fidem, dentur pia studia, vel boni conatus, sunt ex gratia (hoc enim clarum est intelligi per dona DEI) ergo jam ante fidem datur gratia ad pios illos conatus. Idem S. Pater ibidem ait: Velis, nolis: convinceris dicere, gratiam DEI secundum meritum nostram dari, cum aliquid precedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas: ergo boni illi conatus sunt meritorii gratiæ, adeoque ex gratia: ergo DEUS antecederet ad gratiam non invenit ullum bonum opus. Tandem sæpe hortatur hæreticos, ut orent DEUM, ad impetrandam fidem, adeoque supponimus, ante fidem dari jam gratiam orandi.*

77. Ad hæc autem vicissim respondent prioris sententiæ auctores, quod Canones, vel Capitula Arausianæ se non feriant; cum non loquantur de invocatione qualicunque, quæ sit tantum, removens prohibens, negativa dispositio, aut purus terminus: sed de ea, quæ sit dispositio positivè conducens, & meritum saltem de congruo. Secundò ajunt, quod in primis DEUS non semper, ut Massilienses volebant, expectet voluntatem nostram, ne (ut dicebant) irrationabiliter gratias suas profunderet: sed sapientissimè det gratiam, pessimè se gerentibus, ut Saulo furenti. Addunt, quod etiam, quando DEUS vult prius hominem facere, quod est in se, tamen non expectet opus aliquod meritorium, ut Semipelagiani volebant, quibus S. Augustinus sapientissimè exprobrat, eos merito credulitatis velle gratiam impetrari.

Pariter hos prævios actus naturales, ajunt, non pertinere ad vitam æternam; (sicut non bene diceretur, quod comestio spectet ad celebrandum sacrum de qua re n. 60.) cum non sint dispositiones positivæ, sed tantum negativæ, seu sint tantum remota prohibens, aut puri termini: & hinc nos nullo modo positivè incipere in bono opere, sed DEUM, qui per gratiam vocationis ad fidem positivè facit initium salutis. Neque hic replicetur, gratis ista dici, neque Concilium Arausianum in Semipelagianis reprehendere, quod meritoria esse opera velint, cum nec meriti meminerit; nam clarum est ex can. ult. ejusdem supra cit. opera meritoria intellexisse, cum ait, DEUM fidem inspirare, nullis præcedentibus bonis meritis.

78. Nec dicatur, SS. Augustinum, & Prosperum dicere, si quid boni ex nobis procedat, esse meritum; nam isti Sancti non loquuntur de quolibet bono, sed de bono verè Christiano, de quo maximè inter Semipelagianos, & gratiæ defensores erat contentio: & hinc S. Augustinus in præfat. ad psal. 31. negat, impium sine fide facere bonum opus: epist. 107. ad Vitalem, ante medium Romanorum egregia facta, per quæ ait, eos præclare, gloriosissimeque vixisse, negat, fuisse opera bona: sed ait fuisse tantum velut opera bona. Rursum contra Julianum l. 4. c. 3. sub finem ait, non esse veras virtutes, quæ non prosint ad beatitudinem supernaturalem, de qua re pluribus infra n. 87. & seq.

At verò actus, ante fidem viribus naturæ elicti, non sunt bonum verè Christianum, hoc est, positivè disponens ad æternam beatitudi-

nem &c. id enim hi auctores constanter negant, & debent etiam negare eorum adversarii, que hi actus sunt illa opera bona, aut pia studia, vel operationes tales; in quibus juxta S. Augustinum fundaretur justa exculatio, qualia opera, studia, aut operationes à Semipelagianis adstruebantur, quæque S. Prosper judicabat à meritis separari non posse. Videatur Suarez l. 4. de auxiliis à c. 12. ubi per plura capita fusè hanc quæstionem pertractat.

79. Quod jam spectat ad S. Gregorium, respondentem adversæ sententiæ patroni, textum illius non probare, dari jam opera bona, seu salutaria, & de congruo meritoria, aut fidem omnem supernaturalem, & multò minus, ante vocationem supernaturalem ad illam (quam adversæ sententiæ auctores volunt esse primam gratiam) sed tantum dari opera bona ante fidem magis explicitam, quod probatur ex ipso exemplo Cornelii; Concilium enim Arausianum supra citatum c. ultimo expressè ait: *Cornelius centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, tam admirabilis fides non fuit de natura, sed Divine largitatis donum: & utique vult intelligi de fide ejus, antequam à S. Petro plenè fuit instructus: adeoque ejus bona opera nullo modo præcesserunt vocationem ad fidem. Pariter in hæreticis, quos hortatur, ut orent, si oratio eorum debet esse positiva dispositio, ad impetrandam fidem, ut hic supponitur, jam præcessit, saltem vocatio supernaturalis ad fidem: imò in multis, si tantum sint hæretici materiales, præcessit jam ipsa fides, implicitè credens, quæ credimus nos, seu vera Ecclesia.*

His rationibus pro utraque parte propositis, quilibet statuat, quid sibi amplectendum existimet. Addo tantum, Episcopos Galliarum an. 1700. Parisiis congregatos numero sexdecim, cum aliis ex inferiore Clero 4. Sept. prioris sententiæ, quæ vult ex pacto cum Christo initio conferri gratiam illi, qui ex viribus naturæ facit, quantum est in se, primo statim loco, inter complures aliàs ibidem proscriptas, censurâ satis severâ notasse, & pactum hoc appellasse commentum temerarium, & erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante Scriptura, & SS. Patrum traditione prolatum: quam tamen censuram sapientissimi Præsules noluerint extra Galliam extendere.

80. Sed quæri hinc potest, quid requiratur ad hoc, ut quis faciat, quod est in se. Resp. Debet juxta secundam sententiam cooperari gratiæ Divinæ, vel, si juxta prioris sententiam eam nondum habeat, debet juxta rationis dictamen vivere, & non committere peccata, merentia odium DEI, & demerentia ejus auxilium. Et hoc debet facere, non tantum in uno actu, sed tamdiu, donec effluxerit terminus à DEO præfixus, qui non videtur esse æqualis respectu omnium, sed in quibusdam longior, in quibusdam brevior; cum videatur DEUS à quibusdam exigere plura, ab aliis pauciora, quemadmodum idem quosdam post pauciora bona opera celo donat, alios post plura: & similiter quosdam post pauciora, alios primum post plu-

Quomodo intelligi. Principium: Facienti, quod est in se, Deus non denegat suam gratiam. 107

ra peccata, damnat, sine vitio acceptionis personarum; eoquod DEUS nemini quidquam debeat, sed de suis creaturis, quoad ista, possit pro libitu statuere.

Unde, quemcumque terminum DEUS præfixerit, semper justissimus est. Et quamvis durante eo termino occurrat tentatio gravis, & tantum physicè vincibilis, tamen, quia absolutè vinci potest, imputabitur homini, si eam non vincat; quia non requiritur major libertas ad faciendum, quod est in se, quam ad non peccandum, ad quod sufficit libertas physica. Quam in re grati agnoscere debemus benignitatem DEI, erga fideles præ infidelibus; nam illis DEUS confert longè majora auxilia, & libertatem majorem, quam infidelibus, quod S. Paulus r. ad Tim. 4. v. 10. tradit, dum ait: *Speramus in DEUM vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

Hoc tamen est valde credibile, quod si infidelis incipiat facere, quod est in se (sive cooperando gratiæ supernaturali, sive ex viribus naturæ, prout vel prior, vel secunda sententia supponitur) DEUS semper det majora auxilia, quibus juvetur ulterius ad perficiendum, & implendum totum id, quod DEUS præfixit, & requirit ad hoc, ut homo ille dicatur fecisse, quod in se est.

81. Noto tandem, axioma hoc non tantum esse verum de hominibus facientibus, quantum est in se, antequam peccatum grave commiserint (hoc enim absolutè est necessarium, ut DEUS dicatur, omnes homines sincerè velle salvos) sed etiam verum esse, saltem de fidelibus, qui, si peccaverint, faciunt, quantum est in se, ut resipiscant, & alia peccata nova evitent; his enim non negari gratiam est valde consentaneum misericordiæ Divinæ, quæ non vult mortem peccatoris, ut habetur Ezechielis 33. v. 11. & fusè probatur à Theologis, afferentibus, DEUM nemini, quamdiu vivit, negare gratiam sufficientem ad poenitentiam agendam, & salutem obtinendam, de qua re agendum in tract. de poenit.

Dico: *Gratiam sufficientem;* nam efficacem strictè talem (hoc est, quæ non tantum afferat vires sufficientes, & habeat efficaciam in actu primo, sed quæ prævia sit per scientiam medicam conjungenda infallibiliter cum consensu) DEUS non promittit: & hanc non debet dare, neque iis, qui diu non peccaverint, & fecerunt, quantum in se est; quia necessaria non est ad libertatem humanam, ut hæc suppono, & patet ex eo, quod aliàs nulla alia esset sufficiens, adeoque, qui non consentit, non habuisset gratiam sufficientem, quod est falsum.

82. Si quis autem quærere velit, quare DEUS quibusdam, etiam prius peccantibus, det gratiam sufficientem, aliis non peccantibus, det tantum sufficientem, respondetur, hoc restituendum esse in sapientissimam, & liberrimam voluntatem Divinam, quæ omnium causas habet, ut insigniter scribit S. Augustinus l. de spir. & litera ad Marcellinum c. 5. *Quidquid eorum non facit, sine exemplo est quidem in operibus factis: sed apud DEUM, & in ejus virtute, habet causam, qua fieri possit: & in ejus sapientia, quare factum non sit. Quæ causa, etiam si lateat hominem, non*

se obliviscatur esse hominem, nec propterea DEUS det insipientiam; quia non plenè capit ejus sapientiam. Hinc dicendum in tali casu cum S. Paulo ad Rom. 9. v. 20. O homo, tu quis es, qui respondeas DEO? & iterum cum S. Augustino tract. 26. in Joannem sub initium. Quare illum trabat, & illum non trabat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, & intellige. Non traberis ora, ut trabaris. Rursum ep. 105. circa medium. Cur autem illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, judiciorum ejus tam magnum profundum: veritatem caveat precipitum. Nunquid enim est iniquitas apud DEUM? Absit. Sed inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Sed hæc quæstio fusius agitata jam est suo loco scilicet tract. de DEO, & de Divina providentia.

ARTICULUS V.

An sine gratia supernaturali possit aliquid in ordine naturæ moraliter bonum fieri.

83. Dico 1. Homo sine gratia supernaturali non in omni actione necessariò peccat. Conclusio hæc

est omnium rectè sentientium: & certa ex definitionibus complurium Pontificum, scilicet Pii V. & Gregorii XIII. Alexandri VIII. & præsertim, Clementis XI. in Constitutione Unigenitus. contra Quesnellum sic inter Baianas damnatas est 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ DEI adiutorio non nisi ad peccandum valet: & 28. Pelagianus error est dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. item 35. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Similes his sunt propositiones 38. 40. 65.*

Alexander VIII. damnat hanc 8. *Necessè est, infidelem in omni opere peccare. Clemens XI. hanc 38. Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris. & 39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se precipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum. Est incapax omnis mali, & incapax ad omne bonum. & 40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. Omitto aliàs similes à Pontificibus damnatas propositiones, ne nimis longus. Sed quæstio jam est, an homo sine gratia supernaturali possit actum naturalem moraliter bonum efficere.*

84. Dico itaque 2. Homo sine gratia, tum habituali, tum actuali, potest aliquod opus, in ordine naturali moraliter bonum, facere. Dico aliquod opus bonum facere, ad quod verificandum sufficit; si possit leviora opera bona facere; nam de difficilioribus e. g. de amore DEI naturali super omnia, de victoria gravis tentationis, & maximè de observantia totius legis naturalis, agemus inferius. Conclusionem sic explicatam tenent Suarez. toto l. 1. de gratia. & in l. p. l. 2. de prædest. c. 12. Gonetus tom. 4. disp. 1. a. 3. §. 5. Tannerus tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 3. n. 58. Valentia tom. 2. disp. 8. q. 1. p. 2. Rho

Rhodes *disp. 2. de gratia q. 1. sec. 5. s. 1.* Arriaga de Divina gratia. *disp. 38. sec. 2. n. 8.* ubi citat ex Scholasticis Bellarminum, Lessium, & plurimos alios ex nostris, & externis. & n. 10. omnes ferè Patres Græcos in genere, & ex Latinis plures in specie.

Consentit S. Thomas. *1. 2. q. 109. a. 2. in corp.* ubi negat quidem, posse hominem in statu naturæ corruptæ sine gratia totam legem naturalem implere, sed addit: *Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest quidem etiam, in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ, aliquid bonum particulare agere, sicut edificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi: non tamen totum bonum sibi connaturale, ita, quod in nullo deficiat.* Quamvis autem dein dicat, hominem ad ista indigere auxilio Divino, per hoc tantum intelligit generalem concursum DEI naturalem; cum hoc auxilium nunquam vocet auxilium gratiæ, idque etiam requirit articulo præcedente ad cognitionem cuiuslibet veri, ad quam utique non requiritur gratia strictè talis: quin etiam citato art. 2. loquens de opere supernaturali, prout distinctum est à naturali, ad illud requirit gratiam, non ad istud. vide Tannerum *loc. cit. n. 64.*

85. Probatur conclusio 1. ex illo ad Rom. *2. v. 14. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt:* ergo gentes, sive illi homines, qui non habuerunt legem Moysis, naturaliter, sive ex natura sua (ut in græco habetur) faciunt ea, quæ legis sunt, hoc est, honestè naturaliter operantur. Licet autem gentes non semper ita operentur, tamen aliquando ita operantur, adeoque possunt ita operari. Equidem hunc textum quidam intelligere volunt de gentibus ad fidem conversis, quæ non habuerunt legem Moysis: sed Suarez. *l. 1. de gratia. c. 8. n. 20. & seq.* ex communiore Patrum ostendit, intelligendas esse omnes gentes, quæ non habuerunt Mosaicam legem, sive deinde fideles, sive infideles fuerint: cui expositioni, etiam alicubi videatur contrarius S. Augustinus, tamen eam simpliciter non rejicit, ut patet ex *c. 28. de spiritu & littera*, ut ostendit Suarez *loc. cit. num. 24. & 28.* quod etiam monstrat de S. Prospero, ac aliis.

Tandem Pius V. damnat hanc propositionem Baji. *22. Cum Pelagio sentiant, qui textum Apostoli ad Romanos. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt: intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.* Ex qua damnatione saltem habetur, nostram sententiam esse nullo modo Pelagianam. Nec dicant verba illa: *quæ legis sunt:* intelligi debere de operibus legi materialiter tantum conformibus, formaliter autem mala intentione vitiat. Contra enim est: hoc ipsorum arbitrario, & gratis dicitur, sine ullo fundamento in textu Apostoli. Vocem autem naturaliter, rectè probat Suarez *loc. modo cit. n. 22.* intelligi debere de viribus naturæ, sine ullo speciali auxilio gratiæ.

86. Adde, quod Pius V. damnaverit has duas propositiones Baji: *sc. 37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. & 65. Non nisi*

Pelagiano errore admitti potest usus aliqui liberi arbitrii bonus, sive non malus: & gratia Christi injuriam facit, qui ita sentit. & docet. Equidem scio, responderè quosdam, has propositiones damnatas esse; quia censuram acerbissimam continent: attamen non tantum ratione censuræ, sed & ratione doctrinæ, damnatas esse, tradunt auctores gravissimi, asserentes, secum sentire Bellarminum, & Cunerum, quibus, utpote præsentibus, dum Bulla publicaretur, mens Pontificis fuit notissima. Citatur & Lessius Doctor Lovaniensis, & ejusdem temporis auctor.

Saltem ex his damnationibus habetur, nostram sententiam ab errore illo longè alienam, & juxta mentem tantorum virorum, menti Pontificum conformiorem. Adde Concilium Tridentinum *sess. 6. can. 1.* definire, non posse hominem justificari per opera, quæ, vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam, fiunt: ergo supponit, posse opera moraliter in ordine naturali honesta, & bona fieri per vires naturæ; aliis superflua esset definitio; ad quid enim definiantur, neminem per peccata justificari posse?

87. Prob. conclusio 2. ex SS. PP. In primis Patres Græci, teste Arriaga *loc. cit. n. 84.* hanc sententiam ferè omnes defendunt. Ex Latinis S. Leo. *serm. 7. de Quadrages.* pro hac sententia sic loquitur: *Sed quia, quod non ex se sed procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit, alia est conditio operum celestium, alia terrenorum:* ubi per terrena utique non intelligit peccata; quia de his nimis certum erat, per ea non perveniri ad cælum: neque hoc explicari debebat. S. Augustinus, qui maxime putatur oppositus, nobiscum quoque sentit pluribus locis, quos vide apud eundem Arriagam. *à. n. 10.*

Aliquos tamen hujus S. Patris textus adduco. Sic *ep. 5. ad Marcellinum* ait: *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxerintque virtutibus, etiam non habentes veram pietatem erga DEUM verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem.* Ecce manifestè distinguit virtutes conducentes ad æternam salutem, ab aliis, non ita conducentibus, seu purè naturalibus, aut naturali probitate. Idem *l. de spiritu & littera c. 28. de Judæis* ait: *Vix illa naturæ inerat eis, quæ legitimum aliquid anima rationalis, & sentit, & facit: sed pietas, quæ in aliam vitam transfert, beatam, & æternam, legem habet immaculatam.* Et post pauca: *Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil profunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur.*

Rursus *l. 3. Hypognosticon c. 4.* auctor libri hujus ex sententia S. Augustini sic ait: *Esse saltem liberum arbitrium omnibus hominibus, habentibus quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad DEUM pertinent, sine DEO, aut inchoare, aut certè peragere: sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum . . . velle, quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam.* Equidem fateor, Bel

Bellarminum dicere, libros Hypognosticon non videri esse S. Augustini; cum non videantur habere phrasin hujus S. Doctoris, nec ab antiquis sub hoc nomine citentur: attamen & ipse Bellarminus fateatur, eos esse eruditos, ac utiles: utque videtur Arriagæ *tract. de grat. disp. 38. sec. 2. n. 11.* sunt ex S. Augustini sententiis confecti: atque à S. Thoma & Scholasticis, tanquam libri S. Augustini citantur. Si tamen hujus libri auctoritas non sat gravis tibi videatur, sufficient textus ex aliis indubitatis libris S. Augustini allati.

88. Prob. conclus. 3. ratione. Voluntas in quovis casu determinato est libera ad peccandum, & non peccandum: ergo etiam est libera ad opus moraliter bonum, in ordine naturali faciendum, & non faciendum. ant. probatum est. *num. 83.* prob. conf. sæpe voluntas non potest non peccare, nisi eliciendo opus, saltem naturale moraliter bonum, quando scilicet peccatum staret in omissione actionis bonæ, e. g. elemosinæ dandæ pauperi extremè indigenti, vel exercendæ obedientiæ, aut auxilii præstandi parentibus: ergo, si voluntas in tali casu est libera ad vitandum viribus suis peccatum, debet etiam esse libera, seu potens iisdem viribus ad operandum bene.

Nec dicas 1. in tali casu voluntatem operaturam, tantum ex motivo indifferente: cur enim non possit operari ex motivo misericordiæ naturalis, obedientiæ, aut pietatis, quæ motiva sunt naturæ maxime conformia? Nec dicas 2. hominem talem semper bene operaturum ex auxilio gratiæ supernæ, quod DEUS tunc conferat; nam quomodo probabitur, homini cuique etiam infideli, operanti ex motivo purè naturaliter honesto, semper adesse auxilium supernum, & actum elici supernaturalem, & forè de congruo meritum? Nec dicas 3. ex nostra sententia sequi, quod voluntas, viribus propriis, possit facere omnia bona; nam id nullo modo sequitur; neque enim potest, saltem moraliter, vitare omnia peccata, de qua re inferius.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

89. **O**B. 1. Concilium Arafricanum II. *can. 22.* ait: *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum:* ergo solum arbitrium non potest moraliter bene agere, etiam tantum in ordine naturali. Confirm. Idem Concilium *can. 20.* ait: *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non DEUS præstet, ut faciat homo:* ergo. Resp. neg. conf. Concilium debet explicari de actionibus eliciendis in ordine ad supernam beatitudinem, in quo ordine non potest solum arbitrium habere actum meritum sine gratia; sed tantum potest habere peccatum, per quod excidat beatitudine.

Vel intelligendum est Concilium de actionibus, quæ potius adscribuntur libero arbitrio quam DEO. Ubi noto, quod actus mali soli sint, quorum causa non potest esse DEUS, adeoque istos solos dicitur liberum arbitrium habere

de suo: at verò actuum, etiam naturaliter tantum bonorum, auctor est DEUS; unde istos liberum arbitrium non habet de suo, sed à DEO; non quidem per auxilia ordinis supernaturalis; & sic S. Thomas. in *2. dist. 28. q. 1. a. 1. ad 3.* respondet in ordine ad textum S. Augustini ad Bonifacium Papam: *Non potest homo aliquid bonum velle, nisi juvetur à DEO, qui malum velle non potest:* ait enim: *DEUS non tantum juvat nos ad bene agendum per habitum gratiæ, sed etiam interius operando in ipsa voluntate, sicut in qualibet re operatur, etiam externis occasionibus, & auxilia præbendo, ad bene agendum, & sine his omnibus nullus bene facere potest Vel dicendum, quod Augustinus intelligit de bono meritorio.* Ut autem Augustinus, ita etiam Concilium hoc (quod Decisiones has ut plurimum ex Augustino desumpsit) est intelligendum. Eadem hæc responsio servit ad confirmationem &c.

90. Ob 2. S. Augustinus variis locis nobis oppositum docet, sic ait *ep. 107. ad Vitalem.* Itaque aliquos eorum, per quos amplius decipere affectat diabolus sinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclare, gloriosissimeque vixerunt. Sed quoniam, sicut verissima Scriptura dicit: omne, quod non est ex fide, peccatum est: & sine fide impossibile est utique placere DEO, non hominibus, nihil sic agit hic princeps, quam, ut non credatur in DEUM, nec ad mediatorum, à quo solvantur opera ejus, credendo veniatur. & l. 3. contra duas epist. Pelagianorum c. 8. Liberi arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet: ad justitiam verò, nisi divinitus liberatum, adjutumque, non valet. & de spiritu & littera. c. 3. Neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. & sermone 13. de verbis Apostoli. c. 10. Nisi ille regat, cadis, nisi ille regat, jaces. & c. 11. Prorsus, si defuerit adjutorium DEI, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante, libera voluntate; sed malè. Plura similia vide apud Suarez *l. 1. de gratia c. 19. num. 8.*

Resp. Quod Augustinus non neget omnia moraliter bona, in ordine naturæ possibilia libero abique gratia clarum est ex ejus textibus citatis *num. 87.* Unde textus similes debent ita explicari, ut non aliis ejusdem S. Doctoris dictis contradicant, & vel debent non amplissimè, quasi omnes prorsus actiones complecterentur, accipi, vel debent non in sensu strictissimo exponi. Plures expositiones refert Suarez *l. 1. de gratia. c. 21.*

91. Prima expositio est Soti, Vegæ, Ruardi, & aliorum, dicentium, actiones liberi arbitrii absque gratia vocari peccata, non strictè talia, sed tantum in hoc sensu, quod non sint actiones bonæ, bonitate verè Christiana, ut idem significet peccatum, quod opus non bonum. Et fors posset videri S. Augustinus huic opinioni favere, dum præfatione in psalmum 31. sub finem ait: *Impius est: etsi bona videatur facere, tamen, quia facit sine fide, nec bona vocanda sunt:* & l. 4. contra Julianum c. 3. Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalæ fides, quæ in Christo est vera, promittit, nihil profunt homini virtutes, nullo modo vere possunt esse virtutes: & eodem capite sub finem: Scito nos illud bonum

num hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine DEI gratia, que datur per unum mediatorem DEI, & hominum, nemini posse conferri, per quod solus homo potest ad eternum DEI donum, regnumque perducere.

Alterā expositio est aliorum, volentium, S. Augustinum dicere eas actiones peccaminosas, denominatione desumpta à majori parte: sic dicimus aliquando de homine vitioso, eum nihil boni facere, intelligendo tantum, eum ut plurimum nil boni facere vel maximam partem actionum ejus esse malas: quasi S. Augustinus diceret, raro liberum arbitrium, sine gratia DEI adjuvante, facere opus bonum, & omnia ferme esse mala. Habet hæc expositio etiam fundamentum aliquod in S. Augustino l. de spiritu, & littera. c. 27. in fine ubi S. Doctor sic scribit: Si autem hi, qui naturaliter, que legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec DEUM verum veraciter, justèque volentium, quadam tamen facta, vel legimus, vel novimus, vel audimus, que secundam justitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, rectèque laudamus: quanquam, si discutatur, quo sine fiant, vix inveniuntur, que justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur. Ubi nota particulam vix, que indicat esse rarum, non tamen nullum, in impio, vel infideli, opus moraliter honestum; alias enim ea particula frustra esset appposita.

92. Tertia expositio est eorum, qui dicunt, S. Augustinum (quod etiam de aliis Patribus, quandoque apparenter contrariis, tenendum) loqui juxta subjectam materiam, & errorem, quem impugnat, nempe hæresin Pelagianorum. Hi dicebant, arbitrium sine gratia valere ad duo, scilicet ad bene agendum salutariter, & merito-riè æternæ vitæ, & simul ad peccandum. Prius negat S. Augustinus, & hoc secundum tantum illis concedit: de aliis autem bonis operibus, de quibus non erat questio inter ipsum, & illos hæreticos, ibi abstrahit: alibi tamen alia opera bona, sed non salutaria admittit, ut patet ex n. 87.

Quarta expositio apud Rhodens disp. 2. de gratia. q. 1. sect. 4. §. 3. est illorum, qui asserunt, SS. Patres, & etiam S. Augustinum, tantum velle dicere, quod liberum arbitrium non habeat potentiam ad bonum, nisi debilem, quæ quasi nulla reputetur; cum non possit facere bona quævis difficilia, sed tantum faciliora, & pauca: saltem loquendo de potentia moraliter tali: cum tamen econtra possit facere simpliciter quævis peccata.

Quinta expositio est apud Arriagam tr. de grat. disp. 38. sec. 4. n. 33. §. Tertia. quæ asserit, SS. Patres per similes modos loquendi tantum velle docere, quod omnia opera nostra bona sint adscribenda DEO, mala verò nobis, seu libero arbitrio nostro: hinc locutiones illas Patrum, quibus dicunt, arbitrium nostrum liberum nihil boni operari, tantum intelligendas esse de actionibus illis, quæ magis adscribuntur libero arbitrio quam DEO juxta dictam, 89. hæ enim non sunt bonæ; nam eo ipso si bonæ essent, magis DEO quam nobis adscribendæ essent.

93. Juxta hæc expositiones debent explicari textus SS. Patrum & Conciliorum, ne sibi ipsis,

aut aliis, videantur oppositi, & aliqua ex his expositionibus semper quadrabit, si non omnes; nam, quod spectat ad textus in objectione positos, is omnes hæc expositiones quadrat. Quare in forma concessis textibus nega. conf. & subjunge aliquam expositionem. Adde tantum, quod, quando S. Prosper contra Collatorem. c. 27. ait, virtutes infidelium esse diabolicas, non veli dicere, eas, vel actiones earum, semper per se peccaminosas esse (nam c. 28. ait de infidelibus, quod Multi eorum sint justitie, temperantie, continentie, & benevolentie sectatores, que omnia non frustra quidem & inutiliter habent, multumque ex eis in hac vita honoris, & gloriæ, consequuntur. ad illam tamen beatarum virtutum non pertinet veritatem: hoc est, non conducunt ad æternam beatitudinem) sed tantum velit, dicere, malos sæpe occasione illorum bonorum sumere occasionem superbiz, atque peccati. vide Arriagam tract. de grat. disp. 38. sec. 2. sub sect. 1. n. 11.

ARTICULUS VII.

An sine gratia supernaturali possit elici amor DEI super omnia.

94. Certum est, non posse absque gratia elici amorem DEI justificativum; hic enim, cum supernaturalis necessariò esse debeat, absque ejusdem ordinis gratia haberi non potest. Unde tantum queritur, an haberi possit talis actus, moraliter, & naturaliter bonus, quo homo præferat amandum DEUM omnibus aliis, etiam sibi ipsi, & quidem, an haberi possit talis actus in statu naturæ lapsæ; nam facilis utique habitus fuisset in statu naturæ integræ. Præcinditur etiam à circumstantiis, difficultatibus hujus actus valde augmentis, quales essent, e. g. tentationes graves, incitantes ad non amandum DEUM, vel ad amandas creaturas contra legem DEI.

95. Dico. Absque gratia supernaturali potest elici talis actus amoris DEI super omnia. Ita Doctor Subtilis in 3. disp. 27. q. unica. §. Ipsi igitur. item Molina in Concordia. q. 14. art. 13. disp. 14. præcipue membro tertia, §. Duo quedam colligere. Suarez l. 1. de grat. c. 35. n. 21. qui licet pridè dicat, hominem id non posse ex suis viribus, tandem tamen num. modo cit. expressè dicit, auxilium, ad talem actum homini necessarium, debere tantum esse ordinis naturalis. Arriaga disp. 39. de gratia sec. 5. n. 15. Almainus, Bannez, Canus, & alii Thomistæ, ac nostri ab Arriaga citati, Plures etiam citat, eorumque verba adducit Theodorus Eleutherius l. 4. histor. de auxiliis. c. 11. De mente S. Thomæ agemus inferius.

96. Probatur conclusio argumento Scoti, qui loco citato sic ait: Recta ratio. dicit, solum summum bonum insitum esse summe diligendum, & per consequens voluntas hoc potest ex puris naturalibus; nihil enim potest intellectus rectè dicere, in quod dicitur non possit voluntas naturalis naturaliter tendere. Confirm. 1. ex Arriaga. Non repugnat, ut cum concursu ordinario DEI, & aliarum causarum, aliquis cognoscat DEUM cognitione inter abstractivas valde clara, seu intensa,

An sine gratia supernaturali possit elici amor Dei super omnia.

adeoque cognoscat, eum esse longè meliorem, quam omnia alia: nec etiam repugnat, ut tunc ei non occurrant, vel proponantur tentationes, aut difficultates graves, quas debeat superare; si velit DEUM amare super omnia: ergo potest eum ita amare: quid enim desit in hoc casu voluntati, ut DEUM cognitum super omnia amabilem non possit ita amare? Confirm. 2. ex S. Antonino, qui parte 4. tit. 6. c. 3. §. 2. ait: Si naturaliter amat filius patrem, à quo habet partem corporis, quanto magis amare debet DEUM, qui corpus ei, & animam ex nihilo fecit?

97. Ubi tamen nota; distinguendum esse inter amorem DEI naturalem diu durantem, & tantum modico tempore, vel instanti durantem. Hunc secundum dicimus possibilem ex naturali- bus viribus, non illum; nam amorem diu durantem teste Arriaga tr. de grat. disp. 39. sec. 5. n. 14. & Suarezio, communiter Theologi negant possibilem, cujus optima, & prima ratio videtur esse ipsa autoritas Theologorum; secunda, quod homo, ut inferius dicemus, per vires tantum naturales non possit diu esse constans in servanda tota lege naturali, quod tamen requiritur ad continuandum talem amorem, ut patet.

Uterius distinguendus est amor efficax, & amor inefficax: hic est tantum aliqua velleitas, de qua hic non controvertitur; ille verò est voluntas, quantum est in se, efficax, & si fit amor DEI super omnia, est voluntas DEUM non offendendi. Si jam ita amanti DEUM occurrant graves tentationes, e. g. periculum mortis, tunc amor ille, si sit verus, & efficax, debet eas vincere: an autem talis victoriosus amor sit naturalibus viribus possibilis, nunc non decidimus: sed modo sufficit nobis, esse possibilem amorem DEI super omnia tunc, quando non proponuntur tales tentationes.

98. Rursus alius amor est efficax effectivè, qui scilicet etiam effectum post se trahit, e. g. omissionem peccati, & adimpletionem legis per aliquod tempus: & neque istum nunc dicimus possibilem; quia primum postea querendum est, quousque, & quamdiu homo viribus naturalibus legem servare possit. Alius amor est efficax affectivè, hoc est, qui seridè quidem proponit, omnia facere, quæ DEUS petit; ita, ut stante tali actu, non possit quis peccare, minus actu peccet, adeoque pro eo momento, quo actus durat, totam legem observet & talem dicimus possibilem, saltem si ex inadvertentia, vel alia causa, graves difficultates non proponantur.

Alii dicunt, esse possibilem quidem amorem efficacem affectivè, sed non universalem, eoque non possit homo proponere servare totam legem; cum id viribus naturalibus non possit. Sed Arriaga tr. de grat. disp. 39. sec. 4. n. 11. & seq. advertit, non esse necesse, ut homini hoc proponatur: sed posse ipsum hac de re non cogitare: item posse hominem ex errore inculpabili putare, sibi possibilem esse eam observationem. Addit, etsi sciat homo, se non servaturum propositum suum, tamen posse sibi aliquid proponere: & certè, si hoc non sit verum, tunc propositum de peccatis venialibus vitandis valde sæpe non erit efficax.

Advertit insuper Arriaga n. 12. talem actum

amoris esse non tantum conditionatum, scilicet sub conditione, si possit totam legem servare (quæ tamen conditio non esset implenda) sed esse actum verè absolutum; cum conditioni omnino ignoratæ, vel non cogitatæ, non affigatur affectus, adeoque ista non reddat actum conditionatum; alias, si duo putarent, quod certò suos hostes essent alicubi inventuri, & statuerent secum, illuc ire, ac eos occidere, haberent etiam tantum voluntatem conditionatam, sub conditione, si eos invenirent: & si fortè unus dein suum inveniret, non autem alter, hic secundus deberet dici, habuisse actum etiam affectivè tantum inefficacem, & tantum conditionatum: prior autem habuisse voluntatem absolutè affectivè efficacem; cum tamen in animo prorsus similiter comparati fuerint: quod non videtur credibile.

Videtur autem mihi prorsus verum, actum efficacem non tantum esse illum, qui effectum post se trahit, sed etiam illum, qui efficaciter proponit, se rem executioni daturum: quantum, ut fatear, hac in questione multi videntur, per amorem DEI efficacem, tantum intelligere efficacem effectivè. Et sanè puto, multos auctores, qui nobis videntur contrarii, non eodem modo intelligere amorem DEI super omnia efficacem; unde læpe utendum distinctione.

99. Addenda hic etiam alia doctrina; occasione sententiæ Suarezii citati, n. 95. de discrimine inter auxilium gratiæ supernaturalis, & naturalis. Gratia supernaturalis Theologicè talis est, quam explicavimus. n. 6. Gratia autem naturalis est, quam explicavimus. n. 5. ubi etiam dictum, quod gratia naturalis possit esse gratia extrinsecæ protectionis, vel etiam intrinsecæ illuminationis. Jam, quamvis homini debeat aliqua cognitio boni, & consequenter hæc non sit beneficium indebitum, post beneficium creationis collatum: tamen, cum aliqua cognitiones sint in ordine naturali tantum sufficientes, quibuscum homo tantum potest operari: aliæ verò efficaces, vel congruæ, quibuscum homo actu operatur, non videntur deberi homini potius ista prævisæ efficaces, quam illæ prævisæ inefficaces.

Hinc talis cognitio boni efficax, seu congrua, videtur posse dici gratia, ut habent Vasquez, in 1. 2. disp. 189. c. 16. n. 133. Oviedo, Hauldus: l. 2. tr. 3. n. 818. & præsertim Gonetus tom. 4. tr. 8. disp. 1. a. 4. §. 2. n. 208. sub finem, ubi docet, talem gratiam specialem, ordinis tamen tantum naturalis, requiri ad amorem naturalem DEI super omnia, si hic amor debeat esse affectivè efficax. Sed tamen videtur, non debere dici, quod homo non possit DEUM amare sine tali auxilio, aut hoc simpliciter necessarium esse, (quod Vasquez etiam admittit) sicut enim in ordine supernaturali potest homo operari cum gratia sufficiente, & non est necessaria gratia congrua ad posse, quamvis sine hac homo non sit operaturus: ita etiam in ordine naturali homo sine auxilio naturali congruo DEUM potest amare, quamvis eum non sit amaturus.

100. Dein Suarez, l. 1. de gratia. c. 13. probat, cognitionem naturalem congruam, saltem non semper esse gratiam, distinctam à beneficio creationis, sive indebitam supposita creatione eoque

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones.

eoquod sapè homini debeantur cognitiones congruæ; cum natura inclinet sapè ad tales actus, e. g. ut parentes benefaciunt liberis, ut quis infantulum in luto hærentem tollat, aut benefactori maximo aliquam gratitudinem exhibeat: & aliquando major esset difficultas in omissione istorum, quam in executione. Idem docet Arriaga de gratia disp. 38. sec. 2. n. 18. ubi addit, DEUM, si negaret in his occasionibus cognitionem congruam, usurum aliquam violentiam affectatam. Idem auctor disp. 36. sec. 2. per totam probat, hanc gratiam nullo modo esse illam, de qua his erat inter SS. Patres, ac Pelagianos, vel Semipelagianos: id quod etiam probat Suarez. l. 1. de gratia. c. 17. per totum. quos vide.

101. Circa hanc quæstionem, an scilicet, solis viribus naturalibus possit elici amor DEI super omnia, docet S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 3. in corp. quod homo quidem in statu naturæ integræ potuisset DEUM amare super omnia, sine gratia superaddita naturalibus bonis: sed in statu naturæ lapsæ indiget ad hoc auxilio gratiæ naturæ sanantis. Cajetanus S. Thomæ interpres in hunc locum dicit, S. Thomam distinguere duplicem amorem DEI super omnia: unum, qui tantum excludat omne peccatum mortale: alium longè perfectiorem, qui etiam excludat omne peccatum veniale: illum esse possibilem absque gratia homini etiam lapsæ: non autem esse possibilem istum: idque vult inferre ex ratione S. Thomæ, quæ est, quod homini sit connaturalis amor DEI, saltem ille non omnino perfectissimus: & homo propriis viribus possit id. quod ei est connaturale. Et ob hanc rationem alii quocumque multi volunt, S. Thomam potius stare pro nostra quam pro opposita sententia.

Gonetus e contra tom. 4. tr. 8. disp. 1. a. 4. §. 2. n. 195. reprobat hanc interpretationem Cajetani ex eo, quod talis actus perfectissimus, neque cum gratia supernaturali ordinari sit possibilis. Suarez quoque l. 1. de grat. c. 34. ubi fusè de mente Angelici disputat. n. 6. ex eodem capite rejicit hanc expositionem. Si dicas, quod talis actus perfectissimus cum gratia supernaturali ordinaria absolute possibilis sit; eoquod licet quis non possit, per omnem vitam, vel diu, absque gratia speciali vitare omnia venialia, tamen id possit per aliquod tempus: & hinc homo, si præsertim non cogitet de futuro tempore, vel de impossibilitate illa vitandi diu venialia, possit talem actum elicere. Resp. quod Angelicus planè videatur loqui de actu, quem natura sanata potest de potentia ordinaria, seu ordinariè sine speciali gratia, elicere, qui actus utique non potest semper omne veniale excludere. Tandem Eximius loc. cit. c. 35. n. 15. probat, ad amorem DEI super omnia, in conclusione assertum, non esse necessarium auxilium gratiæ intrinsicè supernaturalis: & quamvis de mente S. Thomæ ibi non faciat mentionem, tamen non videtur ei voluisse contrarius esse, quod nobis absolute sufficit, qui tantum defendimus, quod sine auxilio gratiæ supernaturalis possit DEUS ab homine super omnia diligere.

102. **O**B. 1. Ad Rom. 5. v. 5. dicitur Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Rursus 1. Joan. 4. v. 7. Charitas ex DEO est. & ad Galat. 5. v. 22. Fructus autem spiritus est charitas: ergo dilectio DEI est per infusionem spiritus sancti, seu per gratiam. Resp. dist. conf. Aliqua dilectio DEI, scilicet supernaturalis, & conduens ad salutem æternam, est per gratiam, conc. conseq. omnis etiam tantum naturalis, & non conduens positivè ad salutem. neg. conf. Nec dicas, Scripturam non facere hanc distinctionem, inter charitatem naturalem, & supernaturalem. Resp. enim Scripturam etiam non facere, ordinariè saltem, discrimen inter actus naturales, & supernaturales inferiorum virtutum, e. g. iustitiæ, & misericordiæ: quis autem dicat, non esse possibilem actum naturalis iustitiæ, vel misericordiæ, aut poenitentiae?

Dein est Scriptura discrimen non faceret, sufficit, quod id Concilia faciant, ut Tridentinum, sess. 6. can. 3. ubi definit: Si quis dixerit, sine preveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. En non omnem dilectionem, sicut non omnem poenitentiam, negat posse fieri sine inspiratione Sancti Spiritus: sed tantum illam, quæ fit, sicut oportet ad salutem. Sic etiam Arafricanum II. can. 25. terminum hunc sicut oportet, vel oportuit, adhibet.

103. Dices, Ad Rom. 13. v. 8. dicitur: Qui enim diligit proximum, legem implevit. & iterum v. 10. Plenitudo ergo legis est dilectio: ergo, qui diligit proximum propter DEUM, & consequenter DEUM, totam legem naturalem implevit: sed non potest homo in natura lapsa viribus naturalibus totam legem implere: ergo nec potest DEUM diligere. Resp. S. Raulum ibi, teste Cornelio, loqui de amore proximi, non autem de lege tota, sed tantum de lege secundæ tabulæ, quæ spectat ad proximum; nam ad hujus dilectionem etiam spectant, quæ subjungit v. 9. Non adulterabis, non occides &c. Est autem incredibile, non posse hominem absque gratia supernaturali diligere proximum dilectione naturali.

Sed, si etiam demus, quod loquatur textus de dilectione DEI. dist. conf. qui diligit, totam legem implevit constanter, diu, & quoad plures, vel omnes actus, à lege imperatos. neg. conf. quoad unum tantum momentum, & unum tantum actum, quem solum hic & nunc lex imperat. conc. conf. & dist. subsumptum: non potest homo totam legem servare quoad unum tantum momentum, & unum actum, qui quidem sit pro nunc efficax affectivè, sed non efficax effectivè in futurum. nego subsumptum: non potest totam legem servare constanter, diu, & quoad plures, vel omnes actus. con. subsumptum. & neg.

& neg. conf. vide Arriagam de gratia disp. 41. sec. 2. n. 4. ubi plures auctores citat afferentes, modico tempore posse impleri, vel servari totam legem. Adde, alios dicere, Apostolum ibi loqui de dilectione supernaturali, quæ utique non est possibilis naturaliter. Sed hanc ultimam responsum.

104. Urgebis. Si esset sermo de dilectione DEI supernaturali, tunc esset sermo de dilectione elicitæ per habitum charitatis: atqui de hac non est sermo: ergo. prob. min. non præcipitur nobis, ut eliciamus actum per habitum; quia sæpe habitum non habemus, nec est in nostra potestate eum habere: ergo. Resp. neg. ma. quia esset tantum sermo disjunctivè de actu, vel elicitæ per habitum, vel per omnipotentiam DEI extrinsecè, speciali supernaturali modo, applicatam. Potest etiam negari minor; tunc enim, quando adest habitus in iusto, elicitur actus per illum. ad probationem neg. ant. ex suppositione, quod adit habitus: certè non præcipiuntur semper tantum actus naturales, sed supernaturales, e. g. fidei, contritionis, vel attritionis, in ordine ad confessionem, qui debent elici ab habitibus, si adsint: vel in defectu horum ab omnipotentia specialiter applicata. Quando autem habemus habitum, est utique in nostra potestate facere, & conari, quantum possumus, & tunc habitus jam concurret.

105. Ob. 2. Concilium Milevitanum cau. 4. ait: Cum sit utrumque donum DEI, & scire, quod facere debeamus, & diligere, ut faciamus: ergo actus amoris DEI est ex gratia. Confirm. Arafricanum II. can. vel cap. 25. ait: Propterea donum DEI est diligere DEUM: ergo est gratia. Resp. neg. conf. In primis ibi non est sermo tantum de dilectione DEI, sed de omni dilectione honesta: atqui non est verum, quod nihil possumus naturaliter honestè diligere, sine gratia supernaturali, ut satis probatum à n. 84. igitur Concilium tantum loquitur de dilectione DEI supernaturali.

Quod patet etiam ex eo, quod canon. 5. loquatur clarè de actionibus supernaturalibus; cum dicat, libero arbitrio necessariam gratiam justificationis, ut possit implere Divina mandata, & horum fructus afferre, de quibus Dominus non dicat: Sine me difficilius potestis facere: Sed Sine me nihil potestis facere: quem textum cum S. Augustino omnes explicant de operibus supernaturalibus: & idem supponit hic canon; quia loquitur de gratia justificationis, seu quæ datur in ordine ad justificationem, sive ad operam justificationis: & probat illam impotentiam liberi arbitrii ex illo Joas. 15. v. 5. Sine me nihil potestis facere: qui textus loquitur, non de actionibus naturalibus, sed supernaturalibus.

Ad confirm. dist. antec. diligere DEUM supernaturaliter est donum DEI. conc. ant. diligere tantum naturaliter. subdist. est donum supernaturale, neg. ant. naturale. om. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conf. Concilium expressè addit eodem canone, vel capitulo 25. quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea, aut diligere DEUM, sicut oportuit, aut credere in DEUM, aut operari propter DEUM, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia Divina & P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

prevenit. Ubi noranda verba: Sicut oportuit: quæ significant ex usu Conciliorum: Sicut oportet ad salutem: quod tantum intelligi potest de actibus supernaturalibus. Et sanè ibidem Concilium loquitur eodem modo de fide per illa verba: Credere in DEUM: ubi aperte intelligitur fides supernaturalis, tanquam præstita revelationi supernaturali: ergo etiam intelligitur dilectio DEI supernaturalis.

106. Replicabis. Ex hoc ipso inferitur, quod Arafricanum non loquatur de amore supernaturali; nam dicendo, liberum arbitrium inclinatum, & attenuatum fuisse, ut non possit amplius diligere DEUM, supponit, quod prius DEUM diligere potuerit: atqui prius non potuit sine gratia DEUM diligere supernaturaliter: ergo non loquitur Concilium de dilectione supernaturali. Resp. illas voces: Sicut oportuit, juxta omnes significat actiones conducentes ad supernaturalem finem, sicut & illæ, quæ inferius eodem canone positæ sunt: Quæ ad salutem pertinent. Et sanè legenti illum canonem totum est innegabile, Concilium loqui de dilectione, & actibus fidei, ac aliarum virtutum, supernaturalibus.

107. Dices. Cur ergo insinuat, primum hominem, seu Adamum potuisse per liberum arbitrium DEUM diligere? Resp. etiam quandoque SS. Patres, & præsertim S. Augustinum, videri tribuere libero arbitrio primi hominis, adhuc integro, & ut loquuntur, sano, vel libero arbitrio Angelorum, adhuc viatorum (cum quo comparant hominem in statu innocentie adhuc degentem) vires diligendi DEUM, servandi mandata, imò merendi gratiam, & gloriam. Sic ait S. Augustinus l. de corrept. & gratia. c. 10. DEUM sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, ut in eis prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratie beneficium, justitiæque iudicium. Dein post narratum quorundam Angelorum lapsum de cæteris ait: Cateri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.

Postea de Adamo ait: In quo statu recto, ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium mauere voluisset, profectò sine ullo mortis, & infelicitatis experimento acciperet illam, merito hujusmodi permanjonis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati. Inde c. 11. de eodem protoparente ait: Quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujusmodi mansjonis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem. Quibus planè videtur evinci, S. Augustinum judicasse, liberum arbitrium integrum potuisse actus supernos, & meritorios ipsius gratiæ, & gloriæ elicere.

108. E contra dicere, quod liberum arbitrium sine gratia possit ista efficere, defendi non potest post damnatam propositionem Bajanam 1. Nec Angeli, nec primi hominis, adhuc integri, merita rectè vocantur gratia, & 3. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia. Sed & S. Augustinus nunquam sensit, actus

hocse supernaturales posse sine gratia elici, ut patet ex aliis clarissimis verbis ejusdem: sic. l. 12. de civit. DEI c. 9. quærit, an Angeli recens creati habuerint à se ipsis bonam voluntatem, seu amorem, quo statim DEO adhæserunt: & postquam dixisset, quod, si habuerunt hanc à se, meliores à se ipsis, quam ab illo DEO facti sunt, resolvit, eos illam bonam voluntatem, non à se ipsis habuisse, sed à DEO: Qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhererent, creavit, simul in eis, & paulò post inquirens, quare alii lapsi sint, alii non: respondet: Aut lapsi minorem acceperunt amoris Divini gratiam, quam illi: aut illi non lapsi amplius adjuti fuerunt.

Quod autem de gratia superna loquatur, est clarum, dum ibidem scribit: Constatendum est igitur cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere: & verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas DEI diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis. Cui consonat addiditissimus S. Augustini discipulus, nempe S. Fulgentius l. 2. ad Trasimundum c. 2. vel sub initium ajens: Non alia gratia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, que lapsam hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata: in hoc, ut surgeret, in illo, ne caderet.

Apertius, & clarius de necessitate gratiæ, etiam respectu ipsius Adami, loquitur Augustinus l. de corrept. & grat. c. 11. sic scribens: Ista gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sanè habuit, in qua, si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsam ergo DEUS esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio: & interitus: Dederat & adjutorium, sine quo in ea bona voluntate non posset permanere si vellet: ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio: & sic finem capit is ait: Ut autem in eo bono permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset.

109. Ut ergo ista conciliemus, dicendum, Concilia, ac Patres, maxime S. Augustinum, facere discrimen, inter liberum arbitrium sanum, ac integrum, & inter vulneratum, ac faucium. Per illud intelligitur tale, quale homini, recens creato, à suo conditore concessum est, non tantum debitis naturæ perfectionibus, sed etiam donis supernaturalibus, gratia tam habituali, quam actuali, præditum: per alterum verò intelligitur liberum arbitrium, & donis supernis spoliatum, & naturalibus viribus infirmum. Hanc esse mentem S. Augustini, probatur ex eo, quod l. de natura & gratia. c. 43. objicienti sibi Pelagio, quod DEUS bonus, ac justus fecerit hominem, qui, si vellet, posset peccato carere, ita respondeat: Quis enim eum nescit, sanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones reliquerunt, qui gravibus faucibus, confossisque vulneribus non ita potest ad justitiæ culmen ascendere. Ubi planè per arbitrium sanum intelligit potens ad justitiæ, seu sanctitatis culmen conscendendum.

Rursus eodem l. c. 51. referens, Pelagium

velle, quod potentia evitandi peccata sit in ipsa natura hominis libera, id negat: attamen addit: Si enim iste, qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, que primò inculpata, & salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum. Ubi per naturam sanam, aut salvam, intelligitur natura gratiæ instructa; nam sine gratia etiam naturæ integræ hoc S. Augustinus neutiquam concedit; sic enim ait ep. 106. non longè à fine. Natura enim humana, etiam si in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsum, creatore suo non adjuvante, servaret. Huc spectat Caput I. dogmaticum in Celestini l. ep. ad Episcopos Gallicæ, quod docet, in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse. Certè per naturalem possibilitatem non potest intelligi potestas tantum eliciendi actiones naturæ conformes, & moraliter honestas; aliàs infideles in omni opere peccarent, quæ est propositio 25. inter Bajanæ damnatas: ergo debet intelligi potestas eliciendi actiones supernaturales, seu libertas sana, ac integra, gratiis etiam supernis adjuta, quam primus homo in sua creatione accepit, at postea miserè perdidit.

110. Ex hucusque dictis collige, Araucanum II. dum canon. 25. dicit, liberum arbitrium, attenuatum, ac inclinatum, non posse amplius sine gratia diligere DEUM, loqui de supernaturali dilectione, qualem potuisset elicere arbitrium sanum, ac integrum, prout est Adamo collatum, scilicet etiam gratiæ supernæ instructum; qua dein est spoliatum: & hinc sine gratia nova, eaque fortiore, non potest supernaturaliter diligere DEUM. Dixi fortiore; quia, cum Adam habuerit arbitrium necdum faucium infirmitate, nec attenuatum ignorantia, aut concupiscentia, non indigebat tam forti auxilio.

Hoc docet S. Augustinus sæpius: sic de corr. & gratia c. 11. ait: Ille verò Adam nulla tali rixa tentationum, infirmatum &c. à se ipso, adversus se ipsum, tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur. Proinde, etsi non interim lætiore nunc, verum tamen potentiore gratia, indigent isti, hoc est miseri Adami posterit, nempe, ut ait c. seq. seu 12. ante medium. Adversus tot, & tantas tentationes. . . . ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Dicitur non lætiore; quia gratia, licet nunc sit fortior, non tamen est lætiore; nam, licet præbeat vires vincendi, non semper affert jucunditatem vincendi tentationes; sed graviores patimur repugnantias, quam fuerint in statu integritatis, quas tamen etiam, quamvis cum difficultate, vincimus.

111. Ob. 3. S. Augustinus ep. 107. ad Vitalem paulò ante medium, ait: Liberum arbitrium ad diligendum DEUM primi peccati granditate perdidimus: ergo. Resp. dist. antec. perdidimus liberum arbitrium sanum, & sufficiens etiam ad actus supernaturales, de quo modò egimus. conc. ant. liberum arbitrium faucium, adhuc tamen sufficiens ad actus naturales etiam amoris DEI. conc. ant. & neg. conf. S. Augustinus loc. cit. loquitur de libero arbitrio sano, & in ordine ad dilectionem supernaturalem, sive, quæne ad dilectionem supernaturalem, sive, quæne ad salutem: quod colligitur ex dictis præcedentibus numeris, & ex eo, quod scribat ad eum,

eum, quem vult retrahere ab erroribus Pelagianorum, vel Sempipelagianorum: hi autem volebant, posse sine gratia elici actus conducentes ad salutem.

Nec dicas, eos hæreticos non docuisse, posse hominem DEUM diligere supernaturaliter super omnia; nam, etsi hoc non docuerint explicitè, docuerunt implicitè, quatenus voluerunt, eum actum esse meritorium præmii superni. Rursus S. Augustinum ibi loqui de dilectione universaliter de actibus fidei, & aliis, quibus piè vivimus, quorum saltem aliquos ex viribus naturæ elici posse volebant Pelagiani; sic enim post pauca dicit: Quapropter ut in DEUM, credamus, & piè vivamus, non volentes, neque currentis, sed miserentis est DEI. Tandem etiam S. Augustinus ibi statim ante verba objecta ait, gratiam ad singulos actus dari: atqui non datur ad singulos actus naturales: ergo nec de his loquitur.

112. Ob. 4. S. Augustinus l. 4. contra Julianum, c. 3. in fine ait: Amor autem DEI, qui pervenit ad DEUM, non est, nisi à DEO Patre per JESUM Christum cum Spiritu Sancto: per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis: ergo amor DEI naturalis, sive ut Creatoris etiam est ex DEO, seu ex gratia. Confir. Idem l. de gratia & lib. arbit. c. 17. ait, etiam quamvis parvam charitatem esse ab eo, qui præparat voluntatem, & eod. l. c. 18. ait: Si non ex DEO, sed ex hominibus est dilectio DEI, vicerunt Pelagiani: si autem ex DEO, vicimus Pelagianos: ergo. Resp. neg. conseq. & suppositum, quod amor DEI, ut Creatoris vel etiam ut Auctoris naturæ, necessariò sit naturalis; nam supernaturalitas actus non desumitur ab objecto materiali; aliàs actus virtutum moralium, misericordiæ, temperantiæ &c. non essent supernaturales: sed desumitur supernaturalitas actus, vel ex cognitione prævia supernaturali, qua proponitur objectum amandum, vel ex principiis supernaturalibus physicè influentibus.

Potest autem DEUS etiam ut Creator, vel Auctor naturæ, proponi per lumen fidei, ut amabilis, & potest quoque habitus charitatis supernaturalis eum ut talem diligere: ergo. Quare etiam hoc loco S. Augustinus loquitur de dilectione DEI supernaturali, quod ex eo quoque infertur, quod dicat, per eum perveniri ad DEUM, hoc est, ad beatitudinem, & salutem. Ad confirm. neg. conseq. quia etiam illis locis explicari potest, & debet S. Doctor, de charitate, vel amore supernaturali: & sanè de amore supernaturali lis erat cum Pelagianis, scilicet de amore meritorio, ut patet ex plurimis locis, & etiam ex eo, quod Pelagiani, contra quos S. Doctor disputabat, vellent, viribus naturæ elici posse amorem DEI salutarem, seu conducentem ad beatitudinem supernaturalem.

ARTICULUS IX.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

113. Ob. 5. Amor DEI super omnia est ultima dispositio ad justificationem, sive remissionem

peccati: sed hæc est supernaturalis, ut est innegabile, ergo. Confir. Amor DEI est opus pietatis: atqui nullum opus pietatis potest fieri sine gratia DEI, ut est certum, & probatur à Bellarmino tom. 4. contro. 3. de gratia & libero arbitrio. l. 6. c. 4. ergo. Resp. dist. ma. Amor DEI supernaturalis est talis dispositio. conc. ma. amor naturalis tantum. neg. ma. & conc. min. neg. conf. Justificatio ex Tridentino sess. 6. c. 7. non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, seu infusio gratiæ sanctificantis: & ad neutrum disponit actus purè naturalis.

Nec intelligunt Patres, Concilia, & Doctores, actum hunc naturalem, quando dicunt, actum charitatis esse ultimam dispositionem ad justificationem, vel gratiam. Certè in statu puræ naturæ utique fuisset possibilis actus amoris DEI super omnia; est enim profusus innegabile, quod homines tunc potuissent creatorem suum præ omnibus aliis amare: & tamen tunc non fuisset dispositio ad justificationem; quia non data fuisset infusio gratiæ; unde nec nunc actus naturalis disponit ad remissionem peccati, quæ in hac providentia non datur absque infusione gratiæ. An autem in alia providentia, seu statu purè naturali fuisset dispositio ad remissionem puram peccati, planè ignoratur. Ex se non fuisset; cum homo pro peccato satisfacere non potuisset, nec se positivè disponere: an autem DEUS amorem talem gratuito tunc acceptasset, nescitur.

Ad confirm. Resp. similiter dist. ma. amor DEI naturalis est opus pietatis naturalis. conc. ma. opus pietatis supernaturalis. neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. Ex hoc argumento sequeretur, quod homo non posset minimo cultu naturali afficere DEUM absque gratia, quod planè videtur incredibile. Unde S. Prosper ad Capitula Gallorum responsione 8. referens responsum Concilii Africani ait, eos definitivè, gratiam per actus singulos adjuvare: ita ut sine illa nihil vere, sanè, & que pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus: per veram autem, sanctamque pietatem, meridò intelligitur, non naturalis, sed supernaturalis.

114. Ob. 6. Amor DEI super omnia, etiam tantum naturalis, non patitur secum ullum affectum inordinatum, imò includit odium omnium, legi Divinæ adversantium: ergo, si potest homo viribus naturæ hunc amorem elicere, poterit etiam totam legem servare: sed hoc est contra Concilia & SS. Patres: ergo. Confir. 1. Homo per amorem DEI efficacem debet ita obfirmari in bono, ut, etiam si occurrant gravissimæ tentationes, eas vellet, aut proponeret superare: atqui talem actum non potest homo naturaliter elicere: ergo, min. prob. non potest homo sine gratia illas tentationes vincere, vel totam legem naturalem servare: ergo neque potest talem actum, qui involveret propositum omnia vincendi, & servandi, elicere. Confir. 2. per amorem DEI homo convertitur ad DEUM: ergo non potest, stante eo amore, esse ab eo averfus: ergo non potest esse peccator: ergo juxta nos posset viribus naturæ acquirere remissionem peccatorum. Resp. dist. conf. poterit homo servare totam legem quoad unum momentum. con. conf. con-

stanter & diu. neg. conf. & sic dist. min. subsumpt. neg. ult. conf. vide n. 103.

Ad 1. confirm. Resp. 1. cum Arriaga disp. 39. de grat. sec. 4. & 5. neg. mi. etsi enim homo revera id executioni mandare non possit, potest tamen contingere, ut aliquis putet, se id posse (& certe infidelis, in quo maxime videtur talis actus dari posse, potest facili nescire, quod nequeat absque gratia totam legem naturam servare: vel tentationem talem superare) adeoque poterit, non obstante ea impossibilitate, talem actum naturalem elicere: quin etiam fidelis vel infidelis, potest de ea impossibilitate non cogitare, & stante hac inadvertentia, talem actum elicere. ad prob. conc. ant. neg. conf. licet non possit servare legem totam, potest tamen talem actum elicere, ut patet ex dictis.

115. Resp. 2. dist. ma. Homo debet per amorem DEI ita obfirmari positivè, neg. ma. negativè, conc. ma. & dist. sic min. neg. conf. Debet quidem homo taliter amans, hic, & nunc, nullam habere volitionem cedendi talibus tentationibus, vel violandæ legis naturæ, & sic negativè esse obfirmatus: at nec debet positivè, per actualem aliquam tendentiam, tentationibus omnibus resistere, nec totam legem sibi observandam proponere; sæpissimè enim potest contingere, ut quis non cogitet de ulla difficultate, nec adsit tentatio alicujus momenti: & in tali casu non debet amor DEI, tantum affectivè efficax, animum positivè obfirmare contra absentes, vel non incidentes difficultates. Sufficit, si dicto modo negativè se habeat.

Certe etiam attritio supernaturalis (quæ tamen juxta Tridentinum debet omnem voluntatem peccandi excludere) non semper ita positivè obfirmat animum contra omnia illicita, & difficultates: imò apud multos peccatores est gratia DEI, quod talia ipsis non incident, effèctque imprudens ille confessarius, qui homini, vix è luto voluptatis ægerimè emerit, multis proponeret obligationem elicendi propositum non peccandi iterum sua lubricitate, etsi deberet propterea lentissimis ignibus diutissimè comburi. Consultus longè est ab his terroribus abstrahere; quia, dum quis de his non cogitat, sufficit, si in genere nunquam se amplius peccaturum proponat; aliàs enim, cum mala, explicitè representata, longè fortius moveant, posset poenitens absterri. Si igitur actus supernaturalis non debet ita positivè obfirmare animum, minus id debebit actus merè naturalis. Sed quæres: si tali incident tales tentationes, quid fieret? Resp. tunc, si non possit quis gravissimas tentationes sine gratia DEI vincere, etiam actum amoris DEI super omnia non poterit elicere: verùm de hac potentia vincendi tentationes agemus articulo sequenti.

Ad 2. confir. retorq. arg. Etiam per attritionem supernaturalem convertitur homo ad DEUM: an per eam delentur peccata? in forma. ant. dist. 1. conf. non potest manere averfus actualiter con. conf. averfus habitualiter, neg. primam & omnes reliquas consequ. Dum homo amat DEUM naturaliter, non potest simul habere actum odii, vel alium peccaminosum, adeoque non potest actualiter à DEO esse a-

verfus: at, quia hic actus nondum delet peccata habitualia, prius patrata, manet homo adhuc habitualiter à DEO averfus, & peccator, nec remissionem peccati acquirit.

116. Dices. Si potest homo sine gratia per unum actum servare legem, potest etiam peccata plures, imò per omnes: ergo potest diu legem totam servare. Confir. Saltem poterit homo servare totam legem naturæ, si nulla unquam occurrat specialis difficultas: sed nec hoc videtur admittendum; ergo. Resp. neg. conf. nam utique major difficultas est in pluribus actibus collectivè, quam in singulis tantum distributivè sumptis. Ad confir. neg. ma. quæ saltem formaliter ex nostra sententia non sequitur; quamvis enim homo possit ad breve tempus servare totam legem naturæ, & actum unum cum omni peccato actuali incompossibilem elicere, non sequitur, quòd id possit diu. Eadem ma. etiam negari potest ex eo, quòd ille actus possit omnino præcendere à proposito formali deinceps nunquam peccandi, & tantum esse efficacem affectivè, prout explicavimus num. 98. nam voluntas nostra cum tempore mutabilis est, & potest facili, sicut post actum amoris DEI supernaturalem, ita & magis post naturalem in pejus mutari.

Quod attinet ad minorem in confirmatione positam. Resp. Arriaga de gratia disp. 39. sec. 5. n. 10. posse eam fortè negari; eo quòd SS. PP. loquantur de ordinario modo vite humanæ, in qua semper intra longius spatium occurrunt difficultates, aut tentationes graves. Et certè ipsa frequentia, vel duratio tentationum, in sua natura tantum levium, reddit eas graves, ut infra dicemus num. 122. Si tamen diu, vel per totam vitam nulla profus tentatio alicujus momenti occurreret, non videtur tunc ex mente SS. Patrum ea observatio legis impossibilis, sine gratia saltem supernaturali, quamvis hæc ipsa specialis præservatio esset specialis gratia, sicut ordinis naturalis.

117. Ob. 7. Homo, viribus naturæ relictus, nunquam amat objectum insensibile plus, quam se ipsum: ergo neque amat DEUM plus quam se, seu super omnia. Resp. neg. antec. Certè amat quandoque homo insensibilia vehementissimè, e. g. plus, quam vitam amat honorem, quamvis hic sensu non percipiatur. Quod autem spectat ad DEUM, licet insensibilis sit, non est in eo specialis difficultas, aut repugnancia; imò, cum naturaliter possit cognosci dignissimus amore appetitivè summo, non est, cui voluntas non possit eum ita amare. Ex his collige cum Arriaga citato num. præd. DEUM naturaliter etiam posse amari amore concupiscentiæ; nam, si potest amari amore benevolentia, poterit etiam amari amore concupiscentiæ, qui amor est facilior; cum respiciat DEUM, ut bonum nobis: potest autem homo naturaliter amare DEUM ut bonum sibi, sive tanquam suum benefactorem, à quo sperat adhuc plura beneficia temporalia, sive tanquam suum ultimum finem naturalem, à se possidendum, e. r. a. tione, qua saltem possideri possit in statu puræ naturæ, de quo in tractatu de Beatit. à num. 34. ut abstraham ab eo, an homo naturali actu possit appetere beatitudinem supernaturalem.

ARTI-

An homo sine gratia possit vincere omnes tentat. & servare totam legem naturæ. 117

ARTICULUS X.

An homo sine gratia supernaturali possit vincere omnes tentationes, & servare totam legem naturæ.

118. UT bene docet Arriaga disp. 40. de gratia sec. 1. subsec. 2. n. 7. Tentatio est propositio alicujus bonitatis, in objecto malo, trahentis ad se; sic enim tentat diabolus, excitando in hominibus cognitionem alicujus delectabilis, vel utilitatis in opere malo: sic etiam tentat unus homo alterum malis consiliis, proponendo rationes, quibus suadet, bonum esse, rem quandam prohibitam facere, vel præceptam omittente. Imò & ipsi motus carnis rebelles suo modo proponunt aliquam bonitatem apparentem in sua materia. Hæc jam tentatio potest esse levis, vel gravis. Prior, sive levis ex communi est illa, quæ parum hominem vexat, aut parum attrahit, sive deinde trahat ad peccatum grave, sive ad leve. Econtra gravis est illa, quæ hominem valde trahit ad malum. Potest autem tentatio, tam gravis, quam levis, esse contra præceptum, tum affirmativum, tum negativum, tum naturale, tum supernaturale. Et siquidem sit contra præceptum, exigens actum supernaturalem, clarum est, eam non posse vinci absque gratia; cum sine hac elici nequeat actus supernaturalis. Unde questio modò tantum instituitur de tentationibus contra præcepta negativa, aut purè naturalia.

119. Dico 1. Tentationem aliquam levem potest homo vincere sine gratia supernaturali. ita Sotus, Vega, Medina, Valentia, Tannerus, Suarez, Rhodes disp. 2. de gratia q. 1. sec. 3. §. 2. Arriaga de grat. disp. 40. sec. 1. subsec. 1. n. 2. & hoc teste communiter recentiores: estque etiam hæc mens S. Thomæ in 2. dist. 28. q. 1. a. 2. ad 6. ubi dicit: Aliud est resistere peccato, & aliud victoriam de peccato habere. Quicunque enim viat peccatum, peccato resistit: unde hoc potest fieri etiam sine gratia, nec oportet, quòd tunc homo resistendo peccato mereatur præmium æternum; sed ille propriè vincit peccatum, qui potest pertinere ad hoc, contra quod est pugna peccati; hoc autem non potest esse, nisi in eo, qui opus meritorium operatur: unde talis victoria vitam æternam meretur. Ecce expressè ait, posse resisti peccato sine gratia, seu tentationi non succumbi: nec nos plus volumus; non enim vincere, aut superare sumimus in sensu stricto S. Thomæ.

120. Nota autem, nos hic loqui, non de potentia tantum physica, ita, ut quis tantum physicè tentationem possit vincere: sed de potentia morali, ut quis etiam moraliter eam possit vincere; nam physicè potest homo vincere etiam tentationem aliquam gravem: quod Rhodes loco citato ait, non debere probari; cum certum sit, mansisse homini libertatem, & hanc esse potentiam physicam. Eandem potentiam physicam in homine agnoscit Arriaga de gratia disp. 40. sec. 2. n. 12. Eandem asserit Haunoldus l. 2. tr. 3. contr. 7. n. 806. & ratio est; quia aliàs tentatio omnino tolleret libertatem physicam, adeoque ei succumberetur sine peccato.

Nec dicas, DEUM semper dare gratiam supernaturalem in iis occasionebus; quippe, ut ait Arriaga disp. 40. de grat. sec. 1. n. 2. SS. Patres supponunt, nos posse sine gratia contra præceptum naturale peccare: ergo debemus etiam sine gratia posse naturale præceptum implere; nam libertas ad peccandum debet etiam esse libertas ad non peccandum, seu præceptum implendum. Et hinc ad peccandum contra præceptum supernaturale affirmativum utique necessaria est gratia; cum aliter libertatem non habeamus, ad ejus observationem, & non observationem: ergo, cum juxta SS. Patres, liberi sumus ad peccandum contra præceptum purè naturale, etiam difficile, debemus etiam sine gratia esse liberi ad idem observandum, adeoque debemus sine gratia habere libertatem saltem physicam ad illud implendum.

Unde idem auctor cum aliis docet, SS. Patres, quando dicunt, aliquid impossibile esse, intelligendos esse de impossibilitate morali, saltem, nisi aliunde ratio suadeat, rem illam etiam physicè impossibilem esse. Et sanè, quod moraliter impossibile est, non est tantum quomodoconque difficile; sed ita, ut propter impedimenta occurrentia & summam difficultatem, prudenter sperari non possit futurum; neque etiam prudenter sperari possit, superandam esse difficultatem tunc occurrentem; neque contingat, ut ea unquam superetur. Unde meritò simpliciter impossibile dicitur; id enim rectè simpliciter impossibile vocatur, quod propter suam difficultatem nunquam fit. Et hinc in hoc casu gratia etiam dicenda est simpliciter dare. Datur tamen etiam in hoc casu libertas aliquo modo moralis, scilicet in hoc sensu, quòd detur libertas con advertentia ad malitiam, quæ sufficit, ut actus possit imputari ad culpam: sed non datur libertas moralis in hoc sensu, quòd sit moraliter sufficiens, seu quòd difficultas sit moraliter superabilis.

Quòd autem SS. Patres, quando aliquid dicunt, sine gratia impossibile esse, intelligendi sint de impossibilitate tantum morali, videtur etiam posse desumi ex eo, quòd talibus utantur terminis, quibus non omnimoda physica impossibilitas adstruitur; sed tantum moralis. Sic S. Hieronymus l. 3. dial. contra Pelagianos. c. 1. ait: Hoc & nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus. & infra c. 3. hæc magis explicans, sic loquitur: Sed hoc pro modo, & tempore, & conditione fragilitatis humana. . . . Nec quia ad breve possum, coges me, ut possim jugiter. S. Augustinus l. de perfectione justitie c. 2. ait: Respondetur, naturale non esse peccatum, sed naturæ, præsertim vitiatæ, unde facti sumus naturæ filii iræ, parimque esse ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adjuncta sanetur gratia DEI: ergo voluntatis arbitrium ad non peccandum non est omnino nullum: adeoque, quando alibi S. Augustinus videtur, adstruere impossibilitatem non peccandi, non intelligendus est de physica, quæ non datur, quando voluntas saltem parum potest: sed de morali tantum, quam, licet absolute posset voluntatis arbitrium vincere, tamen, quia parum potest, si non potest sine maxima difficultate.

non vincet. Quare hac in questione etiam nos loquimur de impossibilitate moralis, & negamus, homini, etiam gratia destituito, moraliter impossibile esse, tentationem aliquam levem superare.

121. Probatur Conclusio 1. ex damnatione propositionis 30. Bajanz, juncta propositione 29. ad faciendum integrum sensum, qua dicebatur fures esse, & latrones (quales scilicet Christus intelligit Joan. 10. v. 8.) eos, qui docent, aut tentationi ulli sine gratia ipsius Christi adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. Prob. 2. Potest homo absque gratia efficere opus naturaliter tantum honestum, & bonum, ut probatum à n. 84. ergo potest vincere aliquam tentationem. prob. conf. qui liberè operatur honestum, debet habere motiva, pro, & contra; aliàs non est liber: ergo debet vincere motiva allicientia ad inhonestum, ut patet: atqui illa motiva sunt tentationes, ut iterum patet ex n. 118. ergo. Nec dicas, posse hominem tantum facere opus bonum naturale; quando nulla adest tentatio; nam rationes n. 84. & seq. allatæ, certè plus probant, & aliàs sequeretur, neminem posse liberè bonum operari, sed tantum necessariò: sic autem actus, sine gratia elicit, quantumcumque honesti, non possent mereri nec naturale præmium: quod admitti non potest.

122. Dico 2. Non potest homo sine gratia vincere omnes tentationes leves, coacervatas, vel nimis diu durantes. Ita Arriaga. de gratia disp. 40. sec. 2. n. 15. prob. In primis tentationes tendant ad peccata venialia, non possunt omnes vinci, neque cum gratia ordinaria, ut docet Tridentinum sess. 6. can. 23. multo igitur minus possunt vinci sine gratia. Si autem tentationes tendant ad grave peccatum, possunt saltem esse tam multæ, & tam frequentes, ac tam sæpe recurrentes, ut voluntas propter suam instabilitatem in bono (in quo sibi relicta diu non perseverat, maximè, si tentatione inclinetur in malum.) iis moraliter non possit semper resistere. Unde Arriaga loc. cit. ait, tentationem levem unam posse ratione durationis esse tam importunam, ut moraliter sine gratia vinci non possit. Quod si quis autem vellet dicere, hanc tentationem, vel harum tentationum complexum, esse tentationem gravem, & non amplius levem, faceret questionem de voce, de qua nollem litigare.

123. Dico 3. Omnes tentationes graves, collectivè sumptæ, non possunt superari sine gratia DEI. Ita Bellarm. tom. 4. contr. 3. gen. contr. 1. princ. l. 5. de gratia, & lib. arb. c. 7. Suarez l. 1. de gratia c. 26. n. 1. Rhodes disp. 2. de gratia q. 1. sec. 3. f. 2. Arriaga disp. 40. de gratia sec. 2. subsec. 7. num. 13. & hoc teste, communis, imò Suarez l. 1. de gratia c. 26. n. 12. censet oppositum saltem temerarium, & errori proximum. Sed statim hic questio oriri potest, an hæc gratia debeat esse intrinsicè supernaturalis, e. g. supernaturalis illustratio, vel inspiratio Spiritus Sancti: an sufficiat aliquod donum DEI, intrinsicè quidem naturale: attamen, si non indebitum toti nature creatæ, saltem indebitum homini: qua in re discrepant auctores.

Rhodes loc. cit. si bene legatur totus con-

textus, fortè videbitur requirere gratiam supernaturalem. Bellarm. loc. cit. s. observandum ad ait quidem, ad vincendam tentationem, ita, ut nullum peccatum admittatur, nec tamen etiam meritum comparetur (de qua victoria utique hic est sermo, non de alia in sensu S. Thomæ, de quo num. 119.) non requiri semper gratiam supernaturalem, sed sufficere auxilium DEI, etiam tantum removens occasiones peccandi, vel inhibens vim diaboli, sive alio modo juvans. Attamen, cum dicat, nullam tentationem posse vinci absque gratia, non videtur eodem modo loqui de gravibus, ac levibus, præsertim, cum postea, conciliaturus auctores inter se, dicat, quosdam loqui de auxilio supernaturali, quando in ordine ad tentationem levem id necessarium negant. Unde, quamvis reverà nihil determinet, fors videri potest velle, quòd saltem ad gravem tentationem vincendam auxilium supernaturale necessarium sit.

Econtra Arriaga cit. disp. 41. de gratia sec. 2. num. 5. ait, non posse totam legem naturæ servari sine gratia, sive supernaturalis sit, sive naturalis, specialiter tamen preparata: quod idem, ait, se dixisse de victoria gravis tentationis. Suarez l. de gratia c. 27. num. 24. dicit, ad observationem legis naturalis, fieri victoriam omnium tentationum, non meritum vitæ æternæ, non requiri ex natura rei gratiam intrinsicè supernaturalem: cum hæc observatio tantum naturalis sit; nec etiam videri, requiri ex lege DEI, seu Divino decreto; cum de hoc non constet: & hinc sufficere per se gratiam ordinis naturalis datam modo præternaturali, id est, ultra vires, & exigentiam causarum naturalium, tunc hominem ad servandam legem excitantium. Hinc addit num. 24. sibi videri, regulariter observationem illam, vel victoriam fieri per gratias supernaturales, maximè in iustis: vel, cum nec tentationes omnes, nec omnia gratiæ auxilia contra istas, simul dentur, fieri eam victoriam nunc per auxilia naturalia, nunc per supernaturalia: adeoque hominem, partim his, partim illis adjutum, totam collectionem tentationum vincere. Ego saltem dico, non posse superari graves tentationes, nisi, vel auxilio gratiæ supernaturalis, quod regulariter videtur dari: vel saltem auxilio doni naturalis specialis, si non detur à DEO supernaturale.

124. Probatur autem conclusio. S. Paulus 1. ad Cor. 10. v. 13. dicit: Fidelis autem DEUS est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: ergo aliqua tentationes sunt supra vires humanas, ita, ut illas homines viribus suis vincere nequeant. Cùmque hic textus universalis sit, non debet restringi ad sola tentationes contra præcepta, quæ debent impleri per actus supernaturales, e. g. fidei; sed etiam extendi ad tentationes illas, quæ sunt contra præcepta naturalia. Plures alios textus Scripturæ vide apud Bellarminum tom. 4. contr. 3. de gratia & libero arbitrio. l. 5. c. 7. ubi etiam asserti plurimos textus SS. Patrum: ex quibus S. Augustinus ep. 106. longè post medium ait: Fateatur Pelagius ep. quando contra tentationes concupiscentiæ illi-licitas dicitur, quamvis & illuc habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adjutorio DEI nostram provenire victoriam. & ep. 94. ad Hila-

ritariam tanquam errorem Pelagii refert, quòd doceat, cavendis autem futuris, vincendisque peccatis, omnibusque tentationibus virtute superandis, sine ullo deinceps adjutorio gratiæ DEI, naturali possibilitate, humanam sufficere voluntatem. Cùmque SS. Patres expressè loquantur de lege naturali, & negent etiam evitacionem peccati esse possibilem, non valent efugia dicentium, exponi eos posse, vel de tentationibus contra legem supernaturalem, vel de victoria meritoria.

Synodus quoque Milevitana in epist. ad Innocent. 1. que inter epist. S. Augustini est 92. tanquam errorem Pelagianorum recenset, quòd dicant, esse in nostra potestate, ut non inducamur in tentationem; sic enim ait eos docere: Illud verò, quod sequitur: ne nos inferas in tentationem: non ita intelligendum, tanquam Divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis. S. Innocent. 1. ep. ad Concilium Carthaginense quæ est 91. inter epistolas Augustini ait: Cùm paves nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed DEI solum facere possit auxilium. S. Cæcilius l. in epistola ad Gallos. c. 5. ait: Neminem, etiam baptismatis gratiâ renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium DEI perseverantiam bonæ conversationis acceperit. Similia habent SS. Cyrilianus, Basilus, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, apud Bellarmin. loc. cit. Ratio autem sumitur ex vehementi inclinatione hominis ad sensibilia bona, & vitia, ob naturæ corruptiorem, cui si accedat gravis tentatio, sive vehementis propositio objecti perverfi, & quidem repetita, sanè homini difficillima, & moraliter impossibilis fit resistencia efficax, si non auxilio gratiæ adjuvetur.

125. Dico 4. Non potest homo sine auxilio gratiæ etiam tantum unam tentationem gravem vincere. Ita Arriaga disp. 40. de gratia sec. 2. subsec. 2. n. 15. & eo teste, fermè omnes Theologi, quanquam in explicacione non nihil variant. Probatur autem hæc conclusio iisdem ferme rationibus, quibus superior; nam SS. Patres communiter loquuntur de quavis distributive sumpta tentatione, & non tantum de omnibus collectivè sumptis, ut patet inspicienti textus. Sic S. Gregorius l. 9. moralium. c. 29. ait de homine: Dimissis sibi cupidibus tentationis aurâ raptatur. S. Chrysostomus homil. 24. in 1. ad Corinthios ait: Sunt tentationes, quas sufferre non possumus. Et quem sunt ille omnes, ut ita dicam; possibilitas enim in Divino nutu est: & addit dein, esse etiam tentationes humanas, alludens ad illud Apostoli 1. Corinth. 10. v. 13. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: ergo SS. Patres intelligendi sunt, saltem de tentatione qualibet gravi, quamvis non de omni levi, ob rationes n. 121. adductas, quas leves aliqui ajunt non esse simpliciter dicendas tentationes.

Ratio autem conclusionis desumitur ex ignorantia intellectus humani, & infirmitate voluntatis, ac concupiscentia, ex quibus oritur valde vehementis hominis in bona sensibilia propensio & ab honestis abstractio: ex qua infert Arriaga disp. 40. de gratia sec. 2. subsec. 2.

n. 15. cum quibusdam recentioribus, posse etiam aliquam tentationem, unico tantum instanti durantem, tamen esse tam gravem, ut moraliter impossibile sit ei resistere: quod probat à pari sic. Potest quis esse ita obfirmatus in bono, ut moraliter ei impossibile sit, in rem turpissimam consentire, stantibus præsertim cogitationibus bonis, ei tunc occurrentibus: cur ergo non possit, à contrario, aliis malis affueto, & penitus habituato, difficillimum, & moraliter impossibile esse, stantibus præsertim vehementibus illiciis, etiam tantum uno momento à peccato abstinere? sic e. g. luxurioso, data occasione absque ullo impedimento, & posita forma alliciente, maximè, si ponatur, eum ad fornicacionem etiam gravibus minis, aut promissis impelli, certè difficillimum, imò moraliter impossibile erit, non peccare. Hoc autem, quamvis in quibusdam casibus verum esse possit, non tamen est in omnibus; nam Suarez l. 1. de gratia c. 23. n. 2. levibus tentationibus accenset illam, quæ ad momentum tantum, seu brevissimo tempore durat.

126. Dico 5. Non potest homo sine auxilio gratiæ diu servare totam legem naturæ. Ita S. Thomas. 1. 2. q. 109. a. 4. in corp. Suarez l. 1. de necessitate gratiæ c. 26. n. 4. ubi citat plurimos alios, & addit, ita sentire omnes modernos: imò n. 12. ait, hoc certum, & indubitatum esse. Dico diu; nam Arriaga disp. 41. de gratia sec. 2. n. 4. ait, hominem moraliter posse servare totam legem aliquamdiu, seu brevi tempore: citatque Bellarminum, Sotum, Vegam, Stapletonum, Medinam, Valentiam, Zummel, Suarez, & Tannerum. Et sanè utique possibile est aliquo momento, vel brevi tempore, servari ab homine legem absque gratia, illo scilicet, momento, vel brevi tempore, quo aliquis eliceret actum naturalem amoris DEI super omnia, vel alium actum naturalem moraliter bonum, vel superaret levem aliquam tentationem: quæ possibilitas esse supra probavimus.

Probatur jam conclusio. In primis si sermo sit de lege naturali, sicut nunc datur, supposito statu elevationis, in quo obligat sæpe ad actus supernaturales, fidei, spei, charitatis &c. certum est, eam non posse observari sine gratia; quia tales actus elici nequeunt, nisi gratia præveniat, & comitetur. Si autem sermo sit de lege naturali, prout tantum obligat ad non peccandum, vel ad eliciendos actus naturales, probatur à Suarez loco, & numero modo citato ac sequentibus, variis Scripturæ textibus, quos licet Arriaga disp. 40. de gratia sec. 2. num. 14. non omnes efficaces existimet, tamen etiam ejus solutiones non sunt efficaces.

Ex pluribus textibus unum affero ex S. Paulo ad Rom. 7. v. 23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Ubi S. Paulus per legem mentis intelligit legem naturalem, cui contraria est concupiscentia, quæ est lex membrorum. Addit: & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Lex membrorum, atque lex peccati, est eadem, & hæc captivum tenet, hoc est, quasi capit, dum inducit, & inclinatur in peccatum. Dein exclamat: v. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? hoc est, à corpore morbido, &

& peccandi affectibus obnoxio: ac subdit; v. 25. *Gratia DEI per Jesum Christum Dominum nostrum*: quasi diceret, à lege membrorum, seu concupiscentia, aut inclinatione ad mala, & peccata, contra legem naturæ, non posse se liberari, nisi per gratiam.

Dicit quidem Arriaga, ibi tantum esse sermonem de resurrectione, per quam corpus liberetur à suis miseriis, citatque Cornelium: sed hic expressè ait, à peccandi affectibus: & licet dicat, ab his liberandum corpus in resurrectione, non negat, etiam ab eadem gratia liberandum corpus adhuc in vita. Neque verum est, quòd Apostolus ibi agat tantum de resurrectione: imò vix potest probari, eum per illud caput de ea agere. Huc referri possunt textus SS. Patrum, & Conciliorum, quibus probatur, non posse vinci sine gratia tentationes omnes, quæ nisi omnes vincantur, lex tota servari non potest. Plura vide ex Scripturis, & Patribus apud Suarez loc. cit.

127. Prob. etiam conclusio ratione. Non potest homo moraliter diu vivere, quin occurrant graves tentationes, contra legem naturalem: sed hæc, imò nec quamlibet ex illis, potest homo sine gratia superare: & quamvis ponatur, quòd non adeo graves tentationes ei occurrant, tamen nec mediocres multas, aut plurimas, collectivè sumptas, quæ hinc inde occurrunt, potest homo solis naturæ viribus vincere: ergo non potest totam legem servare. Certè multa sunt, quæ hominem diutius viventem ad malum incitant, e.g. bona sensibilia, passionis, errores, inconstantia imaginationis, necessitas corporis, variæ curæ, pravorum exempla, consilia mala, educatio pessima, institutio perversa &c. quæ omnia absque dubio faciunt moraliter impossibilem totius legis naturalis adimpletionem.

128. Dico 6. Neque sine fide, neque etiam tantum sine gratia habituali, seu sanctificante, potest homo diu servare totam legem, ut non incidat in novum peccatum grave. Hoc non quidem assero, in eo sensu, quasi gratia habitualis, aut fides, immediatè concurrant ad servandam legem: sed in hoc sensu, quòd DEUS homini, fide, aut gratia habituali privato, non det gratias certas, sine quibus tamen non potest diu servari tota lex. Hæc conclusio est S. Thomæ 1. 2. q. 109. a. 7. & 8. Eandem sententiam Arriaga disp. 41. sec. 5. subsec. 1. num. 19. dicit esse defecto, sive in hac proventia certam. Rhodes disp. 2. de gratia q. 1. sec. 5. §. 3. ait esse communem. Suarez autem l. 1. de gratia c. 27. num. 18. vocat longè probabiliorem. Bellarminus tom. 4. contr. 3. l. 5. de gratia, §. lib. arb. c. 5. inquit hanc sententiam sibi verissimam esse. Sunt quidem etiam auctores, qui docent, gratiam habitualement non esse necessariam ad servandam legem naturæ totam, quoad substantiam tantum, quos citat Suarez l. 1. de gratia c. 27. v. 7. S. Bonaventura, Richardus, Marsilius, Abulensis: sed longè plures, stant pro nostra sententia, juxta quam infideles non possunt longo tempore esse sine peccato gravi; quia non habent fidem: nec fideles peccatores; quia non habent gratiam sanctificantem, ut ibidem docet Suarez.

129. Probatur prima pars conclusionis. In primis S. Scriptura, SS. Patres, & Concilia, di-

cunt, auxilium, vel gratiam, per quam liberamur à servitute peccati, fundari in fide: ergo infideles non possunt diu servare totam legem. Conseq. est clara, antec. probatur. S. Paulus ad Rom. 3. ut ostendat necessitatem fidei, asserit, prius omnes gentes, & Judæos, fuisse sub peccato, seu plenos peccatis; quia de lege sua confisi non potuerunt naturali sapientia, & libertate, vincere concupiscentias: ergo, infert, fidem esse necessariam ad vitanda peccata contra legem naturæ. Unde eod. c. 3. v. 27. ait: *Ubi est ergo gloriatio tua: exclusa est, per quam legem? factorum non: sed per legem fidei.* Quasi diceret: quare gloriaris Judæe? an quòd justitiam habes ex lege, sacrificiis, & ceremoniis tuis? non potes ideo gloriari; quia lex tua, & sacrificia tua, non dant tibi vires, nec opera etiam legi conformia te justificant. Hinc (pergit Apostolus) exclusa est vel adempta tibi gloriatio: non quidem per legem factorum, seu Mosaicam, quæ hanc humilitatem non docuit (ut advertit Emmanuel Sa in hunc locum) sed per legem fidei, per quam cognoscis, te nihil posse sine gratia DEI, & quæ lex fidei simul confert gratiam, ut possis, non quidem per tuum solum arbitrium, sed per gratiam DEI, quæ datur per fidem: atque adeo possis in Domino gloriari.

Idem S. Paulus ad Galat. 3. v. 22. ait: *Concluit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Hoc est (ut explicat Cornelius) Scriptura declaravit omnes esse peccatores, ut promissio daretur ex fide: per promissionem autem ait Suarez l. 1. de grat. c. 27. n. 15, non tantum intelligitur perfecta sanctitas, vel beatitudo: sed etiam intelliguntur media seu vires ad eam acquirendam.

Idem de infidelibus asserunt SS. Patres, & Concilia, quæ, dum dicunt, nos liberari per gratiam, & per hanc concedi victoriam tentationum, eo ipso satis indicant, non credentibus eam victoriam non concedi. Sic Patres Concilii Carthaginensis in sua epistola ad Innocentium, quæ est 90. inter epistolas S. Augustini, referunt tanquam errorem, Pelagianorum, quòd nullum relinquunt locum gratiæ DEI, quæ Christiani sumus, quæ & ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè sit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur. Et S. Augustinus de spiritu & littera. c. 13. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. *Lege operum dicit DEUS: fac, quod jubet: lege fidei dicitur DEO: da, quod jubes.* Idem S. Doctor in expositione quarundam propositionum epistola ad Rom. c. 19. ait: *Ea ipsa, quæ non poterant impleri per legem, per fidem impleta sunt.*

130. Probatur jam secunda pars conclusionis à quibusdam ex Concilio Mileviano, quod can. 4. ait, gratiam juvare, ut, quod facendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus: loquitur autem de gratia justificante, seu habituali; nam inferiùs addit: *Ut edificante charitate, scientia non possit inflare:* quæ verba necessariò intelligenda sunt de gratia includente charitatem, quæ est gratia habitualis: & can. 5. addit, per eam gratiam (quam expressè vocat gratiam justificationis) non tantum dari posse fa-

An homo sine gratia possit vincere omnes tentat. Et servare totam legem naturæ. 121

cius, sed simpliciter; quia anathema dicit asserenti, eam dari tantum ad faciliùs posse: ergo ex Concilio saltem inferitur, nos sine hac gratia (si non ex natura rei, saltem ex lege DEI) non posse totam legem servare, sive omnia facere; nam, quòd nullum actum bonum facere possimus, non vult Concilium; est enim certum, quòd peccator non tantum opus naturale, sed etiam supernaturale, scilicet actum fidei, vel spei, vel alterius virtutis, qui sit meritorius de congruo, possit elicere cum gratia actuali sine gratia habituali. Equidem responderi potest, Concilium loqui de actibus, seu præceptis supernaturalibus, ut explicavimus n. 109. sed hoc ipsum jam fideles debet absterre à perseverantia in statu peccati; quia sic saltem præcepta supernaturalia, quæ sæpe urgent, ordinariè novis peccatis violant.

131. Prob. tamen hæc altera pars conclusionis 2. efficacius etiam de lege naturali. Concilium Arausicanum II. can. 13. ait: *Arbitrium voluntatis, in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari:* sed gratia baptismi est gratia sanctificans; hæc enim tunc infunditur, etiam parvulis, qui alterius gratiæ capaces non sunt: ergo. Sublimo: atqui arbitrium est infirmatum ita, ut non possit totam legem naturæ servare ex n. 126. & seq. ergo debet per gratiam sanctificantem reparari, ut hanc servare queat. Et hæc est ratio S. Thomæ 1. 2. q. 109. a. 4. in corp. ubi ait, arbitrium non posse implere mandata sine gratia sanante, hoc est, reparante.

Nec dicas, modò homo semel habuerit gratiam, jam ipsum esse sanatum, quamvis gratiam iterum perdat; cum non simul perdat fidem, & spem; nam, quamvis post iterum perditam gratiam non omni priori modo infirmetur liberum arbitrium, tamen valde infirmatur: & ut ait S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 8. in corp. homo, qui est in peccato mortali, est averfus à DEO, nec habet cor suum confirmatum in DEO, tanquam ultimo fine: ergo non potest constanter bene uti creaturis, nec convenienter ordinare suas actiones, ita, ut non sæpe cadat, & ad creaturam potius convertatur quam ad DEUM.

132. Prob. 3. Ex Patribus, qui (ut ait Suarez, in iis evolendis diligentissimus) nobiscum sentiunt, si omnes eorum textus simul sumantur (quamvis forte unus, & alter seorsim, posset aliter exponi) Sic S. Gregorius homil. 11. in Ezechielem post medium ait: *Peccatum quippe, quod per penitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul & poena peccati; omne enim, quod prius committitur, peccatum est: sed si citius penitendo non tergitur, justo judicio omnipotens DEUS obligat peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere.* S. Augustinus l. de spiritu & littera. c. 26. loquens de lege naturali (quia loquitur de decalogo) ait, illud Apostoli ad Rom. 2. v. 13. *Factores legis justificabuntur:* non esse ita intelligendum, tanquam per opera, non per gratiam justificentur: sed, inquit, sic intelligendum est: *Factores legis justificabuntur, ut sciamus, aliter eos non esse factores legis, nisi justificentur: ut non justificatio factoribus accedat, sed, ut factores legis justificatio precedat.*

133. Prob. 4. rationibus, vel saltem con-

gruentiis 1. Experientia ostendit, neminem etiam ex fidelibus diu hære in uno peccato gravi, & contra omnes concupiscentias constanter dimicare, nec in alia peccata labi. 2. Protectio Spiritus Sancti, vi cuius homo custoditur à peccatis, & juratur, ad vincendas longo tempore omnes malas concupiscentias, est insigne beneficium, quo sunt indigni, etiam fideles, si in peccato perseverent. 3. Abstinerè diu à peccatis gravibus exigit sanè cor obfirmatum firmissimo proposito contra omne peccatum: atqui tale non habet, qui diu in statu peccati perseverat: ergo.

ARTICULUS XI.

Solvuntur Objectiones.

134. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Scripturæ & SS. Patres loquuntur universaliter de omni-

bus tentationibus, quando adstruunt necessitatem gratiæ: ergo etiam ad vincendas tentationes leves necessaria est gratia. prob. ant. Scripturæ tantum simpliciter vocant tentationem, etiam illam, quam vinci sine gratia posse negant, e. g. dicunt: *Et ne nos inducas in tentationem.* Matth. 6. v. 13. SS. Patres dicunt, quaslibet tentationes vinci non posse: sic S. Gregorius cit. n. 125. dicit cuiuslibet tentationis, & S. Chrysostomus ibidem cit. dicit, omnes tentationes. Resp. dist. antec. & Scripturæ, ac Patres loquuntur de tentationibus gravibus, quæ simpliciter dicuntur tentationes. conc. ant. loquuntur de omnibus etiam levibus. neg. ant. & conseq. Scriptura ad mentem SS. Patrum exponenda est, & SS. Patres etiam exponendi sunt, ita, ut non sibi contradicant: ergo non possunt intelligi de quavis levi tentatione; cum aliàs homo nihil boni naturalis possit liberè facere, ut probatum n. 121. quod tamen est contra SS. Patres, & Scripturas n. 85. & seq. adductas.

Unde etiam Bellarminus, tom. 4. contr. 3. l. 5. de grat. §. lib. arb. c. 7. ait, fortasse auctores, qui videntur quoad hanc sententiam inter se contrarii, posse conciliari; eoquod illi, qui dicunt, aliquas superari sine gratia posse, loquantur tantum de tentationibus levibus: alii autem, qui negant ulla tentationes sine gratia superari posse, simul dicant, leves tentationes non esse simpliciter vocandas tentationes, adeoque sua assertione complectantur tantum graves tentationes: & sic ipse Bellarminus nostræ assertioni apparenter tantum, non autem reverè contrarius est; nam loco citato ait, levissimam titillationem non mereri nomen tentationis. Quod attinet ad S. Chrysostomum, is ita habet: *Ommes, ut ita dicam:* sic enim ex Græco verti debet, ut bene advertit Suarez: hæc autem additio, ut notat idem Eximius l. 1. de grat. c. 23. n. 16. utique restringit vocem omnes, ut non prorsus omnes significet. Dicunt quidem aliqui, ea verba non reperi in aliqua editione. sed rectè ait Arriaga, licet una, aut altera versio, ea verba omittat, sufficere, quòd ea communiter in plerisque versionibus habeantur. vide hunc

hunc auctorem *disp. 40. de gratia sec. 1. n. 9.* de hoc textu agentem.

135. Ob. 2. Concilium Araucanum II. 6. 9. ait: *Divini est muneris, cum . . . pedes nostros a falsitate, & iniustitia tenemus.* & c. 14. *Nihil miser de quacunque miseria liberatur, nisi, qui DEI misericordiâ praveritur:* ergo. Resp. cum Suarez l. 1. de grat. c. 23. n. 27. hos, & similes textus Conciliorum, & Patrum, intelligendos esse vel de victoria Christiana, hoc est, utili ad salutem (de qua S. Thomas citatus n. 119.) vel de tentationibus gravibus, quæ in sensu morali vocantur simpliciter tentationes; cum leves non simpliciter ita vocentur: vel etiam eos textus velle dicere, quod indigeamus auxilio gratiæ ad vincendas tentationes omnes in sensu quasi a comodo, eò quod frequentissimè indigeamus gratiâ ad eas vincendas.

Quando autem S. Augustinus l. 1. *confessionum c. 7.* dicit, nos nec brevissimo tempore posse esse sine peccato, absque auxilio DEI, debet planè exponi mitius; aliàs enim etiam, dum dormimus, non naturaliter, sed ex gratia non peccaremus: item nunquam possemus sine gratia facere minimum aliquid bonum; quia etiam per istud abstinemus aliquo tempore à peccato: unde vel S. Doctòr ibi agit de victoria tentationum utili ad salutem, vel loquitur cum aliqua exaggeratione: vel intelligendus est de tempore tentationis valde vehementis. Adde, S. Augustinum malè eo loco citari; cum ibi tantum dicat, primis diebus infantes mala agere, quatenus expallescent, vel importunè sicut & c. quæ sunt peccata tantum materialia. Sic quoque exponenda sunt, si fors unius aut alterius ex antiquioribus similia circa hanc rem ambigè dicta objiciantur.

136. Ob. 3. In singulis tentationibus est orandum: ergo ad vincendas singulas necessaria est gratia. Confirmatur. Oratio debet fieri cum fide: sed fides non datur sine gratia: ergo necessaria est gratia. Resp. nego conf. Rectè monemur, ut in singulis tentationibus oremus; quia, ut ait Suarez l. 1. de grat. c. 26. n. 9. in singulis est periculum, & incertum est, quando gratia sit necessaria: potèritque esse, aut fieri tentatio gravis, & ut hæc impediatur, meritò oramus. Dem, etsi possimus leves tentationes vincere, tamen sæpe sine gratia non vincemus ex nostra culpa; unde orandum est, ut gratiam impetremus. Ad confirm. dist. conc. fides est necessaria ad orationem, conc. conf. ad vincendam levem tentationem, neg. conf. Aliud est, ait Suarez *loc. cit. cap. 27. num. 23.* medium proximum vincendi tentationem, aliud medium impetrandi auxilium; potèrit enim ex fide peti, seu orari etiam pro impetranda gratia tantum naturali, sicut, si petimus pluvias. Unde ex hoc saltem non probatur necessitas gratiæ supernaturalis. Sed neque probari potèst, orationem esse necessariam ad vincendam quamvis singularem levem tentationem; quamvis præcipiatur, ut oremus, ut non intremus in tentationem gravem, seu simpliciter dictam.

137. Ob. 4. Saltem semper debet adesse gratia extrinseca protectionis, quæ impediatur, ne dæmon hominem tenet pro suo libitù; si enim hoc ei permetteretur, nemo posset etiam levem

tentationem superare: ergo etiam ad tentationem levem superandam necessaria est gratia, & certè Bellarm. *loc. cit. num. 123.* ait, sibi sufficere hanc gratiam, quòd DEUS non permittit dæmonem favere, quantum vellet. Resp. nego suppositum; si enim dæmoni permetteretur tentare hominem pro libitù, tunc tentatio non amplius esset levis, sed gravis. Dices. Ergo jam est gratia, quòd tentatio sit levis. Resp. fit: nos loquimur ex supposito, quòd tentatio sit levis; unde unde proveniat. Cæterùm Suarez l. 1. de grat. c. 23. n. 23. & seq. ubi hanc objectionem fusè pertractat, ait, providentiam illam DEI, permittentis dæmoni tantum, & non amplius, non esse necessariò specialem, sed spectare ad generalem cursum providentiæ. Ulterius ait, etsi dæmoni fors plus permetteretur, tamen sæpe non tentaturum amplius, seu gravioribus ob multas rationes quas ibi adducit. Arriaga *disp. 40. de grat. sec. 1. num. 11.* addit, dæmonem, cum ob suam damnationem debeat in tormentis manere, non habere potentiam ex se tentandi hominem; & hinc à DEO ipsi tantum in poenam hominis permitti, ut hunc leviter tentare possit; & hinc quòd dæmoni non permittatur, ut gravior tentet, non esse propriè gratiam collatam homini, sed tantum minorem poenam, nisi quatenus hæc ipsa minor poena possit aliquo modo dici gratia, sicut gratia potèst dici dilatio mortis: at addit hic auctòr, hic non esse sermone de gratia, in hoc tantum sensu accepta, sed de positivo speciali favore, non tantum minuente poenam, sed magis homini favente.

138. Ob. 5. Homo per peccatum constitutus est in ultimo termino damnationis, hoc est, meritum est statim damnari, adeoque indignus est omni auxilio: ergo omnis concursus DEI, & maxime omnis cogitatio congrua, est gratia DEI: sed sine concursu DEI, & cogitatione congrua non potèst vinci ulla tentatio: ergo. Resp. Hoc argumentum probat, hominem nullum prorsus posse bonum opus facere, sine gratia, quòd falsum esse probavimus à *num. 84.* in forma distinguo 2. partem antecedentis. Homo indignus est omni auxilio, ita, ut etiam naturali exigentiâ ad omne auxilium, etiam tantum naturale, actu spoliatus sit. neg. ant. ut spoliatus sit eâ etiam exigentiâ, quando erit actu damnatus, seu existens in termino damnationis, conc. ant. & neg. conf.

Quamdiu homo adhuc est viator, tamdiu juxta cursum ordinarium causarum secundarum, debetur ei concursus aliquis DEI, & aliquoties etiam aliqua cogitatio congrua, ut probatum *num. 100.* sicut enim differtur damnatio, ita etiam differtur status, in quo carere debeat omni concursu ad bonum, aut omni cogitatione congrua; aliàs deberet etiam dici, quòd ipsa conservatio talis hominis sit specialis gratia; quia etiam eâ est indignus in aliquo vero sensu: sed non est ita indignus ut non nisi per specialem naturalem gratiam conservetur.

139. Ob. contra 2. conclusionem. Si quis semel superavit tentationem, tunc altera vice facilius, & tertia adhuc facilius eam vincit: ergo ex eo, quòd tentatio levis per se diu dureret, non sit moraliter impossibilis ejus victoria: ergo potèst homo omnes, etiam coacervatas le-

An homo sine gratia possit vincere omnes tentat. & servare totam legem naturæ. 123

ves tentationes, vincere. prob. ant. per repetitos actus acquiritur habitus, seu facilitas: ergo facilius est victoria posterior, quam prior. Hæc obiectio non est tam difficilis, quam putat Arriaga, suppositâ doctrinâ de habitibus, satis communi inter nostros, scilicet, quòd habitus voluntatis acquisiti stent in speciebus experimentalibus, representantibus delectationem in objecto, & in negatione specierum representantium molestiam in eo, vel delectabilitatem æqualem in objecto opposito, de quo in Philosophia agitur. Unde falsum est, quòd per omnes actus acquiratur facilitas ad alios similes; sæpe enim augetur difficultas.

Sic sub initium anni sæpe studiosi una, aut altera vice, diligenter student: atrox representata delectatione otii oppositi, & molestia studiorum, cessant. Sic sæpe, qui semel, vel secundum vice, gustavit medicinam amarissimam, non se finitertia vice persuaderi. Sic, qui passus est unam, vel etiam alteram injuriam, non semper patitur tertiam. His suppositis, in forma. neg. ant. ad probationem dist. ant. per repetitos actus semper acquiritur habitus. neg. ant. aliquando. con. ant. & neg. conf. nam non semper victoria prima tentationis relinquit speciem experimentalem, quæ representat delectationem in suo objecto e. g. in contentia ab illicitis voluptatibus, vel in patientia contumeliarum: sed, præsertim, in non habentibus gratiam; relinquit speciem magnæ molestiæ, quæ deinceps auget difficultatem. Fateor, sæpe post repetitos actus, per gratiam fieri leviores postea victorias: sed hoc non pugnat contra nostram assertionem.

140. Ob. 7. Si homo non habet potentiam moralem vincendi omnes tentationes, tunc nec habet potentiam moralem vincendi unam: sed hoc est contra nos: ergo. prob. ma. ponamus, cumulum tentationum, moraliter invincibilem, constitui ex centum tentationibus: ponamus etiam, hominem jam vicisse nonaginta novem tentationes, quòd potèst fieri in hac suppositione; quia unamquamque potèst moraliter vincere, & nonaginta novem nondum sunt totus cumulus, qui moraliter necessitat: in hoc casu talis homo non poterit moraliter vincere ultimam: ergo. prob. ant. si possit in hoc casu vincere tentationem ultimam, posset moraliter vincere totam necessitatem moralem, quòd est in terminis absurdum: ergo. Hoc argumentum probaret, posse moraliter cum ordinaria gratia vitari omnia peccata venialia, contra Tridentinum *sess. 6. can. 23.* in forma neg. ma. ad prob. neg. ant. quia in hoc casu homo poterit moraliter illam ultimam tentationem vincere. ad prob. iterum neg. ant. nam tota necessitas moralis in hoc casu non est devoluta ad ultimam tentationem, sed jam est per partes victa in antecedentibus victoriis.

141. Necessitas tota moralis (quòd bene notandum) est divisibilis, & in hoc casu est divisa in singulas tentationes; unde singulas vincendo vincit homo semper aliquam partem necessitatis moralis, adeoque in ultima tentatione tantum habet vincendam adhuc unam partem. Potèst autem homo quamvis partem necessitatis moralis distributivè sumptam vincere, etiam moraliter, licèt non possit vincere omnes simul; nam necessitas moralis non est necessitas absoluta,

sed tantum talis, ut propter maximam difficultatem fundamentum præbeat, ad prudenter judicandum, quòd non sit vincenda. Habemus autem fundamentum prudens in infirmitate naturæ, & repetitis tentationibus ad judicandum, hominem sine gratia non esse victurum omnino.

Sicut autem hoc fundamentum nititur pluribus collectivè tentationibus, ita minuitur per ablatas, seu jam victas aliquas tentationes: nec, positis jam nonaginta novem victoriis, amplius habemus fundamentum ita prudens, firmiter judicandi, hominem centesimam non superaturum. Ex quo sequitur, hominem posse omnes partes necessitatis moralis, distributivè sumptas, vincere moraliter, non autem omnes collectivè sumptas. Unde, si homo omnes centum tentationes vinceret, (quòd tamen nunquam fiet) vicisset eas physicè, non moraliter, hoc est, vicisset nihil agendo absolute supra suas vires, sed tamen modo ita extraordinario, quem nemo prudenter judicasset eventurum. Modus autem hic extraordinarius non stetit in qualibet victoria distributivè, sumpta, sed in omnibus collectivè sumptis. Si tamen velis dicere, quòd in singulis tentationibus vincendis in hoc casu fuisset partialis aliquis modus extraordinarius, non quidem multum refragor, quamvis saltem de primis, fors difficulter probetur: in quibus aurem incepti, non possumus determinare, vide de hac de re etiam *tract. de DEO an. 642.*

ARTICULUS XII.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

142. Ob. 8. contra 4. conclusionem: Præcepta DEI sunt facilia: ergo debent absque gratia moraliter posse servari: ergo etiam debent tentationes graves contra eorum observationem moraliter posse vinci. Confirmatur. Ad peccandum graviter non sufficit libertas tantum physica, sed requiritur moralis: atqui hæc juxta nos non daretur: ergo. Resp. dist. ant. Præcepta DEI sunt facilia sine gratia: neg. ant. cum illa, conc. ant. & neg. con. Inprimis præcepta supernaturalia sunt omnino impossibilia sine gratia: at quia gratia ex parte sua non deficit, quando datur obligatio ea adimplendi, facilia redduntur. Idem dic de aliis præceptis. Nec dicas cum Arriaga, sic non præcepta esse facilia, sed tantum gratiam promitti, nam retorqueo inprimis in præceptis supernaturalibus: dein possunt ipsa præcepta dici facilia ex suppositione gratiæ, ut multa alia facilia dicuntur, facta aliqua suppositione auxilii alterius: sic dicimus facile esse iter homini, de quo scimus eum esse instructum equo, licèt sine hoc esset iter difficile.

143. Ad confirm. dist. ma. Ad peccandum graviter requiritur libertas moralis, hoc est, conjuncta cum advertentia ad malitiam, ut transgressio possit imputari ad culpam. con. ma. hoc est, libertas sine difficultate moraliter invincibile

bili, neg. ma. & conc. min. pro aliquibus casibus, neg. conseq. de qua re vide Rhodes *disp. 2. de gratia. q. 1. sect. 3. §. 2. ad 3. ob.* & fufius Arriagam *disp. 40. de gratia. sect. 2. subsect. 6.* ubi defendunt, sufficere libertatem physicam: & certè, nisi hoc admittatur non video, quomodo cum necessitate morali ad venialiter peccandum, sine gratia speciali, stet tamen ratio culpæ, & demeriti, atque reatus pœnæ gravis in purgatorio. Quare autem actiones semideliberatæ non sint mortaliter graves, ratio non est præcisè defectus libertatis physicæ: sed sunt aliæ rationes, de quibus *tractatu de peccatis. n. 87. §. 117.*

Dixi: *conc. min. pro aliquibus casibus*; nam ordinariè non deest gratia, vel naturalis, si sufficit, vel supernaturalis, immediatè, vel saltem mediatè sufficiens, ad reddendam victoriam moraliter possibilem. Quod autem lex positiva non obliget, saltem ordinariè, in casu impossibilitatis moralis: obliget autem lex naturæ, ait Arriaga *loc. modò cit.* discrimen esse, quod lex naturalis prohibeat mala intrinsecè talia, & quæ prohibita sunt; quia mala; non enim potest dari ratio dispensandi in iis, vel non obligandi: at verò, cum positiva præcepta prohibeant ordinariè aliqua non intrinsecè mala, sed tantum mala; quia prohibita, ait idem auctor, moralem impossibilitatem esse rationem non obligandi, vel dispensandi in rebus talibus: cumque legislator ista possit prohibere, vel non prohibere, æquissimum fuit, in his circumstantiis non obligare.

144. Ob. 9. Potest quis absque gratia vincere tentationem gravem ex motivo peccaminoso. e. g. tentationem gravem luxuriæ, ex motivo superbiæ: ergo potest etiam superare eandem ex motivo naturaliter honesto, e. g. ex motivo habendi ulteriorem sustentationem, quam perderet, si infame illud crimen committeret. conf. videtur innegabilis; quæ enim sit ratio potentia prioris, & non posterioris? Confirm. 1. Potest quis ex motivo minus peccaminoso, e. g. ex motivo vanæ gloriæ superare tentationem rei multò magis peccaminosæ, e. g. tentationem luxuriæ: ergo etiam poterit superare ex motivo omnino naturaliter honesto. prob. conf. si voluntas potest naturaliter vitare majus malum, cur non possit vitare omne? Confirm. 2. Motivum honestum non facit victoriam tentationis difficiliorem: ergo, si quis potest, eam vincere ex motivo inhonesto poterit etiam ex honesto.

Resp. neg. ant. ita Arriaga *disp. 40. de gratia. sect. 2. n. 18. §. seqq.* & idem, saltem disjunctivè, etiam docet Rhodes *disp. 2. de gratia. q. 1. sec. 3. §. 2. ad ob. 2.* nam, si tentatio gravis est e. g. ad luxuriam, non vincitur verè propter motivum inhonestum, sed tantum excluditur actus externus luxuriæ, qui tamen peccatum non auget, ut probatum *tractatu de actibus humanis. à n. 164.* unde talis homo interitè ita dicit: *Si non esset perdenda mea gloria, vel magna æstimatio, fornicarer: qui actus est malus, & per eum succumbitur tentationi. Quod autem hic actus admittatur ab eo, qui est gratià destitutus, & gravi tentatione pulsatur, probat Arriaga loco citato. ex eo, quod nihil impossibile sit in eo casu cum eo actu; nam superbia illa non excludit actum illum internum; adeoque non vin-*

cit tentationem ad illum: aliunde etiam nihil est, unde teneatur infirmitas hominis: ergo in tentatione gravi labitur. Ad 1. confirm. iterum neg. ant. non enim vincitur tentatio, si gravis est: sed peccatur per actum internum.

145. Ad 2. confirm. posset omitti. ant. & negari suppositum consequens ex dictis. Resp. tamen etiam 2. nego. ant. ut enim Rhodes *loco citato numero precedentè, & cum eo alii communiter docent, ac etiam experientia probat, in statu naturæ corruptæ non ita cognoscimus bonum honestum, sicut sensibile (per quod intelligo quodlibet sensibus delectabile, vel mundanum, & appetitui depravato conforme, quale est vana gloria, vindicta &c. licet strictè loquendo non sit sensibile) neque in illud ita intensè ferimur, neque ita amamus, ac istud, quod intensissimè amat natura corrupta, & gratià destituta, consequenter multò magis movetur ab hoc, quam ab illo.*

Fateor tamen, aliquando contingere, ut bonum sensibile sit conjunctum honesto, e. g. bonum sensibile, ac simul honestum, est vitam servare, vel sanitatem; hinc contingere potest, quin imò sæpe contingit, ut aliquis tentetur luxuriâ, sed tamen simul videat, se vitam, vel sanitatem perditurum, si consentiat. At neque tunc poterit homo absque gratia, solis naturæ viribus, ex motivo hoc sensibili simul, & honesto, abstinere à luxuria, si ad hanc graviter tentatur; nam talis homo absque gratia non movebitur ab honestate naturali conservandæ vitæ, ad excludendum supradictum affectum conditionatum peccaminosum; tum quia illa honestas præcisè naturalis eum affectum non excludit; tum quia natura corrupta absque gratia non valde cognoscit, eam honestatem, nec valde æstimat.

Quare in tali casu homo tantum movebitur à sensibilitate illius conservationis sibi utilis: quæ tamen sensibilitas non est sufficiens, ad excludendum peccatum, seu affectum conditionatum peccaminosum: *Fornicarer, nisi noceret sanitati.* Unde, ut affectus hic excludatur, opus est aliquâ gratiâ DEI, saltem, quæ sit propositio honestatis intensior, atque incitet ad amplectendum simpliciter honestum, seu exclusivum omni inhonestatis: vel certè quæ incitet ad honestatem specificè oppositam vitio, ad quod quis tentatur, aut aliter opponatur omni inhonestati, ita, ut, qui incitationi illi obedit, non possit supradictum affectum conditionatum peccaminosum admittere.

Ex dictis etiam respondendum ad casum, quo hæreticus timorem mortis vincit, & moritur pro falsa doctrina; nam neque hic movetur ab amore veritatis, cui in aliis culpabiliter resistit, sed ab appetitu vanæ laudis, aut obstinationis, vel alterius vitii, quod non excludit actum conditionatum vitiosum e. g. *Si non esset vana laus, nollem mori pro mea secta* (in qua tamen notione ipse esse conscientia erronea debet agnoscere peccatum; aliàs non video, quomodo sit dicenda tentatio) Ut autem rectè ait Arriaga *de gratia. disp. 40. sec. 2. subsec. 3. n. 20. hæreticus, etiam quando moritur pro articulo vero, & Catholico, non moritur pro veritate, quam jam culpabiliter deseruit, eique resistit: sed per accidens se*

habet

An homo sine gratia possit vincere omnes tentat. & servare totam legem naturæ. 125

habet honestas defendendi veritatem: & inanis gloriæ affectatio, vel nimia sui æstimatio facit, ut paratus sit, etiam pro errore mori, nisi tamen gratia Divina ipsum eo casu converteret, & faceret, ut implicitè saltem Catholicus fieret.

146. Ob. 10. Posset contingere, ut quis diu viveret, quin gravi, vel mediocri tentatione; infestaretur: ergo posset aliquis diu servare totam legem naturæ sine gratia: prob. conf. leves tentationes posset omnes vincere, sine gratia: ergo posset, sine eadem totam legem servare. Resp. cum Suarez *lib. 1. de gratia. c. 26. n. 11.* dist. ant. potest hoc contingere sine gratia saltem specialis extrinsecæ protectionis. neg. ant. cum ista gratia. om. ant. & sub data distinctione. om. vel neg. con. Abque gratia DEI impossibile est, hominem non aliquoties per diuturnum tempus vitæ graviter tentari, vel saltem leviter coarctari, ad aliquod grave peccatum, nisi DEUS eum specialiter protegat, SS. Patres autem, quando asserunt, hominem non posse servare totam legem naturæ, loquuntur de vita hominum ordinaria, & absque speciali illa protectione: vel, si SS. Patres absolutè de omnibus loquuntur, dicendum cum Rhodes *disp. 2. de gratia. q. 1. sec. 3. §. 3. ad ob. 21.* impossibile esse, ut homini naturæ tam corruptæ in diuturna vita non occurrant in exercitio virtutum variæ graves difficultates, saltem in hac providentia, in qua DEUS hominem non vult, nisi per gratiam ab iis omnibus liberare.

147. Dices. SS. Patres dicunt, hominem non posse servare totam legem sine gratia: sed per gratiam non intelligunt gratiam tantum extrinsecam alicuius protectionis, sed intrinsecam supernaturalem: ergo data distinctio non sufficit. Resp. 1. me ex Rhodes jam dixisse, quod, si ista responsio non videatur conformis SS. Patribus, negari possit major; nam in hac providentia impossibile videtur hominem diu carere gravibus tentationibus, Resp. 2. SS. Patres tantum intelligendos esse de homine ordinario modo vivente, seu difficultatibus, & tentationibus gravibus infestato.

An autem, ad hunc in observatione mandatorum naturalium retinendum, exigant gratiam verè intrinsecè supernaturalem, an ipsis sufficiat extrinsecam tantum, seu intrinsecè quidem naturalis, tamen speciali modo præparata (de qua *n. 123.*) inter auctores disputatur. Ego meam mentem jam eo numero aliquantum aperui. Addo tamen hic, verius mihi videri, SS. Patres, quando simpliciter aliquid vocant gratiam, intelligere supernaturalem: item videri mihi, præsertim S. Augustinum *epistola 95. ad Innocentium.* exigere in nostro casu gratiam supernaturalem; nam primò dicit, ad concupiscentias, tentationesque vincendas opus esse gratiâ, per subministrationem Spiritus Sancti data, quam effunderit Christus ascendens in altum, & dona hominibus dans: quæ planè est supernaturalis gratia: secundò *eadem epistola* dicit, de eadem gratia, eam esse propriam Christianorum, quæ non fit natura, sed qua solvatur natura, qua non quasi extrinsecus, homo irrigetur: sed esse subministrationem Spiritus Sancti: iterum esse gratiam DEI ex fide Christi.

Verbo, S. Augustinus agit semper de gratia contra Pelagium, à quo utriusque exigit gratiam supernaturalem, quam illum negare asserit, defendendo possibilitatem naturæ, ad vincenda peccata, & implenda mandata: gratiam autem creationis, ait S. Doctor, posse quidem aliquo modo dici gratiam; eodque grates debeamus etiam agere propter creationem: at non esse gratiam Christianis notissimam, & mirum esse, si in Prophetis, Evangelicis, aut Apostolicis literis inveniantur.

Ex quibus saltem videtur haberi, quod ad totam legem naturalem servandam, seu ad omnes tentationes graves vincendas, requiratur gratia supernaturalis, si non ex rei natura, saltem ex lege DEI: quæ lex, seu dispositio DEI, nobis innoscit ex SS. Patribus, inter quos, in materia gratiæ, S. Augustini præsertim auctoritas, ingens est: quidquid sit, an etiam requiratur gratia supernaturalis, ad superandam quamvis tentationem gravem, quod fortè etiam SS. Patribus conformitè dicitur; cum illi, saltem ordinariè, per gratiam simpliciter dictam, intellexerint gratiam supernaturalem.

148. Nec dicas 1. cur necessaria sit gratia supernaturalis ad actus tantum naturales? nam repono: cur necessaria sit fides, & gratia habitualis, quæ tamen necessaria sunt *ex n. 178.* & utique supernaturales sunt? scilicet non vult DEUS in hac providentia, & statu elevationis dare gratias naturales, sed, vel nullas, vel supernaturales, adeoque non vult, ut lex naturalis impleatur tantum per actus naturales, sed per supernaturales: sicut non vult hominem consequi beatitudinem tantum naturalem, sed supernaturalem: & hac in re sit pro ratione voluntatis.

Nec dicas 2. sic infideles non habituros gratiam sufficientem; cum non habeant gratias supernaturales. Resp. enim, illos, qui non habent gratiam supernaturalem, non habere quidem gratiam immediatè sufficientem ad totam legem servandam; habere tamen auxilia mediatè sufficientia; vel enim habent vocationem ad fidem, cui si consenserint, habebunt gratiam supernaturalem: vel saltem habent auxilium, cum quo possunt facere, quantum est in se, tamdiu, donec impleant terminum à DEO præfixum, & quo posito DEUS dabit ipsis gratiam immediatè sufficientem. Imò circa infideles fortè dici potest cum Suarezio *l. 1. de gratia cap. 27. n. 27.* DEUM etiam ipsis speciali auxilio subvenire, in gravibus tentationibus; cum id sit conforme misericordiæ Divinæ: nec legem non dandi, nisi supernaturalia auxilia ad vincendas graves tentationes, esse omnino indispensabilem, præsertim circa infideles:

149. Dices 2. SS. Patres fortè non requirere ad vincendas solum tentationes auxilia supernaturalia, sed tantum ad vincendas eas fructuosè: & meritoriè, seu quando victoria tentationum debet esse fructuosa, & meritoria (de qua S. Thomas citatus *n. 110.*) vel quando observatio legis naturæ debet esse meritoria. Sed contra est. SS. Patres loquuntur, saltem aliquando, etiam tantum de fuga peccari, quæ est aliquid purè naturale, nec loquuntur semper de victoria, positiva & meritoria, ut ait Rhodes *disp.*

Q3

disp. 2. de grat. q. 1. sec. 3. §. 3. Dein ex his textibus SS. Patrum Theologi probant, non posse per actus naturales impleri omnia collectivè præcepta naturalia: ergo debent SS. Patres supponere, quòd non detur in hac providentia observatio omnium mandatorum affirmativorum, seu exigentium actum positivum, nisi meritoria; quia DEUS non vult eam dari, sicut non vult dari beatitudinem naturalem: adeoque neque dat auxilia ad observationem tantum non meritoriam, seu purè naturalem: observatio autem mandatorum negativorum, si fiat per puram omissionem liberam, potest quidem esse non meritoria, tamen potest etiam esse, quòd ex lege DEI ea libertas constituatur per gratiam supernaturalem; quia SS. Patres videntur universim de ista, non de alia loqui.

150. Ob. 11. contra 6. conclusionem. Si necessaria est fides supernaturalis, vel gratia habitualis, ad observandam legem naturalem, tunc non potuisset ista servari in statu puræ naturæ: hoc est falsum; ergo. Confirm. 1. Infideles nec fidem, nec gratiam habituales habent: ergo necessariò peccant; quia absque his legem servare non possunt. Confirm. 2. Juxta nos, qui servat mandata, scit, se esse in gratia: atqui hoc est contra Tridentinum: ergo. Resp. neg. ma. Diximus num. 178. gratiam habituales, vel fidem, non esse necessarias ex natura rei, sed tantum ex lege, vel ordinatione DEI, nolentis, nisi fidelibus, & amicis, auxilia diu sufficientia dare: at in alia providentia DEUS daret auxilia alia purè naturalia, quæ sufficere possent.

Ad 1. confirm. jam responsum est num. 148 & sequenti; quia infideles, saltem mediàtè, sufficientem gratiam habent. Ad 2. confirm. neg. ma. nam in primis non constat determinatè, quam longum tempus debeat esse, quo quis possit observare totam legem sine gratia; & fortè non est satis longum, quod homo existimat esse longum. 2. Hæc sententia, ut ait Arriaga disp. 41. sect. 5. n. 24. de grat. non est certa certitudine absoluta, & infallibili, quam solum Tridentinum sess. 6. c. 16. excludit. 3. Ut ait Suarez. l. 1. de grat. c. 27. num. 33. non potest homo esse omnino certus, se diu non peccasse mortaliter, vel ex negligentia crassa, vel dubio practico, vel aliqua delectatione interna: & hinc S. Paulus 1. ad Cor. 4. v. 4. ait: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

151. Ob. 12. Ex nostra sententia sequitur, peccatorem, etiam fidelem, non habere semper gratiam sufficientem ad servandam legem: ergo necessariò peccat. Resp. neg. ant. In primis aliquamdiu potest habere gratiam sufficientem ad alia præcepta implenda: & maximè eam habet ad agenda poenitentiam. Quòd si diu nolit poenitentiam agere, quamvis non habeat gratiam immediatè sufficientem, ad implendam totam legem, habebit mediàtè sufficientem, quantum habebit gratiam, ad agenda poenitentiam, & reparandam gratiam; nam, quamdiu homo fidelis vivit, & rationis compos est, DEUS non negat ei omnem gratiam ad agenda poenitentiam, ut suppono ex tractatu de poenitentia: saltem non negat omnem gratiam mediàtam, seu gratiam orandi, & impetrandi gratiam poenitendi, & legem servandi. Tandem nemini DEUS

negat gratiam saltem physicè sufficientem, hæc fortè juxta quosdam aliquibus maximè obstinatis, & enormibus peccatoribus neget gratiam moraliter sufficientem.

152. Ob. 13. Si quis sine gratia habituali non potest diu vitare peccata mortalia, tenetur statim agere poenitentiam, post commissum peccatum mortale: sed hæc obligatio esset valde dura: ergo. prob. ma. debet homo reddere se potentem ad observanda mandata Divina: ergo debet se iterum constituere in statu gratiæ per poenitentiam. Resp. 1. Ex hac objectione in primis non sequitur, teneri hominem statim ad confessionem; modò enim eliceret actum contritionis, jam recuperaret gratiam habituales. 2. Neque etiam ad contritionem tenetur statim; quia non dicimus, quòd non possit brevi tempore servari lex sine gratia: sed tantum, quòd non possit tempore longo. Unde tantum sequitur, quòd non possit poenitentia differri post peccatum longo tempore. Quod autem tempus in hoc casu censeatur longum, vel breve, nondum est satis determinatum: saltem ultra annum certò differri non potest, intra quod tempus a-junt quidam, teneri per se peccatorem, & quidem sub gravi, ad agenda poenitentiam, etiamsi nulla esset lex de confessione peragenda saltem certò tenetur per accidens ratione præcepti Ecclesiæ. Imò probabiliter dici potest, Ecclesiæ, dum intra annum confessionem præcipit, insinuare, quòd longius tempus, quam annus, sit tempus longum, intra quod peccator non possit servare totam legem. An non autem etiam tempus minus, præsertim ingruentibus fortibus tentationibus, possit dici longum, nolim definire: omnibus omnino suadendum est, ut non tantum actum contritionis, sed neque confessionem, tamdiu differant.

ARTICULUS XIII.

An homo in statu naturæ lapsæ sit debilior, quam fuisset in statu puræ naturæ.

153. Varii à Theologis considerantur status naturæ humanæ, quorum plures exposuimus in tract. de beatit. à n. 24. Revoco hic breviter in memoriam tres, scilicet *statum naturæ puræ, statum originalis justitiæ, statum naturæ lapsæ.* Primus, seu *status naturæ puræ* dicit perfectiones naturales homini debitas, sine elevatione supernaturali, & sine peccato. Hic nunquam extitit in creaturis rationalibus; quia, & Angeli, & homines, statim elevati fuerunt ad statum supernaturalem; possibilibus tamen fuit; quæ enim fit implicantia in eo; quòd DEUS Angelum, vel hominem, creet, neque tamen ordinet ad suam amicitiam, vel visionem beatificam? aut quis necessitet DEUM, ad hos favores faciendos creaturæ, id est, suæ essentialiter servæ? Eadem possibilitas probatur firmissimè ex pluribus damnatis Bajanis propositionibus (quarum propterea contradictoriæ debent esse veræ) quas videre potes in eodem tract. de beatit. n. 27.

Secundus *status originalis justitiæ*, non tantum

An homo in statu naturæ lapsæ sit debilior, quam fuisset in statu puræ naturæ. 127

tum dicit carentiam negativam peccati, quam jam dicit statum puræ naturæ: sed insuper dicit integritatem, seu subjectionem concupiscentiæ ad rationem, item elevationem ad finem supernaturalem, infusionem gratiæ sanctificantis, & virtutum, rursus immunitatem ab errore, ignorantia, morte, ac aliis miseris &c. præterea privilegium transgrediendi sub certa conditione has perfectiones in posteros. Tertius *status naturæ lapsæ* dicit lapsum in peccatum originale, vel actuale, ob quod natura privata est privilegiis innocentia, & integritatis, ac variis malis subjecta.

154. Jam dubium non est, hominem, seu liberum ejus arbitrium, in statu naturæ lapsæ, esse minus validum, in ordine ad faciendum bonum, & vitandum peccatum, quam fuerit in statu justitiæ originalis; nam tunc fuit usus Adam libero arbitrio longè robustiore, & ideo DEUS ipsi, ut ait S. Augustinus l. de corrupt. & grat. c. 12. *fortissimo dimisit, atque permisit, facere, quod vellet:* atque adeò tunc longè facilius poterat legem naturalem servare, præsertim, cum rebellem concupiscentiam non habuerit, nec errore, aut ignorantia &c. decipi potuerit.

At verò, postquam homo peccavit, tunc (ut ait Araucanum II. c. 25. & Trident. sess. 6. c. 1.) liberum arbitrium *viribus attenuatum, & inclinatum* fuit, adeò, ut ob rebellem concupiscentiam, insurgentes passiones, errores, & ignorantias, aliasque infirmitates, longè citius peccato succumbat, imò absque gratia DEI, prout diximus n. 126. totam legem naturalem diu servare non possit. Queritur jam, an, si DEUS condidisset hominem, in statu puræ naturæ, liberum ejus arbitrium, non quidem æquè forte, ac in statu originalis justitiæ (quod nemo asserit) sed tamen fortius ad bonum faciendum fuisset, quam modò in statu naturæ lapsæ, si à gratia non fulciatur, existat: an verò æquè debile futurum fuisset.

155. Dico. Liberum arbitrium hominis, seu vires illius ad bonum, non fuissent majores in statu puræ naturæ, quam sint modò sine gratia in statu naturæ lapsæ. Ita S. Thom. 1. p. q. 95. a. 1. in corp. Bellarmin. tom. 4. controver. gener. 3. princ. 1. de grat. & lib. arb. l. 5. c. 9. sub finem Suarez prolegom. 4. de grat. c. 8. n. 5. & c. 9. n. 4. ubi hanc sententiam ait esse communem, & veram, citatque plures alios antiquos, & inter hos Medinam, qui in 1. 2. q. 85. a. 2. §. *Secundò, inferitur*, dicat, hanc esse veram, Divinamque Theologiam, quam doceant universi Theologi. Accedunt ex recentioribus Haunoldus l. 2. tract. 3. c. 2. n. 739. & plurimi alii. Prob. 1. auctoritate communi Scholasticorum, qui ex S. Dionysio c. 4. de Divin. nomin. part. 4. parum à medio absolutè dicente, mansisse in Angelis post peccatum naturalia integra, (verba ejus sunt: *Non itaque mala est demonum gens, qua parte secundum naturam est neque indulta illis Angelica munera immutata dicimus: verum sunt, & integra, & lucidissima personæ*) ex hoc, inquam, Scholastici inferunt cum S. Thoma 1. p. q. 95. a. 1. in corp. eadem naturalia etiam mansisse in homine.

Et hinc etiam est commune axioma Theologorum, naturalia in homine post peccatum

mansisse integra: & quidem, ut Suarez proleg. 4. de grat. c. 8. n. 10. ait, quoad omnes naturales facultates, perfectiones, dispositiones, ac proprietates, corporis, & animæ: certè ex hoc S. Thomas inferit, subjectionem concupiscentiæ ad rationem non esse debitam naturæ humanæ puræ; sic enim habet loco modò citato: *Manifestum est autem, quòd illa subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset; cum etiam in demònis data naturalia post peccatum permanferint, ut Dionysius dicit 4. c. de Div. nom. Unde manifestum est, quòd illa prima subjectio, qua ratio DEO subdebatur, non erat solum secundum naturam, sed secundum supernaturale donum gratiæ;* atqui, si natura lapsa nil perdidit, ex naturalibus donis, ac viribus, habet adhuc tantas vires, quantas habuisset in statu puræ naturæ, ubi præter naturalia nil habuisset.

156. Ubi ex occasione noto, 1. quòd ex hoc modo arguendi S. Thomæ rectè inferatur (ut observat Suarez proleg. 4. de grat. c. 8. n. 6.) posse de quocunque bono, quo natura humana ob peccatum est spoliata, concludi, id non naturale, seu naturæ debitum fuisse. Noto 2. quòd, quando S. Thomas. 1. 2. q. 82. a. 3. ad 1. ait, appetitum concupiscentiam naturaliter regi ratione, & si transcendat limites rationis, esse contra naturam, debeat (ne tibi manifestè contradicat) ita exponi, ut sensus sit, quòd ille appetitus naturaliter, hoc est, ex exigentia status naturæ integræ, regatur ratione, & si limites transcendat, id faciat contra exigentiam naturæ integræ: quæ responsio firmatur ex eo, quòd ibi S. Doctor inferat, concupiscentiam esse materiale originalis peccati, & consequenter videatur loqui de natura in statu antecedenti ad hoc peccatum, adeoque de integra, non autem de natura pura, de qua tunc nulla erat quæstio, nec fiebat mentio.

157. Confir. conclusio 1. Ex hoc ipso textu Angelici n. 155. adducto habetur, subjectionem concupiscentiæ non fuisse debitam naturæ, sed fuisse donum gratiæ, adeoque non fuisse dandam in statu puræ naturæ: atqui ex negatione illius subjectionis potissimum oritur debilitas naturæ lapsæ: ergo. Confir. 2. Idem S. Thom. 1. 2. q. 87. a. 7. in corp. ait: *Principaliter quidem poena originalis peccati est, quòd natura humana sibi relinquatur destituta auxilio originalis justitiæ: sed ad hoc consequuntur omnes poenales, quæ ex defectu naturæ hominibus contingunt:* ergo in destitutione, seu ereptione originalis justitiæ, & relictione solius naturæ, stat poena originalis peccati: ergo non in subtractione ullius facultatis naturalis: adeoque natura lapsa nil habet minus virium naturalium, & consequenter non est debilior, quam fuisset, si ante elevationem sibi relicta fuisset. Item cum ex defectu, hoc est, imperfectione naturæ, ut sibi relicta, sequantur omnes poenales, seu infirmitates, inferitur, has esse ei naturales, & consequenter futuras etiam fuisse in statu puræ naturæ, quamvis tunc non fuissent poenæ, de quo infra.

158. Confir. 3. ex S. Augustino l. 4. contra Julian. c. 16. sub finem dicente: *Gratia quippe DEI magna tibi erat, ubi terrenum, & animale corpus, bestialem libidinem non habebat. Qui ergo*

vestitus gratiâ non habebat in nudo corpore, quod pueret, spoliatus gratiâ sensit, quid operire deberet: ergo, quod in Adamo, de quo loquitur, non fuerit caro rebellis, fuit ex gratia DEI, non ex debito humanæ naturæ: quam naturam quidem habuit Adam immunem illa rebellionem: at non ex se, sed ex gratia DEI. Idem S. Doctor l. 5. contra Julianum. c. 7. ante medium, non semel dicit, libidinem naturalem esse, & vinci posse. Ea aliqua ejus verba: *Cum igitur libidinem, & naturalem esse, & vinci posse, ambo dicamus, utrum bonum vincamus, an malum, ipsa inter nos vertitur quæstio: ergo libido rebellis est naturalis, adeoque etiam fuisset in statu puræ naturæ, quamvis tunc non fuisset pœna; quia hæc supponit culpam.*

Nec dicas, Si nihil debitum fuit naturæ subtractum, subtractio non fuit pœna; nam ex suppositione, quod natura fuerit iis donis supernaturalibus ornata, utique eorum privatio fuit pœna; sicut, si rusticus prius elevatus ad principatum, postea iterum detruderetur ad stivam, ob admissum aliquod scelus, et esset pœna valde sensibilis: quamvis non esset talis, si nunquam elevatus, sed semper relictus fuisset in suo humili statu. Sic naturæ lapsæ pœna est privatio bonorum supernaturalium; quia ad hæc fuit elevata: non autem carentia tantum eorundem bonorum est pœna naturæ puræ; quia hæc carentia respectu naturæ puræ, seu nondum elevatæ ad illa bona, sive iis dotatæ, non potest esse privatio, aut spoliatio, & ipsa non potest dici privata, sed tantum carens: sicut scilicet in rustico nunquam elevato ad thronum, non est pœna carentia principatus. Plura ex Patribus & Conciliis afferit Suarez in confirmationem nostræ sententiæ proleg. 4. de grat. c. 8. & seq.

159. Confir. conclusio 4. Hæc propositio Bajana 55. à S. Pio V. damnata est: *DEUS non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur:* ergo talem, hoc est, cum istis miseris, ab initio, hoc est, antecederet ad peccatum originale, potuit creare hominem DEUS: & quidem ut author naturæ; nam de hoc est sermo in illa propositione, qua loquitur de tota specie humana; quamcunque enim speciem substantiæ ut quod, sive infirmam, sive fortem, sive summam, sive intamam, (inter quas utique est etiam species humana) creet, vel producat DEUS, semper agit ut author naturæ, ut fatentur omnes; cum præsertim, substantia ut quod supernaturalis: non sit possibilis: ergo hic status, in quo nascimur, est naturalis. prob. conf. quidquid DEUS producit ut author naturæ, est naturale: ergo.

Nec viliages dicendo, aliquod productum etiam ab authore naturæ posse esse violentum; nam, quod producit ab authore naturæ, si est violentum uni, debet esse debitum alteri: cui autem debebitur hæc infirmitas, si non ipsi naturæ humanæ, ut eidem debetur mortalitas, &c? Nec dicas, DEUM quidem potuisse producere ab initio hominem aliquomodo talem, sed non omnimodè; nam non est dubium, authorem propositionis intellexisse hominem omnimodè talem; & in authoris sensu propositio damnata, est. Si liceret propositiones ita restringere, neque posset probari, quod DEUS potuisset pro-

ducere hominem ita mortalem, passibilem &c, qualis nunc est. Hoc quidem verum est, DEUM non potuisse hominem producere peccato infectum, sicut nunc nascitur: sed auctor propositionis non intendit hunc sensum, & aliàs manifestum est, quod DEUS non possit esse auctor peccati.

160. Prob. conclus. 2. ratione Doctoris subtilis in 2. dist. 29. q. unica. Appetitus sensitivus naturaliter fertur in suam objectum, scilicet in bonum delectabile sensibile, quamvis non sit conforme rationi, ergo rebellio concupiscentiæ, quæ nihil est aliud, quam appetitus delectabilium, etiam contra rationem, est naturalis: ant. prob. Homo non potest impedire, quo minus objecta delectabilia, etiam, quæ rationi adversantur, incurrant in sensus externos; quia isti sunt ubique aperti: & certè non possunt ita custodiri, ut dum vel servantur necessario usui, vel vel aliàs inadvertenter, non sæpe aliquod rationi contraria in eos incurrant: quo facto non potest impedire homo, quo minus ea sensus internus seu appetitus sensitivus quoque percipiat: & hoc posito non potest homo amplius impedire delectationem purè sensitivam: nam appetitus ille necessariò agit, uti oculus necessariò videt: ergo necessitate naturali, & impedibili, appetitus sæpe fertur in bonum delectabile sensibile, etiam rationi contrarium. Videatur Haunoldus l. 2. tract. 3. n. 722. si velles dicere, quod DEUS in statu puræ naturæ debuisset impedire, ne talia objecta in sensus incurrant, proflus gratis id diceres. Et cur non eodem jure quis fingeret, DEUM debere in statu puræ naturæ etiam impedire molestias vitæ humanæ, quin & mortem, uti impedivisset in statu naturæ integræ.

ARTICULUS XIV.

Solvuntur Objectiones.

161. **O**B. 1. Natura lapsa valde debilis est propter efrænam concupiscentiam: sed non fuisset in statu puræ naturæ concupiscentia tam efrænis: ergo illa est debilior. prob. min. si concupiscentia talis fuisset, etiam in statu puræ naturæ, esset naturalis, adeoque à DEO ut authore naturæ: atqui ab hoc esse non potest: ergo, prob. min. concupiscentia est mala: ergo non potest esse à DEO. Resp. neg. min. ad prob. dist. ma. concupiscentia esset à DEO, etiam nunc in statu naturæ elevatæ, neg. ma. fuisset in statu puræ naturæ, subdist. fuisset realiter, sicut aliz imperfectiones, vel etiam concupiscentia in brutis. conc. ma. formaliter, seu quatenus est defectus naturæ, neg. ma. & dist. sic min. neg. conf. ad prob. mi. dist. ant. est mala physice. conc. ant. moraliter, subdist. in statu puræ naturæ, neg. ant. in statu elevationis. denuo subdist. est mala moraliter formaliter, neg. ant. moraliter denominativè tantum, conc. ant. & dist. conf. non potest esse à DEO in hoc statu elevationis, conc. conf. in statu puræ naturæ, & quidem tantum realiter, non formaliter, neg. conf.

162. Concupiscentia per se est tantum malum physicum, non strictè morale, sicut etiam est

est in brutis, quæ non sunt capacia moralitatis: & sicut in homine quoque est mortalitas, & peccabilitas, quæ non sunt mala moralia; nisi in sensu lato; quatenus propter illas censetur quis in æstimatione morali imperfectus, & minus æstimabilis: non autem sunt mala moralia strictè; sive culpabilia, aut culpam involventia, vel præsupponentia, vel necessariò istam post se trahentia.

Unde sicut in statu puræ naturæ concupiscentia fuisset malum tantum physicum, ita realiter potuisset esse à DEO; quia hic potuisset hominem cum tali concupiscentia producere; cum hæc ipsa sit aliqua imperfectio physica, naturam humanam naturaliter consequens, propter essentialem istius naturæ limitationem, vi cuius limitationis non potest DEUS sine miraculo impedire imperfectiones accidentales, eandem naturam consequentes. Ex quo tamen non velis inferre, posse DEUM etiam in natura humana pura producere errorem positivum, aut habitum inclinantem ad malum; nam hæc imperfectiones non sequuntur necessariò ex limitatione naturæ humanæ.

163. Dixi, concupiscentiam in statu naturæ puræ posse realiter esse à DEO; nam defectus non dicuntur formaliter esse à DEO, sed ab imperfectione naturæ, quæ sic defectuosa est, sic e.g. imperfectioni ferri adscribitur, quod erodatur à rubigine. At verò in statu elevationis non est concupiscentia efrænis à DEO; nam DEUS fecit hominem rectum; & gratiâ suâ frænavit concupiscentiam ejus; quia autem homo ex malitia sua, & peccato, gratiam perdidit, reditè ipsi tanquam causa, & non DEO, adscribitur efrænis rebellio; quia scilicet gratiæ frænum homo ipse abiecit. Unde in hac providentia, seu statu elevationis, concupiscentia est mala; non quidem formaliter, quasi esset culpa; hoc enim falsum est ex Tridentino: sed est denominativè mala moraliter; quia denominatur à peccato originali talis, tanquam ejus effectus, & pœna, quam DEUS quidem infixit, (sed negativè tantum, quatenus subtraxit gratiam) homo autem per culpam, commisit, & causavit. Hinc, cum culpa non possit adscribi DEO, non potest, in hoc statu elevationis, concupiscentia ut denominativè moraliter mala, DEO attribui, sed debet attribui homini peccanti. In statu autem puræ naturæ, ubi concupiscentia nullam præsupponeret culpam, attribueretur DEO realiter, ut dictum; quia realiter cum ea DEUS hominem produceret: formaliter autem tribueretur ipsi imperfectioni naturæ humanæ, ut dictum de rubigine ferri. Et hoc solùm est, quod vult S. Augustinus l. 5. contra Julianum. c. 7. ubi concupiscentiam vocat malum: quod Julianus negabat, volens, eam esse donum DEI, & bonum naturæ, nec admittens, eam ortam esse ex peccato originali; hoc enim Julianus, ut patet ex illo capite, negabat.

164. Dices. Actus concupiscentiæ sunt desideria peccati: ergo sunt mali: ergo etiam ipsa, tanquam causa eorum, est mala, atque adeò non potest esse naturalis. Confir. Concupiscentia est erubescenda: ergo non est à DEO Resp. dist. ant. Actus concupiscentiæ sunt desideria peccati, per se, & formaliter, neg. ant. ma. R. P. Ant. Mayr, Theol. Tom. I.

terialiter; & per accidens, subdist. sunt desideria efficacia aut libera. neg. ant. inefficacia & non libera. om. antec. & neg. conf. Actus concupiscentiæ per se tantum tendunt in delectationem sensibilem, quæ in circumstantiis quibusdam, scilicet matrimonio, & rectæ intentionis, potest esse licita.

Quod autem, hic & nunc, delectatio illa sit contra rationem, se habet materialiter; & per accidens, ad concupiscentiam; hæc enim non inclinatur ad illa bona ut prohibita, seu reduplicativè talia, sed tantum ad specificativè talia; sive quæ prohibita sunt, & quidem tantum inmoderate, ut relinquat locum generosæ pugnæ. Quare etiam ista desideria sunt tantum physice mala, non autem moraliter in sensu strictiore, de quo supra. n. 162. videatur Haunoldus l. 2. tract. 3. n. 720. At verò in hoc statu naturæ lapsæ, cum desideria illa supponant peccatum, sunt etiam denominativè moraliter mala, ut supra. n. 163. diximus de concupiscentia.

Ad confirmationem, neg. conf. Multæ aliz actiones hominis videntur ex verecundia, quæ sunt naturales, & absque dubio fuissent in statu puræ naturæ, ut, quæ consequuntur sumptionem cibi, & potus; potest enim utique quis erubescere ob malum physicum, quale est necessitas ilarum actionum: quin etiam erubescunt illi, quibus e.g. abscissus est nasus, vel à gangræna absumptus. Adde, quod actus concupiscentiæ, etiam, quando licitè admittuntur, e.g. in matrimonio, rectè absconduntur, & nisi hoc fieret, effrons daretur scandalum.

165. Ob. 2. Non potest ab authore naturæ, ne quidem in sensu materiali, esse inclinatio ad peccatum: ergo ab ipso non potest esse concupiscentia. Confir. Est magna inordinatio in homine, si concupiscentia non subdatur rationi: sed nulla inordinatio potest esse naturalis: ergo, prob. mi. natura non potest exigere inordinatorem: ergo hæc non potest esse naturalis. Resp. dist. ant. non potest esse ab authore naturæ, inclinatio per se, & efficax ad peccatum, conc. ant. non potest esse inclinatio tantum per accidens, & duntaxat inefficax & non libera. neg. ant. & conf.

Ut jam dictum, concupiscentia tantum inclinatur ad bonum sensibile, cui per accidens est, quod sit peccatum: & quidem inclinatur tantum inefficaciter. Neque etiam DEUS, producendo naturam cum concupiscentia, intendit peccatum, ut moraliter censeri possit, per se in illud inclinare: sed potius intendit victoriam peccati. Quare, sicut ob productionem naturæ peccabilis, non censetur DEUS author peccati, ita neque ob productionem naturæ concupiscentis, debet peccati author censeri.

Ad confir. dist. ma. est inordinatio, si concupiscentia nullo modo subdatur rationi. conc. ma. si non subdatur perfecte, neg. ma. vel subdist. est inordinatio positivè talis. neg. ma. negativè talis. conc. ma. & dist. mi. inordinatio positivè talis non potest esse naturalis. om. mi. negativè talis neg. mi. & conf. Rationi, ut rectè quidam ingeniosus Recentior ait, non debetur dominium despoticum in concupiscentiam; ita; ut omnes ejus motus habeat in potestate, etiam quoad sensum: sufficit, si habeat dominium politicum, sive, ut in potestate habeat ejus motus

tus quoad consensum, ita, ut invita ad consensum trahi non possit: prius dominium fuit, ut ait S. August. citatus n. 158. gratia DEI magna.

166. Ob. 3. Natura humana per peccatum originale fuit averfa à DEO, etiam ut sine naturali: ergo perdidit jus ad media, seu vires, quibus possit DEUM, tanquam finem naturalem, consequi: atqui hoc jus non perdidit pura natura, & consequenter nec vires naturales ad consequendum DEUM, tanquam finem suum ultimum naturalem: ergo natura lapsa est debilior quoad vires naturales. Resp. 1. Suarez probat. 4. de grat. c. 8. n. 21. ait, valde probabile esse, quod peccatum originale tantum avertat naturam à DEO, ut auctore supernaturali, adeoque non minuatur vires naturales.

Sed om. primo entymemate, & subsumpto, neg. ultimam consequ. non enim ex hoc sequitur, quod natura lapsa sit debilior, sed quod sit infelicio, vel magis misera: non autem negamus, puram naturam præ lapsa, (si neutra juvetur gratia supernaturali) esse feliciorum quoad hoc, quod ipsa non habeat peccatum, nec sit invita DEO, nec ejus odio digna: insuper necdum perdidit suum finem naturalem, quem natura lapsa perdidit, & per vires suas recuperare non potest; quia non potest pro peccato satisfacere, aut alia viâ illud delere.

Si autem finis non amplius debitus est, neque sunt debite vires, ad eum consequendum, consequenter natura lapsa non amplius habet jus ad eas vires, quatenus sunt media utilia ad consequendum finem ultimum: sed tantum habet jus ad eas, quatenus sunt media utilia, & necessaria ad observandam legem naturalem, & evitandum peccatum novum actuale, ut hoc evitato, evitet etiam poenas æternas sensus, quas necdum ob originale incurrit; incurrit autem, si peccatum actuale mortale commiserit. Sic quoque vires corporis, quas etiam accepit homo, ut iis bene utendo consequatur finem ultimum, post lapsum non amplius ei debentur, tanquam utiles ad hunc finem, sed tantum tanquam utiles ad vitam temporalem agendam.

167. Hinc vires naturales, quas habet natura lapsa (si non esset in statu elevationis, neque esset adjuvata gratia supernaturali) tantum servarent ad evitanda nova peccata, & evitandas poenas æternas sensus, per observationem legis naturæ (qualemcumque tunc posset DEO exhibere) quin tamen per eam observantiam unquam recuperare posset finem suum naturalem, nisi DEUS speciali favore vellet ei peccatum condonare, & finem amissum restituere. At verò natura pura, quamvis neque ipsa posset pro peccato satisfacere, vel illud delere, tamen, quia hoc non commisit, & finem naturalem non perdidisset, non haberet opus tali recuperatione, adeoque vires ipsius, dum servarent ad observandam legem naturæ, eo ipso etiam servarent ad obtinendum finem suum ultimum: in quo puncto utique melior esset conditio puræ naturæ, quam lapsæ, essetque illa felicior ista.

Sed non ideo natura pura esset fortior; quia non haberet majores vires, ad efficiendos actus bonos, & vitanda peccata, quam haberet natura lapsa. Quod autem hi actus puram naturam juvarent, ad consequendum DEUM tanquam fi-

nem naturalem ultimum, non autem ita juvarent naturam lapsam (quia ista haberet impedimentum à se inaufibile, nempe peccatum) non probat illam esse fortiorum, sed tantum feliciorum. Addit Suarez loc. cit. n. præced. averfionem illam à DEO, ortam ex originali peccato, nil tollere de viribus naturalibus, neque augere inclinationem ad malum, nec minuere inclinationem ad bonum. Unde naturæ humanæ lapsæ per se non est difficilior, sed æque facile facere bonum, quàm sit naturæ humanæ puræ.

168. Ob. 4. Natura pura non fuit redacta sub potestatem, servitutem, & captivitatem diaboli: redacta autem est natura lapsa: ergo hæc est debilior. prob. cons. per hoc, quod natura lapsa sit sub potestate &c. diaboli, est magis exposta huius tentationibus, & auxiliis Divinis minus adjuvata; quia his magis indigna: ergo est debilior. Resp. neg. cons. ad prob. neg. ant. servitus, & captivitas sub diabolo, & ejus potestate, stat potissimum in hoc, quod homo peccator non possit, quidquam agere, per quod libertatem filiorum DEI, qua excidit, rursus recuperet, & peccati jugum à se excutiat, nisi gratia mediatoris adjuvetur: non autem stat in hoc, quod demon hominem supra vires tenet.

Dein natura lapsa ratione peccati est quidem magis indigna auxilio Divino, quàm pura; non tamen sequitur, hanc fore magis adjuvandam. Defacto certe DEUS naturam lapsam prævenit gratia supernaturali copiosissima: quis scit, quid facturus fuisset, si eam voluisset spoliare elevatione superna, & dejicere ad statum naturalem? potuisset enim etiam tunc ei, licet indigniori, tamen tribuere gratiam æqualem illi, quam dedisset naturæ puræ, si eam condidisset. Huc spectat, quod ait Suarez proleg. 4. de grat. c. 9. n. 17. incertum esse, an & quomodo, fortius, an levius demon hominem in statu puræ naturæ tentasset; quia ultra permissionem DEI nil potuisset: quantum autem iste permisurus fuisset, omnino esse incertum.

169. Ob. 5. Homo lapsus à SS. Patribus comparatur descendenti in Jericho, qui incidit in latrones, à quibus fuit spoliatus, nudatus, vulneratus, & semivivus relictus. Luc. 10. v. 30. per quod juxta communem interpretationem indicatur, quod sit spoliatus, & nudatus bonis supernaturalibus: & relictus semivivus; hoc est, impotens servare vitam spiritus; quia impotens servare totam legem naturæ: atqui natura pura non esset ita vulnerata, aut tantum semiviva: ergo lapsa est debilior.

Resp. neg. cons. Ex his non probatur, natura lapsa esse debilior, quàm pura, sed tantum debilior, quàm integra, qualis prius fuit; nam ista omnia tantum significant, naturam lapsam privatam fuisse donis supernaturalibus, quibus quidem non fuit spoliata, aut nudata natura pura; cum ea nunquam habuerit: fuisset tamen æque iis nuda, seu carens. Unde, etiam si natura lapsa (si consideretur sine gratia) vix, ac ne vix quidem, modò habeat dimidium illius vires, quam habuit prius in statu naturæ integræ, tamen habet adhuc tantam, quantam haberet natura pura; eum ipsi naturalia sint relictæ.

170. Dices, Salkem natura lapsa vulnera-

ta est in naturalibus, ut communissime docent: ergo perdidit aliquid de naturaliter debitis. Resp. neg. cons. S. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3. in corp. clare docet, vulnerationem istam factam esse per subtractionem justitiæ originalis, per quam subtractionem potentia inferiores remanserunt destitutæ suo ordine, & hanc destitutionem esse vulnerationem: ergo ordo ille potentiarum, qui habebatur in statu justitiæ originalis, & naturæ integræ, non fuit illis potentia naturaliter debitus, adeoque vulneratio ista non fuit subtractio boni naturaliter debiti, sed destitutio, vel privatio justitiæ originalis.

Prosequitur autem Eximius Doctor explanationem huius metaphoræ proleg. 4. de grat. c. 8. n. 19. & ait, vulnerationem alium non esse, quàm divisionem continui: cum itaque prius, præsentem adhuc justitiæ originali, appetitus hominis, præsertim rationalis, & concupiscibilis, habuerint inter se unionem, & pacem: post lapsum autem, perdita justitiæ originali, unio illa sit dissoluta, hinc factam esse vulnerationem in naturalibus, hoc est, in istis appetitibus. Addit, quod, quamvis in natura pura appetitus hi æque non essent uniti, sed dissoluti, tamen non futura fuisset vulneratio; quia prius non fuisset datum continuum, quod tamen præsupponit vulneratio: sicut supra diximus, quod, etsi natura pura caruisset donis supernaturalibus, tamen ea carentia non fuisset poena; quia non præcessisset culpa, nec spoliatio; quia prius illa dona non fuissent habita.

Hac ratione etiam solvitur, quod ex Averrofrano II. c. 25. & Tridentino sess. 6. c. 1. objicitur, scilicet, arbitrium liberum fuisse viribus attenuatum & inclinatum. nempe arbitrium liberum post lapsum factum est minus potens, quàm fuerit in Adamo (de quo vide iterum n. 116. & 154.) & inclinatum, non positive ad malum, sed negative, hoc est, privatum illis supernaturalibus fulcris, quibus subtractis proprio pondere inclinaretur. Hæc autem inclinatio, & attenuatio, quamvis non danda fuisset in pura natura, quatenus dicit privationem; cum tunc non præcessisset habitus, seu existentia donorum supernaturalium, tamen danda fuisset, quatenus dicit minorem potentiam, quàm fuerit in statu naturæ integræ, & aliquam inclinationem, seu privationem ad malum.

ARTICULUS XV.

Solvitur ultima, & difficilior Obiectio.

171. Ob. 6. Natura pura habuisset ex viribus naturalibus potentiam moralem servandi totam legem naturæ: sed hanc non habet natura lapsa: ergo hæc est debilior. prob. ma. si natura pura non habuisset illam potentiam moralem, fuisset moraliter necessitata ad perdendum suum ultimum finem, & incurrendas poenas æternas inferni: hoc non potest admitti: ergo. prob. mi. non videtur ullo modo conveniens bonitati Divinæ, producere creaturam moraliter necessitatam ad incurrendos ignes æternos: nec sapien-

tia Divinæ, producere creaturam tam malè constitutam, sive moraliter ineptam, ad suum ultimum finem consequendum: nec sanctitati Divinæ, producere creaturam ex se moraliter necessitatam ad mortaliter peccandum (aliud est, quòd in natura jam prius lapsa, possit talis necessitas oriri) ergo.

Resp. 1. Ex hoc ipso, quòd adstruatur talis necessitas in statu naturæ lapsæ, quidam volunt probare, eam debere esse naturalem, adeoque etiam fore eandem in statu puræ naturæ; nam ajunt, & valde probabiliter, quòd, sicut juxta communem Theologorum peccatum originale non potest puniri poenâ sensus, seu ignis infernalis, ita videatur, & neque posse idem puniri poenâ moralis necessitatis ad eum ignem: certè videretur DEUS durius agere cum hominibus, quàm, si omnes in poenam peccati originalis vellet nasci cæcos; quia, licet hæc ratio incurrerent moralem necessitatem perdendæ sapientissimè vitæ temporalis, non ita incurrerent propterea necessitatem, vel periculum perdendæ vitæ æternæ.

172. Resp. 2. Etsi quidam putaverint, sufficere, si naturæ puræ, quamvis ab omni peccato liberæ, tribueretur tantum libertas physica, ad servandam totam legem, & negaverint ei omnem libertatem moralem, tamen videtur mihi ex probationibus ejusdem majoris efficaciter probari oppositum, quod longè plures auctores tuerentur, scilicet tribuendam naturæ puræ aliquam libertatem, seu potentiam moralem. In quo autem ista stet, & an esset intrinseca naturæ puræ, vel saltem debita: an verò ei tantum esset collata, ex speciali DEI favore, naturæ per se indebita: item an eadem potentia moralis danda etiam fuisset in statu naturæ lapsæ, si non esset elevata, aut supernaturali gratia instructa, necdum est satis exploratum.

173. Aliqui volunt cum Pallavicino, potentiam moralem, servandi totam legem, non esse naturalem, vel naturaliter debitam naturæ etiam puræ, adeoque hanc esse infrascriptæ æque debilem, ac lapsam: non tamen ideo malè fore constitutam; quia, licet natura pura non posset, viribus sibi debitis consequi finem ultimum, tamen semper haberet spem optimam, recipiendorum ab auctore suo auxiliorum, quibus adjuvata finem suum moraliter posset obtinere. Sic plantarum, & segetum incrementum, non est malè constitutum, aut ordinatum, etsi indigeat extrinseco favore, hoc est, hominis colentis industria. Sic spes recipiendi alimenta à piis hominibus, liberaliter dare solitis, facit bonum statum egentium.

Sed respondetur. Vel isti favores exiguntur ab ipsa natura pura, ita, ut, si non conferrentur, fieret ipsi violentia, sicut fieret infanti educando, si negarentur necessaria ejus educationi, vel segetibus, si negligerentur, vel etiam, si pluvia non caderet, aut sol nunquam splenderet: (si tamen segetes culturâ illâ moraliter indigebant) & isti favores sunt naturæ puræ naturaliter debiti. Vel non ita exiguntur favores hi, & natura est malè constituta. Quod spectat ad egenes, vel mendicos, istis quidem hæc spes conferri statum secundum quid bonum, at non simpliciter; si enim non possent ullo alio modo se juvare;

vare, & deberent sola spe incerta niti, non essent, saltem intrinsecè bene constituti: & ita multi mendici satis miserè constituti sunt in ordine ad vitam temporalem.

174. Alii volunt, potentiam hanc moralem non esse quidem debitam naturæ puræ, tamen ipsi semper conferendam, utpote debitam benignitati Divinæ, quam non deceat, naturam, omnibus peccati immunem, relinquere cum sola potentia physica, & impotentia morali, ad consequendum suum finem; sicut enim e. g. si DEUS aliquid promittat homini, non tamen conferat ei jus, homo cerò rem illam accipiet, non tanquam debitam sibi (quia non habet jus, ex quo eam exigat) sed tanquam debitam fidelitati Divinæ, cui debetur adimpletio promissionis: sic, dicunt hi auctores, potentia ista moralis dabitur homini, in statu puræ naturæ, non quia ipsi debetur; cum ei tantum debeatur potentia physica, sed quia debetur bonitati, ac sapientiæ Divinæ, quæ exigunt, creaturam non moraliter necessitari, ad perdendum suum finem, & incurrandam æternam pœnam sensûs.

Verùm, licet hæc congruè dicantur, quando talis favor provenit à perfectione, seu actione libera DEI, e. g. à promissione gratuita; tunc enim eo ipso, quòd hæc actio, seu promissio, sit favor, & gratia, etiam subsequens alter favor erit gratia pro gratia, ut à S. Augustino sæpe nominatur. At, quando collatio talis favoris inferitur, vel oritur ex perfectione DEI necessaria, tunc is non videtur amplius gratia; quia gratia debet esse effectus liberalitatis; cum tamen in hoc casu detur in DEO necessitas, non liberalitas; hinc talis rei collatio est debita ipsi naturæ, ex suppositione, quòd natura à DEO liberè producatur: saltem non erit gratia distincta à gratia creationis, vel productionis; quia nihil habet distinctæ liberalitatis.

Dein, illud, sine quo natura esset pessimè constituta, in ordinè ad ultimum finem, est debitum ipsi naturæ: atqui sine ea potentia morali esset natura pessimè constituta: ergo est debita. ma. videtur per se clara, & probatur etiam ex eo, quòd aliàs non repugnaret bonitati Divinæ, negare naturæ hanc potentiam, ei non debitam, sed tantum ex gratia conferendam. Et cur non dicamus, nullam perfectionem etiam naturalem, præter essentielles, deberi illi naturæ, etiam rationali, & innocenti: sed eas deberi tantum perfectionibus Divinis necessariis; quia eodem modo possemus de iis discurre? hoc autem esse valde novum, & paradoxum.

175. Itaque alii probabilius volunt, quòd naturæ puræ debita fuisset potentia moralis observandi totam legem naturalem, & sic consequendi suum finem, non absolute, sed conditionatè; quæ tamen conditio non impleta fuisset sine gratia DEI, erätque ista: si homo in statu puræ naturæ fecisset, quantum in se fuisset: quod sic explicari potest. Homo in statu puræ naturæ habuisset potentiam moralem, saltem aliquamdiu servandi legem naturalem, seu omitendi, quæ hæc lex prohibet, & faciendi, quæ præcipit, inter quæ vel maximè est cultus aliquis DEI (cujus notitia etiam tunc facile habenda fuisset ex consideratione creaturarum) & oratio humilis ad DEUM fusa.

Si jam homo, quamvis moraliter potens, tamen ea non fecisset, sed DEUM offendisset, hoc ipso ex culpa propria demeritus fuisset auxilia ulteriòra: nec jam DEO, sed sibi, adscribere debuisset impotentiam moralem consequentem, ad observandam totam legem: nec eo casu naturæ puræ, & innocenti, sed jam lapsæ, & peccatrici, deforet potentia moralis, quod facile potest capi. Si autem homo servasset aliquamdiu legem naturæ, & DEUM non offendisset, sed coluisset, & invocasset, prout moraliter potuisset, DEUS ipsi dedisset semper ulteriora auxilia, quibus moraliter potuisset ulterius, & diutius servare legem naturæ, & sic tandem per totam vitam. Et sub hæc conditione debita fuisset puræ naturæ ea potentia moralis.

176. Quia tamen adimpletio hujus conditionis fuisset gratia, ideo etiam ipsa potentia moralis, ad totam legem observandam, atque adeò consequendum ultimum finem, potest dici gratia, sicut scilicet dicitur vita æterna ab Apostolo gratia: ad Rom. 6. v. 2. Gratia autem DEI vita æterna: quia, licet vita æterna debeatur meritis creaturæ rationalis, juxta plures etiam ex justitia, tamen, quia merita non habentur, nisi ex gratia, rectè etiam ipsa vita æterna dicitur gratia.

Quòd autem adimpletio conditionis illius supra positæ, fuerit ex gratia, probatur. Non facturus esset homo, quantum in se est, etiam in statu puræ naturæ, nisi tunc auxiliis, naturalibus quidem, sed tamen congruis, præveniretur: atqui homini debebantur tantum auxilia sufficientia, non autem congrua, & ista fuissent favor indebitus, seu gratia, quamvis ordinis adhuc naturalis: ergo illa conditio non fuisset implenda sine gratia, & consequenter adimpletio illius fuisset ex gratia.

177. Quia autem sub eadem conditione, si scilicet homo faciat, quantum potest, debetur etiam naturæ lapsæ aliqua talis potentia moralis, hinc natura lapsa non est debiliòr naturæ puræ. Discrimen tamen magnum est in hoc, quòd, cum à natura pura conditio hæc fuisset implenda per gratiam naturalem, ipsa non recepisset ulteriora auxilia, nisi naturalia. Et idem potuisset etiam fieri in statu naturæ lapsæ, si DEUS noluisse eam redimi per Christum, nec tamen voluisset, eam statim damnare, sed in pœnam ex statu elevationis ad naturalem dejicere: quo casu potuisset natura lapsa viribus naturalibus acquirere potentiam moralem, non quidem assequendi suum finem (quia non potuisset se liberare à peccato, quod eam semper impediret à consequendo DEO) sed tamen vitandi peccata gravia actualia, & pœnam sensûs æternam ut supra dictum.

At nunc, quando misericordissimus DEUS voluit, hominem lapsum relinquere in statu elevationis, si ipse faciat, quantum est in se, juxta multos nunquam id facit viribus naturæ, sed gratiæ, vel, si id, ut alii volunt, faciat ex viribus naturalibus (de qua re actum à n. 18.) accipit deo ex gratia DEI gratuito collata auxilia supernaturalia, quibus moraliter non tantum legem implere, aut nova peccata vitare, sed etiam à peccato priori liberari, imò DEUM tanquam finem

supernaturalem consequi possit: quæ tamen potentia, moralis supernaturalis, naturæ lapsæ neque conditionatè est debita.

178. Difficultas aliqua oritur circa hanc solutionem hujus objectionis ex Suarez l. 1. de gratia c. 13. per totum, ubi fusè contendit, aliquas cogitationes naturales congruas esse debitas naturæ rationali, ex suppositione, quòd producatur, & consequenter, non esse gratias distinctas à beneficio creationis; cum enim debita sint naturæ rationali cogitationes, non determinatè incongruæ (hoc enim dicere esset valde absurdum, ut cuique consideranti facile patet) sed saltem indifferentes, ad congruitatem, vel incongruitatem, ait hic auctor, esse moraliter impossibile, ut, in tanta multitudine hominum, non aliqui cooperentur, adeoque sint aliquæ cogitationes congruæ, eaq; simul debita humana naturæ.

Sed, quidquid de hoc sit, an aliquæ cogitationes congruæ sint debita humana naturæ in specie, adeoque etiam in individuo; quia, ut urget Suarez, humana natura eas cogitationes, non nisi in aliquo individuo, accipere potest; tamen in primis est aliquod beneficium, quòd huic individuo præ altero dentur, ut agnoscat ipse Eximius, Dein non quælibet cogitatio congrua est debita, ut iterum fatetur Suarez cit. lib. c. 14. n. 7. § 2. & præsertim non est debita, ut idem Eximius n. 8. asserit, continuo cogitationum congruarum, & quidem tamdiu durans, donec quis faciat, quantum est in se; hoc enim non fit per unum tantum, aut alterum actum, ut dictum superius n. 80. adeoque impletio huius conditionis potest semper dici esse ex gratia.

179. Juxta hanc explicationem, quam præ aliis verosimilem judico. Resp. ad objectionem, n. 171. positam dist. ma. natura pura habuisset eam potestatem moralem, sibi absolute debitam, ante impletam omnem conditionem. neg. ma. conditionatè debitam, si nempe implevisset prius conditionem. subdist. habuisset ita, ut conditionem explevisset sine gratia. neg. ma. ut eam implevisset cum, & ex gratia, ita, ut adimpletio conditionis fuisset gratia, & consequenter potestas moralis, absolute collata, fuisset gratia pro gratia. conc. ma. & dist. proportionaliter mi. neg. conf. ad prob. ma. dist. iterum ma. si natura pura non habuisset illam potentiam moralem, neque absolute, neque conditionatè debitam, tunc fuisset moraliter necessitata ad perdendum suum finem. conc. ma. si eam tantum non habuisset absolute debitam, sed tamen habuisset conditionatè debitam. neg. ma. & conc. mi. neg. conf. ad prob. mi. conc. totum. Si natura pura habuisset eam potentiam moralem, conditionatè debitam, & quidem ita, ut conditionem potuisset moraliter implere, potuisset moralem necessitatem incurrendi pœnas æternas sensûs, & perdendi ultimum finem evitare.

180. Ubi adhuc notandum r. non hic dici, quòd sine cogitatione congrua non possit moraliter impleri conditio, sed tantum, quòd non impleatur: sicut non dicitur, quòd sine gratia supernaturali congrua, seu prævisa per scientiam mediam conjungenda cum consensu, non possit in hoc statu elevationis fieri opus superna-

turaliter bonum (ad hoc enim, ut quis possit, opus est tantum gratiæ sufficiente) sed tantum dicitur, quòd tale opus actu non fiat.

Notandum 2. neque dici, quòd homini, in statu naturæ puræ, fuisset debita tota potentia moralis proxima ad faciendum, quòd est in se; cum enim, ut dictum est, facere, quòd est in se, requirat plura, absolute sufficit dicere, quòd homini in eo statu debita fuisset potentia moralis proxima ad aliquid faciendum, quòd si fecisset, accepisset potentiam novam proximam ad plus faciendum, donec impleretur totum, quòd requireretur ad hoc, ut dici posset, fecisse totum, quòd est in se. Et sic potest etiam dici, quòd homo habuisset primò absolute potentiam moralem proximam ad faciendi: potentiam autem moralem faciendi totum, quòd est in se, habuisset conditionatè, si scilicet primò fecisset, quòd moraliter potuisset.

Ex quo etiam intelligi potest, quòd conditionatè habere potentiam moralem observandi totam legem sit idem, ac eam potentiam habere (ut alii loquuntur) remotè, seu mediatè, quantum nempe habetur medium eam acquirendi. Sic sæpe dicuntur homines, etiam in statu elevationis, habere gratias, non immediate, & proximè, sed mediatè, & remotè, sufficientes, quantum habent gratiam immediate sufficientem ad orandum, & si oraverint, accipient gratiam immediate sufficientem, e. g. ad vincendam gravem tentationem.

QUESTIO III.

De Existentiâ Gratiæ Actualis.

ARTICULUS I.

An existat Gratia Sufficiens.

181. Diximus n. 14. gratiam sufficientem, vel accipi posse genericè, seu pro omni gratia, quæ sufficit ad operandum: & sic etiam gratia efficax est sufficiens: vel posse accipi pro pure sufficiente: & sic differt à gratia efficaci; nam gratia efficax, prout communiter intelligitur, scilicet actu efficiens, est illa, cum qua non tantum possumus, sed actu operamur, quæque est conjuncta cum effectu, eumque infallibiliter posse trahit: non quidem necessitate antecedenti, & impedibili, qualem Janfenius, & ejus affectu adstruunt, sed tantum necessitate consequente, & impedibili. Et hanc in nostris principis dicimus, esse eam gratiam, quæ post scientiam mediam de futuro consensu, ex benevoluntate DEI prædefinientis affectu, confertur, adeoque hæc gratia accepta involvit tria, nempe entitatem gratiæ, seu illustrationis, vel inspirationis, & scientiam mediam de consensu, ac benevoluntatem DEI prædefinientis decretum: & in hoc sensu deinceps semper loquemur, quando gratiam efficacem nominabimus.

182. At verò gratia pure sufficiens est, cum qua quidem operari possumus, sed ex nostra culpa

culpa operari nolumus; hinc ista, quidditative accepta, involvit entitatem gratiæ, & scientiam mediæ de consensu, ac decretum permissivum diffusivum: cum autem, & scientia mediæ, & decretum, impediabilia sint, libertati non obstant. Quodsi hæc gratia intelligatur in actu secundo purè sufficiens, seu inefficax, involvit etiam diffusivum, qui est ex nostra negligentia: imò etiam scientia mediæ suo modo consequitur nostrum defectum, seu negligentiam, aut dissensum conditionatè futurum.

Hinc gratia purè sufficiens ut talis, seu quidditative sumpta, non est à DEO; quia non est à DEO nostra negligentia, resistentia, & malitia: sed à DEO est tantum gratia purè sufficiens denominativè sumpta, sive illa illustratio intellectus, vel inspiratio voluntatis, quæ in se sufficiens est: at redditur inefficax à nostra voluntate, culpabiliter ei non cooperante. Et de hac modo queritur, sive queritur, an detur aliquando talis gratia; negat enim eam Janfenius cum affectis, & vult, in statu naturæ lapsæ nullam talem dari, sed tantum dari gratias, ut ait, victrices, hoc est, effectum post se necessariò trahentes.

183. Dico cum omnibus Catholicis. Datur gratia sufficiens. Probat 1. ex Scripturis. *Matth. 20. v. 16.* dicitur, *Multi enim sunt vocati pauci vero electi*: ergo datur vocatio, seu gratia, cui multo non consentiunt. Iterum *Joan. 1. v. 6.* *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: quem locum S. August. *l. 1. de Genes. contr. Manich. c. 3.* & alii PP. Chrysostomus, Cyrillus, Theophilus apud Cornelium in hunc locum, aliique scriptores exponunt de lumine gratiæ, illustrantis omnem hominem, qui suâ culpâ lucem non excludit. Iterum *Matth. 11. v. 21.* reprehendit Dominus Corozaitas, & Bethsaitas: *Ve tibi Corozaim, ve tibi Bethsaida; quia, si in Tyro, & Sidone, factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis* &c. ergo habuerunt gratiam sufficientem, cui non consenserunt; aliàs cur reprehensibiles essent?

Rursum *Joan. 15. v. 22.* *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* *Sap. 1. Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas negavistis.* *Actorum 7. v. 51.* *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* *2. Cor. 6. v. 1.* *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis* &c. quæ manifestissimè docent, homines aliquando gratiæ non consentire. Similia passim occurrunt: imò huc etiam faciunt omnes S. Scripturæ textus, quibus adstruitur libertas humana, aut peccatores ob peccata reprehenduntur; quia sine gratia non potuissent ea evitare.

184. Prob. conclusio 2. ex definitionibus Pontificum. Inprimis Innocentius X. damnavit hanc Janfenii propositionem 2. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Ex qua damnatione manifestè inferitur, gratiæ, seu inspiratiōi interiori, aliquando resisti, adeoque eam tantum esse sufficientem. Idem colligitur ex quarta, quam in ferendis dabimus. Cum tamen Janfenista non acquiescerent huic damnationi, damnavit iterum Alex. VIII. hanc propositionem 6. *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis,*

quam perniciofa est, sic, ut proinde merito possim petere: *A gratia sufficiente libera nos Domine.* Idem Pontifex damnavit hanc. 5. *Pagani, Judæi, Hæretici, a'ique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè asseres, in illis esse voluntatem nudam, & incernam, sine omni gratia sufficienti.* Clemens autem XI. inter propositiones Quæneli plures damnavit huc spectantes, quales maximè sunt 2, 3, 4, 6, aliæque plures, quas longum esset enumerare.

185. Prob. conclusio 3. ex Conciliis, quæ docent, gratiæ resisti posse, & actu resisti, adeoque non omnem esse antonomastice efficacem. Senonense decreto. *14. ait.* *Nec denique tale sit huiusmodi trahentis DEI auxilium, cui resisti non possit; quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt:* & addit, frustra S. Stephanum Judæos, & Paulum Thessalonicenses reprehensurum fuisse, si Divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. *Trid. sess. 6. c. 5.* de homine, & gratia ait: *Quippe qui illam se abijcere potest, & can. 4. anathematizat dicentem, liberum arbitrium nihil gratiæ cooperari, neque posse dissentire, si velit.* Eadem veritas habetur clarissimè ex omnibus SS. Patribus, qui hominem peccantem reprehendunt, vel libertatem hominis adstruunt: nec opus est, eorum textibus paginam implere in re clara.

ARTICULUS II.

Quenam de hac materia sit mens S. Augustini.

186. CUM nostri hac in conclusione adversarii, Janfeniani, vel maximè contendant, à se stare S. Augustinum, adducendi sunt aliquot textus huius S. Doctoris, ex quibus cuivis patebit, ejus mentem quoad hanc controversiam, omnino cum nostra conclusione convenire. Itaque *l. 83. quæst. q. 68. in textum Matth. 22. v. 14.* *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*: sic ait. *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dixit in Evangelio preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, quæ venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere. sed tantum sibi; quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate*: ergo, qui vocati venire potuerunt, & noluerunt, habuerunt gratiam, cui resistere: adeoque purè sufficientem, quam neglexerunt: & hinc S. Pater post pauca subjungit: *Inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit.*

Rursum *l. 1. de Genes. contra Manichæos c. 3.* in illud *Joan. 1. v. 9.* *Illuminat omnem hominem* &c. *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculis percipit: sed pura corda eorum, quæ DEO credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium, se ad ejus præcepta servanda conver-*

Quenam de hac materia sit mens S. Augustini.

tunt: quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat, venientem in hunc mundum. Ecce dicit, omnes posse, si velint: & tamen est evidens, non omnes id facere; ergo plures habent tantum gratiam sufficientem. Iterum de dono perseverantiæ. *c. 9. circa illum textum: Ve tibi Corozaim* &c. ait. *Facile est quippe infidelitatem accusamus Judæorum, de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt.*

Idem S. Doctor *l. 1. Retract. c. 22. ait.* *In potestate quippe hominis est, mutare in melius voluntatem: sed ea potestas nulla est, nisi à DEO detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios DEI fieri: atqui potestas, ut quis fiat filius DEI, est per gratiam: ergo in potestate hominis est, uti gratiæ, vel non uti, cum autem homo sapius eam non utatur, sæpe manet gratia tantum sufficiens. Idem *l. 3. de lib. arb. c. 16.* sic habet: *Ex eo igitur, quod non accepit, nullus reus est: ex eo vero, quod non facit, quod debet, justè reus est. Debet autem, si accepit, & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem.* Iterum *l. 1. ad Simplicianum q. 2.* occasione illius textus Apostoli: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI: ad Rom. 9. v. 16.* sic ait. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit: sed etsi voluisset, & cucurrisset, DEI adiutorio pervenisset, qui ei etiam velle, & currere, vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Ecce perditio miseri huius hominis attribuitur ejus nolitioni, & contemptui vocationis, quam si sequi voluisset, etiam pervenisset: adeoque vocatio auxilium sufficientem fuit. Rursum idem S. Pater *l. 1. de prædest. SS. c. 10.* ait: *Vocat enim DEUS prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione, & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes, quibus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinguit Apostolus.* Ecce geminam vocationem, unam electorum, quam ex Apostolo ait esse secundum propositum: alteram sufficientem eorum, qui noluerunt venire. Iterum *l. de corr. & grat. c. 7.* *Quicumque enim electi, sine dubio etiam vocati; non autem quicumque vocati, consequenter electi.* Nec dicas, vocatos saltem accepisse auxilium efficax ad id, ad quod fuere vocati; nam S. Aug. hinc, & locis ante citatis ait, vocatos fuisse ad cœnam, ad nuptias agni, ad regnum suum, seu gaudia æterna, quæ consecuti non sunt.*

187. Prob. conclusio 4. rationibus, Primò. Si non datur gratia sufficiens, vel indifferens, sed omnis est efficax, seu trahens necessariò post se consensum, non datur libertas: sed hoc (licet admittat Janfenius, quoad libertatem à necessitate, quamvis non à coactione) est falsum, ut suppono ex *tr. de aet. hum. a. n. 94.* ergo, *l. 1. prob. ma. si datur gratia intrinsecè efficax, qualem statuit Janfenius, actus necessariò fit: si ista non datur, neque datur alia sufficiens, tunc actus fieri non potest: ergo non datur libertas.*

Secundò. Si non datur gratia sufficiens, DEUS non datur omnes homines salvos fieri: sed hoc est falsissimum: ergo, mi. est clara; nam DEUM velle omnes homines salvos fieri, est doctrina Apostoli, & Ecclesiæ, id quod fusè proba-

tum est tract. de DEO à n. 615, quin opposita doctrina damnata est ab Innocentio X. in propositione 5. Janfenii. prob. ma. si DEUS non omnibus dat gratiam sufficientem, sine qua salvi esse non possunt, tunc non dat media ad salutem, quæ ipse debet dare; quia non possunt aliunde haberi: ergo non potest prudenter intendere, tantam finem earum salutem, seu hanc seriò velle. Tertio. Sic DEUS esset causa peccatorum, & imposuisset homini præcepta impossibilia: sed hæc per se sunt absurdissima, & Calvinò, ac Lutherò digna asserta: ergo, ma. patet consideranti; quia homo non esset culpabilis in eo, quod evitare non potuisset: sed potius DEUS, qui ea præcepta impossibilia, imposuisset, nec tamen (quod ex parte sua necessariò requirebatur) ad ea implenda juvare voluisset.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

188. O B. I. S. Augustinus negat omnem gratiam, quæ non sit efficax, seu victrix: ergo nulla datur gratia purè sufficiens. prob. ant. pluribus textibus S. Doctoris. Sic *serm. 43. de verbis Domini c. 7.* ait: *Agis, si agaris, & bene agis, si à bono agaris.* *l. 2. contr. duas episc. Pelagianorum ad Bonifac. t. 9.* *Homo preparat cor: non tamen sine adiutorio DEI, qui tangit cor, homo preparat cor.* *l. 1. de prædestinatione Sanctor. c. 8.* *Si enim omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit, profectò omnis, qui non venit, non audit à Patre, nec didicit: ergo.*

Résp. vix non debere dici infelicitatem S. Augustini, quod hæretici tam pertinaciter contendant, eum à suis partibus stare; non enim minus Calvinus, & Lutherus, quam Janfenista eum ubique pro se stare jactant. sic Lutherus *l. de servo arbitrio*, ait: *Augustinus, quem præteris, totus meus est.* Calvinus *in l. 5. Pigib. Doctrinæ nostræ nullum est caput, quod non propè ad verbum sapius apud Augustinum occurrat.* vide Bellar. *tom. 2. contr. l. 4. de notis Ecclesiæ. e. 9.* In forma, neg. ant. cujus falsitas manifestè patet ex textibus supra allatis, ad prob. concessis textibus, neg. conf. Sit, quòd illis locis S. Augustinus agat de gratia efficaci, hoc est, conjuncta eum actu, eumque infallibiliter, non tamèn necessitate Janfeniana, inferente: sufficit nobis, quòd alibi agat de gratia sufficiente, sicut eum agere, satis jam ostensum est.

189. Omitto etiam, quòd hic loci in primo textu per *agi* intelligatur præveniri gratia efficaci; ex hoc enim textu nos gratiam sufficientem non probamus, neque efficacem ab Augustino sapius assertam negamus; utramque enim adstruit. De verbo *agi*, de quo hic textus meminit, videri etiam potest *suprà n. 21.* quamvis etiam non negem, per *agi* S. Doctorem aliquando intelligi, juvari gratia efficaci; nam ita intelligitur illud *l. de corr. & gratia c. 2.* ubi exponens illud *ad Rom. 8. v. 14.* *Quicumque enim spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI*: sic scribit: *Intelligant, si filii DEI sunt, spiritu DEI se agi, ut, quòd agendum est, agant, & cum egerint, illi, à quo*

quo aguntur, gratias agant; aguntur enim, ut agant, non, ut ipsi nihil agant.

190. Secundus textus, etiam plus non probat, quam quod si DEUS efficaci gratia cor tangat, illud homo præparet, vel gratia illi consentiat. Tertius textus refertur ad illud Christi Domini. *Joan. 6. v. 45. Omnis, qui auditur a Patre, & didicit, venit ad me.* In quem locum Theophylactus apud Maldonatum ait, *audire*, esse tantum doctrinam percipere, *discere* autem esse credere, vel doctrinam amplecti, & hinc non frustra Christum utrumque verbum conjunxisse. Quare *audire* hic sumitur in secundo sensu, non in primo, de quibus n. 19. Vult igitur S. Augustinus tantum dicere, eum, qui verbum DEI audit, eique credit, venire ad Christum: eum autem qui non venit non discere, hoc est, non credere, adeoque gratiam non habuisse congruam, seu efficacem.

Nec te moveat, quod S. Augustinus dicat: *Nec audivit, nec didicit*, quasi diceret: *Nec habuit gratiam efficacem, nec sufficientem*; nam in primis recte dicitur, aliquos non audivisse; quia non habuerunt vocationem immediatam ad fidem, sed tantum auxilia mediata, ut potuerint facere, quod est in se: dein illa particula *nec* non sumitur à S. Augustino ibi ita rigorose, ut excludat utrumque divisim sed tantum collectivè: quasi diceret: utrumque non habuit collectivè; aliàs illius illatio planè non esset legitima; quia vellet inferre ex uno, oppositum ejus, quod Christus tantum insulit ex duobus simul. Hoc confirmatur ex eo, quod statim subjungat illis verbis ista: *Nam si audisset, & didicisset, veniret: & semper deinceps utrumque conjungat.*

191. Ob. 2. S. Augustinus in *Enchirid. c. 32.* exponens illud Apostoli ad *Rom. 9. v. 16. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI: sic ait: Reflat, ut propterea rectè dictum intelligatur: non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI, ut totum DEO datur: atqui juxta nos non totum daretur DEO, sed pars libero arbitrio, quod gratia sufficienti liberè consentiret: atque adeo verum etiam esset, ut ibidem habet S. Doctor, *Non miserentis est DEI, sed volentis est hominis; quia id misericordiam DEI sola non implet: quod, ut iterum eo loco ait S. Augustinus, nullus Christianus dicere audebit.* Resp. 1. Videantur dicta à n. 399. de DEO, ubi ex S. Augustino l. 1. ad *Simplicianum*, q. 2. attulimus expositionem hujus textus Apostoli, prorsus congruentem cum nostris principiis de scientia media, quam non opus est hic repetere.*

Resp. 2. S. Augustinum loco objecto non velle, actus nostros liberos, & salutares (aliud est de indeliberatis, quos DEUS facit in nobis sine nobis) tribuendos esse DEO, tanquam soli agentibus; nam ex Trident. *sess. 6. c. 5.* definitum habetur, quod *neque homo ipse nihil omnino agat: & can. 4. sess. ejusdem* damnatur oppositum asserens: atque hoc indicat etiam S. Paulus 1. ad *Cor. 15. v. 10.* scribens: *Abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Sed & S. Augustinus idem aperte docet. l. de *prædest. SS. c. 3.* ajens: *Utrumque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis: & utrumque tamen datum est, per spiritum fidei, &*

charitatis: & infra: Utrumque ipse est; quia ipse præparat voluntatem: & utrumque nostrum; quia non fit, nisi volentibus nobis. Quare ex S. Augustino non quidem nos omnino nihil agimus in bono opere: sed tamen totum simpliciter est attribuendum DEO, tanquam causa plusquam primariæ, respectu cuius nos modicissimum facimus. Hoc probatur ex ipso textu S. Pauli 1. *Cor. 15.* in quo primariam vim agendi attribuit gratiæ, sibi autem instrumentalem, & multo minorem.

192. Et utique illi causæ totum simpliciter tribui debet, quæ est primaria, non quomodocunque, sed ita, ut det actum primum proximum, sine quo nihil fieri potest: insuper suadeat, hortetur, præcipiat, removeat impedimenta, physicè cooperetur, illustret intellectum, & inflammer interiori voluntatem, & quidem eo modo, quem congruum fore prævidit: idque totum faciat ex intentione boni operis. Certè casus hominis bene operantis fermè se habet, ac si quis dives pauperi donet vestem, eumque juvet, illam induere; licet enim pauper etiam cooperetur se induendo (cum posset nolle vestem accipere, vel eam induere) licet forte etiam pauper, uno, vel altero ductu actus, in quo tamen faciendo à divite fuit adjutus, modicum quid fecerit, in tali casu tamen, quod pauper peius sit, totum tribuitur diviti, & pauper non habet, quod non acceperit, nec potest in se gloriarì, sed debet in divitis benignitate. Pariter, quando nos induimur quasi veste gratiæ, & meriti, licet etiam modicum quid faciamus, cum adjutorio DEI, & cooperemur DEO nos induenti, totum tamen debet DEO adscribi: nec habemus, quod non accepimus, nec possumus in nobis, sed debemus in DEO gloriarì.

Neque etiam gratiæ cooperando nosmet ipsos discernimus, sed DEUS discernit nos: discretio enim dilecti à reprobo stat in benevolentia DEI voluntate, qua misericorditer decernit electo dare, vel actu dat auxilium, quod videt conjungendum cum consensu, dum reprobo decernit dare, vel actu dat aliud, quod videt quidem posse conjungi, sed non conjungendum cum consensu. In forma, neg. mi. quia, ut explicavimus, totum DEO datur ad mentem S. Augustini. Cæterum addo, hoc argumento non bene impugnari gratiam purè sufficientem; quia quando hæc datur, non datur actus, qui debeat totus DEO dari, & liberum arbitrium non agit. Sed nempe debent corradì undique S. Augustini textus, ut numerus saltem accedat, quando non potest sperari pondus accessurum.

193. Ob. 3. S. Augustinus l. de *corr. & grat. c. 12.* ait: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humane, ut Divinâ gratiâ, indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur:* ergo omnis gratia, quæ datur in statu naturæ lapsæ, seu infirmæ, indeclinabiliter, & insuperabiliter, trahit adeoque non est tantum sufficiens, seu talis, ut liberum arbitrium possit eam declinare, vel superare. Resp. Nolo hic litem movere; an *insuperabiliter*, an *inseparabiliter* legendum sit: certè in pluribus antiquioribus exemplaribus habetur, ut ipse vidi, *inseparabiliter*: quæ vox fortè minus quàm altera adversariis faveret: sed sit: legatur, *insuperabiliter*. Insuperabilitas hæc, vel non

est omnimoda & absoluta, vel non respicit arbitrium liberum; nam istud ex Tridentino *sess. 6. can. 4.* debet posse dissentire, si velit: & ex *cap. 5. gratiam illam & abjicere potest.*

Quin ipse Augustinus l. de *spir. & lit. c. 34.* ait: *Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem: sed consentire, vel dissentire, propria voluntatis est.* & post pauca: *Consentire autem vocationi DEI, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propria voluntatis est.* Quæ quidem verba Janfenius l. 2. de *grat. Chri. c. 34.* præeunte Kemnitio (quem Bellarm. tom. 4. l. 6. de *gratia & lib. arb. c. 11.* merito explodit) ita exponit, ut velit, ea tantum significare, quod tam consensus, quàm dissentus, sint actus voluntatis, at non pro libitu voluntatis eliciendi, vel omittendi: verum ridicula est hæc expositio; nam hac ratione etiam propria voluntatis esset præveniens prima indeclinata inspiratio; cum etiam actus vitalis sit ejusdem voluntatis: quod est contra S. Augustinum, & omnes alios. Dein particula *adversativa* sed clarè ostendit, quod per verba *proprie voluntatis est*, intelligat S. Doctor, quod sit in potestate, seu libitu voluntatis.

194. Itaque, ne S. Doctor secum ipso, aut cum Tridentino pugnet, ejus verba alium longè sensum habere debent, quàm adversarii velint. Hinc in forma neg. conseq. & cum Illustrissimo Cameracensi in *sua instructione pastorali p. 2. epist. 10.* dico, verba illa *insuperabiliter & indeclinabiliter* significare, quod homo, ex se infirmus, auxilio gratiæ, insuperabilis fiat omnibus tentationibus, quas unquam dæmon, mundus, aut alii quicumque exterius, sive quas caro interiori, excitat, ut adeo homo adjutus gratiâ, dummodo velit, has omnes superet, & à mandatorum Divinorum observatione nunquam decimet.

Et hunc sensum planè puto, esse à S. Augustino intantum; nam hoc clarè innuunt, quæ S. Doctor præmisit, tum c. 11. de infirmitate humana, & malis, quibus Sancti in hac vita ingemiscunt, & clamant ad DEUM: *Libera nos à malo quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem, per Christi gratiam possunt:* tum hoc ipso c. 12. ex quo verba objecta desumpta sunt, ubi ait: *Major quippe libertas est necessaria, adversus tot, & tantas tentationes, quæ in paradyso non fuerunt, dono perseverantia munita, atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis, vincatur hic mundus.*

Ex quibus planè infertur, insuperabilitatem, & indeclinabilitatem hanc, à S. Augustino asseri, respectu istarum tentationum, & difficultatum: quod confirmatur ex eo, quod S. Doctor ibi voluerit, ostendere discrimen, inter gratiam collatam Adamo in statu naturæ integræ, & collatam nobis in statu naturæ lapsæ: hoc discrimen autem stat in eo, quod gratia nostra habeat vires ad superandas has tentationes, amores, terrores &c. quas vires non debuit habere gratia Adami, qui hujusmodi tentationibus, amoribus, terroribus &c. infestatus non fuit.

195. Duo huic explicationi videntur obijci posse. Primum. Illa verba, quibus dicitur nunc necessaria libertas, dono perseverantia munita. R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. 4.

ta, atque firmata, videntur significare, quod sine ipso dono perseverantiæ non sit libertas expedita ad vincendas tentationes, adeoque nulla gratia sit tantum sufficiens. Sed responderetur, S. Augustinum non dicere, necessarium esse donum perseverantiæ, ut mundus possit vinci, sed, ut actu vincatur, adeoque hæc necessitas est tantum consequens: sicut etiam ipse consensus, vel ipsa victoria est tantum consequenter necessaria.

Interim tamen etiam antecederet est necessaria, in gratia naturæ lapsæ collata, major vis superandi tentationes, quàm fuerit necessaria in gratia Adami. Neque insuperabilitas, & indeclinabilitas, dono perseverantiæ inest, etiam respectu voluntatis; nam hæc, sicut gratia, cui actu consentit, potest ex Tridentino dissentire; si velit, ita etiam potest dissentire dono perseverantiæ: sed huic dono inest tantum insuperabilitas respectu tentationum, quæ non possunt hoc donum superare.

Hæc dicta sunt ex suppositione, quod hoc donum perseverantiæ stet in aliquo auxilio gratiæ, collato ad eliciendum actum meritum; si enim donum perseverantiæ staret, non in auxilio, quo homo denuo eliceret actum meritum, sed in eo, quod raperetur è vita, antequam perderet statum gratiæ, & amicitia DEI, quale donum est collatum illi, de quo *Sapient. 4. v. 11. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus:* tunc hoc donum posset esse insuperabile, & indeclinabile, etiam respectu voluntatis, quæ, cum in hoc casu non debeat de novo posse mereri, neque etiam debet amplius libera esse.

196. Alterum, quod obijci huic explicationi posset, est, quod hæc insuperabilitas (si donum perseverantiæ sit aliqua gratia) etiam conveniat gratiæ sufficienti, qua instructa voluntas debet non posse superari à tentationibus, nisi ipsa velit: & tamen S. Aug. cit. c. 12. loquitur de gratia efficaci, ac electorum propria. Resp. duas istas classes gratiæ, non quidem differre quoad hanc insuperabilitatem, & indeclinabilitatem, neque quoad hanc S. Augustinum differentiam aliquam inter eas statuere voluisse: addidisse tamen S. Doctorem ibidem alia prædicata, quæ gratiæ purè sufficienti non conveniunt, sed tantum gratiæ antonomastice efficaci & electorum propriæ; nam c. 11. sic habet: *Prima Adami est enim, qua sit, ut habeat homo justitiam, si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam sit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem, contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* &c. *Est quippe in nobis per hanc DEI gratiam, in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus.* Rufus c. 12. vocat gratiam collatam Adamo adjutorium sine quo non: collatam verò electis in statu naturæ lapsæ, adjutorium quo: at per hoc intelligit S. Augustinus, ut paulò post ostendemus, gratiam efficacem. Iterum hoc cap. dicitur, ut suprâ retulimus, gratia dono perseverantiæ munita, atque firmata: quod non convenit gratiæ purè sufficienti. Insuper in ipso textu objecto dicitur *ageretur*: per agi autem, ut non semel diximus, intelligit S. Doctor, induci, & adjuvari ad ipsum effectum actu ponendum. Quare rectè dicitur S. Augustinus, geminâ prædicata

dicata gratiae efficacis hic asseruisse, quorum quidem unum, nempe praedicationem insuperabilitatis, etiam habet gratia sufficiens, in statu naturae lapsae collata: alterum vero, seu praedicationem conjunctionis infallibilis cum effectu, & perseverantiae, conveniat soli gratiae efficaci: sufficit autem ad discrimen inter has gratias disconvenientia in uno, nec requiritur discrepantia in omni praedicatione, ut est cuique notum.

197. Ob. 4. Juxta S. Augustinum *l. de corr. & grat. c. 12.* in statu naturae lapsae non datur adjutorium, vel auxilium sine quo non, sed tantum datur adjutorium, vel auxilium quo: at qui auxilium sine quo non, est id, quod vocamus sufficiens; quia ex S. Augustino est illud, *sine quo aliquid non fit*, seu sine quo quidem aliquid non potest bene agere, sed tamen neque cum ipso bene agit: ergo non datur amplius auxilium sufficiens; sed tantum datur auxilium quo, hoc est, necessarium post se trahens consensum, seu, ut ait S. Pater, *quo aliquid fit*, sive quo quis insuperabiliter agitur. Contra. Ex S. Augustino in statu naturae lapsae non amplius datur gratia sanitatis, sed tantum medicinalis: at qui gratia sufficiens est gratia sanitatis; nam est collata Adamo adhuc sano: ergo nunc non amplius datur.

Resp. neg. ma. S. Augustinus ibi facit comparisonem, inter gratiam, Adamo in statu innocentiae collatam, & inter gratiam non qualemcumque, in statu naturae lapsae collatam, sed collatam electis, & praedestinatis, praesertim in ordine ad finalem perseverantiam, ut manifestissimum est, legenti totum contextum: & pater, vel ex primis verbis c. 13. ubi ad priora dicta respiciens ait: *Hec de his loquor, qui praedestinati sunt in regnum DEI... non de his, qui... vocati dici possunt, non autem electi; quia non secundum propositum vocati.* Unde quidem nunc electi, in ordine ad finalem perseverantiam non accipiunt tantum auxilium sine quo non, sed auxilium quo, seu, si ita velis, efficax: non in sensu Jansenii, sed nostro, libertatem non laedente. Alii autem accipiunt etiam tantum auxilium sine quo non, seu merè sufficiens, ut supra abundè probatum est ex S. Augustino, & vel ex verbis modo allatis patet; nam, praeter electos dicit alios vocatos esse, non secundum propositum, utique illustratione aliqua interna, & auxilio sine quo non: non tamen auxilio quo; nam non consenserunt.

198. Ad confir. neg. mi. Universaliter sumptam; nam non omnis gratia sufficiens est gratia sanitatis, prout ista hic intelligitur; si enim sit gratia par omnibus tentationibus, non occurrentibus, non est gratia sanitatis, in sensu S. Augustini; quia in eo statu felicissimo non debebat gratia esse par tentationibus, quae non dabantur, sed jam est gratia medicinalis, saltem in actu primo; quia par est curandis morbis, & infirmitatibus, licet ex defectu cooperationis humanae non medeatur in actu secundo. Et quæso, quæ est ista illatio? Adamus accepit tantum auxilium sine quo non: praedestinati acceperunt auxilium quo: ergo nemo modo accipit auxilium sine quo non. Unque praeter praedestinos sunt alii. Imò neque praedestinati semper accipiunt auxilium quo; nam & isti saepe labuntur, nec gratia semper cooperantur; sed hoc tantum

est certum, quòd in ordine ad ultimam perseverantiam, seu, ut moriantur in statu gratiae, accipiunt auxilium quo.

199. Si tamen hoc auxilium quo est ex mente S. Augustini gratia aliqua praeveniens; & non ipse actus ultimus bonus finalis: quòd ad mentem S. Doctoris videtur verosimilius dici; nam auxilium quo ait esse illud, quòd aliquid formaliter fit. Sic cit. *l. de corr. & grat. c. 12.* ait, *alimenta esse auxilium sine quo non, ad vitam; nam sine his non potest quis vivere, quamvis etiam illa habens non necessarium vivat; cum possit is non uti, & sic inedia mori: at verò beatitudinem ait esse auxilium quo; quia eo ipso, quòd quis beatitudinem habeat, actu, & formaliter beatus est.* Et paulò post ait *Et per hoc donum non nisi perseverantes sint*: scilicet, ut prius dixit, quòd per beatitudinem beati sint, ita hic vult, quòd per donum perseverantiae formaliter perseverantes sint: adeoque donum perseverantiae non sit quid distinctum à perseverantia ipsa, aut ab ultimo actu bono, in quo finaliter perseveratur.

Neque dicas, ipsam operationem bonam non posse adjutorium, vel auxilium DEI; nam merita nostra sunt concursus gratuiti DEI, & gratia cooperans, ut supra n. 13. in divisionibus gratiae diximus, & hinc etiam magis DEO, quam nobis debent ascribi. Rectissime etiam ex S. Augustino dicuntur actus nostri à DEO dari; sic enim ait *l. de grat. & lib. arb. c. 15.* *Quare jubet, si ipse daturus est? quare dat, si homo futurus est? & respondet: Nisi quia dat, quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet: quod est idem, ad dicere: Dat actum; nam hunc jubet ab homine fieri, non gratiam, vel actum primum: & dat; quia adjuvat ad illum, ut considerant patet.*

Imò valde probabiliter dicitur, S. Augustinum intellexisse per donum perseverantiae, non actum meritorium, sed aliud beneficium DEI, de quali diximus n. 195. nam *l. de bono persever. c. 6.* ait. *Quae perseverantia si data est, perseveratum est usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data... Non itaque dicant homines, perseverantiam cuique datam usque in finem, nisi, cum ipse venerit finis... Hoc ergo DEI donum suppliciter emereri potest, sed, cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest; cum enim perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia, quae poterat ante finem: quomodo enim potest amitti per quod sit, ut non amittatur etiam, quod potest amitti? Quòd si tamen alicui congruentius videatur, adjutorium quo accipi pro gratia efficaci in nostro sensu, non resistam; quia nil inde nostrae conclusioni contrarium inferitur.*

200. Ob. 5. In statu naturae lapsae non datur auxilium possibilitatis, sed tantum actionis: ergo, nulla datur gratia purè sufficiens, prob. ant. ex S. Aug. nam 1. saepe, & praesertim *l. de gestis Pelagii c. 1.* ob istud auxilium possibilitatis hunc haereticum exagitat. *2. l. de bono persever. c. 14.* ait de Tyrriis: *Sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum:* ergo non datur gratia, quando non datur cooperatio. *3. l. de corr. & grat. c. 11.* *Nunc autem, quibus deest tale adjutorium efficax, seu actionis*

jam poena peccati est, ergo in poenam peccati nullum datur auxilium. *4. l. de praedest. SS. c. 6.* *Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi: quis hoc ignoret? quis hoc neget? sed cum aliis praeparatur, aliis non praeparatur voluntas à Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio:* ergo de judicio DEI venit, quòd nullo auxilio praeparatur voluntas.

Resp. dist. antec. In statu naturae lapsae non datur adjutorium possibilitatis Pelagianum. conc. ant. non datur adjutorium possibilitatis, seu tale, ut tribuat quidem potentiam, non tamen secum ferat actum. neg. ant. & conf. ad 1. prob. S. Augustinus *loc. cit.* distinguit duplex adjutorium: unum, sine quo omnino non possumus, e. g. sine pedibus incedere: alterum, sine quo quidem possumus, at non sine difficultate, e. g. sine tribulis fruges terere, sine medicina sanitatem recuperare; per primum, seu per adjutorium, sine quo omnino non possumus, Pelagius volebat intelligi solam libertatem naturalem: per secundum verò, sive, sine quo quidem possumus, sed non sine difficultate, Pelagius volebat, intelligi gratiam, quam ipse, non ad posse simpliciter, sed tantum ad posse facilius, necessariam volebat, ut iterum clarissime tradit S. Doctor *l. de haeresibus. haeresi. 88. seu Pelagiana:* & hinc eum S. Augustinus exagitat, inians, & urgeas, ut gratiam ad simpliciter posse necessariam assereret, Caeterum adjutorium possibilitatis, in hoc tantum sensu, quòd tribuat sufficientiam, seu potentiam ad posse, non autem tribuat etiam ipsam agere, seu non faciat, ut ipse actus sequatur, S. Augustinus nunquam negavit.

201. Ad 2. prob. Textus allatus tantum probat, quòd Tyrriis non sit data gratia congrua, seu efficax, qua accepta crederent: non autem probat, negatum ipsis fuisse omne auxilium; etiam remotè sufficiens, quo possent credere, e. g. gratia faciendi, quòd est in se &c. Nec S. Augustinus dicit, negatum eis esse, *unde possent, sed, unde crederent actus* quare neg. conf. quae est falsa. Ad 3. probat. Eo textu ad summum probatur, nunc in poenam originalis peccati, vel saepe etiam in poenam actualis peccati, non dari quibusdam hominibus semper gratiam efficacem; nam S. Doct. *cit. cap. 11.* loquens de Adamo docet, quòd hic fuerit in bonis, in quibus nos non sumus: addit, eum tamen in bonis illis non potuisse perseverare sine nova gratia; hanc autem ei datam fuisse talem, sine qua non potuisset, & cum qua potuisset bene agere; non autem ei datum fuisse ipsum bene agere: seu non datam fuisse gratiam efficacem: nunc autem electis dari gratiam potentiorum, seu quae se cum ferat ipsam bonam operationem.

Ubi nota illud tale, in textu objecto positum, non referri ad immediatè praecedentia dicta de auxilio Adami: sed ad paulò priora: *Hec autem tanto major est;* nam saepe fit in longiori disputatione, ut talia relativa non respiciant immediatè praecedentia, sed paulò magis remota: & hic id etiam fieri debere ratio probat; nam S. Augustinus ibidem dicit, quòd illud tale auxilium, quòd negatur quibusdam in poenam, aliis datur secundum gratiam, & tanto amplius, hoc est, supra gratiam Adami excellentius, ut non solum adjit, sine quo permanere non possumus, etiam si ve-


limus: verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus: quae conveniunt soli gratiae efficaci. 2do. id fieri etiam debet, ne S. Augustinus sibi, & Conciliis, contradicat, si auxilium omne sufficiens neget.

Si quis tamen omnino contendat, S. Augustinum velle, quòd nunc in poenam peccati non datur amplius tale auxilium, quòd tale datum Adamo, poterit responderi, esse poenam peccati, quòd non datur amplius illa gratia laetior, quam habuit Adamus, teste S. Augustino *eodem capite*, cum qua scilicet facilius, & sine tanto conatu, potuissimus bene operari; quia non erant tot tentationes, & difficultates; sive, quòd in poenam peccati non datur amplius gratia sufficiens; ut vestita circumstantiis istis, quae data fuerunt in Adamo; de quibus ibi S. Doctori multus est sermo. Et sanè hoc complexum gratiae sufficientis, & circumstantiarum illarum, nunc non datur, in poenam peccati; licet datur adhuc gratia sufficiens, etiam potentior, quamvis non laetior, imò nec aequè laeta. Aliam solutionem adhuc, si placet querere, invenies apud Suárezium *de grat. l. 4. c. 18.* quae quoad substantiam cum hac posteriore sermè coincidit. Ad 4. probat. neg. conf. Textus tantum probat, quòd quibusdam datur gratia efficax, non autem aliis: & illis quidem datur ex misericordia, sed his ex iusto quidem; arcano tamen judicio DEI, negetur.

202. Ob. 6. Si aliqua tandem gratia qualitercumque sufficientes admitti debent, exstant in moribus quibusdam bonis, longè debitoribus, quam sint motus concupiscentiae: nec alias gratias sufficientes, & inefficaces S. Augustinus agnoscit: ergo, prob. ant. *l. de grat. & lib. arb. c. 17.* sic ait: *Qui ergo vult facere DEI mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cum magnum habuerit, & robustam.* Et post paucos de S. Petro, dicens, se velle pro Christo animam ponere, ait, quòd in eo nondum fuerit charitas perfecta: *Tamen quamvis parva, & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam; putabat enim se posse; quod se velle sentiebat.* Imò *l. 1. ad Simplician. q. 2.* scribit: *Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, quae non potest, ut eam capere apti essent; vocati quidem dici poterunt, sed non electi:* ergo juxta S. Augustinum auxilium inefficax, seu potè sufficiens, est, cui quis cooperari non potest.

Ita docent quidam ex Jansenii affectis, ut ad speciem admittant aliqualem gratiam sufficientem, quae re ipsa insufficientis est, ad effectum ultimò intentum: ad eum verò effectum, ad quem proximè datur, efficax, nempe in ordine ad aliquos debiles motus, & inclinationes, inefficaciter tantum tendentes ad actionem meritoriam, vel ad fugam peccati, ultimò intentam. In forma neg. ant. S. Augustinus, ut fusè probatum superius à n. 186. admittit gratias verè sufficientes, ut quis veniat ad cenam magnam, ad nuptias agni &c. ut quis non reprobatus fiat, mandata observet; ad quae non sufficiunt, ex ipsorum adversariorum confessione, illi debiles motus &c. adeoque non sunt gratia sufficiens S. Doctoris.

203. Si quæras, quid igitur S. Augustinus



intelligat, per voluntatem parvam, per charitatem imperfectam. Resp. intelligere eum gratiam necdum proximam, sed remotè sufficientem, seu, quæ sufficiat ad impetrandam, orationem, vel alio minoris meriti opere bono, gratiam majorem, quæ proximè sufficiat, ad exequenda majora. Hinc toties monet, esse suppliciter petendum, quod necdum possumus. Sic. l. de grat. § lib. arbit. c. 18. ait: *Præcepto-admonitum est liberum arbitrium, ut quæretet DEI donum. & l. 1. ad Simplician. q. 1. post medium. Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non, ut impleat homo justitiam, cum voluerit: sed, ut se suppliciter pietate convertat, ad eum, cuius dono eam possit implere. & l. de nat. § grat. c. 42. Non igitur DEUS impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis. Et sanè, si S. Petrus vigilasset, & orasset, in tentationem non intrasset.*

Locus ex l. ad Simplician. probat vel maximè scientiam mediam, ut trad. de DEO n. 400. ostendimus. Illud: *Moveri non possent*: significat tantum impotentiam consequentem; quia scilicet prævisa erat vocatio tunc illis incongrua ob refractariam eorum voluntatem, qua stante moveri non poterant; sic enim S. Doctor se explicat tract. 53. in Joannem in illa verba Joan. 12. v. 39. *Propterea non poterant credere; quia iterum dixit Ihsais: Ubi quærit, quomodo ergo peccaverint, si non poterant credere: & sic respondet: Quare autem non poterant, si à me quæritur, citò respondeo; quia volebant, malam quippe eorum voluntatem præviat DEUS, & per prophetam prænuñciavit.*

204. Dices: S. Augustinus nunquam facit mentionem gratiæ sufficientis, sed semper efficacis: ergo illam non agnovit. Resp. neg. ant. cuius falsitas patet ex n. 186. Quod autem sapius agat de gratia efficaci, ratio est, ut ait Rhodus disp. 2. de gratia q. 2. sec. 1. ad ob. 1. quia voluit maximè stabilire gratiam, quæ non tantum daret posse, sed etiam agere. Cum enim Pelagius, anathematis metu percussus, admitteret, necessariam esse aliquam gratiam possibilitatis, & eam à DEO haberi, concederet (quamvis dein discipulis suis eam perversè explicaret) non autem admitteret gratiam ipsius actionis, operationis, aut volitionis, neque veller actionem ipsam haberi ex gratia DEI, ut constat ex variis locis S. Augustini, præsertim l. de grat. c. 3. § 41. item l. de nat. § grat. c. 42. voluit S. Doctor, in id maximè incumbere, ut ostenderet, ipsam quoque bonam voluntatem, actionemque meritatoriam esse ex gratia, quæ non tantum potentiam, sed etiam ipsam actualem exercitium daret: & hoc exercitium quoque esse gratuitum donum DEI: quod vel maximè urget cit. l. de grat. c. 47.

Hac ratione S. Doctor imprimis præceptum controversiæ scopum attingebat; dein etiam vitabat necessitatem novæ quæstionis, quid scilicet esset illa gratia possibilitatis, an tantum liberum arbitrium, an donum superadditum, an intelligeretur gratia possibilitatis, necessaria ad simpliciter posse, an tantum necessaria ad facilitè posse, de quo n. 200. Et quamvis hanc quæstionem de gratia possibilitatis S. Doctor aliquoties tractet, tamen volebat, eam ubique misceri; hinc ad im-

pediendum ejus ingressum, maluit sæpius de auxilio efficaci tractare. Voluit item S. Augustinus agere de illa gratia, quæ est per excellentiam talis dicta, & in ordine ad finalem perseverantiam prædestinatorum est propria.

ARTICULUS IV.

Solvuntur reliquæ objectiones contra gratiam sufficientem.

205. **O**B. ulterius: 7. Gratia sufficientis non prodest, nisi ad peccandum, & ut sine invidia, & reprehensione, homo possit damnari à DEO: sed talis gratia est absurdissima: ergo non datur. Resp. neg. ma. quæ est blasphema, & longè crudior, quam propositio 6. ab Alexandro VIII. damnata, de qua n. 184. Si gratia sufficientis sumatur specificativè, vel denominativè, hoc est, præcisè ut auxilium à DEO proveniens, est utilissima ad salutem, & beneficium magnum DEI, sicut multa alia, quibus malè abutimur, ut dictum tract. de peccat. n. 289.

Si autem gratia sufficientis sumatur reduplicativè, vel concretivè, aut quidditivè, ut conjuncta cum nostro dissensu, tunc est verum, quod, in sensu composito, non sit utilis ad non peccandum: non enim possumus, firmitè peccare, & non peccare: at hoc non provenit à gratia, sed à nostra malitia; quia gratia purè sufficientis, concretivè sumpta, non est à DEO, sed à nostra culpa, quæ denominat gratiam in actu secundo purè sufficientem, seu inefficacem: imò etiam culpa nostra determinat DEUM, ad scientiam mediam de dissensu futuro, seu de inefficacia gratiæ, futura in iis circumstantiis.

206. **O**B. 8. Gratia sufficientis est talis, ut nunquam ab origine mundi habuerit suum effectum, vel obtinuerit suum finem: sed talis gratia est monstruosa: ergo. Confir. Gratia sufficienti ut tali nemò potest cooperari: sed sic non est sufficientis: ergo est sufficientis, & non sufficientis. Resp. dist. ma. gratia sufficientis est talis, ut in specie sua nunquam obtinuerit finem suum. neg. ma. ut in individuo, subdit, non obtinuerit ex intrinseco suo aliquo defectu. neg. ma. ex culpa hominum extrinseca, conc. ma. & dist. sic m. neg. conf.

Non est inutilis gladius in specie sua, est plures gladii in individuo per accidens nunquam ad defensionem vitæ, vel justam occisionem inimici, in bello adhibiti sint, dummodo alii ejusdem speciei finem illum obtinuerint: & sic etiam non est inutilis gratia sufficientis in specie sua, quamvis, hinc & nunc, ex culpa hominis effectum non habeat, dummodo eadem in specie gratia effectum in alio habeat: tamen eadem gratia, entitativè, seu denominativè accepta, in specie sua Theologica, in multis habet effectum e. g. eadem illustratio de vanitate mundi, aut pœnis inferni, multos ad seriam poenitentiam movit, quamvis alios non permoverit: & quidem non ex defectu suo, sed ex culpa ipsorum, qui ex sua malitia ei affectum non habuerunt.

207. Nec dicas, hanc illustrationem esse essentialitè affixam Petro, utpote actum vitalem,

Jem, & tamen ipsum non movere: adeoque in sua specie esse inconjunctibilem cum effectu: Resp. enim imprimis, hanc esse considerationem purè physicam, non verò Theologicam; quia Theologia non considerat individualitatem Petri, & Pauli: imò vix Physica eam considerat, nam etiam Logice communiùs negant, unionem Petri, & Pauli (& par est ratio de cognitione Petri, & Pauli) differre specie physica. Sed quid quid sit de hac quæstione, quæ est potissimum de voce, sufficit, quod alia gratia ejusdem speciei Theologicæ hoc est, quod alia, ejusdem in consideratione Theologica speciei, gratiæ effectum habeant: & illa effectu careat, non ex sua natura, sed ex hominis malitia. Adde, quod etiam Petrum possit cras movere eadem omnino quoad speciem (vel etiam quoad individuum, si reproducatur) illustratio, quæ ipsum hodie non movet: adeoque habere effectum cras, quem hodie non habuit.

Ad confir. dist. ma. Nemo potest cooperari gratiæ sufficienti ut tali, seu sufficienti specificativè sumptæ, sive ut præbenti vires, & reddenti liberum arbitrium expeditum ad agendum. neg. ma. ut purè sufficienti, seu reduplicativè, vel quidditivè sumptæ, conc. ma. & neg. mi. quia tamen est sufficientis, sicut, qui sedet, est sufficientis ad standum, non in sensu composito, sed in sensu diviso. Adde tamen, quod non totum hoc concretum secundum omnia constitutiva sit gratia; quia unum constitutum est nostra culpa, quæ utique non est gratia: sed tantum est gratia id, quod venit in re-cto huius concreti, scilicet ipsa illustratio, vel inspiratio.

208. **O**B. 9. Ecclesia non orat pro infidelibus, ut possint converti, sed ut convertantur actu; ergo non agnoscit gratiam sufficientem. Confir. 1. Si datur gratia sufficientis, est inepta ista oratio Ecclesiæ rogantis, ut convertantur; ad quid enim roget illud à DEO, quod jam est in potestate hominum? Confir. 2. Si admittitur gratia sufficientis, tunc justus, cooperans illi, discernit se ab injusto, illi non cooperante: sed hoc est contra S. Paulum 1. Cor. 4. v. 7. dicentem: *Quis enim te discernit?* & S. Augustinum l. de prædest. SS. c. 5. ergo. Resp. neg. conf. Ecclesia prudenter orat gratiam majorem, quæ non tantum tribuat posse, sed etiam agere: non autem propterea negat gratiam minorem. Ad 1. confir. neg. illatum. Est homo sæpe possit, tamen non vult; unde meritò Ecclesia orat, ut DEUS ita ipsum exciret, ut non tantum possit, sed etiam velit.

Ad 2. confir. neg. ma. seu nego, quod se homo primò discernat ab alio, in sensu Apostoli, & S. Augustini, qui loquuntur de discretionem in actu primo, non verò de discretionem in actu secundo. In actu secundo homo se discernit, quatenus gratia cooperatur, ut nec adversarii negare possunt; facit enim utique discrimen, inter se cooperantem, & alium non cooperantem; quamvis hæc ipsa discretio minus homini, quam gratiæ tribuenda sit, ut explicavimus n. 192. Sed non loquitur de hac discretionem S. Paulus, verum de discretionem in actu primo, seu discretionem, quæ fit per colla-

tionem gratiæ: at hæc discretio non fit ab homine; quia non potest hic sibi dare gratiam pro libitu: sed hoc spectat ad DEUM, qui facit discrimen inter electos, & reprobos, per hoc, quod illis det gratias per scientiam mediam prævisas congruas, & conjungendas cum consensu: illis autem det prævisas conjungendas cum dissensu, quod est valde magnum discrimen.

209. Dices. Si admittitur gratia sufficientis, tunc voluntas creata posset ex gratia sufficiente facere gratiam efficacem, etiam in actu primo: ergo posset se ipsum homo in actu primo discernere: hoc est contra SS. Patres, & Concilia; ergo non potest admitti, prob. voluntas creata caularet in DEO scientiam mediam: sed in hac stat efficacia gratiæ: ergo. Resp. neg. ant. quo negato, ruit etiam consequens: subsumptum autem concedo; quia ni dicit nobis oppositum, ad prob. ant. neg. ma. & mi. Est falsa minor. quia efficax gratia stat primario in intrinsecis viribus gratiæ, & qui has non caulat, neutiquam potest dici caulare efficaciam gratiæ: has autem nullo modo caulat voluntas creata, sed unice DEUS: à scientia autem media, gratia tantum habet extrinsecam infallibilitatem. Major etiam est falsa; quia neque scientia media caulatur à voluntate creata; cum enim scientia media sit prædicatum DEO realiter identificatum, nullo modo caulatur à creatura: sed tantum voluntatis creatæ conditionatus consensus est objectum, non physicè motivum, sed dantaxat terminativum, aut determinativum (de quibus tract. de DEO à n. 302.) quod objectivè præsupponit scientia media: sicut absolute futura libera sunt objectum scientiæ visionis, quam mihi me caulant.

Hic insuper bene notandum, quod actus, si supernaturalis sit, qualis est, ad quem concurrat gratia, non habeatur à sola voluntate, neque in statu conditionato: sed habeatur etiam, & multo magis ab ipsa gratia, quæ est primarium agens in ordine superno; unde scientia media habeatur, tanquam ab objecto, ab actione, tam voluntatis, quam gratiæ, & quidem huius potius, quam illius. Hinc neque dicta infallibilitas extrinseca gratiæ habeatur à sola voluntate, sed habeatur etiam à gratia, & quidem magis à gratia, quam à voluntate. Neque hucusque dictis opponuntur ullo modo SS. Patres; nam isti tantum negant 1. in potestate hominis esse præbere gratiæ vires ad salutariter agendum, 2. negant, in potestate hominis esse, hanc gratiam præ alia, vel congruam præ incongrua habere, 3. negant, posse hominem sine gratia, seu viribus naturæ, salutariter operari. Nullatenus autem SS. Patres negant, posse hominem, tanquam instrumentum, gratiæ cooperari, ut hæc fiat in actu secundo efficacem, seu effectrix. Quod autem dicant, hominem non posse seipsum discernere in actu primo, facile admittimus.

210. Præter vires autem, & infallibilitatem, gratia efficax juxta quosdam dicit etiam specialem benevolentiam decreti prædefinitivi, quæ nullo modo habeatur à voluntate; nam, posita etiam quæcunque scientia mediâ, liberum esse DEO conferre gratiam, vel eam non conferre: imò in alia providentia DEUS posset conferre gratiam,

tiam, quam prævidisset fore congruam, & tamen omittit decretum formaliter prædefinitivum. Verum est, quod juxta nos voluntas creata possit impedire; sed non, quod possit eam ponere; unde, si ponitur, à solo DEO ponitur. Quare actus voluntatis creatæ, conditionatè prævisus, non est causa, sed ad summum conditio sine qua non: sicut scilicet non potest sanari, nisi aeger, quin morbus sit causa sanitatis.

ARTICULUS V.

An Autoritas S. Augustini in materia de Gratia sit omnino infallibilis.

211. Janseniani semper in ore habent auctoritatem S. Augustini, & non videntur curare multum alios Patres, rati, se certissime tunc vicisse, si Augustinus ab ipsis stetit; nam dicunt, quidquid S. Augustinus scripserit, esse ab Ecclesia approbatum, adeoque ab eo non posse recedi, præsertim in materia de gratia. Verum, ut S. Augustinum summè æstimem, eique laudes suas planè non invidiam, tamen eum sacris, aut omnino infallibilibus scriptoribus, accensere non possum; id enim prohibet ipse S. Doctor.

Sic enim scribit. *epist. 7. Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis: facile in eo, me ipso iudice, superamini, quoniam non mihi placet, cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum; & lib. de bono perf. c. 21. Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrum.*

212. Itaque in primis argumentor ad hominem. Dicunt Janseniani, esse quæstionem facti, qualem sensum auctor aliquis in libris suis intendat, & Ecclesiam, atque Pontificem esse fallibilem in quæstionibus facti: imò Pontificem actu deceptum in intelligendo libro Jansenii, ejusque sensu percipiendo: cur igitur non etiam potuit falli, in intelligendo sensu S. Augustini, eumque malè approbasse, approbando tantum sensum aliquem, non obvium, quem verba præferunt, sed aliquem reconditum, quem S. Augustinus non habuit, & qui nobis ignotus est? sicut ipsi dicunt, Ecclesiam damnasse, non sensum obvium verborum in Jansenio, sed tantum aliquem occultum, quem propositiones possent habere, at tamen Jansenius non intenderit. Hæc responsio utique tantum est ad hominem; nam nec est quæstio pura facti, quis sensus sit libri alicuius; nec in quæstione simili Pontifex, aut Ecclesia est fallibilis; aliàs possemus eodem modo dicere, libros Lutheri, & Calvini, non bene intellectos fuisse à Tridentino, sed malè damnatos.

213. Directè autem nego quòd S. Augustini libri, etiam de gratia, sint quoad omnia infallibiles, aut quasi canonici. Ita docent Cardi-

nalis Sadoletus, Claudius Xaintes, Hieronymus Oforius, Albertus Pighius, Cardinalis Hostiensis. S. Bonaventura, S. Thomas, Cornelius Mussus, Joan. le Fevre, Scotus, Joan. Viguier, Dominicus Sotus, Ferdinandus Vellozille, Petrus Arragon, Bartholomeus Medina, Joannes Diedo, Ruardus Taperus, Genebrardus, Sixtus Senensis, Gabriel Pennot. Franc. Horantius, Cardinalis Augustinus Valerius: quos citat Author libri: *Verus Spiritus novorum Discipulorum S. Augustini. epist. 15.* & plures ex nostris, præsertim autem fusè rem tractat Suarez. *Prolegom. 6. de gratia c. 6. à n. 14.*

Primò enim Alexander VIII. damnavit hanc propositionem 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè sanctatam, illam absolute potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam: cum autem Pontifex nullum librum S. Augustini excipiat, sequitur, quòd, in quocunque hujus S. Patris libro doctrina dicatur fundari, debeat attendi ad Bullas Pontificis: adeoque nullus liber hujus S. Doctoris sit omnino infallibilis aut quasi scriptura canonica; nam hujus sententia clara potest teneri, non respiciendo ullam Pontificis Bullam.*

214. Verum est, Ecclesiam assumpsisse aliquas partes doctrinæ S. Augustini de gratia & Canonibus inseruisse, præsertim sequentiæ, capitula, quæ continentur in Epistola Cælestini I. ad Episcopos Gallie (quæ epistola habetur tom. 7. operum S. Augustini.) 1. In prævaricatione Adami amittisse homines omnes innocentiam, & potibitatem naturalem (de qua supra n. 109.) ad salutaria: & neminem per arbitrium liberum è ruina illa, sine gratia DEI (internâ, non tantum externâ legis, atque doctrinæ) posse resurgere. 2. Neminem esse per semetipsum bonum, sine gratia DEI, qui solus est bonus. 3. Neminem, etiam baptizatum, posse superare infidias dæmonis, aut concupiscentias carnis, nisi quotidiano auxilio perseverantiam à DEO acceperit. 4. Neminem bene uti libero arbitrio, nisi per Christum, adeoque omnia bona opera referenda ad DEUM, pliusque in bonis operibus valere Divinam auxilium, quàm humanum arbitrium. 5. Omnes motus bonæ voluntatis esse à DEO, sine quo nihil possumus. 6. Anathemati eum subesse, qui dicat, gratiam, qua justificamur, ad solam prodesse peccatorum remissionem: non verò ad eorum evitacionem. 7. Anathema etiam dicendum ei, qui dicat, gratiã tantum aperiiri, ac revelari intelligentiam mandatorum; ut sciamus, quid appetere, aut vitare debeamus: non autem per illam præstari, ut velimus, aut faciamus: aut eã tantum opus esse ad faciendū posse, non autem ad simpliciter posse. Similiter Canones Arausiano II. à Leone Papa, ut creditur, submissi, & Apostolica auctoritate confirmati, ex S. Augustino desumpti sunt.

Et quoad ista Capitula, atque istos Canones, utique hujus S. Antistitis doctrina est doctrina Ecclesiæ: at ex hoc non sequitur, quòd doctrina ejus omnis de gratia sit universaliter approbata; nam idem Cælestinus in sine dictæ epistole subjungit: *Profundiores verò, difficultioresque partes, incurventium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis resistunt, (inter quos maximè est S. Augustinus) sicut non audemus*

contemere; ita non necesse habemus astruere: ad dicque rationem; quia ad confitendam gratiam DEI, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.

215. Dices. Tamen Joannes II. in epist. ad Senat. illustres, quam exhibet Binius tom. 2. Conciliorum p. 1. fol. 407. ita ait: *S. Augustinus, cujus doctrinam secundum Præcessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia:* ergo doctrina S. Augustini est doctrina Ecclesiæ, Resp. In ea epistola nec verbum reperitur de gratia, sed de longè alia quæstione: ergo juxta adversarios deberet Pontifex voluisse dicere, quòd totam doctrinam S. Augustini sequatur Romana Ecclesia: hoc autem planè est falsum; unde restringenda est propositio, & intelligenda, vel tantum in ordine ad quæstionem, de qua ibi agit Pontifex, scilicet: *An Christus possit dici unus de Trinitate:* vel relative ad ea verba: *secundum Præcessorum meorum statuta:* hoc est: Ecclesiæ sequitur S. Augustinum in iis, in quibus Prædecessores Pontifices statuerunt, eum esse sequendum, quatenus ejus doctrinam inseruere Canonibus sacris.

216. Afferunt adversarii adhuc Concilium Constantinopolitanum II. quod fuit Oecumenicum V. item Concilium Rom. I. sub Gelasio dicuntque, in his approbata fuisse opera S. Augustini. Sed Concilium utrumque plius non facit, quàm quòd dicat, à se S. Augustinum cum aliis SS. Patribus (quorum plures recenset, ut videre est apud Binium tom. 2. Concil. p. 1. fol. 265. & 520. recipi, aut approbari: imò Constantinopolitanum non dicit, se recipere omnia indefinite: sed ea omnia, quæ ab his de fide rectè, & ad condemnationem hæreticorum conscripta, & expusita sunt. Quis autem dicat, hoc esse idem, ac declarare infallibilem esse S. Augustini auctoritatem? Gelasius in Concilio Romano apud Binium loc. cit. fol. 265. statim S. Augustinum subjungit S. Hieronymum, & hunc eodem modo approbat, qui tamen aliquoties contradictoriam S. Augustino sententiam defendit. An igitur utrumque contradictorium infallibiliter verum erit?

217. Idem Janseniani afferunt etiam Cælestinum I. epist. ad Episcopos Gallie: ubi sic scribit: *Augustinum, sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistra suspicionis famem rumor aspersit: quem tanta scientia olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos, etiam à meis semper decessoribus, haberetur.* Sed hoc totum concedimus, necdum tamen ideo infallibilis est; non enim eum infallibilem esse, insert Pontifex, sed tantum aliud, nempe, quòd debeant compechi ejus obrectatores, qui eum sugillant. vide Binius tom. 1. Concil. part. 1. fol. 733.

Addunt, iidem adversarii, Papam Hotmifdam dicere, ex libris S. Augustini posse colligi, quid Ecclesiæ credat, delibero arbitrio, & gratia: sed responderetur, quòd ibi Pontifex addat. Et maximè ex libris S. Hilarii & S. Prosperii: ergo etiam isti deberent esse infallibiles. Dein, etsi hoc ex illis libris dici possit; quia etiam continetur

in iis doctrina Ecclesiæ, non tamen sequitur, quòd nihil aliud contineatur; nam idem Papa ait, haberi articulos in archivio, quos, si necesse sit, mittere velit: ergo quidem quoad illos articulos, qui etiam continentur in libris S. Augustini, hic est infallibilis: non verò quoad omnia, præsertim, cum Cælestinus cit. num. 214. profundiores quæstiones excipiat. Unde ex his elogis, S. Augustino pro merito datis, adversarii intentum non evincunt.

218. Certè de S. Thoma Aquinate Pontifices non videntur saltem minora dixisse. Joannes XXII. qui eum inter Sanctos retulit, dixit, non esse opus miraculis; cum tot fecerit miracula, quot decidit quæstiones. Innocentius VI. asseruit, ejus doctrinam esse super doctrinam omnium aliorum, exceptis scripturis canonicis: habere veritatem rerum, modum explicandi, proprietatem terminorum talem, ut, qui eum sequuntur, non recedant unquam à via veritatis, & qui ab eo recesserit, fuisse suspectum erroris, ut habet Ribadeneira in vita 7. Martii item Francolini in Tyrocinio Theologo p. 2. §. 2. n. 65. Clemens VIII. in Bulla ad nobiles Neapolitanos, ait, doctrinam S. Thomæ sine ullo proliis errore esse. Alexander VII. ait, asserta S. Thomæ esse dogmata inconcussa: qua de re meretur videri Tyrocinium Theologicum Balthazaris Francolini p. 2. num. 65. Similia encomia eidem Angelico dedere Pontifices alii, & nupèrtimè SS. D. Benedictus XIIII. in Bulla: *Pretiosus in conspectu Domini §. 47.* Num propterea Scotiæ contradicere se putant infallibili veritati, quando à S. Thoma sæpe cum suo Doctore recedunt? Similiter approbata est à Clem. IV. Greg. X. Sixto IV. & Sixto V. doctrina S. Bonaventuræ; ut testatur idem Francolinus loco supra citato, quin tamen censentur omnia ejus scripta infallibiliter vera.

219. Hinc Tostatus Defensorii p. 2. t. 87. sub initium ait, S. Augustini libros esse probatos, ut aliorum libri à Pontifice Gelasio sunt approbati: non autem omnia, quæ in illis continentur, tenenda, tanquam certò, & infallibiliter vera: & addit, eos, qui ita loquuntur, nescire, quid sit approbare; cum juxta hos librorum approbatorum, & canonicorum æqualis foret auctoritas, atque Ecclesia, cum approbaverit etiam Hieronymum, reddidisset vera contradictoria. Unde, ut idem Author loc. cit. c. 83. ait, approbatio Ecclesiæ tribuit libro quatuor ista. 1. ut omnes fideles possint librum legere. 2. quòd judicetur utilis ad instructionem, & edificationem. 3. defendit auctorem contra suspensiones, quòd voluerit tradere errores. 4. quòd possit citari, & ejus auctoritate roborari sententia: quæ etiam auctoritas, si quis fortè eã ductus erret, admittitur tanquam excusatio, ut quis non judicetur deliberatè voluisse errorem docere: modò postea se subijciat iudicio Ecclesiæ.

Cæterum absque omni dubio est tenendum, quòd S. Augustini auctoritas omnino sit ingens, & hinc, ut dictum, hæretici etiam eum sibi arrogare contendunt, ut magno hoc nomine se se defendant: quod ipsi doleret in cælo, si doloris esset capax. Ejus auctoritatem maximè in materia de gratia plurimi semper fecerunt Pontifices, quin & Concilia, præsertim Milvianum

xander VIII. confixit anno 1690. 7. Decembris: ex quibus prima sic habet: *In statu nature lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis: quæ propositio fundatur in tertia Janfenii: item quarta inter 31. ita habet: Dedit Christus semetipsum pro nobis oblationem DEO, non pro solis electis, sed pro omnibus, & pro solis fidelibus: & quinta: Pagani, Judei, Heretici, alique hujus generis, nullum omnino accipiunt à JESU Christo influxum, adeoque hinc redde inferes, in illis esse voluntatem nudam; & inermem, sine omni gratia sufficiente: quæ coherent cum quinta Janfenii: sexta autem inter 31. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficiente libera nos Domine: connexionem maximam habet cum secunda Janfenii.*

227. Sed quid opus est multis? rem hanc satis definiuit Alexander VII. Innocentii X. Successor anno 1696. 17. Kalend. Novemb. editâ Bullâ: *Ad sanctam B. Petri sedem, in qua ita ait: Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii predictas quinque propositiones, vel in libro predicto ejusdem Cornelii Janfenii non reperiri, sed fidè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere, magno cum Christi fidelium scandalo, non reformident, nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungemur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica auctoritate eadem causa discussa est, eâ professò diligentia, qua major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super premisis in posterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles: in ejusdem fidei unitate se se contineant, ex debito nostri pastoralis officii, ac matura deliberatione, præsertim Janfenii prædecessoris nostri constitutionem, declarationem, & definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus. Addit in eadem Bulla: Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Janfenii Episcopi Ippensis, cui titulus est: Augustinus: excerptas, ac in sensu, ab eodem Cornelio Janfenio intento, damnatas fuisse definimus, & declaramus, ac ut tales, inusta scilicet eadem singulis notâ, quæ in predictâ declaratione, & definitione, unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus.*

Ut autem hæc firmissimè observarentur, ex Regis Christianissimi Ludovici XIV. & Episcoporum Galliarum desiderio, idem Alexander VII. anno 1684. 15. Kal. Martii Pontificatus anno X. in Bulla Regimini Apostolici, decrevit formulam juramenti, faciendi ab omnibus Ecclesiasticis, Episcopis, & Archiepiscopis: quam Galli vocant formularium, & sic habet: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maij anno 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris an. 1696. Summorum Pontificum, me subiecto, & quinque propositiones ex Cornelii Janfenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per illas Constitutiones Sedes Apostolicæ damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me DEUS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.*

ARTICULUS VII.

Varia alia quesita à Iansenistis effugia.

228. Nædum tamen quievère Iansenio dediti. Ut vim formulæ hujus, & juramenti eluderent, dixerunt, sensum verborum, in quinque illis propositionibus contentum, multiplicem esse posse, ac proinde non constare, quinam esset sensus damnatus, supra quem juramentum caderet: imò aliqui etiam valde absonos sensus fingebant. Quem ad finem utile ipsi fuit famolium Scriptum trium columnarum, à Iansenianis confectum durante adhuc causâ quinque propositionum, & duodecim dies ante condemnationem Innocentii oblatum. In hujus scilicet tribus columnis posuerunt tres sensus, dictarum quinque propositionum, & in media quidem, quem dicebant verum, ac genuinum: in prima autem eum, quem dicebant hereticum. & malignè propositioni assilum: hic autem sensus hereticus singularum propositionum erat juxta ipsos iste: Primæ: *Mandata DEI impossibilia sunt omnibus justis, quamcumque voluntatem habeant, & quamcumque conatum adhibeant: quamvis in se habeant omnes vires, quas confert gratia maxima, & efficacissima: & ipsi per totam vitam semper desit gratia, qua possint etiam tantum unum præceptum adimplere sine peccato.* Secundæ: *In statu nature lapsæ nunquam resistit gratiæ interiori, & efficaci: quia voluntas hominis se habet purè passivè respectu gratiæ efficacis, & sicut res inanimata nihil facit: neque cooperatur, neque consentit libere.* Tertiæ: *Ad merendum, & demerendum, in statu nature lapsæ, non requiritur in homine libertas, exempta necessitate naturali, etiam illa, quæ datur in motibus indeliberatis: sed sufficit, ut sit liber à coactione.* Quartæ: *Gratia JESU Christi preveniens est talis, ut liberum arbitrium hominis, motum, & exitum per illum, non possit resistere, quamvis velit. Aliter asserere est loqui cum Semipelagianis.* Quintæ: *JESUS Christus mortuus est solum pro prædestinatis, ita ut nemo, nisi ipsi soli, recipient veram fidem, & justitiam, per merita mortis Christi.* Et hos sensus esse hereticos, & propositionibus malè affectos, dixerunt etiam posteri Iansenii affectæ sequentibus annis. Sed eos impietis acriter refellit Jurie famosus Calvinista, & magnis clamoribus negat, ullum Calvinistam, aut hereticum, talem doctrinam defendere, & longè difficilioribus Iansenistas in Calvinistarum operibus inventuros talem doctrinam, quam alii in operibus Janfenii inveniunt damnatas quinque propositiones in obvio sensu.

229. Res tandem iterum est delata ad Innocentium XII. qui anno 1694. 6. Februarii edidit decretum, quo prohibet, quosque alios sensus predicti formularii, præter eum, quem in sensu obvio ipsius verba exhibent, afferri, usurpari, aut de his disputari; imò omnibus ejusdemque statûs hominibus, perpetuum silentium indicit, super interpretatione predicti formularii, sicut & super interpretatione ipsarum Janfenii propositionum in alio sensu, præter eum, quem verba per se exhibent. *Sensus autem verborum*

Quid sit hæresis Ianseniana.

rum obvio est ille, quem verba cuique statim offerunt in ea significatione, quam habent ex hominum institutione, quique est quasi prædominans, ac statim se legentibus ingerit: qui sæpe adhuc evidentiùs patet ex antecedentibus, & consequentibus, ex genio, & intentione auctoris &c.

Cumque postea Iansenistæ ob hanc declarationem Innocentii XII. triumpharent, ac dicerent, alteratam, seu reformatam ab Innocentio XII. esse Constitutionem Alexandri VII. ille denuò interpellatus à Mechliniensi, Brugensi, Ruremondensi, Antverpiensi, ac Gandavensi Episcopis, rescriptit anno 1696. 27. Novemb. quòd, si aliqui publicè, voce, aut scriptis, faciant contra sensum obvium formularii, debeant puniri: & addit, non sine admiratione se intellexisse, quòd ausi fuerint quidam affirmare, à se alteratam, aut reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. & formularium; cum tamen in dicto suo Brevis utrumque specificè confirmaverit, & omnino intenderit, & adhuc intendat ita adberere, & nequaquam snere, ut aliquid addatur, vel dematur &c.

230. Quæsierunt dein Iansenistæ (ut se quomodocumque munirent contra formularium Alexandri VII.) an non esset remedium, vel aliquis modus, quo is, qui deberet signare formulam illam, & in eam jurare, posset id facere, quin tamen interius damnatæ propositiones Janfenii? an non id fieri posset, utendo aliqua restrictione purè mentali, vel facta coram aliquo amico protestatione secreta (publicam enim facere non poterat; cum sic agnoscerentur, & à beneficiis, ac gradibus Academicis repellerentur) vel omnino tacitè, ut non audiretur, protestando, vel simile quid faciendo? Sed nunquid hoc bellè quadrat illi rigori, quem ubique hi homines ostentare conantur? an non hoc est pejorare per S. Evangelia? At dicent: necessitas nos cogit. Verum sic SS. Martyres coram tyranno etiam potuissent cum tali restrictione jurare, se Christum negare: certè istorum necessitas fuit tunc major, quam nunc sit Iansenistarum: non magis videri poterat esse attendenda, quam nunc.

Prodit postea famosus ille casus conscientiarum, qui est hic. Ecclesiasticus quidam in confessione dicit, quòd in ordine ad factum Janfenii credit sufficere, si habeat obsequiosum, & respectuosum silentium de illo, quod Ecclesia decidit, quod idem est, ac dicere, quòd quidem non credat, se obligatum ad condemnandum librum, tanquam hereticum, quamvis id Ecclesia deciderit: velit tamen reverenter tacere, & non contradicere. Quærit Confessorius, an talem possit absolvere? Ad hunc casum ita propositum quadraginta Doctores Sorbonici, (quorum nomina habentur in processu Quæsnelli) responderunt, eum posse absolvi: sed omnes boni hunc casum rejecerunt: Cardinalis Noalius etiam hanc resolutionem, seu resolutionem, condemnavit, edito decreto, in quo inter alia notanter dicit: *Qualicumque quis lumen haberit, certum tamen est, à luminibus Ecclesiæ, lumina particularium semper superari.*

231. Quare anno 1705. 16. Julii à Clemente XI. per Bullam: *Pneam Domini Sabaoth*: etiam hoc responsum condemnatum est: *Quæ*

Bulla idem Sanctissimus Dominus queritur, quòd inquieti homines varis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam turbent: itèmq; damnat illud respectuosum silentium, quo dicebant, satisfieri Constitutionibus Apostolicis; hoc est, volebant, opus tantum esse, reverenter filere, nec publicè Ecclesiæ definitioni contradicere: de cæterò non opus esse, interius damnare ut hereticum, sensum libri Janfenii. Hoc, inquam, sufficere eadem Bullâ idem Pontifex negat, & id afferentes damnat, vultque, ut sine similibus fraudulentis ambagibus juretur.

Innovat etiam, atque confirmat Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. atque ait: *Ut omnes Catholica Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impij in tenebris conticescunt) sed & interius obsequendo, quæ vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant.* Dein declarat, ac decernit, *obedientie, quæ præiunctis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri: sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janfenii libri sensum, quem illarum verba præferunt, ut præferatur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hereticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate, supra dictæ formulæ subscribi licitè posse.*

232. Ultimam tandem refugium Iansenistarum est distinctio quæstionum juris, & facti: ad quam intelligendam sciendum, quæstionem juris vocari, quæ versatur circa jus: quæstionem facti, quæ versatur circa factum: e. g. circa hanc propositionem: *Verbum Divinum non est consubstantiale Patri*: quæstio facti est, an eam Arius, vel ejus sequaces protulerint, sive, an verè hæc propositio facta sit: quæstio juris est, an ea propositio sit digna censurâ hæreseos, vel an de jurè eam mereatur. Quoad Quæstiones juris suppono pro nunc, Pontificem esse infallibilem, ex tract. de fide: & permiserunt id saltem olim adversarii.

Quoad Quæstiones facti utique faciendum est aliquid discrimen: si factum est revelatum, e. g. quòd Christus instituerit SS. Sacramenta, & hoc Pontifex proponit fide Divina credendum, est necessarîo quoad hoc infallibilis. Quamvis autem revelatio talis sit obscura, si eam Pontifex determinet ad unum potius sensum, quam ad alium, est de fide illa declaratio; aliàs posset decipi Ecclesia tota, & habere pro articulo fidei falsitatem, vel hæresin.

Si autem factum non sit revelatum, subdistingendum est: si sit aliquòd factum; quòd Pontifex non proponit credendum, sed tantum supponit, ex testium informatione, & probatione, eoque supposito, procedit ad puniendum e. g. aliquem, vel econtra ad gratiam alicui faciendam, dispensationem dandam &c. non autem obligat Ecclesiam ad credendum, tale factum reverè contigisse, in hoc casu non est infallibilis Papa: imò nec Concilium cum Pontifice; & talis quæstio dicitur pura quæstio facti, seu facti informis; quia scilicet factum non est informatum definitione Pontificia, vel dicitur quæstio facti non dogmatici; quia nullum dogma post se trahit, aut involvit. Ratio autem hujus est; quia, esset eretur in tali facto supponendo, non induci-

inducitur in errorem Ecclesia: sed tantum Papa, ut homo privatus, errat, sicut alius iudex: nec ex tali errore sequitur magnum incommodum in Ecclesia DEL.

233. Nec dicas, Pontificem, si e. g. ob crimen aliquem deponit Episcopatu, agere ut Pontificem; alias enim deponere non posset. Resp. enim, eum agere quidem in aliquo sensu ut Pontificem, seu ut supremum Ecclesiasticum Iudicem, à quo appellatio non datur: non tamen agere in eo sensu, in quo infallibilis est: verbo tunc non agit ut Doctor Ecclesie; ex cathedra loquens. Interim etiam in talibus casibus, quando factum supponitur, quod revera non est, tenetur quis obedire Pontifici, & poenam subire: sicut quilibet, in casu falsi suppositi criminis, tenetur obedire punientibus aliis principibus secularibus, ne scilicet scandalum aliis præbeat: potest tamen talis condemnatus, licitis modis petere novum causæ suæ examen, productis testibus, omni exceptione majoribus &c. vide Bellarm. tom. 1. *contro. 3. l. 4. de Rom. Pontif. c. 11. Et tom. 2. contro. 1. l. 2. de Conciliis c. 19.*

Si autem factum Pontifex proponit credendum, vel tenendum, tanquam fidei articulum, aut tanquam doctrinam morum, tunc debet esse infallibilis; quia tunc factum non est informe, sed informatum definitione Pontificia, vel ut ali loquuntur, est factum dogmaticum, quod scilicet post se trahit, vel involvit, aliquod dogma fidei, vel morum, agitque Pontifex ut caput, & Doctor Ecclesie: adeoque ut habens infallibilem assentientiam Spiritus Sancti, ne Ecclesiam inducat in errorem. Et sic, quando Pontifex aliquem canonizat, proponit Ecclesie; eum in articulo mortis fuisse in statu gratiæ, quod est aliquod factum. Quia tamen proponitur talis homo toti Ecclesie colendus, & Ecclesia turpissimè erraret, colendo aliquem damnatum, non minus, quam si coleret dæmonem; hinc in tali facto debet Pontifex esse infallibilis, de quo pluribus *tr. de fide.* Hoc idem alii dicunt aliis verbis, nempe Pontificem esse infallibilem in quæstionibus facti, si sint annexæ quæstionibus juris, seu si error in illis traheret post se jus erroneum, e. g. in casu erroneæ canonizationis ista traheret post se præceptum erroneum, quo jubereetur homo damnatus coli.

234. Ex his inferendum, quid dicendum de definitione Pontificis circa propositiones damnatas, ut discernatur in illis quæstio juris, & quæstio facti, ac intentio authoris; quia propositiones solent sæpe damnari in sensu ab auctore intento: & sic damnatæ sunt propositiones Jansenii. Quia in re certum est, pertinere ad quæstionem juris, an sensus propositionis sit juxta, vel contra jus Divinum, aut humanum, hoc est, an juxta sensum obvium sit propositio contraria legi Divinæ, vel humanæ; utique enim manifestum est, hanc quæstionem esse juris, & non puri facti: sicut est quæstio de sensu legum scripturarum; nam & hæc sunt verbis, & propositionibus conceptæ: adeoque etiam est innegabile, esse quæstionem juris, an propositiones, excerptæ ex Jansenio, in sensu obvio, sint contrariæ juri, vel legi Divinæ, præcipiente fidem, an non: consequenter etiam innegabile est, Pontificem in earum damnatione infallibilem fuisse,

Quod autem quidam voluerint se excusare à juramento per hoc, quod ipsi Jansenium non legerint, adeoque nesciant, an propositiones illæ ibi continentur, est absurdissimè frivolum: quasi verò post tantam diligentiam, de qua n. 227. non sit intellectum a Pontifice, quid continetur eo in libro? Dicant, etiam Concilium Tridentinum non intellexisse Lutheri libros: adeoque neque hos anathematizent; eo quod ipsimet illos non legerint. Cum insuper Pontifices totam Ecclesiam obligant ad credendum, eas propositiones esse hæreticas, debet eorum iudicium hac in re infallibile fuisse, ne Ecclesia induceretur in errorem, rejiciendo veritatem tanquam falsitatem.

235. Quod attinet ad intentionem auctoris, duplex, ut ait Gormaz in *manu scriptis de grat. considerari potest intentio. Prima, quæ intra solam auctoris mentem reclusa est: altera, quæ vult auctor proferre verba, quæ apta sunt ingenerare, talem, vel talem conceptum in audientibus, vel legentibus mentibus, juxta sensum suum obvium: sic e. g. Cajus mentitur dicens Titio: *Non habeo pecunias*: quas scilicet Titius amissas reperit: in hoc casu duplex datur intentio Caji: una, in ejus animo recondita, qua intendit falsum dicere, & non verum: altera, qua vult dicta sua difformare iudicio mentis, & per obvium sensum verborum suorum Titio hunc conceptum ingenerare, ut credat, se non habere pecunias: vel qua vult proferre verba, quæ in sensu obvio ad illum conceptum Titio ingenerandum apta sunt.*

An Cajus habeat, vel non habeat priorem, illam intentionem mentiendi, est pura quæstio facti: an verò illa verba significant, Cajum non habere pecunias, & an apta sint ex institutione hominum ad ingenerandum hunc conceptum, planè est quæstio juris; quia illa verba, ex jure institutionis humanæ, habent eum sensum, aliàs neque esset quæstio juris, an hæc, vel illa, verba in suis circumstantiis essent vera, vel perjury, aut falsa, an libri Lutheri essent hæretici &c.

236. Jam ad rem nostram. Quando Papa, loquens ex cathedra, damnat aliquam propositionem in sensu ab auctore intento, non attendit ad intentionem auctoris unicè in animo reclusam, an difformis sit, vel non, obvio verborum sensui; sed attendit ad intentionem proferendi verba, quæ apta sunt, ut in sensu obvio, juxta institutionem hominum, talem, vel talem conceptum ingenerent. Et hæc est quæstio juris. Quod autem ad hanc intentionem attendatur, ratio est; quia fideles, qui eam propositionem damnatam audiunt, solum possunt agnoscere sensum verborum, ex hominum institutione iis impositum, & ex hoc colligere intentionem, quam habuit auctor, talem, vel talem conceptum, ingenerandi hominibus, vel loquendi verba apta ad eum conceptum ingenerandum.

Quare potissimum possunt fideles per hanc intentionem decipi, & in errorem induci: non autem possunt agnoscere, an auctor fuerit mendax, an non. Hinc fideles debent instrui circa illam intentionem loquentis, ex qua possent in errorem induci: non autem circa alteram, quæ

nullum in aliis producit errorem. Ex quo tandem colliges, quod, etsi Pontifex non definiens, quam intentionem Jansenius in mente reclusam habuerit, mentiendi, vel vetum dicendi, instruendi, vel decipiendi &c. tamen definiens, quod intentionem habuerit, per sua verba, aut scripta, vel per suum librum, talia dicendi, vel proferendi, quæ, juxta sensum obvium accepta, aliorum animis talem conceptum ingenerarent: in qua quæstione, ad jus spectante, Pontifex infallibilis est. Et hæc de Jansenii libro.

ARTICULUS VIII.

Uterior explicatio hæresis Janseniana.

237. Hucusque ostensum, hæresis Jansenianam stare in famosis illis quinque propositionibus, easque verissime contineri in Augustino Jansenii, quidquid hujus sequaces incautum obstrepant: restat, ut radicem, ac fundamentum horum errorum, paulò magis explicemus, ac totum Jansenii systema exponamus: tale autem ab ipso confingitur. Dantur, ait, geminæ in homine delectationes: una cælestis, & gratiæ: altera terrestris, & concupiscentiæ: utraque est motus voluntatis indeliberatus, & illa, quæ major, aut fortior est, trahit post se necessario deliberatum voluntatis assensum. Unde, si delectatio cælestis superet, insuperabiliter, & indeclinabiliter, sequetur actus bonus: e contra, si vincat delectatio terrestris, necessario trahit ad peccatum: quamvis forte gratia tunc debilior, quam concupiscentia, & complacentiam quandam boni voluntatem efficiat.

238. Hoc systema Jansenius: integro ferè libro, nempe *l. 4. de grat. Christi* adstruere contendit; nam à *c. 1. usque ad s. 6.* probare conatur, *medicinale Christi adjutorium esse cælestem suavitatem, seu delectationem juxta mentem Augustini*: dein *c. 11.* conatur ostendere, delectationem illam cælestem esse indeliberatum animæ actum: & quidem amoris, ac desiderii, præcedentis consensum: *Dicimus igitur, ait, delectationem istam, seu suavitatem, in Augustino celebrem, esse partim primam illam, & indeliberatum affectum anime, qui actualis complacentia est: partim etiam secundam, qui desiderium indeliberatum dicitur.*

Docet etiam *c. 9. & 10.* voluntatem nostram necessitate insuperabili eo tendere, quò antecedens delectatio major allicit, ita, ut, si vel parva objecti delectatio eam afficiat, & nulla in oppositum moveat, ineluctabiliter ad consensum trahatur: si verò contrariæ delectationes inter se pugnent, illa infallibiliter vincat, quæ major est. Hinc ait, voluntatem in absentia delectationis cælestis necessario concupiscentiæ motibus consentire: e contra, ait, Beatos, extinctâ concupiscentiâ, & præcepte delectatione cælesti, necessario DEUM amare: distractum autem contrariis gratiæ, & concupiscentiæ delectationibus animum, nunc his, nunc illis, necessario obsequi, prout scilicet nunc hæc, nunc illæ, fortiores sunt, seu fortius delectant.

239. Hic autem ratione, anima humana est machina, similis rotæ, puleo affixæ, æqua duæ: una per catenam ita suspensæ factæ, ut, dum una attollitur, altera demergatur, ut se-
cundum illi illustrius Cameracensis Archiepiscopi de Fencion *libell. pastoral. ep. 1.* vel (quod in idem recidit) est similis libræ, cujus modo axis istæ, modo illa deprimitur, prout mutatis vicibus nunc hujus, nunc alteri, gravius pondus imponitur. Sic quippe nunc fortius movet hominem pondus amoris, seu delectationis cælestis, aliàs fortius premit moles concupiscentiæ.

Quòd autem hæc concupiscentia sit natura intrinseca, pondus autem libræ ab extrinseco, imponatur, discrimen est pure materiale, nam inprimis pondus delectationis cælestis est voluntati extrinsecum: dein concupiscentia, quomodocumque sit intrinseca, non tamen est libera: imò, cum hujus nomine veniant quæ omnes motus, sive à dæmone, sive à homine, sive à malo, sive à bono, sive à malo inclinantibus, excitati, rectè etiam dicitur pondus concupiscentiæ ab extrinseco esse.

240. Jam verò hoc systema positò, cum non sit in nostra libera potestate, vel hanc, vel illam delectationem habere, interius tamquam eam, quæ prævalet, sequi debeamus: necesse etiam DEUS, quando præcepta sua jubet impleri, delectationem gratiæ validiorem semper det, nec semper alteram concupiscentiæ aucteratur, vel minuat, sequuntur absurdissima plurima. Certè pauci homines sentiunt in se libertatem cælestem, sensum delectationibus superioriorem.

Hinc, ut laudatus Cameracensis Archiepiscopus in præfatione pag. 19. infert, potestatis se plurimi exulare ex eo, quòd delectatione victrici carentes, non possunt delectationibus victiois resistere, & ideo necessario sequuntur motum concupiscentiæ, donec delectatio cælestis sine qua nihil contra vitiosum valeant, adveniat: quòdque hinc male acta adhibenda sunt potius suæ infelicitati, quam voluntati, cum ea admiserint ideo; quia DEUS necdum ipsa voluerit infundere delectationem gratiæ. Exclamat autem merito modo citatus Archiepiscopus loco adducto, systema hoc omnes morum regulas evertere, & omnem pudorem, etiam paganis congenitum, cujus tamen patrum volunt videri illi, si superis placet, morum, & Ecclesiasticæ disciplinæ reformatores:

241. Quòd autem adhuc intolerabilius est, hoc systema esse S. Augustini doctrinam, contendit Jansenius, & *l. 4. de grat. Christi. c. 2.* ait: *Creberrimè docet S. Augustinus, quàmvis in hac vita mortali vivimus, esse in homine lucem quandam duarum delectationum, noxiæ, & beneficiæ, terrene, atque cælestis, quarum utralibet vincat, animum, secum consentientem, ac primum trahit.* In probationem autem hujus sui asserti falsissimi, adducit inprimis illum S. Doctoris, quòd infirmitas humana insuperabiliter, & indeclinabiliter trahatur. Sed jam supra à n. 193. satis monstratum; ex eo textu nullam necessitatem antecedentem probari.

Adducit dein alterum textum, qui ab ipso *l. 4. de grat. Christi. c. 6. & 7. & 9.* dicitur editissimus, & præclarissimus: qui adverte videtur for-

bi characteribus: est autem desumptus ex expositione cap. 5. epist. ad Galat. v. 19. ubi S. Doctor ait: *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* Ex quo vult inferre, juxta S. Augustinum voluntatem semper ab ampliore, seu majore delectatione necessariò trahi. At, licet hæc verba S. Doctoris aliquantò difficiliora, vel obscuriora forent, non ideo statim propter verba ambigua, tam absurdum errorem ei attribuere deceret.

242. Verùm non est aded difficilis, vel obscurus hic locus: facile responderetur, delectationem, si non semper, saltem hoc loco significare complacentiam deliberatam, ac liberam: consequenter ex hoc textu nihil evinci pro involuntaria delectatione necessitante; nam in primis delectatio libera esse potest; aliàs quomodo eam suadere, aut imperare homini posset psalmista psal. 36. v. 4. *Delectare in Domino.* Dein ex Janenio ipso habetur, loco citato intelligentiam delectationem liberam; nam ipsemet l. 4. de grat. Christi c. 11. ait, delectationem naturæ rationalis, quando propriè sumitur, esse gaudium animæ, & quietem in objecto præsentis: at paulò antè dixerat, delectationem, quæ animæ gaudium, ac quies vocatur, esse ipsum consensum, vel hunc sequi: ergo delectatio, propriè sumpta, non est actus indeliberatus, sed deliberatus: adeoque, cum S. Augustinus hic propriè loquatur (neque enim est ulla ratio dicendi, eum impropriè loqui) loquitur de delectatione deliberata.

243. Accedit, quòd, legenti antecedentia illius expositionis sit clarum, S. Augustinum semper loqui de consensu, vel delectatione deliberata, ut plurimis locis posset ostendi: sed, ne sim nimis prolixus, adduco tantum sequentia. In primis S. Doctor ibi adducens ex eo capite 5. ad Gal. v. 17. illud: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur, ut non ea, quæ vultis, faciatis:* ait: *Putant hîc homines, liberum voluntatis arbitrium, negare Apostolum, nos habere, nec intelligunt, hoc eis datum, si gratiam fidei susceptam tenere nolunt: per quam solum possunt spiritu ambulare, & concupiscentias carnis non perficere. Si ergo nolunt eam tenere, non poterunt ea, quæ volunt, facere.*

Ubi duo adverto. Primò S. Augustinum loqui de eo consensu, vel delectatione, ad quam putarunt aliqui, juxta Apostolum non dari liberum arbitrium: ipse autem ait, istud dari: at utique non vult, dari liberum arbitrium ad delectationem concupiscentiæ præviam, & indeliberatam (hoc enim eum non velle, per se videtur clarum, & clarus est ex his, quæ postea subjungit de eo, quod est, non haberi concupiscentiam, seu peccatum, & istud non regnare, atque, tunc non haberi peccatum, quando nulli habentur inhonesti motus indeliberati, quod in hac vita ait ordinariè non concedi, sed primò futurum esse in altera: tunc autem peccatum non regnare, quando in motibus non consentitur: ergo loquitur S. Doctor ibi de concupiscentia, vel ejus delectatione deliberata, aut consensu libero.

Secundò adverto, hic S. Doctorem docere,

quòd hominibus liberum sit, fidei gratiam susceptam retinere, & ideo peccat illi; quia eam tenere nolunt, utique libere: ergo, quando-cunque dein de consensu, vel delectatione mala loquitur, semper ei est sermo de illa delectatione, quam ideo debuerunt perficere; quia gratiam fidei noluerunt tenere: adeoque semper loquitur de illa, quæ potuisset libere vinci, retinendo gratiam fidei: hæc autem est deliberata.

244. Rursus adducit S. Augustinus in eadem expositione ejusdem cap. 5. v. 16. illud: *Spiritus ambulate, & desideria carnis non perficiatis:* ubi noto 1. juxta S. Paulum, & S. Augustinum, debere esse in nostra potestate, spiritu ambulare, seu desideria carnis vincere (aliàs juberetur quid impossibile.) adeoque desideria ista, seu delectationes intelligi deliberatas, quas non debemus admittere. Noto 2. S. Doctorem multis dein ostendere, quòd habere, seu sentire tantum desideria carnis, non sit propriè peccatum: quæ ostendunt, eum velle, delectationem, quæ verè peccatum sit, & de qua ibi loquitur, esse liberam, vel liberum consensum. Inter alia ait: *Quippe non eas concupiscentias omnino habere, non jam certamen, sed certaminis præmium est, si obrinnerimus victoriam, perseverando sub gratia:* ergo illæ concupiscentiæ, quas non possumus non habere, non necessariò trahunt ad consensum, sed possunt vinci, si voluerimus perseverare sub gratia, seu, si voluerimus gratiam retinere, quòd ipsum, si volumus, ex S. Augustino possumus. Et quidem aperte supponit S. Augustinus, quòd eadem concupiscentiæ, quæ modò nos vincunt, potuerunt à nobis vinci, si voluissimus retinere gratiam: igitur ex delectationes, secundum quas necesse est operari, non sunt illæ prævix indeliberatæ, sed sunt ipsi consensus liberi, & delectationes deliberatæ, quibus positæ, necesse est, necessitate tamen tantum consequente, nos operari.

245. Confirmantur hæc adducendo integrum textum S. Augustini: qui sic sonat: *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est: ut verbi gratia, occurrit forma plectose femine, & movet ad delectationem fornicationis: sed, si plus delectat pulchritudo illa intima, & sincera species castitatis per gratiam, quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, & secundum hanc operamur.* In quibus verbis primò notandum, non dici: *secundum id velimus, necesse est:* sed: *operemur necesse est:* nam licet velle significet actionem internam, tamen operari communius indicat actionem externam, quam præcedit delectatio deliberata, seu consensus, aut imperium liberum, & efficac voluntatis: quod, dum oppositam volitionem inefficacem susperat, facit, ut liberè non amplius istud delectet, simul etiam potentias externas ad actionem externam necessariò determinat. Secundò notandum, quòd hic intelligatur delectatio, ad quam movet tentatio: atque hæc, tam ex intentione demonis, quam ex appetitu carnis, est deliberata (hanc enim querit demon persuadere, & hæc etiam cupit frui caro) & non est tantum prima illa inefficax velleitas, quæ nec demon, nec appetitus carnis (nisi refrænetur) contentus est.

246. Tertio notandum, quòd delectatio hæc à S. Augustino sumatur eodem in sensu, in quo paulò antè eodem loco dicitur ab eodem S. Patre: *Majior enim, & præpollentior delectatio eorum, justitia est.* Loquitur autem S. Doctor de iis, quos ait, non esse sub lege, seu sub peccato regnante: nec loquitur de delectatione objectiva, sed formali, quæ scilicet, ut ibi docet, vincuntur peccata: hæc autem delectatio, ut justitia sit, necesse est, ut non tantum bona, sed etiam libera sit; aliàs non denominat hominem justum, vel justè operantem: quippe indeliberata delectatio gratiæ stare potest cum actuali peccato, & cum habituali.

Quarto addendum, quòd S. Augustinus l. 22. contra Faustum, c. 28. postquam dixisset: *Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret: statim subjungit: Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potius, quam refranat:* & paucissimis interjectis: *In eo genere irrationalia facta sunt, ut inesse eis possibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccaverunt:* ergo rationales creaturæ habent possibilitatem, seu potentiam frænandi delectationem ab illicito, etiam illam, quam non frænando peccant; igitur, si quæ oritur in animo rationali delectatio indeliberata, quæ impediti non potest, potest frænari, nec necessariò trahit ad consensum, vel operationem.

Ex quibus omnibus legitime inferitur, S. Doctorem in textu objecto loqui de delectatione deliberata, qua posita, necesse quidem est, ut secundum eam operemur, ad necessitate tantum consequente, quæ impediti, seu, ut S. Doctor loquitur, frænari potest. Simul etiam ex his habetur, quòd respondendum adversariis, si hunc ipsum textum ex l. 22. contra Faustum c. 28. nobis objicere velint.

247. Obijciuntur etiam alia adhuc S. Augustini dicta, e. g. etiam necessitate facta improbanda: & iustorum esse voces: *Non enim, quòd volo, facio bonum, sed, quòd odium malum, hoc ago: hominem resistente, atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare.* Sed S. Doctor, vel tantum loquitur de natura faucia, vulnerata, & Divinis auxiliis destituta, ut l. de nat. & grat. c. 18. 19. & pluribus aliis.

Vel vult S. Augustinus, eam necessitatem non omnino insuperabilem esse, sed posse vinci per gratiam, sive proximè, & immediatè, sive mediatè, scilicet impetrando precibus gratiam proximè sufficientem: id quod patet ex textu n. 243. citato & l. de nat. & grat. c. 12. ubi, postquam dixisset, quòd in peccata labamur, id imputandum negligentæ nostræ, addit: *Dignetur inde & orare DEUM, ne illi hæc iniqua negligentia dominetur: & eodem l. c. 16. Hæc est fides, ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet, & fides impetret & c. 15. præmiserat. Itaque præcepto facere commonetur, quòd conantes, & nostris viribus non valentes, adiutorium Divinum precemur.* Vel tandem S. Doctor, facta ex necessitate, vult, non esse strictè dicta peccata, ut scilicet voces germanicæ dicuntur lingua germanicæ; cum sint tantum hujus effectus: quod est exemplum S. Doctoris l. 1. de nuptiis, & concupiscent. c. 23. quæ, & similia, tum in hoc tractatu, tum in tract. de assibus. (ubi de libertate,

itemque de ignorantia) & alibi sæpius, imò copiosè attulimus.

248. Addo tantum primò, quòd, quando S. Doctor ait, hominem necessitatum ad ea, quæ non vult, non possit neque juxta adversarios velle, illum in tali re peccare; quia dicit, id ab invitis fieri: at nec juxta Jansenianos invitus peccat: sic autem loquitur de justis S. Augustinus l. 1. retract. c. 24. *Et ipsi concupiscentias carnis, contra quas spiritu concupiscunt, quamvis eis non consentiant, nolent tamen ulla habere, si possent: & ideo non quæcumque volunt, faciunt; quia volunt eis carere, nec possunt.*

Addo secundò, quòd, quando S. Augustinus ait; excusatum neminem fore, si dicat, se perseverantiam non accepisse, rationem addat: quòd ipsorum liberæ voluntati imputandum sit; sic enim loquitur. l. de corr. & grat. c. 7. *Ex bona quippe in malam vitam sua voluntate mutati sunt . . . potest dici: homo, in eo, quòd audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles.* Addit quidem ibidem, eorum etiam excusationem non recipendam, qui Evangelium non audierunt: sed responderetur, eum tunc velle, quòd vel ignoraverint ex negligentia: vel, si omnino inculpabiliter ignoraverint, quòd propter alia peccata, non propter infidelitatem, damandi sint. Ita docet tract. 89. in Joan. sic scribens: *Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante, respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quò in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus: quæ fusiùs explicata sunt, ubi de ignorantia invincibili actum tract. de assibus.*

249. Ex hucusque dictis est manifestum, systema hoc Jansenij non esse S. Augustini doctrinæ conforme; videamus, an propitius accedat ad systema Calvini de gratia. Hujus ex l. 3. Institut. c. 3. compendium istud est. 1. Afferit, omnia opera hominum, tam electòrum, quam reproborum, esse infecta secreto veneno concupiscentiæ. 2. DEUM, voluntate purè gratuita, electis non imputare ad culpam, aut pœnam, malos motus concupiscentiæ: sed imputare illis potius justitiam Christi. 3. Contra reprobis imputare DEUM omnes motus illos malos, etiam indeliberatos. 4. Gratiam sanctificantem ab electis amitti non posse, eo quòd electio ipsorum immutabilis sit, & eorum peccata tegantur, hoc est, non imputentur. 5. Gratiam actualem, si adsit, non quidem cogere voluntatem, sed tamen trahere illam, delectatione necessitante: non tamen gratiam semper adesse, sed sæpe cedere locum concupiscentiæ. Ecce, in hoc primario puncto conveniunt Jansenius, atque Calvinus, quòd uterque duplicem motum delectationis, concupiscentiæ, & gratiæ, seu celestem, ac terrestrem, admittat, quibus, ceu ponderibus statera, ita mens humana moveatur.

250. Negat quidem Jansenius, se cum Calvino sentire; cum ab isto necessitas totalis, fixa, & absoluta: à se velle tantum flexibilis, partialis, & relativa adstruat. Sed negant iterum Calviniani, à suo Magistro (quamvis, utpote syncerior, libertatem negaverit) majorem necessitatem fuisse admittam, quam à Jansenio. Nos autem hic meritò querimus, quid senserint

cent hæc prædicata, quæ hic necessitati tribuuntur.

Respondent Janseniani: *Necessitas totalis* ea est, quæ potestate quacunq̄, partiali etiam, aut remota, voluntatem spoliat. *Partialis* verò, quæ tantum potentiam proximam aufert. *Absoluta* oritur ex ipsa natura. *Relativa* oritur ex voluntate: nec est necessitas, nisi eatenus, quantum delectatio fortior, relata ad debiliorem, sive cum ista comparata, necessitat. *Fixa* est, quæ adhæretur immobiliter uni. *Flexibilis* autem, quæ modo huic, modo illi adhæretur, nunc ratione caelestis delectationis bono, nunc ratione terrestri malo. Addunt, quod ex S. Augustino l. 3. de lib. arb. c. 3. ad hoc, ut tollatur libertas, debeat dari *inevitabilis*, & *fixa necessitas*.

251. Ut obiter aliquid interferam, adverto: hac ratione una lanx in libra liberè descendet, & liberè ascendet altera; nam necessitas earum est tantum partialis, relativa, & flexibilis; neque enim una præ alia exigit hoc pondus, nec una, nisi relata ad alteram, est gravata majore, vel minore pondere: & potest quodque pondus mutari, ac ei lanci, quæ prius pondus gravius habuit, modò levius imponi, ut adeò necessitas flexibilis sit.

Quod si tamen rei inanimatæ exemplum displicet, an non homo ligatus catenâ, ab ipso omnino insolubili, esset liber ad fugam; nam habet adhuc potestatem partialem, atque remotam; nempe pedes sanos, ac integros; neque enim per remotam potestatem intelligunt Janseniani eam, quæ mediata etiam dicitur, & per quam immediata, vel proxima, prohibito haberi potest, sicut juxta nos, habens potentiam orandi, in hac habet potentiam remotam vincendi tentationem; quia potest precibus impetrare gratiam proximam, ad illam vincendam: sed intelligunt tantum aliquam potentiam vel à DEO ad bonum, vel ab alio ad malum faciendum complebilem, ita, ut, si DEUS e. g. aliquid faciat, illa potentia proxima fiat: nec etiam juxta ipsos illa partialis potestas stare potest in alio, quam in voluntate, non quidem ex se, sed per gratiam, & concupiscentiam, modò ad hoc, modò ad aliud flexibili, nunquam tamen coacta. Ulterius homo taliter ligatus, duntaxat relatè ad catenam suis viribus superiorem, prohibetur à fuga. Tandem potest ab alio catenas hæc solvi, adeoque necessitas flexibilis est. Nec excipias, talem manere invitum, & intervenire coactionem; nam potest etiam manere volens, ut SS. Martyres in vinculis suis manserunt.

Et tamen quis omnibet, talem liberum esse ad fugam, & liberè (non tantum sponte) manere ligatum? Liberè non agit, qui non habet potestatem plenam, & nullo impedimento à se inaufertibili gravatam: quæ tamen impedimentum est necessitas illa partialis, quam diu adest, & ab homine, cui imposita est, tolli non potest. Verba S. Augustini objecta nil probant; ea enim sibi objicit S. Doctor, quasi ex præsentia DEI oriretur fixa, & inevitabilis necessitas, quæ utique libertatem tolleret: quamvis non ista fixa sola id faciat, sed alia quævis ab homine inevitabilis.

252. Jam verò Calvinus non aliam necessitatem admittit, quam; quæ à Jansenianis par-

tialis, relativa, & flexibilis dicitur; neque enim Calvinus negat Jansenianam illam, remotam, & partialem potestatem; quia nec negat voluntatem, quæ possit à DEO, vel aliis causis variè compleri, aut determinari: neque negat, voluntatem à coactione immunem; sic enim contra Pighium l. 2. de lib. arb. scribit Calvinus: *Sit coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & factor, & constanter assevero, ac pro heretico habeo, quisquis secus sentiat: si hoc, inquam, sensu liberum vocetur; quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.* Sed nec aliam, quam, quæ in sensu Jansenii relativa est, necessitatem admittit; quia necessitas juxta Calvinum non magis oritur ex natura, quam juxta Irenæum; nam etiam oritur ex voluntate ita comparata, ut à delectatione fortiore necessariò trahatur, adeoque necessitas est relativa ad delectationes; ait enim l. 2. Infit. c. 2. ex mente S. Augustini voluntatem ad pelevantiam formari, hoc est juxta ipsum, necessariò trahi impresso delectationis affectu: & eodem lib. c. 3. docet, quod gratia, id est delectatio caelestis major, in corde electionem, & voluntatem format. Addit ibidem, corda piorum sic efficaciter gubernari Divinitus, ut inflexibilis affectu sequantur. Iterum l. 3. contra Pighium docet, ideo ex S. Augustino hominem voluntate peccare: *Quia delectatione, & proprio appetitu movetur.*

253. Nec minus Calvinus, quam Jansenius admittit, necessitatem flexibilem esse; quamvis enim, ut modò citavimus, dicat, pios motum gratiæ inflexibili affectu sequi, non intelligit, eos semper ita sequi, sed tantum tunc, quando gratia movet; nam aliàs admittit etiam vicissitudines delectationum, caelestium, ac terrestrium, gratiæ, & concupiscentiæ: sic l. 3. Infit. c. 2. docet, quod etiam reprobi quandoque gustent dona caelestia, illisque conferatur à Christo fides temporalis: fidei autem Calvinus omnia tribuit. Ibidem de rege Saule, utique reprobo; adeoque ad malum postea verso, ait: *Ad tempus viguit pius affectus, ut scilicet DEUM amaret; & addit: Bonitatis ejus dulcedine capiebatur:* hoc est, delectatione.

Eodem modo asserit, quod etiam electi quandoque sint flexibiles ad malum, sicut SS. David, & Petrus, additque: *Quæ variatio ex fidei imperfectione contingit.* Igitur etiam Calvinus necessitatem tantum partialem, relativam, & flexibilem admittit: & hinc patet, merito Episcopos Galliæ an. 1656. 2. Sept. ad Alexandrum VII. scripsisse, priorem de Calvinistis nunc repressis curam, exceptam fuisse ab alia illi germana, ob erroris societatem, de prostriganda Jansenii doctrina. Operæ pretium erit legere hæc fusiùs explanata in Documento Pastoralis Illustrissimi Archiepiscopi Cameracensis epist. l. 2. c. 3. ubi elegantissimè, & eruditissimè petraclantur.

ARTICULUS IX.

Qua occasione sit edita Constitutio Unigenitus.

254. Ocasio, & causa hujus celeberrimæ Constitutionis est Paschasius Quésnellus, natione Gal-

Gallus, patriâ Parisinus, Oratorii JESU (non verò Societatis JESU, ut Basilensia nova aliquando imperitè scripserunt) Oratorii JESU, inquam, à Petro Berullo postea Cardinali anno 1611. instituti presbyter. Natus est Parisiis anno 1624. 14. Julii sortitus est ingenium, par quidem assequendis scientiis, sed novis doctrinis diffeminandis assuetum: quod testari potest Gallia, & Belgium, quas regiones innumeris libellis clanculum sparsis commovit. Anno 1675. S. Leonis Magni Opera differtationibus, notis, interpretationibus &c. distincta edidit, in quibus auctoritatem Summi Pontificis multum immittit: sed mox anno sequenti à S. Congregatione Indicis, prohibita sunt.

Inde anno 1678. in Comitibus Patrum Oratorii Berulliani prohibita est in eorum scholis doctrina Jansenii, atque mandatum, ut Patres omnes prohibitioni subscriberent: noluit id facere Quésnellus, insuperhabitis non tantum Superiorum suorum, sed Regis quoque, & Archiepiscopi Parisini mandatis: & propterea semper timidus, quia malè sibi conscius, quæsit satibulum: & locum vix paucis notum, paucioribus pervium, biennio integro inhabitavit. Rediit subinde Lutetias: ne autem ut regiis justis rebellis à Congregatione pelleretur, & ad extremos Regni limites ablegaretur, novem dierum itinere, in Belgium Bruxellas anno 1685. mense Februarii fugit: ibique 25to. ejusdem mensis appulsus, domunculam in humili, & abdita platea sitam, annis compluribus inhabitavit cum Arnaldo, qui & ipse ob Jansenismum Sorbonâ (cujus erat Doctor) & patriâ erat expulsus. In Belgio plurimos libellos famosos, & scripta pessima, furtivis typis edidit, ut patet ex data typis publicis Causa Quésnelliana anno 1705. seu processu juridicè ei factò: quorum scriptorum aliqua manu carnificis sunt combusta.

Subin anno 1690. mense Aprilis Belgio cum Arnaldo excedere jussus à Governatore, abiit in Hollandiam, ac deinde Leodium: inde post aliquod tempus Bruxellas reversus est, ac laica veste sese abscondit, donec anno 1703. 30. Maij ab Episcopo Mechliniensi, cum Gerberonio, & Brigodio, carceri esset mancipatus, interceptis quoque ejus scriptis, ac innumeris literis. E carcere tamen, adjuvantibus quibusdam, & murmur perorantibus, quartum post mensem elapsus est: non rursus citatus, ac comparere nolens, sententiâ tandem publicâ damnatus est, reus Bajanismi, & Jansenismi, ac declaratus incidisse in excommunicationem: atque aliæ quoque poenæ ei adjunctæ: & inter has exercitia per mensem obeunda, jejuniium feriis sextis in pane, & aqua servandum, donec Summo Pontifici de doctrina satisfecerit.

255. Hic igitur Quésnellus famosus est auctor Reflexionum Moralium in novum Testamentum, quæ sub variis, sed modicè differentibus titulis editæ sunt annis 1693. 1694. & 1699. quæque nonnulla dictionis suavitatem, & subtili artificio inferendi errores, sub ficta specie devotionis, aptæ naturæ sunt plures decipere, ac hæreses Jansenii instillare. Insuper adhibuit Quésnellus, non textum Sacræ Scripturæ editionis vulgatæ, sed editioni Montenfi in multis conformem, quæ Montenfi editio (ut habet R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

betur in Bulla Unigenitus) dudum est reprobatâ (nempe juxta à Clemente IX. anno 1668. & Innocentio XI. anno 1679.) & cujus textus in multos alienos, exóticos, & sape noxios sensus, est detortus.

Vix editus erat hic liber, cum Dominus de Formageat centum nonaginta novem propositiones ex eo collegit, & tanquam erroneas, ac reprehensione dignas, accusavit. Ipse Pontifex Clemens XI. eundem librum damnavit anno 1708. 13. Julii editâ Bullâ Universi Dominici gregis: at, cum generalis damnatio non proficeret, nec è manibus fidelium malè curiosorum excuteret noxium librum, rogatu Episcoporum Galliæ, & ipsius Christianissimi Regis Ludovici XIV. idem Papa, propositiones excerpti mandavit, & à compluribus in Theologia Magistris, coram duobus Cardinalibus, accuratè dicitur: *Deinde verò* (verba sunt Bullæ Unigenitus) *coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maximâ diligentia, ac maturitate, singularum insuper propositionum, cum ipsomet libri textu exactissimè factâ collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus.*

Post hæc Pontifex per dictam Constitutionem Unigenitus damnavit centum, & unam propositiones, variis censuris, tanquam falsas, captiosas, impias, hæreticas &c. quia tamen addit terminos hos: *respectivè damnamus:* si quum est, non culibet omnes censuras convenire; quamquam autem cuique conveniat, inferri debet vel ex materia, vel ex aliis pridis jam damnatis propositionibus. Addit sub finem Bullæ Pontifex, se per expressam istarum propositionum damnationem nullatenus alias approbare; cum plurimæ aliæ adhuc damnabiles sint deprehensæ, quas tamen referre, cum nimis longum foret, non sit visum necessarium. Ait insuper, intolerabilius esse, quod ipse facer textus damnabiliter sit vitatus.

256. Hæc est notissima illa Constitutio, quæ incipit Unigenitus DEI Filii, edita à Clemente XI. anno 1713. 8. Septembris, quæque à toto orbe acceptata est, (à multis expressè, à plurimis tacitè) exceptis quibusdam Gallis, qui tamen tam parùm possunt obesse communicationi Ecclesiæ, quam parùm acceptationi Tridentini obfuit, quod non fuerit receptum à Lutheranis, & Calvinistis; unde quamvis pro nunc ommitteretur (quod tamen falsum censemus) quod Constitutio Pontificia non sit infallibilis ante consensum, vel acceptationem Ecclesiæ, nihil obesset huic Bullæ.

Nullatenus autem dici potest, Gallos eam Constitutionem non recepisse; nam in Conventu Cleri Gallicani anno 1714. mensibus Januario, ac Februario, per sex sessiones habito, recepta est Bulla à 40. Episcopis, inter quos fuere Cardinalis de Rohan, & 7. Archiepiscopi: qui Conventus in Documento Pastoralibus edito dicitur fuisse ex numerosissimis, qui sint visi in Francia. Idem Episcopi communi nomine ad Summum Pontificem dedere literas 5. Febr. 1714. quibus sic ad eum scribitur: *Nos Majorum nostrorum exempli secuti, atque eodem, quo illi, in Apostolicam Sedem studio flagrantes, Sanctissimæ vestræ postremam Constitutionem consimili obsequio;*

quo, ac veneratione, amplexi sumus: neque verò deinceps officio nostro deerimus, ut ab omnibus, quos Divina providentia curæ nostræ commisit, pari animo, ac fide accipiatur. Addunt, consecisse se *Documentum Pastorale*, seu instructionem, ut tollatur occasio ulterius litigandi: curæ quoque sibi fuisse, hortari reliquos Episcopos, ut idem Documentum in suis Diocæsisbus promulgent: subjungunt, hæc Constitutione robustissimè, & apertissimè profligatos fuisse errores &c. Tandem gratulantur Pontifici, & optant diuturnum regimen, seque dicunt paratos cum eo animas suas pro fide ponere. Similiter dederunt literas ad omnes reliquos Gallix Episcopos, quibus eos hortantur, ad publicandam memoratam Bullam, eamque executioni mandant.

Inde ipse Ludovicus XIV. Rex Christianissimus eodem anno 1714. 14. Febr. jussit, hæc Constitutionem recipi, publicari, & observari. Accessere subin acceptatione expressa longè maxima pars Episcoporum, quibus nuper Eminentissimus Cardinalis Ludovicus Antonius de Noailles Archiepiscopus Parisiensis, maximo bonorum omnium solatio, se junxit, & edito anno 1728. 11. Octobr. mandato, Bullam *Unigenitus* ab omnibus suis subditis acceptari præcepit. Secuti hunc sunt alii plures, ut adeo ex centum viginti, & aliquot Episcopis Gallix, vix paucissimi supersint, qui Constitutioni huic necdum se submiserint: crescitque in dies Bullam acceptantium, & appellationi suæ renunciantium numerus: atque ipse est, brevi totam Galliam quoad hoc punctum fore unanimem: præsertim post Decretum, seu Mandatum hac de causa à moderno Christianissimo Rege Ludovico XV. 24. Martii an. 1730. editum, quo imprimis confirmat Decretum, seu Mandatum Ludovici XIV. 14. Febr. an. 1714. editum (de quo supra) dein jubet, ut Constitutio *Unigenitus* in tota Gallia inviolabiliter observetur, tanquam lex Ecclesiæ, & lex regni Franciæ, ea submissione, quæ debetur judicio universalis Ecclesiæ in materia doctrinæ.

Hoc Decretum, seu Mandatum idem Rex suo in throno, & loco solito Parlamenti considerens, præsentibus regii sanguinis Principibus, Ducibus, & Paribus Franciæ, itémque consiliariis 3. Aprilis an. 1730. solemnissimè publicavit, ac Parlamenti actis, seu registris inferi petiit: quod etiã faciendum, plurium Parlamenti membrorum votis conclusum est. Cum autem postea idem Christianissimus audisset, aliquos ex Parlamenti membris subinde conventicula celebrare, ratione hujus Constitutionis, vel potius ejusdem in acta inscriptionis (circa quam nempe volebant tergiversari) rex plures ex illis ad se vocatos reprehendit, & insuper per Cancellarium suum, minas graves eis intemit, ni ocyus parerent: quod se facturos, eum humiliter deprecatione priorum à se actorum, sponponderunt.

257. Sed, etsi remaneret aliqui pauci Antistes, Constitutioni huic contrarii, eorum tergiversatio pro nihilo esset reputanda. Certè etiam in Concilio Nicæno viginti duo Episcopi adhæserunt Ario; & tamen neglecti sunt. Rursus, cum octodecim Episcopi Juliano Pelagiano adhæsisserent, neglecta etiam est istorum intercessio, aut reclamatio: quid igitur deest, quo

minus Constitutio hæc acceptata dicitur, etiam in Gallia? an requiretur insuper cuiuslibet plebanitici consensus? an alix nationes omnes, extra Galliam, per omnes quatuor orbis partes diffusæ, expectare debebant, donec adhuc unus, aut alter Episcopus in Gallia consensit?

Si cum quibusdam dicas, in Conventu Parisino defuisse Episcopis requisitam libertatem; imprimis malè de iis sentis, quasi timore, non mortis, sed longè inferioris mali, conscientias suas, ac fidem prodiderint; debuissent enim, si fidem periclitari putassent, reclamare, ut secèdè Patres antiqui tempore Arianorum. Sed insuper falsum est, defuisse iis libertatem; jussit enim Rex significari Episcopis, nequaquam se velle vim ullam afferre Prælati, imò cuius integritatem esse ad conscientiam suam arbitrium sententiam dicere. Adde, quòd modò, dum loqui libere possunt, mortuo Rege, non recedant, sed scriptis, & dictis, receptionem conferant, ac adversariorum novos libellos perniciosos, hac in materia, magno zelo condemnent.

258. Cum igitur Janseniani nescirent, quid ultra opponerent, quidam eò progressi sunt, quò antecessores eorum, etsi satis audaces, tamen nunquam se abripi passi sunt: scilicet appellarunt ad Generale Concilium, quam appellationem Quæsnellus, quarto ante obitum suum die, rogatus etiam duobus libris, scripto innovavit, eique immortalis est Amstelodami. 2. Dec. an. 1719. ætatis 87. Nempe sciunt vaserrimi homines summam difficultatem congregandi Generale Concilium, adeò, ut intra plurimos annos cogi non possit: quod cuique constabit legenti Historiam ultimi Generalis Concilii Tridentini; hinc putant, se interea impunè posse suas hæreses spargere. Certè, si Christus Ecclesiæ non reliquisset aliud medium extirpandi errores, non videretur satis ei consuluisse; cum hoc medium difficillimum sit, & intra centenos annos vel semel sperari non possit.

Sanè pluribus annis laboratum est, donec Patres Tridentum congregati sint. Post varia per quinquennium integrum consulta, atque tentata, tandem indixit Concilium Tridenti celebrandum Paulus III. an. 1542. sessio tamen prima est habita primum an. 1545. 13. Decembris. Bis fuit Concilium hoc omnino suspensum, & præsertim toto tempore Pontificatus Pauli IV. tandem primum post octodecim annos, scilicet an. 1563. 3. & 4. Decembris ultima, seu vigesima quinta sessio habita est, ac synodo finis impositus, cum interim fuissent saltem quinque Pontifices maximi. Fluxerunt jam à fine illius Concilii centum, & sexaginta septem anni, & nemo cogitavit de cogenda rursus synodo universali ob difficultates vix non insuperabiles. Si ergo expectari semper deberet Concilium Generale, donec error profligaretur, hic per centum, & amplius annos, impunè posset grassari, cum innumerabili numerum fidelium pernicie. Audiant isti, si verè sunt S. Augustini discipuli, Magistrum hunc contra duas Epistolas Pelagian. l. 4. c. 12. Aut verò, ait, Congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla heresis aliquando, nisi synodi Congregatione damnata sit, cum potius rarissime inveniuntur, propter

quas damnandas necessitas talis extiterit. . . . Verum istorum superbia . . . hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos orientis, & occidentis, synodus congregetur; orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur; cum potius vigilantia, & diligentia pastoralis, post factum illis competens, sufficiensque iudicium, ubicunque isti lupi apparuerint, contemdi sint.

Accedit, quòd ferè semper hæreticorum mos fuerit, appellandi ad Concilia: appellarunt Pelagiani, appellarunt Lutherani, ad Concilia Generalia, & tamen postea non obdiderunt eorum decretis; quia semper invenerunt, quod contra Concilia, magnis curis, & impensis, tandem coacta, fucate exciperent. Sic & Jansenianis non defuturus esset focus exceptionis, dicendo, vel, quòd non fuerit Concilium liberum, vel, quòd ipsi non fuerint satis auditi, sive, quòd ex affectu, & passione invidiæ, non ex ratione, Concilium processerit. Vellent scilicet, sicut Ariani olim, & postea etiam Lutherani, ita isti, Concilium ita liberum, ut ex suæ factionis hominibus tantum esset compositum. Sed hæc quæstio spectat ad Tractatum de fide, in quo DEO dante, paulò copiosius hanc materiam pertractabimus.

259. Locum hinc sibi peteret expositio ipsarum damnatarum propositionum Quæsnelli: at quia fusior earum explicatio integrum, & quidem sat magnum tractatum, sibi soli posceret, remitto avidos hujus notitiæ ad eruditos simul, & profundas aliorum lucubrationes, quales sunt Dominici Viva *Trutina Theolog. tom. 2. p. 4.* Christophori Jacobs *Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata.* Jacobi Spreng *Constitutio Unigenitus vindicata &c.* Ut tamen non omnino raceam, sciendum imprimis, quòd eo libro Reflexionum moralium Quæsnellus docuerit maximè Baij, ac Jansenij hæreses, aut propositiones aliquas alius, præsertim Superioribus injurias.

Itaque propositio omnium prima docet, hominem amissa gratiâ nihil boni posse operari, & generaliter impotentem esse ad omne bonum. Hæc, si loquatur de gratiâ habituali, quæ propriè dicitur perdit, aut amitti (quia ex se permanens est) falsa est; quia utique peccator potest aliquid boni etiam supernaturalis cum gratiâ actuali facere: si autem loquatur de gratiâ actuali, equidem nihil boni supernaturalis potest homo facere sine ea: attamen potest facere aliquid boni naturalis, ut fuscè à n. 83. probatum. 2. 3. 4. 5. & seq. docent, hominem, nisi habeat gratiam efficacem, nihil boni operari posse: adeoque tollitur gratia sufficiens. Idem confirmant vel maximè propositio 9. 10. 11. 12. 13. & plures consequentes. 26. autem, & aliqua sequentes adimunt infidelibus omnem gratiam; quia in iis dicitur, non dari gratiam, nisi per fidem, & hanc esse primam gratiam; atque extra Ecclesiam nullam concedi gratiam: dicere autem, quòd infideles nullam recipient gratiam, damnatum est ab Alexandro VIII. in 5. propositione: & in hos sensus hucusque adductos veniunt adhuc plures propositiones sequentes.

Propositio autem 49. & plurimæ sequentes, volunt, non esse actum bonum, quin eli-

ciatur ex amore DEI: timorem DEI verò ducere ad desperationem, si sine amore sit: quæ non possunt conciliari cum bonitate actus attritionis ex metu gehennæ, nec cum damnationis propositione 14. ab Alexandro VIII. proscriptæ. 68. nimum tribuit fidei, ac precibus. 69. tollit merita nostra. 70. docet cum propositione 72. Baij, neminem innocentem à DEO affligi, quod in B. Virgine, Martyribus, & innumeris aliis, falsum est. 71. docet, hominem ob sui conservationem posse se dispensare ab ea lege, quam DEUS condidit propter ejus utilitatem: quod absque distinctione, & præsertim de lege Divina, universaliter prolatum, est falsum, & laxitibus plurimis osium pandit.

Propositio autem 72. & sequentes excludunt peccatores ex Ecclesiâ, & relinquunt intra eam solos electos. Propositio 79. cum sequentibus vult, licitum culibet esse legere S. Scripturam; etiã simplici populo, ut Lutherani etiam faciunt. 86. non tantum vult, homines debere etiam in Ecclesiis canere aliqua, e. g. Gloria, vel Credo, vel aliòs cantus piòs: sed etiam debere dicere eandem omnes orationes Missæ cum sacerdote, & quidem, ut *Documentum Pastorale* Episcoporum Parisiis congregatorum explicat, in lingua vulgari. 78. & sequentes inducunt alium modum ministrandi Sacramentum poenitentiae, severissimum, & ab usu Ecclesiæ alienum, quo volunt se monstrare nescio quantos reformatores morum, & interim homines vix non faciunt desperare. Propositio 90. videtur innovare doctrinam Edmondi Richerii, docentis, Christum immediatè claves contulisse Ecclesiæ, ita, ut per unum hominem potestas exerceretur: estque prorsus falsa; cum potestas excommunicandi sit à Christo immediatè data Petro, & non fidelibus, seu ovibus: multo minus debet præsumi consensus totius Ecclesiæ; sic enim nulli hæretici possent unquam excommunicari; cum saltem ipsi nunquam consentiant. 91. & 92. faciunt contempere censuras Ecclesiæ, dum quisque sibi imaginatur, se injustè censuratum: præterquam quòd falsum sit, non debere quenquam unquam impediri, censurâ revera etiam injustâ, ne aliquid faciat; cum utique debeat quique in foro externo obedire, saltem quando non prohibetur ipsi aliquid jure naturali, vel Divino præceptum, 93. concedit subditos ad inobedientiam erga superiores Ecclesiasticos, itémque 94. 95. 96. 97. 98. 99. ac 100. Ultima tandem, si ritè intelligatur, non vult dicere, quòd non debeant virari juramenta non necessaria: sed, ut bene advertunt Episcopi congregati Parisiis in suo *Documento Pastoralis*, respicit juramentum contentum in formulario, de quo n. 227. quod velent Quæsnellus, & focii omnino abolitum. Hæc pro instituto nostro sufficient.

260. Addo tandem, injustè conquestos quosdam fuisse, quòd propositiones ex libro Reflexionum non fideliter fuerint excerptæ; quippe ad hos convincendos tantum opus est inspicere Constitutionem *Unigenitus* Parisiis editam, ubi in altera columna, ipsissima Quæsnelli Gallica verba ponuntur, quæ quilibet linguæ peritus videbit manifestè synonyma. Sed

nec dici potest, verba à contextu abstracta duriorum facere sensum, quam in libro ipso, & suis adjunctis vestita, facerent; nam non est nexu inter se earum Reflexionum, sed pro varietate sacròrum textuum, additæ sunt variaz, dispersatæ; & nullo modo coherentes reflexiones. Quæri fors hic posset, quem sensum habeant censuræ propositionum, quandoquidem aliquæ dicuntur hæreticæ, aliæ hæresi proximæ, aliæ piarum aurium offensivæ, scandala lozæ, captiosæ &c. sed quia explicatio hæc spectat ad tractatum de fide, hac de re eo loco agemus.

Post hæc jam sibi locum postulerent questiones de gratia efficaci, eiusque concordia cum libero arbitrio: at quia Paulus V. Pontifex Summus anno 1607. vetuit, hac de materia quidquam typis vulgari, obedienter abstinemus. Qui hac de re solide instrui cupit, ad eat Suarezium, cujus tres tomi de gratia cum licentia S. Sedis sunt editi. Ego interim hæc repeto, quod Bellarminus de ascensione mentis in DEUM gradu 4. c. 1. ad eundem DEUM suspirans scripsit: *Malo experiri, quam scrutari efficaciam gratie tue.*

DISPUTATIO II.

De Gratia Habituali Sanctificante.

361. **O** Viedo tract. 8. de justificatione contrav. 1. punct. 1. n. 2. vocat omnes errores Lutherorum circa gratiam sanctificantem (quæ est justificatio nostra) ad quæque. 1. justificationem stare in sola remissione peccatorum; & non esse justitiam aliquam positivam. 2. justitiam esse quidem formam positivam, sed non bis extrinsecam, scilicet esse, vel justitiam, qua ipse DEUS justus est, vel esse merita Christi, aut alium favorem extrinsecum Divinæ voluntatis. 3. justitiam esse qualitatem intrinsecam quidem, & inhærentem, sed imperfectam, quæ ad justificandum indigeat adhuc aliquo alio extrinsecò (tanquam forma simul justificante) 4. justitiam stare in in sola fide. 5. justitiam, quæcunque sit, non verè remittere, sed tantum tegere peccata. Videri hæc possunt fusiùs deducta, & in plures divisiones distributa apud Bellarm. tom. 4. contr. 3. generali. contr. 2. princip. l. 2. c. 1.

262. Catholicum dogma est, justificationem nostram esse formam intrinsecam, seu esse gratiam sanctificantem, inhærentem homini, distinctam à fide, remittentem verè, seu destruentem peccata, & non tantum ea tegentem: sic definit Tridentinum sess. 6. c. 7. his verbis: *Hanc dispositionem, seu preparationem, justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed est sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum; & paulò inferius: Denum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ: & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam: & post pauca. Quamquam enim nemo possit esse*

justus nisi, cui merita passionis Domini nostri JESU Christi communicantur, id tamen in hac impia justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsi inberet. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per JESUM Christum, cui inseritur &c. quibus verbis omnes errores superiores damnantur, ut constabit cuique attentè hæc expendenti, nec opus est longiore explicatione: & hinc omnis controversiis polemici, ad magis scholasticas gradum facimus.

QUESTIO UNICA.

De Essentia, & Proprietatibus Gratia Sanctificantis.

ARTICULUS I.

Quid sit gratia sanctificans, & an sit identificata cum habitu charitatis.

263. **G**ratiam sanctificantem esse quasi naturam in ordine supremo, exigentem, tanquam suas proprietates, habitus supernaturales, qui sunt quasi potentia ipsius, est communior Theologorum sententia; quia regeneratio illa, qua per baptismum (vel suo modo per poenitentiam) renascimur in Christo, nihil est aliud, quam justificatio in baptismo, vel etiam in poenitentia nobis collata: quæ justificatio ex Tridentino sess. 6. c. 7. non est sola peccatorum remissio, sed est sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Quare præter gratiam sanctificantem, quæ scilicet est sanctificatio, etiam conferuntur alia dona, de quibus infra c. cap. Tridentinè sic dicitur. *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Scilicet, ut generatio in ordine naturalis afferat nobis naturam, exigentem potentias, & proprietates naturales, ita generatio spiritualis afferat nobis quasi naturam, exigentem proprietates, & potentias supernaturales, nempe gratiam. Dicitur autem gratia quasi natura; nam cum habitus non recipiantur in gratia, neque ipsa eos petat sibi, sed animæ, in qua recipiuntur, neque etiam gratia denominet se ipsam filiam DEI, sed tantum hominem, inde non est strictè natura.

264. Rursus hæc gratia sanctificans communissimè dicitur esse participatio Divinæ naturæ, ideo, ut exponit Suarez. P. 3. de grat. l. 7. c. 1. n. 30. quod; cum natura Divina sit quædam intellectualis, seu intellectiva natura altioris ordinis, quàm possit esse ulla substantia intellectualis creata, ille gradus intellectivitatis, qui est in Divina natura, Divino, & supernaturali quodam modo, participatur per habituales gratiam, ita, ut à nulla substantia creata per se ipsam, vel per potentiam sibi connatam, ita participari possit. Sic Divina natura

Quid sit gratia sanctificans, & an sit identificata cum habitu charitatis.

tura est in ratione objecti, in se, & per visionem intuitivam intelligibilis, adeò elevata, & excellens, ut ratione purissimæ actualitatis, & immaterialitatis suæ, seu ratione supremæ perfectionis suæ, à nulla substantia creata intellectuali possit connaturaliter per visionem intuitivam attingi, sed tantum à se ipsa, seu potentia intellectiva Divina.

At verò per gratiam sanctificantem natura creata intellectualis elevatur (seu formaliter, & immediatè, seu radicaliter, & mediatè, per lumen gloriæ, quod gratia sanctificans causat) ad participationem illius gradus intellectivitatis Divinæ, ut possit objectum illud, ex se tantum à Divino intellectu per visionem intuitivam attingibile, ipsa quoque per visionem intuitivam cognoscere: ex quo per se dein sequitur, quòd DEUM etiam possit amore altioris ordinis amare. Et hæc participatio naturæ Divinæ, ut ibidem n. 32. tradit Eximius, est sufficiens proportio in natura, ut possit inter DEUM, & hominem, dari vera amicitia: nec est experenda major proportio; tum quia æqualitas impossibilis est; tum quia non requiritur ad amicitiam æqualitas absoluta. Hinc sufficit, quòd pura creatura dicto modo participet Divinam naturam, quoad modum intelligendi, & amandi DEUM, ipsi DEO proprium, in eodem ordine, ac gradu connaturali, quantum fieri potest; nam ex hoc quasi consortio, naturæ Divinæ, & creatæ, maxime per visionem, & amorem, oritur consortium amicabile, & fit homo dignum objectum amoris amicitiz apud DEUM, adeoque amicus DEI.

265. Uterius hæc gratia non est substantia, sed accidens; nam ex Tridentino citato n. 262. est causa formalis, id est, forma, & quidem in nobis suscepta, aut recepta: non autem datur in nobis forma substantialis præter animam, & fortè unionem, quæ est substantia ut quo. Neque gratia est qualitas transiens, sed inhærens; unde dicitur habitualis. Eam autem esse inhærentem desumitur ex Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica. ubi Concilium Viennense sententiam Doctorum asserentium, parvulus infundit gratiam sanctificantem saltem quoad habitum, tanquam probabiliorum amplectitur. Catechismus autem Tridentini titulo de baptismo s. de eximii baptisimi fructibus mihi, n. 38. ait. *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, penâ anathematis proposita, decrevit, non solum, per quam peccatorum sit remissio, sed Divina qualitas in anima inberens: quare de hoc dubitari non potest. Sed quæritur jam ulterius, an gratia habitualis sit realiter distincta ab habitu charitatis, qua in re utrinque stant graves Theologi.*

266. Dico. Gratia sanctificans probabiliter distinguitur realiter ab habitu charitatis, ita Suarez, Haunoldus, Gormaz, & plurimi gravissimi Theologi: quamquam etiam in oppositum stent valde graves: ait tamen Suarez. l. 6. de gratia c. 12. n. 1. nostram sententiam à piuribus, & gravioribus defendi: quibus accedit S. Thomas, 1. 2. q. 110. a. 3. in corp. ubi sententiam hanc probans, docet, gratiam sanctificantem esse quasi naturam virtutum infusa-

rum, sicut lumen rationis est quasi natura virtutum acquiratarum: & ait, quòd, sicut virtutes naturales distinguuntur à natura, & à lumine rationis, ita etiam virtutes supernaturales distinguuntur à quasi natura, seu gratia: & quòd, sicut in ordine naturali natura præsupponitur ad virtutes naturales, ita gratia præsupponitur ad virtutes supernaturales. Idem tradit S. Doctor, q. 27. de veritate a. 2. & in hujus S. Doctoris reverentiam hanc præ opposita sententia, etiam amplector.

Prob. 1. Concilia sæpissimè agunt de gratia, & charitate, tanquam de duobus distinctis: imò sæpe istas, tanquam duas enumerant, quando enumerant etiam alia ut plura, de quibus certum est, ea realiter distinguuntur ergo probabiliter dicitur, eas esse realiter distinctas. prob. ant. Inprimis Concilium Viennense, ut refertur in Clementina. de summa Trinitate, & fide Catholica, saltem tanquam probabiliter dicit, quòd parvulus infundatur gratia, & virtutes: ergo, ut arguit Suarez, cum Concilium indefinitè loquatur, & gratiam contraponat omnibus virtutibus, insinuat, eam esse distinctam ab omnibus virtutibus: adeoque etiam à charitate. Rursus Concilium Tridentinum, sess. 6. c. 7. ita habet: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem:* ergo justificatio, sive gratia, sicut est distincta realiter à remissione peccatorum, fide, & spe, ita etiam à charitate.

Pariter Concilium Moguntinum, habitum durante, vel suspensò Tridentino, cap. 7. inter capitula ad fidem spectantia ait: *Cum venia peccatorum homo etiam DEI gratiam, & per Spiritum S. una cum fide simul charitatem in corde diffusam, ac spem accipit:* ubi iterum loquitur de gratia, eique tanquam distinctæ innectit charitatem, non minus, quàm fidem: ergo verisimile est, Concilium agnovisse distinctionem realem. Catechismus etiam Tridentini de baptismo. loc. cit. n. 265. ait: *gratiam infundi, quæ sit splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, & splendidiore reddidit:* ergo non censet, eam strictè esse habitum, cujus saltem primarium officium non est, esse lucem, & splendorem, sed esse effectivum actuum supernorum: & paucis interjectis ait: *Huius autem gratiæ adaitur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur:* ergo gratiam iterum ab his omnibus, adeoque etiam à charitate agnoscit distinctam.

267. Confr. 1. In sacris Scripturis sæpe de gratia, & charitate, tanquam de duabus entitatibus est sermo: ergo. prob. ant. 2. ad Cor. 13. v. 13. sic scribit S. Paulus. *Gratia Domini nostri JESU Christi, & charitas DEI, & communicatio Spiritus, sit cum omnibus vobis.* Equidem Esparza dicit, intelligi charitatem actuali: sed sic etiam intelligi possit gratia actualis, quam tamen nec ipse intelligi vult. Sic etiam idem S. Apostolus scribit ad Ephes. 6. v. 23. *Pax fratribus, & charitas cum fide, à DEO Patre, & Domino JESU Christo: gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum JESUM Christum.* Confr. 2. Aliæ omnes virtutes distinguuntur à gra-

à gratia, licet omnes virtutes morales in hac providentia, à gratia sint inseparabiles: ergo probabiliter etiam charitas; quia nullam adversarii rationem pro identitate hujus afferunt, quæ sit majoris momenti, quam inseparabilitas.

Id tamen hic facile admitto cum Gormaz n. 9. de gratia sanctificante, justificationem, saltem integraliter sumptam, involvere pro constitutivis non tantum charitatem, sed etiam alias virtutes, adeoque justificationem non adæquate distingui ab habitu charitatis, bene autem gratiam: quod etiam tenet Eximius. l. 7. de gratia. c. 9. maxime n. 20. nam justificatio integraliter sumpta est renovatio interioris hominis; sitque per voluntariam receptionem gratiæ, & donorum; hoc est, virtutum, ut assertit Tridentinum sess. 6. c. 7. Neque obest huic asserto, quod fides, & spes, possint manere sine gratia, & justificatione; quia calor etiam potest manere sine igne, licet sit aliqua proprietas ignis. Accedit, quod fides, & spes non recipiantur in gratia, tanquam subiecto, sed in anima: neque recipiantur in justificatione; cum hæc sit complexum ex remissione peccatorum, gratiæ, & donis virtutum, ex quibus, ut patet consideranti, nihil est subiectum fidei, aut spei &c.

268. Ut autem argumenta adversa facilius articulo sequenti solvamus, noto 1. ex Gormaz. de grat. n. 13. vocem charitas triplicem apud SS. Patres, Concilia, & Scripturas, habere significationem. Primò hæc vox significat donum ex charitate collatum, seu effectus charitatis: & fictali, ac Galli, eleemosynam vocant charitatem: quin & Germani quoque, dum rogant, sibi exhiberi aliquid obsequium, vel favorem, rogant, exhiberi sibi charitatem: sic autem etiam ipsa gratia sanctificans vocatur charitas, non creata, sed Divina, quatenus est donum ex charitate, qua DEUS nos amat, profectum: & hac ratione explicatur illud, 1. Joan. 3. v. 1. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus: hoc est, qualem gratiam sanctificantem, quæ est donum, seu effectus charitatis Divinæ.

Secundò significat vox charitas habitum virtutis, elicivum actuum amoris DEI super omnia: & in hoc sensu loquitur Apostolus ad Rom. 5. v. 5. Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis: item 1. Cor. 13. v. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas. & S. Aug. l. de spir. & liter. c. 32. Charitas quippe DEI dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Tertiò significat hæc vox personam, quæ diligit, & ex dilectione sua dona communicat: sic 1. Joan. 4. v. 16. dicitur: DEUS charitas est: sicut alibi etiam DEUS dicitur fortitudo nostra, patientia nostra, & similia.

269. Noto 2. quamvis munia gratiæ sanctificantis tribuantur aliquando habituali charitati, non tamen sequi, eas esse identificatas; nam ad has, vel similes denominationes, sufficit, quod habitus charitatis speciali modo concurrat ad munia gratiæ, seu ad faciendum filium adoptivum DEI, ejusque amicum; & sic

in Scriptura tribuitur justificatio etiam fidei, & spei; nam ad Rom. 4. v. 5. dicitur: Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam: & ad Rom. 1. v. 17. Justus autem ex fide vivit. & ad Rom. 8. v. 24. Spe enim salvi facti sumus. Imò Tob. 4. v. 11. dicitur: Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat: quin illi habitus, seu virtutes, sint gratia sanctificans, sive forma expellens peccatum. Quare, licet habitu charitatis attribuitur aliquando in Scripturis justificatio, non sequitur, quod cum gratia sanctificante, quæ est inter primaria constitutiva justificationis, identificatus sit: sed tantum, quod ad eam infundendam specialiter concurrat.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones contra hucusque dicta.

270. **O**B. 1. ex hæreticis. Gratia, quæ nos justificat, vocatur ad Rom. 3. v. 22. justitia DEI: & 1. Cor. 1. v. 30. dicitur Christus justitia nostra: ergo est tantum forma extrinseca. Confir. Justificatio non est vera remissio, sed tantum rectio, vel occultatio peccatorum: ergo non est forma intrinseca delens peccatum, prob. antec. ex illo Psal. 31. v. 1. Beati, quorum remissio sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata: ergo. Resp. neg. conf. Per justitiam DEI ut habet Tridentinum citatum n. 262, non intelligitur justitia, qua DEUS justus est, sed quæ nos justos facit, quasi diceretur: Justificatio est gratia DEI. Christus quoque non est formalis justificatio nostra, sed causalis, sicut scilicet dicitur DEUS fortitudo, & patientia nostra. Ad confir. neg. ant. ad prob. neg. conf. Peccata regi quidem possunt coram hominibus, at non coram DEO, nisi sint destructa; unde regi coram DEO (de quo agitur in eo psalmo) idem est, ac destrui. Pariter DEUM non imputare peccatum, est, destrui illud; quia DEUS non potest reputare innocentem, qui revera adhuc nocens est; hoc enim tantum possunt judices mali creati. Et sic quoque exponi debet illud Ezechiel. 33. v. 16. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.

271. **O**B. 2. S. Paulus ad Rom. 5. v. 19. comparat Christum, & Adamum, atque, per hujus inobedientiam multos peccatores, per illius obedientiam plures constitutos fuisse justos: ergo, sicut peccatum originale est ipsum peccatum Adami, ita iustificatio nostra est justitia Christi, vel hujus merita. Resp. neg. conf. Aliud est similitudo, aliud identitas, aliud non debent similia convenire in omnibus prædicatis: igitur sufficit, quod peccatum Adami nos inquinat, & peccatores faciat: & Christi gratia, vel sanguis, aut merita, nos emundant, ac justos faciunt: quanquam merita Christi tantum causaliter nos justificent, Adami verò peccatum formaliter nos inquinat, tanquam peccatum originale, quod est forma nos maculans. Vide de hoc etiam tractatum de peccatis. n. 287.

Quid sit gratia sanctificans, & an sit identificata cum habitu charitatis.

272. **O**B. 3. Gratia non est effectiva: ergo non est habitus: ergo non est habitualis, seu permanentis qualitas. conf. probat. omnis habitus est productivus, vel effectivus alieius actus: ergo, si gratia non est effectiva, non est habitus, Resp. anteceden esse dubium; Suarez enim l. 6. de gratia. t. 13. n. 14. putat, etiam gratiam sanctificantem influere in actus, sicut, ait, anima (quam distinctam à potentiis supponit) influit cum potentiis in suos actus. Alii volunt, gratiam producere physicè habitus: ex quo tamen non sequitur, eam etiam influere immediate in actus; neque enim causa causæ est semper causa physica causati, ut patet in causis productivis potentias vitales. Alii e contra volunt, gratiam tantum moraliter producere, sive exigere habitus. Gormaz. n. 23. de gratia ait, gratiam esse principium habituum, seu radicem; an autem sit physica, vel moralis, non explicat. In forma. om. ant. & 1. conf. neg. adam; nam, licet fors gratia non sit habitus strictè dictus, tamen est habitualis, hoc est, instar habitus permanentis; cum enim sit radix exigitiva potentialium, & actuum, & quasi natura, non est tantum aliquid transiens, sed stabile. Quamvis autem ista ratione non probaretur sufficienter permanentia gratiæ, tamen probaretur sufficienter ratione adducta n. 265. & communissima autoritate.

273. **O**B. 4. contra conclusionem n. 266. statutam. Nulla est necessitas multiplicandi entia, & distinguendi gratiam à charitate: ergo sunt identificata. Confir. 1. Anima non distinguitur à potentiis, licet sit natura: ergo neque gratia à charitate. Confir. 2. Gratia, & charitas sunt mutuo inseparabiles: ergo sunt identificata. Resp. neg. antec. Necessitas distinguendi gratiam & charitatem, probant nostræ rationes, quæ, quamvis non sint certæ, sunt tamen tales, ut probabilem assensum mereantur. Ad 1. confir. Argumentum nimium probat, scilicet gratiam, nec à fide, nec ab ulla virtute adæquate distingui, sicut anima à nulla potentia, etiam sensitiva, adæquate distinguitur, & ab intellectu, voluntate, & memoria, nec inadæquate. in forma. neg. conf. disparitas est; quia nulla ratio suadet illam distinctionem: at aliquæ suadent istam: dein potentia illæ realiter etiam natura sunt: non autem virtutes censentur esse illa quasi natura in ordine superno.

Ad 2. confir. retorq. argumentum in virtutibus moralibus infusus, quæ etiam sunt inseparabiles à gratia. Unde Resp. 1. om. ant. neg. conf. ob nostras rationes. Resp. 2. distin. ant. gratia, & charitas, sunt inseparabiles metaphysicè, seu de absoluta etiam potentia, neg. ant. physicè, vel tantum in hac providentia, vi decreti præsentis. conc. ant. & neg. conf. ita Suarez l. 6. de gratia c. 13. n. 17. & 18. ubi ait, posse DEUM infundere gratiam sine habitu charitatis, quo casu homo esset filius DEI, & posset mereri de condigno, modò DEUS, per omnipotentiam extrinsecè applicatam, suppleret concursum habitus. Idem ait, posse vicissim DEUM infundere charitatem sine gratia, quo casu ait, non posse hominem mereri de condigno vitam æternam; cum non esset filius DEI, consequenter non haberet sufficientem

dignitatem: nec ei etiam deberetur vita æterna, tanquam hæreditas.

274. **O**B. 5. Scriptura sæpe effectus formales gratiæ tribuit charitati: ergo sunt realiter identificata. ant. prob. 1. Joannis. 3. v. 2. dicitur charitas nos reddere filios DEI: Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus, & c. 4. v. 7. Qui diligit, ex DEO natus est. 2. ibidem v. 16. dicitur charitas nos unire DEO: Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo. 3. Prov. 8. v. 17. dicitur charitas reddere nos amicos DEI: Ego diligentes me diligo. 4. Charitatis tribuitur deletio peccatorum. 1. Petr. 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum: & Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum: hi sunt effectus gratiæ: ergo.

Resp. dist. ante. Scriptura tribuit effectus gratiæ charitati, in sensu proprio acceptæ, & quidem tanquam causæ formali, neg. ant. in sensu latiore, vel tropico acceptæ, & duntaxat ut causæ efficienti. conc. ant. & neg. conf. vide dicta n. 269. Textus in probatione allatos expono. In primo per charitatem non intelligitur habitus charitatis, sed ipsamet gratia sanctificans, quæ est effectus charitatis Divinæ, seu donum DEI, ut explicatum, n. 268. ex textu autem ibidem statim subjuncto, non potest inferri, nos per charitatem formaliter nasci, & fieri filios DEI, sed tantum, charitatem esse signum præsentis gratiæ, vel justificationis, quæ est formalis regeneratio. Idem, & non plus, probat textus secundo loco adductus, scilicet, charitatem esse signum amicitie stabilis cum DEO, qua stat in gratia. Potest etiam probabiliter dici, quod tantum ibi intelligatur qualicumque unio cum DEO, sicut quilibet virtus Theologica dicitur potentiam unire cum DEO: quo supposito unio illa non erit effectus soli gratiæ proprius. Textus tertio loco adductus, potius loquitur de actu charitatis, quam de habitu, & tantum probat, charitatem, seu actum ejus, esse causam aliquam, vel meritum reciproce dilectionis Divinæ: non tamen esse ipsam amicitiam. Quartus tantum probat, charitatem concurrere, tanquam causam physicam, aut moralem, ad deletionem peccatorum, non verò tanquam causam formalem: sic autem etiam fides dicitur justificare, & eleemosyna à peccato liberare, ut dictum, n. 269.

275. **O**B. 6. Aliis adhuc locis Scriptura innuat identitatem istorum habituum: ergo. prob. 1. privatio gratiæ est mors animæ: sed etiam privatio charitatis est mors ejusdem ex illo 1. Joan. 3. v. 14. Qui non diligit, manet in morte: ergo. 2. Gratia est præcipuum donum DEI: sed hoc est etiam charitas; hæc enim ad Coloss. 3. v. 14. dicitur vinculum perfectionis, & 1. Cor. 13. v. 2. dicitur: Si . . . charitatem non habuero, nihil sum. . . . nihil mihi prodest: ergo. Resp. neg. ant. ad 1. prob. dist. mi. privatio charitatis est mors animæ tantum casualiter, quatenus inducit privationem gratiæ, sicut etiam privatio fidei, aut spei, conc. min. est mors animæ formaliter, neg. min. & conf. privatio autem gratiæ est in suo sensu formalis mors animæ, vel, si esset etiam tantum causalis mors (cum ejusdem rei possint

possint plures esse causæ, propiores, remotiores &c.) non esset eadem causæ cum priore. Ad 2. prob. & textus in ea adductos. Resp. ad 1. charitatem esse tantum præcipuum inter virtutes, de quibus ibi Apostolus loquitur: at esse inferiorem gratia sanctificante, ut ait Gormaz. de grat. n. 27. & Suarez. l. 6. de gratia c. 13. n. 8. quia, ut ait, natura perfectior est, quam ejus proprietas. Ad 2. repono, utique sine charitate in hac providentia, (de qua S. Paulus loquitur) nil prodesse; quia non datur gratia sine charitate; si autem in alia providentia daretur gratia sine charitate, utique prodesset.

276. Ob. 7. Gratia dicitur à nobis radix omnium virtutum: sed talis radix est etiam charitas, ergo. prob. min. 1. Cor. 13. v. 4. dicitur: *Charitas patiens est, benigna est &c.* ubi enumerantur plures aliarum virtutum actus: ergo. Confir. Gratia facit nos sanctos, & immaculatos: tales nos facit etiam charitas: ergo. prob. min. ad Ephes. 1. v. 4. sic dicitur: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate.* Resp. neg. min. licet tam gratia, quam charitas sint aliquo modo radix virtutum, tamen sunt in diverso genere. Gratia est radix; quia est quasi natura respectu illarum, tanquam suarum proprietatum: charitas est radix, vel causæ moralis earum; quia tanquam regina virtutum, potest omnes actus aliarum virtutum imperare, & ad suum finem ordinare. Ad confir. distin. min. charitas facit nos sanctos causaliter. conc. min. formaliter. neg. min. & conf. ad prob. Resp. illi termini in charitate, vel significant charitatem Divinam, qua impellente DEUS homines elegit: vel, si intelligendi sunt de charitate creata habituali, significant, sanctitatem, & immaculatam vitam habendam in charitate, seu per charitatem, tanquam instrumentum præcipuum gratiæ.

277. Ob. 8. Tridentinum. sess. 6. c. 7. ait, formalem causam justificationis esse justitiam DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: exponens autem, quomodo nobis justificatio conferatur, ait, id fieri: *Dum ejusdem sanctissime Passionis merito per Spiritum S. charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur: ergo supponit, quod forma justificans sit charitas.* Confir. Idem Concilium statim subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem: nec meminit gratiæ: ergo hanc sub nomine charitatis intelligit.* Resp. neg. conf. Ut recte Suarez. ait. l. 6. c. 13. n. 6. particula *dum* non significat identitatem, sed connexionem tantum; unde solum significatur, quod tunc, quando charitas infunditur, homo justificetur: non autem significatur, quod id formaliter fiat per ipsam charitatem: voluit autem, ut idem Eximius observat, Concilium uti termino *charitas* tanquam notiori, & magis certo; cum non sit certum, an præter charitatem distincta gratia infundatur. Ad confir. textus est pro nobis potius, ut explicatum. n. 266. unde. neg. conf.

278. Ob. 9. S. Augustinus l. 15. de Trinitate.

te. c. 18. ait de charitate: *Nullum est ipso DEO dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ: ergo est gratia.* Confir. Idem S. Doctor de natura, & gratia. c. 42. de charitate ait: *Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia: ergo est etiam gratia.* Similia habet alius locis. Resp. neg. conf. S. Doctor ibi, ut patet legenti caput præcedens 17. mum, & hoc ipsum 18. vum, per charitatem intelligit charitatem DEI, scilicet non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos, ut expressè dicit. c. 17. additque, eam charitatem esse Spiritum S., quem probat dici quod donum DEI, prout eum etiam vocat Ecclesia in hymno: *Veni Creator Spiritus: ubi eum nominat altissimi donum DEI: quam charitatem etiam S. Doctor ait, facere, ut diligamus DEUM: ergo hic textus non venit ad rem.*

Quod autem attinet ad illud *dividere inter filios DEI* &c. si etiam intelligeretur de habitu charitatis, responderi posset facile ex S. Thoma, qui. q. 27. de verit. a. 2. ad 6. ait: *Dicendum, quod hoc, quod charitas sola distinguit inter filios perditionis, & regni, convenit ei, in quantum non potest esse informis, sicut aliæ virtutes: hoc est: dividit charitas inter filios &c.; quia ipsa, & etiam ejus actus, semper conjungitur cum gratia.*

Ad confir. iterum. neg. conf. nam facile textus explicatur de justitia causal: quod ibi ad intentum S. Augustini sufficientissimum est; quia tantum ibi intendit probare, omnes homines peccasse: quamvis (ut ait, se omittit) forte potuissent non peccare, & habere charitatem DEI, quæ (ut subjungit) est justitia &c. Universim autem circa textus S. Augustini in hac materia notandum ex Suarez. l. 6. de gratia. c. 13. n. 7. S. Doctorem sæpe loqui, non de charitate habituali, sed de actu ipsius, qui est excellentissimus inter omnes actus virtutum: estque verissima justitia actualis, & dispositivè distinguit inter filios DEI, & filios diaboli: ex quo patet nova responsio, & ad textus etiam supra adductos. Si autem probaretur, S. Augustinum aliquando loqui de charitate habituali, tunc in eo casu omnia munera, vel effectus gratiæ, possent charitati habituali attribui; quia in hac providentia sunt inter se semper connexæ, sive, ut ait S. Thomas, quia charitas non est informis, sed semper informata gratiæ.

ARTICULUS III.

An Gratia sanctificans sit composibilis cum peccato mortali.

279. Dico. 1. Gratia sanctificans opponitur ex natura sua peccato mortali. ita S. Thomas. 1. 2. q. 111. a. 2. in corp. (ubi gratia habitualis ut sanans ab ipso dicitur esse operans, & non cooperans: hoc est, ut se explicat, habet se tanquam forma seipsam communicans, non vero tanquam causa alicujus effectus.) Suarez. l. 7. de grat. c. 12. n. 3. & communis Thomistarum, ac nostrorum, contra Scotistas. Prob. Tridentinum nostrorum, contra Scotistas. Prob. Tridentinum sess. 6. c. 7. sic ait: *Demum unica formalis causa justitiae.*

justificationis est justitia DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: hæc autem justitia est gratia: ergo gratia est unica causa formalis justificationis: atqui non esset talis causa, nisi saltem naturaliter, sive extrinseca exigentia sua, & non tantum ex ordinatione, vel lege DEI extrinseca, opponeretur peccato: ergo. prob. min. causa formalis justificationis ex natura sua debet opponi cum forma impediens justificationem, sicut e.g. albedo ex natura sua opponitur nigredini in eodem subjecto: sed peccatum est forma, vel quasi forma impediens justificationem: ergo.

Confir. 1. Quod causat alicujus destructionem per modum causæ formalis, seu, quod idem est, per modum formæ, causat eam per suam impossibilitatem in eodem subjecto cum re destructa, ut patet inductione: sed gratia causat destructionem peccati per modum formæ: ergo. Confir. 2. Concilium Tridentinum ubique entitati gratiæ, & non voluntati DEI adjungit, tribuit effectum remissionis peccati: nec est ulla ratio, ob quam non in sensu obvio, & literali, verba illius accipiantur: ergo debet dici, quod ipsa entitas gratiæ sit, naturaliter saltem, opposita peccato gravi. prob. 1. p. ant. Concilium sess. 5. can. 5. docet, per gratiam, quæ in baptismo conferitur, remitti reatum originalis peccati. & sess. 6. c. 4. definit, justificationem esse translationem à statu injustitiæ ad statum filiorum DEI, & in hunc finem explicat plura Scripturæ testimonia. Nec est paritas à sacramentis, quorum materiæ, & formæ, non causant, nisi ex institutione, vel ordinatione Divina; nam de his semper Concilia, & Ecclesia, docent, ea causare, quatenus sunt instituta à Christo: nihil simile dicunt de gratia. Accedit, quod sacramenta non causant, tanquam causæ formales, sed tanquam causæ, vel physicae, vel morales. Confir. 3. Forma, quæ hominem constituit ex natura sua filium DEI, & hæredem regni cælestis, utique ex natura sua opponitur alteri formæ, quæ hominem constituit filium diaboli, & reum poenæ æternæ: sed gratia est forma constituens filium DEI, peccatum grave est forma constituens filium diaboli: ergo.

280. Addendum hæc, Lorcam, qui admittit, quod gratia formaliter expellat peccatum, tamen voluisse, ista duo pro aliquo instanti simul existere: sed malè; nam expulsio unius formalis non exigit coexistentiam expellentis, & expulsi; pro eodem instanti: sed tantum exigit existentiam expulsi pro priori instanti, & expellentis pro posteriori; nam expulsio formalis aliud non est, quam positio formæ in subjecto, quæ forma impossibilis est cum priori: & sic expellitur formaliter peccatum in instanti, in quo physice non est, sed tantum fuit, in instanti immediatè antecedenti: sic mors expellit vitam, quin simul existant; videtur probari ex eo, quod videantur se habere ad invicem, sicut formæ alie contrariè oppositæ, e.g. albedo, & nigredo, calor intensus, & frigus intensus, gaudium summum, & tristitia summa, quæ saltem supernaturaliter possunt conjungi: certè major oppositio non probatur; cum tamen adversarii, eam affirmant.

ex vulnerè tantum sequitur pro sequenti instanti mors, quæ sit expulsio formalis. Si dicas: igitur expulsio formalis non est stricta expulsio: facis quæstionem de nomine contra communem, in qua nos malum cum pluribus loquimur.

281. Dico 2. Gratia sanctificans non opponitur metaphysicè cum peccato mortali, sed supernaturaliter potest cum hoc esse in eodem subjecto. Ita Suarez l. 7. de gratia. c. 19. n. 14. & c. 20. n. 6. & 36. Gormaz de gratia sanctificante n. 37. Oviedo tract. 8. de justificat. contr. 4. punct. 3. Tannerus Tom. 2. disp. 6. de gratia q. 5. dub. 3. n. 57. Arriaga Tom. 4. de gratia disp. 46. sec. 14. subsec. 2. n. 21. (ubi ait, hanc esse communiorum) aliique plurimi, ab his citati. Huic conclusioni, si non favet, certè non est contrarius S. Thomas; licet enim dicat, gratiam non tantum demeritorie, sed etiam physice opponi peccato, per hoc tamen non est nobis contrarius; quia admittimus physicam oppositionem formalem, qualem habet calor cum frigore: sed non metaphysicam, qualem habet mors cum vita.

Quando etiam S. Doctor dicit 2. 2. q. 24. a. 10. in corp. peccatum effectivè destruere gratiam, necdum dicit aliquid nobis contrarium; quia potest peccatum ab effectu suo physico impediri: quamvis, cum peccatum non videatur habere effectum physicum, à se distinctum, S. Doctor etiam per effectivè nihil aliud videatur intelligere, quam non tantum moraliter, sed physice, quasi diceret, quod gratia destruat peccatum, non tanquam forma tantum moralis, sed physica: imò Valquez ait, formalem expulsionem ab authoribus etiam quandoque appellari activam, seu effectivam. vide Oviedo. tr. 8. contr. 4. punct. 3. n. 43.

282. Prob. conclusio. Gratia non opponitur contradictorie cum peccato actuali, aut habituali; quia neutrum stat in privatione gratiæ, ut probatum. tr. de peccatis a. n. 27. & 28. nec etiam opponitur ita contrariè, ut sit metaphysica impossibilitas; quia hæc oppositio metaphysica nulla ratione potest probari, adeoque gratis asseritur: ergo. Confir. Tridentinum. sess. 6. c. 7. distinguens inter se partes justificationis, etiam distinguit inter se remissionem peccatorum, & sanctificationem, seu gratiam; nam ait de justificatione, *quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Moguntinum etiam citatum n. 266. distinguit veniam peccatorum à gratia: ergo peccatum, & gratia, contradictorie non opponuntur. Quod etiam claret ex eo, quod in statu puræ naturæ, nec peccatum, nec gratia, necessariò data fuisset; cum tamen unum ex contradictoriis semper necessariò existat.

Quod autem gratia etiam non habeat metaphysicam contrarietatem cum peccato gravi, videtur probari ex eo, quod videantur se habere ad invicem, sicut formæ alie contrariè oppositæ, e.g. albedo, & nigredo, calor intensus, & frigus intensus, gaudium summum, & tristitia summa, quæ saltem supernaturaliter possunt conjungi: certè major oppositio non probatur; cum tamen adversarii, eam affirmant.

tes, etiam probare teneantur; neque enim nego, hanc conclusionem potissimum niti argumento negativo, & eminentiâ omnipotentia Divinæ, cui non, nisi ob magnas rationes, negari debet potentia conservandi unum cum altero, sicut etiam unum sine altero.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

283. **O**B. 1. contr. 1. conclusionem. Natura Angelica, utpote substantia spiritualis, perfectius participat naturam Divinam, quam gratia, quæ est tantum accidens: & tamen illa est naturaliter compossibilis cum peccato: ergo & gratia. Confir. Juxta nos peccatum habet connexionem cum gratia ut expellenda, vel, ut dicunt, expellibili: sed nihil naturale potest habere connexionem cum gratia supernaturali: ergo, Resp. 1. hac ratione nec unio hypostatica, nec visio beatifica, excluderet peccatum, quod est falsum. Resp. 2. neg. ant. cum S. Thoma 1. 2. q. 110. a. 2. ad. 2. ubi ait, gratiam, in ratione participationis naturæ Divinæ, esse perfectiorem animâ: quidquid sit, an anima, vel Angelus, absolute sit perfectior, de quo est controversia, & Suarez. l. 6. de gratia c. 13. n. 22. ait, hoc sibi esse incertum. In forma neg. ant. & etiam conf. vide de hac participatione plura n. 264. ex quibus discas, magis gratiam, quam Angelum esse participationem naturæ Divinæ. Ad confir. retorq. argum. Igitur peccatum etiam connexionem habebit cum unione hypostatica, & visione beatifica, atque actus hæresis cum fide, quæ sunt absurda. Quare forma una non habet connexionem cum altera, quam expellit, sed habet oppositionem naturalem. In forma. neg. ant.

284. Ob. 2. contra 2dam. conclus. Illud non est causa formalis, quo posito in subiecto non indispensabiliter sequitur effectus formalis: sed juxta nos, stante gratia, non sequitur infallibiliter effectus formalis justificationis, sive, quod homo sit justificatus, si scilicet DEUS supernaturaliter, stante gratia, conservaret peccatum: ergo. Confir. Gratia non sanctificaret hominem, nisi concurrente aliquo favore extrinseco DEI, quo hic saltem nolit conservare peccatum: ergo. Resp. neg. maj. alias nec gratia sanctificans esset formalis causa filii adoptivi; quia, eâ posita in Christo, non sequitur filius adoptivus. Unde, ut sæpè diximus, maxime in tract. de DEO n. 790. ad denominationem non tantum requiritur forma, sed etiam capacitas subiecti, quæ aliquando consistit in aliquo prædicato, quod si absit, denominatio non datur. sic e. g. Angelus, quia deest ei materialitas, quamvis ei uniretur albedo, non denominaretur albus. Aliquando vero stat ea capacitas in absentia alicujus prædicati, quo præsentem denominationem excluditur. sic e. g. in Christo, quia adest filiatio naturalis, non potest gratia (quamvis sit forma, alias denominans filium adoptivum) etiam Christum denominare filium adoptivum. Sic autem etiam denominatio justitiae exigit absentiam peccati,

quod quando adest, non potest gratia denominare justum.

Est tamen diversitas inter formas naturaliter oppositas: quædam ita opponuntur, ut naturaliter quidem simul esse nequeant: atamen, si supernaturaliter conjungantur in eodem subiecto, tribuantur ambas denominationes: sic in Christo summum gaudium, & summa tristitia, supernaturaliter conjuncta, eum denominarunt summè tristem, & summè gaudentem. Aliæ formæ ita opponuntur, ut non possint simul denominare, ut filiatio adoptiva, & filiatio naturalis: pariter amicitia, & inimicitia, justitia, & peccatum, seu injustitia; quia aliquando subiectum, ut sit capax denominationis, exigit absentiam alterius, aliquando non exigit: aliquando una forma prævalet ita alteri, ut eam non sinat suam denominationem dare subiecto: aliquando non ita prævalet: quod vel ex ipsa natura denominationum, vel ex communi Auditorum sensu desumendum est.

285. Ad confir. dist. ant. gratia non sanctificaret hominem, nisi concurrente aliquo favore DEI extrinseco, quem tamen gratia exigit. conc. ant. quem non exigit, neg. ant. & conf. Neque talem favorem excludit Tridentinum; nam sess. 6. can. 11. duntaxat eos damnat, qui dicunt, gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem DEI, quod nos nec à longè dicimus: imò Oviedo tract. 8. de justificat. controv. 4. punct. 3. n. 71. ex his Tridentini verbis vult inferre, hoc Concilium potius admittere talem favorem. Addo tamen ex Gornaz de grat. n. 47. quòd, licet admittatur necessarius aliquis favor DEI extrinsecus, nihilominus tota forma justificans sit gratia; quia remissio peccati, quatenus dicit puram negationem, non est forma justificans (certè in statu puræ naturæ potuisset dari sine omni justificatione) sed tantum est conditio, sine qua forma non potest tribuere denominationem: decretum etiam DEI, nolentis conservare peccatum, est tantum causa inferens tam gratiam, quam negationem peccati: neque etiam ipsum est forma justificans, sicut decretum inferens albedinem non est forma dealbens, & decretum DEI, volentis pluribus conferre filiationem adoptivam, non est forma denominans filium adoptivum. Addo insuper ex Oviedo loc. modo citato, gratiam, per suam naturam, absque aliquo favore extrinseco, in actu secundo tribuere omnem rationem positivam, quæ requiritur ad hominem justum denominandum: negativam verò rationem tribuere in actu primo, seu exigere autem hæc datur in actu secundo, requiri adhuc voluntatem DEI remittentis peccatum.

286. Dices. 1. Si calor posset uniri subiecto, quin denominaret calidum, non esset unica causa formalis caliditatis: ergo juxta nos gratia non erit unica causa formalis justificationis. Resp. dist. ant. si posset uniri subiecto capax conc. ant. subiecto non capax. neg. ant. & conf. si calor uniretur Angelo, non denominaret calidum, etsi calor sit tota, & unica forma concretæ caliditatis; quia Angelus immaterialis est incapax hujus denominationis. An id possit fieri, non disputo: si non potest huic, vel simili subiecto incapaci, calor uniri, hoc ipso da-

tur disparitas inter ipsum, & gratiam; quia hæc potest uniri subiecto incapaci suæ denominationis, ut patet in Christo.

287. Dices. 2. Ex eo, quòd calor, & frigus, possint uniri eidem subiecto, inferitur, quòd calor tantum sit causa formalis concretæ positivæ caliditatis: non autem concretæ negativæ frigiditatis: sed hujus tantum sit causa moralis, scilicet exigens à DEO destructionem frigoris: ergo, si etiam gratia, & peccatum, possint uniri eidem subiecto (quo casu gratia non denominaret justum, sed tantum exigeret, ut DEUS destruat peccatum; cui tamen exigentia se DEUS non accommodaret) tunc gratia non erit causa formalis concretæ justitiae, sed tantum causa moralis: hoc est contra Tridentinum: ergo. Resp. neg. ant. non enim inferitur ex illo, sed ex hoc, quòd forma denominans illius concretæ negativæ non frigiditatis, debeat esse pura negatio, qualis calor non est: concretum autem justum est denominatio positiva, cujus forma, seu causa formalis potest esse gratia.

Fateretur autem ipse Haunoldus, quamvis nobis contrarius l. 2. tr. 3. n. 681. posse aliquo modo dici, Tridentinum tantum locutum fuisse de eo, quòd est requisitum positivum ad justificationem, non de eo, quòd est negativum. Hoc tamen admitto, gratiam non esse formam concretæ negativæ peccatoris pure negativæ accepti; quia hujus concretæ pure negativæ accepti, & non prout accipitur pro positivè justo, forma est negatio peccati; unde etiam in statu puræ naturæ fuisset non peccator sine gratia: & in alia providentia, in qua DEUS supernaturaliter conservaret peccatum cum gratia, daretur peccator cum gratia. Interim tamen gratia formaliter expellit peccatum, non tanquam forma contradictoria, sed tanquam contraria, quam rem suscipimus tr. de peccatis n. 262.

288. Dices. 3. Pars formæ equinæ divisibilis non est tota forma equi: ergo nec gratia est tota forma justitiae. Resp. om. ant. (quia posset distingui inter equum essentialiter, & integraliter acceptum) neg. conf. Pars illa formæ non informat omnem materiam substantialiter complebilem, nec est totum positivum, quòd requiritur ad complendam materiam totam, & integram equi: at gratia informat totam animam, estque totum positivum, quòd requiritur ad justificationem: remissio autem peccati non est forma; sed expeditio subiecti, ut dictum n. 285.

289. Ob. 3. ex Haunoldo. Gratia est signum supernaturale, & quidem ex intrinseco suo prædicato, affectus amicitia DEI, exclusivi peccati: ergo cum illa debet semper dari ille affectus DEI, qui necessariò secum fert remissionem peccati; alias esset signum falsum, quòd repugnat signo supernaturali; quemadmodum actui fidei repugnat, esse falsum. Resp. 1. retorq. argumentum. Sacramenta etiam sunt signa supernaturalia gratiæ, & tamen, si fictè suscipiantur, non conferunt gratiam; quia sunt tantum signa sub conditione, quòd omnia alia adsint. Et ne dicat adversarius, sacramenta tantum esse signa ex institutione, & non ex intrinsecis prædicatis: aliud exemplum est in caractere e. g. Ordinis, qui est signum po-

testatis sacerdotalis. Hic character manet in anima separata, quin ista habeat amplius potestatem consecrandi: imò nec sacerdos damnatus in inferno post diem judicii habebit eam potestatem, quamvis sit iterum totus homo. An ergo est signum falsum?

Dicit, characterem tantum significare potestatem in certis circumstantiis: idem & nos possumus dicere de gratia, scilicet eam significare amicabilem affectum DEI in certis circumstantiis, scilicet quando DEUS non vult supernaturaliter ejus exigentiæ contravenire: quòd quidem non faciet in hac providentia, posset tamen facere in alia. verbo: gratia est signum, tanquam causa supernaturalis, exigens quidem hunc effectum, sed non indispensabiliter. In forma dist. ant. gratia est signum pro omnibus circumstantiis, etiam alterius providentiæ, neg. ant. pro certis tantum circumstantiis, alligatis huic providentiæ. conc. ant. & neg. conf. Paritas cum actu fidei est nulla; quia, cum ille sit assensus locutioni DEI præstitus, & ei essentialiter innixus, debet pro omni providentia esse verus, sicut ipsa locutio.

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

290. **O**B. 4. ulterius. Si potest gratia stare absolute cum peccato, etiam poterit cum isto stare unio hypostatica, vel visio beatifica: hoc est falsum: ergo. Confir. Possibilis est gratia metaphysicè incompossibilis cum peccato: ergo probabiliter ista est talis. prob. conf. nulla erat causa, cur DEUS non produxerit potius gratiam incompossibilem, quam compossibilem cum peccato; cum aliàs tamen nunquam sit componenda: ergo. Resp. 1. retorq. argum. Si gratia potest destitui per peccatum, tunc etiam unio hypostatica, vel visio beatifica. Resp. 2. neg. conf. Unio hypostatica est longè altioris ordinis, & non tantum per modum causæ formalis, sed per modum principii necessariò excludentis, opponitur peccato: & esset per se indecentissimum, si natura, DEO intimè unita, tamen non esset ei amica, sed DEUS esset actualis, vel habitualis peccator, ac odio habitus à DEO.

Visio beatifica etiam non tantum, sicut gratia, est exigentia ad amicitiam DEI, cujus effectus possit supernaturaliter suspendi: sed est ipsa actualis possessio, fructus DEI, & hæreditas filiorum, quam non potest DEUS dare suo inimico, & quem adhuc odio habeat; videtur enim per se absurdum, hoc vel cogitare. Sanè visio est summa communicatio bonorum DEI facta creaturæ, & familiaritas DEI, ac offensio benevolentia suæ, atque amoris, quæ non stant cum inimicitia &c. nihil tale occurrit in gratia; unde ab uno non est paritas ad alterum; aliàs etiam dicam, quòd, sicut gratia potest impediri, quòd minus faciat filium adoptivum DEI, ita etiam possit impediri unio hypostatica, ne homo assumptus fiat DEUS.

291. Ad confir. neg. conf. Ratio est ipsa libertas Divina, & omnipotentia, cui non debet

bet præjudicari quoad hoc, quod possit unam rem, independentem ab alia, conservare, vel destruere pro libitu. Et quæso, cur adversarii non etiam dicunt, Angelos durare per durationem unicam indivisibilem; cum tamen DEUS velit illos spiritus semper existere? vel saltem, cur non dicunt, durationem quamlibet durare per plures annos, quales utique possibiles sunt? certè ratio alia non est, nisi quia DEUS debet pro libitu posse creaturam vel conservare, vel destruere quovis momento: sed ita etiam debet posse conservare gratiam. Sic DEUS potuisset etiam habitum fidei producere, qui naturaliter non fuisset compossibilis cum peccato, non tamen talem produxit.

292. Ob. 5. Juxta nos differret inimicus DEI à non inimico per purum favorem extrinsecum: consequens videtur pugnare cum Tridentino: ergo. Confir. Aliquis effectus primarius assignari debet gratiæ, sine quo absolute esse non possit: sed nullus alius assignatur, quam expulsio peccati: ergo. Resp. retorq. arg. ergo etiam filius adoptivus DEI, & non adoptivus DEI, differunt per puram negationem unionis hypostaticæ; nam, si Christus hanc negationem haberet, esset filius adoptivus. Sicut ergo adversarii debent respondere, quod tantum hic homo, Christus scilicet, differat à filio adoptivo per illam negationem, non verò alii homines (nam alii puri homines, quorum aliqui sunt peccatores, alii justi, & filii adoptivi DEI, non differunt inter se per negationem unionis hypostaticæ; hanc enim utrique habent; sed differunt per gratiam) ita nos quoque dicimus, hos quidem determinatè homines, qui habent gratiam, & simul peccatum, differre ab amicis DEI per purum favorem extrinsecum; non tamen communiter, & universaliter; quia communiter, & in hac providentia, semper differunt etiam per gratiam.

Ad confir. Resp. neg. ma. si enim sermo sit de effectu physico, non omnis forma debet esse activa: si sermo sit de effectu formali, non debet illum tribuere, nisi subjecto capaci. Et quem effectum primarium naturalem habent accidentia Eucharistica, quando non sunt in subjecto? Potest etiam distingui maj. debet gratiæ tribui effectus; si sit in subjecto capaci denominationis, seu exigente eam denominationem, conc. maj. si non sit in subjecto capaci; neg. maj. & om. min. neg. conf.

293. Ob. 6. DEUS necessariò amat hominem instructum gratiâ, & necessariò odit existentem in peccato: sed implicat, quod DEUS hominem simul amet, & oderit: ergo. Confir. Si duo concreta essentialiter sibi opponuntur, opponuntur etiam abstracta, seu formæ: atqui duo concreta *justus* & *injustus*, opponuntur sibi essentialiter: ergo & duo abstracta, scilicet gratia & peccatum. Resp. neg. maj. saltem, nisi DEUS velit priùs naturâ remittere peccatum: Ad confir. retorq. argu. in concretis filii naturalis, & adoptivi, quæ sibi opponuntur in Christo, quin sibi opponantur abstracta, gratia & unio hypostatica, vel incarnatio DEI. In forma dist. maj. si illa abstracta metaphysicè post se trahant eas denominationes; conc. maj. si tantum naturaliter eas post se tra-

hant; neg. maj. & sic distincta min. neg. conf. si enim formæ istæ possunt esse, quin denominent, ex oppositione denominationum malè inferunt oppositio formatum.

294. Ob. 7. DEUS conservando peccatum cum gratia, faceret miraculum deturpativum naturæ: hoc non potest facere: ergo. prob. ma. tunc esset miraculum tale, quando privaret gratiam termino exigentiæ suæ, & nec illi, nec universo, faceret compensationem: sed hoc fieret in nostro casu: ergo. Confir. Sic DEUS esset causa conservativa peccati; hoc vero vel maximè dedecet: ergo. Resp. vel ma. vel mi. potest negari. Si per miraculum deturpativum tantum intelligitur, quod redderet naturam minùs perfectam, nego, DEUM non posse illud facere, seu neg. min. quis enim negat, DEUM potuisse mundum imperfectionem condere? Certè, si condidisset omnes homines monoculos, nemini fecisset injuriam: imò etiam tunc tamen DEUS fecisset, quod est optimum juxta mensuram voluntatis suæ, quæ est regula omnis honesti, ut susus exponi solet, *tr. de Incarnatione*. Si autem intelligitur per miraculum deturpativum illud, quod naturam redderet moraliter turpem, seu inhonestam, neg. maj. ad prob. dist. ma. in eo casu esset miraculum tantum reddens naturam aliquantum imperfectionem. om. ma. esset miraculum reddens naturam moraliter inhonestam, neg. ma. & sub ead. dist. conc. vel neg. mi. & conf.

Ad confir. neg. ma. Causa conservativa peccati non est illa, quæ non vult statim illud remittere, si præsertim ex justo titulo excusatur remissione, aut destructione peccati: sed illa est causa conservativa peccati, vel offensæ, quæ peccatum commisit, & condignam satisfactionem non præstitit, v. d. diximus *tract. de peccatis*, n. 251. Neque DEUS, posita gratiâ, habet obligationem remittendi peccatum; nisi enim gratia naturaliter exigat destructionem peccati, potest tamen DEUS, tanquam supremus Dominus, ei exigentiæ se nolle accommodare, quin propterea inhonestè agat. Neque etiam, faciendo miraculum, id faceret intendendo existentiam gratiæ, & permittendo perseverantiam peccati. Quem autem finem DEUS haberet hujus miraculi, nisi non sciamus, multi tamen esse possunt, e. g. demonstrare peccatori gravitatem peccati per oppositionem illius cum gratia in eodem subjecto: quod autem hic finis possit obtineri aliis mediis, non probat, quod non possit adhiberi etiam istud medium miraculosum, ut est per se clarum.

295. Ob. 8. Gratia sanctificans dicitur à Conciliis, & Scripturis, spiritus promissionis, quo signamur, ac unguimur, & pignus æternæ hereditatis: sed cum his non stat peccatum, seu reatus ad privationem hereditatis &c.: ergo. Resp. om. maj. dist. mi. cum his non stat peccatum, si sint in subjecto capaci, & expedito ad suscipiendam denominationem uncti, & signati, aut certificati de pignore &c. conc. mi. secus. neg. min. & conf. sicut enim gratia est amicitia, sanctificatio, justificatio &c. ita potest esse unctio, & pignus &c. si autem incipit in subjectum incapax denominationis, illud non

non facit unctum, nec de pignore certificatum: quod autem peccatum stet cum unctio, & pignore, non est magis impossibile, quam quod stet cum sanctitate &c. Dixi. om. maj. nam per illud pignus aliqui intelligunt testimonium bonæ conscientiæ: alii ipsum Spiritum S. aliqui etiam gratiam, vide Cornelium in 2. Cor. 1. v. 22. & seq. item eundem in epistola ad Ephes. c. 1. v. 13. & seq.

296. Ob. 9. Gratia vocatur in Scripturis lux, & peccatum tenebræ: sed lux, & tenebræ nec metaphysicè possunt simul esse: ergo nec gratia, & peccatum. ant. prob. ad Ephes. 5. v. 8. ait Apostolus: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. & 2. Cor. 6. v. 14. *Que societas luci ad tenebras?* ergo. Confir. 1. Joan. 3. v. 9. dicitur. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est*: sed hoc semen, & hæc nativitas, est gratia: ergo cum gratia non potest quis peccare, adeoque gratia, & peccatum non simul stant. Resp. dist. ma. & per hoc à Scriptura tantum indicatur inter ista aliqua similitudo. conc. ma. indicatur identitas similitudinis, seu omnimoda paritas. neg. ma. & conc. mi. neg. conf.

Nec peccatum, nec ejus formalis malitia, est tantum pura negatio, ut fusè probatum *tract. de peccat.* à n. 27. Neque peccatum, & gratia, contradictoriè opponuntur, ut lux, & tenebræ; cum in statu puræ naturæ utrumque abfuisset, & ante mundi creationem neutrum fuerit; unde non est inter ista identitas similitudinis, seu omnimoda paritas, sed tantum est aliqua similitudo, quæ stat in eo, quod lux subjectum capax illuminet materialiter, & gratia spiritualiter; quia hæc est splendor quidam, ut ait Catechismus Tridentini *cit.* n. 265. item, quod gratia in subjecto expedito expellat peccatum, sicut lux tenebras, non tamen omni eodem modo. Sic etiam dicitur gratia vita animæ, & peccatum mors, in hoc sensu, quod gratia, si anima sit capax, reddat eam viventem, & excludat mortem, non tamen omnino pari ratione cum vita physica; nam, quamvis etiam vita physica, & mors, non opponantur contradictoriè (cum ante mundi creationem nec vita, nec mors, data fuerit) sed tantum contrariè: opponuntur tamen contrarietate metaphysica; quia mors est negatio vitæ priùs existentis, & vita cum negatione sui non potest simul dari.

Addendum hæc, quod, ut observat Gormaz, Patres, & Scripturæ hæc comparationes faciant, non cum gratia præcisivè, sed cum ea ut existente in hac providentia, in qua semper excludit peccatum; nam Apostolus in *Epist. ad Ephes. 5. Cor.* semper loquitur de fidelibus, & ad fideles, in hac providentia existentes. Ad confir. conc. totum. Homo, stante gratia, seu in sensu composito, non potest peccare (in sensu diviso utique posset) non enim potest homo facere miraculum, & gratiam conservare cum peccato; potest autem DEUS, non quidem peccare: sed gratiam, stante peccato, conservare. Nec dicit S. Joannes, hominem non posse etiam de absoluta potentia DEI peccare: sed tantum ait, eum simpliciter id

non posse, quod verissimum est: sicut verissimè dicitur, hominem non posse volare, licet utique supernaturaliter id posset. Plures alias hujus textus explicationes vide apud Gormaz *de gratia sanctificante*. n. 54. in rem præsentem sufficit ea, quam modò dedimus.

DISPUTATIO III.

De Merito.

297. **P**ost Tractatum de Gratia Theologi tractant de Merito, & quidem aliqui valde copiosè; eoque plures polemicas controversias miscant: nos, pro more Universitatis regionum nostrarum consueto, paucioribus materiam hanc circumscribemus. Agemus autem de merito, prout hæc vox actum bonum significat; nam potest quidem meritum sumi indifferenter pro bono, & malo: & S. Augustinus vocabulo isto nonnunquam, præsertim *de grat.* lib. arb. c. 6. utitur ad denotandum peccatum: attamen communis accipitur in sensu bono; nam peccatum vocatur *demeritum*: & in hac quoque significatione nos hic agemus de merito, & quidem supernaturali.

QUÆSTIO UNICA.

De Essentia, Existentiâ, & Proprietatibus Meriti.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an detur meritum supernaturale.

298. **D**ico 1. Meritum supernaturale est obsequium DEO factum, ex se potens movere ad retributionem doni supernaturalis: ita Oviedo *tract. 9. de merito contro.* 1. pundo 1. n. 4. & in idem recidit definitio P. Gormazij *de merito* n. 3. atque in hunc sensum Theologi communiter, quin & Patres, atque Concilia, meritum explicant. Accedit etiam ratio; sicut enim in humanis, meritum naturale erga Regem, est obsequium factum Regi, & meritum respectu alterius, etiam est obsequium ei præstitum, potens movere ad remunerationem: ita meritum erga DEUM est obsequium ei præstitum &c.

299. Ut autem opus sit meritorium præmii supernaturalis, debet esse actus etiam supernaturalis, ut habetur ex omnibus illis Scripturis, & Conciliis, ex quibus probatur, quod nullus actus, prout oportet ad salutem, (per quem intelligitur omnis, sive de congruo, sive de condigno, meritorius doni supernaturalis, seu conducens ad salutem) elici possit sine gratia Spiritus S. de quo fusè *tr. de gratia* à n. 26.

si enim viribus naturæ elici nequit, utique supernaturalis est, & Theologicè quidem, utpote conducens ad vitam æternam, & beatitudinem supernaturalem. Nec sufficit tantum actus, extrinsecè supernaturalis, qualis esset, qui eliceretur ab eo, qui instructus gratia auxiliante supernaturali, per actum purè naturalem implet præceptum aliquod positivum naturale.

Nam in primis dubium est, an in his occasionibus eliciatur aliquando actus tantum naturalis; id enim Coninck negat; cum enim præcepta naturalia etiam impleri possint per actus supernaturales, videntur in illis circumstantiis per tales impleri. Et cur non influat habitus supernaturalis, si præsens est; cum adsint omnia, cum ad influxum determinantia? aut, si habitus non adsit, e. g. in peccatore, gratia auxiliante supernaturali prævento, omnipotentis Divinæ æquè facile est, supernaturalem concursum præstare, nec ulla est ratio, quare DEUS cum faciente, quod est in se, supernaturaliter non agat: & insuper gratia auxilians concursum supernaturalem connaturaliter exigit. Dixi: gratia auxilians; nam, si tantum adsit gratia habitualis, seu sanctificans, actus neque extrinsecè erit supernaturalis; quia nemo cogitat, quòd omnes actus justorum, quos plurimos faciunt, ex fine purè naturali, sive honesto, sive indifferenti, sint extrinsecè supernaturales.

Verùm posito, quòd in iis circumstantiis actus naturalis elici posset, saltem non esset meritorius præmii supernaturalis; quia Concilia expressè dicunt, actus, prout oportet ad salutem, elici non posse sine inspiratione Spiritus S.; cum tamen talis actus, ita extrinsecè tantum (ut volunt adversarii) supernaturalis, absolute sine gratia elici queat. Hinc Gormaz de merito n. 152. ait, etiam operationes Christi, si is actus purè naturales eliciisset, non futuras fuisse meritorias; cum dignitas Personæ non potuisset supplere defectum prædicati intrinseci, scilicet supernaturalitatis requisitæ in merito.

300. Dico 2. Datur verè, & propriè dictum meritum hominis apud DEUM. Ita Catholici omnes contra hæreticos, Lutheri, & Calvini asseclas. Prob. Ecclesiastici 10. v. 15. dicitur: Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Proverb. 11. v. 18. Seminanti autem justitiam merces fidelis. Matth. 5. v. 12. Gaudete, & exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cælis. 1. Cor. 3. v. 8. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet. Concilium Arausicanum II. can. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Lateranense Oecumenicum sub Innocentio III. cap. 1. de fide Catholica. Ut recipiant secundum merita sua... cum Christo gloriam sempiternam... Per fidem rectam, & operationem bonam placentes DEO ad æternam beatitudinem mentur pervenire. Florentinum in literis Unionis in Decreto de purgatorio, docet, animas, ab omnibus maculis purgatas, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsam DEUM Trinum, & Unum, sicuti est, meritum tamen diversitate alium aliò perceptis. Consonat Tridentinum sess. 6. c. 16. de quo inferius. Plura, præsertim ex SS. Patribus, vide: apud Bellarminum tom. 4. contr. 3. gener. & 2. princip. l. 5. c. 4.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

301. Ob. 1. Psalm. 102. v. 4. dicitur: Qui coronat te in misericordia, & miserationibus: ergo non

ob merita. Confir. 1. Danielis 9. v. 18. dicit Propheta: Neque enim in justificationibus nostris profertur preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis: ergo. Confir. 2. Luc. 17. v. 10. dicit Christus: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: ergo nihil meremur. Resp. neg. conf. S. Aug. l. de corr. & grat. c. 13. sic ait: Veruntamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia DEI dicitur: cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari; quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini: scilicet DEUS nos coronat in misericordia; quia nostra merita fundantur in misericordia, & gratia; cum non possit homo mereri, nisi prius gratis, seu ex misericordia justificatus fuerit, & nisi gratiam prius misericorditer acceperit. Bellarminus c. 5. loco num. præced. citato. ait: Comitatur misericordia coronam gloriæ; quia scilicet peccata venialia misericorditer remittenda sunt ante ingressum beatitudinis.

302. Ad. 1. confir. neg. conf. Daniel ibi non petit coronam gloriæ, sed liberationem à captivitate, in quam populus propter peccata devenerat. Verùm, etsi petisset coronam gloriæ, rectè locutus fuisset; tum quia non sciebat, Israëlitas habere sufficientia merita; imò neque de se ipso id sciebat certitudine fidei; tum quia non debebat in his arroganter fidere, sed potius humiliter in misericordia DEI. Dein saltem est misericordia, quòd DEUS ea merita acceptet in actu secundo in ordine ad reddendum præmii, quanquam non sit retributio purè gratuita: quæ responsio etiam notari potest in ordine ad priorem textum psalm. 102. Ad 2. confir. Resp. cum V. Beda, Bellarmino, & Gormaz, neg. conf. Servi inutiles sumus; tum, quia DEUS nullam utilitatem ex nostris obsequiis potest recipere; tum quia sine ejus adjutorio nihil possumus facere: non autem; quia nihil meremur.

303. Ob. 2. Ad Rom. 6. v. 23. dicitur: Stipendia enim peccati mors; gratia autem DEI vita æterna: ergo hæc est ex gratia, non ex merito; aliàs diceretur etiam stipendium. Confir. 1. Ad Rom. 4. v. 4. ait S. Paulus: Et, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ergo. Confir. 2. Ad Rom. 8. v. 17. dicitur: Si autem filii, & heredes: heredes quidem DEI: atqui filii, seu heredes DEI, debetur hæreditas, seu vita æterna, absque meritis: ergo ista sunt superflua, adeoque non dantur. Resp. S. Aug. ep. 105. ante medium sic habet: Cum enim dixisset: stipendium peccati mors; quis non congruentissimè, & consequenter addere judicaret: stipendium autem justitiae vita æterna: Et verum est; quia, sicut merito peccati, tanquam stipen-

stipendium, redditur mors, ita merito justitiae, tanquam stipendium, vita æterna. & l. de grat. & liber. arbit. c. 9. Ubi cum posset dicere, (Apostolus) & rectè dicere, stipendium autem justitiae vita æterna: maluit dicere: Gratia autem DEI vita æterna. Docet autem, Apostolum hoc non dixisse, ne putaretur, nos habere vitam æternam æquè à nobis, sicut peccatum; cum tamen merita non habeamus, nisi ex gratia. Et in hoc sensu loquitur S. Augustinus l. de corr. & grat. c. 13. Meritis redditur, quæ gratia contulit homini. & ep. 105. ad Sixtum: Cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat, nisi gratia, & cum DEUS coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua.

304. Ad 1. confir. Resp. illum textum Apostoli non loqui de meritis ex gratia factis, sed de operibus ex viribus liberi arbitrii factis, Patet quando Apostolus in eadem epistola loquitur de justitia, quæ ex lege est, vel de lege factorum &c. loquitur de operibus legis Mosaicæ, quæ esse, independentè à gratia, & fide, non profunt: item loquitur de operibus factis ante fidem, & gratiam. Accedit, quòd ibi loquitur de merito, non gloriæ, seu salutis æternæ, sed de merito primæ gratiæ, & inchoationis salutis, quale utique etiam juxta nos non datur. Ad 2. confir. distin. min. hæreditas debetur abque meritis, hæreditas, qui succedunt morientibus. om. min. qui accipiunt hæreditatem vivente patre, neg. min. & conf. DEUS non moritur, nec quasi ab intestato succedunt ejus filii: sed ipse supervivens tribuit eis hæreditatem: non tamen abque meritis; sicut etiam in creatis patre adhuc vivens non solet, nisi filio benè merito, cedere bonis. Si tamen filii DEI non possunt mereri, e. g. infantes post baptismum ante usum rationis mortui, tunc DEUS ipsis dat gloriam, tanquam hæreditatem, abque meritis: at non ita adultis, quibus tamen etiam ob merita dat majorem gloriam, quam infantibus, qui non habuerunt ulla merita.

305. Ob. 3. SS. Patres etiam negant merita: ergo. Resp. neg. ant. de quo videtur Bellarminus tom. 4. contr. 3. gener. 2. princip. de justificatione l. 5. c. 6. ex quo nota sequentia: S. Hilarius, dum misericordiam præter meritum requirit, tantum vult, ut diximus n. 301. venialia peccata misericorditer debere remitti: quia nihil coinquatum in cælum admittitur: potest etiam dici, merita debere misericorditer acceptari. S. Basilius malè citatur tantum enim dicit, dari gloriam non secundum debitum operum, sed secundum debitum munificentissimi DEI: scilicet, ut infra dicemus, condignitas præmii etiam desumitur ex magnificentia remunerantis, S. Augustinus, quando videtur nostra merita non sufficientia dicere, loquitur de meritis sine gratia DEI, & ex solius liberi arbitrii viribus elicitis. S. Prosper dicit, vitam æternam esse donum gratiæ, eoque ipsa merita sint ex gratia; quia scilicet, tam qui diutius, quam qui brevius laborarunt, ex gratia id fecerunt: nec debent de suis laboribus gloriari, aut de suis viribus extolli, quod docere vult Christus eà parabolâ, quam S. Prosper adducit. S. Gregorius loquitur de operibus virtutis naturalibus, quæ nihil profunt, antequam quis per ve-

niam peccatorum actualium, seu saltem originalis, convalescat. S. Bernardus tantum excludit obligationem ex rigorosa justitia commutativa, quam multi Theologi negant.

306. Ob. 4. Si admittuntur merita hominum, fit injuria meritis Christi Domini, quasi non essent sufficientia: sed hoc est absurdissimum: ergo. Resp. neg. maj. In primis merita Christi infinitum eminent nostris; quia illi meritis est nobis etiam primam gratiam, quam nos mereri non possumus. 2. meritis est gratiam, sine qua adjuvante mereri non possemus. 3. merita ejus sufficienter infinitis gratis, & donis promerendis, & infinitis mundis redimendis. Quòd autem voluerit mereri nobis ita, ut non liceat nobis esse omnino otiosus, sed debeamus etiam aliquid facere, & cum ipsius gratia cooperari ad actiones virtutum, quæ sunt merita nostra, fuit sapientissimè factum; nam merito exigit DEUS à nobis etiam cooperationem honestam ad nostram salutem: & certè nunquam capiam, DEUM non curasse, quidquid gravissimorum scelerum committamus, modò in merita Christi credamus; hoc enim fuisset amplam nimis portam pandere vitæ. Sed neque minimum quid detrahitur eorum valori per hoc, quòd etiam nos mereamur; quia Christus sua merita instituit per modum causæ universalis, quæ concurrat cum causa particulari, cujus cooperatio nil detrahit virtuti, vel dignitati causæ universalis. Sic non minus æstimabilis est omnipotentia DEI, dum non vult omnia se solâ facere, sed etiam causis particularibus influxum permittit, quam si se solâ omnia operaretur.

307. Ob. 5. Possibilis est actus supernaturalis meritorius essentialiter impræmiabilis: ergo non omne meritum debet esse ex se potens movere ad retributionem præmii, adeoque mala est definitio meriti n. 298. statuta. prob. ant. si DEUS revelaret Petro, se nullum ejus actum præmiaturum, & Petrus hoc crederet, hic actus fidei esset essentialiter impræmiabilis: ergo. Respondet quidam, talem actum non quidem fore meritum in actu secundo, fore tamen meritorium in actu primo; quia hic actus tamen esset tantæ dignitatis, ut, si DEUS se vellet accommodare ejus valori, vel dignitati, deberet reddere tantum, vel tantum præmii. Sed hæc responsio potest urgeri sic. Hic actus essentialiter excludit remunerationem, adeoque excludit decretum DEI, volentis se accommodare ejus dignitati: ergo absolute non potest movere ad retributionem.

Itaque videtur dicendum, quòd talis actus, licet esset obsequium, tamen non esset strictè meritum: ex quo tantum sequitur 1. quòd actus meritorius constituatur ex negatione talis decreti nolentis præmiare, vel certè ex negatione respectus essentialis ad tale decretum: 2. sequitur, quòd non omnis actus supernaturalis absolute necessariò debeat esse meritum: quæ non sunt contra nostram conclusionem; unde in forma. om. totum; quia nihil est nobis contrarium. Minimè autem sequitur, etiam possibile esse peccatum essentialiter impunitum; quia, ut suo loco dicemus, peccatum illud non essentialiter respiceret præcedentem actum fidei, vel decretum DEI, quod tamen decretum, vel

vel factem veram de ipso revelationem DEI respicere deberet actus supernaturalis fidei. Quamvis fortè videri possit talis actus fidei repugnare ex eo, quòd decretum negandi præmium obsequio non deceat DEUM liberalissimum, adeoque nec possit dari revelatio vera de hoc decreto, nec actus supernaturalis fidei de illo.

308. Ad do pro clariore meriti notitia, 1. Non omne, quod est laudabile, est etiam meritorium; multi enim actus necessarii DEI, & Beatorum, sunt laudabiles: at non sunt meritorii; quia actus Beatorum non sunt liberi, nec in statu merendi eliciti: actus Divini autem non possunt esse obsequium. 2. Distinguitur meritum & satisfactio; hæc enim respicit necessariò debitum abolendum, dum meritum respicit remunerationem. 3. Distinguitur etiam meritum, à satisfactio; cum hæc non debeat esse libera, sed possit esse necessaria, & à reo necessariò tolerari: præterquam, quòd etiam supponat debitum. 4. Neque etiam idem sunt meritum, & impetratio strictè sumpta; hæc enim est humilis quædam, & expressa petitio, facta superiori, cum contestatione potestatis ejusdem superioris, & manifestatione indigentæ propriæ, pro qua tollenda fit petitio, quòd propriè soli convenit orationi: meritum autem non tantum in oratione, sed in pluribus aliis actibus invenitur. Accedit, quòd oratio, seu impetratio, etiam possit fieri ab iis, qui non possunt mereri, ut à Christo, & Beatis in cælo. Si verò impetratio latius sumatur, pro omni opere, potente movere Divinam misericordiam ad præstandum auxilium, tunc potest omne meritum dici impetratio: quamvis non ideo etiam omnis impetratio sit meritum; quia hoc necessariò debet esse liberum: si tamen impetratio libera sit, & elicita in statu merendi, etiam erit meritum. Interim tamen potest sæpè contingere, ut omnia hæc prædicata in unum actum confluant: sic e. g. actus misericordiæ, liberè elicitus ab homine, habente gratiam sanctificantem, est moraliter laudabilis, est meritum, est etiam, si offeratur pro deletione culpæ, satisfactio, & potest quoque esse satisfactio, si quis eum elicendo patiat: quin etiam interpretativa quædam humilis deprecatio, adeoque impetratio. Idem est in actu orationis, cum aliqua corporis molestia, vel quadam perpeffione, factæ &c.

ARTICULUS III.

An detur Meritum condignum æternæ gloriæ.

309. Meritum à Theologis dividitur in meritum de condigno, & meritum de congruo, de qua divisione agit S. Thomas, in 2. diff. 27. q. 1. a. 3. in corp. ubi sic scribit: Dicitur autem aliquid mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium & meritum secundum rectam æstimationem: ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur. Primum igitur, seu meritum de condigno est, quod est æquale

præmio: secundum autem, seu meritum de congruo est, quod non est æquale, sed tantum habet imperfectam aliquam exigentiam, & congruentiam ad præmium, quod ut reddatur, debet multum accedere de liberalitate, & affectu benevolenti præmiantis. Meritum de condigno vocatur meritum simpliciter tale: meritum de congruo vocatur etiam meritum secundum quid. Ubi tamen nota, etiam meritum de condigno non debere habere æqualitatem arithmeticam cum præmio, sed sufficere geometricam, ut docent Oviedo, tr. 9. de merito contr. 5. punct. 5. Gormaz, tr. de merit. n. 11. Haunoldus, l. 2. tract. 3. contr. 1. n. 843. & alii, quibus præit S. Thomas loc. modò cit.

Ista autem æquitas geometrica multum dependet etiam à circumstantiis, tum personæ merentis, tum personæ præmiantis; quòd enim major est dignitas præmiantis, eò majori etiam præmio dignum est meritum; neque enim decet, ut idem meritum, vel obsequium, in se materialiter sumptum, eodem modo remuneretur rex, ac plebejus. e. g. si vitam servas rustico, & regi, meritò longè majorem remunerationem expectas à rege, quam à rustico. Nec excessus doni regis erit tantum liberalis donatio, sed spectabit ad condignitatem præmii, adeo, ut, si rex tali non multò plus daret, quam rusticus, ille non tantum iliberalis fuisset, sed debito suo minimè satisfecisset diceretur.

310. Nec dicas, obsequium præsitum personæ digniori decrescere in ratione meriti; nam, quamvis hoc verum sit, non tamen verum est, quòd æquè decrescat in ratione condignitatis ad præmium; quia hæc non tantum consistit in dignitate operantis, sed etiam saltem aliquò modo geometricè ex dignitate præmiantis, ut in exemplo modò allato ostensum. Quare, licet meritum regi exhibitur, sit sub aliqua ratione minus obsequium, quam, si exhibitum fuisset alteri inferiori, tamen meretur de condigno majus præmium à rege, quam ab inferiori, ut patet ex dictis. Et hoc est, quod S. Thomas loc. num. præced. cit. dicit, meritum debere esse æquale præmio secundum rectam æstimationem; per hanc enim planè judicatur, debere præmium, à rege datum, majus esse, quam datum ab inferiorè.

Quantum autem præmium debeat ab hoc, vel illo præmiantè dari, non potest desumaliunde, quam fortè ex lege, præmium determinante; si quæ sit, vel iterum ex recta æstimatione, seu prudentum judicio. Hoc fermè idem intelligunt Lugo, & Oviedo, quando dicunt, meritum de condigno debere habere æqualitatem, non quidem quoad quantitatem; seu arithmeticam, sed tamen quoad virtutem, seu vim movendi, quæ dependet etiam multum à dignitate præmiantis; & ex hac geometricè crescit. Idem alii videntur dicere, dum ajunt, meritum debere habere æqualitatem cum præmio, similem illi, quam habet semen cum arbore, quam continet in virtute.

311. Meritum de congruo autem non exigit hanc æqualitatem: attamen in eo requiritur, ut ait Lugo apud Haunoldum l. 2. tr. 3. contr. 1. v. 842, ut iam æstimabile sit; ut præmians possit prudenter moveri ad dandum il-

An detur meritum condignum æternæ gloriæ.

jud præmium, e. g. si supremus militum ductor insignem victoriam de hostibus refert, meretur de condigno triumphum: alius inferior officialis bellicus, modo extraordinariè strenuo pugnans, meretur de condigno, non quidem triumphum, sed tamen promotionem ad alius officium militare, juxta suum statum: de congruo autem meretur, ut adhuc aliud promoveatur; quia nil fit imprudens, si talis per statum, ut ajunt, promoveatur. At verò, si rex vellet stabularium, ob habitam diligentem curam equi, statim adoptare in filium (ut rectè ait Haunoldus) imprudenter ageret; nec enim istud obsequium vel de congruo mereretur tantum præmium. Addit Gormaz n. 19. & seq. de merito, & bene, quòd meritum de congruo patiat magnam latitudinem, & quidem debeat in illo esse congruentia aliqua cum præmio: qualis autem, aut quanta esse debeat, inferendum, ait, esse vel ex auctoritate, vel ex ratione, vel ex comparatione cum aliis meritis certò congruis.

312. Ex occasione hinc quæri potest, in quo sensu verum sit illud axioma Theologorum: DEUS punit infra condignum, & præmiat ultra condignum. Et quidem quantum attinet ad punitionem, dicendum, quòd DEUS nunquam utatur toto rigore justitiæ, sed minus punit, etiam in inferno, quam de rigore peccata mererentur. Quod autem attinet ad præmia, Oviedo tract. 9. contr. 5. punct. 6. assertit multiplicem axiomatis sensum, & n. 89. tandem dicit, se istud axioma parùm curare; cum nesciat, unde proveniret. Potest tamen dici. 1. quòd, sicut datur triplex rerum pretium, summum, medium, & infimum, ita etiam datur triplex præmium: & DEUS semper det summum, ita Haunoldus. 2. potest dici, quòd DEUS præter præmium condignum essentialè, addat alia accidentalè, vel majorem intensiorem præmii. 3. potest dici, quòd DEUS plus det præmii, quam exigit meritum, præcisè in se spectatum, seu materialiter acceptum, seclusa gratia condignificante.

313. Dividitur ulterius meritum, præsertim à recentioribus, in impetratorium, & compensativum. Prius, seu impetratorium, quod etiam vocatur remunerandum, vel à quibusdam etiam attractivum, est illud, quod per modum causæ moralis, seu quia est, movet ad retribuendum præmium, e. g. victoria obtenta movet ad decernendum supremo Archistratego triumphum: bona opera supernaturalia, in statu gratiæ facta, movent DEUM ad dandum augmentum gratiæ. Meritum compensativum (quod etiam aliquando vocatur solutivum) juxta suos auctores est illud, quod non movet per modum causæ moralis, quia est, sed ut sit, per modum causæ finalis, e. g. si quis anticipatò solvit mercedem operario, labor subsequens dationem mercedis, est meritum compensativum; quia movet ad dandum anticipatò mercedem; non quia est, sed ut sit, seu ut labor subsequens compenfer, vel quasi solvat, seu repodat mercedem prius acceptam.

Ex quo tamen, ut ajunt assertores hujus meriti, non sequitur, quòd quilibet finis intentus, sit tale meritum; nam, si merces non

detur intuitu habendæ compensationis per laborem, non erit tale meritum. At vix erit, aut certè rarus casus, ut merces detur anticipatò non intuitu alicujus laboris, vel rei habendæ; nam talis merces unquam datur propter aliquid acquirendum, vel comparandum (aliàs non est merces, sed donatio) adeoque adhibetur tantum medium ad finem: consequenter, si finis obtineatur, hic erit meritum compensativum; unde ad minimum ordinariè finis erit meritum compensativum, saltem, si compenfer media; si enim ista non compenferet, reverà non esset meritum compensativum, quamvis tale esset in intentione adhibentis, media, vel dantis mercedem anticipatò &c. Sed de hoc merito sufficiat data hæc explicatio: an reipsa dandum sit meritum, & an talia fuerint merita Christi, discutiendum est in tractatu de Incarnatione. His præmissis

314. Dico. Actus supernaturaliter boni, facti ab homine, in statu gratiæ sanctificantis constituto, sunt meritorii de condigno beatitudinis æternæ. Ita Catholici omnes. Prob. Meritum simpliciter tale, & cui debetur præmium, est meritum de condigno; nam, ut supra explicatum, meritum de congruo est tantum meritum secundum quid, ita, ut, si remunerator præcisè velit attendere ad ejus valorem, non debeat ei reddere præmium: atqui Scripturæ, Concilia, & Patres, sæpissimè ajunt, simpliciter nos mereri vitam æternam, hanc reddi, & deberi nostris meritis &c. ergo.

Prob. mi. textibus pluribus n. 300. citatis: qui firmiter magis ex aliis, quibus DEUS sæpè dicit, quòd reddat mercedem ad mensuram operum; hoc est, secundum dignitatem eorum: & quòd digni reddamur vitam æternam &c. Sic psalmo 61. v. 13. Reddes unicuique secundum opera sua. Matth. 16. v. 27. Tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Apocal. ultimo. v. 12. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. 2. Thesalon. 1. v. 5. Ut digni habeamini in regno DEI, pro quo & patimini. Apocal. 3. v. 4. Ambulantur mecum in aëbis; quia digni sunt.

315. Accedunt SS. Patres, qui asserunt, nos ratione operum dignos esse æternam vitam, & hanc reddi dicit stipendium, per quod planè non intelligitur donatio, sed merces operi respondens: item ajunt, nos mercari, seu emere beatitudinem, quod sanè non est eam gratis, sed pro condigno pretio accipere. Sic S. Justinus in Apologia. 2. multum ante medium ait: Hominesque, qui dignos se DEI voluntate, & consilio, operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumptimus. S. Hilarius canone 5. in Matth. Regnumque DEI vite nostræ stipendii queramus. Et hæc redè, perfectèque viventium merces est. S. Basiliius homil. in principium Proverb. sub finem. Omnes Evangelicam vitam ambulantes mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cælestium negotiantes. S. Augustinus. epist. 109. ad Sixtum ante medium. Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna. Plures textus ex Scripturis, Patribus &c. suggerit Bellarminus, tom. 4. contr. 3. gener. contr. 2. princip. de just. l. 5. c. 3. & 4. Accedit ratio, Justus per gratiam

fit filius adoptivus DEI: ergo potest mereri suam hæreditatem, operibus ab ipso statu filii DEI dignificatis.

316. Possit hic etiam quæri, an merita nostra de condigno se quoque extendant ad merendam primam gratiam, & gloriam: at quia quæstioni huic jam satisfactum in tract. de Angelis à n. 136. ubi discussum, an Angeli se disposerint ad primam gratiam (nam quoad hoc par est ratio de hominibus, & de Angelis) hinc illuc lectorem remitto. Breviter tantum dico, non posse nos mereri, neque de congruo, primam gratiam excitantem; quia antecedenter ad hanc gratiam, non possumus elicere, nisi actum purè naturalem, ut pater: sed actus purè naturalis non potest esse meritum, neque de congruo, respectu præmii supernaturalis, ut est certum; ergo.

Possumus tamen de congruo mereri primam gratiam sanctificantem, modò gratia excitans præcesserit; nam meritum de congruo non præsupponit statum habitualis iustitiæ, sed potest etiam dari in peccatore. At verò non possumus eandem primam gratiam sanctificantem mereri de condigno; quia tale meritum constituitur ex dignitate gratiæ sanctificantis, & meritum præsupponitur ad præmium, adeoque, si gratiam illam primam mereremur de condigno, deberet eadem gratia præsupponi ad se ipsam, quod fieri nequit. Probabiliter tamen possumus mereri de condigno primam gloriam: & sic in tr. de Angel. loc. cit. diximus, Angelos probabiliter meritos esse de condigno primam suam gloriam. Ratio est. Cùm actibus nostris correspondeat duplex præmium, nempe gratia sanctificans pro priori, & gloria pro posteriori signo naturæ, probabiliter actus, pro priori condignificatus gratia sanctificante, habet pro posteriori vim condignam merendi gloriam.

317. Ob. 1. Apostolus ad Rom. 8. v. 18. ait. *Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: ergo non datur meritum condignum gloriæ. Confir. Potest dici, quòd opera nostra sint tantum puri termini, quibus positus, DEUS ex sua pura liberalitate conferat gloriam: sicut supra n. 63. & 64. diximus, aliquos asserere, opera naturalia esse puros terminos, quibus positus, DEUS, ex pacto cum Christo, det gratiam: ergo non debent admitti merita condigna. Resp. neg. conf. Apostolus loquitur tantum de passionibus, seu operibus, in se consideratis, absque condignificatione gratiæ, qua ratione utique non habent proportionem cum præmio æterno, præsertim (ut rectè ponderat Bellarm. tom. 4. controuv. 3. general. controuv. 2. princip. de iustif. l. 5. c. 3.) cùm sint huius temporis, hoc est, tam breves, & gloria sit sempiterna.

Responsio hæc roboratur ex eo, quòd intentum Apostoli ibi fuerit, animare fideles ad fortiter patiendum, ostendendo, quàm parvis rebus possint ingentia præmia sibi acquirere, ad quod ejus intentum vel maximè serviebat, si compararet passionum istarum, in se, seu materialiter tantum spectatarum, exiguitatem cum magnitudine gloriæ æternæ; unde non voluit, ibi eas passionem intelligi, ut à gratia condignificatas; nam de ipsis in hoc sensu acceptis ali-

ter loquitur 2. Cor. 4. v. 17. *Quòd in præsentibus est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternam gloriam operatur in nobis*. Ad confir. neg. ant. Purus terminus non est dignus mercede, aut stipendio, nec ista illi debentur, sicut tamen Scripturæ, Concilia, & Patres dicunt, ista deberi nostris operibus bonis in gratia factis.

318. Ob. 2. Tridentinum sess. 6. c. 16. ait: *Bene operantibus usque in finem, & in DEO sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filii DEI per Christum ipsam misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda*: ergo opera bona sunt gratia, adeoque non sunt merita, nisi ad summum de congruo. Confir. DEUS præmiat ultra condignum; ergo opera bona non sunt tam digna, quàm vita æterna. Resp. neg. conf. Tridentinum opera nostra vocat simpliciter merita, & ait, iis reddendam mercedem esse, quæ non conveniunt merito tantum congruo. Quòd autem eadem opera vocet gratiam, nil obest; quia sunt simul gratia; cùm sine gratia excitante, & adjuvante, vel cooperante, elici non poterint. Et hoc etiam est, quòd S. Augustinus vult indicare verbis n. 301. & 303. allatis. Ad confir. Ex hoc ipso axiomate inferitur, quòd supponant Theologi meritum condignum; alias quomodo dicerent, DEUM ultra hoc præmiari, in forma. neg. conf. Sensum huius axiomatis jam explicavimus n. 312.

ARTICULUS IV.

An solus Actus Charitatis, vel solus actus à charitate imperatus, sit meritorius præmii supernaturalis.

319. **D**ico. Non solus actus charitatis, sed omnes alii actus supernaturales aliarum virtutum, in statu gratiæ elicit, sunt meritorii gratiæ, & gloriæ. ita Theologi communissime contra paucissimos. Prob. conclus. Actus virtutum supernaturales, ab homine iusto elicit, ex intrinsecis suis prædicatis, referuntur ad DEUM, tanquam ultimum finem: ergo sunt meritorii; nam si referuntur ad DEUM, sunt obsequia DEO præstita, & ratione gratiæ digna præmio super naturali, gratiæ, & gloriæ. antecedens rectè præcedit ad DEUM, tanquam ad suum ultimum finem; quia, ut idem Eximius ait, quæ procedunt à DEO, ut auctore supernaturali, ordinantur ad ipsum, tanquam supernaturalem finem, intrinsecà, & connaturali ordinatione; cùm ultimus finis semper proportionetur primo principio: sicut ideo natura intellectualis naturaliter tendit in DEUM, ut finem naturalem; ergo ab illo, ut prima causa naturali, procedit: quia actus isti jam referuntur sufficienter ad DEUM.

Verum

An solus actus charitatis, vel à charitate imperatus sit meritorius.

Verum quidem est, quòd actus aliarum virtutum non referantur ad DEUM tanquam ad suum objectum, sicut ad eum referuntur actus charitatis; atramen referuntur ad eum tanquam ad suum principium, & finem, quod sufficit; nam gratis dicitur, quòd alia relatio requiritur. Confir. Opposita opinio (ut iterum bene advertit Suarez. n. 3.) merita iustorum sine causa multum diminuit; nam juxta adversarios multi, etiam iusti, sed imperfecti homines, sæpe sat diu nihil, saltem præmii essentialis, mererentur; cùm actum charitatis Theologicæ sat diu non eliciant: interim tamen Christus Dominus Matth. 25. v. 34. operibus misericordix, nulla mentione facta charitatis Theologicæ, vitam æternam, tanquam meritis condignis attribuit.

320. Prob. conclusio 2. Tridentinum sess. 6. c. 16. ad hoc, ut homines vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur (quibus verbis planè indicatur meritum de condigno) ad hoc, inquam, aliud non requirit, quàm 1. ut sint iustificati, seu in statu gratiæ. 2. ut opera eorum fiant ex gratia, seu virtute, quam Christus, tanquam caput, in membra influit. 3. ut eadem opera in DEO sint facta: quod repetitur ejusdem sessionis can. 26. sed hoc totum habetur etiam in aliis actibus supernaturalibus aliarum virtutum: ergo. ma. & min. patent, nisi quis vellet contendere, verba illa in DEO facta significare actum charitatis; at immeritò hoc contenderet; nam satis in DEO fit, quod (ut Suarez. ait p. 3. de grat. l. 12. c. 9. n. 6.) fit in gratia, sive fit ab homine, per charitatem habitualement in DEO manente, & ex gratia DEI, specialiter moventis, & adjuvantis, ad ponendum actum, qui ex natura sua in DEUM tendit, & ad gloriam ejus cedit, ut explicatum n. præced.

321. Dico. 2. Ad hoc, ut actus sit meritorius de condigno, non est necesse, ut sit imperatus à charitate. ita Suarez. p. 3. de grat. l. 12. c. 9. n. 3. Gormaz de merito n. 118. qui insuper n. 115. citat Amicum, Tannerum, Ariagam, Oviedo, & communem nostrorum. Conclusio procedit tam de imperio actuali charitatis, quod consisteret in actu charitatis actualiter existente, quàm de virtuali, quod consisteret in aliquo effectu ab actu charitatis (qui prius extitisset, nunc autem jam transisset) relicto; sicut scilicet solent Theologi alibi loqui de intentione actuali, & virtuali. Alii hic mentionem faciunt imperii habitualis, hoc est, jam præteriti, & in nullo effectu amplius existentis, quod minus requiritur; quia minus juvat: certè non magis est necessarium. Prob. autem conclusio iisdem rationibus, quibus superior assertio. Sine imperio actuali, & virtuali, quæ & habituali charitatis, habentur omnia, quæ Tridentinum requirit ad opera meritoria de condigno, ut supra explicatum; habetur etiam sufficiens relatio intrinseca actuum ad DEUM, extrinseca alia non probatur esse necessaria; imò cùm minueret multum merita iustorum in ordine ad gloriam, aut gratiam; eòquòd multi, saltem imperfecti, sæpe sat diu actum charitatis non

eliciant, potius probatur non esse necessaria talis relatio: ergo.

Quare ad meritum de condigno tantum requiritur. 1. ut actus sit honestus. 2. ut intrinsecè sit supernaturalis. 3. ut sit liber. 4. ut sit elicitus ab homine iusto, ut se habente gratiam sanctificantem. 5. ut sit elicitus adhuc in statu viæ, vel merendi. Ex quo obiter infero, non requiri per se ad meritum speciale arduitate actus; nisi enim fiat questio de voce, & omnis actus liber dicitur specialiter arduus; eòquòd elici debeat, stantibus quibusdam motibus in oppositum, multi actus valde meritorii, non sunt specialiter ardui; nam sanctissimi viri facillè eliciunt actus Divini amoris, etiam intensos.

322. Ob. 1. S. Paulus 1. Cor. 13. v. 3. ait: *Si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo alii actus, non imperati à charitate, non merentur. Confir. Scriptura sæpissime nos hortatur, ut omnia ad gloriam DEI, & propter ejus amorem, faciamus, ut consequamur vitam æternam: ergo ad meritum de condigno requiritur ordinatio operis ad amorem DEI: ergo requiritur saltem virtuale imperium charitatis. Resp. neg. conf. Apostolus ibi loquitur de charitate habituali, quæ si non adsit, neque adest in hac providentia gratia sanctificans, adeoque non datur meritum condignum, ex defectu status iustitiæ, non autem ex defectu charitatis actualis.

Ad confir. neg. utramque conseq. Scriptura nos hortatur sæpe ad alios actus virtutum, e.g. ad jejunium, orationem, elemosynam, quin ad meritum requiratur imperium istarum virtutum, temperantiæ, religionis &c. sic Raphael Tob. 12. v. 8. hortatur Tobiam ad ista sine ulla mentione actus charitatis. Unde ex eo, quòd Scriptura ad aliquid hortetur, sequitur quidem, illud esse bonum, vel aliquando etiam melius; sed non sequitur, id esse necessarium: & saltem sufficit ordinatio intrinseca operis, quæ est interpretativa aliqua intentio gloriæ Divinæ, ejusque beneplaciti: nec requiritur ordinatio aliqua extrinseca actualis, vel virtualis.

323. Ob. 2. Actus meritorius, ut sit dignus mercede, debet esse obsequium DEO præstitum: atqui non est tale, nisi per actum charitatis referatur ad DEUM: ergo. Confir. Actus non est meritorius, sine promissione facta ex parte DEI remunerantis: ergo neque est meritorius, sine obligatione facta ex parte merentis: atqui hæc obligatio debet fieri per actum charitatis: ergo. Resp. neg. min. modò enim actus ex intrinseca sua natura referatur ad DEUM, & insuper sit adimpletio legum ipsius, atque ipsi placens, est sufficienter obsequium, et si nec actu, nec virtute, hic & nunc, referatur ad DEUM, per extrinsecam intentionem, vel imperium.

Et quis dicat, illum non præstare obsequium suo hero, qui cogitans, se velle nunc strenuè laborare, simul egregiè e.g. in horto domini laborat, quin de suo hero cogitet? Sufficit scilicet, hunc laborem eo ipso, quòd fiat circa bona domini, cedere in ejus bonum: sic etiam

etiam sufficit, opera nostra, ex supernaturali gratia facta, cedere ex ordinatione intrinseca in bonum DEI, vel ad ejus laudem, aut beneplacitum.

324. Ob. 3. S. Thomas. 1. p. q. 95. a. 4. in corp. ait. *Quantitas meriti ex duobus potest pensari: uno modo ex radice charitatis, & gratia: & talis quantitas meriti respondet premio essentiali, quod consistit in DEI fructione*: dein addit, alio modo pensari quantitatem meriti, ex quantitate operis, five absoluta, five proportionali, & subdit: *Utraque tamen quantitas meriti respondet premio accidentali, quod est gaudium de bono creato*: ergo ex S. Doctore actui meritorio non respondet præmium essentialia, nisi ratione radicis charitatis, hoc est; quia meritorium opus oritur ex radice charitatis, ratione imperii, five actualis, five saltem virtualis, à charitate positi.

Resp. neg. conf. S. Doctore eo loco tractat questionem, an primus homo, seu Adam, in statu justitiæ originalis, fecisset opera magis meritoria, quam nos nunc faciamus: nec facit ullam comparisonem inter actus charitatis, & aliarum virtutum: sed inter actus charitatis, elicitos in statu naturæ integræ, & elicitos in statu naturæ lapsæ, atque, in priori statu Adamum elicitorum fuisse majora merita, eoquod habuisset copiosiore gratiam, & minora obstacula tentationum &c. adeoque ferventiores actus charitatis elicisset: quod nihil est contra nos.

325. Quod autem spectat ad radicem charitatis, permittit, S. Doctorem loqui de charitate actuali; nam dicit, operantem ex majori charitate plus mereri, quod valde incertum est de operante cum majore tantum charitate habituali: deinde ad 2. ait, ex magnitudine charitatis causari promptitudinem voluntatis, & ex hac charitate posse aliquem tam prompta voluntate facere opus facile, quam alius faceret difficile; quia æquè paratus esset, hoc alterum facere: quæ conveniunt charitati actuali intensæ. Dixi: *permittit*; quia aliqui cum Gormaz volunt, S. Doctorem ibi loqui de charitate habituali: quo casu, ut patet, textus non probaret quidquam contra nos. Sed supponendo etiam, sermonem ibi S. Doctore esse de charitate actuali, resp. S. Doctorem non dicere, nullum dari meritum sine radice charitatis actualis, sed tantum dicere, nullum dari meritum, seu vim meritoriam ad præmium essentialia, in actu externo, ex charitate facta, nisi illam, quæ in eum derivatur ab actu interno charitatis, qui est radix meriti.

Quod enim S. Doctore loquitur de operibus externis, est manifestum; quia loquitur de oblationibus in templo factis, & duobus minutis, à vidua Evangelica oblati; & hæc opera, ait, non mereri præmium essentialia, sed ad summum aliquid accidentale majus, si ipsa majora fuerint. e. g. si duo ex actibus charitatis similiter intensi fecissent duo opera externa, unus majus, alter minus, ille non haberet majorem visionem beatificam, quam hic: possit tamen habere aliquid gaudium accidentale de bono creato, ut ait S. Doctore, quatenus possit gaudere de eo, e. g. quod nobilissimum templum honori Divino structum sit. Unde à primo ad ultimum, ex hoc loco tantum probatur, quod actus externus non augeat meritum actus inter-

ni, prout etiam diximus trad. de actibus humanis 104. non autem, quod nullus actus virtutum, nisi formaliter procedat ab imperio charitatis, sit meritorius præmii essentialis, seu fructuosis Dei, de quo ibi S. Doctore nullatenus agit.

ARTICULUS V.

An Opera meritoria habeant vim merendi ex natura sua, an ex promissione DEI.

326. **P**remittit ex Suarez p. 3. de grat. l. 12. c. 17. n. 1. aliud esse ordinationem, aliud promissionem.

Illam, seu ordinationem, est voluntas ordinantis hæc opera ad hæc præmia. e. g. cursus in stadio ex se non est meritum bravii, sed ex lege reipublicæ, instituentis hæc certamina, & proponens victori præmia: & hinc talis voluntas reipublicæ est ordinatione cursus ad meritum. Promissio est voluntas ejus, qui se obligat ad dandum tali operi condignum præmium. Quæ promissio ordinariè vel involvitur in ordinatione, vel certè hanc consequitur; cum ordinans meritum, & proponens præmium, meritò censetur se obligare ad istud dandum, supposito, quod opus fuerit factum.

Discrimen etiam faciendum cum eodem Suarez loc. cit. n. 7. inter præmium intrinsecum, ut vocat, & extrinsecum. Prius est, cum quo actus meritorius habet intrinsecam connexionem &c. alterum, cum quo actus non habet intrinsecam connexionem, sed debet eam ab extrinseco accipere. Idem est, si dicatur, discrimen esse inter opera, est se indifferentia ad præmium, & ex se connexa cum præmio. Indifferentia sunt e. g. cursus in stadio, item scriptio alicujus poematis; hæc enim actiones, licet in se laudabiles sint, tamen independentes ab ordinatione, vel propositione præmii, victoribus dandi, non habent connexionem cum præmio. Connexa cum præmio sunt e. g. famulatus domino præstitus, vel labor artificum, aut operarum: & adhuc magis bona opera supernaturalia; quia, etsi fors ille famulatus, & labor, non ita strictè conducentiam intrinsecam habeant ad mercedem, seu retributionem, tamen opera nostra bona supernaturalia habent intrinsecam conducentiam ad visionem beatificam, quæ est merces, & præmium, atque ideo dicuntur Theologicè supernaturalia.

327. Adde ex doctrina ejusdem Eximii, & Gormazii tr. de merito. n. 210. & seq. vocem hanc meritum in triplici significatione accipi posse, nempe pro merito latè dicto, strictè dicto, strictè dicto. Meritum latè dictum potest dici actio, quæ ex se quidem habet libertatem, bonitatem, laudabilitatem, dignitatem, & valorem: sed vel habet valorem necdum determinatum, vel non positum in circumstantiis ad merendum requisitis; ait enim Suarez (præferim p. 3. de grat. l. 12. c. 17. n. 12.) opus etiam habens valorem, nondum tamen esse meritum, immediatè respectu hujus tanti præmii; eoquod, sicut pretium rerum est triplex, summum, medium, & infimum, ita etiam detur valor meriti ad præmium summum, medium, & infimum: putat-

putatque, hunc valorem non stare in indivisibili antecedenter ad determinationem DEI, quam putat necessariam, ut assignetur cuique merito præmium in indivisibili.

Alii autem, qui videntur velle, præmium condignum stare in indivisibili, idque à DEO cognosci, tamen negare non possunt, actum talem non exigere ex natura circumstantias merendi, e. g. actus etiam liber est indifferens, ut fiat in via, vel in termino, præsertim, si operans nondum sit in ultimo termino, ut Patres in limbo, vel animæ in purgatorio, vel, ut plurimi volunt, Enoch, & Elias in loco incongnito; quare, si talis actus non ponatur in statu viæ &c. non erit meritum, nisi latè dictum.

Meritum strictè dictum est actus, habens in se non tantum bonitatem, & laudabilitatem (quam habent etiam actus DEI, & Beatorum non liberi, & non meritorii) sed etiam libertatem, & determinatum valorem, ac dignitatem, & quidem in circumstantiis ad merendum requisitis, ad recipiendum præmium, si remunerator se velit accommodare valori ipsius, ad quod tamen sæpe non tenetur. Meritum strictè dictum tale est, quod præter dicta afferat etiam obligationem in remuneratore ad dandum præmium. His præmissis

328. Dico 1. Ad meritum supernaturalitè dictum nulla requiritur ordinatione, aut promissio DEI: requiritur tamen aliqua ordinatione ad meritum strictè dictum. Ita Suarez capite n. præced. citato, & alii. Prob. 1. pars. Laudabilitas, bonitas, libertas, dignitas, & valor, præsertim adhuc indeterminatus, non requirit ordinationem specialem DEI, five ad præmium, five ad circumstantias proximas merendi: atqui in illis, nempe in laudabilitate &c. stat meritum latè dictum: ergo. Prob. 2. pars. Vel actus ex se nondum habet valorem, in indivisibili determinatum, aut dignitatem ad præmium, vel certè ex se non exigit, ut in his, vel illis circumstantiis, & non in aliis, sit strictè meritorius: ergo opus est determinatione DEI, volentis ei assignare tantum, vel tale præmium, vel saltem opus est determinatione circumstantiarum, in quibus actus fit, vel non sit meritorius: atqui hæc determinatio est ordinatione ad præmium, vel circumstantias: ergo ad hoc, ut actus sit strictè meritorius, opus est aliqua ordinatione, five determinatione DEI.

329. Dico. 2. Ad hoc, ut actus sit strictè meritorius, præter ordinationem etiam opus est promissione DEI. Ita Gormaz de merito n. 217. Suarez p. 3. de grat. l. 12. c. 18. n. 5. & hoc teste, communitè alii. Prob. DEUS, utpote supremus dominus, sub cujus potestate, & jure plenissimo, omnia sunt, possit sibi vindicare, titulo sui domini, omnes actus nostros bonos, laudabiles, liberos, æquales, vel dignos præmio &c. quin se vellet accommodare exigentiæ valoris eorum ad præmium, vel aliquid pro iis retribuere: ergo, ut DEUS obligetur, opus est promissione ipsius, qua posita, ratione lux infinitæ fidelitatis, si non etiam, ut multi volunt, ratione justitiæ, metaphysicè necessitatur ad dandum præmium promissum.

Confir. Scripturæ, Concilia, & Patres, sæpe revocant vim actuum nostrorum bono-

rum meritoriam, saltem ultimato completam, five strictè dictam, ad promissionem DEI: qua promissione infallibili etiam excitant spem nostram, & simul animum, ad alacriter faciendâ bona: ergo. ant. prob. Matth. 20. v. 13. sub similitudine Patrisfamilias inducit Christus vel se, vel Patrem suum, operario loquentem: *Nonne ex denario convenisti mecum? conventio autem idem est, ac promissio. Jacobi 1. v. 12. Accipiet coronam vitæ, quam repromissit DEUS diligentibus se. Concilium Senonense in decretis fidei, decreto 16. ait, nostra bona opera esse meritoria, non absoluta condignitate quidem, neque enim condigne sunt passionibus hujus sæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis) sed gratuita magis, & liberali repromissione: ubi absolutam, hoc est, omnino strictè dictam condignitatem non solis operibus nostris bonis, sed his simul cum promissione gratuita, tribuit.*

Moguntinum cap. 8. ait, opera nostra bona verè bona, & DEO gratia, ac remuneratione vite eterne digna esse; tum, quia DEUS bene operantibus, & in ipso sperantibus, mercedem misericorditer promissit: tum etiam, quia ejusmodi justificantium opera, gratia DEI effectus sunt, & movente, & adjuvante Spiritu S. sicut. Sic etiam Tridentinum, superius jam citatum, sess. 6. c. 16. ait: *Bene operantibus . . . proponenda est vita æterna. . . . tanquam merces, ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus, & meritis, fideliter reddenda. Ubi, dum ait, meritis reddendam, agnoscit meritum strictè dictum, antecedenter ad promissionem: dum autem ait, ex DEI promissione reddendam, indicat, ea independentes ad promissionem non esse merita strictè dicta.*

330. Contentium Patres apud Suarez p. 3. l. 12. de grat. c. 18. ex quibus S. Augustin. serm. 16. de verbis Apostoli: *Ilio ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: redde, quod promissisti, quia fecimus, quod justisti.* Neque dicas: si promissio necessaria est, tunc potest dici, quod in ea sola consistat vis meritoria; nam hoc nullo modo dici potest; cum possit promissio fieri sub conditione proflus non meritoria, præsertim de condigno. Sic DEUS promissit gratiam, & remissionem peccati, contritioni à peccatore elicite, quæ tamen nullo modo est meritum de condigno, ut omnes docent. Sic etiam, si quis alteri promittat æquum, si det aureum, talis datio non est præmium condignum. Et ratio, quod promissio sola non faciat actum meritorium, clara est; quia, sicut potest promissio esse purè & absolute gratuita sine omni adjecta conditione, ita etiam potest esse sub conditione, quæ non sit æqualis valori, vel dignitati &c. rei promissæ. Unde ad meritum requiritur bonitas, æstimabilitas, dignitas, &c. operis saltem geometricè æqualis remunerationi, five præmio, quæ superius sat explicata sunt.

331. Equidem aliqui videntur dicere, quod, sicut princeps in humanis potest pro libitu augere, vel minuere pretium monetæ, ita etiam DEUS possit pro libitu augere vim meritoriam operis, non attendendo ad laudabilitatem, dignitatem &c. adeoque ad meritum ista non requiri, sed sufficere solam ordinationem, vel promissionem DEI. Sed rectè respondet Gormaz

de merito n. 49. princeps potest etiam valorem tribuere corio, quia propterea tantum valeat, ac aurum; nempe potest princeps tantum augere valorem extrinsecum monetæ, non autem intrinsecum monetæ valorem, aut æstimabilitatem, seu dignitatem; quia per decretum principis non fit perfectius, nec copiosius, aurum, vel aliud metallum. Pariter quidem potest etiam DEUS sua promissione, vel ordinatione, augere, ut ita dicam, valorem extrinsecum operis, ut à se acceptetur, sicut auxit, ut ita dicam, valorem contritionis elicite ab homine in statu peccati: at per hoc non auget intrinsecam operis æstimabilitatem, dignitatem, valorem &c. ut sint æquales præmio: in his autem stat ratio meriti condigni: ergo sola promissio DEI non est ratio, seu forma denominans meritum condignum.

332. Ob. 1. contr. 2. conclusionem. Datur antecedenter ad promissionem DEI demeritum condignum poenæ æternæ, in peccato mortali: ergo etiam potest dari antecedenter ad promissionem DEI meritum condignum vitæ æternæ. Resp. dist. ant. datur demeritum in sensu supra explicato strictum. conc. ant. strictissimum. subdist. antecedenter ad promissionem formaliter talem. conc. virtualiter talem, seu antecedenter ad determinationem DEI. neg. ant. & conf. DEUS, etsi ratio peccati mortalis accipiat jus infligendi poenas æternas, non tamen obligatur ad eas infligendas, sicut antecedenter ad suam promissionem non obligatur ad præmiandum; unde in eo sensu, in quo accipimus supra meritum strictissimum, etiam peccatum ex se solo non est strictissime demeritum; quia antecedenter DEUS non obligatur ad puniendum: & sic, ut bene ait Gormaz de merito. n. 276. DEUS non accipit jus puniendi peccata, quæ committuntur damnati in inferno, ubi habent libertatem physicam ad multa: nec illa peccata sunt demerita in sensu strictissimo.

Ut tamen DEUS suo modo obligetur ad puniendum, non opus est formali promissione poenæ, sed tantum æquivalenti, nempe acceptatione libera juris ad puniendum, & aliquo decreto efficaci, quo posito, ratione suæ immutabilitatis DEUS necessario peccatum punit. Dices. In hoc casu obligatur saltem peccator ad subeundas poenas, etsi non promittat, se eas subiturum. Resp. Absque dubio peccator ante omnem promissionem obligatur ad subeundas poenas; quia non habet ullum titulum se eximendi, & statim potest à DEO cogi: at verò DEUS habet titulum iustissimum, se eximendi à remuneratione operum nostrorum, scilicet jus supremum in omnia (ut supra expositum est) nec potest ab ullo necessitari.

333. Ob. 2. Si quis dominus videat operarium in sua vinea laborantem, etsi ipsi non promittat mercedem, tamen tenetur ad eam solvendam: ergo etiam DEUS, videns nostra bona opera, tenebitur antecedenter ad suam promissionem ea præmiare. Confir. Promissio DEI non facit opus dignius, aut majoris valoris, quam antè fuerat: ergo non facit illud strictius meritum. Resp. neg. conf. Dominus videns illum laborantem, utique non intentione gratuita (aliàs negaretur antec.) censetur eum laborem admittente in ordine ad mercedem, & sic tacite, vel interpretative, mercedem promittere; cum nul-


lum habeat jus ad eum laborem imponendum, vel gratis recipiendum. At verò DEUS habet plenum jus, & dominium in nostros labores, adeoque, etsi eos videat, nisi promissione se obliget, non tenetur illos remunerari. Ad confir. neg. conf. Ratio strictior meriti non stat in maiori dignitate, vel valore operis, sed in asserenda majori obligatione ad præmiandum, quæ in nostro casu, vel maxime oritur ex promissione DEI.

334. Ob. 3. Plures operantes bene agunt, sine omni reflexione, aut cogitatione, de facta promissione DEI, imò cum invincibili ignorantia ejusdem: atqui promissio non obligat, nisi acceptetur, consequenter sciatur: ergo DEUS ita operantibus non obligatur vi suæ promissionis: ergo debet obligari ex ipsa natura solius meritæ, aliàs omnino non obligabitur, quod dici non potest. Resp. Vix potest transmitti, quòd fideles ignorant hanc promissionem: cum necessarium sit necessitate mediæ ad salutem, credere DEUM remuneratorem, qui semper proponitur ut promittens cœlum bene operantibus. Secundò non est necesse, ut quis semper cum actuali reflexione ad hanc promissionem operetur: imò qui eliciunt actus purissimi amoris DEI, non operantur intuitu mercedis, & videntur sepe de ea nec cogitare.

Tertiò non videtur necessaria acceptatio promissionis Divinæ; quia DEUS non obligatur à jure, quasi ab homine per acceptationem acquisito, ut fit in humanis, sed à sua immutabili fidelitate, quæ est independentis ab acceptatione. Quartò, ut rectè Suarez, p. 3. de grat. l. 12. c. 18. n. 13. notitia, vel acceptatio promissionis, licet fortè sit necessaria in contractibus privatis, tamen non est necessaria in his, quæ per publicam legem statuuntur. Sic, si per legem publicam esset statutum præmium occidentis e. g. tigridem, vel lupum, etsi quis incivis illius legis id faceret, præmium mereretur; quia jus ad præmium non dependet ab ejus notitia, sed ab actione per legem determinata: sic etiam multi infideles nesciunt, poenas infernales esse determinatas pro peccato mortali, & tamen eas incurrunt.

Quintò, ut habet idem Eximius eodem loco, datur in omnibus bene operantibus saltem virtualis, ac interpretativa acceptatio, quatenus quilibet sua actione vult sibi procurare bonum, quod potest, quæ acceptatio sufficit. In forma om. interim ma. neg. mi vel dist. promissio non obligat, nisi acceptetur in contractibus privatis inter homines conc. mi. in iis, quæ statuuntur per legem publicam. subdist. nisi acceptetur virtualiter. om. mi. nisi acceptetur formaliter, & expressè. neg. mi. & utramque consequentiam.

335. Et hæc sufficiat tractasse de merito, non quidem multa, ea tamen omnia, quæ in regionum nostrarum Universitatibus solent tractari: quæ quæ pro speculativa scientia utcumque sufficere poterunt. Qui plura nôsse de mentibus cupit, auctores plures inveniet, qui ista prolixius, quam qui brevius tractent. Interim cardo nostræ felicitatis in eo vertitur, ut speculationibus non contenti, ad praxin bonorum operum, & cumulanda merita strenuè incumbamus.



INDEX

Disputationum, Questionum, & Articulorum.

In Tractatu de Peccatis.	Num.	DISPUTATIO II.
DISPUTATIO I.		<i>De Peccato Habituali, & Originali.</i>
<i>De Peccato Actuali.</i>	2	QUESTIO I.
QUESTIO I.		<i>De Peccato Habituali.</i>
<i>De Essentia Peccati Actualis.</i>		<i>Art. I. Quid sit peccatum habituale.</i>
<i>Art. I. Quid sit, & quotuplex peccatum actuale.</i>	3	<i>Art. II. An reatus culpæ, & reatus poenæ distinguantur.</i>
<i>Art. II. Quid sit, & an detur peccatum Philosophicum.</i>	13	<i>Art. III. Solvuntur objectiones contra conclusionem art. i. statutam.</i>
<i>Art. III. In quo stet formalis malitia peccati.</i>	23	<i>Art. IV. Solvuntur reliquæ objectiones.</i>
<i>Art. IV. Solvuntur Objectiones.</i>	33	QUESTIO II.
QUESTIO II.		<i>De Peccato Originali.</i>
<i>De Causa Peccati.</i>		<i>Art. I. Quid sit peccatum originale, & an ab hominibus contrahatur.</i>
<i>Art. I. An DEUS sit causa peccati.</i>	48	<i>Art. II. Solvuntur objectiones.</i>
<i>Art. II. Solvuntur objectiones.</i>	50	<i>Art. III. Solvuntur reliquæ objectiones.</i>
<i>Art. III. Quomodo DEUS ad peccatum concurrat.</i>	65	<i>Art. IV. An B. Virgo contraxerit peccatum originale, vel saltem haberit debitum illud contrahendi.</i>
<i>Art. IV. Solvuntur objectiones.</i>	72	<i>Art. V. Solvuntur objectiones.</i>
QUESTIO III.		<i>Art. VI. Alia questio circa lapsum primum parentum.</i>
<i>De Differentia Peccati Mortalis, & Venialis.</i>		
<i>Art. I. Quid sit peccatum mortale.</i>	84	
<i>Art. II. Solvuntur objectiones.</i>	94	
<i>Art. III. Quid sit peccatum veniale.</i>	106	
<i>Art. IV. Solvuntur objectiones.</i>	113	
<i>Art. V. Solvuntur reliquæ objectiones.</i>	127	
<i>Art. VI. Quid sit parvitas materie, & in quibus peccatis non detur.</i>	140	
QUESTIO IV.		
<i>De Differentia Specifica Peccatorum.</i>		
<i>Art. I. Quanam peccata differant specie.</i>	146	
<i>Art. II. Solvuntur objectiones.</i>	162	
<i>Art. III. Solvuntur reliquæ objectiones.</i>	175	
QUESTIO V.		
<i>De Differentia Numerica Peccatorum.</i>		
<i>Art. I. Quanam peccata distinguantur numero.</i>	182	
<i>Art. II. Reliquæ conclusiones huc spectantes.</i>	199	
<i>Art. III. Solvuntur objectiones.</i>	214	
		DISPUTATIO II.
		<i>De Peccato Habituali, & Originali.</i>
		QUESTIO I.
		<i>De Peccato Habituali.</i>
		<i>Art. I. Quid sit peccatum habituale.</i>
		<i>Art. II. An reatus culpæ, & reatus poenæ distinguantur.</i>
		<i>Art. III. Solvuntur objectiones contra conclusionem art. i. statutam.</i>
		<i>Art. IV. Solvuntur reliquæ objectiones.</i>
		QUESTIO II.
		<i>De Peccato Originali.</i>
		<i>Art. I. Quid sit peccatum originale, & an ab hominibus contrahatur.</i>
		<i>Art. II. Solvuntur objectiones.</i>
		<i>Art. III. Solvuntur reliquæ objectiones.</i>
		<i>Art. IV. An B. Virgo contraxerit peccatum originale, vel saltem haberit debitum illud contrahendi.</i>
		<i>Art. V. Solvuntur objectiones.</i>
		<i>Art. VI. Alia questio circa lapsum primum parentum.</i>
		In Tractatu
		De Gratia, & Merito.
		DISPUTATIO I.
		<i>De Gratia Actuali.</i>
		QUESTIO I.
		<i>De Essentia, & Divisionibus Gratiæ Actualis.</i>
		<i>Art. I. Variæ acceptiones, & divisiones gratiæ.</i>
		<i>Art. II. In quo consistat gratia actualis.</i>
		<i>Art. III. Solvuntur objectiones.</i>
		<i>Art. IV. An Gratia excitans physice influat in actus salutare.</i>
		QUESTIO II.
		<i>De Necessitate Gratiæ Actualis.</i>
		<i>Art. I. An gratia sit necessaria ad actus supernaturales, tum intellectuales, tum voluntatis.</i>
		<i>Art. II. Solvuntur objectiones.</i>
		<i>Art. III.</i>

Art. III. Quomodo intelligatur Principium : Facienti, quod est in se, DEUS non deneget suam gratiam. 58

Art. IV. Quo in sensu sit verum dictum principium. 67

Art. V. An sine gratia supernaturali possit aliquid in ordine naturae moraliter bonum fieri. 83

Art. VI. Solvuntur objectiones. 89

Art. VII. An sine gratia supernaturali possit ellici amor DEI super omnia. 94

Art. VIII. Solvuntur objectiones. 102

Art. IX. Solvuntur reliquae objectiones. 113

Art. X. An homo sine gratia supernaturali possit vincere omnes tentationes, & servare totam legem naturae. 118

Art. XI. Solvuntur objectiones. 134

Art. XII. Solvuntur reliquae objectiones. 142

Art. XIII. An homo in statu naturae lapsae sit debillior, quam fuisse in statu purae naturae. 153

Art. XIV. Solvuntur objectiones. 161

**Art. XV. Solvitur ultima, & difficillior ob-
jectio.** 173

QUAESTIO III.

De Existentia Gratiae Actualis.

Art. I. An existat gratia sufficiens. 181

Art. II. Quenam de hac materia sit mens S. Augustini. 186


Art. III. Solvuntur Objectiones. 188

Art. IV. Solvuntur reliquae objectiones contra gratiam sufficientem. 205

Art. V. An auctoritas S. Augustini in materia de gratia sit omnino infallibilis. 211

Art. VI. Quid sit heresis Janseniana. 221

**Art. VII. Varia alia quaesita à Jansenianis ef-
fugia.** 228



**Art. VIII. Alterior explicatio heresi Jan-
senianae.** 237

**Art. IX. Qua occasione sit edita Constitutio
Unigenitus.** 254

DISPUTATIO II.
De Gratia Habituali Sanctificante. 261

QUAESTIO UNICA.

**De Essentia, & Proprietatibus Gra-
tiae Sanctificantis.**

**Art. I. Quid sit gratia sanctificans, & an sit
identificata cum habitu charitatis.** 263

**Art. II. Solvuntur objectiones contra huc-
que dicta.** 270

**Art. III. An gratia sanctificans sit composi-
bilis cum peccato mortali.** 279

Art. IV. Solvuntur objectiones. 283

DISPUTATIO III.

De Merito. 297

QUAESTIO UNICA.

**De Essentia, Existentia, & Proprie-
tibus Meriti.**

**Art. I. Quid sit, & an detur meritum su-
pernaturale.** 298

Art. II. Solvuntur objectiones. 301

**Art. III. An detur meritum condignum glo-
riae aeternae.** 309

**Art. IV. An solus actus charitatis, vel solus
actus à charitate imperatus, sit meritorius
premiu[m] supernaturalis.** 319

**Art. V. An opera meritoria habeant vim
merendi ex natura sua, an ex promissio-
ne DEI.** 326

**TRACTATUS
THEOLOGICUS**

In 2. 2.dæ

DIVI THOMÆ

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.



Post Tractatum de Gratia, & Merito, ex more recepto tradi à Theologis solet Tractatus de Virtutibus Theologicis: nec immerito id consuetudine introductum est; quippe sapienter, postquam de natura cujusdam rei est actum, de ejusdem proprietatibus differitur. Est autem gratia Divina quasi natura in ordine supremo, vi cujus operationes, supernaturalis premij meritorias, elicere possumus: & ejus proprietates sunt supernaturales quasi potentiae, seu habitus supernaturalium virtutum. Agit autem Angelicus jam quidem in 1. 2.dæ. de virtutibus Theologicis, ac etiam de moralibus: sed valde paucis, & in genere tantum: copiosius autem, atque distinctius, & in specie de tribus virtutibus Theologicis, ac moralibus (quas ad quatuor cardinales reducit) agit S. Doctor in 2. da 2. dæ, quam maximam suae Summae partem ijs ferme totam impendit. Agemus itaque etiam nos hoc tractatu de Theologicis virtutibus in genere, & in specie, primario quidem de Fide, tum etiam, quantum elenchus praescribit, de Spe, & Charitate.

DISPUTATIO I.

De Virtutibus Theologicis in genere.

2. Virtus in genere definitur ab Angelico. 1. 2. q. 55. a. 4. *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam DEUS in nobis sine nobis operatur.* Haec definitio ex S. Augustino, quem Angelicus citat, desumpta, etsi non conveniat virtuti omnino genericè sumptae, ut eam Logici in prolegomenis accipiunt, convenit tamen omnibus virtutibus supernaturalibus infusis, de quibus hic maximè sermo est; nam haec, & ad rectè vivendum disponunt, & in nullam operationem malam influunt, atque à DEO unà cum gratia infunduntur. Dividuntur autem virtutes in *Theologicas*, atque *Morales*: quae tamen divisio non est omnino strictissima; nam prudentia, licet verè sit *R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.*

virtus, tamen strictè loquendo, nec est Theologica, nec strictè moralis; non enim fertur in DEUM tanquam objectum formale quod: nec attingit bonum ut bonum, sed ut verum, spectatque propriè ad virtutes intellectuales. Potest tamen, & solet, lato modo dici virtus moralis, quatenus est earum directiva. Quenam autem, & quotnam sint hujus, vel alterius classis virtutes, ex sequentibus constabit.

QUAESTIO UNICA.

De Essentia Virtutum Theologicarum, atque Moralium.

ARTICULUS I.

Quale sit Objectum Formale Virtutis Theologicae.

3. EX decisione hujus quaestionis facile inferri poterit, quanam sit virtus Theologica, quanam moralis; illa enim, quae fertur in objectum Theologicè virtuti proprium, etiam talis erit, & per hoc ipsum à morali differet. Quae autem in aliud tendit, eo ipso excludenda erit ex numero virtutum Theologicarum, & accendenda inferioribus, seu moralibus (per quas omnes aliae intelliguntur, modo loquendi quidem latiori, sed jam Theologis consueto) habitus enim, maximè, qui actus intentionales eliciunt, diversitatem specificam recipiunt ab objecto, non quidem à materiali, in quo saepe conveniunt, sed à formali. Unde ad inveniendam differentiam specificam, inter habitum unum, & alterum, inquirendum est utriusque objectum formale. Quoniam, ut verum fatear, ex hoc non semper colligi possit realis distinctio, atque diversitas habituum; cum enim idem habitus, saltem saepe, possit elicere actus speciei diversos, non quodlibet objectum formale, quomodocunque diversum, probat etiam realem distinctionem habitus, sed tantum distinctionem formalem; & hinc ad inferendam realem distinctionem habituum opus est adhuc alio fundamento. Quia tamen diversitas objecti formalis saltem requiritur ad distinctionem habituum, haec prius indaganda est.

4. Per objectum autem hic maximè in-

telligitur res illa, in quam tendit habitus per actus suos intentionales, hoc est, per assensum, vel dissensum, amorem, vel odium &c. Dicitur autem aliud *objectum materiale*, aliud *formale*. Prius, seu *materiale* est, quod attingitur propter aliud: *formale* est, propter quod attingitur aliud. Hoc, seu *formale* dividitur iterum in *formale quod*, & *formale quo*. Illud, sive *formale quod* est, quod attingitur propter se, & propter ipsum etiam attingitur aliud. Istud, sive *formale quo* est, propter quod attingitur aliud, sed ipsum non attingitur. Licet autem attingere in genere significet, respectu virtutis intellectualis affirmare, & negare: respectu virtutis volitivæ amare, & odisse (nam & quod nego, & quod odi, respicit meus actus, & suo modo attingit) tamen in hac quæstione per attingere nihil aliud intelligimus, quam respectu virtutis intellectualis affirmare: respectu virtutis volitivæ amare.

Sic respectu actus fidei, quo credo resurrectionem mortuorum; quia DEUS eam revelavit, ipsa resurrectio mortuorum est *objectum materiale*; quia eam non affirmo propter se, sed propter revelationem: revelatio autem est *objectum formale quod*; quia eam etiam credo hoc actu, & quidem propter se. Et respectu hujus actus non datur *objectum formale quo*. Si autem e.g. ex justitia solvo alteri debitum; quia habet jus ad solutionem, jus illud est *objectum formale quo*; quia propter illud solutionem præsto: non tamen ipsum jus attingo, seu amo; nam sapius vellet, ut non daretur illud jus, & hinc jus non est *objectum formale quod* justitiæ. His positis

5. Dico. *Objectum virtutis Theologicæ formale quod* est necessarium aliquod prædicatum Divinum: & per hoc differt virtus Theologica à non Theologica. ita Gormaz disp. 2. de virt. Theolog. sec. 1. & alij, quibus consentit Suarez de fide disp. 3. sec. 12. n. 9. quatenus docet, in omni actu fidei etiam tanquam *objectum formale quod* credi revelationem Divinam, seu revelationem informatam autoritate Divina. Prob. In primis omnes communiter docent, quod virtus Theologica specialiter dicta sit Theologica; quia peculiari modo DEUM habet pro *objecto*: non autem tantum pro *objecto materiali* (quia hoc non specificat habitum) neque tantum pro *objecto formali quo* (hoc enim competit etiam pluribus virtutibus moralibus, ut ex dicendis patebit) ergo debet DEUM habere pro *objecto formali quod*.

Confir. ex Divo Thoma. 1. 2. q. 62. art. 2. in corpore. ubi ait: *Objectum autem Theologicarum virtutum est ipse DEUS, qui est ultimus rerum finis*: hæc verba autem Cajetanus, & alij explicant, quod debeat virtus Theologica, DEO tanquam ultimo fini, unire potentiam suam: id quod S. Doctor etiam docet. 1. 2. q. 68. a. 8. in corp. ubi ait: *Virtutes quidem Theologicæ sunt, quibus mens humana DEO conjungitur*: atqui virtutes, nisi DEUM ha-

beant pro *objecto formali quod*, non unire potentiam suam, seu mentem humanam DEO: ergo. prob. min. quando actus intellectus *objectum* negat, vel ab eo præscindit: item quando actus voluntatis aliquid odit, vel etiam præscindit, non unire intellectus, vel voluntas *objecto*, sed vel ab eo intentionaliter recedit, vel certe non accedit: adeoque, ut illi uniatur, debet illud affirmare, vel amare: hoc autem est habere illud pro *objecto formali quod*: ergo.

6. Prob. concl. 2. inductione facta per omnes virtutes Theologicas. Fides sic tendit: *Credo resurrectionem mortuorum; quin DEUS eam revelavit, seu dixit*: hæc propositio causalis juxta summulas facit hunc sensum: *Credo resurrectionem mortuorum, & credo, eam esse dictam, seu revelatam à DEO; & ideo illam credo; quia est à DEO dicta*: ergo hic actus clarè attingit, seu affirmat DEUM dicentem. Hæc est etiam mens Sancti Thomæ 2. 2. q. 1. a. 1. in corp. ubi expressè ait: *Sic igitur in fide, si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud, quam veritas prima*. & addit: *Nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad DEUM*. Et hinc juxta Angelicum, quæcunque alia considerantur à fide, ut sacramenta &c. ea considerantur in ordine ad DEUM.

Nec dici potest, revelationem DEI esse tantum motivum extrinsecum, ut aliquando *objectum præmissarum* est extrinsecum motivum conclusionis, in sententia eorum, qui negant, conclusionem se necessario reflectere supra præmissas: vel ut *objectum actus imperantis* est tantum extrinsecum *objectum actus imperati*; nam ab *objecto extrinsecum* non specificatur habitus, vel actus; cum tamen juxta omnes habitus, & actus fidei specificetur à revelatione, vel verbo DEI, & per hoc distinguatur ab actu fidei humanæ, ac alijs habitibus, & actibus.

7. Pariter, quando per spem Theologicam aliquid speramus, semper speramus simul ipsum DEUM, tanquam beatitudinem nostram *objectivam*, in ordine ad quam alia speramus: quæ iterum est expressa mens S. Thomæ. 2. 2. q. 17. a. 5. in corp. & ad 1. unde, quando tantum speramus alia, non erit spes Theologica, sed tantum aliqua spes moralis. Eadem est ratio de charitate; nam quidquid per hanc amamus, sive proximum, sive DEUM, sive aliquid aliud; propter DEUM amamus, hoc est, amamus illud; quia bonum DEO: sed amare aliquid tanquam bonum alteri, est utique velle bonum alteri: hoc autem est formalissimè amare illum alterum. Jam verò virtutes morales, quanquam aliquæ earum habeant pro *objecto formali quo* aliquod prædicatum Divinum, nulla tamen habet aliquod prædicatum Divinum pro *objecto formali quod*: id quod probatur negativè, & solutione *objectivum*. Ex quo etiam rectè inferitur, hoc ipsum esse discrimen, inter unam, & alteram classem virtutum, quæ est secunda pars conclusionis.

8. Collige ex dictis, tres, & non plures,

res, nec pauciores, esse virtutes Theologicas in via. Dico in via; nam lumen gloriæ etiam est virtus Theologica, succedens fidei: verum non datur in via, seu in hac vita hominis, sed primum dabitur in patria, seu in celo. ita defacto omnes Theologi, & prob. 1. Tantum tres sunt virtutes, quæ habent pro *objecto formali quod* aliquid Divinum, scilicet fides Divinam veritatem, spes Divinam bonitatem ut nobis bonam, & charitas Divinam bonitatem ut sibi ipsi bonam. Quod autem omnes hæc non sint unus habitus, potens elicere actus specie diversos, probatur ex illo fundamento, ex quo doctrinam de rebus supernis debemus habere, scilicet ex revelatione Divina; nam S. Paulus 1. Cor. 13. v. 13. tres exprimit, dicens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas*: cumque idem doceant Concilia, & Doctores, non est dubitandum de hoc asserto. Accedit, quod hæc tres virtutes separabiles sint, & spes sine charitate, fides sine utraque, persistere possit: adeoque inter se distinctæ sint.

ARTICULUS II.

Solvuntur *Objectiones*.

9. **O**B 1. Posset quis per signa credibilitatis naturaliter cognoscere revelationem Divinam, & deinde non amplius cogitando de revelatione, certè non se reflectendo in illam, assentiri *objecto revelato*: talis eliceret actum fidei, & non attingeret revelationem Divinam: ergo potest dari actus fidei, seu virtutis Theologicæ sine illa attingentia. Resp. 1. neg. min. nam nemo potest elicere actum fidei, nisi præcedat pia affectio voluntatis, qua imperatur actus fidei, & ratione cujus iste sit liber: hæc autem pia affectio haberi non potest, nisi præcedat illustratio supernaturalis; unde, posita tantum naturali cognitione, nunquam potest elici actus fidei.

Quia tamen potest urgeri argumentum ex eo, quod, etsi supernaturaliter quis cognoverit revelationem, tamen possit postea, in eam se non amplius reflectere, sed immediatè *objecto revelato*, per supernaturalem illustrationem proposito, assentiri tanquam vero, non tamen, tanquam revelato, resp. 2. iterum neg. min. quia, etsi omitatur hæc hypothesis esse possibilis, ille actus non esset actus fidei, sed alterius virtutis innominatæ. Ratio responsionis sumitur ex nostris probationibus: saltem talis actus non foret actus fidei formalis, sed tantum *objectivæ*, de quo inferiùs n. 43.

10. Ob. 2. Actus, quo credo resurrectionem mortuorum: quo spero gratiam aliquam à DEO: quo amo proximum &c. sunt actus fidei, spei, & charitatis, & non attingunt DEUM: ergo. Resp. neg. 2. p. 1. ant. vide n. 6. & 7. Si autem forent actus

tales, ut nullo modo attingerent DEUM, non essent actus Theologici: sed, vel essent actus secundarij, & effectus actuum primariorum, quatenus actus primarij perseverant virtualiter in speciebus relictiis: quibus mediantibus ejusmodi actus secundarij eliciuntur: vel essent actus fidei non Theologicæ, sed alicujus fidei inferioris: & eodem modo essent actus spei, ac charitatis inferioris, vel moralis. Et licet tales actus etiam aliquo modo respicerent DEUM ut *objectum formale*, per hoc nondum unirent potentias DEO, nec differrent à virtutibus moralibus, ut jam dictum, & mox amplius dicetur.

11. Dices. *Objectum formale quo*, & *formale quod*, tantum differunt per hoc, quod istud secundum etiam involvat *objectum materiale*: sed per *objectum materiale* non specificatur actus: ergo in ordine ad actum specificandum non plus facit *objectum formale quod*, quam *objectum formale quo*. Resp. dist. maj. *objectum formale quod*, & *quo*, tantum differunt, quod illud involvat *objectum materiale distinctum à formali*. neg. maj. identificatum cum formali. conc. maj. & dist. sic min. neg. conseq. *Objectum materiale identificatum cum formali specificat actum*: sic color, qui est *objectum materiale*, & *formale simul*, specificat visionem: non autem murus, qui est purum *objectum materiale*. Sed neque *objectum materiale*, & *objectum formale quo* distinctum, unquam coalescunt in unum *objectum formale quod*: sic in exemplo dato n. 4. ex solutione, & jure creditoris, nunquam fit unum *objectum formale quod* justitiæ.

12. Ob. 3. Etiam virtutes morales habent aliquod prædicatum Divinum pro *objecto formali quod*: ergo non differunt à Theologicis: prob. ant. e.g. religio, & obedientia erga DEUM, sunt virtutes morales, & habent pro *objecto formali quod* prædicatum Divinum: prior quidem magnificentiam, & dignitatem DEI, secunda potestatem dominativam DEI: & par est ratio de justitia erga DEUM, ac alijs virtutibus: ergo. Resp. neg. ant. ad probat. neg. 2. p. ant. illa enim prædicata Divina respectu istarum virtutum sunt tantum *objectum formale quo*, & non *objectum formale quod*; non enim religio amat magnificentiam DEI, nec obedientia ejus dominativam potestatem (hoc enim spectat ad charitatem) quamvis neque oderint ea prædicata; hoc enim esset malum; hinc istæ virtutes ab amore eorum prædicatum præscindunt, sed quæ habent ista prædicata ad has virtutes, ut jus creditoris respectu solutionis præstandæ, quod debitor, nec amare, nec odisse debet; unde *objectum formale quod* istarum virtutum est tantum aliquid creatum, scilicet ipsa honestas cultus Divini, & ipsa impletio præcepti Divini, quam religio, & obedientia amplectuntur, & amant.

13. Dices. 1. Hoc ipso istæ virtutes habent etiam pro *objecto formali quod* aliquid Divinum: ergo nulla solutio. prob. ant.

cultus Divinus est cultus ut conformis (hoc est conveniens, non commensuratus) & debitus dignitati Divinae (& par est ratio de impletione præcepti respectu potestatis dominativæ DEI) ergo, si objectum formale quod est honestas illius cultus, vel impletionis præcepti, etiam ipsa dignitas DEI, ac ipsa lex, seu potestas dominativa, est objectum formale quod. prob. conf. cultus conformis dignitati Divinae constituitur ex dignitate Divina: ergo, si honestas illius cultus est objectum formale quod, etiam pars illius honestatis, seu dignitas Divina, erit objectum formale quod.

Resp. nego antecedens, ad prob. conc. ant. neg. conseq. ad hujus probat. dist. ant. cultus ille quidditative, vel concretive acceptus, constituitur ex dignitate Divina. conc. ant. cultus ille denominative tantum acceptus, neg. ant. & conf. non enim honestas, aut cultus, quidditative acceptus, est objectum formale quod religionis, sed tantum cultus denominative acceptus. Concretum sumitur quidditative, quando sumitur secundum omnes partes: denominative autem sumitur, quando accipitur tantum secundum illam partem, quæ suscipit denominationem; hinc concretum *cultus conformis dignitati DEI*, dicit utique pro parte etiam dignitatem DEI: sed non omnis pars hujus concreti denominatur conformis, sed tantum una, scilicet ipse cultus e. g. oratio, genuflexio; unde, si denominative tantum sumatur hoc concretum, significat tantum orationem, vel genuflexionem, quæ est aliquid pure creatum: & hæc oratio tantum, vel genuflexio &c. est objectum formale quod religionis, non vero totum concretum quidditative sumptum.

14. Dices 2. Eo ipso, quod aliquod prædicatum Divinum sit objectum formale quo alicujus virtutis, etiam est objectum formale quod: ergo. prob. ant. DEUS semper proponitur ut amabilis virtuti: ergo etiam amatur, estque objectum formale quod. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. DEUS enim tantum proponitur ut amabilis spei, & charitati, non autem alijs virtutibus; unde quando quis amat cultum DEI, non tantum quomodocunque, sed ut bonum DEO (quod utique est amare DEUM; sicut enim velle aliquid ut malum alteri, est eum odisse, ita aliquid velle ut bonum alteri, est eum amare) id non facit ex virtute religionis, sed ex virtute charitatis.

Ubi notandum, objectum formale posse tripliciter movere: per convenientiam, per non convenientiam, per contrarietatem: Primo modo movet objectum, quando etiam ipsum amatur: & sic movet DEUS ad amandum proximum propter DEUM per actum charitatis Theologicæ; nam talis actus etiam attingit, & amplectitur, seu amat ipsum DEUM. Secundo modo movet objectum, quando ab ejus amore præcinditur: & sic movent prædicata Divina ad

actus virtutum moralium, per quos DEUS non amatur, neque tamen odio habetur, sed ab ejus amore præcinditur; cum DEUS amari non possit à virtutibus tantum moralibus. Tertio modo movet objectum, quando actus virtutis non tantum non amat objectum formale quod: verum nec potest amare, sed potius debet odisse: & sic movent delicta judicem ad actum justitiæ vindicativæ, ac infingendam poenam.

15. Dices 3. Non potest cognosci cultus DEI, quin etiam cognoscatur DEUS: ergo neque potest amari cultus DEI, quin etiam ametur DEUS. Resp. retorqueo argumentum. Non potest cognosci poena congrua peccato, quin cognoscatur peccatum: ergo neque potest amari talis poena, quin ametur peccatum: ergo DEUS non potest amare, vel complacere sibi in poena impiorum, consequenter neque illam infingere. Resp. 2. neg. conseq. Intellectus est potentia necessaria: voluntas est potentia libera; igitur mirum non est, si intellectus debet cognoscere omnia connexa; quia scilicet representantur, & quæcunque representantur, necessariò cognoscit. At vero voluntas utpote libera, non debet amare omnia, quæ ipsi representantur: sic utique DEUS amat scientiam suam de peccatis hominum, quin amet peccata.

Imò, sicut intellectus non omnia representata debet affirmare, ita neque voluntas omnia debet amare. Ex quo etiam obiter infero, aliud esse, velle, vel amare rem in certis circumstantijs, & aliud, velle, vel amare ipsas circumstantias. Sic is, cui latro minatur mortem, nisi det magnam summam pecuniæ, vult in his circumstantijs dationem pecuniæ: at nullo modo vult ipsas circumstantias, seu minas, aut periculum mortis. Unde velle rem in circumstantijs tantum significat, velle rem ut propositam ab intellectu cum circumstantijs: velle autem circumstantias est, voluntatem in has ipsas prosequitive tendere: quæ sunt diversissima.

16. Ob. 4. contra illationem n. 8. factam. Scriptura accipit fidem pro fiducia: ergo fides non est distincta à spe: consequenter non dantur tres virtutes Theologicæ. Resp. dist. ant. Scriptura hoc facit, quando loquitur in sensu proprio, neg. ant. in sensu metaphorico, significando effectum pro causam. om. ant. & neg. conseq. Certè ipse S. Paulus, ex quo tamen objectio fit. 1. *Timoth. 3. v. 13. ait. Qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, & multam fiduciam in fide*; unde ista duo distinguunt.

Quòd autem aliquando per metonymiam sumatur fides, tanquam causa, seu radix, pro fiducia, & spe, tanquam effectu, nihil obest; cum in sensu tropico sæpe duo distincta eodem nomine appellentur, ut homo nomine leonis: & causa veniat nomine effectus: quo sensu dicit Apostolus 1. *Cor. 13. v. 7.*

v. 7. de charitate: *Omnia credit*: hoc est: facit omnia credere. Cæterum Suarez *disp. 1. de fide sec. 1. n. 6.* (ubi etiam citat Sotum, & Bellarminum) negat simpliciter ant. & dicit, quòd Scriptura per fidem semper intelligat fidem strictè sumptam; unde etiam illud Pauli *ad Rom. 4. v. 18. Contra spem in spem credidit*: exponens, ait, significari, Abrahamum ex vera fide concepisse spem de filio promisso, contra spem, quam jam senescenti non amplius faciebat natura.

17. Ob. 5. DEUS est tantum unum objectum formale quod: ergo tantum datur una virtus Theologica. Confirmatur. Si sufficeret pluralitas, seu distinctio tantum formalis objecti, tunc darentur virtutes Theologicæ infinitæ; cum perfectiones DEI sint infinitæ: ergo debet dari pluralitas, seu distinctio realis objecti. Resp. dist. ant. DEUS est tantum unum objectum formale realiter. con. ant. tantum unum formaliter, neg. ant. & conseq. Sicut plures scientiæ circa idem realiter objectum possunt versari, modò sit formaliter multiplex, ita etiam possunt plures virtutes. Ad confirmationem neg. ant. quia omnes illæ perfectiones continentur sub objectis istarum trium virtutum; nam fides pro objecto habet omne affirmabile, & sic complectitur omnes perfectiones DEI in ordine ad intellectum: spes omne amabile ut bonum nobis: & charitas omne amabile ut bonum DEI: & sic complectuntur omnes perfectiones DEI in ordine ad voluntatem.

Si fors replices, posse dici, unam tantum virtutem complecti sub sua ratione formali omnia hæc tria objecta formalia. Resp. hoc dici non posse; eo quòd ex Scripturis, Concilijs, & Patribus habeamus, tres istas virtutes esse ab invicem separabiles, & realiter distinctas: cui irrefragabili auctoritati utique opponi non potest argumentum tantum negativum. Quare maneat firmum, tres esse virtutes Theologicas realiter distinctas, à quibus omnes perfectiones Divinæ, tanquam objectum formale quod, attingunt. Quot autem sint virtutes morales, quæ perfectiones creatas, tanquam objectum formale quod, attingant, certo, vel etiam satis firmo fundamento, dici non potest. Si etiam virtutes morales sint plures, quàm Theologicæ, inde nullatenus inferitur, perfectiones creatas esse majores Divinis: sed tantum inferitur, virtutes morales esse Theologicis imperfectiores, & non habere objectum formale æquè latè patens, ac habent virtutes Theologicæ, quod nullo modo absurdum est.

18. Ob. 6. ex Magistro Sententiarum. DEUS est charitas: ergo charitas non est aliquid habitus, seu virtus. Confirmatur. 1. *Charitas ex DEO est. 1. Joam. 4. v. 7.* ergo est Spiritus Sanctus. Confirmatur. 2. ex S. Augustino. *l. 15. de Trinitate c. 17.* ubi ait, DEUM non dici charitatem, ut dicitur spes, aut patientia nostra, sed sicut dicitur spiritus: atqui dicitur spiritus per identitatem: ergo & charitas. Resp. dist. ant. DEUS est charitas, qua ipse nos dili-

git. con. ant. qua nos DEUM diligimus, subdist. est ea charitas casualiter. con. ant. formaliter, neg. ant. & conseq. Ad. 1. confirmationem iervit eadem distinctio.

Ad. 2. confirmationem sufficeret eadem distinctio; nam legenti totum caput citatum apparebit, S. Augustinum loqui de charitate DEI erga nos, & non de nostra erga DEUM; quærit enim ibi, cum dicatur: *DEUS charitas est*: quare hoc potius dicatur de Spiritu Sancto, quàm de Patre, vel Filio: & resolvit, ideo hoc nomen Spiritui Sancto appropriari; quia charitas ex DEO est, & donum DEI est: quod utrumque magis conveniat Spiritui Sancto, quàm alteri Sanctissimæ Personæ. Quia tamen S. Augustinus *l. 8. de Trinit. c. 8. circa medium* apertè loquens de charitate, qua nos invicem diligimus, scilicet propter DEUM, dicit, eam non solum ex DEO, sed etiam DEUM esse. Resp. cum, S. Thoma. dist. maj. dicitur charitas sicut spiritus, in sensu stricto. neg. maj. in sensu minùs stricto, con. maj. & omnia min. neg. conseq. S. Thomas. 2. 2. q. 23. a. 2. ad 1. ait, quòd ex more Platoniorum participatio rei dicitur res participata, & in hoc sensu loquatur S. Augustinus: verba Angelici sunt: *Hic enim modus loquendi consuetus est apud Platonicos, quorum doctrinæ imbutus fuit Augustinus, Quod quidam non advertentes ex verbis ejus sumpserunt occasionem errandi.* Cum ergo charitas nostra, seu amor noster erga DEUM, sit participatio charitatis Divinæ, quæ est per identitatem DEUS, vocatur etiam noster amor DEUS.

19. Si dicas, hac ratione, DEUM non magis posse dici nostrum amorem, quàm nostram spem, & nostram patientiam; quod tamen negat ibidem S. Augustinus. Resp. DEUS non est propriè formaliter spes per identitatem; cum sperare non possit, nec formaliter, aut propriè patientiæ; cum patientiæ formalis, DEO identificatæ; unde non potest spes nostra vocari DEUS, nisi intelligatur spes objectiva: nec etiam patientiæ nostra potest vocari DEUS, nisi intelligatur patientiæ casualis: quæ ambæ dicuntur DEUS; sic *psal. 70. v. 5.* ait David: *Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine spes mea à juventute mea.* Quando autem S. Augustinus loquitur in sensu literalis, ut *de spir. & lit. c. 32. in fine*, ait, charitatem DEI, qua nos facit dilectores suos, diffundi in cordibus nostris, ut justitiam, & fidem, qua nos justos, & fideles facit: fides autem distinguitur à DEO: sic ait: *Charitas quippe DEI dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia DEI, qua justus ejus munere efficiuntur: & Domini salus, qua nos salvos facit: & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit.*

20. Ob. 7. Charitas habet effectum infinitæ virtutis: ergo est DEUS. Confirmatur. Scripturæ, Concilia, & Patres, A 3

quando distinguuntur charitatem à DEO, debent intelligi de actu charitatis: non de principio ejus productivo: ergo. Resp. negant. nec enim charitas, sed DEUS, median- te ipsa misericorditer se uniens animæ, præstat effectum aliquo modo secundum quid, seu terminativè infinitum, quatenus DEUS est objectum infinitum actus finiti, & finito modo DEUM attingentis. Ad confirmationem. neg. ant. S. Paulus citatus *n. s.* ait, manere charitatem, quod non competit actui: & Tridentinum *sess. 6. c. 7.* ait, fidem, spem, & charitatem, justis inherere, quod iterum non convenit actibus transcurrentibus, nec Spiritui Sancto, qui non potest dici inherens, seu indigens subjecto. Moguntinum etiam Concilium *de justificatione c. 7.* ait: *Cum venia peccatorum homo etiam DEI gratiam, & per Spiritum S. unâ cum fide simul charitatem in corde diffusam, ac spem accipit, hisque DEI donis in ipso permanentibus, non jam solum reputatur, aut nominatur, sed verè existit justus: quod permanere rursus non competit actibus transcurrentibus.* Sed & S. Augustinus *numero præced.* citatus, loquitur, sicut de fide, & justitia, ita & de charitate habituali.

ARTICULUS III.

An etiam dentur Virtutes Morales infusæ.

21. **A**liæ sunt virtutes, seu habitus acquisiti, qui scilicet generantur, & acquiruntur per frequentatos actus, quales sunt omnes habitus naturalium scientiarum, & artium. Alij sunt habitus infusi, qui absque prævio exercitio actuum à DEO homini infunduntur: & tales saltem sunt habitus virtutum Theologicarum, quos Tridentinum dicit *sess. 6. c. 7.* infusos accipi per Jesum Christum. Sunt autem aliqui habitus infusi per se, alij tantum infusi per accidens. Priores, seu per se infusi dicuntur, qui nulla naturali propria industria, nec ulla actuum repetitione, acquiri possunt: & tales sunt habitus saltem Theologici. Infusi per accidens sunt, qui quidem repetitione actuum possent acquiri, sed hæc, & nunc, absque prævia ea repetitione sunt à DEO infusi: & sic primo parenti Adamo infusæ sunt plures scientiæ, ac artes, quas alij homines per frequentatos actus addiscunt.

22. Est autem adhuc hoc discrimen inter habitus per se infusos, & acquisitos, vel tantum per accidens infusos, quod illi dent simpliciter posse, non verò facile posse: econtra acquisiti, vel per accidens tantum infusi, non dent simpliciter posse, sed tantum facile posse. Dare autem simpliciter posse est ita concurrere, ut sine ipso non possit actus elici: & sic sine habitu fidei (nisi omnipotentia, extrinsecè applicata, defectum suppleat) non potest elici actus fidei: quamquam etiam cum eo habitu non propterea actus eliciatur facile. Dare autem facile posse est ita concurrere, ut quidem sine eo possit actus elici, sed non faci-

liter: quam tamen facilitatem operandi habitus tribuit. Sic, ut communiter Logici docent, sine artificiali Logica potest fieri discursus aliquis legitimus, quamquam non sine difficultate, quam dein tollit Logica artificialis. Quaritur jam, an præter virtutes Theologicas dentur etiam habitus virtutum moralium, justitiæ, temperantiæ &c. qui sint per se infusi. Negat Scotus cum Baconio, & aliquibus alijs. Affirmat S. Thomas. *1. 2. q. 63. a. 3.* Suarez, & communis Theologorum, cum quibus

23. Dico. Præter virtutes Theologicas dantur etiam virtutes morales per se infusæ. Antequam assertionem hanc probem, noto, tempore Innocentij III. agitata fuisse quæstiones duas. Prima fuit, an parvuli essent baptizandi; cum non habeant usum rationis, consequenter nec credere possunt, sicut tamen credere possunt adulti. Altera, an parvulis in baptismo infunderentur virtutes, plerisque Theologis id affirmantibus, alijs negantibus: nemo autem tunc negabat, eas virtutes infundi adultis. Primam quæstionem decidit Pontifex *C. Major.* de baptismo, docetque, parvulos esse baptizandos: alteram absolute non decidit; testatur tamen, plerosque Theologos sentire, quod parvulis in baptismo infunderentur fides, & charitas, aliæque virtutes. Quæstio hæc postea rursus agitata est in Concilio Viennensi sub Clemente. V. uti habetur *Clementina. de Summa Trinitate, & fide catholica. c. 1.* ubi Concilium ita statuit: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit, tam parvulis, quam adultis, conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes) tanquam probabiliter, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologia, magis consonam, & concordem, sacro approbant Concilio duximus eligendam.*

24. Jam sic probatur nostra conclusio. Ex decisione Concilij Viennensis habetur, ad minimum probabilior esse sententiam nostram, quam sit opposita: ergo est tenenda. Nec dicas 1. Innocentium tantum nominare fidem, & charitatem, nulla facta mentione spei, adeoque, modò hæc virtus Theologica etiam sit infusæ, jam satisfieri textui; nam contra est. Innocentius expressè dicit, præter fidem, & charitatem infundi virtutes: atqui spes non est in plurali virtutes, sed tantum una virtus. Nec dicas 2. Innocentium nil determinasse; nam sufficienter postea determinavit quæstionem Concilium Viennense, de quo dubitari non potest, quod loquatur de iisdem virtutibus, de quibus prius Innocentius; cum eandem quæstionem de baptismo parvulorum tractet, & easdem opiniones Doctorum contrarias referat.

25. Nec dicas 3. plus non probari ex eo textu, quam unam virtutem moralem infundi; nam contra est. Concilium loquitur de ijs virtutibus, quæ concedebantur adultis ex generali efficacia mortis Christi: atqui

atque illis concedebantur plures, & merita Christi se ad plures extendunt: ergo. Adde, quod Catechismus Tridentini *de baptismo s. de eximij baptisimi fructibus* dicat de gratia: *Huius autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.* Nec dicas 4. Ex dictis tantum probari, quod dentur aliquæ virtutes morales per accidens infusæ, quamvis per se essent acquiribiles; nam habitus acquisiti, & acquiribiles, etsi per accidens infundantur, facilitant, & inclinant ad similes actus (neque enim per infusionem accidentalem perdunt naturam habitus acquisiti, quæ est facilitare, & inclinare) at non facilitant, vel inclinant habitus morales cum gratia infusi; nam e. g. qui sæpius peccavit contra castitatem, etsi in sacramento poenitentia recipiat gratiam, & habitum castitatis infusum, non eo ipso inclinatur ad actus castitatis: & par est ratio de ebrioso &c. ergo istæ virtutes non sunt habitus acquisiti, vel acquiribiles.

26. Si autem quæras, quot dentur habitus morales realiter distincti: Resp. ex nullo certo principio posse hoc determinari: nec audeat ullus, quem vidi, Theologus, regulam certam proponere; nam, licet ex S. Scriptura distinguantur tres virtutes Theologicæ, eæque ab invicem separabiles sint *ex n. s.* tamen de habitibus moralibus Scriptura nil docet; cumque isti radicentur in gratia, & cum hac producantur, atque cum eadem destruantur, nec sine ipsa dentur, sunt mediata saltem, & in hac providentia ab invicem inseparabiles: quod autem sint absolute, saltem in alia providentia, tam à gratia, quam à se invicem separabiles, adeoque realiter distincti, certè hucusque ignotum est.

Aliqui, ut Arriaga, & Bernal, volunt, diversitatem difficultatum inferre distinctionem realem habituum. Et hoc quidem verum esse potest in habitibus acquisitis, qui probabiliter consistunt in speciebus experimentalibus, & dant facile posse; & hinc etiam facile capi potest, quod pro diversitate difficultatis dentur, aut necessariæ sint species experimentales diversæ. At non ita res se habet in habitibus infusis; nam isti non consistunt in speciebus, nec dant facile posse: sed ad modum potentiarum dant simpliciter posse: nec per se tollunt difficultatem; unde ratione difficultatis non videntur debere esse distincti. Sic e. g. quamvis ad tollendas difficultates actuum Logicæ, & Mathematicæ, dentur hæc duæ scientiæ, seu habitus realiter distincti, tamen sufficit unus intellectus; quia hæc tanquam potentia, hæc, & plurium adhuc aliarum scientiarum difficultates, amplecti potest.

27. Quidam videntur velle asserere, distinctionem realem habituum istorum tunc dari, quando datur diversum objectum formale: sed, licet hæc ratio aliquid probare possit de habitibus acquisitis, tamen non probat de habitibus infusis; nam, cum habitus acquisiti generentur ab actibus, qui pro diversitate objecti formalis, sunt diversi, &

consequenter post se relinquunt diversas species, in quibus consistunt habitus acquisiti, facile intelligitur, etiam istos pro diversitate objecti fore diversos, & quidem realiter ab alijs, qui ex alijs speciebus constituuntur. At verò habitus infusi non generantur ab actibus, nec constituuntur ex speciebus: sed habent se per modum potentiarum, quæ diversa objecta formalia possunt attingere, & actus diversos elicere; unde hæc ratio non probat distinctionem realem inter istos habitus: sicut nempe diversitas actuum, vel objectorum formalium Physicæ, & Mathematicæ, probat, hos habitus acquisitos realiter inter se distingui: non autem probat, etiam ita distingui duos intellectus, quorum unus eliciat Mathematicæ, alter Physicæ actus; cum intellectus unus, utpote potentia, possit influere in utroque.

Quare quando S. Thomas. *3. p. q. 85. a. 2. in corp.* ait: *Species habituum distinguuntur secundum species actuum:* intelligendus est de distinctione tantum formali. Quod ulterius probatur ex hoc; quod alias deberent admitti habitus morales realiter distincti, quasi infiniti; cum objecta formalia, & consequenter species actuum, possint excogitari syncategorematicè infinitæ: vel, si requiratur diversitas, non tantum qualiscunque physica, sed moralis, & Theologica, tamen saltem adhuc deberent admitti virtutes morales quam plurimæ: quod Angelicus non videtur velle, & qui id vellet, deberet positivè probare.

Licet autem S. Thomas *1. 2. q. 54. a. 1. & seq.* (quo se refert citato. loco *3. partis*) agat de distinctione reali, nil obest; quia clarum est, ibi eum agere de habitibus acquisitis, à quibus dein hic argumentatur à pari, quantum nempe potest, ad infusos, & infert diversitatem formalem. Adde, quod etiam in hoc sit disparitas inter habitus, quod acquisiti successivè per actus acquirantur, adeoque nunquam simul innumeri dari debeant: at verò infusi dentur omnes independentè ab eorum exercitio, adeoque simul: consequenter innumeri, sui tot, quot objecta formalia diversa sunt, dari deberent.

28. Gormaz quidem *disp. 1. de virtutibus Theologicis. n. 26. & seq.* videtur velle, quod morales virtutes, realiter distinctæ, non quidem sint infinitæ, sed tamen innumeræ: at res hæc est valde incerta; nec eam probant textus ab eo allati. S. Augustinus, *tractatu 8. in Joan. sub initium* dicit quidem, virtutes esse quasi exercitum imperatoris: sed loquitur de actibus virtutum; nam nominat ibi opera misericordiam, affectus charitatis &c. S. Hieronymus, seu S. Paulinus *epistola ad Celsianum ante medium c. 4.* dum ait: *Infinita namque sunt species, partisque justitia:* loquitur de actibus, seu officiis alteri præstandis, & non de habitu, seu habitibus; quia præmittit, *compendiosum quoddam commitorium, & totius justitiæ breviarium* esse illam Domini sententiam *Matth. 7. v. 12.* *Quacunquè vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* S. Prosper, *c. 19. & c. 36.*

contra Collatorem potest optimè explicari de virtutibus formaliter distinctis; nam recenset pudicitiam conjugalem, & continentiam virginalem: quæ planè non videntur esse virtutes realiter distinctæ; unde tot virtutes morales realiter distinctæ non videntur admittendæ.

29. Lugo. *de fide disp. 1. sect. 11. n. 238.* ait, videri sibi posse ex paritate virtutum Theologicarum inferri, eos habitus morales distingui realiter, quorum objecta formalia tantum differunt, quantum objecta formalia virtutum Theologicarum, de quibus certum est, eas realiter distingui. Sed & hæc conjectura multum habet divinationis; unde melius est, totum hoc in dubio relinquere.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

30. **O**B. 1. Virtutes morales non sunt necessariae: ergo non dantur. prob. ant. peccator perdit omnes habitus infusos morales, & tamen potest earum actus elicere: ergo non sunt necessariae. Confir. Homo ad finem supernaturalem sufficienter ordinatur per virtutes Theologicas: ergo morales sunt superfluae. Resp. dist. ant. Virtutes morales non sunt necessariae, absolute, & metaphysicè. con. ant. non sunt necessariae ad explendam exigentiam gratiæ. neg. ant. & conseq. ad prob. retorqueo argumentum. Etiam peccator perdit charitatem, & tamen potest elicere contritionem perfectam: ergo nec habitus charitatis est necessarius. in form. dist. ant. peccator potest elicere istos actus juxta exigentiam gratiæ. neg. ant. tantum per omnipotentiam DEI extrinsecè applicatam. con. ant. & neg. conseq. Ut dictum n. 1. gratia est quasi natura, exigens potentias supernaturales, per quas homo fit stabiliter potens elicere actus virtutum: hæc autem potentia sunt habitus infusi, sine quibus potest quidem peccator absolute, per omnipotentiam extrinsecè applicatam, elicere actus virtutum, etiam Theologicarum: sed non est stabiliter potens; cum ista applicatio omnipotentia non ei stabiliter insit. Ad confir. dist. ant. Homo ad finem supernaturalem sufficienter ordinatur per virtutes Theologicas juxta exigentiam gratiæ. neg. ant. præter exigentiam gratiæ. omitt. ant. & neg. conseq.

31. Ob. 2. Objectum virtutum moralium est tantum aliquid naturale, & creatum: ergo non specificat habitum supernaturalem infusum. prob. ant. inductione. Sic objectum temperantia est moderatio in cibis: objectum justitiæ est solutio debiti, vel redditio ejus, quod cuique debetur &c. hæc sunt naturalia: ergo. Respondent Scotus, Molina, Arriaga, & alii, omitto totum, adjuntque, etsi habitus non sit supernaturalis ratione objecti, tamen sufficienter fore supernaturalem ratione actus, modo iste sit supernaturalis. Jam verò actus supernaturalis esse potest, etsi

objectum naturale sit, modo ipse sit à principio supernaturali; tunc enim jam est supra existentiam totius naturæ. Resp. 2. dist. ant. objectum virtutum moralium est tantum aliquid naturale, si proponitur per cognitionem naturalem, ut conducens ad finem aliquem naturalem. con. vel omitt. ant. si proponitur per cognitionem supernaturalem, & ut conducens ad finem supernaturalem, gloriæ DEI, vel beatitudinis nostræ &c. neg. ant. & conf.

Notandum hic, voluntatem non tendere in bonum, prout in se tantum est materialiter, vel physicè, sed ut proponitur à cognitione prævia; nunquam enim ferretur in malum, si non proponeretur ut bonum; unde objectum voluntatis non est res, tantum prout est in se, sed prout est in cognitione, seu ut cognita, ita ut vel cognitio se teneat in obliquo ex parte objecti, vel saltem ex parte objecti se teneat finis, ad quem cognitio refert objectum. Hinc sequitur, quòd, si objectum, etiam pure naturale, proponatur voluntati per cognitionem supernaturalem, ut conducens ad finem supernaturalem, objectum voluntatis, saltem quoad obliquum, sit supernaturale: quod jam sufficit, ad actum, & habitum supernaturalem specificandum. Hac de virtutibus infusis in genere breviter præmittenda fuere: at nunc accedamus ad tractatum de virtutibus Theologicis in specie: post quem, si non de omnibus, saltem de una præcipua ex moralibus, scilicet justitia, agendum erit.

DISPUTATIO II.

De Objecto Formali Divinae Fidei.

32. **Q**uid sit objectum formale quod, & quo, item quid objectum materiale, dictum est jam n. 4. Restat hic tantum addendum, quid sit *objectum attributionis* & *attributum*; in quo tamen explicando non satis conveniunt auctores. Mihi in re non adeò magni momenti placet modus loquendi communior eorum, qui cum Gormaz de virt. Theol. disp. 7. n. 295. dicunt, *objectum attributionis esse objectum materiale primarium, quod primario habitus considerat, & in ordine ad quod considerat alia: objectum attributum autem esse objectum materiale, quod habitus considerat in ordine ad objectum attributionis, seu propter istud.*

Addit Gormaz, quòd partes objecti attributionis (si scilicet divisibile est) dicenda sunt *objecta attributa intrinseca*: alia autem, quæ non constituunt objectum attributionis, dicenda sunt *objecta attributa extrinseca*. Sic. e. g. in Logica, saltem Aristotelica, cujus finis est syllogismus, iste est objectum attributionis: propositiones eum constituentes sunt objecta attributa intrinseca: alia erunt attributa extrinseca: & respectu fidei Divinae objectum attributionis erit DEUS, quem primario, & in ordine ad quem alia considerat, atque ad DEUM ordi-

An Fides Divina debeat habere Objectum formale infallibile.

ordinat fides, ut docet Augustinus. l. 4. de civitate DEI. capite. 20. ajens de fide: *Cujus primum, & maximum officium est, ut in verum credatur DEUM: cui consonat Divus Thomas. 2. 2. q. 1. a. 1. in corp. & ad 1.* Alia verò, ut humanitas Christi, sacramenta &c. erunt objecta attributa. videatur ipse Gormaz. à n. 294. de virtutibus Theologicis. His prænotatis, quaerendum jam est, quodnam, & quale sit objectum formale fidei Divinae.

QUÆSTIO I.

De Infallibilitate DEI.

ARTICULUS I.

An Fides Divina debeat habere Objectum formale infallibile.

33. **F**ides in rigore, & proprio usu linguae Latinae, significat assensum intellectus: sic Virgilius *Eneidos. 4.* ait: *Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.* Sumitur tamen hæc vox etiam in alijs varijs significationibus, tum à sacris, tum à prophanis scriptoribus, et. 1. quidem pro fidelitate in servandis promissis: sic Apostolus ait ad Romanos. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem DEI evacuabit?* 2. pro veracitate: sic *Jeremia 7. v. 28.* *Perijt fides, & ablata est de ore eorum.* 3. pro fiducia: sic *Jacobi 1. v. 6.* *Postulet autem in fide, nihil hasitans: & Matth. 8. v. 26.* *Quid timidi estis modica fidei?* quanquam Suarez de fide *disputatione 1. sectione. 1. numero 5. & 6.* putet, his locis sermonem esse de fide strictè dicta, seu assensu intellectus, tanquam de fundamento, & radice dictarum virtutum.

34. Sumitur 4. fides pro quovis assensu intellectus opinativo: sic Aristoteles 2. de anima textu 157. ait: *Opinionem quidem sequitur fides.* 5. sumitur pro dictamine conscientia: & in hoc sensu dicitur ad Rom. 14. v. 23. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* 6. pro instrumentis, seu scripturis, aliquid authenticè probantibus: & sic Jura sceptus agunt de fide instrumentorum, seu instrumentis facientibus fidem. 7. pro dono Spiritus Sancti, ad fidem per modos extraordinarios probandam, ut, quando S. Apollonia ex speciali instinctu Spiritus Sancti in flammam insilijt. 8. tandem sumitur pro assensu intellectus, quo rei alicui assentimur propter testimonium, seu auctoritatem loquentis. Et hic est proprie actus fidei in genere, atque in hac significatione nos hic & nunc maxime loquimur:

35. Dividitur autem fides, in hoc ultimo sensu accepta, in *fidem humanam*, & *Divinam*. Prior, seu *fides humana* est, quando alicui rei assentimur ob auctoritatem humanam, vel testimonium hominis. *Fides Divina* est, quando assentimur ob auctoritatem, vel testimonium DEI loquen-

tis. Notandum tamen adhuc, cum ad actum fidei concurrat suo modo, & objectum, quod creditur, & habitus, à quo actus producitur, hanc vocem *fides* etiam tribui, & objectis fidei, & habitui, à Patribus, & Scripturis. Sic pro objectis sumitur, quando *Apoc. 2. v. 13.* dicitur: *Non negasti fidem meam;* hoc est, objecta revelata: & à S. Athanasio in *symbolo: Hæc est fides catholica:* scilicet objecta credenda. Pro habitu autem accipitur. 1. *Cor. 13. v. 13.* *Nunc autem manent fides, spes, charitas &c.* hoc est habitus. Pro actu sumitur ad Hebræos. 11. v. 3. ubi dicitur: *Fide intelligimus, aptatè esse sacula verbo DEI:* hoc est, per actum fidei. Unde nos etiam sæpe omnibus his vocem hanc attribuemus: quo tamen in sensu loquamur, facile ex contextu patebit.

36. Dico. 1. Fides Theologica non potest niti ratione humana. ita omnes Catholicæ. Prob. Fides Theologica est assensus firmissimus, ita ut mutari nunquam licetè possit, sed potius vita relinquenda sit, quam fides: nec etiam dubium ullum deliberatum possit cum fide stare, ut ipsa fides Catholica docet: ergo non potest niti objecto formali (seu quod idem est) motivo, nisi firmissimo, & infallibili: ergo non potest niti humana ratione, ut hæretici docent; hoc enim motivum fallibile est, nec tam firmo assensu dignum. Confir. 1. Multa sunt supra rationem humanam, ut mysterium SS. Trinitatis &c. ergo ista nunquam deberemus credere. Confir. 2. Ad fidem necessaria est, ut habet S. Paulus 2. *Cor. 10. v. 5.* captivatio intellectus in obsequium Christi: hoc est: debemus credere aliquid, quod intellectus naturaliter non capio, seu quod est supra rationem humanam: ergo fides non potest niti sola ratione humana.

Hinc S. Augustinus *sermone 1. de Trinitate, qui est 188. de tempore.* ait: *Denique accepto baptismo hoc dicimus: fidelis factus est, sive factus sum: credo, quod nescio, & propterea scio; quia me scio nescire, quod nescio. iterum tractatu. 40. in Joam. & illa verba Joam. 8. v. 31. Et cognovistis veritatem. ait: Non quia cognoverunt, crediderunt, sed, ut cognoscerent, crediderunt; credimus enim, ut cognoscamus: non cognoscimus, ut credamus. Tandem S. Paulus. 1. *Cor. 2. v. 4.* expressè nostram conclusionem docet, dum ait: *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute DEI.* Quare fides niti debet altiore motivo, scilicet testimonio DEI, ut jam diximus, & adhuc pluribus infra dicemus: ubi etiam probabimus, testimonium DEI infallibile esse.*

37. Prius tamen contra eos agendum, qui docere videntur, fidem, seu Divinae fidei actum, nullum omnino objectum formale, seu motivum habere: cui sententia videtur favere Scotus in 3. dist. 23. *questione unica. articulo 2.* Gabriel autem, & Occam, apud

Gormaz de virt. Theol. n. 133. eam probabilem reputant. Volunt itaque auctores huius sententiæ, fidem ex sola terminorum apprehensione assentiri revelatis objectis: & si objiciatur ipsis, plura fidei objecta, e. g. mysterium Trinitatis, Incarnationis &c. apparere ex se intellectui neutra, hoc est, nec vera, nec falsa, sicut nobis apparet paritas, vel imparitas numeri stellarum (nec enim scimus, an par, an impar sit) respondent, quod habitus fidei, qui fidei lumen vocatur, suppleat causalitatem terminorum, & determinet intellectum ad assensum immediatum rei per se obscuræ; nam (ajunt ulterius) habitus est inclinatio potentiæ ad assentiendum objecto, vi cuius sæpe assentimur propositionibus ex se non notis: & sæpe, quando ab initio alicui propositioni difficulter assensu sumus, postea ex habitu facile ei assentimur: at contra hanc sententiam.

38. Dico 2. Actus Divinæ fidei exigit necessarium objectum formale motivum assentiendi objectis revelatis. ita Theologi communissimè. Probatur. 1. Scripturæ Sacræ passim, dum exigunt fidem à nobis, proponunt nobis Divinum testimonium, ob quod credamus: ergo hoc ipsum assignant tanquam motivum, seu objectum formale: ergo necessario fides hoc motivum respicit, seu exigit. consequentia prima est clara; esse enim motivum fidei est esse id, ob quod, seu propter quod creditur. Secunda etiam consequentia non potest negari; nam illud exigit fides, quod Scripturæ ei semper attribuitur; hoc enim utique censendum est, spectare ad eam essentialiter; alias naturam fidei non ritè explicarent: sicut etiam propterea ad charitatem spectat essentialiter, respicere DEUM ut summum bonum.

Ant. probatur adducendo textus. Joan. 1. v. 18. Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. & 1. ad Thessal. 2. v. 13. ait S. Paulus: Cum accepissetis à nobis verbum auditus DEI, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum DEI. item ad Galat. 1. v. 11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est à me; quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per revelationem JESU Christi. item. 1. Joan. 5. v. 10. Qui credit in filium DEI, habet testimonium DEI in se: qui non credit filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium, quod testificatus est DEUS de filio suo. item ibidem v. 6. Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas: & v. 9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium DEI majus est. Rursum. 2. Petri 1. v. 19. Habemus firmiorem propheticum sermonem &c. Adde S. Augustinum l. de spir. & liter. c. 32. dicentem: Nulli itaque dubium est, eam fidem ab Apostolo commendari, qua creditur DEO. Plura vide apud Suarez de fide disp. 3. sec. 7.

39. Prob. conclusio 2. Sicut objectum voluntatis est bonum, ita objectum intellectus est verum: sed voluntas non potest, ne-

que supernaturaliter adjuva per habitum charitatis, amare id, quod nec in se, nec in alio apparet bonum: ergo nec intellectus adjuvus supernaturaliter per habitum fidei, potest assentiri illi, quod nec in se, nec in alio apparet verum: ergo non potest absque motivo suadente veritatem credere. Cum autem motivum in ordine ad credendum, seu ad fidem; non sit qualecunque, sed sit testimonium, (nemo enim potest credere, nisi loquenti: & alias fides non distinguetur ab opinione quacunquæ, vel à scientia, vel etiam à visione beatifica) necessariò fides exigit pro motivo testimonium, & consequenter fides Divina exigit testimonium Divinum, quemadmodum fides humana exigit testimonium humanum. Confirmatur. Fides, utpote virtus Theologica, debet ex dictis n. 5. habere objectum formale Divinum: ergo.

40. Prob. 3. concl. ex absurdis, quæ sequuntur ex opposita sententia. Si habitus fidei posset supplere defectum motivi, tunc puer baptizatus, adeoque donatus habitu fidei, statim, postquam usum rationis adeptus esset, assentiretur cuiusvis mysterio nostræ fidei, e. g. Sanctissimæ Trinitatis, vel Incarnationis, postquam ipsa terminorum apprehensione, nulla præmissa instructione, modò auditu quocunque, vel à psittaco dicta, perciperet: quod est contra omnem experientiam. 2. Necessaria non foret pia affectio, imperans assensum fidei, sed, sicut homo apertis oculis, & applicato sufficienter lucido colorato, statim videt, ita etiam assentiretur mysteriis fidei: consequenter actus fidei esset necessarius, & non meritorius: quod est omnino falsum.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

41. **O**bjic. 1. contra 1. conclus. Qui credit, quod ratio non capit, imprudenter agit: ergo ratio humana debet esse motivum fidei. Resp. dist. ant. si id, quod credit, non aliunde in alio appareat verum. conc. ant. si in alio appareat verum. neg. ant. & conf. Certè, licet res, in se præcisè spectata, nobis appareat neutra, dummodo in alio, scilicet testimonio fideli, appareat vera, prudentissimè eam credimus; alias minus docti nunquam posset credere, quæ audiunt à doctioribus: ipsi autem non capiunt. Aliud est, quod ratio naturalis, seu humana, debeat ostendere, quòd illa res in alio sit vera, vel certè, quòd sit credibilis: five debeat ostendere, quòd DEUS eam rem dixerit: vel certè, quòd sit credibile, atque credendum, DEUM illam dixisse: de quo inferius pluribus, quando de credibilitate mysteriorum nostræ fidei, & motivis credibilitatis ejusdem. Hoc autem licet humana ratio debeat facere, non propterea ipsa est motivum fidei, sed tantum est applicatio motivi. Sic etiam cognitio debet applicare voluntati bonitatem objecti, ut possit amari: non tamen cognitio est motivum amoris.

An Fides Divina debeat habere Objectum formale infallibile.

42. **O**b. 2. contra 2. conclusionem. Conclusio non debet se reflectere supra præmissas etiam objectivas, seu rationem earum, quæ tamen est ratio, vel motivum conclusionis: ergo nec actus fidei debet se reflectere supra suum motivum: adeoque neque illud respicere, vel etiam illum habere. Resp. omitt. ant. quod multi in Logica negant. neg. conf. In sententia illa probabilis id contingit; quia motivum præmissarum est tantum motivum extrinsecum conclusionis, sicut habet ut motivum actus imperantis, respectu actus imperati: e. g. si quis ex metu gehennæ imperat sibi perfectam contritionem, gehenna, quæ est motivum actus imperantis, non est motivum contritionis intrinsecum; alias contritio perfecta respiceret intrinsecè tanquam motivum gehennam, & ex hujus metu doleret de peccatis, quod est omnino contrarium essentia contritionis, ut omnes norunt. At verò actus fidei formalis, non habet motivum tantum extrinsecum, sed debet habere intrinsecum; cum enim, ut supra dictum, sit actus virtutis Theologicæ, & hæc necessariò debeat potentiam suam unire DEO, atque intrinsecè respicere aliquid prædicatum Divinum, non tantum debet habere motivum extrinsecum. Adde, quòd, si motivum aliquod respectu unius actus sit tantum extrinsecum, respectu alterius precedentis debeat esse intrinsecum; unde, quod est motivum extrinsecum respectu conclusionis, debet esse intrinsecum respectu præmissarum; hinc in casu objectionis debuisset præcedere actus intrinsecè attingens testimonium DEI: & si id factum fuisset, diceremus, eum solum esse actum formalis fidei.

Neque dicas, actum spei (ut habet Gormaz de spe. n. 18) respicere promissa, vel auxilia Divina, tantum ut objectum formale quo, adeoque etiam actum fidei posse testimonium DEI respicere tantum ut objectum formale quo; nam imprimis objectum formale quo non est extrinsecum; quia ab intrinseca tendentia actus essentialiter respicitur, quamvis, in sensu n. 4. explicato, non attingatur: sicut etiam motivum odii non est extrinsecum, quamvis nec istud in eo sensu restricto attingatur. Secundò. Actus spei saltem bonitatem Divinam respicit ut objectum formale quod intrinsecum, secundum formalitatem desiderii, licet secundum formalitatem fiducia objectum suum tantum respiciat ut quo: cum igitur actus fidei non habeat similes duas formalitates, sed tantum unam, debet, objectum suum respicere ut objectum formale quod. Sed de hoc plura, quando de spe.

43. Dixi superius, illum solum fore actum formalis fidei, qui objectum intrinsecè attingat; nam distinguendi sunt actus formalis fidei, & actus, quos Gormaz. de virt. Theol. n. 161. vocat actus fidei objectiva: pro quibus rite intelligendis sciendum, sæpe contingere, quòd aliquis e. g. hic & nunc, velit dare eleemosynam; quia est ad salutem æternam conducens, quin recorderetur, hoc

à DEO esse revelatum: iste actus supernaturalis quidem est: at non est actus fidei formalis, sed, ut vocat Gormaz, est actus fidei objectivæ, hoc est, est actus affirmans objectum materiale fidei: vel, ut vocat Cardenas dissert. 16. in propositiones ab Innocentio XI. damnatas, n. 53. est actus fidei virtualis, quatenus scilicet in isto virtualiter perseverat actus fidei formalis prius elicited, sicut enim sæpe contingit, quòd, qui in Mathesi didicit aliquod problema, ejus postea recorderetur, quin recorderetur demonstrationis: ita sæpe accidit, ut, qui in schola fidei doctus est aliquam veritatem, ejus postea recorderetur, quin recorderetur motivi illius, seu testimonii DEI. Et hic actus fidei virtualis, vel objectivæ, plurimum conducit ad praxin; nam Cardenas cit. dissert. 16. n. 58. & Lugo de fide disp. 12. sec. 2. ex SS. Patribus, & ratione, egregiè probant, quòd nullum opus meritorium vitæ æternæ possit elici, nisi ex dictamine fidei supernaturalis: si autem semper necessarius foret actus fidei formalis, certè plurima opera spoliarentur suo merito; cum sæpius homines non cogitent de testimonio DEI; hinc dicendum est, sufficere actum fidei virtualis, vel objectivæ. Hic autem actus non est actus Theologicus, aut actus habitus fidei Theologicè operantis: sed est actus inferior, ut ad mentem Suarezii rectè ait Gormaz de virt. Theol. n. 122. quia iste actus non unit potentiam DEO, nec attingit objectum formale quod Divinum.

44. Si quæras, à quo principio igitur producatur hic actus virtualis fidei: Resp. Gormaz de virt. Theol. n. 163. eum procedere quidem ab habitu fidei, sed non ab eo ut operante Theologicè, neque operante se solo, sed concurrentibus etiam speciebus fidei formalis; ut enim actus naturales sæpius eliciti relinquunt species sui, & objectorum, ita etiam actus supernaturales relinquunt tales species; non enim habent minorem virtutem in ordine ad relinquendas species, quam actus naturales habeant. Ait ulterius Gormaz, has species non esse puras determinationes, seu condiciones, ad hoc, ut habitus agat, sed etiam esse partiales concavas, & concurrere ex parte objecti, sicut alias species solent concurrere, juxta proverbium: Ex objecto, & potentia oritur notitia. Unde tandem actus fidei virtualis, vel objectivæ, reducitur ad habitum infusum, seu Theologicum fidei tanquam ad suam causam, sed non ad eum ut Theologicè operantur; quia tunc tantum dicitur Theologicè operari, quando producit actum verè Theologicum, hoc est, intrinsecè attingentem objectum formale quod Divinum, quo DEO uniatur potentia intellectiva.

45. Petes fortè, an istæ species relictae, sint aliquis habitus acquisitus. Resp. experientiam monstrare, quòd etiam detur aliqua facilitas in ordine ad eliciendos actus supernaturales in eo, qui eos frequenter elicit: certè, qui sæpius elicit actum fidei circa aliquod mysterium, facilius elicit de novo ta-

lem actum, quam alius: pariter, qui sapius elicit actum contritionis, facilius eum elicit, quam alius. Sed quaritur jam ulterius, an ea facilitas sit habitus acquisitus dicendus, an non. Dixi in Philosophia, habitus acquisitos intellectuales non distingui à speciebus ritè coordinatis, & facile excitabilibus; unde sanè sequitur, hanc facilitatem, seu has species esse dicendas habitum aliquem acquisitum.

Et sanè habitum talem acquisitum admittit Arriaga de anima, disp. 9. sec. 1. n. 18. Scotus, Durandus, Nominales, Gormaz, de virtutibus Theologicis, n. 65. Oviedo in 1. 2. tractatu. 3. controversia 2. puncto 4. n. 40. Quæstio tantum adhuc inter ipsos est, an hic habitus sit supernaturalis, an naturalis tantum. Supernaturalem eum esse, admittunt Arriaga, & Gormaz loc. cit. Nominales, Durandus, & alii. Et sanè, si actus naturales producant habitum proportionatum sibi naturalem, cur non actus supernaturales producant supernaturalem? quæ enim assignabitur differentia? certè aliis semper habitus acquisitus inclinatur ad actus similes iis, à quibus est generatus.

46. Difficultas tantum est, quòd habitus iste acquisitus deberet manere in peccatoribus, in quibus manet facilitas aliqua etiam ad bonum, saltem in pluribus, qui prius diu bene vixerunt, & in aliquod mortale prima vice inciderunt: econtrà non videtur manere in peccatore ullus habitus supernaturalis, nisi fidei, & spei. Sed in primis respondent aliqui, non manere in peccatore facilitatem supernaturalem, sed tantum aliquam naturalem; nam, ut habet Arriaga disp. 9. de anima, n. 22. quocumque homo elicit actum supernaturalem, simul elicit actum naturalem circa idem objectum; unde ex his actibus naturalibus potest oriri habitus naturalis, qui dein infuat in actus naturales, & fortè etiam in supernaturales cum conprincipiis supernis; neque enim omnia principia actus supernaturalis debent esse supernaturalia; alias anima non posset in eum infuere. Et videtur hæc responsio firmari ex eo, quòd alias, quando tolleretur potentia, hoc est, habitus infusus, qui dat simpliciter posse, videatur etiam tolli debere facilitas ei superaddita, & ei quasi innixa, quæ est habitus acquisitus.

47. Resp. alii cum eodem Arriaga disp. modo citata n. 12. manere posse habitum acquisitum supernaturalem, etiam in peccatore; cum Tridentinum Concilium, & Patres, ac Theologi, tantum negent, manere in peccatore habitus per se infusos, de quibus solis erat ipsius sermo; de acquisitis enim non cogitaverunt, saltem nihil determinarunt. Non tamen poterit talis habitus acquisitus producere actum supernaturalem sine habitu infuso (sicut citharæ habens species optimas, & habitum perfectum, non potest pulsare citharam absque manibus) nisi DEUS suppleat per omnipotentiam extrinsecè applicatam defectum habitus. Manere autem posse habitus hos acquisitos sine gratia ajunt;

eò quòd non sint proprietates gratiæ, nec producantur nec exigantur ab ipsa; cum possit gratia dari sine ipsis, ut patet in homine prius malo recens converso, & necdum inclinatio ad actus virtutum: subiectum autem eorum sit ipsa anima. videatur ipse Arriaga, & Gormaz, ac Oviedo loc. cit. Ex his opinionibus, quæcumque teneas, neutra obest nostræ assertioni de necessitate objecti formalis intrinsecè ad actum fidei formalis.

48. Ob. 3. Licet aliqua propositio nobis ab initio sit ex terminis tantum imperfectè nota, & adhuc obscura, ita, ut ei difficulter assentiamur, tamen, quando sapius eas sensimus, & habitum assentiendi contraximus, illa propositio fit nobis ita clara, ut facile ei assentiamur: ergo habitus potest suppleere causalitatem terminorum: ergo etiam habitus fidei. Resp. conc. ant. & omitt. 1. conseq. at neg. 2. conf. Etsi fortè id possit aliquis habitus acquisitus, non id potest habitus infusus fidei. Ratio est; quia in primis habitus infusus non faciliat, consequenter non inclinatur, adeoque neque ejus inclinatio, quæ nulla datur, potest suppleere causalitatem terminorum. Secundo habitus non inclinatur, nisi ad actus sibi proprios: atqui actus proprii fidei non sunt illi, qui non nituntur testimonio DEI: ergo ad hos non potest habitus fidei inclinare:

Quin imò etiam actus fidei virtualis, vel objectiva, debent saltem extrinsecè nitui testimonio DEI, & necessariò presupponere actus formales fidei formalis: (alias enim quomodo in iis virtualiter perseverarent actus fidei formalis?) consequenter saltem aliqui actus fidei necessariò nituntur testimonio DEI intrinsecè attacto: ergo habitus fidei nunquam potest suppleere causalitatem terminorum; non enim in actibus fidei formalis, ut patet: non in actibus fidei virtualis, vel objectivæ; quia, si in ordine ad istos suppleretur causalitas terminorum, suppleretur ea potius per species relictas ab actibus fidei formalis, quam per habitum infusum. Tandem, licet habitus possit facere, ut propositioni, quæ ex se neutra est, assentiamur ob rationem non amplius intrinsecè attactam, tamen non potest facere, ut assentiamur alicui propositioni, quæ ex se neutra est, abstrahendo ab omni ratione; nunquam enim ullus habitus potest facere, ut dicam potius, stellas esse numero pares, quam impares; quia nullam hujus rei rationem, nec intrinsecam, nec extrinsecam habeo.

49. Dices. Habitus determinat ad credendum ipsum testimonium DEI absque ulla ratione: ergo etiam potest determinare ad credenda alia objecta absque ratione. prob. ant. vel credimus testimonium DEI propter se, vel propter aliud: si primum: cum testimonium in se sit neutrum, (nec enim est ex terminis notum, DEUM locutum fuisse) debet habitus determinare, & habetur intentum: si secundum: in primis sapius debet testimonium DEI reflexum: dein redit quæstio de hoc eodem testimonio reflexo in infinitum:

finium: ergo. Resp. disting. ant. Habitus determinat ad credendum testimonium absque ulla ratione identificata cum testimonio. neg. ant. absque ratione distincta. conc. ant. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conseq. ad prob. conc. ma. neg. primam partem mi. vel potius ejus suppositum; testimonium enim non est neutrum, quando est sufficienter applicatum, seu quando est redditum evidenter credibile, & credendum; neutrum enim dicitur illud objectum, de quo nec habeo ullam rationem credendi, vel negandi, nec intrinsecam, nec extrinsecam, neque talem, vi cuius reddatur illa res credibilis.

Jam verò dari testimonium DEI, sive DEUM esse locutum, redditur evidenter credibile, & credendum, ex signis credibilitatis nostræ fidei, de quibus pluribus agemus inferius. Nec dicas, ex his sequi, quòd assensus, præstitus de ipsa existentia Divini testimonii, sit assensus tanquam primi principii; nam negatur illatum; assensus enim, præstus rei tanquam primo principio, est ille, quando res ex ipsa apprehensione terminorum statim rapit intellectum ad assensum, quin prius debeat fieri aliunde evidenter credibilis, & credenda. Certè, ut huic principio: Totum est majus sua parte: assentiamur, non indigemus prævia applicatione, vel credibilitate.

50. Ob. 4. Non est laudabile credere DEO ob rationem, seu motivum, aut objectum formale: sed fides nostra est laudabilis: ergo per eam non credimus ob rationem &c. Confirm. Si crederemus DEO ob ejus dictum infallibile, non præfereremus DEUM homini, qui esset infallibilis in loquendo: hoc est absurdum: ergo. Resp. dist. ma. non est laudabile credere DEO ob rationem distinctam ab ejus testimonio, & auctoritate. om. ma. ob rationem identificatam cum ejus testimonio. neg. ma. & concessa. mi. neg. conseq. Utrique laudabile est credere DEO ob ejus testimonium, quando nobis revelat plura obscura, & supra captum nostrum, ad quæ credenda opus est: magna intellectus nostri captivitate, & subjectione.

Ad confirm. Resp. neg. ma. nam 1. etsi homo esset ratione extrinsecè assistentia DEI infallibilis, non esset infallibilis intrinsecè; unde, dum illam ipsam intrinsecam infallibilitatem de DEO credimus, ipsum homini illi præferimus. 2. etsi homo esset infallibilis; ejus infallibilitas esset ordinis longè inferioris; unde etiam testimonium DEI plus æstimamus, ita ut, si per impossibile talis homo contraria loqueretur DEO, illius testimonio fidem negaremus: & in hoc sensu ait Apostolus ad Gal. 1. v. 8. Sed licet nos, aut Angelus de celo evangelizet vobis, præterquam, quod evangelizavimus vobis, anathema sit: hoc est, si etiam Angelus de celo, qui, utpote beatus, falli non potest, aliud diceret, quam, quòd S. Paulus ex revelatione DEI docuerat, non foret ei credendum.

51. Ob. 5. Saltem fides non debet habere objectum ex parte intellectus, sed sufficit,

si aliquid habeat ex parte voluntatis: ergo. prob. ant. non credimus DEO, quia verax est, sed quia supremus dominus est, & quia præcipit, ut credamus: atqui præceptum est motivum, seu objectum formale efficiens voluntatem, non intellectum: ergo. ita Guillelmus Parisiensis libro de fide, & legibus non longe ab initio. Confirm. Potest DEUS homini, nihil cogitanti de veracitate DEI, præcipere, ut sibi credat: talis esset actus fidei absque motivo efficiente intellectum: ergo.


Resp. neg. ant. ad prob. neg. ma. Voluntas quidem credere; quia DEUS præcipit: sed credimus; quia verum dicit. Volo dicere: actus voluntatis, seu pia affectio, qua nobis liberè imperamus actum fidei, & à qua actus fidei denominatur liber, atque fit meritorius (de quo infra) habet pro motivo præceptum: sed non ipse actus fidei habet præceptum pro motivo intrinsecò. Sic, licet contritio, vel attritio, præcepta sit peccatori saltem semel in anno, adeoque actus imperans contritionem habeat pro motivo præceptum, non tamen actus contritionis habet pro motivo præceptum; alias tandem omnes ferme actus haberent pro objecto motivo præceptum DEI, adeoque omnes essent actus virtutis moralis obedientia.

Ad confir. neg. ant. Sicut DEUS non potest præcipere homini, ut aliquid amet, quod non apparet bonum, ita neque potest ei præcipere, ut credat, quod non apparet verum; quia non potest facere, ut potentia feratur extra suum objectum. Hoc tamen est verum, quòd, sicut eo ipso, quòd DEUS præcipiat aliquid amandum, ostendit id esse bonum, si non intrinsecè in se, saltem extrinsecè ratione alterius, ad quod ordinatur: ita eo ipso, quòd aliquid præcipiat credendum, ostendat, id esse verum, si non ex apprehensione terminorum, saltem ob extrinsecam attestationem DEI, quæ implicite saltem continetur in præcepto credendi.

ARTICULUS III.

An DEUS possit fallere, vel falli.

52. Dico I. DEUS non potest falli. Ita contra Averroem, qui DEO negavit aliquarum rerum scientiam, defacto omnes Catholici, imò omnes, qui DEUM verè agnoscunt. Prob. facile. DEUS est ens perfectissimus: ergo debet habere omnem perfectionem, nec potest habere aliquam imperfectionem: atqui omniscientia est manifestè perfectio, & ignorantia, vel error, est imperfectio: ergo DEUS debet manifestè habere omniscientiam, & non potest habere ullam ignorantiam: atqui, si falli posset, manifestè careret omniscientia, haberetque ignorantiam alicujus veritatis: quin, quod pejus foret, haberet positivum errorem circa aliquam rem, circa quam falleretur; nam aliter conciperet rem, quam in se esset, & ignoraret, quomodo verè



se haberet: ergo. Omnia membra hujus discurfus sunt evidētia. Possent addi textus innumeri Sacræ Scripturæ, DEO omniscientiam attribuentes: sed non est necesse.

53. Dico 2. contra Priscillianistas. DEUS etiam non potest fallere, neque de potentia absoluta. ita rursus omnes Catholici, saltem de potentia ordinaria: quanquam de potentia extraordinaria aliqui, sed vix unus, & alter, olim admiserint, DEUM fallere posse, ut Holkot. in 2. q. 2. a. 8. item apud Cardinalem de Lugo. de fide disp. 4. sec. 2. n. 15. & 16. Petrus de Alliaco, & Gabriel, quorum tamen sententia modò sustineri non potest. Prob. 1. Fallere alterum scienter, est mentiri: sed DEUS semper falleret scienter; cum omniscius sit, & falli non possit: ergo mentiretur: atqui DEUS mentiri non potest: ergo.

Minor subsumpta inprimis est lumine naturæ nota; est enim evidenter indecens, & imperfectum mendacium, imò, ut omnes dicunt, est intrinsecè malum; quia ipsum lumen naturæ dicitur, etiam barbaris non omnino honesti oblitis, mendacium esse naturæ rationali difforme, & esse contra finem, ac institutionem verborum ad humanum commercium ordinatorum; istud enim per mendacium, si hoc foret licitum, everteretur; quia tolleretur fidelitas, atque fiducia mutua: ergo mendacium non potest cadere in perfectissimum DEUM.

54. Prob. eadem minor ex Scripturis, & Patribus. Ad Hebr. 6. v. 18. dicitur de DEO: *Interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri DEUM, fortissimum solatium habeamus.* Duæ autem res illæ sunt promissio, seu assertio DEI, & juramentum: ergo per has habemus fortissimum solatium: sed, si DEUS fallere posset, non haberemus fortissimum solatium, sed possemus dubitare, & timere: ergo. prob. mi. Non haberemus fortissimum solatium ratione assertionis, si DEUS per hanc fallere posset, ut patet: neque haberemus illud ratione juramenti; nam juramentum DEI non reddit promissionem ejus certiore: ergo. prob. 2. pars ant. DEUS non habet superiorem, per quem jurat: ergo debet jurare tantum per semetipsum: & sic Gen. 22. v. 16. dicit DEUS: *Per memetipsum juravi:* ergo juramentum ejus non addit auctoritatem majorem ipsius dicto: ergo, si DEUS posset mentiri per simplicem assertionem, posset etiam mentiri per juramentum: ergo per neutrum haberemus firmissimum solatium, contra Apostolum: ergo, ut hoc habeamus, debet dici, quòd, sicut impossibile est, DEUM restantem aliquid juramento, mentiri, ita etiam impossibile sit, eum mentiri dicentem aliquid sine juramento. Utitur autem DEUS frequenter in Scripturis formulâ juratoriâ, ut nostræ infirmitati, quæ majorem certitudinem in assertione jurata, quam in alia, concipit, se accomodat.

Iterum Numeror. 23. v. 19. dicitur: *Non est DEUS quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur;* ergo DEUS

etiam de absoluta potentia non potest mentiri. prob. conf. fuere aliqui Sancti, qui nunquam mentiri sunt, e. g. B. Virgo, S. Joannes Baptista: ergo, ut DEUS non sit sicut isti, seu præcellat omnes homines in veracitate, debet neque de potentia absoluta posse mentiri. Et in hoc quoque sentiu intelligendum etiam est illud ad Rom. 3. v. 4. *Est autem DEUS verax, omnis autem homo mendax.*

55. Accedunt SS. Patres. S. Dionysius de Divinis nominibus c. 8. juxta versionem Ambrosii Florentini (a qua non quoad sensum, sed tantum quoad verba, paulum dissentit Perionius) ait: *Porro veritas DEUS est, & à veritate cadere, à DEO est cadere: si igitur veritas DEUS est, veritatisque negatio est à DEO prolapsio, à DEO cadere DEUS non potest.* S. Ambrosius inc. 23. Numer. v. 19. *Non est DEUS quasi homo, ut mentiatur:* ait; *Nunquidnam mentitur DEUS? sed non mentitur; quia impossibile est mentiri DEUM.... Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis, & majestatis.* S. Augustinus. l. 22. de civ. DEI. c. 25. ait: *Si volunt invenire, quod omnipotens non potest, habent profus: ego dicam: mentiri non potest.* Similia habent SS. Athanasius, Cyrillus, Anselmus, & alii. vide Lugo de fide disp. 4. sect. 2. Gormaz. de virt. Theol. disp. 17. n. 810.

56. Collige 1. DEUM non tantum mentiri non posse, aliquid nudè asserendo, sed nec promittendo. Ratio est clara; quia in omni promissione includitur assertio; nam, qui dicit: *dabo:* vel *donabo:* asserit certè, se habere animum dandi: si ergo DEUS nequit falsum asserendo decipere, neque potest decipere promittendo. Collige 2. DEUM neque posse mentiri per alium; nam indecentia mendacii refunderetur in DEUM tanquam ejus auctorem, & causam. Dein, quando Scripturæ dicunt, DEUM mentiri non posse, intelligunt, eum id non posse, per locutionem, qua hucusque ordinariè hominibus locutus est: atqui locutus est per Angelos, Prophetas, Apostolos, & alias personas ab ipso distinctas: ergo.

Collige 3. probabilius DEUM non posse, se solo infundere homini errorem, vel habitum erroneum. ita Gormaz. disp. 19. de virt. Theol. n. 897. Oviedo de fide controu. 3. punct. 2. n. 8. & alii ab eo citati. Prob. Si DEUS se solo infunderet errorem, etiam tantum speculativum, intellectui humano, tunc infunderet eum cum certa scientia de ipso; quia non posset habere ignorantiam: sed sic scienter deciperet, & virtualiter mentiretur, quod DEUS non potest, ut jam probatum: ergo. prob. mi. si creatura studiosè facit, ut alius putet, Petrum currere, quando non currit, & studiosè ex intentione procurat, ut erret, virtualiter certè mentitur, & decipit scienter alterum: ergo etiam DEUS, procurando, vel causando talem errorem, virtualiter mentiretur &c.

Confirm. Si DEUS posset infundere talem errorem, posset etiam formare voces in aère, quæ sonarent, vel significarent, Petrum currere, quando non currit, saltem quando non

non sciret audiens, has voces expressè ad se à DEO dirigi: sed hoc, etsi Lugo de fide disp. 4. sec. 3. non videatur rejicere, aut certè juxta principia ibi jacta non rejicere posse, videtur non posse admitti: ergo. ma. prob. ex eo, quòd inter posse hoc, & posse illud, non possit ostendi ulla disparitas. mi. videtur inprimis sensui communi conformis; cum tales voces falsum significantes, nullus unquam audeat DEO tribuere, sed omnes tribuant eas diabolo, vel simili causæ: ergo

57. Collige 4. DEUM loquentem non posse uti restrictione purè mentali. *Restrictiones purè mentales* sunt, quando verbis, exterius dictis, aliquid à loquente additur, in mente subintellectum, quod nullo signo externo, vel significatione externa verborum, per consuetudinem, vel aliam causam, acceptata, potest colligi. e. g. Petrus rogatus, an occiderit Paulum, quem domi gladio heri occidit, respondet: *Non occidi:* subintelligendo *scilicet, vel in templo, vel hodie.* Hæ restrictiones sunt reverè mendacia, quæ DEO repugnant; nam, ut ait Cardenas in proposit. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 19. n. 31. loquela humana (& par est ratio de Divina) neque totaliter, neque partialiter constituitur ex conceptibus mentalibus, sed ex vocibus, & sæpe ex circumstantiis externis, ratione quarum sæpe variatur significatio vocum: ergo, ut propositio sit vera, non debet attendi conceptus mentalis interior in mente additus, sed sola verba, & signa, vel circumstantiæ externæ: ergo, si quis occidit Paulum, & exterius simpliciter dicit: *Non occidi:* licet mente subintelligat *veneno, vel hodie &c.* est mendax; nam, si conceptus mentis non attendatur, propositio clarè est mendax, ut patet: ergo. Hinc Innocentius XI. damnavit has propositiones. 26. *Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine, jurat, se non fecisse aliquid, quod reverè fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverè non mentitur, nec est periurus.* & 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa:* & his similis est propositio 28. similiter etiam damnata.

58. Collige 5. DEUM posse loqui per æquivocationem, vel amphibologiam, quæ ex aliquo signo externo, vel circumstantiis extrinsecis, aut modo loquendi, licet non ita obvio, potest intelligi; similes enim locutiones, si fiant, quando adest justa causa celandi veritatem, excusantur adhuc, etiam post decretum Innocentii XI. ab omnibus ferme auctoribus à mendacio. Et certè, quando verba sunt æquivoca, potest loquens, ex justa causa ea accipere in uno, & permittere, ut audiens ea intelligat in altero sensu, intendendo celare veritatem, & tantum per-

mittendo alterius deceptionem. Similiter cum signa externa, pronuntiatio, aut modus loquendi, aliaque circumstantiæ exterius sensibiles, sint constitutiva locutionis externæ (aliàs enim nunquam à mendacio excusari poterunt dicta ironica, vel hyperbolica) qui ea non attendit, sibi imputet, quòd non ritè rem intelligat. Confirm. Multa sunt dicta in Sacris Scripturis, quæ, ut patebit ex objectionibus, à mendacio excusari non possunt, nisi recurrendo ad hanc nostram doctrinam: atqui dici minimè potest, ibi dicta esse mendacia; cum aliqua sint ipsius Christi Domini, vel Sanctorum Angelorum: ergo. Quodsi jam in locutionibus æquivocis, vel amphibologicis, mendacia non reperiantur, neque deceptio positivè intenta, non est, cur DEUS ita loqui non possit: & certè videtur in Scripturis aliquando ita locutus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

59. **O**B. 1. contra 2. conclusionem

(nam quæ contra primam obijci fors possent, tangunt tractatum de DEO, ubi de infinita ejus perfectione, vel tractatum de actibus humanis, ubi de libertate creata) Mendacium non est intrinsecè malum: ergo in quibusdam circumstantiis potest DEUS de potentia absoluta mentiri: ant. prob. quiddam est malum, est tale; quia est contra legem DEI; hæc enim, ut etiam diximus tract. de actibus humanis, n. 176. est prima universalis regula moralitatis: sed mendacium, quod faceret DEUS, non esset contra legem DEI; ergo. prob. mi. lex DEI non datur sine voluntate DEI obligante: atqui non daretur tunc voluntas DEI obligans ad non mentendum, sed potius daretur in DEO voluntas mentendi: ergo.

Resp. neg. ant. Certè S. Augustinus. l. de mendacio, præsertim c. 6. sensit, mendacium esse intrinsecè malum; ait enim, mendacium esse aliquid pejus iniquitate, quam DEUS oderit; cum mendacium perdat, juxta illud psal. 5. v. 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium:* & comparat mendacium cum furto, & adulterio, docetque, quòd, sicut ista non licent, sic nec licitum sit illud. ad prob. conc. ma. neg. mi. ad hujus prob. iterum neg. mi. nam DEUS necessariò sibi ipsi imponit legem non faciendi intrinsecè mala: saltem necessitate metaphysica vult non mentiri, quæ voluntas, si non est propriè lex, est æquivalenter talis, & æquè absolutè impossibile DEO reddi mendacium. Hinc si DEUS, ut ponunt adversarii, vellet mentiri, vellet, & nollet idem: vellet mentiri, ut ponitur: nollet; quia necessariò non vult intrinsecè mala, & necessariò etiam odit omnè destructivum suæ supræmæ auctoritatis, & infallibilitatis: quale esset mendacium.

60. Ob. 2. DEUS potuit reddere licitum homicidium, imò illud præcipere, dum Abrahamo præcepit immolare Isaacum: ergo etiam poterit reddere licitum mendacium. Confirm. DEUS etiam potuit reddere licitum furtum Israëlitis, qui *Exod. 12.* Ægyptiis furati sunt vasa aurea, & argentea: item *Osæ 1.* huic Prophetæ reddidit licitam fornicationem: ergo etiam poterit reddere licitum mendacium; neque enim est ratio, cur potuerit dispensare in aliis præceptis, & non in isto. Resp. neg. conf. Homicidium, si tantum accipiatur pro cæde hominis innocentis, non est strictè loquendo intrinsecè malum (quia DEUS, supremus vitæ, & mortis dominus, potest id pro libitu velle, & imperare, etiam quando manet cædes innocentis) modò fiat cum legitima potestate, sine qua etiam eodem modo mala esse cædes nocentis, quæ tamen non dicitur intrinsecè mala. At, quod strictè est intrinsecè malum, DEUS nunquam potest velle, quamdiu manet tale, ut patebit ex mox dicendis.

61. Ad confirm. neg. ant. DEUS, nec furtum, nec fornicationem licitam fecit: sed fecit, ut ex actiones, nec essent furtum, nec fornicatio; DEUS enim, utpote absolutissimus Dominus vitæ, corporum, & rerum omnium, potest transferre jus ab uno domino creato in alium: & sic jus Ægyptiorum in vasa aurea transtulit in Hebræos: Osæ autem dedit potestatem, imò imperium imposuit, ducendi illam mulierem uxorem: & sic nec datum tunc furtum, nec fornicatio. Quamvis autem illi filii Osæ vocentur filii fornicationum, per hoc tantum significatur, eorum matrem prius fuisse meretricem.

Idem dicendum de polygamia antiquorum Patriarcharum, quibus dedit DEUS potestatem ducendi plures uxores, vel, ut multiplicaretur populus, aut semen Abrahamæ: vel ut indicarentur certa mysteria in Ecclesia DEI futura, e. g. populi gentium, & synagogæ conjunctio, ac fecunditas. An autem hæc fuerit dispensatio propriè dicta, an tantum improprie dicta, seu, an tantum fuerit mutatio conditionis, e. g. quòd DEUS jus, quòd haberet per se una uxor totaliter in corpus mariti, divideret in plures uxores, videri potest apud Platelium. *de matrim. capite. 7. §. 4. n. 1068.* Mihi probabilius videtur, non fuisse veram dispensationem, sed tantum mutationem conditionis, qua posita extrinsecè sunt illæ actiones ex ratione furti, fornicationis &c.

62. Quidquid tamen sit, parum refert ad rem nostram; DEUS nec directè, nec indirectè, nec propriè, nec improprie, dispensare potest in præcepto non mentiendi; quia mendacium est semper contrarium fini verborum, & honestati debitæ naturæ rationali, ut agnoscent etiam gentiles: nec est excogitabilis casus, in quo possit hæc contrarietas à mendacio separari. Sed neque licet assignare pro libitu circumstantias, quibus mutatis possit DEUS indirectè in præcepto naturali dispensare; si enim istæ non aliunde sunt notæ, debent innoscere; aut ex

Divina revelatione, aut ex legitima auctoritate, non ex privato tantum sensu: atqui ex auctoritate Ecclesiæ constat oppositum, scilicet non posse dari circumstantias, in quibus mendacium sit licitum: ergo.

Videri meretur hæc de re Lugo *de fide. disp. 4. sect. 4. n. 58.* & seq. ubi insuper rectè probat, etsi daretur, (quod tamen est falsum) etsi daretur, inquam, quòd posset DEUS in aliquo extraordinario casu dispensare cum homine, ut in extrema necessitate mentiretur, non tamen propterea posse ipsummet DEUM mentiri; quia ipse facillè potest aliis mediis malo cuique occurrere: neque potest DEUS omnia, quæ homo per ejus licentiam, vel alias potest; nam potest homo se humiliare, non autem DEUS. Sed neque verum est, quòd DEUS omnia possit se solo, quæ potest cum creatura; neque enim se solo potest producere peccatum, nec se solo potest producere odium DEI. Ratio autem discriminis est; quia aliqui effectus mali tribuerentur DEO ut causæ, si se solo eos produceret: non verò tribuuntur eidem, si eos producat cum creatura, & ut ab hac determinatus, adeoque ut causa per accidens: imò DEUS neque potest se solo producere actiones vitales creatas, quæ probabilius essentialiter connectuntur cum principio creato.

63. Ob. 3. Decipere alterum non est intrinsecè malum: ergo nec mentiri. ant. prob. 2. *Cor. 12. v. 16.* gloriatur S. Paulus, & ait: *Cum essem astutus, dolo vos cepi.* 2. sæpè dicuntur aliqui induci ad bonum dolo pio, & fraude innocenti: imò etiam jura distinguunt dolum bonum, & malum. Resp. dist. ant. decipere alterum tantum indirectè, materialiter, & occasionaliter, non est intrinsecè malum. conc. ant. decipere directè, & formaliter. neg. ant. & conf. Occasionaliter decipere est ponere signum verum, vel ambiguum, cujus occasione alter ex inadvertentia, ignorantia, vel alia causa, in errorem inducitur, quod ex justa causa licet: & sic fit e. g. per æquivocationem, vel amphibologiam, ex justa causa adhibitam, non intendendo deceptionem, sed tantum veritatis occultationem, quando ad hanc loquens jus habet: formaliter autem decipere est ponere signum determinatum ad falsum, sive deia signum sit vocale, sive reale (quo casu foret mendacium reale pariter illicitum) ad alterum fallendum. ad prob. illud Apostoli dictum potius est vox sibi objicentis, quam asserentis, ut patet legenti; cum Apostolus videatur ibi velle, id, tanquam objectionem sibi factam, solvere. Si tamen id S. Paulus concedat, sermo ipsi est de dolo pio, seu tantum occasionali, ac licito, ut habet S. Thomas. 2. 2. q. 55. a. 4. ad 1. Eadem responsio sequentibus congruit.

64. Ob. 4. DEUS sæpè in Scripturis Sacris decepit homines in pœnam peccati: ergo. ant. prob. ad *Rom. 1. v. 28.* dicitur: *Tradidit illos DEUS in reprobum sensum.* & *Tradidit illos DEUS in reprobum sensum.* & *Tradidit illos DEUS in reprobum sensum.* 2. *Reg. 22. v. 20.* ait DEUS: *Quis decipiet Achab regem Israël? & tunc spiritus qui*

dam dixit *v. 22.* *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus: & dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: Egredere, & fac ista:* ergo DEUS Achabum decipit: & par est ratio de aliis. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Verba illa, & similia, juxta unanimum Theologorum consensum, explinuntur tantum de permissione, sive, quòd DEUS tantum permisit homines abire in reprobum sensum, & spiritum illum Achabo imponere. Sic quoque induratio Pharaonis, & alia, hinc inde in Scripturis similia, exponuntur tantum de permissione, vel subtractione gratiæ majoris; nec enim DEUS potest esse auctor mali moralis. Similiter de permissione, vel subtractione gratiæ explicandum est illud *Isaia. 6. v. 10.* *Excæcavit cor populi hujus, & aures ejus aggravavit, & oculos ejus claudivit, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat.*

65. Quodsi DEUS in Scripturis aliquando aliquid dixit futurum, quod postea factum non est, e. g. *Achab quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* *Jona. 3. v. 4.* propositiones illæ fuere conditionales, & conditio non fuit impleta; intelligebatur enim: *nisi penitentiam egerint.* Et quamvis locutio DEI non tollat ipsi libertatem, tamen non potest deinceps aliter facere consequenter, licet possit antecedenter. Neque hinc sequitur, DEUM non esse omnipotentem, si non possit aliter facere, vel non mentiri; quia, cum mentiri imperfectum sit, in DEO Chimera est, quam omnipotens facere non potest: & hinc S. Augustinus. *l. 1. de symbolo. c. 1.* ait de DEO: *Si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens; quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens.* Videatur Lugo *de fide. disp. 4. sect. 2.*

66. Ob. 5. contra 3. illationem. Error physicus intellectus est tantum malum physicum, & non morale; nam innocenter falli hominem, non est malum morale: sed DEUS potest causare se solo omne malum physicum: ergo etiam potest causare errorem. Confirm. 1. Error intellectus se habet aliquo modo ut monstrum naturæ: sed hoc DEUS potest producere se solo: ergo. Confirm. 2. DEUS potest esse causa falsi iudicii: ergo. prob. ant. Si DEUS determinet Petrum ad aliquid affirmandum, e. g. hanc propositionem: *Paulus currit:* & hæc propositio duret per duo instantia, atque in secundo Paulus non currat, & sic transeat hæc propositio de vera in falsam, eam tamen in secundo instanti DEUS conservet: in hoc casu, qui est possibilis, DEUS erit causa falsi iudicii, seu erroris: ergo.

67. Resp. dist. ma. Error physicus intellectus est tantum malum physicum respectu recipientis. om. ma. respectu scienter eum causantis. neg. ma. & dist. mi. DEUS potest causare omne malum physicum, si sit tantum malum physicum, tam respectu causantis, quam recipientis. conc. mi. si sit malum physicum tantum respectu recipientis, non autem respectu causantis. neg. mi. & conf. R. P. Ant. Mayr. *Theol. Tom. I.*

Certè, licet errare tantum sit physicè imperfectum, seu malum, in eo, qui recipit inculpabiliter errorem, non est tantum physicè, sed moraliter imperfectum causare scienter errorem. Patet in eo, qui alteri aliquid falsi dicit, quod alter inculpabiliter credit.

Sic etiam est tantum malum physicum doloribus affici, etiam æternis: non potest tamen (ut longè communior docet) DEUS innocentem doloribus inferni affligere, etiam præservando eum supernaturaliter à peccatis, in eo statu alias committendis. Unde non est absolutè verum, quòd DEUS possit causare omne profusum malum physicum: sed tantum verum est, quòd possit causare omne illud malum physicum, ex cuius causatione nihil indecens redundet in ipsum: sicut autem ex afflictione innocentis redundaret in DEUM nimia aliqua severitas, ita ex causatione erroris redundaret defectus veracitatis. Sed nec dici potest, DEUM tantum decepturum physicè; nam, cum incapax sit ignorantia, semper deciperet scienter, quod est decipere moraliter.

68. Ad 1. confirm. neg. ma. Ex productione monstrum non redundat aliquid indecens in DEUM: redundat autem ex productione erroris scienter facta. Ad 2. confirm. neg. ant. ad probationem. in primis quæro, an possit propositio vera transire in falsam, vel non: si secundum, casus implicat, & negatur suppositum: si primum, DEUS non poterit, ut causa per se, & particularis, ex intentione sua, iudicium illud pro sequenti instanti conservare, sed tantum ad exigentiam creaturæ, & ut causa per accidens. Sed neque DEUS potest esse causa per se principiorum necessariò determinantium ad errorem; sic enim esset causa mediata per se erroris. Verbò: DEUS non potest intendere, & per media necessaria, contra, vel præter exigentiam omnis creaturæ, causare errorem.

69. Ob. 6. DEUS potest conservare accidentia Evcharistica sine subjecto: sed sic decipiuntur homines: ergo. Confirm. DEUS potest etiam conservare visionem sine objecto: sed tunc causat errorem in existimante, objectum esse præsens, cum absit: ergo. Resp. dist. mi. decipiuntur homines per accidens, ratione ignorantia, vel infidelitatis. conc. mi. ex intentione, & determinatione DEI. neg. mi. & conf. DEUS miraculum Evcharisticum sufficienter manifestavit per fidem: si hæretici id credere nolunt, sibi impudent, non DEO. Quodsi alius etiam decipiatur, id fit, non per se ex intentione DEI, sed ratione ignorantia, quam DEUS justè permittit: quæ ignorantia, saltem per se sola, etiam minimè determinat ad falsum iudicium, sed tantum ad negationem scientiæ.

Sic etiam ob distantiam solis, plurimi habent falsum iudicium de ejus magnitudine, & philosophi de plurimis effectibus, ac eorum causis, habent falsas idæas, vel sententias, quin DEUS sit positiva causa erroris. Ad confirm. vel visio omnino necessariò exigat præsentiam objecti: & DEUS non potest causare errorem.

talem visionem infundere, quin saltem miraculum manifestet, ut dictum de accidentibus Eucharisticis: vel visio non omnino necessario exigit presentiam objecti: & DEUS non causat, sed tantum permittit eo facto errorem: & sub hac distinctione in forma conc. vel neg. ma. aut mi. & conf.

70. Ob. 7. DEUS potest privare hominem usu rationis: ergo potest etiam eum leviter decipere. Confir. DEUS potest conservare habitum erroneum: ergo etiam infundere. Resp. conc. ant. neg. conf. Ex priori nihil redundat indecentia in DEUM: at verò ex posteriori: quamvis autem homini minus noxius sit error levis, quam privatio totius rationis, non ideo unum magis decet DEUM quam alterum; neque in his est attendenda hominis utilitas, sed DEI perfectio. Ad confirm. dist. ant. DEUS potest conservare habitum erroneum, ut causa universalis, & juxta exigentiam creaturarum, specierum, vel alterius rei. conc. ant. ut causa particularis per se talis, contra, vel præter exigentiam creaturarum. neg. ant. & conf. Pariter DEUS ut causa universalis potest etiam causare errorem ad exigentiam creaturarum, quando ab his ad illum producendum determinatur.

71. Ob. 8. Christus Luca. 24. apparuit discipulis in Emaus euntibus specie peregrini, & Joan. 20. Magdalenæ specie hortulani, qualis non erat: ergo eos in errorem induxit: ergo Christus, seu DEUS potest per se causare errorem. Resp. conc. ant. neg. conf. Christus discipulos non induxit in errorem: sed hunc tantum permittit. Habuit Christus jus ad se occultandum; unde, sicut potest aliquis ad se occultandum alias vestes induere, ne agnoscat, ita & Christus potuit inducere aliud exterius schema, ex quo discipuli per accidens respectu intentionis Christi Domini fuere decepti. Ille tantum voluit, pro aliquo tempore ex rationabilissimo fine non agnosci: illi judicaverunt, eum esse alium: quod Christus non intendit, sed permittit. Adde, quod alii dicunt, illam apparentiam exterioriorem fuisse allegoricam, & in sensu allegorico Christum fuisse peregrinum, ac hortulanum: nec sensum allegoricum esse mendacem, aut decipientem.

72. Ob. 9. Potest DEUS præcipere homini, ut eliciat errorem: ergo etiam potest eidem errorem infundere. ant. prob. si rusticus e. g. parochus aliquid falsum proponit, tanquam articulum fidei, & rusticus, qui non habet ullam rationem dubitandi, putat, se debere huic falsitati assentiri: in hoc casu conscientia erronea, præcipit DEUS, ut eliciatur assensus circa rem falsam, seu præcipit errorem: ergo. Hoc argumentum est Arriagæ, & Lugonis nobis contrariorum: sed inprimis retorquetur argumentum. Ponamus rusticum invincibiliter credere, se debere mentiri ad salvandam vitam proximi: in hoc casu juxta adversarios etiam præcipit DEUS illi mendacium, & quidem formale: nunquid etiam poterit DEUS eum determinare ad

mendacium formale, vel poterit DEUS illud ipsi infundere?

Resp. 2. directe. dist. ant. potest DEUS homini præcipere directe, & per se, ut eliciat errorem. neg. ant. indirecte, & per accidens. om. ant. & neg. conf. ad prob. dist. iterum ant. DEUS præcipit per accidens, ut eliciat talem assensum. conc. ant. præcipit id per se. neg. ant. & sub eadem dist. conc. vel neg. conf. Et quidem, si in eo casu DEUS assensum præcipit, non præcipit assensum, seu actum fidei supernaturalis; hic enim est impossibilis circa falsitatem: sed tantum præcipit actum fidei naturalis, vel assensum naturalem.

73. Duplex est circa hoc Theologorum opinio. Quidam cum Esparza, Rhodes, Lugo, & aliis, dicunt, in eo casu erroneæ conscientia, DEUM per accidens præcipere, ut faciamus, quod dicitur conscientia erronea; quatenus nempe nobis dedit lumen rationis, simulque voluit, ut nihil faciamus, quod conscientia dicat, non esse faciendum: & licet ista aliquando per accidens erret, dictando, ut faciamus aliquid materialiter malum, tamen DEUS voluit, ut illud faciamus. Et in hoc casu, ait Rhodes, rem illam non esse prohibitam, (intellige formaliter) quoad illum, qui erroneæ conscientia laborat; nam ait hic auctor, mendacium e. g. non esse prohibitum, nisi ut agnitum, vel (ut excludatur ignorantia vincibilis) ut potens agnosci contrarium rationi. Et ratio horum auctorum ulterior est; quia objectum non specificat actum, prout est in se, sed prout est in intellectu, ut docet S. Thomas. 1. 2. q. 19. a. 5. in corp. ubi sic habet: *Voluntas discordans à ratione, vel conscientia errante, est mala aliquo modo propter objectum, à quo bonitas, vel malitia voluntatis dependet: non autem propter objectum secundum sui naturam, sed secundum quod per accidens à ratione apprehenditur ut bonum, vel malum, ad faciendum, vel advertendum: & quia objectum voluntatis est id, quod proponitur à ratione, ut dictum est.* ergo sicut, si objectum materialiter bonum representatur per intellectum ut malum, actus illud amplectens est malus, & prohibitus à DEO; ita si objectum materialiter malum representatur ut bonum, actus illud amplectens erit bonus, & à DEO saltem per accidens præceptus.

74. Alii autem auctores cum Ruiz docent, quod DEUS in casu conscientia erroneæ actum non præcipiat, sed quod tantum homo invincibiliter judicet, eum à DEO esse præceptum; unde excusatur quidem talis homo à malitia actus, sed non propterea videtur tamen debere dicere, quod DEUS mediate præcipiat eum actum; nam certe talis, omittendo actum materialiter malum, contra conscientiam erroneam eum præcipientem, peccat: & eodem modo etiam peccat, ponendo actum materialiter bonum, contra conscientiam erroneam eum prohibentem: ergo, ut diximus *tr. de act. human.*

n. 219. agit contra aliquod præceptum DEI. Non est autem ulla ratio absurda, quod DEUS per accidens imperet talem actum; DEUS per accidens non est causa per se illius actus; sed tantum causa per accidens; nam in tali casu tantum est causa per se præcipiens, ut nihil fiat contra id, quod existimatur à DEO prohibitum: hoc autem præcipitur à DEO prohibitum: hoc autem præcipere, vel causare, est honestum; nam facere contrarium, seu facere id, quod existimatur à DEO prohibitum, est virtualiter negligere, & postponere, seu contemnere voluntatem DEI præcipientem, quod utique est inhonestum.

75. Pariter divisi sunt auctores, an, qui aliquid materialiter malum facit, putans ad id se obligatum, non tantum excusetur à peccato, sed etiam eliciat actum bonum, & meritum coram DEO, e. g. rusticus ex conscientia erronea credens, se obligatum ad mentendum pro salute proximi conservanda: & idem est, si quis ex conscientia erronea judicet, se obligari ad aliquid omittendum, ad quod nequiquam per se obligatur, e. g. si rusticus erroneè existimet, se debere die jejunii abstinere à sumenda medicina, ad vitam nunc conservandam summè necessaria, ad quam in hoc casu sumendam jure naturali obligatur.

S. Bonaventura, Ruiz, Thyrsus, & alii negant, talem aliquid mereri, ex eo capite, quod bonum debeat esse ex integra causa, & malum sit ex quocunque defectu; unde, quando actus est materialiter malus, putant, non esse meritum: & videtur huic opinioni etiam favere S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 6. ad 1. Videtur tamen aliqui ex his auctoribus admittere, quod in tali casu pia affectio prævia, & imperans talem actum, possit esse meritoria. Alii verò putant, talem actum esse actum virtutis, adeoque meritum. Ita Oviedo *in 1. 2. tr. 5. contr. 2. p. 1. n. 5.* Rhodes *disp. 2. de actibus humanis. quest. 2. sect. 2. ad. 2.* Esparza *l. 3. de act. human. quest. 24. art. 3.* Layman *l. 1. tr. 1. cap. 3. n. 2.* ubi ait, talem actum esse bonum; quia tendit ad finem bonum, scilicet ad amorem, vel cultum DEI &c. quamvis deficiat in mediis, qui tamen defectus excusetur ob ignorantiam.

76. Dicunt autem hi auctores, non esse paritatem inter actus intellectus, & actus voluntatis; nam illorum objectum est veritas: & hinc, ut sint in sua ratione boni, debent eam attingere; unde nec actus fidei supernaturalis, imò nec alius supernaturalis actus intellectus, potest esse falsus. At actum voluntatis, seu moralium, etiam supernaturalium, objectum non est veritas, sed bonitas, & hæc quidem non tantum, ut est materialis in se, sed etiam, ut est representata per actum intellectus: potestque dirigi actus moralis hoc judicio prævio verissimo: *Quidquid conscientia invincibiliter dicitur faciendum, bene fit: sed dicitur, nunc hanc actionem, vel ejus omissionem, esse ponendam:* ergo: ubi major, & minor est certa.

Unde ait Rhodes, bonum debere esse

ex integra causa, vel verè tali, vel tali invincibiliter existimata. Stat pro hac sententia etiam Sanchez *l. 1. in decal. c. 11. n. 17.* citans Azor, Salas, Corduba, vultque, etiam S. Thomam non esse contrarium huic sententia; eoquod quidem doceat, actum contra conscientiam elicitum semper esse malum, non autem doceat, actum elicitum juxta illam conscientiam, semper esse non bonum: sed tantum doceat, non semper esse bonum, quod ait S. Doctorem dicere propter conscientiam vincibiliter errantem, cui licet actus sit conformis, non tamen est bonus. Favet quoque Arriaga *tr. de act. human. disp. 22. sect. 4.* ubi se refert ad *sect. 5.* in cuius *subsect. 3. n. 38.* ait, actum morale dirigibilem syllogismo, seu discursu, qualem modò posuimus.

77. Et sanè contingere potest, ut conscientia erronea dicat faciendum aliquid valde arduum, e. g. ut quis cum magno damno suo, vel magno saltem lucro cessante, debeat mentiri ad servandam vitam proximi: vel ut debeat odisse aliquid, ad quod amandum valde inclinaretur: vel debeat reddere debitum conjugale existimata uxori, à qua alias valde magnum horrorem, & averfionem naturalem habet: vel debeat die jejunii abstinere à medicina cum periculo vitæ: durum autem videtur, talem hominem nihil mereri, nisi fortè per actum prævium imperantem.

Id facilius tamen capiam, quod per assensum hæresi factum, etsi difficilem, non acquiratur meritum; cum enim assensus sit falsus, nec supernaturalis, nec meritorius esse potest; nam habitus fidei influere non potest in falsitatem. Facilius etiam capiam, neminem mereri per mendacium; cum actus externus non augeat per se meritum, (ut dixi *tr. de act. human. n. 164.*) & intra mentem mendacium non detur. Quod si Auctores oppositi, admittentes piam affectionem præviam esse meritoriam, tantum velint, actus externos, materialiter malos, non esse meritorios, id facile concedam: at, si velint, tantum actum imperantem actus interni materialiter mali esse meritorium, nullum verò actum imperatum internum (nam & isti imperari possunt, ut est innegabile) tendentem ex optima intentione obediendi, vel placendi DEO, in aliquid materialiter malum, hæc sententia videtur satis difficilis.

Juxta hanc enim sententiam e. g. nil mereretur, qui sibi ex metu, ne peccatum contraheret, actum internum imperaret, e. g. intentionem, sua aestimatione optimam, abstinendi amore DEI à medicina summè necessaria, vel intentionem mentendi amore proximi propter DEUM, cum magno suo gravamine. Certè volitio, imperans exterius verba proferre, etsi prius ab alio actu fuisset imperata, vix videtur suo fraudandi merito: nec alii actus voluntatis imperati, etsi in objectum materialiter malum, invincibiliter tamen judicatum honestum, tendant. Sed, quidquid de tota hac questione

fit, quam ad eruditionem tantum pluribus examinavimus, nihil inde inferitur contra nostram doctrinam; nam non omnia, quæ DEUS potest per accidens præcipere, potest etiam intendere, ut patet ex retorisione n. 72. data: & possent dari similes plures. videatur etiam Gormaz. de virt. Theol. n. 760.

ARTICULUS V.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

78. **O**B. de restrictionibus, & æquivocationibus ulterius. 10. contra. 4. illationem. Plura DEUS dixit in Sacris Scripturis, vel certè auctor fuit, ut dicerentur ab aliis, quæ vera esse non possunt sine restrictione purè mentali: ergo. ant. prob. Primò. *Joan. 7. v. 8.* Christus dixit: *Non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est:* & tamen postea ascendit. Secundò. Idem Dominus discipulis dixit *Marci 13. v. 32. De die autem isto (judicii extremi) vel hora nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater:* cum tamen eum diem ipse sciverit etiam ut homo. Tertio. *Genes. 22.* Abraham dicit servis: *Ego, & puer illic usque properantes, postquam adoraverimus, revertentur ad vos;* cum tamen iret, animo Isaacum in monte in holocaustum offerendi, adeoque eum ibi comburendi. Quarto. *Joseph. Gen. 42. v. 16.* jurat, & ait: *Per salutem Pharaonis: exploratores estis:* quos tamen sciebat esse fratres suos, & pro solis alimentis adisse Egyptum. Quintò. *Tob. 5. v. 18.* Angelus Kaphael ait: *Ego sum Azarias Anania magni filius.* Sextò. *Gen. 27. v. 19.* Jacob dicit ad Isaac. *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Septimò. *Judith. 11. v. 12.* ait ipsa Holoferni de Judæis: *Certum est, quod in perditionem dabuntur:* & infra: *v. 13. Misi me Dominus, hac ipsa nunciare tibi: & v. 15. Ego adducam te per mediam Jerusalem, & habebis omnem populum Israël, sicut oves, quibus non est pastor.* Octavo. *Exodi 1. v. 19.* obstetrices Pharaoni querenti, cur non necassent parvulos Hebræorum, responderunt, se non vocari ad parientes Hebræas: & tamen ipsæ servabant pueros: & additur. *v. 20. Bene ergo fecit. DEUS obstetricibus . . . & adificavit eis domus.* Plura hujusmodi exempla ex Sacris Scripturis adducit Melchior Canus de locis Theol. l. 2. c. 2. quibus doctissime respondet eod. l. 2. c. 4.

79. Resp. neg. ant. Nunquam in Scripturis restrictio purè mentalis approbatur, sed tantum æquivocatio, vel amphibologia, quæ ex aliquo signo externo, vel circumstantiis extrinsecis, aut modo loquendi non ita obvio, possunt intelligi, quæque licitæ sunt, quando necessitas est, vel certè gravis causa veritatem occultandi, qualis sæpe occurrit, e. g. in confessario circa noticiam ex confessione habitam, in consiliariis obligatis ad secretum &c. & tamen nulla esset causa

justa celandi veritatem, tunc neque licitæ forent istæ æquivocationes, aut amphibologia.

Ut enim rectè Gormaz de virt. Theol. n. 380. sicut non licet intendere deceptionem proximi, ita neque licet facere sine causa justa id, ex quo moraliter sequitur deceptio ejusdem proximi. Et videtur jure gentium receptum, ut verba sumantur juxta generalem modum loquendi; si non adit justa causa celandi veritatem. Multò minus istud licet, quando legitima potestati interroganti in re gravi, parendum est sub culpa. Attamen, quando habeo legitimam causam veritatem occultandi, & verba, cum suis circumstantiis sumpta, duplicem sensum faciunt, possum ego intendere unum, & permittere, ut audiens accipiat alterum.

80. Æquivocationes autem, vel amphibologiae licitæ sunt variæ, suppositæ semper causâ justâ celandi veritatem. 1. si verbum sit æquivocum: v. g. glossa ponit exemplum hoc: *Non est hic:* ut ego intelligam: *Non comedit hic:* et si alter intelligat: *Non est presens hic:* 2. quando verba in communi usu hominum habent aliam, quàm ab institutoribus acceptam significationem. e. g. communiter *nescio* significat carentiam noticiæ etiam probabilis: ex prima autem institutione significat tantum carentiam noticiæ certæ, vel evidentis; unde, etsi probabiliter aliquid nōris, si non certò scias, absque mendacio dicis: *nescio.* Et hoc vel maxime debet dicere confessarius, interrogatus aliquid ex confessione.

Item 3. sæpe respondetur ad mentem interrogantis, e. g. si quis petat pecunias mutuas, respondes sine mendacio, te non habere, quando non habes, nisi tibi summe necessarias; nam interrogans, non quarit de his, sed de aliis, quas possis dare mutuas. 4. Aliquando verba aliud significant ratione additi signi exterioris, quod adverti possit, licet audiens non advertat. 5. Aliquando verba sunt hyperbolica, aliquando metaphorica, modò metaphoræ non sint nimis remotæ, ita ut non intelligi queant. 6. Aliquando verba non significant id, quod prima fronte significare videntur; quia alia est communis eorum interpretatio, ut illa: *servus obstrictissimus, paratissimus &c.* 7. Aliquando responsio est indirecta, aliquid verum dicens, aliam partem tacens. 8. Aliquando responsio nihil affirmat, nihil negat, e. g. si querenti, an hoc, vel illud habeat, respondes: *Gauderem, si haberem.* Et simili alioquo modo explicare oportet dicta Scripturæ.

81. Igitur ad 1. Christus *Joan. 7. v. 8.* rectè dixit, se tunc non ascendere; nam non tunc, sed postea ascendit; licet Judæi ea verba alio in sensu, in quo juxta satis communem hominum acceptionem significabant, eum nec postea ascensurum, acceperint. ita S. Augustinus l. quæst. vet. & novæ testam. q. 78. Addit S. Pater ibi aliam quodam responsionem. Bona est etiam scilicet

Christum locutum fuisse ad mentem interrogantium, qui interrogabant de ascensu palam, & solemniter faciendo; nam dicebant, eum debere se ostentare discipulis suis: quo modo teste Evangelista non ascendit. Sic sæpe dicimus: *Non accedon prius:* quod non significat, non accedere ullo modo templum, ubi celebrantur: sed tantum negat publicum comitatum &c.

82. Ad 2. Spondanus ad an. Chri. 563. n. 1. ait, fuisse hæreticos quosdam *Agnostas*, qui dixerint, Christum ut hominem nescisse penitus diem iudicii; unde non solvitur argumentum, dicendo, Christum ibi locutum fuisse de se ut homine: & sanè, ut Belarminus tom. 1. contro. 2. de Christo. l. 4. c. 5. rectè docet, Christus confitutus est iudex omnium, & præterea in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ DEI; hinc illi negari non potest omnis scientia. Quare idem Cardinalis loc. cit. post alias responsiones improbatas, subjungit ex SS. Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, Augustino, item Theophylacto, hanc solutionem, Christum scilicet nescisse illum diem scientia communicabili, seu ita, ut suam noticiam de illa die aliis communicaret.

Hæc autem restrictio, à Christo subintellecta, potuit colligi ex circumstantiis externis; nam inprimis Christus Dominus per hoc responsum volebat dare causam; quare id non diceret. Secundò Christus satis alibi manifestavit discipulis, quòd, quando loquendo cum ipsis diceret, se scire aliquid, præsertim in ordine ad ipsos, semper intelligeret scientiam communicabilem, vel utilem ad manifestandum; nam *Joan. 15. v. 15.* dicit: *Omnia, quæcumque audivi à Patre meo (hoc est, scivi; nam quidquid audivit, scivit) nota feci vobis:* attamen non omnia, quæ Christus scivit, etiam Apostolis indicavit: sed tantum, quæ Pater volebat, & ipsos scire conveniebat: imò tantum illa, quæ scire debebant pro eo tempore; nam idem Dominus *Joan. 16. v. 12.* subjungit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Imò promisit, Spiritum Sanctum ipsos adhuc docturum quam plurima; unde in illis saltem circumstantiis hæc dictio *nescio*, non significabat omnimodam nescientiam, sed tantum negationem scientiæ communicabilis.

Tertio hæc vox *nescio*, quando à Scripturis tribuitur DEO, nunquam significat strictè dictam nescientiam: igitur, cum Christo etiam ut homini debeamus concedere omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, debet vox *nescio*, etiam, dum ipsi tribuitur, minus strictè accipi; præsertim cum Apostoli utique tunc sciverint, Christum esse DEUM, nec eum tantum ut hominem; sed etiam ut DEUM, sive ut totum Christum, videantur interrogasse: & modò ipsis dixisset, sive ut DEUS, sive ut homo, ipsi contentissimi fuissent. Quare utique potuerunt colligere, hanc vocem *nescio* in Christo non significare omnimodam nescientiam: & cum scirent, ipsum simul esse DEUM, incapacem omnimodæ nescientiæ, collegerunt, eum tan-

tum loqui de negatione scientiæ communicabilis. Arriaga de fide disp. 1. sect. 5. n. 76. ait, hanc vocem *nescio*, in rebus gravioribus, & occultandis, jam ex usu significare negationem scientiæ communicabilis: & idem censet Lugo de fide disp. 4. sec. 5. n. 64.

Quartò, sicut quando DEUS dixit *Gen. 22. v. 12. Nunc cognovi, quòd times DEUM:* id explicatur, nec, quòd DEUS tunc primum cognoverit (non enim prius ignoravit) sed, quòd alios cognoscere fecerit: ita etiam illud *nescire* potest intelligi, quòd alios *nescire* fecerit: & sic expressè explicat S. Augustinus. l. 83. *questionum quæst. 60.* ubi ait: *Quòd dictum est nescire filium, sic dictum esse; quia facit nescire homines.* Similiter l. 1. de Trinit. c. 12. sic ait: *Hoc enim nescit, quòd nescientes facit, id est, quòd non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret.*

Ad 3. Abraham non est mentitus; quia certò sperabat, Isaacum, etsi esset à se comburendus, tamen iterum à DEO rescuscitandum; sic enim ait Apostolus ad Hebr. 11. v. 17. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerrebat, qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est DEUS.* Ad 4. Illud estis significat idem, ac *habebimini*, seu tractabimini, sicut exploratores: sicut scilicet 3. Reg. 18. v. 24. dicitur: *DEUS, qui exaudierit per ignem, ipse sit DEUS.* hoc est, habeatur, & colatur ut DEUS.

83. Ad 5. Voces illæ Hebrææ *Ananias, Azarias*, & erant nomina propria, & simul poterant esse appellativa, ut vel significarent personam aliquam hominis, vel aliquam aliam rem; nam *Azarias* appellativè significat *auxilium Domini*, & *Ananias nubem Domini*. Advertit etiam Salianus ad an. mundi 3220. vocem *Azarias* sæpius aliis nominibus substitui, vel saltem addi honoris causâ: & exemplis ostendit, quòd aliqui in Scriptura appellantur *Azarias*, licet alibi aliter vocentur; unde appellativè significabant illa verba: *Ego sum auxilium Domini, filius nubis Domini:* per quam nubem S. Ambrosius DEUM Patrem indigetari vult. Ista autem vox *nubis Domini* utique metaphorice accipi debet; cum rationalis creatura ex nube propriè dicta nasci non possit: quòd facile advertisset Tobias, si ad sensum appellativum attendere voluisset. Sensus ergo ab Angelo intentus, sed à Tobia non attentus, nec perceptus, est: *Ego sum auxiliator à Domino, filius adoptivus DEI.* Sic qui diceretur Mariophilus, & Beata Virginem non amaret, posset dici, non esse Mariophilus: & si malus princeps voceretur Aristarchus (quòd græcè significat optimum principem) posset dici, non esse Aristarchus.

84. Ad 6. Quando Jacob dixit, se esse primogenitum Esau, Salianus in *annal. ad an. mundi 2276. n. 7.* non veretur admittere eum plerique, ut ait, viris, pietate, & eruditione præstantibus, Jacobum leviter esse mentitum; quia licet primogenita emiserit

ab Esau edulio lentis, itémque ex destinatione Divina primogenitus suo modo factus, seu fratri prælatus fuisset, juxta illud *Gen. 25. v. 23. Major serviet minori* (ex quibus apparet, eum contra Esau injustitiam non commississe) tamen Esau non erat. Quodsi hoc admittatur, scilicet Jacobum dixisse mendacium, utique non DEO auctore, vel hortante, sed tantum permittente locutus, aut mentitus fuit. Alii autem cum S. Augustino. *l. contra mendacium. c. 10.* & Innocentio III. *c. Gaudemus. de divoritiis.* volunt, Jacobum metaphorice, vel mysticè locutum, per similitudinem, vel allegoriam, in quo sensu allegorico erat primogenitus; quatenus figurabat Christum, in cujus corpore, seu Ecclesia, sunt primi novissimi, & novissimi primi: & gentiles, qui posterius ad Ecclesiam accedunt, Judæis tamen primatum auferunt. Et hoc, Innocentius *cit. cap. sentit*, Jacobum didicisse ex revelatione Divina.

85. Ad 7. Apud Sallianum *ad annum mundi 3346. n. 87.* Juditham non excusant à veniali mendacio graves auctores: at ipse Sallianus ait, à Judith multa dicta per æquivocationem, quæ mendacium non est. Potest etiam dici, illa verba, quibus Judith futurum Judæorum excidium asseruit, fuisse comminatoria, quemadmodum fuit prophetia Jonæ de subversione Ninive: in comminationibus autem, etiam Divinis, sæpe intelligitur: *Nisi emendatio secuta fuerit, vel alia circumstantia veniam causantes intercurrerint.* Ad id autem comminatoriè dicendum potuit DEUS Juditham mittere. Holofernes, etsi non vivus, potuit tamen adduci in Jerusalem saltem mortuus: & videtur id factum, quando ob hanc victoriam celebraverunt ibi Judæi festivitatem: ubi utique accurrerint Judæi spectatores, tanquam grex ovium inordinatus sine pastore.

86. Ad 8. Si dicere velis, obstetrices Ægyptias fuisse officiosè mentitas, habebis assentientes plures interpretes, teste Salliano *ad ann. mundi 2463. n. 2.* Nec tamen propter mendacium, sed propter opus bonum prævium, eas DEUS est remuneratus; nam opus bonum propter sequens, imò etiam committans peccatum veniale, non perdit rationem meriti. Facile tamen excusari possunt et obstetrices à mendacio; nam indirectè responderunt: & utique aliqua femina Hebræa noverint artem obstetricandi, & pepererint, ante adventum obstetricum Ægyptiarum: quanquam non omnes Hebrææ mulieres pepererint absque interventu harum obstetricum, & etiam istæ aliquot infantulos servaverint: quod non negarunt, sed tacerunt.

87. Ob. 11. contra 5. illat. Restrictio mentalis est illicita: ergo etiam est illicita æquivocatio: prob. conf. non magis una est contra commercium humanum, quam altera: ergo. Confirm. 1. Æquivocatio non minus reddit fidem incertam, quam restrictio mentalis: ergo nec una, nec altera, potest adhiberi à DEO. Confirm. 2. DEUS æquivocans non esset summè sinceritatis;

nam majoris foret, si clarè loqueretur: ergo non esset summè perfectus. Resp. neg. conf. ad probat. om. ant. neg. conf. non enim nos illam rationem assignamus; nec enim restrictio mentalis, ut ait Cardenas *in prop. Innot. XI. dissert. 19. c. 3. à n. 29.* illicita est; quia tolleretur commercium humanum (nam ex hoc capite tantum licita non esset ubique, & si ne gravi causa celandi veritatem: insuper sæpè ad commercium humanum servandum prodesset; nam etiam ad hoc necessaria est observatio secreti, ad quam restrictio conduceret) sed ex alia ratione, quam dedimus *n. 57.*

Ad 1. confirm. neg. ant. nam fides Theologica non versatur circa sensum revelationis dubium, sed circa clarum; nec tenemur credere explicitè, quæ non sunt sufficienter clarè proposita; unde, si DEUS æquivocè loqueretur, non vellet nos credere, sed potius vellet celare veritatem: nisi tamen per conscientiam erroneam existimarem, nos esse obligatos ad aliquid credendum, quod reverà falsum esset, & DEUS non intendisset credendum: quo casu per accidens, vel mediatè DEUS obligaret nos ad assensum aliquem præstandum, ut diximus, *n. 72. & seq.* Ad 2. confirm. neg. ant. nam ad summam sinceritatem non spectat revelatio omnis secreti; hæc enim potest esse vitiosa; unde DEUS etiam summè sincerus ex certis causis potest celare aliquam veritatem.

88. Ob. 12. Aliquæ Scripturæ e. g. Apocalypsis, vel Ezechielis, aut etiam Danielis prophetiæ, sunt ita obscuræ, ut à nullo interprete certò intelligi queant: ergo debent esse restrictiones mentales, vel æquivocationes, adeoque istæ debent per se esse licitæ. Resp. neg. conf. nam etiam, si quis loquitur alteri lingua ignotà, non propterea mentalem restrictionem adhibet. Ad summum potest objici, quòd tales locutiones sint inutiles: at reponi facillimè potest, habere sapientissimum DEUM nimis multas rationes obscurè loquendi. 1. ne sacra eloquia nimia claritate vilescant. 2. ut homines iis scrutandis majore se diligentia applicent, majore etiam cordis puritate ad recipiendum lumen Divinum se præparent. 3. ut per recursum ad DEUM, vel Apostolicæ Sedis oracula, submissio animi, & obedientia exercentur. 4. quandoque DEUS etiam vult mysteria non ante certum tempus evolvi. Interim, licèt interpretes discrepent, probabilissimè tamen non omnes errant: sed aliqui aliquos, alii alios sensus penetrant. Sufficit autem, si aliqui, etsi non evidenter, verum Scripturæ sensum percipiunt: præsertim in iis, quorum noticia clarior non est ad salutem necessaria.



ARTICULUS VI.

An Deus patrare, vel saltem permittere possit miracula in testimonium falsitatis.

89. Dico. Non potest DEUS patrare vera miracula in confirmationem falsæ doctrinæ. ita communissima. Probatur. Vera miracula sunt opera extraordinaria, vel absolute, vel certè in circumstantiis, in quibus sunt, superantia vires totius naturæ creatæ: ergo sunt opera propria DEI, saltem tanquam causæ principalis; quiddid sit, an creatura divinitus elevari possit, ut sit causa instrumentalis: ergo, quando DEUS miracula facit, in contestationem alicujus rei à se dictæ, seu testimonii sui, illa sunt quasi sigillum, quo DEUS obsignat testimonium suum; hinc sæpius appellantur à Patribus, & Scholasticis, sigillum DEI: sic S. Thomas *3. p. q. 43. a. 1. in corp.* ea comparat annulo regis, quo obsignantur literæ regiæ: imò ipsa Scriptura sic loquitur *Marc. 16. v. 20. Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: item ad Hebr. 2. v. 4. Conspicente DEO signis, & portentis: ergo, si DEUS patraret vera miracula in confirmationem falsæ doctrinæ, se haberet, ac si huic apprimeret suum sigillum, & atque isto eam confirmaret: sed hoc esset saltem virtuale mendacium, & approbatio erroris, utique DEO repugnans: ergo.*

90. Confirm. Scripturæ, Patres, Doctores, & communis sensus omnium hominum, semper docuerunt, vel censuerunt, vera miracula in confirmationem doctrinæ alicujus à DEO patrata, esse signum, quòd doctrina illa sit à DEO tradita: ergo, si DEUS ea patraret in confirmationem falsitatis, mundum deciperet: hoc dicere est blasphemum: ergo. ant. prob. 1. ex Scripturis. *Joan. 5. v. 36.* dicit Christus: *Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me: quasi diceret, de me tanquam docente veram legem Divinam. & Joan. 10. v. 38. Si mihi non vultis credere, operibus credite.* rursus *Joan. 11.* Christus Lazarum resuscitans addit, illum mortuum resuscitari, ut credant Judæi, quòd sit missus à DEO, sic dicens *v. 42. Sed propter populum, qui circumstant, dixi, ut credant, quia tunc missi.*

Ex SS. PP. Augustinus. *ep. 49. q. 6.* sic ait: *Nam sicut humana consuetudo verbis, ita Divina potentia etiam factis loquitur: & sicut sermoni humano verba nova, vel minus usitata, moderatè, ac decenter aspersa, splendorem addunt: ita in factis mirabilibus, congruenter aliquid significantibus, quodanmodo luculentior est Divina eloquentia.* Richardus à S. Victore *l. 1. de Trinitate. c. 2.* ait: *Domine, si error est, à te ipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis & prodigiis, confirmata sunt, & talibus,*

quæ non nisi per te fieri possunt: ergo supponunt, doctrinam miraculis veris, quæ solus DEUS facere potest, confirmatam, non posse fallere, nisi DEUS falleret, quod impossibile est.

91. Quòd autem etiam communis sensus omnium hominum pro nobis stet, & quòd quasi lumine naturæ omnes gentes ex veris miraculis inferant veritatem doctrinæ, per ea confirmatæ, negari non potest; nam etiam Ægyptii magi, postquam miracula Moysis vera esse debuerunt agnoscere, dixerunt *Exodi 8. v. 19. Digimus DEI est hic.* Sic gentiles alii omnes, qui viderunt, & agnoverunt, miracula Christianorum esse tam grandia, atque verissima, inde intulerunt, legem illam datam esse à DEO: nec ullus somniavit, ut diceret, esse vera miracula, & tamen legem, in cujus gratiam facta sunt, non esse veram: sed citius, quanquam imprudentissimè, negarunt, ea esse vera miracula. Sic Judæi etiam à Christo signa, seu miracula petierunt.

Dein omnes pessimi quoque seductores, fixerunt saltem miracula, ut auctoritatè DEI suam doctrinam firmari confingerent; nam & Machometes, ac postea Lutherus, & Calvinus, miracula patrare conati sunt: sed infelici successu: ita teste Hazardo *in historia Mogorica. p. 2. c. 9.* Machometani aliud de suo pseudo-propheta referre non poterunt, quam eum lanam à cælo lapsum, & contractam, denuo integritati suæ restituisse: cujus asserti insulsiſsimam absurditatem vel bardì omnes facile agnoscent, & rident. Teste Staphilo Lutherus, dum voluit liberare obsessam à dæmone, vix non fuit occisus: aliàs autem suffocatum in aquis frustraneo clamore ad vitam revocare tentavit, à spectantibus meritò irrisus: Calvinus verò paradoxo sanè prodigio, qualia vel latrones omnes facere norunt, è vivente mortuum fecit. vide Bellarminum *tom. 2. contr. gener. l. 4. de notis Eccles. c. 14.* ergo quasi lumine naturæ, & communissimo consensu, omnes agnoscent, vera miracula esse signa attestationis Divinæ, quæ falsitati tribui nequaquam potest.

92. Dico, 2. DEUS neque permittere potest, ut quis possit abuti virtute patrandi miracula, ad confirmandam falsam doctrinam, saltem quando nemo illum abusus prudenter posset agnoscere, vel suspicari. ita rē ipsa post S. Thomam, Scotum, Bellarminum, Toletum, alii communiter. Explico conclusionem. Vel ponitur, quòd creatura, per aliquam virtutem instrumentalem à DEO acceptam, etiam influat in miraculum: & tunc dico, quòd, etsi DEUS alicui, prius vera doctenti, dedisset virtutem patrandi mira, si talis postea doceret falsum, non posset ea virtute uti, nec DEUS posset eum ipso concurrere: & ex eadem ratione dico, quòd DEUS non posset, eam virtutem alicui primò concedere ad confirmandum falsum. Vel ponitur, quòd creatura non influat in miraculum, sed solus DEUS, ad instantiam tamen creaturæ illud operetur: & tunc dico,

co, quòd DEUS non possit in iis circumstantiis ad instantiam talis creaturæ mira operari. Probatur jam conclusio. Vera miracula, in iis circumstantiis edita, in quibus nemo possit agnoscere, vel suspicari, a liquem abuti virtute patrandi miracula, ad confirmationem falsitatis, prudentissimè judicarentur ab omnibus, esse signum, & sigillum auctoritatis Divinæ: adeoque DEO attribueretur doctrina, illis miraculis confirmata: sed DEUS non potest permittere, ut prouderet sibi possit attribui doctrina falsa; aliàs homines in errorem induceret: ergo. Confirm. Si rex sciret, quòd minister ipsius falsum scripsisset, & ipse tamen sigillum suum apprimeret, certè ab omnibus imputaretur regi illa falsitas, regio sigillo firmata: & omnes dicerentur ab eo decepti: ergo à pari, si DEUS falsitati jungeret vera miracula, quæ sunt quasi sigillum DEI, tribueretur falsitas DEO.

93. Alia quæstio est, an DEUS possit permittere talem abusum virtutis thavmaguræ, vel an ipse possit miracula facere in iis circumstantiis, in quibus quidem videri posset prima fronte confirmari falsum: interim tamen homines prudenter suspicari possent, DEUM iis miraculis non intendere confirmationem doctrinæ falsæ, sed aliquid aliud. Circa hanc quæstionem imprimis teste Ripalda communiter ab omnibus dicitur, quòd in hac providentia DEUS id nunquam faciat, aut permittat; nam SS. Patres, & Catholici, communiter negant, unquam ullum verum miraculum ab ullo impostore jam per tot sæcula esse patratum, vel deinceps patrandum: & præstigtias Antichristi (quæ tamen maximam speciem verorum prodigiorum habebunt) jam Apostolus prædixit, fore mendaces. 2. ad Thess. 2. v. 9. de eo scribens: *Cujus est adventus secundum operationem satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.* Experientia etiam monstrat, hæctenus nulla unquam à falsariis edita fuisse vera miracula, ut ostendit Bozsius, Valentia, Tannerus, & alii, ac jam primis temporibus Tertullianus.

Si autem ulterius quærat, an saltem in alia providentia DEUS possit, eum abusum sensibilem, seu suspicabilem permittere, respondet Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 31. sec. 2. §. Hac argumenta. & seq. Lugo de fide disp. 2. n. 24. Granadus, & alii, probabilis DEUM id posse; tunc enim, cum hominesprehendere, vel certè suspicari prudenter possent, quòd DEUS aliam intentionem haberet, nec falsum confirmare vellet, non posset ei falsitas ulla imputari. Sicut, si aliunde constaret, vel saltem prudens suspicio foret, quòd rex nollet aliquid confirmare, vel testificari, non obesset ejus veracitati, si minister perfidus ejus sigillo ad falsum confirmandum abuteretur.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

94. Ob. 1. Miracula de se sunt indifferentia ad significandum hoc, vel illud: ergo non ex natura sua, sed ex libera DEI assumptione, sunt signa locutionis Divinæ: ergo, si DEUS nollet illa assumere pro signo suæ locutionis, sed tantum ea faciat juxta voluntatem hominis, volentis per ea confirmare errorem suum, non sequitur, DEUM loqui falsum. Confirm. Sigillum de se antecederet ad assumptionem regis est indifferens, ut significet locutionem regis, vel alterius inferioris: ergo pariter miracula sunt indifferencia. Resp. dist. ant. Miracula de se sunt indifferentia ad significandum hoc, vel illud determinatè à DEO dictum. om. ant. ad significandum hoc, vel illud indeterminatè à DEO dictum. neg. ant. & dist. 1. conf. miracula non sunt ex natura sua signa locutionis Divinæ determinatè. om. conf. non sunt signa alicujus locutionis Divinæ indeterminatè. neg. 1. & 2. conf.

Esti miraculum, e. g. resuscitatio mortui, sit indifferens ad significandam, vel confirmandam locutionem DEI, potius de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, quam de Virginitate perpetua B. Virginis: tamen, ut supra probavimus, semper significant aliquam saltem locutionem Divinam: igitur, cum DEUS miracula facit, semper censetur aliquid loqui: & consequenter, si falsitas confirmaretur, censeretur DEUS loqui falsitatem. Imò etiam, in circumstantiis prudentis suspicionis, de opposita intentione DEI, tamen censeretur DEUS aliquid per miracula velle testari, quanquam non eam falsitatem, cui favere ea miracula viderentur: sed aliquid aliud fortè incognitum.

Omissi autem, quòd miracula non significant locutionem determinatam; nam possent esse miraculose illustraciones, quibus determinata aliqua DEI locutio confirmaretur. Ad confirm. conc. ant. de sigillo humano. neg. conf. nam miracula, cum superent vires totius naturæ creatæ, & DEUS sit principalis eorum causa, non sunt indifferentia, ad significandam locutionem Divinam, vel creatam: sed semper sunt determinata ad significandam saltem aliquam locutionem DEI, quamvis indeterminatè sumptam: quæ tamen indeterminatio aufertur per circumstantias, per quas miracula determinantur ad confirmandum id, quod tunc asseritur, & in ordine ad quod confirmandum tunc adhiberi miracula ab omnibus prudenter censentur; unde, si fierent ab eo, qui falsum docet, certè determinarentur, ut essent confirmatio falsitatis.

95. Ob. 2. Miracula sunt tantum testimonia physica veritatis, non moralia, hoc est, non significant mentem loquentis, sed tantum sunt aliqua argumenta veritatis, & testificantur de veritate, sicut effectus testificantur

An Deus patrare, vel saltem permittere possit miracula in testimonium falsitatis. 25

de sua causa: ergo non significant locutionem DEI moraliter. Hæc Ripalda aliquando obscuretur. Resp. Si miracula physice testarentur veritatem, sicut effectus testatur suam causam, deberent miracula habere physicam connexionem cum veritate: at non video, unde sit physica hæc connectio. Rursus, si miracula physice connecterentur cum veritate, deberet DEUS, in casu propostæ falsitatis, novo miraculo eam connexionem impedire, ut miracula possent fieri in circumstantiis falsitatis, in quibus non possent, esse physice connexa cum veritate: at quomodo hæc impeditio, vel hoc miraculum, connexionem cum veritate impediens, DEUM deceret? Dein, quidquid hæc sit, an miracula sint physice, vel moraliter, formalis locutio DEI, an non, saltem ex Scripturis, Patribus, & sensu communi, sufficienter probavimus, quòd miracula sint, moraliter saltem, confirmatio testimonii Divini, & consequenter DEUS censetur per ea confirmare aliquam suam locutionem: adeoque, si confirmaret locutionem falsam, censeretur illa falsitas DEO attribuenda. Unde omissio antecedente neg. conf.

96. Ob. 3. Si miracula sunt locutio DEI, tunc erunt objectum formale fidei: sed hoc dici non potest: ergo. prob. mi. miracula sunt evidentiæ: sed motivum fidei non potest esse evidens; aliàs fides non esset obscura: ergo. Resp. Nunquam dixi, miracula esse formalem locutionem DEI: sed tantum dixi, illa esse aliquam confirmationem locutionis Divinæ: & ad summum admisi, miracula esse virtuales locutionem DEI, quod non statim sufficit ad motivum fidei; nam ad hoc requiritur testimonium DEI formale; unde potius dicendum, quòd miracula sint confirmaciones testimonii Divini, & applicatio ejusdem ad nostrum intellectum.

Qui enim videt e. g. fieri miraculum, dum mysterium fidei e. g. resurrexerit Christi prædicatur, illi applicatur utique testimonium Divinum de resurrectione, quatenus talis cogitat, id debere esse à DEO revelatum, pro cuius veritate confirmandam miraculum sit. In forma dist. ma. si miracula sunt locutio aliqua DEI formalis, sunt objectum fidei. conc. ma. si sunt locutio tantum virtualis. neg. ma. & om. mi. neg. conf. ad prob. om. totum; quia nil probat contra nos, quamvis ma. & mi. sint omnino dubia: & minorem, quidem negabimus infra à n. 459. quando agemus de evidentiæ in attestante.

Major etiam, saltem universaliter sumpta, est falsa; nam sæpe miracula sunt auditu percepta, & non visa ab iis, quibus mysterium aliquod fidei credendum proponitur. Sæpe etiam non est evidens, an miracula non sint tantum ficta. Sæpe non est evidens, aut clarum, quid DEUS per ea velit testari, aut ad quem finem illa faciat. Ex hoc capite potuit dæmon carere notitia evidenti de mysterio incarnationis; quia DEUS potuit eum impedire, ne evidenter agnosceret

connexionem miraculorum cum revelatione, vel locutione Divina de incarnatione: vel etiam, ne cognosceret ipsam revelationem de hoc mysterio. Dixi carere notitia evidenti; nam morale aliquam certitudinem de eo mysterio, post tot patrata miracula, dæmoni multi authores concedunt.

Dices, Miracula sunt saltem constitutiva locutionis Divinæ ut confirmata: sed locutio Divina ita confirmata est motivum fidei: ergo etiam miracula sunt motivum fidei. Resp. dist. mi. locutio confirmata est motivum fidei quidditative sumpta. neg. mi. denominative sumpta. conc. mi. & neg. conf. Sensus distinctionis facile patet ex n. 13. sic etiam cognitio est pars locutionis Divinæ cognita, & locutio DEI cognita est objectum fidei (si enim non cognosceretur, non crederetur) non tamen propterea cognitio est objectum formale fidei, sed tantum applicatio.

97. Ob. 4. Qui habet donum prophetiæ, vel gratiam sanctorum &c. liber est, dum iis donis utitur, ad prædicandum verum, vel falsum: ergo potest etiam falsitatem confirmare miraculo. prob. ant. si non foret liber ad prædicandum falsum, prædicatio ejus non esset meritoria: sed est meritoria: ergo. Resp. neg. ant. licet enim talis, ante usum illius doni, vel etiam post illum, quando miraculum non censeretur amplius confirmare dicta sequentia, ad utrumque esset liber; non tamen foret liber in ipso usu, saltem in hac providentia: imò nec in alia extra casum prudentis suspicionis de alia intentione DEI, de quo supra n. 93. ad prob. neg. ma. sufficit enim ad meritum libertas contradictionis, hoc est, talis, ut quis possit committere omnem prædicationem; aliàs, cum Christus falsi nihil docere potuerit, sine merito prædicasset.

98. Ob. 5. Si DEUS revelaret Petro, eras facturum se miraculum, posset Petrus abuti ea notitia, & dicere, miraculum faciendum esse in confirmationem falsitatis à se dictæ: quo casu audientes existimarent, falsitatem Petri confirmatam fuisse miraculo: & nullam haberent prudentem suspicionem de opposito: ergo. Confirm. Dum Christus resuscitavit Lazarum, potuisset aliquis impostor in confirmationem suæ falsæ doctrinæ petere etiam à DEO resurrectionem Lazari: cumque ista postea contigerit, potuisset suam falsitatem eo miraculo confirmare: ergo. Resp. dist. ant. posset Petrus tali notitia abuti potentia antecedente. om. ant. potentia consequente. neg. ant. & conf.

Si DEUS revelat miraculum futurum, jam præsit, non futurum ejus abusum insensibilem; aliàs non posset id revelare; quia non posset miraculum facere; stante autem ea scientia infallibili DEI, seu in sensu composito illius, non potest Petrus eo miraculo abuti. Omissi, quòd Petrus potentia antecedente posset abuti notitia de futuro eras miraculo; nam, cum decretum, vel potius necessitas in DEO, non faciendi miraculum, in circumstantiis abusus insensibilis,

non pendeat à libertate Petri, & sit impedimentum inauferrabile à Petro, non video, quomodo in nostris principiis habeat Petrus veram libertatem, etiam antecedentem abundantem eam noticiam. Fortè dicent, habere eum potestatem antecedentem impediendi hanc ipsam revelationem: verum responsio hæc multas habet difficultates; hinc eam, nec defendere, nec impugnare volui, & ideo ant. omisi. Ad confirm. dist. ant. potuisset aliquis impostor petere resurrectionem Lazari, casu quo ejus imposta fuisset sensibilis. om. ant. casu quo non fuisset sensibilis. neg. ant. & conf. si enim DEUS voluisset permittere illas preces ad falsitatem tendentes, debuisset, ne ipsi tribueretur falsitas, imposturam illam reddere sensibilem.

99. Ob. 6. Potest DEUS cum homine concurrere concursu naturali ad peccatum, quin sit auctor peccati: ergo etiam potest concursu supernaturali concurrere ad confirmationem falsi, quin sit auctor falsitatis. Resp. neg. conf. Concursus supernaturalis est concursus extraordinarius, & DEUS est causa per se, & principalis illius; unde specialiter DEO tribuitur: & præsertim concursus ad miracula tribuitur DEO, ut sigillum suum adhibenti, & confirmanti rem miraculo testificatam, saltem, nisi abusus sensibilis sit: non ita se habet concursus tantum naturalis, quo DEUS ex determinatione causæ secundæ concurrat, & de quo aliunde jam notissimum est, quòd illo creatura sæpissimè abutatur, quòdque non possit omnis actio creaturæ imputari DEO, tanquam principali agenti, & causæ per se: & hinc etiam hic abusus concursus naturalis minimè insensibilis est.

100. Ob. 7. Gentiles, & hæretici, patrârunt miracula: ergo DEUS concurrat cum ipsis; aliàs non potuissent ea patrare: sed isti confirmârunt falsitatem: ergo. ant. prob. ex historiis. Sic Tacitus l. 4. *historiarum sub finem* narrat, ad Vespasianum Imperatorem gentilem, venisse monitu Serapidis, Ægyptiorum Idoli, aliquem cæcum, cui visum reddiderit, dum oculos sputo liniverit: alium venisse manu ægrum, quem calcando sanaverit. Resp. dist. ant. Gentiles, & hæretici, patrârunt vera miracula. neg. ant. apparentia tantum, & ficta. conc. ant. & neg. conf. Dæmon, & magi, faciunt sæpe aliqua, quæ videntur miracula: at non sunt, nec DEUS ullo modo est auctor principalis eorum. Sicut, si quis falsarius falsum sigillum, etsi aliquo modo simile vero, adhibeat, & falsum confirmet, non potest regi attribui falsitas illa. Et talia quoque, id est, apparentia tantum, & ficta, fuere illa Vespasiani miracula.

Porro vera miracula discernuntur à falsis, tum materiâ, tum formâ. Materiâ falsa sunt, quæ tantum apparenter talia sunt, nec verè facta, nec constantia. Sic aliquando videntur aliqui sanati, quatenus dæmon per aliquot horas dolorem prohibet, qui mox revertitur. Sic sæpe, quanquam non semper, sæpe luduntur, dum domi jacent, & putant

se, nescio quo, avehi: vel putant, se vesci cibis optimis, dum pascuntur morticinis: vel habere pecunias, dum tenent lutum. Formâ falsa sunt miracula, quæ non superant vires totius naturæ; nam supernaturalitas entis stat in hoc, quòd ipsum superet vires totius naturæ. Sic dæmon potest multos tollere morbos melius, quàm medici; quia non sunt naturaliter incurabiles. Et tales fuere cæcitas illa, & languor manuum, quæ Vespasianus fertur curasse; sic enim habet Tacitus ipse *loc. cit. Medici varè differere: huic non excusam vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in prævum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari*: ergo nec gentiles, saltem certò, dicere audent, patratum fuisse tunc verum miraculum. Adde, quòd teste Spondano *ad an. Christ. 71. n. 5.* Vespasiano tunc præsens, & amicissimus fuerit Apollonius Thyaneus, magorum celeberrimus, cuius operâ utique potuit dæmon moveri, ut eos sanaret.

101. Quod si materia, vel forma miraculorum, dubiæ sint, ex aliis indiciis æstimari res debent: atque inprimis ex fine; nam S. Augustinus l. 10. *de civit. c. 16.* ait: *Quædam verò (id est dæmonum mira) etsi non nullis piorum factis videantur opere coarvari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter hac nostra ostendit excellere.* Hinc, si finis miraculi sit, ut confirmetur palpabilis falsitas, e. g. idololatria, quæ est contra lumen rationis, vel aliud quid contra claram Ecclesiæ decisionem, veris jam miraculis dudum confirmatissimam: vel, si tantum fiat, ad pascendam hominum curiositatem, opus vanum, atque inane, gestibus ridiculis, & navigatorii observationibus, ac ceremoniis: vel, si tendat ad morum corruptelam &c. tunc, licet non statim capiamus, quomodo naturaliter id fieri potuerit, tamen sufficientissimum indicium est, verum miraculum non esse, sed esse opus dæmonis, naturalibus huius viribus, quæ longè humanis antecellunt, productum.

Quamvis autem per sceleratos DEUS vera miracula facere possit, & quandoque faciat, ad veritatis confirmationem (sicut probabile est, Judam etiam jam perversum, aliqua vera prodigia fecisse) tamen ea ordinariè, per impios facere non solet; unde, si auctor operis sit sceleratus, meritò opus erit suspectum: quæ suspicio valde crescit, si auctor fugiat lucem, hoc est, si sua clanculum agat, nec admittat proborum, aut doctorum, præsentiam, & inspectionem. Adde tandem, aliquando legi, à gentilibus, vel hæreticis facta quædam mirabilia, verum non in confirmationem erroris, sed alicujus veritatis Catholicæ, vel in suæ innocentie testificationem: quo casu, etsi ea vera miracula fuisse permittamus, nihil contra nostram conclusionem probant, ut patet expendent.

102. Ob. ultimò. Juxta multos potest DEUS tantam apparentiam credibilitatis permittere pro articulo falso, quantum pro vero: ergo etiam potest permittere

tanta miracula. Resp. dist. ant. Potest DEUS aliquam tantam apparentiam aliquando permittere, respectu alicujus tantum, vel tantum aliquarum particularium personarum. conc. ant. potest universaliter tantam apparentiam permittere, aut respectu totius Ecclesiæ. neg. ant. & conf. Prius multi admitterunt; quia certè aliquibus, e. g. rusticis, potest æquè credibilis apparere articulus unus falsus, quàm alter verus, si utrumque idem parochus eadem auctoritate, modo &c. proponat.

At, licet DEUS possit in aliquo casu aliquam talem apparentiam permittere, non potest permittere universaliter omnem, & respectu omnium; nam non potest permittere eam, quæ ex veris miraculis habetur: minus potest aliquam permittere respectu totius Ecclesiæ; aliàs tota posset prudenter tali articulo falso, absque suspitione in contrarium proposito, assentiri: neque amplius esset columna & firmamentum veritatis. Dein nego suppositum, quòd DEUS possit permittere miracula; nam, cum ipse moraliter, & physicè ea, ut causâ principalis determinans, patret, non tantum ea permittit; permittere enim est ad summum agere ut causam determinatam ab alio, & ita, ut ipsi permittenti effectus non imputetur.

QUÆSTIO II.

De Objecto Formali Fidei Increato. ARTICULUS I.

Quodnam sit Objectum Formale Increatum Fidei Divinæ.

103. **E**X hucusque dictis fides debet habere objectum formale, seu motivum: cumque sit virtus Theologica, debet ex n. 5. habere aliquid Divinum, seu increatum: & de hoc nunc agendum; an enim fides etiam habeat aliquid creatum, videbimus quæstione sequenti. Circa objectum increatum autem sunt plures auctorum, mutuo se impugnantium, opiniones, quas omnes fusius referre, nimis esset prolixum: neque est necessarium; cum sufficienter ex objectionum solutione innotescere possit mens adversariorum.

Prænotandum tamen est hic, triplicem communiter ab auctoribus distinguere veritatem; scilicet *veritatem in essendo, in cognoscendo, in dicendo*. Prima, seu *veritas in essendo*, seu, ut etiam dicitur, *transcendentalis*, nihil est aliud, quàm prædicatum verum, & à Chimerico distinctum: & sic etiam cognitio falsa, vel locutio mendax, est vera; quia est ens verè possibile, vel existens. *Veritas in cognoscendo*, quæ sæpius vocatur *infallibilitas*, est virtus intellectus, seu sapientia summa, faciens infallibiliter cognoscere rem, ut est in se. Tandem *veritas in dicendo*, quæ dici etiam solet *veracitas*, est virtus voluntatis, qua quis dictum semper conformat cum mente, seu cognitione, ita,

ut non loquatur aliquid contrarium illi, quod cognoscit. Hæ duæ veritates, seu sapientia, & veracitas, in DEO formaliter distinctæ sunt; quia in creaturis sunt realiter separabiles, & sæpe actu separatae, ut experientia evidentissimè demonstrat, in iis, qui res optimè cognitæ tamen per mendacium aliter, ac sibi cognitæ sunt, proponunt. Quæstio jam est, an aliqua, & quam veritas Divina, sit objectum formale fidei Divinæ.

104. Dico. Objectum formale Divinæ fidei est complexum ex veritate Divina in cognoscendo, & dicendo. ita Suarez, Lugo, Gormaz *de virtut. Theol. n. 187.* & communis nostrorum, ac plurimum aliorum, adeò, ut Esparza l. 6. *de virt. Theol. q. 15. a. 11.* dicat, sententiam hanc communi Theologorum consensui esse conformem. Hic noto, si quis diceret, objectum formale fidei etiam esse veritatem in essendo istorum duorum prædicatorum Divinorum, cum nihil dicturum contra nos; quia utique constituimus objectum formale fidei in prædicatis realiter, & verè Divinis, & non Chimericis: si quis autem vellet dicere, quòd sola veritas DEI in essendo, seu sola ratio entis à se, vel Deitatis, sit objectum formale fidei, esset nobis contrarius, ut ex objectionibus patebit.

Probatur jam conclusio. Objectum formale fidei est testimonium DEI, ut ex Scripturis, & Patribus, probatum à n. 38. & quidem est testimonium DEI infallibile; quia actus fidei debet esse certissimus, & firmissimus ex n. 36. imò motivum fidei non debet esse tantum infallibile quomodocunque, sed tali infallibilitate, quæ sola conveniat primæ, seu Divinæ veritati, suum dictum infallibilizanti, ut dixi ex S. Thoma citato n. 6. & infertur etiam ex eo; quòd virtus Theologica debeat habere objectum formale Divinum: atqui ad testimonium ita infallibile requiritur utraque veritas in cognoscendo, & loquendo: ergo. prob. min. si quis possit falli, etsi fideliter mentem suam explicet, non ideo ejus testimonium erit certum, & infallibile; quia, si non cognovit rem, ut in se est, falsum materialiter falsum dicit: ergo ad testimonium infallibile est necessaria veritas, seu infallibilitas in cognoscendo.

Sed veritas in cognoscendo sola non sufficit, ad reddendum testimonium infallibile; si enim is, qui rem infallibiliter, ut est in se, cognoscit, possit fallere loquendo, vel mentiri, iterum testimonium ejus non erit infallibile; quia poterit timere, ne fuerit mentitus. Si autem nec falli, nec fallere possit, tunc evidenter testimonium ejus infallibile erit; unde rectè Cajetanus ait, stultum esse ulterius quærere, quare credas ei, qui nec falli, nec fallere potest. Sic etiam in ordine ad fidem humanam alteri habendam, eò magis ferimur, ad credendum alicui, quò magis illum sapientem, & veracem existimamus. Hinc, neque doctis mendacibus facillè credimus; quia nos fallere possunt; neque indoctis, etiam veracibus; quia falli ipsi, & consequenter etiam nos cum ipsis, falli possumus. Si tamen ii, qui aliquid

affirmant, docti simul, & veraces sint, facilius fidem præstamus: & hinc tales in dubiis consiliarios quarimus.

105. Dices ex Ripalda, non exigi ad testimonium DEI infallibilizandum utramque hanc perfectionem, sed sufficere unam perfectionem Deitatis. Nota autem, quod hic auctor non loquatur de Deitate realiter sumpta; sic enim sumitur ut identificata cum sapientia, & veracitate, imò omnibus perfectionibus Divinis, quæ omnes, licet formaliter acceptæ, (in qua acceptione hæc agitur quæstio) non requirantur ad infallibilitatem, tamen ratione illarum duarum in ipsa includarum sufficerent. Sed loquitur Ripalda de Deitate formaliter sumpta, & quidem juxta mentem eorum auctorum, qui essentiam DEI constituunt, non in cumulo omnium perfectionum, sed in prædicatione aliquo particulari, e. g. ut diximus *tract. de DEO. n. 101.* in ente à se.

Sic autem arguit. Sola Deitas, præscindendo à sapientia, & veracitate DEI, ratione suæ excellentiæ, confert se ipsa tantam dignitatem, & auctoritatem suo testimonio, ut remoueat omnem irreverentiam intellectus: atqui esset irreverentia intellectus, si dissentiret: ergo. Confirm. à pari. Siquis contradicat regi, etiamsi hic non magis sapiens, aut verax sit, quam alius privatus homo, graviorem tamen irreverentiam admittit, quam, si contradicat homini tantum privato; quia scilicet dignitas regia, præscindendo à sapientia, & veracitate, confert auctoritatem testimonio: ergo multò magis dignitas Divina, sive Deitas, confert talem auctoritatem suo testimonio, ut sit irreverentia ei non assentiri.

106. Resp. dist. ma. Sola Deitas confert talem auctoritatem testimonio suo, immediate, formaliter, & ratione sui. neg. ma. radicaliter, secundario, & ratione attributorum, conc. ma. & omnia. min. neg. conf. si enim Ripalda tantum velit, in Deitatem committi aliquam irreverentiam, non credendo DEI testimonio, sicut e. g. committitur in patrem, quando per injuriam filius ejus vocatur mendax, nihil probat; nam sicut pater non reddit formaliter verum testimonium filii, nec primario in eo casu læditur: ita etiam Deitas formaliter accepta, per eam irreverentiam dissensus non primario læditur, nec ipsa formaliter ratione sui reddit testimonium Divinum infallibile. Unde, siquid velit Ripalda probare, debet probare, quod primario, & immediate ratione sui lædatur Deitas, & consequenter, quod ipsa primario, & immediate ratione sui, conferat eam auctoritatem, vel dignitatem infallibilitatis testimonio Divino; hoc enim est, quod negamus: & dicimus, quod Deitas formaliter sumpta, non immediate, sed mediate tantum (in sensu formali, quo loquamur) conferat eam auctoritatem, vel dignitatem, quatenus scilicet ipsa est radix sapientiæ, & veracitatis.

Si enim DEUS per impossibile, nec sapiens, nec verax esset, non esset irreverentia,

ei non assentiri: modò autem, cum talis sit, utique ei non assentiri est irreverentia: verum ista non immediate in sensu formali opponitur Deitati, sed sapientiæ, & veracitati, & ratione istarum immediate movemur ad reverendum testimonium DEI, & ab eo per dissensum inhonorando abstinemus. Ex quo ulterius sequitur, quod Deitas non immediate infallibilizet testimonium DEI, sed tantum mediate, & radicaliter: atqui objectum formale fidei non est id, quod mediate tantum, & radicaliter, infallibilizat testimonium DEI, sed quod istud immediate infallibilizat; sicut enim actus fidei est immediate in se, & formaliter infallibilis, ita etiam niti debet motivo, seu objecto immediate in se, & formaliter infallibili.

107. Quod ulterius explicatur hoc exemplo. Coloratum est objectum visus, quatenus habet colorem: colorem autem habet juxta antiquos, quatenus habet talem mixturem primarum qualitarum: vel juxta multos recentiores, quatenus habet exigentiam intrinsecam talis, vel talis superficiæ: & tamen coloratum non est objectum visus, quatenus habet mixturem primarum qualitarum, vel quatenus habet eam exigentiam intrinsecam (nam neutra incurrit in oculos, aut videtur) quia scilicet coloratum non est objectum visus secundum radicem coloris, seu visibilitatis, sed secundum ipsam formalem visibilitatem, seu ipsum colorem. Pariter, licet testimonium DEI sit credibile fidei Divina; quia habet infallibilitatem ex veracitate Divina in cognoscendo, & dicendo: & hanc infallibilitatem habeat, quatenus est à Deitate, non tamen est objectum fidei, quatenus est à Deitate; quia non est objectum secundum radicem infallibilitatis, sed secundum ipsam formalem infallibilitatem.

Hinc nullius momenti est iste syllogismus: *DEUS testificans est motivum formale fidei, quatenus est summè sapiens, & summè verax: sed est summè sapiens, & verax, quatenus est DEUS: ergo est motivum formale fidei, quatenus est DEUS:* nam infertur in conclusione terminus, scilicet *motivum formale fidei, quatenus est DEUS,* qui non fuit positus unquam in præmissis. Sed nec reductivè bonus esse potest hic syllogismus, ut patebit, siquis experiri velit: & ratio clara est; quia ille terminus *quatenus DEUS* sumitur æquivocè, & prima vice in minore significat reduplicacionem causalem: in conclusione autem significat reduplicacionem formalem: mutatur igitur suppositio illius termini. Fallitas adhuc magis patet ex isto simili syllogismo: *Objectum est visibile formaliter, quatenus habet colorem: sed habet colorem, quatenus habet mixturem primarum qualitarum: ergo est visibile formaliter, quatenus habet mixturem primarum qualitarum:* vel ex hoc: *Murus est formaliter albus, quatenus habet albedinem: sed habet albedinem, quatenus DEUS voluit, eum esse album: ergo est formaliter albus, quatenus DEUS voluit, eum esse album:* qua ratione esset formaliter

ter albus per ipsum decretum DEI, quod est clarè falsum.

108. Recentior aliquis (qui tamen videtur potius quoad modum loquendi, quam quo ad rem ipsam à nobis differre, cum tantum velit, fidem aliquo modo mediate resolveri in Deitatem, imò in obliquo tantum, dicatque tandem, DEUM quia DEUM esse principium loquens, cui creditur, non verò rationem formalem, ob quam creditur) hic, inquam, recentior, vult dare disparitatem inter colorem, ac mixturem primarum qualitarum respectu visus, & infallibilitatem, ac Deitatem respectu fidei; ait enim, cognitionem intuitivam coloris haberi per species intuitivas, evidentes, & immediatas: & hinc talem cognitionem non debere resolveri in aliud motivum, at verò cognitionem Divinæ auctoritatis haberi aliquando posse ex ipsa Deitate, & tunc posse resolveri fidem mediate in Deitatem.

Sed contra est 1. Nos tantum fecimus paritatem in hoc, quod, licet aliqua forma derivetur ab alio, tanquam à sua radice, aut causa, vel quasi causa, non tamen denominatio formalis etiam formaliter derivetur ab eodem illo alio: ad quod parum facit, an forma evidenter innoteat, an non. 2. Etsi cognitio muri albi non sit evidens, tamen resolveri nequit in decretum DEI, tanquam in objectum formale. 3. Quam parum mixtio primarum qualitarum potest esse objectum formale visus, tam parum Deitas, formaliter sumpta, potest esse objectum actus fidei; quia, sicut visio essentialiter exigit pro objecto immediato colorem, ita fides Divina essentialiter exigit infallibile testimonium: hoc autem non habetur formaliter, sed tantum radicaliter, à Deitate formaliter tali. Unde actus, qui solaniteretur Deitate, non esset actus fidei, sed scientiæ, vel conclusivis Theologicæ, cujus objectum utique potest esse Deitas. 4. Sicut Deitas potest esse objectum actus alterius, distincti ab actu fidei, qui tamen mediate potest servire ad actum fidei: ita mixtio primarum qualitarum potest esse objectum alicujus cognitionis; quæ etiam aliquo modo potest servire mediate, saltem suadendo, ad visionem elicendam: sed non querimus modò de actu tantum mediatò.

109. Quod attinet ad confirmationem, n. 105, adductam à pari, omitto, quod contradicere exterius, seu publice, aut in faciem, regi, sit irreverentia; quia est aliqualis inobediencia, vel certè minor reverentia (nam tacere sæpe oportet; si rex quid dicat, etsi evidenter sciamus, esse falsum: quo casu utique non possumus ei assentiri) At verò ad interiorem, assensum nos non movet regia dignitas, nisi radicaliter, quatenus eo ipso, quod aliquis populo regendo præfectus sit, supponitur, habere majorem sapientiam, & veracitatem, quam alii; ut enim potestate, ita etiam his præsertim virtutibus deberet præcellere. Certè est longè turpius, si rex mentiat, vel aliquid ad suum officium perti-

nens nesciat, quam si nesciat tale quid privatus. Si autem sciremus, regem frequenter mentiri, ei etiam ut regi difficilissimè assentiremur, quam homini privato, sapienti, atque veraci. Imò, si e. g. rex adhuc puer sit, vel vi morbi factus fuerit amens, certè, durante pueritia, vel amentia, non esset irreverentia ulla, ejus dictis interius fidem negare.

110. Replicabis cum aliis recentioribus, non requiri indispensabiliter ad fidei motivum utramque hanc veritatem; si enim DEUS per impossibile semper deciperetur, cognoscendo res aliter, ac sunt in se, & simul semper mentiretur, hoc est, aliter eas diceret, ac cognoscit, tunc semper, & infallibiliter, diceret verum, sine utraque illa veritate: ergo posset etiam illi credi. Resp. neg. conf. In tali casu nunquam posset credi DEO; quia credere est assentiri ob auctoritatem, & meritum loquentis: atqui semper deceptus, & mendax, nullam habet auctoritatem, aut meritum, quod moveat ad assensum; unde in eo casu non assentiretur per fidem, sed per aliquem discursum, per quem deducerem ex duobus illis principiis (scilicet, quod DEUS semper fallatur, & semper mentiat) rem tamen materialiter se ita habere, ut ipse dicit. Par est ratio, si scirem, aliquem esse insipientem, & mendacem, ac cupere montiri, DEUM tamen nolle cum eo concurrere ad loquendum, nisi quando ratione insipientiæ suæ, & simul mendacitatis; materialiter verum diceret; non enim tum assentiretur per fidem humanam, ejus auctoritate nitentem, sed per alium actum e. g. conclusionis, inferendo ex decreto Divino, & verbis illius hominis, rem dictam ita se habere.

111. Replicabis denuo, non requiri summam veritatem in cognoscendo, sed sufficere solam veracitatem in dicendo; si scilicet DEUS diceret, se nihil revelaturum, nisi quod certò sciat, ita se habere. Sed contra est 1. Si DEUS non esset infallibilis in cognoscendo, posset quis hoc ipso suspicari, an non falleretur in eo ipso, quod ait, se certò cognoscere: & sic fides non amplius esset firmissima. 2. In hac suppositione intellectus statim agnosceret, eum, qui non esset infinitè sapiens, non esse DEUM: adeoque non posset elicere actum fidei Divinæ. Si dicas: ponamus, DEUM esse infallibilem, saltem quoad aliquas veritates, & has tantum revelare. Resp. Unde tibi potest constare, DEUM esse infallibilem quoad aliquas, & non quoad omnes veritates; nisi quia ipse dicit? At, si non est infinitè sapiens, suspicio esse potest, quod in hoc ipso fallatur, ut jam est dictum.

112. Dices. Etsi DEUS non esset infinitè sapiens, tamen circa aliqua falli non posset; nam etiam homo non potest falli circa existentiam suam, circa cognitiones internas, quod existant in mente: ergo saltem, si DEUS tale quid revelaret, possem ipsi credere, absque eo, quod moverer ejus sapientiã. ita Haunoldus. l. 3. tr. 1. n. 61. Sed contra

est. Quod attinet ad cognitiones internas DEI, si ipse non esset infallibilis, eas non cognosceret reflexione certa; nam experimur, homines sæpe actus suos reflexè non certò cognoscere; cum sæpe dubitent, an tentationibus consenserint, an voverint, an hoc, vel illud iudicium habuerint &c.

Si velis dicere, hominem saltem directè cognoscere suam cognitionem, quatenus ipsa manifestat se ipsam, informando intellectum. Resp. hac ratione ipsam cognitionem esse particularem aliquam, & infallibilem cognitionem sui ipsius: adeoque etiam in ordine, ut ejus cognitionis revelatio sit infallibilis, debet adesse infallibilis aliqua cognitio, seu aliqua sapientia in cognoscendo. Quare ad fidem cuiuscunque revelationi adhibendam, nunquam sufficere sola veritas in dicendo: sed debet adesse semper etiam aliqua infallibilitas, saltem particularis, in cognoscendo: & ita etiam res se haberet, si DEUS in ea hypothesi revelaret suam existentiam; quia ad revelandam istam deberet præcedere cognitio ejus infallibilis; si enim ipsam non infallibiliter cognosceret, non posset eam revelare: vel, si etiam eam revelaret, ego non possem firmissimè eam credere, propter solum DEI testimonium; quia hoc non esset infallibile, nec mereretur meum assensum firmissimum, propter auctoritatem loquentis: sicut non meretur assensum dictum psittaci propter se, licet sit materialiter verum; unde in eo casu ego non crederem, strictè loquendo, existentiam DEI: sed assentire illi, per aliquem discursum, vi cuius eam inferrem, ex eo, quòd nemo loqui possit, nisi existat.

113. Sed tamen etiam ista particularis infallibilitas, seu veritas in cognoscendo, non videtur sufficere ad actum fidei. 1. quia ad fidem Divinam non sufficit qualibet infallibilitas, sed, ut S. Thomas docet, debet esse infallibilitas primæ veritatis, hoc est, propria primæ veritati: prima autem, & summa veritas, non petit tantum infallibilitatem particularem in cognoscendo, sed universalem, infinitam, DEO propriam. 2. juxta communissimam assensus formalis, & explicitus fidei respectu unius mysterii, est virtualis, & implicitus assensus omnium mysteriorum: ergo debet esse elicitus ex motivo se extendente ad omnia revelata: atqui hoc motivum, tantum constans particulari infallibilitate, non se extendit ad omnia revelata, ut patet: ergo. Et hinc etiam est, quod Suarez disp. 3. de fide. sec. 8. n. 7. & Gormaz de virt. theol. disp. 3. n. 120. dicunt, scilicet, actus fidei omnes esse ejusdem speciei: licet in aliis virtutibus e. g. charitate, dentur actus speciei diversi, ut docet idem Eximius disp. 1. de charit. sect. 3. n. 5. & Gormaz hoc modo citato.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

114. **O**B. 1. Auctores etiam Catholici aliqui, ut dictum n. 53.

putarunt, DEUM saltem de potentia absoluta posse mentiri: & tamen ritè crediderunt: ergo non requiritur ad actum fidei Divinam, tanquam objectum formale, summa veritas in loquendo. Resp. cum Gormaz de virt. theol. n. 845. neg. conf. Auctores illi, quod speculativè docuere, practicè revocant: certè nunquam potuissent elicere assensum firmissimum, si cogitassent, se à DEO falli posse. Alii autem auctores, qui admittunt, DEUM posse errorem infundere, negant constanter, quòd ille error sit, aut possit esse locutio DEI, per quam DEUS aliquid testificetur: adeoque semper admittunt, requiri ad fidem veritatem summam in dicendo.

115. Ob. 2. Rudes homines Catholici verè credunt DEO, quin cogitent de complexo utriusque hujus veritatis: ergo istud non requiritur ad motivum fidei. Confir. Quamvis DEUS non revelasset suam veritatem, tamen posset revelare alia: sed tunc ista non crederentur ob veracitatem: ergo. Resp. dist. antec. Rudes credunt, quin de isto complexo cogitent explicitè. conc. ant. quin cogitent implicitè. neg. ant. & conf. lidem rudes, & alii etiam, quando homini credunt, non cogitant explicitè, eum esse sapientem, & veracem: sed implicitè tantum, quatenus ejus testimonium verum existimant: ita autem cogitant quoque de sapientia, & veracitate Divina, quatenus scilicet Divinum testimonium infallibile credunt: quale esse non posset sine illo complexo. Quomodo autem rudes semper, saltem implicitè, cogitent de DEO, ejusque testimonio, quando eliciunt actum fidei formalis, dicemus infra à n. 456.

Ad confir. dist. ma. quamvis DEUS non revelasset suam veritatem signatè, tamen posset revelare alia. conc. ma. quamvis non revelasset eam exercitè. neg. ma. & dist. proportionaliter. mi. neg. conf. Signatè revelatio aliquid, de quo habetur expressa revelatio, ejus mentionem reflexè faciens: & talis de facto habetur etiam de veracitate Divina, ut videre est n. 54. Si non haberet revelatio signatè talis, habetur revelatio exercitè talis, qua tunc datur, quando aliquid non quidem reflexè dicitur in actu signato, sed tamen dicitur in actu exercito, per ipsam revelationem de alio objecto, ut rectè tradit Eximius disp. 3. de fide. sect. 12. n. 12. Sed de hoc iterum plura n. 159.

116. Ob. 3. Posset dici, quòd una quidem ex his duabus perfectionibus DEI formaliter requiratur ad motivum fidei, altera verò tantum in obliquo connotetur: ergo. Resp. neg. ant. quia neutra se sola est tota forma denominans testimonium infallibile; nam, sive præcindatur à sapientia, sive à veracitate, infallibilitas deficit; unde utraque formaliter, & constitutivè, requiritur. Si quis vellet asserere, unam tantum esse connotatum, deberet is ostendere, quòd ab altera jam haberet formaliter tota infallibilitas, & quòd illa prior tantum sit aliquod præsuppositum, aut consequens ad formam; & sic se habet juxta nos Deitas, sine qua formaliter

maliter jam habetur forma infallibilizans: quamvis ipsa sit radix præsupposita ad sapientiam, & veracitatem, quæ sunt forma.

117. Ob. 4. Scripturæ, & Patres, passim revocant fidem nostram ad DEUM: ergo motivum formale est Deitas. Resp. dist. ant. revocant ad DEUM in sensu reali acceptum. conc. ant. ad DEUM in sensu formali acceptum, seu ut præcisum à sapientia, & veracitate. neg. ant. & conf. hoc ipso enim, quòd Scripturæ, & Patres, revocant fidem ad DEUM, supponunt, eum esse summè sapientem, atque veracem. Nec ideo, quòd utantur hoc termino DEUS, intelligunt eum in abstracto sumptum, ita, ut Deitas sola tanquam motivum formale intelligi debeat; ad has enim subtilitates Scripturæ, & Patres, non attendunt; aliàs etiam dominum DEI assignarent pro objecto formalis fidei; cum propheta sapientissimè clament: *Hec dicit Dominus: quod assignare, licet placeat Guilielmo Parisiensi, aliis tamen ut plurimum displicet.*

118. Ob. 5. Deitas removet omnem imperfectionem à DEO: ergo etiam falsitatem, adeoque reddit ipsum hujus incapacem: ergo reddit testimonium ejus infallibile, & fide Divina credibile. Confir. Deitas exigit, ut DEUS nunquam loquatur, nisi præcedente iudicio infallibili, & conformi cum objecto: imò exigit, ut dictum ejus semper sit conforme objecto; nam opposita semper essent imperfecta: ergo ob solam Deitatem possumus firmissimè assentiri Divino testimonio. Resp. 1. hoc argumento probari, etiam omnipotentiam, vel bonitatem Divinam, esse objectum formale fidei Divinæ; nam omnipotentia quoque, & bonitas DEI, sunt impossibiles, sicut Deitas, cum omni imperfectione, adeoque etiam cum falsitate, ut consideranti patebit.

Resp. 2. in forma. dist. ant. Deitas realiter accepta removet omnem imperfectionem à DEO. conc. ant. formaliter accepta. subdist. removet omnem imperfectionem formaliter, & immediatè per se ipsam. neg. ant. radicaliter, & mediatè, per perfectiones, quas sibi exigit identificatas. conc. ant. & sub ead. dist. conc. vel neg. utramque conf. Deitas realiter accepta etiam dicit sapientiam, & veracitatem, adeoque realiter reddit testimonium credibile fide Divina: at non est quæstio de Deitate realiter accepta, sed de formaliter accepta: hæc autem, seu ratio entis à se, non formaliter, & immediatè per se ipsam, removet falsitatem: sed tantum radicaliter, quatenus exigit sapientiam, & veracitatem.

119. Sicut enim in genere physico aqua non excludit formaliter ratione sui calorem, sed ratione frigoris, quod exigit: & sicut decretum DEI non est ratione sui dealbati-vum parietis, sed ratione albedinis, quam exigit: ita pariter Deitas non immediatè, sed mediante sapientia, exigit tale iudicium, aut tale testimonium: imò neque veracitas, formaliter accepta, exigit immediatè ratione sui iudicium prævium infallibile, sed tantum mediante sapientia, quam

sibi petit identificari. Non autem est objectum formale fidei illud, quod tantum radicaliter, & mediatè, reddit infallibile testimonium, sed quod illud reddit infallibile immediatè, & formaliter, ut dictum n. 106.

Hinc neque admittendum, quòd veracitas humana ideo formaliter in sua linea sit imperfecta; quia non exigit prævium iudicium infallibile, vel dictum conforme, non tantum menti, sed etiam objecto; nam ob hanc rationem tantum est realiter imperfecta, & extra suam lineam: intra suam lineam autem est imperfecta; quia non necessitat ad conformandum dictum menti; unde veracitas, non tantum conformans dictum menti, sed etiam objecto, vel exigens prævium iudicium infallibile, non est propterea in sua linea, & formaliter, sed tantum extra suam lineam, & realiter, perfectior, quam humana, quæ ista non facit, nec petit. Ad confir. neg. conf. quia, imò dictum, objectum formale fidei non est, quod tantum exigit testimonium infallibile, sed quod illud immediatè, & formaliter, tale reddit.

120. Ob. 6. Cum assensu fidei, præstito DEO testificanti, stat dissensus rei testificatæ: hoc est, possum dicere: *Credo, DEUM hoc dicere: non tamen credo, ita rem se habere:* quia ultra obsequium assensus, præstiti DEO testificanti, datur novum obsequium meritorium assensus præstandi rei testificatæ: atqui, si fides niteretur sapientia, & veracitate Divina, & jam præstitus esset assensus DEO testificanti, non amplius esset meritorius assensus rei testificatæ; quia hic assensus non esset amplius liber; nam necessariò assentimur rei dictæ à summè sapiente, & summè veraci; cum res sit evidenter vera: ergo. Resp. neg. ma. Assentiri enim, seu asserere per actum fidei, quòd DEUS aliquid dixerit, & simul negare, quòd illud sit verum, est simul elicere actum fidei, & simul peccare graviter contra fidem, quæ non stant simul: sicut non possum simul habere spem in DEUM, & simul desperare; unde ille assensus saltem non esset actus fidei Divinæ: quo negato, ruit totum argumentum.

Meritum autem, seu obsequium actus fidei, non videtur stare in eo, quod adversarius assignavit: sed in eo, quòd, cognita per motiva credibilitatis revelatione Divina, voluntas liberè imperet actum firmiterem, quam mereantur illa motiva prævia, & eum quidem innixum Divino testimonio; qualem, quòd voluntas possit imperare, sumitur ex Innocentio XI. oppositum damnan-te in propositione 19. quæ sic habet: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Sed de hoc plura inferius.

121. Ob. 7. Actus fidei potest niti, tanquam objecto formali, fidelitate, & omnipotentia DEI: ergo non nititur necessario sapientia, & veracitate. antec. prob. si quis sciat, DEUM esse omnipotentem, adeoque

omnia posse, simulque fidelem in servandis promissis, tunc potest firmissimè credere promissionibus Divinis, etsi DEUS non esset infinitè sapiens, vel verax: ergo. Confirm. In humanis, si quem scimus posse, & simul fideliter velle, implere suam promissionem, huic facillimè credimus, etiamsi non cogitemus de ejus sapientia, & veracitate: ergo pariter possumus credere promissionibus Divinis.

Resp. neg. antec. ad prob. neg. antec. si enim alicui non constat, an DEUS verè internè promiserit, ex fidelitate, & omnipotentia, non potest inferre, rem certò futuram; nam, si DEUS internè non promississet, non ageret, contra fidelitatem, non implendo promissionem; unde debet certò constare, quòd DEUS internè promiserit. Jam hoc potest constare, vel ex aliis indiciis, distinctis à testimonio DEI: & actus, iis nixus, non erit actus fidei; quia hic indispensabiliter exigit testimonium DEI: vel potest constare ex testimonio DEI: & ut ex hoc constet certissimò, prout ad fidem Divinam requiritur, debet istud ratione sapientia, & veracitatis Divinae infinita, esse infallibile. Ad confirm. neg. ant. Aliud est, quòd fortè per discursum aliquem inferamus, rem esse futuram: aliud, quòd credamus; ad hoc enim requiritur etiam testimonium humanum, & tale saltem, ut iudicetur prudenter, hic & nunc non fallere.

122. Dices 1. Ergo neque sufficit sapientia, & veracitas; quia si DEUS promitteret in futurum aliquid se facturum, deberet credens etiam scire, quòd DEUS non esset mutabilis; alias non sciret, an sit certò futurum. Resp. neg. illat. Immutabilitas in hoc casu est objectum materiale revelatum, non autem formale, reddens revelationem infallibilem: sicut etiam ipsam decretum DEI promissivum; DEUS enim eo ipso, quòd revelet, aliquid se facturum, revelat suum decretum immutabile: imò etiam revelat omnipotentiam suam, seu revelet, se posse omnia, quæ prædicat, vel promittit; nam, cum DEUS sit infallibilis in cognoscendo, & simul omniscius, eo ipso etiam cognoscit, se esse in suis decretis immutabilem, & rem ipsam esse futuram: & hæc omnia simul revelat: & hæc ejus revelatio, vel testimonium, redditur formaliter infallibile ab illa ipsa cognitione, qua ea omnia cognoscit, & à veracitate, qua omnia dicit, prout cognoscit: at verò ab immutabilitate, omnipotentia &c. redditur tantum mediata, & radicaliter certum, vel infallibile testimonium DEI, sicut à Deitate.

123. Dices 2. Fides Abraham, quæ utique Theologica erat; nitebatur tantum Divinis promissionibus; sic enim dicitur ad Rom. 4. v. 20. In re promissione etiam DEI non habuit diffidentiam, sed confortatus est fide, dans gloriam DEO, plenissime sciens, quæcumque promissit, potens est & facere. Sic etiam Beatissime Virgini Gabriel Angelus motivum ad actum fidei præbuit omnipotentiam DEI. Luc. 1. v. 37.

Quia non erit impossibile apud DEUM omne verbum: & similia plura possent ex Scripturis afferri: ergo. Resp. 1. Juxta multos Doctores, & probabiliter etiam juxta D. Thomam, ut videre est apud Gormaz de virt. Theol. n. 214. fidelitas nihil aliud est, quam veracitas in loquendo: & hinc etiam dicitur psal. 118. v. 8. Testimonium Domini fidele. & psal. 110. v. 8. Fidelia omnia mandata ejus. & Christus dicitur Apoc. 1. v. 5. Testis fidelis; unde niti fidelitate esset niti veracitate in dicendo: sed quia hæc sola non sufficit, & juxta Gormaz loc. cit. plures auctores non admittunt identitatem harum virtutum.

124. Resp. 2. neg. ant. Ibi Scriptura non assignat immediatum objectum formale actus fidei, sed tantum motivum volendi credere; nam, quando quis, vel per actum fidei prævium; jam credidit omnipotentiam, & fidelitatem DEI, tanquam objectum materiale, vel eas per actum etiam inferiorem cognovit: postea autem audit, DEUM hoc promississe, tunc utique illa quæcumque cognitio prævia potest ipsum movere, ad volendum credere aliquid novum objectum promissum, e. g. promissam incarnationem Divinam, non propter fidelitatem DEI, sed propter revelationem, & testimonium DEI, quò DEUS testatur, se velle suo tempore mittere filium suum in carne; nam, si non crederet, DEUM esse omnipotentem, fortè putaret, incarnationem non esse possibilem: adeoque non posset credere Divinae revelationi; & pariter si non judicaret, DEUM esse fidelem, fortè putaret, DEUM sua promissa non impleturum, adeoque incarnationem non futuram. Unde hi actus prævii etiam remouent impedimenta actus fidei: attamen eorum motiva non sunt immediata objecta formalia fidei: sed tantum radicaliter, & mediata, aliquo modo concurrunt. Aliquando etiam omnipotentia DEI, per fidem credita, potest movere voluntatem ad opera difficilia, e. g. Abrahamum ad immolandum Isaacum: & hac ratione dicitur Abraham fide omnipotentia confortatus.

125. Ob. 8. Saltem existentia DEI non potest credi propter testimonium DEI: ergo. prob. ant. existentia DEI est prior revelatione; prius enim debet DEUS existere, quam loquatur: & prius debet esse cognitus ut existens, quam ut loquens; nam nisi prius sciam, aliquem existere, nunquam assentiri poterò, quòd loquatur: ergo. Confirm. Existentia DEI est evidens, & testimonium DEI non est evidens: ergo non creditur illa propter istud. Resp. neg. ant. ad prob. conc. 1. p. ant. dist. 2. p. DEUS debet prius esse cognitus ut existens, per actum supernaturalem fidei: neg. ant. per actum naturaliter evidentem, vel conclusionem aliquam Theologicam, vel quemcumque alium actum. om. ant. & neg. conf.

Dixi: omitto antecedens; quia potest sepe contingere, ut DEUS ut existens, & ut loquens, simul proponatur per idem testimonium Divinum. Quòd si autem aliqua notitia DEI

DEI præcedat, illa non est actus fidei; quia hic non potest elici, nisi ex motivo Divini testimonii; unde etiam, si assentiremur existentia DEI, vel sapientia, & veracitati; eoquòd DEUS nos elevasset ad visionem intuitivam istarum perfectionum, non eliceremus actum fidei: multò igitur minùs ille actus viatoris, affirmans existentiam DEI ante ejus testimonium, est actus fidei: sed est actus alterius speciei, spectans ad prævias dispositiones ad fidem, seu ad applicationem motivi fidei.

Quòd autem existentia DEI sit prior ad ejus locutionem, nihil probat contra nos; nam & causa est prior effectu, & tamen potest cognosci causa ex effectu: & vel maxime, quòd est intentionaliter prius respectu alicujus quoad unum actum, potest esse intentionaliter posterius respectu ejusdem rei quoad alium actum, ut est evidens. Ad confirm. conc. ant. neg. conf. Multa evidentia creduntur, quanquam non credantur ob evidentiam: scilicet possum assentiri eidem rei per diversos actus, habentes diversa motiva, tum evidentia, tum non evidentia, præsertim si motiva non evidentia exuperent ratione certitudinis supernaturalis, motiva evidentia.

126. Ob. 9. Ignotius non potest esse ratio cognoscendi aliquid notius: sed testimonium DEI est aliquid ignotius, quam existentia DEI: ergo testimonium DEI non potest esse ratio cognoscendi existentiam DEI: adeoque hæc non potest credi ob testimonium DEI. Confirm. 1. Nemo audiens hominem loquentem credit ob ejus testimonium, quòd existat: ergo neque audiens DEUM loquentem credit, eum existere ob ejus testimonium. Confirm. 2. Ipsa prima veritas, & infallibilitas DEI, non est credibilis ob testimonium: ergo actus fidei non universaliter elicitur ex hoc motivo. ant. prob. alias prima veritas crederetur propter se ipsam, seu per circulum vitiosum: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. cum enim eadem res possit cognosci, & affirmari ex diversis motivis, potest utique aliquid notius, seu ex alio fundamento evidentius, affirmari ob motivum ignotius, hoc est, obscurius propositum. Nec id imprudenter contingit in fide; tum quia certitudo fidei, ut infra dicemus, major est, quam certitudo actus naturalis, etiam metaphysicè evidentis; tum quia actus fidei habet suum meritum supernaturale; tum quia proponuntur etiam in Scripturis talia credenda, e. g. quòd omnibus hominibus sit moriendum.

Ad 1. confirm. om. ant. neg. conf. quia, cum audio loquentem, ipsa locutio, non ut testimonium, sed tanquam purus effectus vitalis causæ suæ, jam metaphysicè me certificat de vita loquentis; unde ordinariè esset superfluum, assentiri ob testimonium hominis fallibile, quòd est multò inferius motivum: at non ita se habet testimonium DEI, quòd est motivum longè firmitus, quam sit omnis ratio naturalis. Ad 2. confirm. neg. ant. ad prob. neg. ma. Creditur qui

dem prima veritas, imò & revelatio, propter se ipsam: non tamen ideo ambulatur vitiosus in circulo, sed potius in hoc motivo vitiosus gradus, ut infra agendo de resolutione fidei pluribus ostendemus. Et hæc de objecto formali fidei increato satisfusè: jam de creato agendum.

QUÆSTIO III.

De Objecto Formali Fidei Creato.

ARTICULUS I.

An Revelatio Externa sit Objectum Formale Fidei,

127. **E** Sparza. l. 6. de virt. Theol. q. 15. a. 2. cupiens conciliare omnes auctores circa sententiam

de objecto, seu motivo formali fidei, duplicem adstruit revelationem DEI: unam increatam, æternam, & DEO intrinsicam, quam vocat *revelationem activam*, atque a. 3. asserit, eam nec virtualiter distingui à voluntate DEI libera, aliquid exterius in tempore revelandi: alteram, quam vocat *revelationem passivam*, atque, consistere in aliqua entitate creata: sive hæc sit illustratio interior, immixta animo, ut contingit in prophetis: sive sit vox, aut aliquid aliud signum exterius, quo DEUS creaturis suum conceptum, de hac, vel illa re, simulque rem ipsam manifestat. Et illam quidem revelationem activam ait esse partiale motivum fidei: sed de passiva postea q. 16. a. 12. ait, certum esse, quòd non sit motivum ad assensum: at quomodo certum esse potest, cujus oppositum gravissimi auctores tradunt?

128. Dico 1. Revelatio illa, ab Esparza dicta activa, non est propriè, & strictè dicta revelatio: sed revelatio Divina, propriè dicta, est locutio aliqua DEO extrinseca, & creata manifestatio Divini conceptus. ita Suarez, Valentia, Gormaz, & communiter nostri. Prob. 1. ex S. Thoma, qui 1. p. q. 107. a. 1. in corp. ait: *Nihil enim est aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare*: sed illa revelatio activa, DEO interna, non est manifestatio conceptus Divini; cum nemini ex se sit nota, aut intellecta, nisi per aliud signum creatum manifestetur: ergo. Confirm. 1. ex eodem S. Doctore. q. 18. de verit. qua est de cognitione primi hominis &c. a. 3. in corp. ubi dividit revelationem in internam, seu illam, quæ fit per internam inspirationem: & in externam, seu illam, quæ fit, aut per voces prophetarum, aut Scripturam, aut traditionem: quæ utraque est creata, & DEO externa: nec mentionem ulli facit alterius revelationis DEO intrinsicæ: ergo.

129. Prob. conclusio 2. Scripturæ, Concilia, & Patres, per revelationem Divinam ubique intelligunt locutionem DEI ad nos directam: atqui hæc non est revelatio illa activa, sed passiva creata: ergo. Confir. 1. **E**

Ut fatetur Elparza, revelatio activa DEO intrinseca, aliud non est, quam decretum, seu volitio DEI, aliquid nobis manifestandi, vel loquendi, aut revelandi: atqui volitio loquendi, vel revelandi, non est locutio, aut revelatio: sicut volitio comedendi non est comestio, & volitio sanctificandi non est sanctificatio, ut clarè colligitur ex Tridentino *sess. 6. c. 7.* ergo. Confirm. 2. Revelatio illa activa, DEO immanens, est ab aeterno: atqui revelatio DEI strictè talis, non est ab aeterno: ergo. prob. mi. DEUS non est ab aeterno loquens creaturis: cur enim locutus fuisset, quando nemo audivisset? ergo. Certè, sicut decretum condendi mundum, ab aeterno existens, non denominat DEUM ab aeterno creatorem, ita nec volitio revelandi, ab aeterno existens, denominat DEUM ab aeterno revelantem.

Confirm. 3. Per revelationem Divinam hic non intelligitur locutio purè mentalis, qua DEUS sibi loquitur ad intra (sicut etiam homo potest sibi ipsi loqui, dum se convertit ad actum considerandum, quod habitualmente novit, & in se format conceptum rei, qui verbum mentis dicitur) sed juxta Scripturam, Concilia, & Patres, intelligitur hic per revelationem locutio ad nos directa: atqui hæc non potest explicari, nisi dicatur, quod sit aliquod signum manifestativum conceptus Divini, à DEO distinctum, etque extrinsecum: ergo. Confirm. 4. Locutio ad alterum strictè dicta debet esse signum extrinsecum, distinctum à conceptu loquentis, quod innotescat ei, ad quem locutio dirigitur: ergo etiam revelatio, seu locutio DEI, directa ad nos, debet esse tale signum extrinsecum, distinctum à conceptu DEI. prob. ant. aliis non est explicabile, in quo stet ratio mendicij; nam hæc in eo flare juxta omnes dicitur, quod locutio sit conceptui in mente existenti contraria: si autem locutio jam staret in ipso conceptu, non posset esse contraria conceptui: ergo.

130. Dico 2. Revelatio ista, propriè dicta, seu creata, est parziale motivum Divinæ fidei. ita S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 1. in corp. Suarez, Vasquez, Turrifanus, Molina, & communiter nostri, pluresque alii. Prob. 1. Scripturæ ubique pro motivo fidei assignant testimonium; locutionem, revelationem, enarrationem, sermonem Divinum &c. sed, nisi verba hæc valde torqueantur, à proprio in alienum sensum, planè significant manifestationem aliquam creatam; cum, (ut hucusque probatum) actus internus DEI, nec sit testimonium, nec locutio, nec sermo, nec manifestatio &c. respectu nostri: ergo. ma. prob. omnibus textibus. n. 38. citatis.

Confirm. 1. Testimonium externum DEI, seu revelatio, ut vocatur passiva, juxta Scripturas non est pura conditio, applicans motivum formale: ergo est parziale motivum. ant. prob. Scripturæ illi testimonio, seu externæ manifestationi, tribuunt prædicata, quæ conveniunt soli motivo fidei: ergo. prob. ant. testimonium illud dicitur in Scripturis esse verum, esse majus testimonium

humano, esse æternæ veritatis, adeoque ægnum assensu firmissimo: atqui hæc non conveniunt ei, quod est tantum applicatio motivi, sed conveniunt soli motivo fidei: ergo. Confirm. 2. Necjuxta Scripturas, nec juxta rationem, ad motivum fidei sufficit aliquid tantum infallibiliter connexum cum re, sed debet esse infallibile dicens: atqui hujus concreti infallibile dicens, etiam est pars ipsa dictio, seu revelatio propriè dicta: ergo. ma. est clara, tum ex Scripturis, quæ semper exigunt ad fidem dictum, vel testimonium: tum ex ratione allata n. 39. quia per hoc distinguitur fides ab aliis assensibus intellectualibus. mi. etiam est clara cuilibet, qui ad regulas logicas illud concretum novit resolvere in subiectum, & formam.

131. Prob. 2. conclusio, & præoccupatur simul responso adversariorum. Fides semper assentitur mysteriis, vel objectis; quia sunt dicta, vel revelata à DEO: atqui illa particula quia (ut rectè notat Gormaz de virt. Theol. n. 351.) est sæpe respectu aliarum potentialium denotet tantum conditionem, tamen respectu intellectus, elicientis propositionem causalem, semper denotat motivum: ergo respectu intellectus, elicientis actum fidei (qui est propositio causalis, habens pro causa testimonium DEI) e. g. respectu intellectus elicientis hunc actum: *Credo incarnationem; quia DEUS dicit:* illud quia denotat, dictum Divinum esse motivum illius actus. conf. patet. ant. prob. etsi voluntas amans bonum, quia cognoscit, non habeat pro motivo cognitionem: & ignis comburens, quia applicatus, non habeat applicationem pro concussa, sed tantum pro conditione: tamen in istis propositionibus causalibus: *Voluntas amat bonum; quia est cognitum: & Ignis comburit; quia est applicatus:* cognitio, & applicatio, est verum objectum formale motivum respectu intellectus, elicientis eas propositiones causales: & quæ sunt tantum conditiones respectu voluntatis, vel ignis, sunt vera motiva respectu intellectus: ergo non est paritas ab aliis potentiis ad intellectum, elicientem propositiones causales.

Prob. ant. Juxta omnes summulas propositio, quæ habet particulam quia, est causalis, & per illam particulam denotatur ratio, seu motivum assentiendi: ergo. Et sanè intellectus ex eo, quod voluntati proponatur bonum per cognitionem, & igni per applicationem admoveatur e. g. stupa, movetur ad affirmandum, dari amorem, & combustionem: & si deberet per syllogismum hoc probare, pro medio termino, id est, pro motivo suo, assumeret cognitionem, & applicationem. Hinc, quamvis e. g. cognitio, non sit causa amoris, tamen est causa, vel motivum propositionis affirmantis, eum dari.

132. Dices. In hac propositione: *Intellectus agit; quia est applicatus:* applicatio non est motivum respectu intellectus agentis: ergo.

go. Resp. dist. ant. applicatio non est motivum respectu intellectus, hanc propositionem causalem elicientis. neg. ant. non est motivum respectu intellectus alterius, qui non elicit hanc propositionem, sed de quo, tanquam de objecto, dicitur, eum aliud quid agere, conc. ant. & neg. conf. Dixi enim tantum, quod respectu intellectus, elicientis propositionem causalem, illa particula quia denotet motivum, in ordine ad assensum illum causalem (& talis semper est intellectus, elicientis actum fidei, seu credens objectum; quia DEUS dicit) non verò dixi, quod illa particula quia denotet semper motivum respectu cujuscunque intellectus, non elicientis propositionem causalem, sed tantum se habentis per modum objecti, de quo alius quidam propositionem causalem affirmat.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

133. **O**B. 1. contra primam conclusionem. Illa est locutio, seu revelatio propriè dicta, à qua res dicta habet veritatem: sed hæc non habet à manifestatione, seu revelatione creata externa: ergo. prob. min. revelatio creata, seu verba extrinseca, sunt indifferentia ad verum, vel falsum: ergo ab his non habet res dicta veritatem. Resp. 1. neg. ma. nam utique locutio falsa est locutio propriè dicta, & vera in essendo, licet non sit vera in dicendo. Resp. 2. dist. ma. illa est locutio propriè dicta, à qua præcisè nudè in se sumpta habet res dicta veritatem. neg. ma. à qua ut informatæ auctoritate infallibili dicentis habet veritatem. conc. ma. & dist. sic min. neg. conf. ad prob. dist. ant. verba illa, nudè sumpta, sunt indifferentia ad verum, vel falsum. conc. ant. ut informatæ auctoritate DEI. neg. ant. & conf.

Si enim DEUS illa verba assumat, & sua auctoritate extrinsecè informet, seu moraliter ipsis uniat suam infallibilitatem, non amplius sunt indifferentia, sed determinatissima ad veritatem; sicut, si homo gravis ea assumat, non quidem metaphysicè, vel physicè, tamen moraliter redduntur determinata ad verum. Quod si etiam ille fallatur ex inculpata ignorantia, tamen ejus auctoritate verba determinantur ad hoc, ut non sint mendacia, quamvis prius in se, & nudè sumpta, indifferentia essent ad mendacium. Unde, licet talis non loquatur materialiter verum; quia ejus verba non sunt conformia objecto, tamen loquitur, ut Logici dicunt, formaliter verum, quatenus verba sunt conformia conceptui mentis.

134. Ob. 2. Psal. 61. v. 12. dicitur: *Semel locutus est DEUS: duo hæc audivi:* atqui, si revelatio externa esset vera locutio DEI, non tantum semel fuisset locutus DEUS: ergo. Resp. retorqueo argumentum Ad Hebr. 1. v. 1. dicitur: *Multifariam, multisque modis, olim DEUS loquens patribus*

in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio: ergo DEUS sæpius locutus est: & cur hæc verba Apostoli in filio non sint explicanda etiam de locutione propriè dicta? Quare, ne isti textus sibi contrarii sint, conciliari debent: hinc resp. 1. dist. min. non tantum semel locutus fuisset DEUS ad extra. conc. min. ad intra, neg. min. & conf. illum textum Psalmistæ Gormaz de virt. Theol. n. 242. explicat de locutione DEI ad intra, non de qua loquitur Esparza, consistente in decreto DEI, & de qua n. 127. scilicet de locutione, per quam DEUS generavit Verbum Divinum. Firmatur responso auctoritate D. Augustini enarrat. in psal. 61. in ea verba ita commentantur: *Apud se semel DEUS locutus est; quia unum Verbum genuit DEUS.* Ex illis autem ibi semel dictis dein per revelationem extrinsecam David duo illa audivit: scilicet, in DEO dari potentiam, & misericordiam, ut illa timeatur, in hac speretur.

135. Responderi probabiliter potest 2. DEUM fuisse semel, hoc est, aliquando immobiliter locutum; nam semel videtur etiam in hac significatione accipi; sic enim dicimus: *Jam semel dixi: quod semel factum, semper manet: semel dictum, semper dicitur.* ita Beilaminus in explan. psal. 61. & hunc locum, citans S. Hieronymum, qui sic explicat: *Semel DEUS loquitur, & fit omnino, quod loquitur.* Ex hoc autem non sequitur, quod tantum semel, vel tantum una vice, DEUS locutus sit. Item semel etiam significat summam, vel omnino juxta Calepinum; unde potest fors dici, DEUM summam, vel omnino, aliqua aliquando dixisse; ex quibus David duo illa perceperit. S. Hieronymus pro illo semel ponit vocem unum; quia Hebræum vocabulum etiam juxta Bellarminum loc. cit. significat unum. Et hinc quoque Emanuël Sa ex S. Hieronymo veritè illa verba: *Unum mihi:* scilicet Davidi, locutus est DEUS: hoc autem unum non necessarîo negat aliud, sed ab eo præscindit.

136. Ob. 3. contra 2. conclusionem S. Thomas: 2. 2. q. 1. a. 1. in corp. ait de fide: *Si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud, quam veritas prima:* ergo excludit revelationem creatam. Resp. dist. ant. nihil est aliud, quam veritas prima revelans, vel dicens. conc. ant. quam veritas prima nudè sumpta. neg. ant. & conf. Hæc est mens expressa Angelici; nam statim ibidem subjungit: *Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est à DEO revelatum.* & 2. 2. q. 5. a. 3. in corp. ait: *Formale autem objectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis Sacris, & doctrina Ecclesie.* & 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. ait: *Immititur enim fides nostra revelationis, Apostolis, & Prophetis facta, qui canonicos libros scripserunt.*

137. Ob. 4. Si revelatio creata esset objectum fidei, tunc fides haberet pro objecto formali aliquid creatum: sed sic non esset virtus Theologica: ergo. Resp. dist.

ma. fides haberet aliquid creatum pro ob-
jecto formali adequato. neg. ma. pro inadæ-
quato. conc. ma. & dist. sic min. neg. conf.
potest enim virtus Theologica, si id requi-
rat tendentia actuus ejus, habere aliquod
partiale objectum formale quod creatum,
modò alterum parziale objectum sit Divi-
num; nam sic tamen adhuc sufficienter di-
stinguitur à virtutibus moralibus; istæ
enim nec pro objecto formali quod partiali
habent aliquid Divinum. Et sic spes (quæ
juxta omnes est virtus Theologica; eoque
ejus actus sit desiderium fiduciale DEI
possidendi) juxta communem Theologorum
habet pro objecto formali quod DEUM auxi-
liantem, hoc est, præter ipsum DEUM etiam
auxilia creata à DEO provenientia: vel et-
iam juxta plures Theologos (quia ejus
actus est amor DEI, non quidem benevo-
lentia, sed concupiscentia) habet pro ob-
jecto DEUM videndum, vel possidendum,
hoc est, etiam visionem beatificam crea-
tam, qua videtur, & intentionaliter possi-
detur DEUS. Aliud est de charitate Theo-
logica, cujus actus ex sua tendentia ni-
hil requirit creatum pro objecto formali,
& hinc nec pro objecto partiali habet ali-
quid creatum; unde 1. Cor. 13. v. 13. ab Ap-
ostolo dicitur *major*.

138. Ob. 5. Promulgatio legis non
est pars legis: ergo nec revelatio est pars
motivi fidei. Confirm. Revelationes crea-
tæ sunt diversæ speciei; aliæ enim consti-
tunt in inspirationibus internis, aliæ in vo-
cibus externis, aliæ in aliis signis: sed mo-
tivum, seu objectum formale fidei, debet ef-
se ejusdem speciei; nam, ut diximus n. 113.
omnes actus fidei probabiliter sunt ejusdem
speciei: ergo. Resp. om. ant. neg. conf.
Etsi detur, seu omitatur antecedens, ex eo
tantum sequitur, quòd revelatio non sit
pars veritatis Divinæ: non verò, quòd non
sit pars veritatis Divinæ dicentis, quæ tota
est motivum fidei. Omisit ant. quia, licet di-
catur, quòd promulgatio legis non sit con-
stitutiva legis, essentialiter tantum sumptæ,
est tamen promulgatio, saltem aliqua latius
dicta, pars legis ut actualiter obligantis.

Ad confirm. dist. ma. Revelationes
creatæ sunt diversæ speciei in consideratione
physica. conc. ma. in consideratione
Theologica. neg. ma. & dist. sic min. neg.
conf. Furtum auri, & furtum argenti, etiam
differunt physicè, non tamen Theologicè;
quia hanc differentiam non considerat Theo-
logia, nec prædicatum aurei, vel argentei,
est ab ipsa considerabile. Possunt autem
etiam actus fidei inter se differre specie phy-
sica, modò non differant specie Theologica:
& hinc etiam physicè differre poterunt
objecta formalia, modò non differant Theo-
logicè, quòd non contingit; nam Theolo-
gia non considerat, vel curat, an revela-
tio sit vox, an illuminatio interior, sicut
neque considerat, an verba sint Latina, an
Hebraica, modò omnia conveniant in hoc,
quòd sint testimonium DEI.

139. Ob. 6. Quod est indifferens ad ve-

ritatem, vel falsitatem, non potest esse ob-
jectum formale fidei: sed revelatio exter-
na, seu verba extrinseca, sunt indifferentia:
ergo. prob. ma. fides debet esse certissima, &
hanc certitudinem habere ab objecto forma-
li: sed non potest eam habere ab objecto
indifferente ad veritatem: ergo. min. supe-
rior etiam probatur clarè: illa verba, & si-
gna exteriora, saltem simpliciter, potuissent
provenire ab insipiente, & mendaci, nec ex
natura sua exigunt provenire à veraci, &
cum veritate conjungi: ergo illa verba sunt
indifferentia. Resp. dist. ma. quod est in-
differens ad veritatem, vel falsitatem, non
potest esse objectum formale fidei adæqua-
tum. conc. ma. non potest esse objectum
inadæquatum. neg. ma. & dist. etiam min.
revelatio est indifferens seorsim sumpta,
conc. min. ut informatam extrinsecè auctori-
tate DEI loquentis, five ei conjuncta. neg.
min. & conf. ad prob. dist. ma. fides debet
habere suam certitudinem ab objecto formali
adæquato. conc. ma. debet eam habere ab ob-
jecto tantum inadæquato. subdist. debet eam
habere ab objecto inadæquato seorsim sum-
pto. neg. ma. ab eò ut informato, vel con-
juncto alteri comparti, seu auctoritati DEI
loquentis. conc. ma. & om. min. neg. conf.
ad prob. min. dist. ant. possunt à mendaci
provenire verba illa, & signa seorsim sum-
pta. conc. ant. ut informatam, vel conjunctam
auctoritati Divinæ. neg. ant. & conf.

Deinde hoc argumentum retorqueo
in adversarios, juxta quos revelatio exter-
na saltem est applicatio motivi fidei; nam
etiam illa verba sunt indifferentia, ut
applicent motivum fidei, seu auctoritatem
Divinam, vel non; si enim à mendaci pro-
venirent, non applicarent utique auctori-
tatem DEI; unde etiam adversarii debent
nostra distinctione uti, & dicere, ea qui-
dem verba esse indifferentia ad applicationem
motivi fidei, si seorsim spectentur, non ve-
rò, si spectentur ut informatam auctoritate
Divinam, & conjuncta illi, vel certis quibus-
dam circumstantiis.

140. Sciendum itaque, multa esse ad
aliquem effectum, vel dandam aliquam de-
nominationem indifferentia, si seorsim su-
mantur: non verò, si cum compartibus.
Sic quælibet præmissa seorsim, & sola, est
indifferens, seu insufficientis, ad inferendam
conclusionem: quilibet gradus caloris est
indifferens ad intensionem; si enim solus
relinquitur, non faciet intensionem: insu-
per, ut rectè notat Haunoldus l. 3. tr. 1. n.
97. quælibet pars corporis venusii est in-
differens ad constituendum pulchrum; na-
sus enim, qui est pulcher in facie gigantis,
esset deformis in facie parvuli. Unde eti-
am, licet revelatio externa, seorsim sum-
pta, sit indifferens ad movendum ad actum
fidei, non tamen est indifferens, si simul
sumatur in complexo cum auctoritate DEI:
& sic sumi debet; nam, ut sæpe jam dixi-
mus, ad actum fidei non sufficit tantum
motivum infallibile, sed requiritur infalli-
bile dicens: hoc autem non habetur sine
reve-

revelatione: & pariter neque sufficit quod-
cunque dicens, seu dictum, sed debet esse in-
fallibile, atque ad eò utrumque simul.

Licet autem revelatio seorsim sumpta
non sit vera, est tamen vera, si infermetur
auctoritate Divina, vel huic jungatur,
hoc est, si verba illa assumantur à DEO ut
sua: & ab his, in complexo, vel concreto
sumptis, potest actus fidei habere certitudi-
nem, & veritatem firmissimam. Questio
autem de voce foret, quamam hujus con-
creti *testimonium DEI infallibile* pars sit re-
velatio, an sit subjectum, an forma: ad quam
tamen responderi potest. Si ponatur hoc con-
cretum *testimonium DEI infallibile*, revela-
tio erit subjectum: & forma ejus erit ve-
ritas, seu infallibilitas Divina. Si verò
concretum ponatur istud *prima veritas
dicens*, revelatio erit forma. Nec est
ullo modo absurdum, ut aliquid respectu
concretorum, formaliter saltem diverforum,
concreto sumatur per modum subjecti, aliàs per
modum formæ; quia dependet res ab ac-
ceptione intentionali, ut possit explicari plu-
ribus exemplis.

141. Ob. 7. Visio beatifica succedit fi-
dei: sed visio habet pro objecto solum præ-
dicatum Divinum: ergo etiam fides. Resp.
syllogismus manifestè esse malè formatum;
inferuntur enim in conclusione duo termi-
ni, qui nunquam fuere in præmissis; unde
neg. conf. Visio, & fides, non debent quoad
omnia esse similes; aliàs, sicut fides est ob-
scura, ita etiam visio deberet esse talis: nec
visio succedit fidei, ut par pari, sed ut perfe-
ctius imperfectiori: sic etiam possessio DEI
succedit fidei, quia illa etiam requirit absten-
tiam boni, quam tamen requirit spes strictè
dicta.

ARTICULUS III.

An etiam Revelatio Privata possit
esse objectum formale fidei Divinæ.

142. Cardinalis de Lugo de fide disp.
9. sect. 1. n. 17. docet, vel
potius supponit, in statu pu-
ræ naturæ fuisse possibilem aliquam revela-
tionem DEI. Et sanè ipsius ratio magni
ponderis est; nam utique DEUS potuisset
tunc homini, vel creaturæ cuicumque ra-
tionali, præter præcepta naturalia imponere
aliquod præceptum positivum; cur enim non
potuisset DEUS, etiam homini in eo statu,
prohibere esum alicujus fructus, aliàs indif-
ferentem, quamvis non voluisset eum ele-
vare ad statum supernum? hoc autem præ-
ceptum non potuisset homini innoscere,
nisi per aliquam revelationem Divinam.

Talis autem revelatio in eo statu non
propterea fuisset Theologicè supernaturalis,
quidquid sit, an futura fuisset philosophicè
supernaturalis; quamvis valde probabile sit,
eam nec philosophicè supernaturalem futu-
ram fuisse; tum quia non videtur, quare
præceptum, de quo modò dictum, debuerit

esse philosophicè supernaturale; tum quia
non videtur esse supra exigentiam totius
creaturæ aliqua DEI locutio; nam creatu-
ra rationalis, in statu naturæ puræ relicta, non
exigeret auctorem suum mutum, sed po-
tius loquentem, saltem indeterminatè, & in
quibusdam naturalibus circumstantiis. Ne-
que est (ut aliqui hinc opponunt) nimia fa-
miliaritas domini cum servo, si ei loquatur,
præsertim imperando.

Imò, quamvis creatura in statu puræ
naturæ locutionem DEI non exigeret, ta-
men, ut quidam ajunt, ea locutio non ef-
set supernaturalis; quia DEUS producendo
illam locutionem, naturaliter, five tanquam
agens naturale, eam produceret. Sic, ajunt,
licet aer non exigit lucem; quia tamen sol
exigit illam in aère producere, ipsa est aeri
naturalis: ut autem sol exigit producere lu-
cem, ita, ajunt isti auctores, DEUS, etiam
ut auctor naturæ, exigit posse cum sua crea-
tura loqui, etque præcipere. Quæ autem
Esparza l. 6. de virt. theol. q. 19. a. ult. ad 4. &
q. 26. a. 7. in oppositum dicit, & contra
possibilitatem revelationis in statu puræ na-
turæ assert, me non moverent, si istam quæ-
sitionem tractare, & positivè decidere vel-
lem.

143. Sed quidquid de hoc sit, talis re-
velatio naturalis defacto non datur in no-
stro statu elevationis; nam modò omnes locu-
tiones Divinæ sunt supernaturales: & in-
ternæ quidem locutiones sunt intrinsecè ta-
les, utpote ex essentia sua conducentes ad
finem supernum: externæ verò voces, aut
scripturæ, vel alia signa, saltem sunt extrin-
secè supernaturalia; quatenus DEUS ea ex-
hibet, ex intentione eternæ salutis nostræ.
Ex his autem revelationibus aliquæ sunt
publicæ, hoc est, factæ in ordine ad omnes
homines, & totam Ecclesiam: aliæ verò *pri-
vatæ*, hoc est, factæ, non tantum uni perso-
næ privatæ (nam multæ, quæ sunt publi-
cæ, primò uni homini, e.g. Moysi, factæ sunt,
sed cum intentione, ut omnibus manifesta-
rentur) sed sunt factæ in ordine ad unum so-
lum, vel paucos.

Et pari ratione aliqui sunt actus *fidei
publicæ*, alii *fidei privatæ*: unde actus fidei
est genus ad actum fidei publicæ, seu *Catho-
licæ*, & ad actum fidei privatæ, seu *non
Catholicæ*: sicut animal est genus ad rationa-
le, & irrationale. Per actum fidei Catho-
licæ intelligimus hic in sensu restricto eum,
qui est universalis, hoc est, qui assentitur ob-
jectis revelatis in ordine ad totam Ecclesi-
am, seu revelationi publicæ: per actum fi-
dei non catholicæ intelligimus eum, qui non
est ita universalis, sed assentitur tantum re-
velationi privatæ. Queritur jam, an actus,
assentiens tali revelationi privatæ, sit verè
actus fidei Theologicæ, seu Divinæ, ita, ut
habitus fidei etiam in ipsum influat, sicut in
actum assentiens revelationi publicæ.

144. Dico. Actus, respiciens pro suo
motivo revelationem Divinam privatam, est
verè actus fidei Divinæ, & Theologicæ. ita
Suarez, de fide disp. 3. sec. 10. n. 5. Tanner.
E 3 disp.

rarò habeant sufficientem applicationem illius, tamen non est impossibilis, ut colligitur ex 3. Reg. 20. v. 35. ubi ita dicitur. *Vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere: cui ait: Quia noluit audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo: cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit: hoc est, ut apud Emanuelem Sa habet versio Chaldaea, occidit: ex qua poena, hujus nolentis percutere, habetur, eum fuisse culpabilem in non credenda illa revelatione, & mandato DEI. Regulariter tamen requiritur approbatio, & applicatio Ecclesiae, ut habetur ex Lateranenii citato. n. 144.*

153. Ob. 6. Saltem revelatio privata de rebus temporalibus non est motivum fidei: ergo. prob. ant. talis revelatio non habet pro objecto aliquid Divinum: ergo. Resp. neg. ant. sicut enim revelatio publica de rebus temporalibus, e. g. de armentis, aut ovibus Jacobi, vel de cane Tobiae, est obiectum formale fidei, & non minus esset hereticus, qui ista pertinaciter negaret, quam qui negaret mysterium SS. Trinitatis: ita etiam non minus est motivum fidei revelatio privata de rebus temporalibus, quam revelatio privata de spiritualibus; nam in utroque casu adest testimonium DEI: nec minus revelatio de temporalibus, quam revelatio de spiritualibus creditur; quia DEUS eam dicit: adeoque habetur etiam obiectum formale Divinum: ex quo patet, ad probationem negandum esse ant. vide n. 6. & 7.

QUÆSTIO IV.

De Ultimo Fidei Resolutive.

ARTICULUS I.

Quodnam sit Ultimum Fidei Divine Resolutive.

154. **H**æc controversia plures paginas variis auctoribus implet: & quosdam in opiniones factis mirabiles abstrahit, quas singillatim refutare non est animus: videre eas potest, cui libet, apud Gormaz de virt. Theol. disp. 16. sec. 1. n. 771. Ut autem hanc quæstionem, inter præcipuas hujus tractatus non infimam, clarè resolvamus, notandum, per *resolutive ultimum* non intelligi hinc causam efficientem, immediatam, & adæquatam actus fidei; hæc enim facile assignaretur, scilicet complexum ex omnipotentia DEI, & habitu fidei (nisi hujus defectum ipsa etiam omnipotentia extrinsecè applicata suppleat.) item ex gratia, si hæc physice influat: tandem ex intellectu creato; nam actus supernaturalis fidei, nec adæquatè procedit à principio supernaturali (quia est vitalis, & consequenter debet intellectus, per eum vivens, concurrere) nec adæquatè à principio tantum naturali, ut est de fide ex Tridentino.

155. Verùm hæc quæstio hic loci non agitatur in hoc sensu: sed per *resolutive* hic intelligitur *motivum*, seu *objectum formale ultimum*, in quo credens quiescit, & quod ipse pro ultimo responso intra lineam fidei dat interroganti, quare talem, vel talem actum fidei eliciat. Dixi *intra lineam fidei*; nam habitus, vel actus, non debet extrahi extra suam lineam, nec ei assignari pro resolutive aliquid, non spectans ad ejus lineam. Sic resolutive ultimum charitatis Theologica rectè assignatur bonitas DEI infinita; quia hæc est ultimum motivum intra lineam habitus charitatis: & in hac quiescit ipse in linea sua. Quare, si quis ulterius quæreret, unde sciatur, bonitatem DEI esse infinitam, talis interrogatio jam esset extra lineam charitatis; non enim ad charitatem attinet scire, sed tantum amare suum obiectum formale super omnia: non autem charitas amat, multò minus super omnia amat eam scientiam, vel notitiam.

Hinc motiva probantia, DEUM esse summum bonum, non sunt motivum charitatis Divinæ: sed sunt motivum, aut fidei, aut alterius habitus intellectualis, qui credit, vel scit, ex suis rationibus, DEUM esse summum bonum. Sic etiam motivum obedientiæ intra lineam suam est præceptum: scientiæ autem de præcepto non est obiectum formale obedientiæ, sed alterius habitus, aut actus, ad obedientiam præsuppositi. Unde similia argumenta, quibus e. g. probatur, DEUM esse summum bonum, vel legem esse latam, non sunt motiva charitatis, aut obedientiæ; sed tantum sunt conditiones, vel applicationes morales motivorum, in eo sensu, in quo dicitur, cognitio esse applicatio motivi ad voluntatem. Similiter motiva actus imperantis sunt suo modo conditiones, vel applicationes, motivorum priorum actus imperati. Sic si quis ex timore gehennæ imperet sibi actum contritionis perfectæ, metus gehennæ non est motivum istius, nec intra hujus lineam; (est enim tantum motivum attritionis) sed respectu contritionis est tantum aliqua quasi applicatio motivi: quod motivum est sola pura DEI bonitas propter se ipsam.

156. Sicut autem dantur applicationes motivorum, respectu habituum, & actuum voluntatis, ita etiam dantur applicationes motivorum, respectu habituum, & actuum intellectus. Hujus rei exemplum valde appositum affert Gormaz de virt. Theol. n. 225. Intrat e. g. homo doctus in officinam bibliopolæ: legit aliquem librum, cujus auctorem ignorat, sive quia titulus deest, sive quacunque de causa: placent, quæ ibi legit de variis Theologicis rebus: quærit igitur bibliopolam, hominem non alia scientiâ, quam superficiali librorum notitiâ instructum, seu, qui sciat quidem, quales auctores in officina adsint, & quomodo nominentur: de cætero autem, nec Theologus, nec Philosophus sit: ab hoc audit, auctorem libri illius esse S. Augustinum; tum enim verò statim firmius adhuc adhaeret lectis.

tis, quam antè: non tamen propter auctoritatem bibliopolæ, cujus auctoritas in rebus Theologicis nulla est: sed tantum propter auctoritatem S. Augustini, ei applicatam per dictum bibliopolam.

Quare hic assensus: *Credo ista; quia S. Augustinus ita scribit*: ultimato resolutive in auctoritatem S. Augustini, & non in auctoritatem bibliopolæ, ob quam neutiquam eliceretur assensus, tam firmiter lectis adhærens: & in hoc casu ulterius quærere, unde sciatur, hoc esse à S. Augustino scriptum, non est amplius quærere motivum hujus assensus, & intra ejus lineam: sed est quærere motivum cognitionis præviæ, & tantum applicantis motivum assensus: sèque habet hoc motivum in ordine ad assensum, rebus illis in libro lectis præstitum, sicut se habet motivum probans, quod DEUS sit summum bonum, in ordine ad actum charitatis: & superior quæritur etiam eodem modo se habet in ordine ad illum assensum, sicut se habet quærere, unde sciatur, DEUM esse summum bonum, in ordine ad actum charitatis. His prænotatis

157. Dico. Ultimum resolutive fidei est testimonium DEI infallibile, seu complexum ex sapientia, veracitate, & revelatione externa DEI. ita Suarez de piæ disp. 3. sec. 10. n. 9. ubi ait, ultimam resolutionem fidei fieri in ejusdem obiectum formale: hoc autem cum S. Thoma docet, esse primam veritatem revelantem; hinc n. 8. & 10. docet idem Eximius, auctoritatem Ecclesiae non esse ultimum resolutive fidei; eoquod Ecclesia, etiam ut directæ à Spiritu S. non loquatur, sed tantum applicet verbum DEI. Unde docet, maxime n. 10. rudes, credentes Ecclesiae ut directæ à Spiritu S. aliquo modo implicite resolvere suam fidem in auctoritatem DEI, quam (ut ait) in Ecclesia quasi loquentem supponunt. Consentit Gormaz de virt. Theol. n. 782. & communis nostrorum.

Prob. conclusio. Illud est ultimum resolutive fidei, in quo tanquam in motivo, vel obiecto formali, quiescit intra lineam fidei intellectus: sed hic quiescit in dicto complexo: ergo. prob. min. si quæratur ab intellectu, cur credat e. g. incarnationem Verbi Divini, respondet: *Quia DEUS summè sapiens, & verax, id revelavit*: nec potest intra lineam fidei aliam resolutionem dare: sicut, si quæratur à voluntate, cur amet DEUM super omnia, respondet: *Quia est infinitè bonus, & amabilis*: nec potest intra lineam charitatis aliud responsum dare: ergo. prob. ant. qualemcunque aliam resolutionem det intellectus, si ea non contineat dictum, vel revelationem, aut testimonium DEI, non assignabit motivum fidei, consequenter nec ultimum resolutive ejusdem; nam fides, ut sæpius jam dictum, præsertim n. 38. & 39. indispensabiliter exigit pro motivo testimonium DEI.

158. Ut autem clarior fiat probatio sententiæ nostræ, afferam breviter quæstiones. R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

nes, quæ occasione actus fidei possunt fieri. Prima igitur quæstio est. *Cur credis incarnationem?* Respondeo: *Quia DEUS summè sapiens, & verax, eam revelavit*: & hæc responso est omnino intra lineam fidei. Secunda est. *Cur credis id, quod DEUS summè verax, & sapiens, revelavit, seu dixit?* Respondetur, clarum esse, quod dicto illius Credendum sit, qui nec falli, nec fallere potest. Sanè hæc quæstio est similis illi, qua quis quæreret, cur assentiatur rei ex terminis evidenti; ipsum enim dictum infallibile meretur assensum propter se: & hinc etiam ad hanc quæstionem non potest intra lineam fidei alia responso dari, neque etiam debet, quam hæc: *Quia hoc DEUS infallibiliter dicit.*

Tertia quæstio est. *Cur credis, DEUM esse summè sapientem, & summè veracem?* Respondeo, huic quæstioni intra lineam fidei non potest dari alia responso, quam hæc: *Quia hoc DEUS infallibiliter dicit*: quomodo autem hæc responso non incurrat circulum vitiosum, vel petitionem principii, melius declarabitur infra in objectionibus. Quarta quæstio. *Unde scis, quod DEUS sit summè sapiens, & verax?* Respondeo: hæc quæstio non potest habere responsum intra lineam fidei; non enim ad fidem spectat scire, sed tantum credere: sicut ad charitatem non spectat scire, DEUM esse summum bonum; quia hæc scientia non datur intra lineam charitatis. Extra fidem autem respondeo, hoc sciri ex iis rationibus, quibus DEUS probatur esse Ens perfectissimum: quæ tamen, quia ordinariè naturales tantum sunt, non sufficiunt ad assensum firmissimum fidei, aut hujus resolutive, sed tantum ad ejus applicationem.

159. Quinta quæstio. *Cur credis DEUM esse locutum?* Respondeo intra lineam fidei: *Quia locutus est*: ubi notandum, quemlibet, dum loquitur, hoc ipso exercitè dicere, seu testari ipso facto, se loqui; hinc impossibile est, ut DEUS aliquid, quodcumque sit, revelet, & non simul exercitè revelet suam revelationem, seu testimonium. Unde propter ipsum dictum non tantum potest credi obiectum, e. g. incarnatio: sed etiam potest credi, quod DEUS locutus fuerit. Pariter quis loquens, dum seriò loquitur, & petit sibi credi, eo ipso dicit, se intelligere, aut scire rem, de qua loquitur, & veraciter eam dicere; hinc etiam exercitè, seu ipso facto, testatur, se habere sapientiam, & veracitatem, & auctoritatem, cui fides possit adhiberi.

Hæc autem quilibet exercitè dicit proportionaliter ad se; unde homo censetur tantum dicere sapientiam, & veracitatem humanam, pro sua conditione; quia tantum petit fidem humanam. At, quia DEUS petit fidem Divinam, seu firmissimam, sua locutione exercitè dicit auctoritatem infallibilem. Per hoc tamen non negatur, quod non possit signatè, vel reflexè etiam aliquis dicere, se loqui: sèque esse sapientem, & veracem. Et sic in Scripturis sæpius reflexè

revelatur, seu dicitur DEUS locutus: reflexè etiam, & signatè, dicitur, DEUS esse verax, sapiens, infallibilis, ut videre est n. 54. videatur etiam Suarez disp. 3. de fide sec. 12. n. 12.

160. Sexta quaestio. Unde scis, quòd DEUS sit locutus? Respondeo iterum, non esse fidei, hoc scire: imò probabilis nec extra fidem, strictè loquendo, scitur universaliter, DEUM esse locutum; nam probabilis non est evidens fides Catholica, de quo infra; hinc etiam extra lineam fidei non scitur, DEUM esse locutum: sed tantum scitur, hoc esse evidenter credibile & credendum, sive esse evidenter credibilitatem, & credentiam, seu obligationem credendi fidem Catholicam. Politè autem evidentià de obligatione credendi, potest, & debet, voluntas imperare, & intellectus elicere actum fidei. Sicut quando est evidens obligatio adorandi hostiam, de qua non possum prudenter dubitare, quòd sit consecrata, certè debeo eam adorare, etsi evidenter non sciam, quòd sit consecrata.

Septima quaestio. Cur vis credere? Respondeo: hoc non attinet ad fidem, cujus non est velle (cùm sit virtus intellectus, non voluntatis) sed spectat hoc ad habitum piæ affectionis, intra cujus lineam responderetur: Quia honestum est credere, & implere obligationem credendi; ut enim diximus n. 9. actus fidei, utpote meritorius, debet esse liber: non autem potest esse liber in se ipso, & intrinsecè; cùm sit actus intellectus, qui est potentia necessaria: ergo debet esse liber in alio, seu extrinsecè, scilicet in imperio voluntatis. Quare ad eum requiruntur duo habitus, unus voluntatis, dictus piæ affectionis, qui liberè imperet actum, alter fidei Theologicae, qui eum eliciat. Isti habitus habent diversà motiva: piæ affectio respicit honestatem actus fidei, & honestatem implendi obligationem credendi: fides autem respicit testimonium Divinum.

161. Octava quaestio. Unde scis, dari obligationem credendi? Respondeo: hæc quaestio est prorsus extra lineam fidei, imò & piæ affectionis, ad quam non spectat scire obligationem, sed eam implere: sicut ad charitatem non spectat scire, DEUM esse summum bonum, sed eum amare. Spectat igitur illa notitia obligationis credendi ad aliquem habitum intellectus, qui ex motivis credibilitatis, & etiam credentitatis, ut vocant; concludit, dari evidenter hanc obligationem. Quanam autem sint illa motiva, fusè dicemus disp. sequenti. Non autem nititur fides istis motivis (saltem, si non aliqua sint verbum DEI, ut aliqui volunt) sed præsuppositis his inferioribus, tanquam applicantibus motivum superius testimonii Divini, fides propter solum testimonium DEI applicatum, elicit assensum longè firmiter, quam mereantur illa motiva inferiora: sicut charitas, præsupposita cognitione de bonitate DEI, elicit amorem DEI super omnia, & longè majorem, quam mereatur illa qualiscunque cognitio: & in casu al-

lato n. 156. legens librum S. Augustini, elicit assensum firmiter, quam mereatur auctoritas bibliopolæ. Quomodo autem rudes fidem suam resolvant in DEUM, dicemus infra à. n. 456.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

162. **O**B. 1. Esse revelatum nihil ponit reale in rebus, consequenter est tantum ens rationis: sed ens rationis non potest esse specificativum, consequenter nec ultimum resolutivum actus fidei: ergo. Resp. dist. ma. esse revelatum est ens rationis metaphysicum, aut physicum. neg. ma. logicum. om. ma. & dist. min. ens rationis metaphysicum non potest esse specificativum actus. om. min. physicum, aut logicum. neg. min. & conf. *Ens rationis metaphysicum* est illud, quod realiter non potest existere, sed tantum aliquo modo concipi, ut Chimæra: & de hoc ente omitto, quòd non specificet habitum, quanquam fors aliquis alius hoc negaret. *Ens rationis physicum* est ipsa operatio intellectus, seu cognitio, quæ unque specificat suum habitum, tanquam effectus suam causam. *Ens rationis logicum* juxta multos est terminus secundò intentionalis: & in hoc sensu esse revelatum, non est ens rationis; hinc omisi ma. juxta alios autem *ens rationis logicum* est idem, ac concretum logicum, seu denominatio extrinsecæ, cujus scilicet forma non inest subiecto, ut cognitum, visum &c. & tale concretum etiam est esse revelatum: falsum autem est, quòd talia non specificent actum, vel habitum; nam formæ etiam extrinsecæ magnam vim habent, ad movendum intellectum, vel voluntatem, ad hos, vel illos actus, ut patet in innumeris: sic res viâ movet ad amorem: res perditâ ad luctum: recuperata ad gaudium &c.

163. **O**B. 2. Potest dari actus fidei, qui non attingat testimonium Divinum: sed hic non habet pro ultimo resolutivo istud testimonium: ergo. Resp. dist. ma. potest dari actus fidei formalis. neg. ma. fidei objectivæ, vel virtualis. conc. ma. & dist. min. hic actus fidei objectivæ non habet pro resolutivo intrinsecò testimonium DEI. conc. min. non habet pro extrinsecò. neg. min. & conf. Quid sit actus fidei objectivæ, dictum sufficienter est n. 43. hic autem actus, cùm non habeat motivum intrinsecum, non potest utique in illud resolvi. Habet autem motivum extrinsecum, scilicet ipsum testimonium DEI; nam hoc, cùm sit intrinsecum respectu actus fidei formalis, eo ipso est extrinsecum respectu actus fidei objectivæ. Si neges, posse motivum extrinsecum dici resolutivum, eoquòd non sit intra lineam actus ipsius, non tecum contendam, sed aliter dist. min. & est actus fidei objectivæ. om. min. est actus fidei formalis, de quo est nobis

nobis sermo. neg. min. & conf. sic autem actus fidei objectivæ nullum omnino habet resolutivum, quod an admittendum, viderit, qui hæc objicit.

164. **O**B. 3. Posset dici, actum fidei resolvi in auctoritatem Ecclesiæ: ergo non necessariò resolvitur in testimonium DEI. Resp. Vel intelligitur auctoritas Ecclesiæ tantum humana, scilicet tanquam alicujus congregationis ex sapientissimis membris constare: & tota hæc sapientia & auctoritas est fallibilis, præsertim circa difficillima mysteria, quæ nostra fides amplectitur: adeoque huic auctoritati non potest inniti fides illa firmissima, quæ exigitur à nobis. Vel intelligitur auctoritas Ecclesiæ, ut infallibilis per assistentiam Spiritus S. & rursus distinguendum est; vel enim propositio, aut definitio Ecclesiæ, à Spiritu S. directæ, est verbum DEI: & actus fidei, resolutus in eam definitionem, resolvitur realiter in verbum, seu testimonium DEI, quod volumus: vel illa definitio non est verbum DEI, sed tantum infallibilis ejus applicatio: & actus fidei non resolvitur in illam; quia, ut hucusque sæpe, & sufficienter probatum, actus fidei exigit pro objecto formale testimonium DEI. Quid autem ex his duobus tenendum, examinabimus infra à n. 443. In forma dist. ant. posset dici, actum fidei resolvi in auctoritatem Ecclesiæ, si definitio Ecclesiæ sit verbum DEI. conc. ant. si non sit. neg. ant. & conf.

165. **O**B. 4. Posset dici, quòd actus fidei resolvatur in supernaturalem illustrationem Spiritus S. vel lumen supernaturale infusum: ergo. Resp. dist. ant. posset hoc dici, si illa illustratio sit testimonium DEI. conc. ant. si non sit. neg. ant. & conf. Non est dubium, DEUM sæpe illustrando interiori loqui; sicut enim sæpe Prophetis locutus est: & hinc illustratio interior etiam potest esse locutio DEI: quo casu utique actus fidei poterit eâ niti. Sed tunc debet ea illustratio ita clara esse, vel certè cum talibus signis proponi, ut prudenter dubitari non possit, DEUM per eam loqui. At non omnis illustratio interior supernaturalis, seu Spiritus S. est talis; nam multæ tantum proponunt alias rationes, & sunt cognitiones aliquæ supernaturales rationum quorundam e. g. signorum credibilitatis Ecclesiæ: neque proponunt rem semper in se ipsa veram, sed tantum evidenter credibilem: neque etiam proponunt reflexè, aut exercitè se ipsas, ut verbum DEI: sed potius proponunt ut verbum DEI aliquam revelationem à se distinctam, & sæpissimè externam. Insuper neque signa credibilitatis eò tendunt, ut omnis illustratio superna habeatur pro verbo DEI, sed tantum aliqua alia revelatio, in ordine ad quam etiam datur ea illustratio.

Uterius ordinariè illustratio superna non est sufficienter à nobis discernibilis, aut nobis sufficienter proposita, sive applicata tanquam testimonium DEI: adeoque illustratio superna, quam ordinariè habemus, non potest esse motivum fidei; hoc enim

debet esse ita propositum, & applicatum, ut discerni utique possit ejus existentia, saltem ut de ista prudenter dubitari non possit: neque etiam prudenter dubitari possit, quòd sit testimonium, seu locutio DEI: tales autem non sunt illustrationes ordinariæ, & præsertim illustrationes multæ, præviæ ad piam affectionem, vel etiam ad actum fidei.

Talis etiam non est illustratio, qua cognoscimus credibilitatem nostræ religionis; quia non est locutio DEI; unde etiam actus, quo post acceptam eam illustrationem affirmamus eam credibilitatem (ut docet Gormaz de virt. Theol. n. 666. citans Suarezium disp. 4. de fide sec. 6. & Lugo de fide disp. 5. sec. 3.) non est actus fidei, sed vel procedit ab omnipotentia extrinsecè applicata, vel ab habitu connexo cum fide. Addit, Gormaz, eum actum, seu eam illustrationem, non esse revelationem; eoquòd non sit actus obscurus, sed evidens: quæ ratio pugnat quoque contra alios actus prævios, saltem multos. Multò autem minus dici potest, resolvi fidem in lumen internum, supernum, transiens, vel habituale, tenens se ex parte potentia, & productivum actus fidei, ut volunt Bannez, Arragon, & alii apud Gormaz de virt. Theol. n. 773. ut enim diximus n. 154. non agimus hic de causa efficiente, sed de objecto formali, & motivo fidei.

166. **O**B. 5. Posset dici, fidem resolvi in hæc principia naturaliter evidentià, scilicet: DEUS est summè verax, & sapiens: & Omnis revelatio DEI est essentialiter vera: ergo non debet resolvi in testimonium DEI ut tale. Resp. neg. ant. nam primò naturalis evidentià non est sufficientis motivum ad actum Divinæ fidei, qui exigit certitudinem, & firmitatem altioris ordinis, super omnia creata motiva, & à Scripturis semper revocatur ad testimonium DEI. Secundò non possunt ista motiva concurrere ad fidem, nisi cognoscantur per testimonium DEI, prout diximus n. 39. Tandem ista duo principia nondum reddunt quietum intellectum; nam utrumque potest esse verum, & tamen non dari actus fidei certissimus circa objectum, e. g. incarnationem; etsi enim DEUS sit summè verax, & sapiens: etsi etiam omnis ejus revelatio sit essentialiter vera, quando scilicet datur: si tamen DEUS hic, & nunc, non loquatur, quomodo ei credes? aut quomodo certus eris de incarnatione? Unde ad motivum adæquatam fidei non sufficiunt illa duo principia, sed requiritur insuper, quòd objectum sit à DEO dictum.

167. **O**B. 6. Actus fidei, quo creditur prima veritas, seu quòd DEUS sit summè verax, & sapiens, non potest resolvi in testimonium DEI infallibile: ergo nullus actus fidei, prob. conf. juxta nos omnis actus fidei affirmat, seu credit etiam primam veritatem, seu DEUM summè veracem, & sapientem; nam imbibuntur hæc perfectiones in ipso testimonio DEI: ergo, si actus, credens primam veritatem, non potest resolvi in testimonium DEI, nullus actus fidei poterit in istud resolvi.

prob. iam ant. superius. prima veritas non potest movere ad credendam se ipsam: ergo. prob. hoc ant. in naturalibus alius est habitus, assentiens principiis immediatis, & alius habitus, assentiens veritatibus mediatis, seu conclusionibus: ergo alius est etiam in supernaturalibus: atqui prima veritas est quasi principium immediatum respectu actus fidei, & hic est quasi conclusio, seu veritas aliqua mediata: ergo habitus assentiens primæ veritati, est alius ab habitu fidei, assentiente actibus fidei.

Confirm. Actus fidei debet esse actus mediatus: sed assensus præstitus primæ veritati propter se, non est actus mediatus: ergo non est actus fidei. Resp. neg. ant. ad hujus prob. iterum. neg. ant. ad cujus prob. conc. ant. neg. conf. Habitus naturales generantur ex frequentatis actibus: & hinc quando actus sunt diversi, generantur diversi habitus, & isti iterum limitantur ad similes actus. At habitus supernaturales infusi, quæ non generentur ex actibus, & insuper sint quasi potentia, non ita arctè limitantur. Quanquam autem prima veritas sit aliquod quasi principium, cum tamen sit etiam aliquid, signatè, vel saltem exercitè revelatum, potest etiam per fidem affirmari.

Ad confirm. dist. ma. Actus fidei debet esse actus mediatus, hoc est, debet esse cognitio unius in alio, respectu objectorum distinctorum ab ipso testimonio DEI, seu primæ veritate. conc. ma. respectu ipsius etiam testimonii, & primæ veritatis. neg. ma. & om. mi. neg. conf. Cum alia objecta longè plura sint, & ista in ordine ad fidem non cognoscantur tanquam vera in se, sed tantum in testimonio Divino; hinc, denominatione desumpta à potiori, potest actus fidei dici actus aliquo modo mediatus. At verò ipsum testimonium DEI, seu prima veritas, non cognoscitur, seu affirmatur in alio per fidem, sed immediatè propter se: nec tamen propterea actus fidei respectu primæ veritatis erit assensus primi principii strictè dicti, ut jam dictum n. 49.

168. Dices. Hac ratione prima veritas deberet movere ad se ipsam, & esse prior se ipsa: hoc est impossibile: ergo. Confirm. 1. Auctoritas DEI est obscura: ergo non possum ei assentiri propter se. Confirm. 2. In humanis stultè crederem, aliquem esse sapientem, & veracem, tantum, quia ipse diceret, se esse talem: ergo etiam actus, quo credimus DEUM esse sapientem, & veracem, malè niteretur hoc motivo. Resp. dist. ma. prima veritas deberet esse prior se ipsa in sensu formali. conc. ma. in sensu reali. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Hoc debet dici in omnibus veritatibus immediatè propter se affirmatis, & in omnibus primis principii.

Ad 1. confirm. dist. conf. ergo non possum auctoritati Divinæ assentiri propter se, nisi aliunde applicetur. conc. conf. si applicetur. neg. conf. vide n. 49. Ad 2. confirm. dist. ant. stultè crederem, si veritas illius hominis aliunde non applicaretur. om. ant.

si applicaretur. neg. ant. & conf. Certè, si sæpe expertus sum, aliquem hominem esse veridicum, vel si aliunde mihi redditur prudenter credibile, e. g. ratione dignitatis, qua præditus est, quòd veridicus sit, possum prudenter credere ipsi, quando dicit, se hic, & nunc, mihi veraciter loqui, & me non fallere: vel etiam, si dicit, se non solere fallere, nec in certis rebus falli: imò hoc frequenter, & prudenter contingit in humana fide: igitur adhuc prudentius potest id fieri in actibus fidei Divinæ.

169. Ob. 7. Juxta nos resolutio fidei fieret in revelationem mediatam, jam ante mille, & plures annos factam Patriarchis, Prophetis, aut Apostolis: sed hoc est incredibile: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. Hoc nullo modo incredibile visum est Eximio Doctori, & gravissimis aliis auctoribus, quin nec S. Thomæ, qui expressè dicit, fidem nostram illi revelationi mediatæ inniti: verba ejus citavimus n. 149. Aliud est, quòd debeamus habere proximiorum aliquam applicationem revelationis, immediatè nobis factam: aliud est, quòd debeat ipsa revelatio immediatè nobis, & nostro tempore esse facta: illud concedimus, & inferius exponemus, unde habeatur ea applicatio respectu singularum: alterum negamus.

Dices ex Haunoldo l. 3. tr. 1. n. 111. Mysterium SS. Trinitatis non est immediatè credibile in se; quia non apparet ex terminis credibile: sed neque revelatio mediata apparet immediatè in se ex terminis credibilis: ergo neque ista est immediatè in se credibilis. Resp. neg. ma. Illa ratio saltem non est adæquata. In primis implicat, ut mysterium SS. Trinitatis in se appareat credibile, etsi enim apparere possit per visionem beatificam immediatè in se verum, & affirmabile, non tamen potest apparere in se credibile; quia non est testimonium; nam quidquid est credibile, debet esse tale in testimonio DEI: consequenter etiam illud mysterium debet apparere credibile in testimonio, hoc est, in alio. Ulterius illud mysterium neque est in se affirmabile respectu nostri; quia independentè à testimonio DEI non est nobis applicatum, ut possit propter suam solam veritatem movere intellectum. Si tamen posset independentè à testimonio DEI nobis sufficienter applicari in via (de quo non disputo) posset etiam independentè ab illo affirmari. At verò revelatio, etiam mediata, potest in ordine ad fidem ita applicari, & de facto ita applicari per signa credibilitatis: ergo est lata disparitas.

170. Ob. 8. Nostra resolutio fidei committit circulum viciosum, vel petitionem principii: ergo est insufficientis. prob. ant. nostra resolutio fieret hac ratione: *Credo e. g. incarnationem; quia DEUS summe verax, & sapiens dicit.* Quòd si dein ulterius quaeratur: *Quare credis, quòd DEUS dixit: rit: responderi non posset aliter, nisi: Credo; quia verax est:* vel *quia hoc dicit, & ita est sed sic, vel committitur circulus viciosus, vel petitio principii, ut patet intelligenti;*

genti: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. ant. & dico, non responderi tantum: *quia DEUS verax est;* hoc enim non sufficit; nam, etsi DEUS verax sit, potuisset non loqui, & tunc non potuisset ei credi: sed potius intra lineam fidei iterum responderetur: *quia DEUS verax dicit:* & hinc non fit circulus; quia nullus fit progressus, sed sistsit in eodem motivo. Sicut ad quaestionem: *Cur amas DEUM?* responderetur: *quia est summum bonum:* & si ulterius sapius interrogos, non potest aliud responderi intra lineam charitatis: nemo tamen dicit, committi tunc circulum viciosum.

Potius videri posset, committi petitionem principii, quæ tunc dicitur viciosè committi, quando aliquid, quod non est ex se clarum, aut certum, vel evidens, adstruitur, & petitur, ut admittatur absque ulla probatione, sicut admitti solent prima principia evidentialia. At neque hæc petitio principii committitur in nostro casu; quia, licet intra lineam fidei non probetur ulterius testimonium Divinum, probatur tamen extra lineam fidei, saltem ut evidenter credibile, & credendum: quod non contingit circa prima principia evidentialia. Et ita propositio: *DEUS testatur, se esse primam veritatem infallibilem:* est quidem per se credibilis intra fidem, sed non nisi præsupposita applicatione sufficiente extra lineam fidei, vide etiam dicta n. 49.

171. Dices. 1. Illa probatio extra lineam fidei non est sufficiens: ergo nec ista responsio. prob. ant. Illa probatio non reddit nos certos de existentia testimonii Divini: ergo non est sufficiens approximatio testimonii Divini, ut propter hoc eliciamus actum fidei firmissimum. prob. conf. objectum non agit, nisi ad mensuram applicationis: e. g. objectum applicatum per apprehensionem, vel actum probabilem, aut obscurum, non agit, aut movet, ut progrediamur ad actum evidentem: ergo neque objectum, applicatum duntaxat per actum inferiorem, & extra lineam habitus fidei, agit, ut progrediamur ad actum firmissimum, & certissimum intra lineam fidei.

Resp. neg. ant. ad prob. om. ant. quia illa motiva, etsi de ipsa revelatione non afferant tantam certitudinem, quanta requiruntur ad eliciendum actum fidei, tamen afferunt, ut infra dicemus, aliquam certitudinem moralem. Sed hoc omisso neg. conf. ad hujus. prob. neg. ant. universaliter sumptum; licet enim causa creata non possit naturaliter agere, nisi aliquo modo applicata, tamen non semper agit præcisè juxta mensuram applicationis: quamvis negari non possit, id sæpe contingere.

172. Quòd causa, vel objectum, sæpe agat ad mensuram applicationis, & huic effectus commensuret, patet ex exemplo in objectione posito, & etiam ex aliis: e. g. ignis magis approximatus magis calefacit. Quòd autem id universaliter non sit verum, potest ostendi inductione plurium. Sic cognitio DEI non est digna amore super omnia: at-

tamen applicat bonitatem Divinam, tanquam motivum ad producendum amorem DEI super omnia. Sic approximatio ignis non est substantia, & tamen applicat ignem ad producendam substantiam ignis: & ut loquamur etiam de actibus intellectus, e. g. probabilitas major, de necessitate alicujus rei ad valorem sacramenti, non est certitudo, tamen applicat intellectum ad producendum actum certum de eo, quòd debeat talis res adhiberi, ut sumitur ex damnata propositione prima ab Innocentio XI. Item moralis certitudo de existentia præcepti non est evidentia, & tamen applicat lumen naturale intellectus ad producendum actum evidentem, quo dicat, ponendum esse actum præceptum: imò idem facit conscientia erronea, etsi nullo modo sit veritas.

Idem contingit in exemplo adducto n. 156. in quo certè dictum bibliopola non meretur tantam fidem, quantam meretur dictum S. Augustini: & tamen dictum bibliopola applicat auctoritatem S. Augustini ad eliciendam tantam fidem, quantam meretur S. Augustinus. Idem fit, si quis superior per famulum alicui intimet aliquod præceptum; nam tunc, etsi famuli auctoritas non mereatur obedientiam, imò per se nec fidem indubitam, tamen debet obediri. Rursus sapientimè contingit, virum primarium per famulum significare alteri certa nova, vel talia, aut talia dicta, vel decreta regis, quæ dein alter absque dubio credit, utique non propter locutionem famuli, sed propter auctoritatem viri illius primarii, quam famulus tantum applicavit, sed ita, ut eliciatur actus supra meritum applicationis, vel locutionis famuli.

173. Regula autem alia circa hanc rem non videtur posse dari, quam, quòd attendi debeat, ad quid tendat totus actus primus proximus: an scilicet hic tendat ad effectum, qui sit in tali linea, in qua solet effectus produci, omnino commensuratus applicationi: an verò tendat ad effectum, qui sit in alia linea superiori: quod vel experientia, vel alia ratione, deprehendi poterit. Si primum potest omitti, quòd effectus in sensu objectionis commensuret applicationi. Si secundum: debet negari, quòd effectus ei commensuret.

Et hoc secundum contingit in casu nostro; nam illa motiva præcedentia, seu motiva credibilitatis, non applicant intellectum, præcisè ad producendum actum in sua linea, seu nixum ipsis motivis credibilitatis; quamquam enim etiam producat aliquis actus nixus istis motivis credibilitatis: at tamen in eo non quiescunt motiva illa: sed ulterius, unà cum imperio voluntatis, applicant intellectum ad producendum actum in superiori linea, sive nixum testimonio Divino. Dixi *cum imperio voluntatis*; quia motiva credibilitatis sola, nondum sufficienter applicant, aut determinant intellectum ad eliciendum actum fidei; nam iste adhuc prærequirit imperium voluntatis. Unde negari potest, quòd illa motiva sola sint adæ-

quata applicatio, seu determinatio: præsertim, si quis replicare vellet, quòd in exemplis secundæ classis non totam applicationem assignaverimus.

174. Igitur res sic contingit. Cognoscit intellectus motiva credibilitatis, quæ fuaident evidenter esse credibile, & credendum mysterium c. g. incarnationis, seu dari præceptum illud credendi propter auctoritatem DEI revelantis: hæc veritas movet voluntatem ad parendum præcepto; unde ista imperat per piam affectionem actum fidei: hoc voluntatis imperio determinatur intellectus, ut eliciat eum actum, nixum, non motivis illis præviis, sed auctoritate, vel testimonio DEI: sicut scilicet, quando quis audit bibliopola dicere, hunc librum esse S. Augustini, nec habet ullam rationem dubitandi de veritate dicti, aliqua fide credit, hunc librum esse S. Augustini: hæc fide minori posita, applicatur, seu determinatur intellectus, ut eliciat fidem de rebus lectis firmiorem, nixam dictis S. Augustini.

Dices. 2. Voluntas non potest imperare intellectui firmiorem assensum, quam mereantur motiva præcedentia. Resp. neg. illatum; potest enim omnino imperare firmiorem assensum, non quidem nixum motivis illis præcedentibus, sed altiori motivo testimonii Divini: quòd enim voluntas hoc possit, est certum ex Innocentio XI. qui damnavit hæc 19. nam propositionem: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Potest nempe voluntas æquè bene determinare intellectum ad implendam obligationem suam, quam possit determinare alias potentias, aut se ipsam. Et quidem voluntas tam prudenter potest imperare adimpletionem præcepti fidei, quam adimpletionem alterius cujuslibet præcepti sufficienter intimati, præsertim, cum præceptum credendi, seu credentias fidei, ut infra dicemus, sit evidens. videatur de hac applicatione motivi Gormaz de virtut. Theol. à. n. 788.

DISPUTATIO III.

De Applicatione Objecti Formalis Fidei.

175. **A**uctoritas DEI dicentis, seu testimonium Divinum, cum, saltem juxta communem ordinem Divinæ providentiæ, non innotescat omnibus immediatè per se, debet per aliquid aliud applicari, vel reddi credibile, sive ita proponi, ut assensu fidei omnino dignum sit, & hic ei prudenter adhibeatur, tanquam tali objecto, cui fides prudenter negari non possit, sed juxta leges prudentiæ omnino adhiberi debeat: sicut scilicet proportionaliter liber S. Augustini, ut diximus n. 156. debet applicari per auctoritatem bibliopolæ; unde debet adesse aliquod motivum, ex quo ho-

minibus reddatur credibile, DEUM hæc, vel illa revelasse: hoc autem motivum est ordinariè prædicatio ministri, ab Ecclesia missi; sic enim ait S. Paulus ad Rom. 10. v. 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?*

Jam verò auctoritas Ecclesiæ, vel ejus ministri, licet concedatur, non habere eandem auctoritatem cum testimonio DEI (quanquam aliqui oppositum velint, docentes, ipsam prædicationem Ecclesiæ, vel ministri ab ea missi, esse moraliter verbum DEI, de quo agitur inferius à n. 443.) debet tamen tanta esse, ut ipsius prædicatione reddat testimonium DEI evidenter credibile, & credendum: adeoque debet ipsa prius esse evidenter credibilis, ita, ut nemo de Ecclesiæ, ejusque prædicationis veritate, prudenter dubitare possit. In hunc finem DEUS Ecclesiam vestivit signis veritatis planè maximis, & intellectum non omnino pertinacem convincentibus. Hæc autem signa vocantur *motiva credibilitatis*, qualia sunt *prophetia, miracula, uniformitas, & sanctitas doctrinae, diffusio, seu extensio universalis in omnem orbem &c.* quæ fusiùs infra prosequemur.

Itaque negotium istud sic communis procedit. Primò per signa credibilitatis agnoscit homo, Ecclesiam Catholicam præ omnibus aliis sectis esse credibilem, & credendam, seu pro vera habendam. Ex hoc manifestè sequitur, verbis Ecclesiæ, seu etiam ministri, ejus nomine loquentis, esse credendum. Hinc ulterius, quando illa, vel ejus minister, dicit, hoc, vel illud, esse à DEO revelatum, hos, vel illos libros, esse Canonicos, & continere verbum DEI, credendum est, DEUM id dixisse, illisque libris contineri verbum DEI. Et sic ritè est applicatum testimonium Divinum, cui dein innitendo elicitur actus fidei. Ut autem ordinatè ista omnia explicemus, varias verbi DEI applicationes singillatim examinabimus.

QUÆSTIO I.

De variis Regulis applicantibus Verbum DEI.

ARTICULUS I.

An Sacra Biblia sola sufficienter applicent Verbum DEI.

176. **R**eligiones, seu, si ita velis dicere, sectæ (sumendo hoc vocabulum lætius) quæ in mundo hæc datæ sunt, aut adhuc dantur, ad has potissimum classes possunt reduci, scilicet ad Philosophismum, Paganismum, Machometismum, Judaismum, & Christianismum. Paganismum vocatur cultus plurium Deorum, qualis apud gentes, & ethnicos, seu paganos fuit.

fuit. *Philosophismus*, qui ab aliis *Theismus* dicitur, eorum est, qui unum DEUM colunt: aliud tamen de ipso non credunt, quam, quòd naturalis ratio de eo dicit: pariter aliud præceptum, quam verbi naturæ, non agnoscunt. *Machometismus*, est eorum, qui colunt DEUM, & Machometem, tanquam ejus prophetam: quanquam etiam Christum, sed tantum ut prophetam, & hominem duntaxat venerentur. *Judaismus* præter ea, quæ natura dicit, admittit etiam revelationem Divinam, in antiqui testamenti libris contentam, colitque unum DEUM: sed Christum nullo honore dignum existimat. Tandem *Christianismus* Christum filium DEI proficitur, & revelationes, tum antiqui, tum novi testamenti admittit.

Dividuntur autem hæc classes iterum in species inferiores; nam idololatræ diversissimos DEOS adorant: & Philosophi, eodem lumine naturali, ut existimabant, ducti, diversa statuerunt: Turcæ quoque, & Persæ, quanquam ambo Machometem colant, sese invicem ut hæreticos tractant. Inter judæos fuit alia secta Phariseorum, alia Sadducæorum, alia Herodianorum. Christiani etiam in diversas sectas, Arii, Donati, Widelii, Lutheri, Calvini &c. abierunt. Ex his autem Philosophismus, cum non admittat verbum DEI, sed tantum lumen naturale, utique non aliam admittit applicationem credendorum, vel potius affirmandorum de DEO, quam ipsam naturalem hominis rationem. Gentiles, cum absurdissima quæque de suis Diis credant, tanquam applicationem credendorum, aut assignant traditionem majorum (ut ex gentes, quæ scriptis nihil consignarunt) aut certè aliquos libros eorum, & probabiliter adjunctam poporum, vel etiam poetarum suorum explicationem. Machometani suum Alcoranum, aut certè ejus expositiones, produciunt. Judæi, aut Rabinorum auctoritatem, aut suum Talmud, moderno præsertim tempore assignant. Christiani quoque inter se discrepant; quidam enim, ut hæretici plures, Biblia Sacra, aut spiritum privatum adstruunt: alii, ut Catholici, applicationem (seu quod idem est) regulam aliquam vivam, verbum Divinum, sive scriptum, sive traditum, in sensu legitimo explicantem, agnoscunt.

177. Circa hæc facile probatur, quòd minimè sufficiant ea, quæ ab aliis, quam Christianis afferuntur; nam, cum (ut infra probabimus) evidenter credibilia, ac credenda sint plura mysteria altissima, & captum humanum longissimè excedentia, certè ratio humana sola (ut Philosophismus vult) ea applicare non potest. Cum rursus evidenter credibile sit, DEUM plurima esse locutum, quæ ratio naturalis non dicit, certè per istam illa verba DEI applicari non possunt. Huc faciunt quoque dicta n. 36. quæ etiam probant, humanam rationem non tantum non esse motivum fidei, sed nec esse ejus infallibilem applicationem.

Cum insuper (ut infra probabimus) ad minimum evidenter credibile sit, atque cre-

dendum, falsas esse sectas Gentilium, & Machometanorum, nec eas habere verbum DEI, utique sequitur, earum etiam applicationem falsam esse, quatenus pro verbò DEI falsissima quæque applicat. Pariter, ut infra probabimus, falsa est secta Judæorum; qualis nunc existit, adeoque neque penes ipsos est verbum DEI purum, aut incorruptum; quanquam enim libros Moysis ab eis adhuc haberi concedamus, tamen Rabini alia multa adjunxere, & Talmudistæ inanissimas fabulas confinxere. Quare, etsi suum Talmud, non ipsum verbum DEI, sed tantum applicationem ejus vocarent, tamen pessimè fallerentur. Unde hæc quæstio de applicatione verbi Divini potissimum reducitur ad applicationes verbi Divini, quas variæ sectæ Christianorum assignare solent: quanam scilicet ex pluribus tanquam legitima tenenda sit: quam maximi momenti quæstionem ut ordinatè decidam, per partes rem agam, & de variis verbi DEI applicationibus per plures articulos tractabo, & primò de Sacra Scriptura.

178. Dico itaque. Sacra Scriptura, seu verbum Dei scriptum, non applicat sufficienter se ipsum, sed indiget adhuc alia applicatione, aut regulà, ita omnes Catholici contra hæreticos. Utique non nego, quòd Scriptura Sacra sit verbum DEI: neque nego, quòd, si ipsa sit ritè applicata in sensu vero, possit aliquis dirigi ab ea ad credendum: sed tantum nego, quòd ipsa sola, non aliunde applicata, sit sufficiens regula credendorum. Prob. conclusio. Tunc Sacra Scriptura non potest esse regula se sola sufficiens, si ex ipsa sola, & nondum aliunde applicata, non constat. 1. an detur aliqua Scriptura Sacra, seu verbum DEI scriptum. 2. quinam libri sint Canonici, vel Scriptura Sacra. 3. quæ sit legitima eorum editio. 4. quis verus Sacræ Scripturæ sensus, in quo omnia credi debeant: atqui hæc omnia non constant ex sola Scriptura: ergo.

Major est innegabilis; si enim nesciatur, an detur aliqua vera Scriptura, aut nesciatur, in quibus libris, vel horum editionibus, comprehendatur, vel non pateat verus ejus sensus, omnia erunt obscura, & incerta, adeoque minimè sufficientia ad fidem certissimam, ut est per se clarum. prob. igitur minor per partes: & in primis quoad primam partem. Si ex Scriptura certò constaret, dari aliquam Scripturam Sacram, ideo hoc constaret; quia id Scriptura assereret: sed, licet ipsa id asserat, non ideo independenter ab omni alia regula, ostendente infallibilitatem Sacræ Scripturæ, & applicante veritatem hujus assertionis, est statim certum, Scripturam in hoc verum dicere; aliàs quilibet liber, qui diceret, se esse, vel dari aliam Sacram Scripturam, certissimam de hac re fidem faceret, quod nemo sanus dixerit. Certè plures circumferuntur libelli, qui continent aliquas fictas revelationes, & rejiciendi sunt, etsi dicant, eas esse veras.

179. Sed nec secundum potest constare ex Sacra Scriptura sola; nam supposito eti-

am, dari Scripturam aliquam Sacram, & veram, tamen non est ex Scriptura sola probatum, quinam præ aliis libri sint Canonici. Certè aliqui quosdam rejiciunt, quos alii admittunt: quamquam omnes, hac de re litigantes, aliquam veram Scripturam dari agnoscant. Sic Judæi veteris testamenti libros pleròque ut Divinos admittunt: at novo testamento omnem auctoritatem abrogant. Manichæi e contra, expulso testamento veteri, soli novo fidem adhibebant: & quando urgebantur, quòd Christus Dominus ipse, & Evangelista, ac alii scriptores sacri, in Evangelio, & Epistolis Canonicis, textus veteris testamenti, tanquam sacros adhibeant, reprobant, etiam novum testamentum quoad eas partes esse falsificatum. Alii saltem aliquos libros rejiciunt, ut libros Esther, Baruch, Tobia, Sapientia, Ecclesiastici, Machabæorum: imò & quasdam partes novi testamenti, ut epistolam ad Hebræos, epistolam S. Jacobi, item secundam S. Petri, & secundam, ac tertiam S. Joannis, ejusque Apocalypsin, itémque epistolam S. Judæ. E contra aliqui admittunt tanquam Canonicos, librum Hermetis, seu Pastoris, tertium, & quartum Efdra, tertium, & quartum Machabæorum, orationem regis Manasse, epistolam Pauli ad Senecam, Evangelium Nazæorum, & alia, quæ vide apud Bellarminum tom. 1. controu. 1. de verbo DEI. l. 1. c. 20. quos tamen libros Catholicis, ut Canonicos non admittunt. Quomodo autem ex sola Scriptura hæc lis definiatur?

180. Pariter nec ex folis Scripturis determinari potest, quænam sit sincera, & incorrupta sacrorum librorum editio. Certum quidem est, DEUM speciali providentia sua impedivisse, ne intra septendecim fermè jam sæcula, quæ fluxerunt à tempore scripti novi testamenti, non interierint, Evangelicæ novi testamenti Scripturæ (ut nihil dicam de testamento antiquo, quod adhuc pluribus sæculis, saltem quoad aliquos libros, antiquius est) etiam gentiles severissime sacros libros tradi sibi jufferint, traditòsque combufferint: etiam tunc temporis ex typographiæ defectu exemplaria non ita copiosè à scriptoribus confici potuerint, præsertim correctà; cum à describentibus facillè aliqua omitti, aut perversè scribi, aut etiam malitiosè plura mutari, vel addi potuerint: certum, inquam, est, speciali DEI providentiæ erga Ecclesiam adscribendum esse, quòd non omnia exemplaria Sacræ Scripturæ fuerint tradita, vel combusta, aut aliter perditata, vel etiam omnia corrupta. Attamen certum etiam est, quòd aliqua exemplaria Sacræ Scripturæ fuerint corrupta; aliàs cur jam S. Hieronymus, & alii, de correctione solliciti fuissent. Equidem scio, Bellarminum tom. 1. controu. 1. de verbo DEI. l. 2. c. 2. negare, Hebraica Biblia à Judæis in odium Christi fuisse corrupta, uti aliqui volebant: quòd tamen nulli in ea editione dentur errores, nec ipse asserit: imò c. eod. statim subinitium ait, hoc falsum esse: iterum explanat in psalmos mendosam eam editionem esse

sapienter asserit, præsertim post additionem punctorum, à Rabbini factam, post quam versio Hebraica saepe valde dubii sensus est, & à Latina editione multum diversa. Pariter videre est apud Bellarminum cit. l. 2. nec Græcam, nec Chaldaicam, nec omnes Latinas editiones, olim adhibitæ, esse absque omnibus mendis, præsertim quæ ab hæreticis prodierunt: & celari non possunt imposturæ Lutheri, qui plures textus corrupit, imò, quæ habemus editionem vulgatam, quamque omnibus meliorem, ac puriorem esse, & in iis, quæ ad fidem, merèque spectant, infallibilem, dubitare non licet, tamen ceu omnibus omnino numeris absolutam, & libriorum, aut typographorum, erroribus omnibus carentem, Ecclesia non proponit, ut expressè dicitur in præfatione ad lectorem, posita in principio Bibliorum Sixti V. & Clementis VIII. jussu editorum.

181. Quod attinet ad quartum, scilicet, quòd sensus Sacræ Scripturæ sit dubius, & ex se obscurus, id quidem hæretici, nostri præsertim temporis, perversè negant: attamen intellectui non obstinato est ita certum, ut de hoc omnino dubitare non possit. In primis enim ipsa S. Scriptura testatur, se esse obscuram, & intellectu difficilem. Sic psal. 118. v. 18. ait David: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: & v. 34. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam:* rursus v. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas:* in quæ loca S. Hieronymus in epist. ad Paulinum de institutione Monachi c. 4. ait: *Si tantus Prophetæ tenebras ignorantia constituitur, quæ nos putas parvulos, & penè lactentes, inscitia nocte circumdari?*

Iterum Luca ultimo v. 45. de Christo dicitur: *Tunc aperuit illis discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas:* ergo non per se ipsos eas intelligebant. Actorum 8. Evnuchus reginæ Candacis Isaiam legens, & à Philippo Diacono interrogatus v. 30. *Putasne, intelligis, quæ legis?* respondit v. 31. *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Denique de epistolis S. Pauli dicitur 2. Petri 3. v. 16. *In quibus sunt quadam difficultia intellectu, quæ indoctis, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Notat autem Bellarminus tom. 1. controu. 1. de verbo DEI. l. 3. c. 1. non dici difficultia tantum indoctis, & instabilibus, sed difficultia absolute, quamvis de indoctis dicatur, quòd ea dicta depravent: Idque probat ex S. Augustino.

Consentiunt unanimiter SS. Patres. S. Hieronymus modò citavimus, qui insuper epist. ad Algasiam. quest. 8. in eum locum: *Occasione accepta peccatum &c.* ait: *Totus hic Apostoli locus, imò omnis epistola ejus ad Romanos, nimis obscuris involuta est.* S. Augustinus epist. 119. ad Januarium c. 21. *Miror, quia hoc re lateat, quòd non solum in aliis innumerabilibus rebus, multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multò*

multò vestiam plura, quam sciam. & l. de fac. & operibus c. 15. ait: *Quapropter diligenter oportet attendere, quomodo accipienda sit Apostoli Pauli illa sententia, plane ad intelligendum difficultis, ubi ait (1. Cor. 3. v. 11.) Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quòd positum est, quòd est Christus JESUS &c.* S. Gregorius homil. 9. in Ezechiel. ait: *Liber autem involutus est Scriptura Sacra eloquium obscurum, quòd profunditate sententiarum involvitur, ut non facile sensu omnium penetratur.* Similia habentur passim apud alios SS. Patres, Ireneum, Ambrosium, Chryostomum, Origenem, quorum textus vide apud Bellarminum tom. 1. controu. 1. de verbo DEI. l. 3. c. 1. Accedit experientia ipsa; cum doctissimi etiam, atque optimi viri, post indefessa studia, tamen fatentur, sensum Sacræ Scripturæ saepe sibi esse obscurum. Et sancti hoc nemo mirabitur, si considerare vestre sacrorum literarum tropos obscuros, phrasas à nostris linguis alienas, inaudita proverbialia, parabolas peregrinas, translationes longissime petitas &c.

182. Quin ipsi hæretici, licet alienabili tuerentur, scripturam esse intellectu facilem, alibi sui immemores dicunt, eam esse intellectualem. Lutherus l. 1. contra Zwinglium, & Ecolampadium ait, propter diversas Scripturæ interpretationes, si mundus diltius steterit, recurrendam tandem rursus ad Conciliorum decreta. Idem in præfatione in psalmos ait, nec doctissimos, nec sanctissimos, nec se ipsum, intelligere in omnibus psalterium in legitimo sensu. Brennius ait, donum interpretandi Scripturas esse donum Spiritus Sancti, qui tamen illud liberimè distribuat, pro suo beneplacito. Kemnitius ait, in Ecclesia donum interpretationis non omnibus esse commune, sicut & gratiam sanationum, ac miraculorum. Accedit, quòd factò etiam ipso sibi contradicant hæretici; dum enim dicunt, Scripturam esse claram, quandoque ex ea nobis aliquid objiciunt, nunquam textum pro se clarum adducunt, ut infra videbimus: imò semper abique comparatione credibilis est, textum illum facere sensum, ipsorum intentioni oppositum: quomodo ergo dicere possunt, omnia esse clara?

Nec hæretici respondeant, Scripturam tantum obscuram esse superbis, vel indoctis, Hebraicæ, aut Græcæ lingua ignavis; nam in primis, & Evnuchus Candacis (de quo Act. 8.) pius, & humilis erat, & teste S. Hieronymo epist. 103. ad Paulin. c. 5. sanctus: itémque lingue Hebraicæ, vel Syriacæ, in qua illas scriptas tunc erat, gnarus: & tamen eum non intellexit. Et quis, cum virtute, cum doctrinâ, & Hebraicæ lingue notitiâ, major S. Hieronymo, quem Ecclesia in exponendis Sacris Scripturis doctorem maximum appellat? Hic tamen locis non paucis, citatis fatetur, Scripturam Sacram sibi esse obscuram. Huc etiam spectat observatio Bellarmini in verba Divi Petri epist. 2.

circa epistolas S. Pauli, quam n. 181. adduximus.

Sed & planè injuriosum est dicere, quòd Catholicis omnes sint indocti, superbi, aut impij, qui tamen Scripturam Sacram fatentur obscuram. Adde, hinc sequi, indoctos non habere ullam regulam sufficientem fidei suæ; namque Scriptura ipsis obscura est: doctorem auctoritatis fallibilis; præsertim, cum docti inter se contrarii sint, & hæretici interpretes plurimum, non tantum à Catholicis, sed etiam à se ipsis, inter se differant.

183. Verùm asserimus etiam aliquos textus, & petamus claram eorum interpretationem ab adversariis. Videtur sane clarissimus ille textus Matth. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum:* & tamen sacramentarii cum Lutheranis, teste Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. puncto 7. quest. 3. plures, quàm octoginta interpretationes differentes, adhibuere, Sane Lutherani eum textum explicant de præsentia reali Christi in usu, tamen absque transubstantiatione: Calvinisticæ, & Zwingliani eum explicant in sensu metaphoricæ, & tropicæ: Catholicis de reali præsentia Christi, etiam extra usum, & cum transubstantiatione. Quis item deciderit ex sola Scriptura? Certè, si ita clara hæc esset, deberent omnes eandem dare interpretationem.

Rursus Joann. 10. v. 30. Christus dicit: *Ego, & Pater unum sumus.* Catholicis cum modernis hæreticis pluribus hunc textum explicant de unitate reali, & consubstantiali naturæ: Ariani, & Nestoriani, de unitate tantum morali, & affectiva. Iterum Joann. 14. v. 28. Salvator ait: *Pater major me est.* Catholicis cum modernis pluribus hæreticis hæc verba explicant, quòd major sit Pater Filio, secundum naturam humanam accepto, non autem secundum Divinam, secundum quam unum est cum ipso: Ariani iterum volunt, Filium esse omninodè minorem, adeoque non esse DEUM. Matth. 28. v. 19. dicit Christus Apostolis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Anabaptistæ explicant, non debere quæquam prius baptizari, quam doceri, adeoque parvulos non esse baptizandos: Catholicis cum multis hæreticis dicitur, illud docere tantum intelligendum esse de adultis doctrinæ capacibus.

Et quæstio, quomodo ex Scriptura sola probant hæretici contra Catholicos per illud Matth. 26. v. 27. *Bibite ex hoc omnes:* esse omnibus impositum præceptum sumentium etiam sacrum calicem; cum tamen nec ipsi præceptum agnoscant in iis verbis, in eadem eadem dictis Joannis 13. v. 14. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes,* præsertim cum Marci 14. v. 23. postquam soli Apostoli bibissent, jam dicatur: *Et bibite ex illo omnes.* Plura similia possent afferri, uti & alia, ex quibus videtur inferri aliqua apparsens in Scripturis contradictio, adeò, ut SS. Patres, maxime S. Augustinus, laboraverint in conciliandis Evangelisticis. Sane hæc controversiæ ex Scriptura decidi non possunt.

possunt: sed, sicut in dubiis, de interpretatione legum civilium, recurrendum est ad iudicem, quem rex, aut respublica necessario constituere debet: ita etiam in dubiis, de sensu Scripturæ, recurrendum est ad aliam regulam, vel iudicem controversiarum, quem Christus constituere debuit; cum voluerit utique, bene ordinatam religionem instituire.

184. Dicunt adversarii, licet quædam loca Scripturæ sint obscuriora, ea tamen alibi declarari: sed, si hoc verum foret, certe tot lites de intelligentia Sacrarum Scripturarum non essent, inter Catholicos, & sectarios: imò inter hos invicem ipsos. Dicunt iterum, S. Augustinus l. 2. de doctrina Christiana c. 6. dicere, omnia obscura alibi explicari: sed S. Augustinus adversariis ibi nullatenus favet. Caput illud sextum sic incipit: *Sed multis, & multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, alii pro alio sentientes: quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur, non inveniunt: ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt: quod totum provolum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio renovandum:* quæ S. Patris verba nostram de obscuritate Sacra Scripturæ sententiam maximè roborant.

Quòd autem in fine capitis sic habeat: *Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperitur:* inprimis non probat, à quolibet reperiri planissimè dictum: sed ad summum probat, id reperiri à certis quibusdam, copiosius à DEO illustratis: certè expositionem in locum illum Cantici, quam ibidem S. Augustinus ponit, plurimi non reperissent. 2. Non dicit S. Augustinus, omnia obscura alibi reperiri planissima, sed tantum, siquid eruitur ex obscuritatibus, hoc est, reperiri doctrinas aliquas sacras inde erutas alibi planius scriptas. 3. Neque de his simpliciter dicit, eas reperiri: sed addit particulam *ferè* valde limitantem: & sanè sibi contradiceret, si hoc ita illimitatè assereret; nam, si hoc esset, non fateretur, se plura in Scripturis necire, quam sciat.

Accedit, quòd, si etiam verum esset, textus obscuros alibi explicari, tamen adhuc esset obscurus, quis textus sumendus pro regula alterius. Sic illum textum: *Pater major me est:* Catholicis explicant in ordine ad alterum: *Ego, & Pater unum sumus.* Ariani oppositum faciunt. Lutherani, qui asserunt, concupiscentiam esse verè formatum peccatum, textus illos ad Rom. 6. & 8. quibus dicuntur, per baptismum homines abluti, & sanctificati, explicant in ordine ad alterum ad Rom. 6. ubi Apostolus dicit, in se adhuc habitare peccatum: dicuntque illud *ablui* non significare, tolli omnino peccatum, sed tantum non imputari. Catholicis vice versa; quia dicunt, nullum in iustificatis peccatum esse, explicant hunc textum posteriorem in ordine ad priorem, & ajunt, illud *habitare peccatum* non accipi-

endum de peccato formaliter tali, sed tantum metonymicè tali, seu de effectu peccati, & ad summum in quibusdam de causa peccati, qualis est concupiscentia; unde adhuc opus est alio iudice, hanc litem infallibiliter dirimente.

185. Dicunt rursus aliqui hæretici, ea, quæ sunt, & manent obscura, non pertinere ad substantiam fidei, sed ad scholasticas tantum controversias, adeoque non esse magni momenti. At hoc omnino est falsum; utique enim doctrinæ de numero sacramentorum, de SS. Eucharistia, de Christi Divinitate, de nostra justificatione, de parvulorum baptismo, de pœnitentia, de peccato originali &c. spectant ad substantiam fidei? & hæc tamen sunt controversiæ: & partes litigantes, in ordine ad suas sententias probandas, etiam Scripturas Sacras adducunt. Et quis dicit, tot Concilia fuisse celebrata propter res non magni momenti, sive, ut quæstiones exiguæ, quia ex Scripturis solis decidi non poterant, à totius Ecclesiæ senatu, maximis sumptibus, & incommodis collecto, deciderent? An quis dicit cum quibusdam hæreticis adiaphoristis, sufficere ad fidem, credere DEUM omnium creatorem, bonorum remuneratorem, malorum vindicem, mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis: cætera adiaphora, seu indifferentia esse? quam horrendam impietatem etiam nostri adversarii detestantur.

Tandem, quòd multa sint de substantia fidei, quæ etiam, saltem ut plurimum, ab adversariis nostris admittuntur, neque tamen ex Scripturis satis probari possunt, ostendit exemplis. Sic clarè ex Scripturis solis non potest desumi: an parvuli sint baptizandi, an non: an iisdem necessaria ad salutem sit Eucharistia, adeoque etiam ipsi sit porrigenda, an non: an valeat baptismus ab hæretico datus, an non: an pascha celebrandum die dominico, an alio die, in qua incidit decima quarta luna mensis primi: an dies dominica potius, quam sabbathi, sit habenda pro festo. Rursus Pater in Divinis creditur ingenitus: itémque Spiritus Sanctus adorandus: sed tamen negat S. Augustinus l. 3. contra Maximinum c. 3. hæc in Scripturis clarè legi. Sed nec descensus ad inferos Christi Domini in iis est clarè expressus. Et hæc non sunt leves duntaxat scholarum controversiæ, sed quæstiones, à quarum resolutione pendet salus quam plurimorum. Quamvis autem istorum omnium fides explicita non sit necessaria necessitate mediæ ad salutem, tamen sunt talia, ut spectent ad substantialia fidei, & debeant sciri, saltem ab Ecclesia: ergo sola Scriptura non potest esse regula fidei, seu applicatio sufficiens testimonii Divini.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

186. **O**B. 1. Quòd debeat dari aliqua Scriptura Sacra, clarè inferretur ex natura ipsius religionis, vel

vel providentiæ Divinæ, mundum gubernantis: ergo. Resp. neg. ant. nam jam cum Adamo cœpit religio, seu cultus veri Numinis, & tamen per bis mille quingentos, & fortè amplius annos, usque ad Moysen, nulla fuit Sacra Scriptura. Sed nec providentiæ DEI necessariò exigit, dari Sacram Scripturam; cum utique DEUS etiam ante Moysen providè rexerit mundum, & insuper alia habeat innumera media, quibus dirigat ad beatitudinem suos cultores: certè non destituit suâ providentiâ homines per tot sæcula in lege naturali viventés.

187. Ob. 2. Sacra Scriptura manifestat se ipsam, & probat se esse Divinam 1. puritate, & sanctitate doctrinæ, quæ in ea continetur. 2. mirabili consensu auctorum, ita concorditer scribentium, quasi non plures auctores, sed tantum plures calami unus auctoris eam scripserint. 3. impletione vaticiniorum, in ea contentorum, quæ impletio conciliat etiam fidem aliis inibi dictis. 4. demum ex miraculis in confirmationem dogmatum in Scriptura contentorum factis: ergo non est illi opus alia applicatione, sed ipsamet per se jam satis se applicat, seu proponit ut Divinam.

Resp. 1. cum Raslero in Regula æterna fidei. n. 81. hæc quidem Sacram Scripturam valde commendare, sed tamen, nisi Ecclesiæ auctoritas accedat, intentum non evincere. Sanè, si hoc esset ita clarum, nulla inter SS. Patres fuisset diversitas in recipiendis quibusdam libris, tanquam canonicis: neque Gelasius Papa debuisset multis discernere sacros libros ab apocryphis: neque modò lis foret, quoad hoc ipsum punctum inter Catholicos, atque Acatolicos. Resp. 2. ad singula, & quidem ad 1. Doctrina pura, & sancta, etiam tradi potest ab homine, non tantum à DEO. Adde, quòd eadem hæc puritas, seu immunitas ab omni labe falsitatis, se ipsa non sit ubique in Scripturis manifesta; cum in libris Genesis, Exodi, Jobi, ac etiam aliis, plura contineantur intellectu valde difficilia, aliquando etiam, nisi ritè explicentur, cum bonis moribus non satis manifestè concordantia; ita, ut eorum puritas, & veritas, potius ex libris aliunde ostensis Divinis, quam horum Divinitas ex illorum veritate, & puritate, debeat probari.

188. Ad 2. Non minùs inter se concordés esse posse videntur scriptores tantum humani: imò concordia sacrorum scriptorum non est ex se manifesta; cum S. Augustinus, & alii, multum laborare debuerint, ut Evangelistas à contradictione vindicarent. Ad 3. Vaticinia ad summum probant, eos libros esse sacros, in quibus ipsa continentur, scilicet aliquos libros testamenti antiqui: in quibus tamen libris non omnia dogmata fidei Christianæ continentur. Sed nec omnia vaticinia independenter ab auctoritate Ecclesiæ ita clara sunt, ut, quando impleta fuerint, vel an primum implenda, jam constet. Certè in prophetia Danielis plura adhuc obscura sunt. Libri autem novi testa-

menti per vaticinia non ita probantur. Quòd si autem isti non sint Divini, uti sanè à Gentilibus, & Judæis non agnoscuntur pro talibus, etiam non certissimò constabit ex iis, sicut ad fidem requiritur: vaticinia illa fuisse impleta. Et certè Gentiles, atque Judæi, plurima, eaque præsertim, quæ de venturo Messia prædicta sunt, negant esse impleta: quanquam in hoc malè faciunt; cum non tantum libri novi testamenti, sed tota Ecclesia, & immemorialis traditio, id ipsum testetur, ut infra videbimus, agendo de signis credibilitatis.

Ad 4. denique. Miracula non magis probant veritatem Sacra Scripturæ, quam veritatem religionis Catholice: imò videretur prius miraculis probari auctoritas Ecclesiæ, & ex hac libri sacri, quatenus Ecclesiæ dogma est, hos determinatos libros esse sacros. Quòd si tamen aliquando miracula patrata sunt in approbationem ipsius Sacra Scripturæ, e.g. si in ignem injecta non combusta est, probat tantum illud exemplar, (quod, an adhuc existet, incertum est) esse Sacram Scripturam: non autem probat de exemplariibus aliis, quæ potuèrunt corrumpi: imò & illud ipsum exemplar non combustum potuit postea corrumpi, quemadmodum contigit aliis rebus sacris postea profanatis. Ex quibus omnibus ritè concluditur, absque auctoritate Ecclesiæ, vel quacunque demum regula infallibili applicante, non posse solam Scripturam Sacram applicare infallibiliter se ipsam; unde etiam S. Augustinus l. contra epistolam fundamenti c. 5. ait: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholice Ecclesiæ commoveret auctoritas.*

189. Ob. 3. Dicere, quòd Scriptura sit obscura, & insufficientis ad nostram instructionem; est deprimere ejus auctoritatem, & eam dicere defectuosam, ac imperfectam: hoc autem est impium; ergo. Resp. neg. ma. quam negat S. Augustinus, quem vide loc. n. 84. cit. Obscuritas S. Scripturæ servit ad conciliandum ei majestatem, & reverentiam: nec indicat defectum in Scriptura, sed in nobis, & tenuitate nostri intellectus, ad tam alta mysteria caligantis; nam sæpe Scriptura rem quidem clarè proponit; quia tamen est mysterium valde difficile, homines non statim verba in legitimo sensu accipiunt, sed alium quærunt, & sibi rem obsecram reddunt. Sic quid clarius illis verbis Matth. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum:* quia tamen est altum mysterium, quòd in tantillo spatio totum corpus Christi contineatur, ista verba sunt Calvinistis, & Zwinglianis valde obscura. Dein aliquando nobis Scriptura sit obscura propter idiotismum, seu proprietatem linguæ, in qua scripta, & ex qua translata est, quam ignoramus: aliquando verò propter ignorantiam historiarum, morum, & consuetudinum apud Hebræos. DEUS autem ista meritò permittit, de quo vide n. 88. imò S. Aug. l. 2. doct. Christ. c. 6. de eo, quòd plura in Scripturis obscure, & ambigüe dicta sint, ait: *Quod totum provolum divinitus esse non dubito, ad edomandam*

mandam labore superbiā, & intellectum a fastidio renovandum, cui facile investigata plerumque vilescunt. Nec propterea deficit DEUS in necessariis; quia providit de alio medio, scilicet, ut dicemus, de definitione Ecclesiæ, cujus est Sacras Scripturas infallibiliter interpretari. Pariter, etsi non omnia in Scripturis contineantur, queri non possumus de providentia DEI; cum vel ex traditione, vel ex Ecclesiæ iudicio, illa innovescere possint. Sed neque propterea Scriptura est positivè imperfecta, sicut non est imperfecta deo; quod non doceat artes omnes; quia hic non est ejus scopus: licet sit imperfecta negativè, sicut omnis creatura.

190. Ob. 4. Ipsa Sacra Scriptura ait, se esse claram: ergo. prob. ant. ipsa vocat se lucem, lucernam lucidam &c. ergo. Confirm. 1. *Deutr. 30. v. 11.* dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum:* ergo non superat caput nostrum. Confirm. 2. S. Paulus 2. *Corinth. 4. v. 3.* ait: *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum:* ergo tantum est opertum non prædestinatis, seu peccatoribus, scilicet in pœnam peccati. Resp. 1. Unde adversarij probant ex ipsa Scriptura, hæc esse dicta in vera Scriptura, & non in aliqua tantum ficta? Resp. 2. dist. ant. Ipsa Scriptura ait, se esse claram tunc, quando est ritè applicata. conc. ant. absque illa applicatione. neg. ant. & conf. certum enim est, quod multi, applicantes sibi eam per spiritum privatum erroneum, vel rationem tantum naturalem &c. acceperint eam in malo sensu, & erraverint. Dices. Ergo applicatio est dignior verbo DEI. Resp. neg. illatum; nam vel Ecclesiæ definitio est etiam verbum DEI, & est paræ dignitatis: vel non est verbum DEI, & est inferioris dignitatis, & est infallibilis quidem, ac clarior, sed tantum in linea inferiori applicationis.

191. Ad 1. confirm. Textus ille (ut eum intelligunt SS. Patres complures, Augustinus, Chryostomus, Ambrosius, Origenes, Tertullianus) potius probat contra hæreticos, non esse impossibile observationem mandatorum DEI. Dein, etiam textus hic debeat accipi de intelligentia mandati, sermo in eo est de mandato per Moysen explicato, & applicato: non verò de omnibus aliis ad fidem necessariis. Si contendere velis, eum textum de omnibus ad fidem necessariis intelligendum esse, id difficulter probabis. Sed etiam, hoc omisso, respondeo, textum intelligendum esse de omnibus, supposito, quod ritè sint applicata. Ad 2. confirm. dist. ant. S. Paulus id dicit de Evangelio ritè applicato. conc. ant. nondum applicato. neg. ant. & conf. Apostolus loquitur de Evangelio jam prædicato, cui noluerunt multi, etiam post signa, & miracula, credere. Similiter explicandi sunt alii textus. *Joan. 7. v. 17.* *Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina, utram ex DEO sit.* Item *Joan. 10. v. 16.* *Vocem meam audiens.* Item 1. *Corinth. 2.*

v. 15. *Spiritualis autem iudicat omnia; significant enim tantum, quod faciendū, quod est in se, non defuturum sit auxilium DEI, neque etiam legitima verbi Divini applicatio, qua posita poterunt ritè cognoscere, & iudicare.*

192. Ob. 5. Quidquid est de substantia fidei, dici potest contineri in symbolo Apostolorum: sed idem etiam continetur in Scriptura: ergo. Resp. In primis quod attinet ad minorem, ea negari posset; namque intemerata Matris Divinæ virginitas, quæ in symbolo clarè continetur, non ita clarè ex Scriptura sola potest monstrari. Pariter nec descensus Christi ad inferos factus potest ostendi ex Bibliis solis. Sed major omnino est falsa. An non enim de substantia fidei nostræ est, quod Filius sit Patri consubstantialis: quod sit incarnatus, seu homo factus, non per unionem tantum moralem, sed physicam: quod baptisimus hominibus ad salutem necessariis sit: quod Evcharistiæ Sacramentum sit institutum à Christo, & ab omnibus fidelibus recipiendum: & alia plura, quæ longum esset recensere, quæque in symbolo non habentur.

Et cur potius spectet ad substantiam fidei, quod Christus sit sepultus, ac ad inferos descendit: quod crucis, & non gladii mortem subierit &c. quàm illa, quæ modo allata sunt? Certè, si alia omnia, tanquam non necessaria, ad scholas ablegare velis, dicam pariter, sufficere, si credatur DEUS creator omnium, & præmiator, aut vindex: aut etiam trinus, & unus: cæterum, nec Scripturam curandam, nec aliud quidquam. Sanè eò dirigit Adversarij, qui ita loquuntur, nempe ad ita dictum adaphorismum, qui præter pauca mysteria, quæ credenda proponit, alia omnia in differentia esse, ita, ut perinde sit ad salutem, sive credantur, sive negentur, pessimè docet.

ARTICULUS III.

An Traditio sufficienter applicet Verbum DEI.

193. **P**ER Traditiones in restricta, & Theologica significatione acceptas, intelliguntur certa Catholicæ fidei dogmata, aut etiam morum instituta, quæ Apostoli, vel à Christo Domino oretenus, vel ex suggestione Spiritus Sancti acceperunt, & postea viva voce Ecclesiæ tradiderunt, quin ea libris canonicis insererent. Itaque traditiones debent quidem non esse in Sacra Scriptura expressæ: non tamen etiam debent ex SS. Patrum voluminibus, vel aliis non canonicis scripturis, esse exclusæ. Hinc dicuntur *verbum DEI traditum*; cui opponitur *verbum DEI scriptum*, quod scilicet in Sacris Scripturis continetur.

Quod autem hæc traditiones (quæ in formula professionis fidei Tridentini vocantur

cur Apostolica, & Ecclesiastica, quæque dari statim probabimus) mereantur etiam fidem, & quidem paræ cum S. Scriptura, dubium esse non potest; nam, modò aliquid à Christo dictum, vel à DEO revelatum fuerit, sive dein scriptum sit, sive non, est æquè dignum assensu fidei; nec enim membrana, aut charta, pondus auctoritatis auget, ut est per se clarum. Quare duo nobis hic examinanda sunt. 1. an reverè dentur aliquæ tales traditiones, seu aliquod verbum DEI traditum. 2. an, si dentur, se solis, absque alia regula, sufficienter applicent verbum DEI, sive scriptum, sive non scriptum. Et quidem, quod spectat ad primum, jam antiqui hæretici traditiones negarunt: & vel maximè eas negant moderni, Calvinus l. 4. *instit. c. 8.* Lutherus in *commentar. in cap. 1. ad Galat.* Brentius, Kemnitius, & alii apud Bellarm. tom. 1. *contr. 1. de verbo DEI. l. 4. c. 1. ac 3.* Et quidem isti idè volunt Evangelicè dici, quod præter Evangelium vel novum testamentum scriptum, aliam doctrinam à Christo traditam negent.

194. Dico 1. cum Catholicis omnibus. Præter Scripturam Sacram debent admitti etiam aliquæ traditiones, tanquam verbum DEI traditum. ita expressè Concilium Tridentinum *sess. 4. in decreto de Canonis Scripturis*, ubi sacra synodus ait, *Evangelii veritatem contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ, ad nos pervenerunt.*

Addit Concilium de se ipso loquens: *Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam oretenus à Christo, vel à Spiritu S. dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur:* hoc est, pari reverentia cum libris canonicis, de quibus immediatè antè est sermo: & sub finem decreti ait: *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis, non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.* Unde conformiter huic decreto in *forma professionis fidei*, quam idem Concilium edidit, debent omnes profiteri, se traditiones recipere.

Prob. 1. Scriptura Sacra ipsam afferit, dari traditiones, & iis debere credi: ergo. ant. prob. 2. *Thessal. 2. v. 14.* dicit S. Paulus: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram:* in quæ verba S. Chryostomus ait: *Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt per epistolam Apostoli, sed multa etiam sine scriptis: & en quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesia quoque traditionem consensum esse fide dignam. Est traditio: nihil quaras amplius.* Idem Apostolus. 2. ad *Thimoth. 2. v. 2.* ait. *Quæ audisti à me per multos te-*

tes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere: ergo non tantum scripta, sed & audita, sive tradita, debuerunt aliis proponi, & ab iis credi, atque iterum aliis tradi. Idem S. Paulus 1. *Cor. 11. v. 2.* ait: *Sicut tradidi vobis, præcepta meatu netis.* S. Joannes *epist. 2. v. 12.* ait, se multa, quæ deberet ipsis significare, nolle per chartam, & atramentum perscribere: & *epist. 3. v. 13.* ait, se nolle per atramentum, & calamus scribere; eoquod speret eis os ados loqui, seu oretenus eis multa tradere.

195. Rursus *Joan. 16. v. 12.* dicit Christus: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. &c. ultimo. v. 25.* *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros:* ergo Christus multa dixit, & fecit, quæ non sunt scripta; nam, ut rectè ait Bellarminus. tom. 1. *contr. 1. de verbo DEI. l. 4. c. 5.* quæ scripta sunt de Christo, seu totum testamentum novum, facilè una manus capit. Ulterius, quæ Christus promisit, se dicturum, ea haud dubiè dixit post resurrectionem suam, quando versabatur sæpe cum discipulis, ut habetur *Act. 1. v. 3.* *Per dies quadraginta, apparens eis, & loquens de regno DEI:* quæ autem tunc Apostoli audièrunt, utique populus prædicarunt, nec tamèn literis omnia commendarunt; nunquam enim libris canonicis de Christo mundus repletus fuit.

Nec dicant adversarij, omnia esse postea scripta, saltè ea, quæ necessaria sunt: alias autem res potius indifferentes esse, & quanquam ab Apostolis aliquando traditæ fuerint, non propterea amplius esse observandas, præsertim, cum probari non possit, quidnam ab Apostolis traditum sit; nam falsum est, quod omnia postea canonicè scripta sint, etiam ea, quæ ad substantiam fidei spectant; plurima enim, quæ vel maximè sunt de substantia fidei, scripta non sunt, ut patet *ex n. 185.* Accedit, quod plura, quæ essentialia, seu substantialia sacramentorum sunt, à Christo Domino tunc instituta sint, & Apostolis per illos quadraginta dies explicata, atque ab his Ecclesiæ tradita: quin tamen Scripturis Sacris inserta sint (valde pauca enim legimus de actis, aut dictis Christi Domini post resurrectionem) hæc autem utique spectare ad substantiam fidei nemo negat, nisi sit adaphorista, aliis hæreticis peior. Plura vide apud Bellarminum *loco modo citato.*

196. Easdem traditiones semper summè constantiè receperunt, & retinuerunt Concilia, & Patres. Tridentini hæc de re verba dedimus *n. 194.* Nicænum II. anathematismum septimum statuit contra eos, qui doctrinas SS. Patrum, & traditionem Catholica Ecclesia consternunt. S. Leo. *serm. 6. de quadrages.* jejunium quadragesimale ad Apostolicam traditionem refert, sic scribens: *Ut Apostolica institutio quadragesimæ dierum jejunii impleatur.* S. Chryostomus testimonium dedimus *n. 194.* S. Basilius l.

de Spiritu S. ad Amphilocho. c. 27. ait: *Doctrinae, quae in Ecclesia praeferuntur, quaedam habemus e doctrina scriptorum prodita, quaedam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, id est, in occulto tradita, receperimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quae sint iura Ecclesiastica; nam si consuetudines, quae scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudenter & ea damnabimus, quae in Evangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei praeferentiam ad nudum nomen contrahemus.*

S. Epiphanius haeres. 61. ait. *Oportet autem & traditione uti; non enim omnia à Divina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione SS. Apostoli tradiderunt: quemadmodum dicit S. Apostolus: sicut tradidi vobis. S. Augustinus. l. 2. de baptis. contra Donatist. c. 7. scribit. *Quam consuetudinem (non rebaptizandi ab haereticis baptizatos) credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa, quae non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum: & tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Idem S. Doctor. epist. 118. ad Januarium c. 1. sic scribit: *illa autem, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia sanctissima auctoritas, commendata, atque statuta retineri.* Plura vide apud Bellarminum tom. 1. controver. 1. de verbo DEI l. 4. c. 7.*

Accedit, quòd ab Adam usque ad Moysen verbum DEI scriptum non fuerit, & tamen Ecclesia illa in lege naturali non fuerit providentià Divinà destituta, sed providè gubernata: imò de Christo ipso non scitur certò, an aliquid scripserit; epistolam enim ad Abagarum regem Edessenorum inter apocrypha Gelasius Papa rejecit. Sed etiam Apostoli non statim primis annis scripserunt Evangelium: quin S. Joannes suum scripsit valde serò, scilicet, ut Spondanus tradit, ad an. Christi 99. n. 2. circa hunc ipsum annum 99. interea autem plurima fidelibus ore tenus tradita sunt. Si ergo prima illa Ecclesia tamdiu traditionibus usà est, cur non possit etiam sequens iis praefer Scripturas uti? Adde, quòd ipsius Sacrae Scripturae auctoritas non possit innotescere, nisi per traditionem, ut fuit probatum. à n. 178. igitur traditiones necessariae sunt in Ecclesia DEI.

197. Dico 2. Traditiones se solis, absque alia regula, non sufficienter applicent verbum DEI. ita omnes. Ratio est clara; quia inter ipsas traditiones oportet discernere, quae verè Apostolicae, seu Ecclesiasticae sint, quae verò illegitimae: sive agatur de traditionibus doctrinalibus; hoc est, quae spectant ad res credendas: sive agatur de moralibus, seu quae spectant ad morum prae-

cepta; in utriusque enim potest frequenter errari: & multae, praesertim in vulgus sparsae sunt aniles fabellae, quasi sint articuli fidei, à majoribus traditi; cum tamen tantum sint ortae ex garrulitate cujusdam indocti hominis.

Ob similia saepe haeretici Catholicos rident: sed imperitè; nec enim, quod nugatur aliqua vetula, & imprudenter credit, statim approbatur ab Ecclesia: sed quod ista prius accepit tanquam traditionem legitimam. Traditio autem legitima datur de aliquo dogmate non scripto (& par est ratio de aliquo praecepto, aut consuetudine) si illud Patres per diversissima tempora concorditer tenuerunt, aut, si communi omnium fidelium consensione approbatum est, aut si Doctores uno ore testentur, tale dogma per traditionem ad nos pervenisse. Tunc autem dabitur etiam traditio Apostolica, si Patres, aut Doctores, unanimiter testentur, aliquod dogma, praeceptum, aut consuetudinem, ab Apostolis ad nos devenisse: vel si Patres illud, ab Apostolorum usque tempore, concorditer tenuerunt: vel, ut habet S. Augustinus citatus n. 196. si aliquid observetur à tota Ecclesia, nec tamen ab ullo Concilio invenitur institutum. videatur Canus de locis Theol. l. 3. c. 4.

Hic insuper notandum, quòd alia sit traditio doctrinalis, quae tunc datur, quando res aliqua non scripta, tamen ab Ecclesia universa tanquam articulus fidei habetur. Alia est moralis, quando aliquid non scriptum ab universa Ecclesia observatur tanquam praeceptum. Potest autem aliqua res observari tanquam praecepta, quae talis sit, ut humana sola auctoritate non potuisset institui: & tunc est traditio Divina: & sic sigillum confessionis, quod (ut videtur Suarezio. tom. 4. in 3. p. disp. 33. sec. 1. n. 8. & ab eodem benè probatur) non potuit imponi jure humano; eòquòd hoc non possit obligare, etiam pro casu periclitantis boni communis &c. habetur ex traditione Divina. Quodsi res aliqua potuit ab humana auctoritate institui, at tamen nec à Conciliis, nec à Pontificibus ullis, instituta est, & tamen à tota Ecclesia servatur, tanquam praecepta, tunc creditur ab Apostolis tradita, adeoque est traditio Apostolica: & sic jejunii quadragesimalis praeceptum, ab Apostolis positum accepimus, & tanquam Apostolicam traditionem observamus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

198. **O**B. I. contra 1. conclus. Denot. 4. v. 2. dicitur: *Non adides ad verbum, quod vobis loquor, nec auferes ex eo.* item *Deutr. 12. v. 32. Quod praecepit tibi, hoc tantum servato Domino: nec addas quidquam, nec miseras.* Rursus *Proverb. 30. v. 6. Ne addas quidquam verbis illius DEI, & arguaris: inveniarisque mendax:* ergo praefer-

bum DEI scriptum non debent admitti, vel addi traditiones. Resp. neg. conf. Ad primum textum. Resp. quòd probaverimus hucusque, traditiones Divinas esse quoque verbum DEI; unde has credendo nihil addimus ad verbum, quod loquitur DEUS, nec auferimus. Alter textus, ut legenti illud caput patet, vult tantum, ut Judaei in ritu colendi DEUM utantur caremoniis, sibi à DEO praescriptis, non verò aliis, quae usitatae erant gentilibus. Accedit, quòd etiam DEUS per traditiones praecipiat; unde has observando etiam tantum facimus, quod DEUS praecipit. Tertius textus tantum eos impugnat, qui aliquid venditant pro verbo DEI, quod non est tale: atqui admittendo legitimas traditiones id non facimus; probavimus enim, eas ipsas etiam esse verbum DEI.

199. Ob. 2. *Marci 7. v. 7.* dicitur: *In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & praecepta hominum.* & *Matth. 15. v. 6. Irritum fecistis mandatum DEI propter traditionem vestram.* item ad *Coloss. 2. v. 8. Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundam traditionem hominum:* ergo non debemus uti traditionibus. Resp. disting. conf. non debemus uti traditionibus humanis illegitimis. conc. conf. Divinis, & legitimis. neg. conf. Utique non debemus credere omnes fabulas, à vetulis acceptas, & denuo narratas: debemus tamen credere traditiones veras, & Divinas: quomodo autem verae à falsis distinguendae sint, dicemus infra. Adde, aliquas traditiones morales humanas, seu praecepta humana, utique etiam servanda; quia legitima auctoritate Ecclesiae imposita sunt, vel consuetudine approbata, & sub obligatione introducta; unde tantum non debemus uti traditionibus humanis illegitimis.

200. Ob. 3. S. Paulus ad *Gal. 1. v. 8.* ait: *Licet nos, aut Angelus de caelo, evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* ergo traditiones, quae sunt aliquid praeter illud, quod evangelizavit S. Paulus, sunt rejiciendae. Resp. neg. conf. imò ex hoc textu probatur, Galatas debuisse aliquid habere pro verbo DEI, quod non erat scriptum, sed ore tenus tantum evangelizatum; nam est evidens, eà epistolà non contineri omnes articulos fidei. Dein illud praeterquam significat idem, ac contra, ut Chrysostronus, Ambrosius, Hieronymus, alique exponunt: sicut etiam quando ad *Rom. 16. v. 17.* dicitur: *Observetis eos, qui dissensiones, & offensa, praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis:* illud praeter doctrinam necessario significat idem, ac contra.

Accedit, quòd utique Apostolus, in aliis epistolis, multa docuerit, & alibi etiam praedicaverit, quae non exprimit epistola ad Galatas: ergo illud praeter necessario significat, idem, ac contra. Sic etiam explicandum est illud *Apoc. ultimo v. 18. de*

non apponendo aliquid illi prophetiae: scilicet intelligitur, nihil apponendum esse ei contrarium, vel nihil tanquam partem illius prophetiae, quod non est pars: non autem intelligitur, nihil prorsus aliud apponendum esse Apocalypsi; alias neque alii libri Scripturae Sacrae essent retinendi, nec S. Joannes debuisset primum post Apocalypsin scribere Evangelium, quod tamen fecit.

201. Ob. 4. S. Paulus 2. ad *Timoth. 3. v. 16.* dicit: *Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus.* item *Joan. 20. v. 30.* dicitur. *Multa quidem, & alia signa fecit JESUS, in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc: haec autem scripta sunt, ut credatis; quia JESUS est Christus Filius DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus:* ergo sola Scriptura sufficit ad erudendum, & ut homo sit perfectus &c. nec necessariae sunt traditiones. Resp. neg. conf. Prior textus tantum significat, omnem, seu quancumque Scripturam, esse ad eum finem ordinatam, ut credamus, & perfecti simus: sed non, quòd se sola sufficiat. Certè illud omnis sumitur ibi distributivè; nec tamen quaelibet pars Sacrae Scripturae ad totum illum finem sufficit; alias cur non, retenta una parte, e. g. uno Evangelio, etiam reliquam Scripturam adversarij abijciunt?

Quodsi dicas, illud omnis sumi collectivè, id inprimis prorsus gratis dicis, & contra mentem S. Pauli, qui Timotheo vult indicare, quamlibet Scripturam esse ita utilem: dein tamen nihil probas; quia S. Paulus utique loquebatur de omni Scriptura tunc existente, & nihilominus illa se sola non sufficiebat; alias Evangelium S. Joannis, quòd primum postea scriptum est, esset juxta adversarios inutile, & non debuisset addi. Sed nec omnis Scriptura simul se sola sufficit ad discernendam veram Scripturam à falsa, adeoque se sola non sufficit ad applicandum verbum DEI; quamvis ad hoc etiam sit utilis. Alter textus tantum probat, miracula scripta de Christo sufficere ad faciendam fidem de ejus Divinitate: non autem probat, sufficere ad omnia alia credenda, vel agenda; alias cur non abrogantur aliae Scripturae? Certè S. Joannes ponit particulam haec, & consequenter juxta modum arguendi adversariorum, deberet ejus Evangelium solum sufficere.

202. Ob. 5. *Deutr. 17. v. 10.* ita habetur: *Et facies, quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegeris Dominus, & docuerint te juxta legem ejus:* ergo non debemus facere, nisi quod est juxta legem, seu Sacram Scripturam. Resp. neg. conf. vel potius ultimam ejus partem; non enim idem est tota lex, & Scriptura; nam dantur etiam leges traditae. Imò ex hoc textu convincuntur adversarii, quòd praefer Scripturam admittendus sit alius iudex controversiarum fidei, ut infra pluribus dicemus. Illud

Illud juxta legem debet intelligi conformiter legi: non verò juxta expressum textum legis scripta; si enim textus esset expressus, & clarus, non esset judicium difficile, & ambiguum, in quo judices civitatis deberent variare, ita, ut opus esset adire sacerdotem, & judicem supremum, de quo tamen casu textus ille loquitur, ut est evidens legenti antecedentia.

203. Ob. 6. Ex SS. Patribus, S. Irenæus l. 3. adversus hæreses c. 1. ait, Apostolos, quæ prius prædicaverant, postea scripsisse: ergo Sacra Scriptura sufficiunt. Confir. Plures alii SS. Patres ut Augustinus, Chrysoströmus, Cyrillus, docent, in Scriptura aperte inveniri omnia, quæ spectant ad fidem, morésque vivendi: ergo traditiones nullo modo sunt necessaria. Resp. neg. ant. Nusiãam S. Irenæus id docet, sed tantum ait, Apostolos prius Evangelium prædicasse, postea illud scripsisse, quod non negamus de SS. Matthæo, & Joanne; alii enim Evangelium non scripserunt: certè, quæ olim eorum nomine prægebantur Evangelia, non fuerunt authentica, sed apocrypha. Ex hoc autem non sequitur, omnia ab Apostolis esse scripta, etiam quæ sunt substantialia fidei.

Ad confir. Bellarminus tom. 1. controu. 1. de verbo DEI. l. 4. c. 11. admittit, quod in Scriptura clare continentur omnia, quorum fides omnibus est necessaria, necessitate præcepti, ita, ut adulus cum eorum notitia possit baptizari: & de his, ait, illos SS. Patres loqui: hæc autem non sufficiunt toti Ecclesiæ, vel ejus ministris, Episcopis, prædicatoribus, administrantibus sacramenta, doctoribus &c. qui utique plus debent scire; aliis superflua etiam essent plurimæ partes Scripturæ; unde dist. ant. SS. Patres docent aperte inveniri in Scriptura omnia, quæ sunt omnibus fidelibus communiter necessaria. om. ant. omnia prorsus, quæ ab Ecclesia universali debent credi. neg. ant. & conf. Nisi velis dicere, traditiones quæ aliquo modo implicite contineri in Scriptura, ut docet S. Augustinus. l. 1. contra Cresconium c. 33. docens, quod, quanquam de aliqua re certum ex scripturis testimonium non possit haberi, tamen ex Scripturæ auctoritate habeatur veritas illius rei, si tota Ecclesia eam rem teneat; cum Ecclesiæ auctoritatem Scriptura satis adstruat.

204. Ob. 7. SS. Augustinus, Hieronymus, Chrysoströmus, & alii, sæpe docent, in rebus obscuris, de quibus non habetur testimonium clarum ex Scripturis, debere humanam præsumptionem nihil statuere: item enarrationes nostras absque Scriptura non habere fidem, sed facillè contemni: ergo. Resp. neg. conf. Si textus ipsi inspiciantur apud Bellarm. tom. 1. controu. 1. de verbo DEI scripto. l. 4. c. 11. patebit, SS. Patres vel tantum loqui de quibusdam materiis, de quibus non habetur traditio universalis, sed tantum aliqua assertio, vel enarratio privati auctoris: vel loqui de rebus de quibus Scriptura clarissime loquitur, & ita, ut

clara veritas statim pateat: non licet autem à particularibus arguere statim ad universale.

Accedit, quod, qui ex traditione aliquid probat, mediare saltem id probet ex Scripturis, quatenus ipsæ traditiones, & Ecclesiæ eas tradens, fundamentum firmissimum habent in scripturis. Ceterum, quod isti Patres non omnino velint rejicere traditiones, est certum ex dictis n. 196. Nota tamen, adduci ab hæreticis aliquando textus auctorum nullatenus probatorum, qui utique nihil probant, quosque videre poteris apud Bellarminum loc. cit.

205. Ob. 8. Theophilus Alexandrinus epist. 2. paschali ait: *Demoniaci spiritus estis insinctus, sephisanata humanarum mentium sequi, & aliquid extra Scripturam auctoritatem prædicare Divinum.* S. Basilus serm. de fidei confess. ait: *Manifesta est elapsio à fide, & superbia crimen, aut reprobare quid ex his, quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis.* & epist. 80. *igitur Scriptura divinitus inspirata arbitri à nobis constituantur:* ergo præter Scripturam nihil, consequenter neque traditiones debent admitti. Resp. neg. conf. Theophilus tantum reprehendit ibi Origenem, quod Philosopherum argutias, tanquam nescio, quantum auctoritatis haberent, tractatibus suis de fide miscuerit; & sanè ob hanc verosimiliter causam Origenes in multis errores incidit. Non autem Theophilus rejicit traditiones universaliter ab Ecclesiâ receptas, nec recusat, eis tanquam verbum DEI admittere.

S. Basilus primo loco loquitur de non usurpandis temerè vocibus, quæ hæc eis, vel erroris, suspitionem possent movere, & in Scripturis fundamentum non habent: & hoc utique temerè faciendum non est. Si tamen Ecclesiæ aliquando talibus vocibus utitur, non est ulla deinceps temeritas, etiam si usi. Altero loco, scilicet ep. 80. S. Basilus tantum ait, non esse pro canone habendam aliquam consuetudinem particularem: nec loquitur de traditione universali; quæ tunc nondam erat traditio universalis, dicendi res hypostasales, seu substantias, aut, ut Græci juxta suum idioma enunciant, substantias, non tamen cum Latinis per substantiam intelligendo essentiam.

Agit namque S. Basilus ibi de eo, an dicendum sit, dari in DEO tres hypostasales, & unam naturam, an verò non: cumque à quibusdam allegaretur in contrarium, non esse apud se consuetudinem ita dicendi, Basilus respondet, apud alios autem eam consuetudinem esse: adeoque, cum neutra consuetudo sit traditio universalis Ecclesiæ, imò cum de usu istorum nominum omnino non habeatur traditio universalis, consequenter ex hac quaestio definiti non possit, standum esse Scripturæ. Quid autem aliàs S. Basilus judicet de traditionibus universalibus, patet sufficienter ex n. 196. videri potest Bellarminus tom. 1. controu. 1. l. 4. c. 11. ubi plura ex SS. Patribus

ARTICULUS V.

An saltem Spiritus Privatus sufficienter applicet verbum DEI.

207. **P**ER spiritum privatum, cui seclari plurimum tribuunt, & ad eum tanquam ad ultimum

asylum confugiunt, nihil aliud intelligitur, quam illustratio interna, vel intellectio, dictans aliquid credendum, aut faciendum: qua hæretici dicunt, animum interiorum cujusque hominis à Spiritu S. intus doceri. Hanc Spiritus S. (ut vocant) interiorum illustrationem ipsi statuunt ultimam regulam applicativam credendorum: imò Schvvenkfeldiani, ac Libertini, auctoribus Copino, & Quintino, ut refert Bellarminus tom. 1. contr. 1. de verbo DEI. l. 1. c. 1. etiam sacros libros aspernantur, & solas inspirationes internas attendunt: alii autem modestiores Sacram Scripturam recipiunt, sed ejus explanationem ab illa illustratione, seu spiritu privato, petunt. Et si quidem verum esset, quod Spiritus S. quemvis privatum ita illustraret, utique sufficiens applicatio verbi Divini haberetur: at hoc ipsum Catholicis merito negant, & dicunt, præsentiam illam S. Spiritus illustrationem non universaliter omnibus dari, & privatum illum spiritum, quem hæretici adstruunt, non esse Spiritum S. veritatis, & pacis, sed spiritum nequam, mendacii, & contentionum.

208. Dico itaque cum Catholicis omnibus. Spiritus privatus nec absque Scriptura sufficienter docet credenda, nec ipsam Scripturam, seu verbum DEI, ritè applicat. Probatur. Spiritus ille privatus non est infallibilis, sed incertus, & in quibusdam necessariò falsus: ergo non potest esse illustratio Spiritus S. prob. ant. quoad 1. partem. Nullus hæreticus præ altero probare potest, suum spiritum privatum esse præ aliorum spiritu legitimum, certum, atque Divinum: ergo spiritus hic privatus est in omnibus incertus. Si antecedens negetur, probari debet veritas spiritus unius præ altero: quod hucusque hæreticorum nullus præstitit, sed neque unquam præstare poterit: id quod mox etiam positivè probabimus.

Prob. jam ant. quoad p. 2. Omnes hæretici, Lutherani, Calvinistæ, & alii, allegant pro se spiritum illum privatum, & interim plurima docent contradictoria: ergo hic spiritus in quibusdam est necessariò falsus; nam contradictoria non possunt simul esse vera. ant. est iterum certum; quia Lutherani, & Calvinistæ, ac alii sectarii, in plurimis inter se dissentiant. Sic Calvinistæ ex suo spiritu privato recipiunt epistolam S. Jacobi tanquam canonicam: Lutherani eam rejiciunt. Contra isti admittunt realem Corporis Christi præsentiam, saltem in sumptione Eucharistiæ: negant eam Calvinistæ. Imò ipsi Lutherani circa numerum sacramentorum, circa naturam peccati originalis, circa plurima alia, inter se ipsos dissentiant.

bus assert. Obiter autem hic addo de illa consuetudine dicendi, dari in DEO tres hypostasales. Illa quidem tempore S. Basilii nondum fuit universalis: at verò progressu temporis in Ecclesiam introductus est usus istorum nominum, & defacto omnes dicunt, dari in DEO unam naturam, & tres hypostasales; quia per has modò, ex determinatione Ecclesiæ, intelliguntur Personæ; cum olim dubitatum sit, an non intelligerentur substantiæ.

206. Ob. 9. Est prorsus incertum, an, quæ Christus, vel Apostoli, ore tenus tantum tradiderunt, incorrupta ad nos devenirent: ergo non potest iis haberi fides certissima. ant. probatur partim ex longitudine temporis, per quam ea, quæ tantum audita sunt, facillè immutantur; quia homines post diuturnum tempus non amplius bene recordantur: partim ex debilitate memoriæ, & intellectus humani, qui sæpissimè rem non integrè retinet: partim ex negligentia, & discordia hominum, qui audita, vel tradita, non sufficienti diligentia conservant: partim etiam ex malitia plurium, qui studiosè aliqua corrumpunt: & sic etiam quædam à SS. Patribus tanquam traditiones Apostolicæ afferuntur, quæ fabulæ sunt.

Resp. retroq. argumentum. Pariter posset dici, esse incertum, an legitimam habeamus adhuc Sacram Scripturam; cum & ista humanitus deperdi, vel augeri, additione etiam librorum integrorum profanorum, vel minui subtractione plurium reverà canonicorum, potuerit: item potuerit etiam corrumpi, aut studiosè à malignis, aut sordidè à negligentibus, vel imperitis descriptoribus, præsertim necdum inventà typographiâ, ante quam diu, non tantum vetus, sed & novum testamentum, scriptum extitit. Nec dubium est, aliquos libros sacros sæpe esse vitiatos. In forma. neg. ant. sicut enim specialis providentia DEI impedivit, ne Sacra Scripturæ omnino perirent, aut ita corrumperentur, ut ab Ecclesia corruptio adverti non posset; ita etiam speciali DEI providentiâ, quæ Ecclesiam semper gubernat (ut inferius pluribus ostendimus) est attribuendum, quod legitimæ traditiones adhuc perseverent.

Accedit, quod multæ traditiones, saltem libris antiquissimorum Patrum, jam insertæ sint, vel usu constanti, & praxi roboratæ, ut e. g. observatio jejunii quadragesimalis, ac paschalis &c. Quod autem unus, vel alter Pater, aut alius Doctor, & vel maximè plebs indocta, erraverit, non obest; cum & ipsi homines fuerint: quando autem Patres concorditer aliquid tradunt, etiam successive secundum ordinem temporum, quibus vixerunt, & contrarium ut hæreticum rejiciunt, tunc, si illa res sacris literis non contineatur, ex traditione Apostolica ad nos pervenisse censenda est. Contra secundam conclusionem non est, quod objiciatur, vel quod non ex dictis n. 2. (ubi de Sacra Scriptura) solvi queat; unde ad alia pergitur.

sentium: ipsæque Lutherus sibi ipsi sapissimè contradixit, atque Augustana Confessio toties jam est immutata, ut primam faciem minimè referat.

Quod autem nullus hæreticus præ altero probare possit, spiritum suum aliis esse præferendum, patet; quia nec miraculis, nec prophetiis, nec aliis iudiciis, se specialiter à DEO missos ostendunt. Sed nec apparet major in una, quam in altera parte scientia, seu doctrina: & si hæc etiam daretur, tamen non majorem, quam humanam, adeoque nunquam infallibilem auctoritatem, conciliaret. Nec dicant, se probare spiritum suum ex Scripturis; nam in primis utraque pars Scripturas allegat, qui igitur magis credendum? Scriptura certè clarè uni præ altera palmam non tribuit; unde ejus interpretatione opus est ad aliquod concludendum. Sed iterum una pars ex suo privato spiritu Scripturam interpretatur in hanc, altera in alteram partem: dic OEdipe, quænam meliùs? Accedit, quòd hac ratione probetur spiritus privatus ex Scriptura, legitime, ut volunt, intellecta, seu ex legitima interpretatione Scripturæ: & hæc ipsa interpretatio probetur ex spiritu privato: quòd est ambulare in circulo vitioso.

209. Prob. 2. conclusio. Spiritus privatus non est regula à Christo relicta: ergo prob. ant. Christus fideles iussit adire Ecclesiam in dubiis; hinc illud *Matth. 18. v. 17. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*; hinc recte Apostolo ad *Ephes. 4. v. 11. DEUS Ecclesie dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in edificationem corporis Christi*; hinc in Ecclesia, jam primis Apostolorum temporibus, instituta sunt Concilia publica, ad definiendas dubias fidei quæstiones: quæ omnia essent superflua, & inania, si quemlibet hominem privatum Spiritus S. interius in animo doceret: imò etiam ipsi adversarii frustra laborassent, dum conati sunt, suas opiniones tot libris, summo labore editis, stabilire.

Confir. 1. Christus, utpote auctor pacis, & charitatis, voluit, ut omnes idem crederent: atqui, si spiritus privatus, quem hæretici adstruunt, esset norma credendi, quis crederet, quòd vellet, fieretque mera dissensio, & confusio in Ecclesia DEI; cum plurimi ex spiritu suo privato aliis contradicant, ut experientia quotidiana demonstrat. Nec posset jam redargui ullus tanquam hæreticus; cum semper prætere- re posset, à spiritu suo se ita doceri: quòd tamen est manifestè falsum; cum DEUS, sicut voluit permittere hæreses, ita voluerit, eas agnosci, atque vitari. Et utique Christus voluit, Ecclesiam suam instituere, ut bene ordinatam republicam, in qua semper debet esse magistratus publicus, qui lites decidat. Confir. 2. Christus voluit potius homines per alios homines instrui,

quam per se, vel per Angelos: sic *Act. 9. v. 7. Paulum, cui ipse apparuerat, misit ad Ananiam. Act. 10. v. 5. Cornelium, post apparitionem Angelicam, misit ad Petrum, ut advertit S. Augustinus l. 1. de doctrin. Christ. in prologo sub medium.*

210. Prob. concl. 3. Vel spiritus privatus datur in omnibus hominibus, vel tantum in aliquibus: neutrum potest dici: ergo. prob. 1. p. si datur in omnibus omnino, etiam rusticis, atque pueris rationis capacibus, tunc debet admitti, quòd puer, vel rusticus quisvis (dummodo, ut aliqui exigunt, Divinum ritè imploret auxilium, & bene rebus Divinis sit affectus) statim absque alia instructione posset discernere veram S. Scripturam, ab omnibus aliis libris, veros articulos fidei ab omnibus falsis: & nunquam deberent hæreticorum ministri ul- lum ex suis subjectis corrigere, nec ullum esset erroris periculum: quòd est evidenter falsum.

Prob. 2. p. Si tantum aliqui habent illum spiritum, debent isti probare, se eo esse donatos; aliàs, cur magis credat rusticus Lutherano, quam Calvinistæ? Et cur, obsecro, credam, Spiritum S. interius revelasse veritatem aliquot Lutheranis Ministris, vel Calvinistis, & eam celasse tot Summos Pontifices, totque Concilia, ex doctissimis, & piissimis viris, toto orbe convenientibus, collecta? Quòd si dicatur, unum hominem esse doctiorem, quam alterum, jam dictum est, hanc esse tantum prerogativam majoris auctoritatis humanæ, quæ non sufficit. Dein non est alligatus Spiritus S. doctrina humanæ: quin hac ratione orirentur novæ dissensiones, & discordiæ, circa modum, & rationem probandi, quòd e. g. Lutheranus sit doctior Calvinistæ, vel vicissim; unde rudes nunquam haberent ullam infallibilem regulam, cui se se conformarent: imò nec docti; cum nec ipsi sciant, an Spiritum privatum habeant, & utique possint falli, atque rationem naturalem, vel naturalem notitiam, pro supernaturali illustratione habere: præterquam, quòd & ipsi possint, & quòdque etiam debeant, ab aliis corrigi atque doceri, adeoque non semper præsentem habeant infallibilem assistentiam Spiritus S. Unde, à primo ad ultimum hic spiritus privatus tandem nihil aliud est, quam cujusque opinio propria, deceptionibus pluribus obnoxia, atque adeo auctoritas nullo modo plusquam humana, & vel maximè fallibilis, consequenter ad fidem nullo modo sufficiens.

211. Nec dicas cum quibusdam, supremum, ac simul unicum iudicem controversiarum fidei, esse Christum, qui per internas inspirationes, seu privatum spiritum loquatur; nam in primis contra hanc replicam militat omnes rationes hucusque contra spiritum privatum allata. Dein ulterius contra est. Vox iudicis, ferentis deternativam sententiam, debet esse publica, & manifesta, non autem occulta, vel dubia, quam litigantes non intelligant, vel quis-

quisque pro se allegare possit; quid enim prodesset, si iudex humanus in tenebris, utriusque litigantium seorsim, ac tacite in aurem, sententiam diceret, ita, ut neuter perciperet, quid alteri diceret, imò nec iudicis personam, ac vocem, ab alterius persona, ac voce, certò discerneret? Num tali ratione litem componeret? atqui ita se haberet Christus, si, ut adversarii volunt, per spiritum internum privatum cuique loqueretur, ut expendenti patebit.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

212. OB. 1. Scriptura sæpe tradit, nos doceri interius à spiritu privato: ergo hic applicat sufficienter verbum DEI. Antequam ad particulares textus deveniamus, noto, hoc argumentum, saltem juxta Schvvenkfeldianos, & Libertinos, nihil probare; cum hi Scripturæ auctoritatem aspernentur. Dicunt quidem ipsi, hoc argumentum esse ad hominem, scilicet, ad nos, qui Scripturam Sacram veneramus: quòd licet verum sit, tamen respectu ipsorum argumentum efficax esse non potest; cum juxta ipsos nitatur fundamentum nullius roboris: & ad summum nos argueret inconsequentia doctrinae. Sed nempe, quando videntur Sacra Scripturæ, ac SS. Patres aliquid in ipsorum favorem dicere, maximi ponderis sunt: si ipsis apertè adversentur, ut ordinariè sit, nullius momenti habentur. In forma. neg. ant. Jam ad textus particulares, quibus hoc ant. conantur probare. Itaque

213. Ob. 2. Christus *Joan. 1. v. 9. dicitur lux vera, quæ illuminat omnem hominem. & c. 6. v. 45. Erunt omnes discipuli DEI. Omnis, qui audit, à Patre, & didicit, venit ad me. item c. 7. v. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina, utrum ex DEO sit. & c. 10. v. 16. Vocem meam audiens: his, & similibus clarè docemur, Spiritum S. esse internum doctorem, & quemlibet privatum instruere: ergo. Resp. neg. mi. tantum enim dicitur in his textibus, quòd DEUS fideles doceat, & ipsi ejus vocem audituri sint: non tamen exprimitur, an vox illa interna sit, an externa: & præsertim minimè dicitur, quòd DEUS absque prævia applicatione, per vocem externam facta, interius verbum suum clarè loquatur.*

214. Ob. 3. *Joan. 14. v. 26. dicitur de Spiritu S. Ille vos docebit omnia. item 1. Joan. 4. v. 1. dicitur: Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex DEO sint. item psal. 84. v. 9. Audiam, quid loquatur in me Dominus DEUS:* ergo Spiritus S. loquitur, docetque interius. Resp. neg. conf. Primus textus non probat, quòd Spiritus S. omnia doceat interius absque externa etiam voce: sed ab hoc prorsus abstrahit: imò potissimum ille textus tendit ad solos

Apostolos, quibus specialiter est datus Spiritus S. & ad Ecclesiam, cui etiam Spiritus S. assistentia est promissa. Secundum potius probat oppositum, scilicet interiores animi sensus, & cogitationes probandas esse, an à Spiritu S. sint, vel non: prima autem probatio esse debet, an sint conformes sensui Ecclesie.

Tertius textus ad summum probat, dari aliquas illustrationes internas, quibus DEUS alloquitur fideles, quòd utique concedimus: sed ex hoc non sequitur, quòd illæ illustrationes infundi soleant nullo precedente magisterio externo: quòd eæ tanquam tales statim in se ipsis cognoscantur, & discernantur ab inspirationibus mali spiritus, nec ad aliam regulam examinari, aut probari debeant: nec denique sequitur, quòd præter has inspirationes non sit Ecclesie DEI necessarius alius iudex controversiarum, ad quem, aut in defectu illustrationum, aut in dubio de earum origine, vel intelligentia, recurri possit. Hucusque dicta vel maximè confirmantur ex eo, quòd nec Christus, nec Evangelistæ, nec Prophetæ, nec Scripturæ aliæ, ad inveniendam, & probandam veritatem, nos nunquam mittant ad spiritum privatum: sed sæpe ad Scripturas, sæpe ad iudicium sacerdotum & c.

215. Ob. 4. S. Paulus *1. Cor. 2. v. 15. ait: Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. & c. 1. Thessal. 4. v. 9. De charitate autem fraternitatis non ne esse habemus scribere vobis; ipsi enim à DEO didicistis, ut diligatis invicem. & Matth. 23. v. 8. Vos autem nolite vocari Rabbi; unus enim Magister vester. ergo. Resp. ad 1. quarendo, an non ipsi adversarii sæpe iudicent suos etiam superintendentes, vel ministros, quos utique spirituales esse concedunt? unde, quòd spiritualis non iudicatur, significat tantum, eum non iudicari, in quantum spiritualis est, aut in quantum iudicat secundum regulas fidei, atque prudentiæ. Quòd autem omnia iudicet, iterum non significat, quòd per privatum spiritum omnia intelligat: sed quòd de omnibus non tantum terrenis, & animalibus (quæ sola novit homo animalis) sed etiam de spiritualibus, & altioribus rebus, saltem de generibus singulorum, licet non de singulis generum, iudicium ferre possit. videatur Canus de locis Theol. l. 2. c. 8. respons. ad 6. & 7.*

Alter textus ad summum probat, DEUM unam veritatem, scilicet charitatem fraternam, eis manifestasse: quamquam ex textu non constet, an id factum sit externa instructione, an sine ista: alia autem plurima Thessalonicenses non ita didicerunt; aliàs enim frustra eos Apostolus per epistolam docuisset: imò expresse idem Apostolus *ead. cap. ait, eos à se aliquid accepisse, hoc est, instructionem aliquam, secundum quam eos vult ambulare. Tertio textu non prohibet Christus in universum, nomen, & officium magistri (aliàs quomodo*

S. Paulus 1. Thimoth. 2. v. 7. de seipso scriberet: *Positus sum ego Prædicator, & Apostolus (veritate dico, non mentior) Doctor gentium*: sed tantum prohibet ambitiosum affectum ad eum honorem. Dicitur autem Christus unus Magister, quatenus est præcipuus, cuius nomine alii loquuntur. Non autem solus ipse instruit interius omnes; alias cur mississet in omnem terram Apostolos?

216. Ob. 5. *Jeremie 31. v. 33.* ait DEUS: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in DEUM: & ipsi erunt mihi in populum: & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum.* & 1. Joann. 2. v. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus:* ergo DEUS in corde per unctiorem, seu Spiritum S. omnia docet. Respondet ad 1. S. Augustinus l. de Spir. & litter. x. 24. prioribus verbis: *Dabo legem &c.* significari gratiam novi testamenti: posterioribus autem: *Et non docebit &c.* ait idem Sanctus Doctor, significari præmium fidei, seu beatitudinem, in qua omnes electi videbunt DEUM à facie ad faciem, Si quis contendant, etiam verba posteriora de hoc tempore viæ intelligenda esse, respondet Bellarminus tom. 1. controu. 1. de verbo DEI. l. 3. c. 10. sermonem ibi esse, non de omnibus fidei mysteriis, sed de sola notitia unius DEI, quæ in novo testamento utique longè magis obvia est; cum nemo fermè jam idola colat, adeoque omnes facillimè unum DEUM agnoscat, ita, ut quasi nulla, præsertim speciali instructione, opus sit.

217. Ad alterum textum responderetur, sensum ejus esse, quòd necesse non sit, ut aliquis eos doceat aliquid contrarium iis, quæ jam docti sunt ab Apostolo: & certè, si juxta interpretationem adversariorum accipiendus esset hic textus, ita, ut sensus ejus sit, quòd non sit necessarius ullus alius doctor, quàm internus, deberent omnes Prædicantes tacere, & cessare aliquando à repetitis clamoribus, quibus concionem solent obruere. Sanè S. Joannes ibi non vult dicere, fideles in nullo opus habere doceri (alias enim cur scripsisset ad eos epistolam, & cur DEUS Apostolos, & doctores Ecclesie dedisset, ut dicitur n. 209.) sed, sicut patet ex contextu illius capituli, vult S. Evangelista tantum dicere, fideles non opus habere quibusdam pseudoapostolis, doctrinam aliam ab Apostolica tradentibus; hinc versu immediatè præcedenti præmittit, verba illa: *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos, &c. 3. v. 7.* ait: *Filioli, nemo vos seducat.*

Emmanuel Sa ait, eo textu significari, non esse necessarium, ut quis eos doceat illa, quæ jam prius didicerunt, vel ad salutem necessaria sunt; nam unctio &c. (seu Christianismus; Christianus enim est idem, ac unctus, à verbo græco chrisinate, quod unctiorem significat) seu doctrina Christia-

na docet ea omnia. Bellarminus tom. 1. controu. 1. de verbo DEI l. 3. c. 10. etiam dicit, posse explicari eum textum, ut significet, fideles non necessariò esse docendos ea, quæ jam ab Apostolis docti erant: & habet hæc explicatio fundamentum in ipsa epistola 1. Joann. cum ead. c. 2. v. 24. præmittatur: *Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat:* ubi videtur sanè loqui Apostolus de auditione externa, scilicet ratione Apostolicæ prædicationis. Addit idem Cardinalis, si aliqui Catholici essent circumfessi ministris prædicantibus, Lutheranis, vel Calvinistis, ut eos perverterent, non malè talibus scripturam aliquam Catholicam: *Non necesse habetis, ut aliquis Lutheranus, vel Calvinista, doceat vos doctrinam Christi; omnino enim, quæ vos scire oporteat, jam didicistis, & tenetis ex prædicatione Ecclesie.* Tandem, quando adversarii aliqui dicunt, omnem aliam regulam, extra spiritum privatum, esse humanam, & fallibilem, iis respondetur dicendo, regulam infallibilem, atque certissimam facillè assignari Ecclesiam, tanquam columnam, & firmamentum veritatis, cujus definitiones, ob assistentiam Spiritus S. dubia infallibiliter resolvunt: sed hæc plurius probanda sunt: quare fit.

QUESTIO II.

De Ecclesia, & Signis Creditibilitatis.

ARTICULUS I.

An detur aliqua Vera Religio, seu Ecclesia in mundo.

218. Hæc quæstio de Ecclesia, cum fundamentum sit plurimum decisionum, quibus quæstiones controversæ à Catholicis deciduntur, dignissima utique est prolixiori explanatione. Ut autem methodicè procedamus, prius inquirendum, an detur aliqua vera religio in orbe: tum, an Christiana aliis sit præferenda: tandem, an ex multis, quæ Christianas, seu à Christo ortas, se jactant, Catholica sit præ aliis vera. Hoc ultimum si evicerimus, facile erit ostendere, eam esse visibilem, & sensibilem, ac externam regulam applicativam verbi Divini. Ad agenda dein erit una, vel altera conclusio, adhuc inter Catholicos Theologos controversa ad majorem eruditionem.

Religio autem hic non accipitur pro habitu illo infuso, seu virtute morali, qua cultum DEO deferimus: multò minùs accipitur pro statu religioso, intra quem se mortales DEO specialiter per vota substantialia consecrant, & hinc Religiosi vocantur: sed religio, prout hic accipitur, est doctrina de DEO, & Divinis, ac præcipue de cultu, quo

quo DEUS à nobis petit honorari: sive, est doctrina fidei, & morum, à DEO auctore profecta, quam credendo, & servando, DEO esse servimus, & post mortem felicitatem nostram consequimur.

219. Ecclesia autem, quæ vox à Græcis accepta est, in genere est aliqua congregatio, vel concilium: at verò in restricta significatione, quæ fideles ea voce utuntur, est, ut ait Gormaz de virt. Theol. n. 314. *Societas communitaris, ex rationalibus creaturis constituta, supernaturali cognitione DEO adhaerens, ejusque vero cultu inter se communicans.* Supponitur autem ad hanc controversiam, DEUM existere, quod lumine naturali est notum, & à Philosophis demonstratur: item eundem DEUM rerum hujus mundi curam, & providentiam habere, quod omnibus etiam est certum: & rectè ait Clemens Alexandr. l. 5. *stromatum sub initium: Sunt etiam quedam quæstiones dignæ, quæ puniantur, cujusmodi est quarere probationes, an sit providentia.*

Certè DEUS, uti omnia creavit, ac novit, ita etiam omnia ad fines suos ordinat, eisque providet de necessariis mediis; aliis quomodo infinite bonus esset? Sed hæc futius deducere non spectat huc. Sanè interrogentur omnes homines, qui non sunt conscientia pessima, aut desperata, sed ejus remorsus adhuc sentiunt, & dicent, DEUM mala punire, & bona remunerari. Quin etiam experientia, & historice mirabiles plurimæ, idem confirmant, vide tract. de DEO à n. 608. Supponitur ulterius, etiam animam rationalem esse immortalem, quod iterum demonstrant Philosophi, vel maxime ex ipsa providentia DEI, malis supplicium, & bonis præmium decernentis, ob eas quæ actiones, quæ, cum fiant in vitæ fine, non nisi post mortem præmiari, aut puniri possunt.

220. Dico. Datur in mundo aliqua religio vera. ita non tantum omnes Catholici, sed & omnes Christiani, imò omnes homines, exceptis atheis, & pauculis quibusdam, ut vocantur, adaphoristis; quamvis posteriores isti, ut videbimus, revera contrarii non sint huic conclusioni. Prob. autem conclusio 1. hoc ipso communissimo omnium mortalium sensu: certè, quamvis inventæ sint nationes non pauca sine rege, sine civitate, sine pecuniis, sine literis: tamen, aut nullam, aut vix ullam reperire est tam barbaram, quæ DEUM nullum agnoscat, aut omni religione careat: duratque hic communis consensus jam per tot sæcula mundi. Præsertim autem ita sentitur, atque adhuc sentiunt sapientissimi, & morum honestate celeberrimi quique; unde, sicut bonum est, quod omnes amant, ita verum est, quod omnes sentiunt, nisi velimus etiam dubitare de primis principiis, quæ ideò ab omnibus certa habentur; quia omnium hominum consensu admittuntur.

221. Prob. 2. concl. ex providentia Dei. DEUS providentissimus, uti alia omnia, ita etiam hominem ordinavit ad aliquem finem

nem, & quidem, cum omnia inferiora ordinaverit ad hominem, istum ordinavit ad se, seu ad suam laudem, & gloriam: ergo prudenter non potuit esse contentus, si homo eum non laudaret, nec coleret: ergo debuit ei etiam aliquem saltem modum præscribere, vel exterius dictando, aut docendo, vel certè intus in animo eum aliquo lumine illustrando, quomodo se coleret; si enim homo illum modum non nôset, careret necessario medio ad suum finem. Rursus, cum hominem immortalem voluerit assumere ad aliquam æternam felicitatem, si benè agat, damnare verò ad aliquam æternam poenam, si malè se gerat, debuit ei dare certam quædam præcepta vitæ, & morum, quæ servando beatus, vel violando reus, redderetur: sive dein ea præcepta exterius, sive tantum interiore lumine mentem illustrando, ei promulgare voluerit, (de quo hic quæstio non est) aliàs DEUS creasset priori conditione hominem, quam bruta, quibus media, ad eorum finem necessaria, suppediavit: nec fat prudenter finem absque mediis necessariis obtinere vellet: sed in hoc modo colendi DEUM, atque in his præceptis, stat religio vera, hoc est illa: quæ à DEO verè orta est, eique placet: ergo.

Confirm. Impiissimi quoque athei, ipsæque scelestissimus Machiavellus, etiam DEUM negent, & consequenter etiam negent omnem religionem veram, tamen vel maxime principibus commendant religionem apparentem, seu simulatam; ajunt enim, ad continendos in officio populos, vel maxime necessariam esse persuasionem de existentia alicujus religionis; cum aliàs nullus ordo, nec regimen stare possit; eoquòd, si nihil à DEO, aut nihil post mortem timeatur, facillè etiam contemnatur principum temporalis tantum auctoritas, & mors ipsa, consequenter & aliæ poenæ, quas quisque illata sibi ipsi morte potest vitare: atqui persuasio tam necessaria ad regendos populos, & servandam vitæ honestatem, est etiam necessaria vera: ergo, prob. subsumptum; aliàs enim populi eò essent feliciores, quò magis errarent, & qui verè saperent, essent magis miseri, essetque humano generi ad suam felicitatem necessarius error, qui tamen intellectui rationali vel maxime contrarius est.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

222. Ob. 1. Potuit DEUS in poenam peccati originalis permittere, ut omnes homines erent, & nullibi detur vera religio: ergo non est certum, dari veram aliquam religionem. Resp. 1. retorq. argum. in primis principiis naturalibus; cur enim non eodem modo potuit DEUS permittere e. g. ut omnes homines per errorem putent, totum esse majus sua parte? adeoque dubitare etiam poterimus de his principiis. Ex quo sequitur ulterius, nos certò nihil concludere

re unquam posse: quid igitur disputamus? Secundò. Si datur peccatum originale, eo ipso ante illud data fuit vera religio, contra quam peccando illud peccatum est admittum: si autem aliquando data fuit, etiamnum datur; cum eadem religio, quæ originale peccatum commissum docet, etiam doceat, illud fuisse remissum. Vel igitur falluntur homines in illo credendo, vel non falluntur in credendis etiam aliis; quia eadem auctoritate revelata sunt, adeoque vel non datur peccatum originale, vel datur simul vera religio.

Accedit, quòd positis tot signis credibilitatis, miraculis &c. fiat evidenter credibile, & credendum, ac moraliter saltem certum, etiam antecedenter ad actum fidei, quòd DEUS ob peccatum originale præteritum tantum errorem non permitrat; quia est evidenter credibile, & credendum, ac moraliter saltem certum, DEUM hanc religionem revelasse, adeoque eam esse veram; cum DEUS evidenter non possit mentiri. In forma dist. ant. potuit DEUS permittere talem communem errorem, supposito isto communissimo omnium hominum sensu, & hac providentia circa homines, itémque positis his signis credibilitatis. neg. ant. antecedenter, absolutè, & si non haberetur iste communis sensus, nec ista providentia, nec illa signa &c. om. ant. & neg. conf.

Dixi: om. ant. non enim mihi videtur verum, quòd DEUS etiam absolutè possit permittere talem communem errorem, tum ob rationes in retorsione allatas, tum ob aliam rationem, non quidem fide tenentem ex parte hominum (utique enim DEUS potuisset permittere, ut omnes in infernum ruerent) sed tenentem se ex parte DEI; nam, si DEUS talem errorem permitteret, videretur non esse sat providus; si enim DEUS nullam providentiam exerceret erga homines, etiam nullam exerceret erga alias creaturas sublunares, & materiales, quas tantum in hominis gratiam condidit: adeoque nullam totius globi terræque providentiam haberet, quòd est absurdum vel cogitare. Nec dicas, DEUM provisorum homini de aliis, non verò de vera religione; nam contra est: hac ratione providentia DEI hominem non dirigeret ad finem ultimum, sed tantum ad fines intermedios, seu ad summum ad fines negativè ultimos: neque DEUS adhiberet providentiam in ordine ad gloriam suam, ad quam tamen debet vel maximè ordinare etiam hominem, qui cum rationalis sit, videntur sanè etiam ipsius actiones rationales ad DEUM ordinari debere, ut possit iis coli, atque actu colatur, ad quòd necessaria est aliqua religio.

223. Ob. 2. Sufficit, si quis credat existentiam unius supremi DEI, & vitam instituat juxta naturalis luminis ductum: de reliquo DEUM colat ritibus, & caeremoniis, quibus voluerit: adeoque potest quisque, non in una duntaxat, sed in pluribus diversis religionibus DEO placere, ac consequenter salvari. Ita adaphorista, quibus ferè conglanant ii, qui fidem ad capita paucissima re-

ducunt, v. g. DEUM esse trinum, & unum, omnium creatorem, Christum humani generis redemptorem; præcepta verò morum ea tantum agnoscent, quæ naturalis ratio dicit servanda: quidam etiam addunt necessitatem baptismi, & paucula alia: ea autem, in quibus inter se discrepant diversæ inter Christianos sectæ, inter adaphora, seu scholasticas lites rejiciunt, docentque, quemvis in quavis religione eorum, qui Christiani censentur, posse salvari.

Resp. Isti, etsi pessimè sentiant, tamen quoad punctum modò controversum, nobis non sunt contrarii; nam etiam hi unam religionem tanquam veram adstruunt, scilicet illam, quæ paucula illa capita complectitur: reliqua autem, quæ aliæ religiones, seu sectæ superaddunt, falsa existimant, vel certè non necessariò credenda. Quod autem spectat ad ipsam hanc sectam adaphoristarum, eam esse falsam, probatur iisdem omnibus rationibus, quibus infra probabimus, solam Catholicam Ecclesiam esse evidenter credibilem, & credendam; nam consequenter credendum non est, quòd illi adversatur.

Interim tantum hoc dico. Qui in Christum religionis auctorem credunt, debent etiam fidem habere Sacræ Scripturæ & Apostolicis scriptis: ex quibus manifestè rejicitur hic adaphorismus; cum evidenter plura ex Scripturis possint monstrari credenda: nec ea levis momenti, sed spectantia ad essentiam fidei. Et vel maximè illud Christi Domini dictum. *Matth. 28. v. 17. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Ex quo concluditur, debere nos audire Ecclesiam, quæ longè plura ad fidem spectare nos docet. Plura adhuc dicemus inferius, ubi de credibilitate solius Catholicæ Ecclesiæ. Aliam objectionem, vel confirmationem huc spectantem, vide infra. n. 257.

ARTICULUS III.

An Religio Christiana sit præ aliis credibilis.

224. SUpposito, quòd aliqua vera religio sit ab auctore DEO hominibus tradita, sequitur, eam necessariò debere habere talia signa, per quæ ab omnibus aliis falsis possit dignosci; aliàs cur DEUS eam instituerit, si non possit agnosci? Certè minùs nobis providisset, quàm brutis, quibus dedit mediorum, ad suum finem necessariorum, notitia, dum nobis absconderet medium, ad nostram salutem summè necessarium: quòd cogitare de optimo DEO, est sanè absurdum; præsertim, cum id quoque redundaret in diminutionem gloriæ DEI, cujus curam DEUS etiam necessariò habet; unde, si dedit hominibus principia quædam, ad intellectum spectantia, per quæ homo juvari possit in addiscendis scientiis aliis, quæ tamen non ita humanæ salutis, aut gloriæ Divinæ inserviunt, utique censendus est, dedisse quoque principia quædam, quibus juvemur ad

ad acquirendam fidei sinceræ doctrinam, & nostræ beatitudini, ac honori Divino promovendo omnino necessariam.

225. Quanquam autem DEUS posset interius illustrare hominem, ut clarè veram à falsa religione discerneret: id tamen, in hac saltem providentia, ordinariè non solet facere, maximè antequam alicui doctrina fidei per exterioriam docentem fuerit tradita, (ut experientia docet, & fusiùs dicemus, quando agemus de evidenti credibilitate fidei nostræ, rudibus, rusticis, puerisque necessaria) sed potius per media, aut motiva, seu signa quædam exteriora, hominibus ostendit, quænam religio præ aliis sit amplectenda. Unde, ut veram religionem amplectamur, ferè pendere oportet, quænam præ aliis plura veritatis signa habeat, adeoque collatis inter se sectis credibilior sit.

Quando autem una, omnibus diligenter consideratis, reliquas omnes credibilitate excedit, & quidem manifestè, præsertim, si reliquæ in comparatione cum ista omnino non amplius credibiles sint, aut assensu prudenti dignæ (quales, ut infra patebit, sunt omnes aliæ, collatæ cum nostra religione Catholica) tunc sanè illa censenda est ex omnibus vera; utique enim debemus credere id, quòd longè credibilis esse apparet, si prudenter agere velimus, ut est per se clarum: adeoque debet illa religio etiam esse vera; aliàs teneretur homo amplecti religionem falsam, nec posset prudenter amplecti veram: quòd utique absurdum foret, nec benignissimæ DEI providentiæ satis congruum; cum sic quisque salutis suæ studiosus, si prudenter agere vellet, non posset veram religionem, consequenter nec suam salutem, assequi. His præmissis

226. Dico. Religio Christiana præ omnibus aliis est evidenter credibilis, ita omnes Catholici. Dico autem *Religio Christiana*, ut adhuc abstraham à variis Christianorum sectis, & ordinatè procedam, agendo primò de religione à Christo instituta in genere; postea enim etiam in specie Catholicam evidenter credibilem probabimus. Dicitur autem *evidenter credibile* illud, quòd apparet affectum talibus motivis, ut evidens sit, me posse prudenter id credere, vel certè posse prudenter conari, ut circa illud elicium actum fidei: quòd ideo dico; quia ratione naturali evidens esse non potest, quòd hic, & nunc possum elicere determinatè actum supernaturalem fidei. Pariter *evidenter credendum* est illud, de quo est evidens obligatio illud credendi: vel certè est evidens obligatio conandi, ut circa ipsum elicatur actus fidei: & nunc quidem probatur, religionem Christianam esse evidenter credibilem: postea videbimus, eam etiam esse evidenter credendam.

Res autem eò magis credibilis est, quòd pluribus rationibus, vel testimoniis, maximè diversis, probatur; nam difficulter in idem

asserendum conspirant plures, maximè diversi testes: & difficultas illa, quæ invenitur, in procurando plurium ad idem sententiam consensu, non solet superari, nisi à veritate, vel auctore ejusdem DEO. Hinc nobis omnibus evidenter credibile est, dari Constantinopolin, vel Americam, aut Asiam; quia, quamvis eas non viderimus, tamen tot, & tam diversis testimoniis, in idem conspirantibus, non possumus, nisi imprudentissimè fidem negare. Itaque, ut etiam ostendamus evidentem credibilitatem religionis Christianæ, eam pluribus, & iisque diversis rationibus, seu testimoniis, confirmabimus. Aliqui putant, hanc evidentiam esse de fide, ex illo *psal. 92. v. 5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: hoc est; ut exponit Lyranus, *magis, quàm prima principia.*

227. Prob. itaque concl. 1. ex auctoritate ipsius primi auctoris religionis Christi Domini, cujus inprimis eximiam vitæ innocentiam, ac sanctitatem, etiam hostes reprehendere ausi non sunt, & fictis tantum ex invidia calumniis eum ad mortem damnarunt: cujus eximiam sapientiam, rerumque abstrusissimarum notitiam, quin & futurorum contingentium præscientiam, ac prædictionem, & prophetias plurimas, iidem rursus negare non potuerunt: cujus thymaturgam potentiam, in sanandis omnibus generis morbis, in expellendis dæmonibus, in resuscitandis ipsis mortuis: ac tandem etiam propriam ejus post triduum resurrectionem à mortuis, Judæa rota obstupuit.

Nec dicas, hæc tantum ab Evangelistis, utpote ejus sociis, ac amicis, esse conscripta, adeoque suspecta; nam, licet infideles scripta Evangelistarum non admittant, tanquam verbum Divinum, tamen ipsi ut historici merentur ab omnibus saltem fidem humanam. Nec supponi potest, ea mirabilia tantum esse in gratiam Christi conficta; nam Evangelistæ testabantur ea, tanquam in orbis oculis facta, & eo tempore, quo adhuc plurimi Christo synchroni vivebant, à quibus facillimè mendacii argui potuissent. Adde, quòd iidem sincerè etiam scripserint Christi Domini passionem, & mortem: cur igitur credunt infideles Evangelistis, asserentibus Christum esse crucifixum, & non pariter credunt dicentibus, eundem à mortuis resurrexisse?

Et quis tandem alius hæc scribere debuisse? an quisquam Judæus, vel gentilis, sed Christo infensus? at si talis quispiam ea scripserit animo sincero, & non omnino impiissimo, debuisse etiam Christi fidem amplecti, nec Christi hostis manere: & tales ex Judæis plures de Christo scripsere: sicut & Apostoli ipsi ex Judæis fuere. Quod si autem infidelis aliquis, animo perverso, & nescio ex quo fine, de Christo scripserit, nulla fuisset ratio, ipsi præ Apostolis fidem habendi, præsertim cum istorum scripta tot miraculis (de quibus fusè postea) comprobata fuerint.

228. Verum etiam quidam, qui in Christi

miraculis credit. Sed nec sine Divina virtute eam firmante, post mille septingentos, & plures annos, adhuc ista religio durare potuisset, inter tot ei adversa: certe alie sectae complures, quamvis non tot difficultatibus impetita, dudum extinctae sunt.

235. Probatur 5. ex fortitudine martyrum. Incredibilis sane numerus est eorum, qui pro fide Christi vitam dederunt. Probati auctores affirmant, quod eorum numerus decem, aut undecim milliones excedat. Et quidem fuerunt omnis sexus, & aetatis, pueri etiam, & puellae: atque inter tormenta savissima, inter ignes, & rotas, & quaecunque atrocitas, ingeniosa crudelitas excogitare potuit, inter infamissimos etiam cruciandi modos invicta constantia ad mortem usque alacritate etiam summa steterunt, solo studio placendi DEO, & servandae religionis: quin ullis, aut parentum, vel filiorum lacrimis, aut principum, iudicumve blanditiis, amplissimisque promissis, sese moveri sinerent. Sane homines libenter mori, & atrocissima tormenta pati, non ob ulum temporale lucrum, sed ob solam vitam sanctitatem, res est adeo magna, ut obtineri nequeat a natura, sed a sola virtute Divinitus data. Nec satis congruere videtur bonitati Divinae, si in re tanta errare, & pro inutili falsitate mori sineret tot homines, & tanto erga se amore flagrantes.

236. Probatur 6. ex miraculis, quae argumentum Divinae veritatis esse, satis constat ex dictis n. 29. & sequentibus. Facta autem esse, & quidem verissima miracula in Christianae religionis comprobationem, negare, nisi insipiens, nemo potest; cum jam tot saeculis annotata inveniantur, ac scripta a SS. Patribus, etiam antiquissimis, Athanasio, Gregorio Nysseno, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio Magno, Theodoro, Severo Sulpitio, & aliis: quorum syllabum, & ordinem etiam saeculorum, ac temporum videre potes apud Bellarminum tom. 2. controu. 1. l. 4. de notis Ecclesiae c. 14.

Quamvis autem aliquando occulti naturales effectus miraculosi sint habiti, vel etiam aliqua casus ex imprudenti simplicitate sint conficti: dicere tamen tantos viros, (quorum vitae integritas, fides, ac sapientia, omni exceptione est major, quique loco, & tempore, hoc est, integris saeculis, ac regnis, inter se fuere disjuncti) in hoc conspirasse, ut anilibus fabulis, & figmentis, fidem animo levissimo haberent, illicque conscriptis orbem implerent: vel etiam illis malitiose sparsis alios deciperent, certe insanum est. Et recte scripsit S. Augustinus l. 10. de civitate DEI c. 18. *An dicit aliquis, ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino ullis litteris esse tradendum, potest etiam dicere, nec DEOS ullos curare mortalia; non enim se aliter colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus.*

Quamquam non soli Christiani, sed & infideles, fidem de miraculis nostrae religio-

nis faciant; nam Josephus Judaeus, citatus n. 225. de Christi Domini miraculis fidem facit: item Marcus Aurelius Imperator (cujus filia quoque per S. Abertium a daemone liberata fuit) in literis suis ad senatum datis, quas legere est apud S. Justinum M. post Apologiam secundam ad Antonium Pium (ubi etiam habetur epistola Antonini in favorem Christianorum) quasque Marci Aurelii literas etiam plures alii citant: in his autem Marcus Aurelius apud Spondanum ad an. *Christi*. 176. testatur, se nulla ope a gentilibus Diis obtenta, tandem per militum Christianorum preces, tam pluvias exercitui summè siccitati extremè necessarias, quam grandinem, ac fulmina, quibus hostis consumptus sit, impetrasse. Et hinc addunt iidem auctores, quod ea legio *fulminea*, vel *fulminatrix* dicta sit.

237. Referunt autem, tum hi, tum etiam alii scriptores, omni exceptione majores, resuscitationes mortuorum, illuminationes etiam a nativitate caecorum, vel per plurimos annos visu privatorum: referunt gravissimos morbos, in momento sanatos, & sanitatem diu constantem, absque suspitione praestigiarum, servatas: quae verissima prodigia sunt, & nec demonis virtute fieri possunt: praeterquam, quod viri, ea miracula operantes, maximè sanctitatis (ut aliunde erat notissimum) fuerint, & ideo demonibus odio; quos propterea commercii cum daemone arguere, injustissimum esset.

Sed neque alia minora prodigia demoni adscribi prudenter possunt; cum facta sint ad DEI maximam gloriam, quam daemon non vult procurare, & saepe in confusionem apertam, & maximam ipsius diaboli, praesertim, cum ipse sapissimè è corporibus pulsus sit, & ex idolis suis ejectus, quin etiam coactus fateri, se DEUM non esse, sed potius daemone: quod factum antiquissimum Tertullianus in *Apologetico adversus gentes* c. 23. docet, dum ad experimentum hujus faciendum gentiles provocat: *Edatur*, inquit, *hic sub tribunalibus vestris, quem daemone regi constat. Jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille; tam se daemone consistebitur de vero, quam alibi DEUM de falso.* & paulò post: *Nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani prosacissimi sanguinem fundite.*

Accedit, plurima miracula esse perpetua, & miraculose semper perseverare, aut conservari, quod daemone, aut posse, aut DEUM permittere, credibile non est. Sic plures SS. Hostiae per plura saecula conservantur sanguinea: plura etiam Sanctorum corpora, iis etiam in locis, in quibus debuissent consumi, servata sunt integra, e. g. vivain calce corpus S. Xaverii. Sic concrevit S. Januarii sanguis sapissimè miraculose liquefactus. Sic servantur adhuc tres globi, in corde S. Clarae de monte Falco inventi, quorum bini, qualescunque velis accipere, non plus ponderabunt, quam tertius solus, symbolum elegans SS. Trinitatis. Sic manat proliquis liquor ex ossibus S. Nicolai My-

rensis Episcopi, quae modò servantur Barri in Apulia: & ex ossibus S. Walburgis Virginis, quae coluntur Eystadii in Franco-nia. Sed haec satis: qui plura cupit, adeat passim scriptores sacros, praesertim historiae Ecclesiasticae, aut vitae Sanctorum, ubi inveniet plurima: arguere autem omnes nugarum, aut mendaciorum, perfricissimae frontis est: nec tamen, qui omnia ista negaret, S. Augustini invictissimum argumentum n. 234. adductum effugeret.

ARTICULUS V.

Ulteriores probationes ejusdem conclusionis.

238. **P**rob. 7. conclusio ex prophetiis. Religio, quae antequam existeret, infallibiliter praedicta, promissa, & collaudata est, non potest esse mala, vel falsa: talis est religio Christianorum: ergo, ma. prob. praedictiones infallibiles rerum contingentium, a solo DEI autu pendentium, sunt certum signum Divinitatis, ut omnes homines sentiunt, & hinc gentiles, etiam ob ambiguas, vel tantum apparenter veras, vel rerum aliquo modo etiam necessario accidentium, sed ab homine ignoratarum, praedictiones, DEOS suos aestimant: quin etiam *Isaias* c. 41. v. 23. alloquitur DEOS gentium dicit: *Annuntiate, qua ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos:* hinc Tertullianus in *Apologetico* c. 20. ait: *Idoneum, opinor, testimonium Divinitatis veritas divinationis:* ergo religio infallibiliter praedicta, promissa, ac collaudata, est a DEO praedicta, promissa, atque laudata: atqui, quod est a DEO praedictum, promissum, & laudatum, non potest esse malum, vel falsum: ergo.

Prob. jam minor superior, nempe quod religio Christianorum talis sit. Primò ex prophetiis Judaeorum antiqui testamenti, quae, tum de Christo venturo, tum de ejus lege, seu testamento novo, tum de ejus passione, ita clarae sunt, ut gentiles dicerent, eas prophetias primùm esse scriptas post Christum, ejusque legem institutam, ferme sicut Virgilius vaticinatur tanquam futura, quae ante aliquot saecula jam erant facta. At refutantur facillimè ab ipsis Judaeis, qui testantur, sanctissimos esse, & antiquissimos eos libros, ex quibus haec praedictiones sumuntur: & haec est juxta S. Augustinum l. 18. de civitate c. 46. ratio, cur DEUS Judaeos, etsi eos gravissimis malis affligerit, noluerit omnino excindere, sed potius eos in omnem terram dispergere, ut scilicet ubique essent testes veritatis prophetiarum.

239. Ut autem ex pluribus pauca tantum adducamus. Praedictum est tempus adventus Christi, quando scilicet Judaei non erant amplius habituri ex sua gente regem; vel ducem, *Gen.* 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de se-*

more ejus, donec veniat, qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Item quòd Messias jam venerit, colligitur aperte ex *Danielis* c. 9. v. 24. nam septuaginta hebdomades (intellige annorum) quodocunque inceperint, de facto saltem certò impletae sunt, etiam si non fuissent abbreviatae, quod tamen factum esse Angelus expressè dicit *loc. cit.* Quòd Messias futurus sit DEUS habetur *Baruch.* 3. v. 36. *Hic est DEUS noster, & non aestimabitur alius adversus eum.* Post haec in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. & *Isaia* 9. v. 6. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, DEUS, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.* Ubi nota, hic, ut saepe etiam alias, a prophetis adhiberi perfectum tempus pro futuro; tum quia idiomaticè Hebraico id frequens est; tum quia hac ratione exprimitur certitudo rei futurae, quae tam certò fiet, quasi jam facta esset.

Quòd idem Messias futurus sit de stirpe David, dicitur *Isaia* 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jesse* (hic est pater Davidis) *& flos de radice ejus ascendet:* scilicet orientur B. Virgo, tanquam virga, & Christus tanquam flos. Ejusdem Messiae nativitas praedicta est ex virgine *Isaia* 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Locus nativitatis Bethlehem *Michae* 5. v. 2. *Et in Bethlehem Ephratae parvulus es in millibus Juda:* ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis. Pax tunc futura per universum orbem *Michae* 4. v. 3. *Concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens adversus gentem gladium.* Eadem habentur ferme verba *Isaia* 2. v. 4. item *Zach.* 9. v. 10. *Dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus.*

Christi Domini praecursor S. Joannes Baptista praedictus est *Malach.* 3. v. 1. *Ece ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos queritis.* Christi praedictio praedicta est *Isaia* 61. v. 1. *Spiritus Domini super me; eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis mihi me, ut mederer contritis corde, & praedicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem: ut praedicarem annum placabilem Domino.* Ejus miracula *Isaia* 35. v. 5. *Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

240. Ulterius praedictur ingressus Christi Domini Hierosolymam super animum *Zach.* 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus venit tibi iustus, & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae.* Ejus proditio per discipulum *Psal.* 40. v. 10. *Etenim homo pacis mea, in*

quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Eius venditio triginta argenteis Zachar. 11. v. 12. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos: & dixit Dominus ad me: proice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatum sum ab eis: & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium. Fuga discipulorum in oliveto Zachar. 13. v. 7. Perverte pastorem, & dispergentur oves.

Christi patientia in passione prædicta fuit Isaia 53. v. 7. Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tonante se obmutescet, & non aperiet os suum. & Jeremia 11. v. 19. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Eius dolores, & cruciatus, vulnera, & plagæ, & totius corporis deformatio, iterum Isaia 53. per totum quasi caput, ubi etiam cum latronibus occidendus dicitur v. 12. Cum sceleratis reputatus est. Potus tellis, & aceti Psalmo 68. v. 22. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Eius derelictio in cruce eod. psal. v. 21. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non invenit. Eius in cruce oratio Psal. 21. v. 1. DEUS DEUS meus, respice in me: quare me dereliquisti? Irrisiones, & blasphemias Judæorum ibidem v. 8. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput. & v. 7. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Crucifixus, & extensus in cruce ibidem v. 18. Foderunt manus meas, & pedes meos: dixerunt averunt omnia ossa mea.

241. De vulneribus manuum etiam habetur prophetia Zacharia 13. v. 6. Quid sunt plaga ista in medio manuum tuarum? & dicit: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Partitio vestium iterum psal. 21. v. 19. Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Defectus solis in morte Christi Amos 8. v. 9. Et erit in die illa, dicit Dominus DEUS: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. Christi sepultura Isaia 11. ubi, cum propheta plura dixisset de virtutibus Christi, & felicitate illorum temporum, subiungit v. 10. Et erit sepulchrum ejus gloriosum. Resurrectio Christi Psal. 15. v. 10. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Alcenho in cœlum Psal. 67. v. 19. Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem: accepisti dona in hominibus. Hæc ex prophetis breviter adducta potius, quam explicata: duas tamen prophetias, nempe Jacobi Patriarchæ Genes. 49. & Prophetæ Daniel. 9. suffus tractatas invenies in tractatu de incarnatione. n. 71. & seq.

Ex his autem patet, quam merito Christus Dominus sæpius Judæos revocaverit ad Scripturas, ut ex illis cognoscerent, se esse Messiam: sic Joannis 5. v. 39. ait: Scrutimini Scripturas; quia vos putatis in ipsis

vitam æternam habere; & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me. Huc etiam facit dictum illud S. Augustini tract. 35. in Joannem sub finem: Prævidens enim Dominus JESUS Christus, impios quosdam futuros, qui miracula ejus calumniantur, magicis artibus ea tribuendo, prophetas autem præmisit. Nunquid enim, si magus erat, & magicis artibus fecit, ut coheretur & mortuus, magus erat, antequam natus?

242. Huc spectant Sibyllæ, quas nemo existimet garrulas tantum mulieres, cum virgines fuerint omnes, & in præmium castitatis, vero DEI spiritu fuerint afflatae, ut S. Hieronymus, S. Augustinus, item Theophilus Antiochenus, Lactantius, & alii communissimè perhibent, præsertim S. Justinus M. orat. paranet. ad Gentem in fine dicens: Valeat apud vos, ad persuadendum, faciendamque fidem, antiquissima Sibylla auctoritas, cujus libri in orbe terrarum extant, quæ & Divino numine afflata, oraculis vos docet, eos non esse Deos, qui dicuntur, & JESU Christi, conservatoris nostri, futurum adventum, omniæque, quæ ipse facturus est, aperte, planèque prædixit: imò Clemens Alexandrinus l. 6. Stromatum refert dictum S. Pauli, fideles hortantis ad Sibyllinorum librorum lectionem: Libros quoque græcos sumite: agnoscite Sibyllam, quemodo unum DEUM significet, & ea, quæ sunt futura: & Hystaspem sumite, & legite, & invenietis DEI filium, multo clarius, & apertius esse scriptum: quemadmodum adversus Christum multi reges instruent aciem, qui eum habent odio, & eos, qui nomen ejus gestant: & ejus hæc, & ejus tolerantium, & adventum.

Hinc, cum antiqui Christiani Sibyllarum libros sæpissimè allegarent, Sibylla dicti sunt: prohibueruntque Imperatores gentiles, sub poena mortis, lectionem Sibyllarum, qua de re queritur S. Justinus martyr in Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Pium post medium ajens: Operâ autem malorum genitorum mors constituta, & definita est in eos, qui Hystaspis, vel Sibyllæ, vel prophetarum, vatumque libros legunt, ut metum homines, qui legunt, abducant ab eo, ne rerum bonarum cognitionem accipiant. Ecclesia etiam Sibyllis auctoritatem magnam concedit, dum eas allegat in threnis illis: Dies ira, dies illa, solvet sacrum in favilla, teste David cum Sibylla.

Decem autem Sibylla fuerunt, ut communis perhibent, à patria sua cognominatae, Cumæa, Cumana, Persica, Hellepontica, Lybica, Samia, Delphica, Phrygia, Tiburtina, Erythraea: quarum vaticinia plura assertit S. Augustinus l. 18. de civitate DEI. & alii, Carmina autem earum hic refero ex Alphonsi Salmeronis Commentariis in Evangelia tom. 2. tract. 19. ubi explicatur, quomodo gentibus Verbum per Sibyllas illuxerit.

243. Prima Cumæa de adventu Christi in temporum tranquillitate, sic canit Cum DEUS è cælo regem demittet olympo,

Tum terra omniparens fruges mortalibus agris
Reddet inexhaustas, frumenti, vini, oleæque.

Dulcia tunc mellis diffundent pocula cellæ,
Et niveo lactes erumpent lacte suaves.
Oppida plena bonis, & pingua culta vige-

bunt,
Nec gladius metuet, nec belli terra tumultus;

Verum pax terris florebit in omnibus alta.
Cumana de incarnatione sic scribit.

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipsis
In terris simili, natus Patris omnipotentis,
Corpore vestitus.

Persica sic habet de Joanne præcurfore.
Tunc quoque vox veniet quadam in deserta
locorum,

Nuntia, mortales miseris qua clamet ad omnes,

Ut rectos j'aciant calles, animisque repurgent

Avitiis, & aquis lustrentur corpora mundis.
Hellepontica de Christi prædicatione ait.

Ille DEI legem complebit, non violabit,
Persimilem formam referens: & cuncta docebit.

Lybica de ejus miraculis.

Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes
Lætos, quotquot ei fident, cæcique videbunt,
Incident claudi, surdis audire licebit,
Insolitas matris dabit efformare loquelas,
Expellet fœrias, oppressi morte resurgent,
Placabit sua Fœus, in desertisque locorum,
Largè panibus è quinis, & pisce marino
Milia quinque virum satiabit, reliquæque,
Bissenos copiosos implebunt Virginis alma.

Samia de ingressu in Jerusalem.

Salve casta Sion, permultaque passa puella,
Ipse tibi insensu rex en tuus intrat asello,
Erga omnes mitis, tua quò tibi, quò juga demat

Intoleranda nimis, qua fers cervice subacta.
Delphica de ejus passione.

Impingent illi colaphos, & sputa scelestis
Israel labiis, nec non & fellis amari
Apponent escam, potumque immittit aceti.

Phrygia de portentis in morte ejus, & sepultura.

Scindetur templi velum, mediūque diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis,

Et tridui somno peraget mirabile factum.

Tiburtina de Christi resurrectione, & ascensione.

Sed postquam triduo lucem repetiverit, atque

Monstravit somnum mortalibus, atque docendo

Cuncta illustravit, cælestia tecta subibit,
Nubibus investus.

Erythraea de judicio extremo hæc canit.
Judicii in signum tellus sudore madescet,
Et rex æternus summo descendet olympo,
Sicilicet ut carnem, mundumque ut judicet omnem.

Unde DEUM fidi, diffidentisque videbunt,
Summum cum Sanctis in sacri sine sedentem.

Hæc sanè clarissima sunt, quanquam illis temporibus, aut nemini, aut vix ulli intellecta: sed postquam completa nunc sunt, ab omnibus facile capiuntur.

244. Quin ipse dæmon, Divina vi adactus est, ad Christum confitentem; cum enim (ut testantur Nicephorus l. 1. c. 17. Suidas, & Cedrenus apud Spondanum in apparatu ad annales n. 13.) Delphicum oraculum mutum redditum fuisset, tandem silentii causam edixit Augusto illis versibus notis:

Me puer Hebraeus Divos DEUS ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristèmq; redire sub orcum;

Aris ergo dehinc tacitis abscedito nostris, qua de causa ajunt, Augustum extruxisse altare cum inscriptione Ara primogeniti DEI; crediturque fuisse locus in Capitolio, ubi olim stetit templum Jovis Capitolini, & modò est templum B. Virginis RR. PP. Franciscanorum, dictum Ara cæli.

245. Accedit, quòd non tantum prædicta fuerit religio nostra, sed etiam plurimis ejus sequacibus collatum divinitus fuerit donum prophetiæ, seu notitia futurorum contingentium, à libertate folius DEI, vel hominis pendentium, vel abstrusissimarum cogitationum, & secretorum cordis, quæ nec dæmoni patent; nam non tantum Christi Domini prophetiæ plurimæ recententur ab Evangelistis (quorum auctoritatem defendimus jam supra n. 227.) sed & aliorum Sanctorum ubique infinitæ leguntur in eorum rebus gestis: quas, si omnes neges, poteris historiis etiam aliis omnibus fidem negare. Jam verò donum prophetiæ, cum à solo DEO conferri possit, certè signum est religionis illi acceptæ, ut probavimus n. 238. Sed neque verisimile est, DEUM permitturum fuisse, ut eximii sui cultores (quibus solis ut plurimum hoc donum concedit) ignorarent veram religionem, quæ tamen summè necessaria erat ad eorum salutem, dum interim tam multa alia, longè minus necessaria, eidem revelavit.

ARTICULUS VI.

Ultima probatio conclusionis.

246. **P**Rob. conclusio ultimò. Nulla ex omnibus aliis scētis, seu religionibus in orbe est, quæ vel à longè habeat tanta signa credibilitatis, quam habeat religio Christianorum: ergo ipsa præ omnibus aliis est evidenter credibilis. conseq. est innegabilis; utique enim est evidens, me prudentius credere illud, quod pluribus signis, & motivis credibilitatis est affectum, quam aliud longè paucioribus signis vestitum. ant. autem prob. nulla est alia religio, quæ habeat auctorem tam dignum, propagatores, & affeetas tam virtuosos, & doctos, doctrinam tam puram, honestam, & sanctam, tamque mirabili modo

do propagatam, tanto fuso sanguine contestatam, tantis miraculis confirmatam, tot prædicationibus prius denuntiata, & tot prophetis illustrem: ergo. conseq. est clara. ant. prob. comparando religionem Christianam cum Gentilismo, Philosophismo, Machometismo, & Judaismo, ad quas diximus n. 176. reduci omnes sectas extra Christianismum; de sectis autem Christianorum puta, Lutheranorum, Calvinistarum &c. comparativè ad Catholicos dicemus inferius.

247. Itaque. quod spectat ad Gentilismum, auctores ejus (ut *Sapientia 13. 14. & 15.* habetur) fuere homines omnino insipientes, qui ex lignis, vel metallis fecere imagines; & e. g. pater, ut dicitur *Sapientia 14. v. 15.* dolens, citò mortuum esse suum filium. ejus imaginem fieri curavit arte sculptoria: dein, quem cupiebat, & tamen habere non poterat vivum, colere cepit mortuum, & inter fervos suos sacra constituit: vel vicissim filium patrem defunctum apotheosi donavit: & probabiliter primus Ninus patrem suum Nemrod (qui etiam dicitur Belus, aut Baal) inter Deos retulit, & sacra ei fieri voluit: atque adeò stulti hi saxa, & ligna, vel mortuos colere, ut rectè irridentur *titatis Sapientia locis.*

Pariter propagatores idololatriæ fuere homines stulti: imò nemo ferme philosophorum paulò celebriorum plures Deos asseruit, & Seneca *l. 4. de beneficiis c. 7. & 8.* ait, unum tantum esse DEUM, qui pro varietate suarum potentiarum, seu perfectionum, operum, & beneficiorum, quæ hominibus facit, sortiatur diversa nomina, ut modò possis eum dicere Jovem, modò Tonantem, modò Liberum Patrem, modò Herculeum, modò Mercurium. Stoliditas autem doctrinæ ex eo sufficientissimè patet, quòd saxa colant, ac ligna: imò & ex eo, quòd contra evidentem rationem plures colant Deos; cum, ut *in tractatu de DEO* demonstratur, unus tantum esse possit. Turpitudinem autem patet ex eo, quòd sceleratissimos Deos, vel impiè faciunt, vel insanissimè colunt, Jovem adulterum, Mercurium furem, Venerem incestum, Liberum ebrium &c.

Martyres autem idololatriæ non habuerunt pro suis ritibus, sed Christianos tales fecerunt pro sua lege. Sed neque ulla vera miracula, aut ad propagationem, aut ad confirmationem idololatriæ, unquam sunt facta, ut constat ex dictis *n. 100.* & si quædam mira referuntur, ut, quòd Dii Penates Ænæ de loco in locum migrarint: quòd serpens Æsculapio comes adhaerit, dum Romam iret: non fuerunt vera miracula; quia non fuerunt opera supernaturalia; nam motus ille non superat dæmonum vires. Sed neque gentiles pro se afferre possunt prophetias ulla veras, sed tantum ambigua, & fallacia dæmonum oracula, aut rerum quidem hominibus occultarum, sed non dæmonum notitiam exuperantium, manifestationem.

248. Quod attinet ad Philosophismum,

auctores ejus, ut ut fuerint sapientes, seu philosophi, tamen id ut plurimum religionem non elucidarunt, sed potius ethicas quasdam suis tradiderunt, aut profanas scientias: & si qui etiam de religione tractarunt, id longè imperfectius fecere, quam nostræ fidei Patres, atque doctores Ecclesiæ. Sed nec illorum philosophorum virtus potest conferri cum ea, quæ in Christianis inventa est, iis maximè, qui inter Sanctos relati sunt: imò quos philosophos ipsi valde dilaudant, alii magnorum criminum reos faciunt, ut videre est ex ipsis gentilibus auctoribus apud Cornelium *in 1. c. epist. ad Rom. v. 26.*

Quod autem attinet ad eorum doctrinam, non scitur, ab ullo purum philosophismum esse traditum: sed communissimè crassos errores immiscuerunt, ut videre est apud Tannerum *tom. 3. disp. 1. q. 2. n. 74.* & Cornelium à lapide *in 1. c. ep. ad Rom. v. 26.* De solo fortè Confucio, Chinesi philosopho, dubitari aliquo modo potest, an non præ aliis puriorem philosophismum tradiderit: tamen nec ipse est purus: adeoque certò non potest dici, & vix probabiliter, quòd unquam fuerit purus philosophismus in mundo: & si etiam fuit, tantum fuit ad summum apud unum, & alterum: non potest autem prudenter cogitari, quòd providentia DEI voluerit religionem veram adeò esse occultam.

Dein, etsi purus philosophismus nihil rationi naturali immediatè difforme tradat, tamen in hoc errat, quòd nihil supra rationem credendum admittat; cum tamen evidenter credibile sit, quòd DEUS non tantum à voluntate, sed etiam ab intellectu tributum, & subjectionem exigat, quòdque idem in se complectatur tantam perfectionem, quantam humana ratio non capit: insuper, quòd Christum, auctorem legis supernaturalis, non fecisset tot stupendis prodigiis illustrem, si impostor fuisset: nec etiam tot miraculis, omni suspitione carentibus, voluisset falsitatem confirmare, tot prædicationibus laudare, tanto fuso martyrum sanguine illustrare; unde etiam hanc sectam incomparabiliter superat credibilitate Christiana religio.

249. Jam Machometismus habet auctorem, hominem omnino indoctum, spurcissimum, & impostorem insignem (ut ostendit clarè P. Thyrsus *in sua manu-dictione p. 2. l. 1. c. 2. §. 2.*) nempe Machometum, qui non erubuit suæ prophetiæ infertem, quòd à DEO acceperit potentiam, libidine quadraginta alios superandi: qui habuit quindecim uxores, & præterea duas concubinas: cujus operatio potissima fuit homines interficere, aliena diripere, adulteria, & incestus admittere. Ejus sectæ pagatores fuere cruenti milites, qui gladiis, non argumentis, sectam eam propagarunt. Miraculum nullum fecisse leguntur ulli Machometani, nisi illud ridiculum, de quo n. 91. Prophetias, si quas Machomet finxit, non fuere veræ, & illa falsissima, qua fer-

tur prædixisse, se à mortuis resurrecturum. Martyres autem habent Machometani non alios, quàm milites, quos in bello occisos, tanquam martyres colunt, etiam prius sceleratissimè vixerint, nec pro religione, sed tantum in, & pro Sultani obsequiis cæsi fuerint.

Vel maximè autem cedit puritati religionis Christianæ turpissima sanè doctrina Machometanorum, lumini rationis prorsus difformis, in Alcorano contenta; nam primò dicit, quemvis in sua religione posse salvari, si ei convenienter vivat: hoc autem est dicere, DEUM etiam superstitionem, & idololatriam remunerari, & quamcunque infidelitatem. Secundò dicit, DEUM, & Angelos, orare pro Machomete. Tertio permittit sectatoribus suis, non tantum fornicationes, sed etiam vitia carnis contra naturam: imò in spurcitiis his felicitatem hominis constituit, & hanc eis beatitudinem post mortem promittit: quæ adeò absurda sunt vîs Avicennæ philosopho, qui Machometismum à parentibus hauserat, ut eum postea deseruerit tanquam lumini naturæ contrarium. Adde, quòd, ut P. Thyrsus scribit, Machometani nullum medium salutis habeant, nec orationem veram, qua aliquid à DEO petant; cum eorum oratio tantum sit quædam professio suæ fidei.

Uterius plura manifestè fabulosa continet Alcoranus eorum, e. g. solem, & lunam fuisse paris splendoris, sed hanc, afflictu alarum S. Gabrielis læsam, jubar suum magna ex parte perdidisse: item solem singulis noctibus se lavare, ut purior die altero surgat: cælum factum ex fumo, fumum ex maris vapore, mare autem profluere ex monte, quem Angelus manu teneat, tam altum, ut cælum sustentet &c. Quibus nugis potèstne aliquid absurdius fingi? Hinc sanè necesse fuit, ut Machomet omnem de fide disceptationem suis interdiceret, & sectam suam tantum armis defendi, ac dilatari vellet, ne scilicet tam crassa, & palpabiles inepriæ statim deprehenderentur. Quis jam sapiens æquare ausit Machometismum cum Christianæ doctrinæ sincerissima puritate?

250. Tandem, etsi Judæi olim veram fidem habuerint, & auctorem legis suæ DEUM, ac prædicatorem ejus Moysem, virum sanctissimum: etsi habuerint prodigia maxima, & prophetias verissimas, quæ in antiquo testamento verissimè referuntur: attamen ex iisdem miraculis, & prophetiis manifestum fuit ipsis Judæis, quòd venturus esset olim Messias, qui legem novam conderet: & has prophetias esse impletas, constat ex dictis *n. 239.* unde ex his ipsis cognoscitur falsitas modernæ doctrinæ Judaicæ. Adde, quòd jam à tempore Christi Domini, per mille septingentos, & amplius annos, miraculum nullum afferre queant.

Adde, quòd eorum doctrinæ modernæ, secundum quod à Christiana discrepat, nulatenus auctor sit DEUS, nec Moyse, sed Rabbini quidam, qui absurdissima quæque

scripserunt. Ipsorum Talmud, seu liber dogmaticus, plenus est blasphemis ineptiis. e. g. tradit, DEUM indutum tunica lineâ *Zizith*, & genuflexum orare quotidie: deflere statutis temporibus, multis cum lacrymis, excidium templi Hierosolymitani, & Judæorum captivitatem, sequè ipsum propterea affligere: item eum, quoties recoretur calamitatum Judææ gentis, duas lacrymas in oceanum fundere, & pectus utraque manū contundere: eundem, priusquam hunc mundum conderet, variis modis creandis, ac rursus destruendis, sese exercuisse, tum, ut hunc producere disceret, tum, ut otiosus non esset: item præcepisse offerri sacrificium expiationis singulis noviluniis pro scelere, quòd ipsemet perpetraverit, quando lumen, lunæ iniquissimè ademptum, soli attribuit.

Addunt, eundem DEUM aliquando à Rabbini excommunicatum fuisse: ipsum legere aliquoties libros legis: fuisse solum ludere cum pisce Leviathan, quem tandem iratus occiderit, ac ejus carnes sale conditas servaverit in epulum animabus justis: Adamum frequentem bestialitatem admisisse: contra Davidem nec adulterio, nec homicidio peccasse: DEUM præcepisse Judæis, ut sive dolo, sive vi, Christianorum bona diripiant. videatur Sixtus Senensis *l. 2. bibliotheca sancta post verbum Traditiones*: item Tannerus *tom. 3. disp. 1. q. 2. n. 75.* Quis hic non meritò exclamet cum Davide? *Psal. 118. v. 85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Certè, si quis omnia hucufque enarrata credibilitatis motiva, præsertim in unum collecta, expendat; evidentissimum ei erit, prudenter non posse se alteri sectæ, præ Christiana religione, fidem adhibere.

ARTICULUS VII.

An Religio Christiana sit præ omnibus aliis credenda.

251. **D**ico. Religio Christiana est præ omnibus aliis evidenter credenda: seu evidens est ob-

ligatio hanc præ aliis amplectendi: quæ à quibusdam vocatur *evidens credentia*. Prob. hæc conclusio. Evidens est, debere nos prudenter agere, & non imprudenter, adeòque etiam prudenter credere, seu aliquam religionem amplecti: ergo evidens est, nos debere præ aliis amplecti religionem Christianam. ant. est lumine naturæ notum. conf. prob. ex eo, quòd hæc sola præ omnibus aliis sit prudenter credibilis, prout satis jam est demonstratum articulis præcedentibus. Nec dicas, posse aliquem prudenter suspendere suum iudicium, & nullam religionem amplecti; contra enim est primò. Qui sic ageret, quasi atheum se gereret, & omnium hominum indignationem incurreret: certè est contra omnem sensum communem hominum, quòd homo possit vivere prudenter, absque omni religione.

turalia, supposito, quòd illum ordinet tantum ad finem naturalem: non autem, si eum ordinet ad finem supernaturalem; tunc enim debet ipsi providere de mediis supernaturalibus; unde ex providentia Divina rectè infertur veritas hæc conditionata: *Si DEUS ordinat hominem ad finem supernaturalem, debet dari aliqua religio vera supernaturalis*: ex qua, & aliis principiis hucusque jactis (ut consideranti facile patet) rite infertur hæc propositio disjunctiva: *Aliqua vera religio, sive naturalis, sive supernaturalis, datur in mundo.*

ARTICULUS VIII.

An inter varias Religiones Christianas liceat pro libitu quamlibet amplecti.

258. **D**ico. Non est perinde, quam quis religionem ex Christianis sequatur. ita Catholicis omnes, & plurimi etiam ex hæreticis, contra quosdam, qui, dum suis in sectis, quibus innutriti sunt, solidum fundamentum non inveniunt, afferunt, modò in DEUM, & Christum credamus, vel certè modò in præcipuis articulis conveniamus, æquè nos posse salvari, sive hanc, sive illam religionem amplectamur. Prob. concl. 1. Qui Christum agnoscunt, debent utique etiam credere ejus veræ doctrinæ, quæ ab ipso, ejusque discipulis immediatis, fuit proposita; aliàs brevi incident in omnimodam indifferentiam, seu adiaphorismum, & perinde ipsis erit, sive Christum, sive Machometem, sive Platonem sequantur: atqui non omnes, quæ Christianæ religionis vocari volunt, possunt habere eam veram doctrinam; nam sunt multi gravissimi fidei articuli, in quibus non omnes religiones Christianæ conveniunt: imò, in quibus sibi opponuntur, & Christus opposita docere non potuit: ergo non licet pro libitu quamlibet ex illis amplecti. ni. non potest negari ab eo, qui novit, quantæ, & de quàm magnis rebus, sint dissensiones, inter Catholicos & variarum sectarum affectas.

Confirm. Juxta hos adiaphoristas non essent vitandi hæretici, imò nullus talis esset; cum omnes, Christum colentes, haberent doctrinam sufficienter veram: alii autem non hæretici, sed genericè infideles dicitur: atqui hoc est falsum: ergo. prob. ni. S. Paulus ad Titum 3. v. 10. ait: *Hæreticum hominem, post unam, & secundam correptionem, devota*. S. Joannes autem vult, ut hæreticus nec hospitio excipiat, nec salutetur. 2. Joan. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* Rursus ad Hebr. 13. v. 9. S. Paulus ait: *Doctrinis variis, & peregrinis, nolite abduci.* & tandem Matth. 18. v. 17. jubemur omnino audire Ecclesiam, quæ longè plura credenda proponit.

259. Prob. concl. 2. auctoritate Patrum, & Doctorum, quos, licet adiaphoristæ non adeò æstimant, tamen omnes rationis compotes æstimare debent, saltem ob orbi notissimam sapientiam, ac eruditionem: atqui hi omnes constantissimè tenent, non licere, quodvis pro libitu sentire, & quamvis religionem amplecti; hinc enim omnibus sæculis, ab ipsis rejectæ, & anathematizatae sunt variæ doctrinæ hæreticæ: hinc tot sunt celebrata Concilia, utique non ob levia duntaxat scholarum litigia, sed ob articulos, eorum judicio, summi momenti, pro quibus etiam decertarunt acerrimè: hinc dies, noctesque impenderunt, in dilucidanda vera religione: imò hæretici etiam plurimi semper pro suis falsitatibus, tanquam pro aris, & focis, pugnarunt: adeoque & ipsi existimant, non perinde esse, quod quisvis credat, aut agat: consequenter hic est sensus communis omnium.

260. Prob. 3. concl. Vel sufficit, modò credamus in Christum: vel necesse est insuper, certa aliqua capita doctrinæ ejus amplecti: quidquid dicitur, non licet quamlibet religionem ex iis, quæ se Christianas vocant, amplecti: ergo. prob. ni. Si dicatur primum; tunc saltem non sufficit, credere in Christum quomodocunque; utique enim Christo Domino non est perinde, quidquid de ipso sentiat, an credatur esse DEUM, an purus homo, an Patri constitantialis, an quoad omnem naturam inferior &c. Si autem non sufficit, credere in Christum quomodocunque, non licet quamlibet religionem ex Christianis amplecti; nam sectæ Christianorum, etiam in credendis articulis de Christo ipso, inter se diversissimæ sunt: & quidam sectarii afferunt, eum non esse DEUM, ut Ebionitæ, Ariani, & alii: alii ajunt, eum non esse verum hominem, ut Apollinaristæ: alii duas in eo personas adstruunt, ut Nestoriani: alii unam tantum naturam, ut Eutychiani: alii demum docent, eum esse verum DEUM, & hominem, atque duas naturas, & unam tantum personam habere, ut cum Catholicis multi: ergo minimè licet, quamvis ex hac religionem pro libitu amplecti.

Si verò dicatur secundum, sive certa quædam dogmata esse credenda, tunc adhuc minus licet, quamvis religionem amplecti, sed necesse est, eam amplecti, quæ dogmata illa complectitur: imò non erit cuique liberum, pro suo placito ea dogmata assignare, sed debebunt ea tanquam à Christo orta proponi, ab aliqua regula, quæ falli non potest. Nec dici potest, quamlibet religionem Christianam omnia ea capita, seu dogmata necessaria complecti; nam religiones, quæ se Christianas dicunt, in primis quasi principiis, certè in gravissimis punctis, dissentiunt, ut ex sequentibus magis patebit. Nec dicas, sufficere, si aliqua pars illorum dogmatum credatur, vel etiam pars aliqua legum, à variis religionibus Christianis propositarum, servetur; nam, cum Christus sit auctor fidei, & legislator, non est ipsi

ARTICULUS IX.

An præ omnibus aliis sectis Christianis sola Catholica Religio sit credibilis.

262. **D**ico. Sola præ aliis omnibus sectis Christianis Catholica religio, seu Ecclesia, est evidenter credibilis (ex quo sequitur, eam etiam esse evidenter credendam, ut facile potest inferri ex dictis n. 251.) ita Catholici omnes. Prob. hæc conclusio, applicando nostræ Ecclesiæ Catholicæ argumenta, quibus ostendimus, fidem Christianam, generaliter sumptam, esse solam veram, & ostendendo, quòd, si non profus omnia, saltem ferme omnia, præ omnibus sectis Christianorum, tantum nostram religionem, confirmant, nullumque argumentum pro alia quadam secta sola, contra Catholicam Ecclesiam possit afferri.

Primum argumentum sumitur ab auctore fidei Christo. Etsi autem hæretici quoque eum suarum sectarum auctorem clamant, tamen in primis hoc argumentum ad summum commune est, neque contra nos potest afferri: dein hæretici de Christo sæpe ita loquuntur, ut ejus auctoritati multum decedat: certè Lutheri displicet vox *Homousios*, imò & nomen Trinitatis: Calvinus ait, utramque Filii naturam Patri Divino esse subjectam, ut videre est apud Bellarminum tom. 1. præfatione controversiæ 2. à folio 271. item apud Conzen in c. 27. Matth. v. 40. q. 2. referuntur ejusdem hæresiarchæ verba. quibus ait, Christum in cruce voces desperantis emisisse, & reum coram DEI tribunali additissimè, cumque pœnis inferorum luctatum fuisse.

263. Secundum argumentum sunt primi fidei fundatores. Jactant quidem hæretici, se etiam ab Apostolis originem trahere: sed hoc in æternum probare non possunt, quoad eos articulos, in quibus à nobis dissentiant. E contra nos, partim ex Apostolorum scriptis, partim ex antiquissimis traditionibus, habemus, Apostolos nobiscum sensisse in iis, quæ hæretici damnant, e. g. altaria habuisse, missas celebrasse, cruces erexisse, virginitatem matrimonio prætulisse, ejusque servandæ consilium dedisse, semper, postquam Christo adhæserunt, absque usu matrimonii vixisse.

Quod verò ad alios SS. Patres attinet, fatentur ipsimet adversarii, eos ut plurimum saltem, pro nobis contra ipsos stare: sed illos ut fallibiles contemnunt, adeò, ut Calvinus in institutionibus, quando Catholicos impugnat, passim fateatur, se toti antiquitati repugnare, ac sæpe dicat, omnes veteres lapsos esse: & quanquam aliquando Augustinum excipiat, tamen alibi, quando non pro se facit, etiam huic deserit. Videatur Bellarminus tom. 2. controu. 1. l. 4. c. 9. Lutherus autem in libro contra regem Angliæ, postquam dixit, reges, & principes, dignos non esse, qui solvant corrigiam calceamenti sui, ait etiam, se non magni facere mille Cyprianos, & mille Augustinos, ut habet Bellarminus tom. 2. controu. 1. l. 4. de

notis Ecclesiæ c. 13. Sed hæc impudentia prudentes merito offendit.

Præter SS. Patres Ecclesiam Catholicam illustrarunt milleni doctissimi viri, scriptis eruditissimis innumere libris, non tantum sacram, sed & profanam doctrinam abundantissimè complexi, quibus parem multitudinem, atque præstantiam, secta nulla opponere poterit. In horum autem, atque etiam SS. Patrum locum, succedere debent apud hæreticos, Lutherus infamis apostata, mulierosus, ebriosus, & spurcus: Calvinus stigmaticus, & vel suis intolerabilis: Zwinglius, ipse etiam sacrilegus, & uxore accepta sacerdotalis cælibatûs impugnator libidinosus (de quibus vide, si lubet, Florimundum Ræmondum de origine hæresum l. 2. c. 8. n. 1.) & similis furfuris homunciones, quorum, ut vita, ita & mors horribilis fuit, (de quo vide Bellarminum tom. 2. contro. 1. l. 4. de notis Ecclesiæ c. 17. Tannerum tom. 3. disp. 1. q. 2. n. 102.) qui non erubuerunt fateri, se à malis genis doctrinam hausisse:

Sanè Zwinglius ipsemet scribit, teste Florimundo de orig. hæres. l. 2. c. 8. n. 4. spiritum quem, quem nesciat, ater, analbus fuerit, sibi apparuisse, ac verba illa Scripturæ: *Hoc est corpus meum*: explicasse, quod eorum sensus tantum sit, ibi significari corpus Christi, vel ibi esse signum. Aliquod Dominici corporis: non verò dari realem eius præsentiam. Lutherus autem, ut apud eundem Florimundum l. 1. c. 15. n. 2. videre est: libro de Missa angulari fusè describit disputationem suam cum dæmone, à quo victus tandem Missam abrogaverit. Idem Lutherus l. de Missa privata, ait, se plus, quam modium salis cum dæmone comedis. Non igitur potest dicere Lutherus cum S. Paulo 1. Corinth. 11. v. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*: sed: *Ego accepi à diabolo, quod tradidi vobis*: cur igitur ei non etiam objici possit illud D. Augustini. tr. 42. in Joannem: *Si enim, quod dicis, à diabolo accepisti, & diabolo credidisti, mendax es*. Videatur etiam Gormaz. de virt. Theol. n. 643. ubi ait, hoc argumento motum Franciscum Walsingham Anglum, ad Catholicos transiisse.

264. Tertium argumentum veritatis Catholicæ est sanctitas, ac puritas doctrinæ, quæ certè apud hæreticos non invenitur, utpote qui multa rationi naturali, & morum honestati summè contraria tradunt, e. g. mandata DEI esse observatu impossibilia; ex quo sequitur, DEUM esse tyrannum, & innocentes ad inferos ignes detrudere: DEUM esse causam omnis peccati, & conditionis Judæ non minus, quam conversionis S. Pauli; quod est DEUM sceleratum facere; non dari libertatem humanam, saltem quoad actus supernos &c. Quia autem hunc errorem fundant in prævisione, & decreto DEI, sequitur, etiam non dari libertatem ad actus naturales; nam & hi prævisi, ac prædecreti sunt: igitur nullus est re-

us, qui actus præceptos omittit, & iniuste puniuntur fures, atque latrones.

Ajunt insuper, fidem solam justificare, nullis pœnitentiis, nullis bonis operibus opus esse, imò opera bona meritis Christi detrahere: quod est dare ansam sceleribus omnibus; nam modò quis audacter credat, se salvandum per merita Christi, quidquid pro libitu agat, non ei nocebit. Sanè mihi nunquam persuadebo, DEUM talem religionem instituisse, quæ homines, aliàs jam in seclera pronos, quasi magis incitet ad ea, proponendo tale medium, quo facillimè pro gravissimis sceleribus satisfaciunt. videatur Tannerus tom. 3. disp. 1. q. 3. à n. 140. ubi specialia Lutheri axiomata assert.

Hinc utique non est mirum, factum esse, ut per hæreses istas perversissimus redditus sit populus, qui eas amplexus est, ut ipse Lutherus deplorat; nam in *Possilla domestica Dominica prima adventus* ait: *Mundus ex hac doctrina in dies deterior evadit: quod pessimi demonis opus, & negotium est. Enimverò videmus, quòd hoc tempore homines sint magis avari, immisericordes, impudici, procaeces, atque deteriores, quam antea in Patu fuerunt*. Idem deplorat Schmidelinus, & alii. Denique Erasmus in epistola ad Valturium Neocomum an. 1529. sic scribit: *Circumspice populum istum Evangelicum, & observa, num minus illic indulgetur luxuri, libidini, & pecunie, quam sauiunt ii, quos detestamini. Profer mihi, quem istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benevolum, ex impudico reddidit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores. vide Tannerum tom. 3. disp. 1. q. 3. à n. 132. Nec dicant adversarii, etiam inter Catholicos reperiri homines malos; nam sceleribus eorum ansam non dat nostra doctrina: at verò dat sceleribus ansam doctrina hæreticorum, de impossibilitate servandi præcepta, de DEO auctore, & prædestinate scelerum de nullitate libertatis humanæ, de suspensitate pœnitentiæ &c.*

265. Quartum argumentum de propagatione veræ religionis pugnat quidem pro Catholicis: at nequiquam pro hæreticis; præsertim modernis; nam nostra religio adhuc omnia illa difficilia credit, & imperat; quæ gentibus difficilemplexionem Christianissimi faciebant. At hæretici, nostri præsertim temporis, sensui plurimum indulgent, & libidini favent: & quidquid carni asperum est, tollunt: confessionem sacramentalem abrogant: bona Ecclesiastica laicis tribuunt: sacerdotes seculari potestate subiciunt: solius dei sufficientiam ubique declamant: econtrà docent, opera bona esse inutilia, quin imò aliquando etiam noxia: ulterius leges divinas impossibiles observatu dicunt, adeo vinctus impossibiles observatu dicunt, que legum Divinarum, & Ecclesiasticarum, vim enervant; hinc sæpe etiam civilium, vim enervant; hinc sanè minimè mirum, & adhuc minus mirum, homines ad vitia pronos, hanc vivendi

licentiam fuisse amplexos; præsertim, cum hæretici non gentiles, adhuc magis liberos, ad suam sectam trahant, sed tantum Catholicos pervertant, quemadmodum antiquissimus Tertullianus l. 1. de præscriptionibus adversus hæreticos c. 42. vel versu 272. jam de sui temporis sectariis notavit, sic scribens: *De verbi autem administratione quid dicam? cum hoc sit negotium illis, non ethnicis convertendi, sed nostros evertendi... nostra suffodiunt, ut sua adificent*.

Attamen his omnibus malis mediis adhibitis, nec à longè ulla hæresis se in tantum propagare potuit, in quantum fides Catholica, quæ per omnem orbem latissimè propagata est: certè adhuc in omni orbis regione, & omnibus quatuor partibus ejus, reperire est Catholicos plurimos: imò ultimis hæcæ sæculis, in Indiis, Japonibus, Sinis, innumeris populis est prædicata, atque recepta à millionibus hominum, adeo, ut quis Catholicus dicere queat cum S. Augustino l. de utilitate credendi c. 14. *Nullis me video credidisse, nisi populorum, atque gentium confirmata opinione, ac fama admodum celeberrime*.

266. Econtra hæretici vix paucos habent, qui iis adhaerent, nec adeo solliciti sunt de animarum salute, apud Indos procuranda, quam de opibus inde evehendis. In nostra quoque Europa qualibet hæresis modicum terræ spatium occupat: id ipse Lutherus in colloquio Islebii de ultimo die, folio 46 s. apud Tannerum tom. 3. disp. 1. q. 3. n. 189. fatetur de secta sua, cum ait: *Quid autem hoc sibi velle putas, quòd nostrum Evangelium in angulis prædicatur? quo pertinere censet, quòd tota Asia, & Africa Evangelio carent? & in Europa, in Græcia, Italia, Hungaria, Hispania, Gallia, Anglia, & Polonia, nullum Evangelium prædicatur?* Sanè Ecclesia vera debet, universalis, seu Catholica esse, hoc est, amplissimè diffusa; hæc enim est nota, quam Concilium Nicænum in Symbolo ei assignavit; & ex illo Psal. 2. v. 8. eruitur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra*: igitur hæretica secta nulla est vera Ecclesia. Dicamus igitur adversariis, quod S. Augustinus l. 4. de Symbolo ad catechumenos c. 13. (vel quisquis est auctor ejus libri teste Bellarmino de scriptor. Ecclesiæ p. ii, & docti, ac Augustini ingenio non indigni) dicamus, inquam: *Audite hæretici, quid scriptum sit: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est: Ecclesia totum possidet, quòd à viro suo accepit in dote: quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona*.

267. Quintum argumentum desumitur ex fortitudine martyrum. Quamvis autem hæretici dicant, antiquæ Ecclesiæ martyres pro sua fide mortuos esse, id tamen est falsum; offendant enim, qui martyres

vitam dederint, pro impossibilitate servandi legem Divinam, vel negatione libertatis humanæ: vel qui saltem ista crediderint. Nos autem ex Apostolicis scriptis probamus, e. g. SS. Apostolos libertatem, & Divinorum præceptorum possibilitatem docuisse; dum ad ea liberè implenda nos sæpe hortantur, propositis etiam gravissimis pœnis. Copiosius autem ex primorum SS. Patrum, & martyrum scriptis, Catholica dogmata offendimus, & quidem ea, in quibus ab hæreticis disconvenimus: sanè à SS. Patribus, etiam primis, & pro fide occisis; ista asserta videre, passim licet apud Bellarminum, aliisque polemicos Theologos.

Accedunt antiquissimæ traditiones, quæ adhuc probant, dari altare, in quo S. Petrus Missam celebravit: & sedem S. Stephani Papæ, & M. in qua inter Missarum solemnias est occisus: quin statim sub primas persecutiones, martyrum priorum corpora, alii posteriores honorabant, eorumque intercessionem invocabant, ut S. Emerentiana S. Agnetem, S. Lucia S. Agatham: sed & plurimi alii ad martyrum tumbas constanter orarunt. Dein utique SS. Martyres se liberos crediderunt, & mandato Divino possibili obstrictos, ad fidem fortiter propagandam, dum lapsos, hoc est, fidem negantes, tam gravibus pœnis afficiebant Episcopi, & ipsi postea martyres? Sed quid dicent adversarii de tot millenis, qui in Japonia præsertim, sanguinem pro fide, quam à S. Xaverio primitus hausierant, dederunt? Certè parvuli, scæminæ, virgines, senes, cum summa hilaritate, ad rogos, & ignes, properarunt, & potius timuerunt, ne servarentur, quam ne occiderentur. Etsi autem eos necdum Ecclesia, sua definitione, martyres colendos proposuerit, tamen ad fidem humanam certissimam, de eorum martyrio habendam, nihil deest: cumque ab adversariis Ecclesiæ definitio non curetur, hæc certitudo humana ab ipsis nequit contemni.

268. Nec dicant adversarii, se quoque habere aliquos pro suis sectis martyres; etsi enim pauculos monstrarent, obstinatos etiam in morte sectarios, certè longè cedere deberent innumerabilibus, quos Japonia sola suppeditat. Accedit, hæreticos, præsertim Lutheranos, vix unum, aut alterum posse monstrare: quos autem Donatistæ, (qui jam evanuerunt) Anabaptistæ, vel Adamitæ proferunt, quamvis plures, quam Lutherani, ac Calvinistæ fuerint, tamen respectu Catholicorum fuere paucissimi: & insuper fuere homines sordidissimi, pervicacissimi, & penitus desperati: ut de Donatistis habetur ex S. Augustino, de reliquis ex posteriorum, & synchronorum scriptorum monumentis, quibus proin merito applices illud: *Martyres non facit pœnæ, sed causa*: quod desumptum est ex S. Augustino. enarratione in psal. 34. conacione 2. sub initium dicente: *Sed quoniam multi hic patiuntur, & pro peccatis, & pro sceleribus suis, magnâ vigilantia discernenda*

est causa, non pena; sceleratus enim potest habere martyris similem penam, sed tamen dissimilem causam. & illud S. Cypriani l. de unitate Ecclesie: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel objecti bestiis, animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pena perfidia: nec religiosa virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus: occidi talis potest, coronari non potest.*

ARTICULUS X.

Ulteriores Probationes hujus Conclusionis.

269. **P**ROBATUR eadem nostra Catholica religio ex miraculis hoc modo. Inprimis hæretici non possunt asserere ullum miraculum pro sua doctrina, nisi qualia dedimus à n. 91. Quanquam enim referatur à Centuriatoribus Magdeburgensibus ex Socrate apud Bellarminum tom. 2. *controv. 1. l. 4. de notis Ecclesie c. 14.* Paulum Episcopum Novatianum fecisse miraculum: certè illud non fuit ullo modo pro hæresi, sed pro fide Catholica: nec Episcopus hæreticus id fecit, verum duntaxat ad ejus & aliorum, non invocationem, sed præsentiam, id fecit DEUS; nam, ut loco citato Bellarminus recenset, res ita se habuit. Judæus, jam ante à Catholico baptizatus, intra se irridebat baptismum, & à Paulo, infcio prioris baptismi recepti, petiit denuo baptizari: sed mox unda baptismi evanuit: quo DEUS non voluit, sanctam Novati confirmare: sed baptismum, prius à Catholicis dato, reverentiam conciliare.

At verò Catholicorum miracula infinita sunt, ut per omnia sæcula monstrat Bellarminus *loc. cit.* eaque plurima facta sunt in contestationem eorum dogmatum, in quibus ab hæreticis dissentimus: scilicet facta sunt per invocationem Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, ad loca sacris imaginibus eelsbria, per reliquias sacras, ut SS. Gervasii, & Protasii, teste Augustino in *confess. l. 9. c. 7.* atque etiam S. Stephani primi martyris, teste eodem l. 22. *de civitate DEI c. 8.* rursus per usum aquæ benedictæ, vel ceræ: item in contestationem prædictæ realis Christi in Eucharistia: quale primùm hæc annis, ipso Theophoriæ festo, Parisiis factum est, ut tota Gallia novit. Facta sunt item miracula ista per viros Sanctos, qui certissimè à sectariorum doctrina abhorruere, ut per S. Antonium Patavinum, S. Xaverium, qui complures mortuos resuscitarunt in vita, & post mortem. Et talia prodigia adhuc fiunt in Ecclesia Catholica; ut negari non potest, nisi ab iis, qui omnem fidem hominibus abnegant.

270. Septimum argumentum desumitur ex dono prophetiæ, quod plurimis Catholicis fuit collatum, & adhuc in quibusdam perseverat: & nisi quis sine fronte velit negare omnem fidem historis de Sanctorum

vita conscriptis, ut SS. Benedicti, Bernardi, Francisci, Dominici, & Francisci Xaverii, debet planè fateri, eos occultissima, & soli DEO per se cognoscibilia, Divina illustratione prænovisse. Certè teste S. Gregorio l. 2. *dialog. c. 15.* S. Benedictus (cujus vitam monasticam sectarii minimè approbant) Totilam regem, sub aliena veste latentem, statim agnovit, eique plurima in vita, & ipsam mortem prædixit, eventu secuto. Plura narrat Bellarminus tom. 2. *controv. 1. l. 4. de notis Ecclesie c. 15.*

At quid unquam veri, DEO soli cognoscibilis, & dæmonum notitiam supergressi, ullus hæreticus prædicare potuit? Lutherus temerè sibi spiritum propheticum arrogavit: sed impostorem se prodidit. Videatur Bellarminus *loc. modo citato*, Tannerus tom. 3. *disp. 1. q. 2. à n. 86.* ubi scribit, Lutherum prædixisse, quòd post duos annos, à prædicato novo Evangelio, futurum sit, ut evanescant Papa, & Cardinales, Episcopi, monachi: & tamen ipsemet, adhuc viginti, & duos annos posthæc superstes, vidit omnes illos adhuc vigere. Celebris est etiam ejus prophætia de se loquentis: *Pestis eram vivens: moriens eromors tua Papa:* & tamen jam dudum ipse computruit, florente adhuc Apostolica Sede, & Successoribus Petri. Similia plura vide apud Tannerum *loc. cit.*

271. Probatur tandem conclusio ex notis Ecclesie, quas variis variis assignant: & quidam hactenus allata argumenta etiam notis Ecclesie connumerant: sed mihi vitium est, tantum quatuor illas expendere, quæ in Symbolo Nicæno assignantur, quo profitemur nos credere, *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam:* hæc scilicet prædicata competere debent veræ Ecclesie.

Et inprimis Ecclesiam nostram sanctam esse, patet à n. 232. e contra hæreticorum minimè sanctam esse, patet à n. 264. Catholicam esse etiam esse, seu universalem, probatum est à n. 265. Adde hic tantum, peculiari etiam DEI providentia, factum nobis esse proprium nomen *Catholicæ* præ omnibus hæreticis, ut advertit D. Augustinus, cujus textum dabimus n. 276. Siqui hæretici hoc nomen *Catholicæ*, non ratione diffusionis suæ doctrinæ (quod nulla verisimilitudine possunt) sed ex aliis capitibus sibi arrogare velint, respondebimus id, quod S. Augustinus cuidam Rogatistæ (orti hi erant ex Donatistis) *epist. 48. ante medium* respondet. *Acutum autem aliquid videris dicere, cum Catholica nomen non ex totius orbis communionem interpretaris, sed ex observatione præceptorum omnium Divinorum, atque omnium sacramentorum, quasi nos etiam (si forte hinc sit appellata Catholica; quod rostrum veraciter tenent, cujus veritatis nonnulla particula, etiam in diversis invenimus hæresibus) hujus nominis testimonio nitamur, ad demonstrandam Ecclesiam in omnibus gentibus, & non promissis DEI, tam multis, tamque manifestis oraculis ipsius veritatis. Sed nempe hoc est rostrum, quod nobis*

An præ omnibus aliis sectis Christianis sola Catholica Religio sit credibilis. 79
persuadere conaris, solos remansisse Rogatistas, qui Catholici rectè appellari possunt, ex observatione præceptorum omnium Divinorum, atque omnium sacramentorum: & vos esse solos, in quibus inveniat fidem, cum venerit filius hominis. Da veniam: non credimus.

272. Restat igitur monstrare, nostram Ecclesiam esse unam, & Apostolicam, quod sic ostenditur. Una est; quia sub uno Capite, ac Rectore visibili, Romano Pontifice, Christi Vicario, est congregata: item est una unitate fidei, non in varias sententias divisa, ut hæreses; quod enim tanquam fidei dogma credunt Romani, idem credunt Germani, Hispani, & Galli, Mauri, & Indiani: nec ulla inter Catholicos est dissensio, nisi de iis, de quibus nihil adhuc ab Ecclesia est definitum: & si quis Ecclesie definitioni se non submittat, Catholicus esse definit. At verò nullus est cætus hæreticorum, in quo non sint varietas, de variis, & præcipuis fidei punctis, diversæ sententiæ. De antiquis hæreticis jam id testantur antiquissimi Patres, Hieronymus, Irenæus, Tertullianus: de modernis id testatur experientia, & vel maxime Confessio Augustana, ad minimum duodecimes mutata. vide Tannerum tom. 3. *disp. 1. q. 3. n. 111.*

Ratio etiam clara est; cum enim hæretici non habeant judicem, cujus sententiæ acquiescant, faciliè quivis privatos suos sensus sequitur, & aliis contradicit: imò sæpius sibi ipsi, dum improvisis argumentis (quia omnia præcogitare nemo potest) pressus, negare incipit, quod prius concepit. Experientia etiam est quotidiana: certè Lutherus ipse fateretur in *resp. ad librum Regis Angliæ apud Tannerum loc. cit.* se in non paucis articulis sententiam suam mutasse. De libero arbitrio idem variè docuit: & initio statim duo coriphæi, Lutherus, & Melancthon, inter se non convenerunt, imò nec quivis eorum secum ipso. Fatentur hoc ipsi Lutherani, & Lutherum exultant, dicendo, eum sub initium suæ prædicationis necdum fuisse satis illuminatum.

Hi ipsi Lutherani, postea in quàm plurimas sectas sunt divisi, in *Rigidos, Molles, Ubiquistas &c.* aded, ut Bellarminus tom. 2. *controv. 1. l. 4. de notis Ecclesie c. 10.* dicat de suis temporibus, Lutheranorum sectam quotidie magis, & magis dividi, nec sperari ab illis ullum finem divisionum. Ex Confessionistis inter se pugnant Sventkfelcius, Brentius, Oslander, & alii: pugnant item inter se Sacramentarii, qui sunt Zvingliani, Oecolampadiani, & Carlstadiani. Inter Calvinistas Belgas, alii sunt Gomaristæ, alii Arminiani. In Anglia alii Presbyteriani, alii Episcopales &c. Tandem ex eorum synodis, ac libris patet, quòd se invicem sæpius hæresis arguant, atque condemnent.

273. Accedit, quòd defacto Lutherani, & Calvinistæ, ferme nesciant, quid credant: aded incerta sunt omnia, & vix duæ civitates Lutheranæ, in omnibus substantiabilibus articulis, conveniunt: imò in eadem

sæpe domo, pater, & filius, præsertim si hic apud Hollandos, vel Anglos est peregrinatus, diversissima de gravissimis rebus fidei sentiunt, e. g. de numero, ac necessitate sacramentorum; unde falsum est, quòd dicunt, de rebus tantum scholasticis esse dissensiones. Quin etiam ex ipsis sectariis faterentur Nicolaus Gallus Ratisponensis Minister, & alii apud Tannerum tom. 3. *disp. 1. q. 3. n. 116.* de rebus gravissimis esse dissensiones, de sacramentorum usu, de justificatione, de libero arbitrio, de ubiquitate humanitatis Christi, de justitia &c.

Quòdque adhuc miserabilius est, hæretici sæpius doctrinam suam mutant, aded, ut difficile modò sit eos impugnare; nam hodie non amplius dicunt, quòd olim; nec jurare volunt in verba magistri Lutheri, aut Calvinii: quæ mutatio veræ Ecclesie convenire nequit; nec enim Spiritus S. qui eam ex promissione Christi regit, potest negare, quòd semel dixit, aut, quòd prius falsum pronuntiavit, postea verum asserere; aliàs enim prævalerent contra Ecclesiam portæ inferni; si efficerent, ut vel, Ecclesia prius falsitatem, tanquam articulum fidei, amplecteretur, vel postea veritatem cum falsitate mutaret: & multò magis prævalerent, si Ecclesia omnino deficeret, Unde, ut obiter nosem de illis sectis, quæ rursus evanuerunt, certum est, non fuisse eas Ecclesiam veram.

Hinc est, quòd Ecclesia Catholica id, quòd semel de fide esse docuit, semper teneat, nec unquam sinat ad trutinam revocare canones de fide, olim jam definitos: nec latum unguem recedat à majorum doctrina: & probent adversarii, si possunt, oppositum. Aliud est, quòd ceremonias aliquas, aut etiam præcepta Ecclesiastica, pro variis circumstantiis, quandoque prudentissimè mutet; hoc enim non est fidem mutare; quia accidentalia ista sunt, & horum diversitas non officit Ecclesie unitati, ut fateretur ipsa Augustana Confessio n. 7. *de Ecclesia*, ubi sic ait: *Nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus, & ceremonias, ab hominibus institutas.*

274. Tandem Ecclesia nostra est *Apostolica*: hoc est, ab Apostolicis fundata, & continuè hucusque ab Apostolicis successoribus gubernata, ac Apostolicæ doctrinæ per omnia consentiens. Inprimis enim Ecclesia Romana Catholica ab Apostolo Petro fundata est, ut docent Concilia omnia, & antiquissimi Patres, quos longum nimis est ferre numerare. Sanè passim Pontifex Romanus à Conciliis, & Patribus, Divi Petri successor vocatur. Dein continua serie Pontificum fuisse directam Ecclesiam, sufficientissimè patet ex Baronii annalibus, & Bellarmino, ac aliis plurimis scriptoribus, qui omnes recensent, à Petro usque ad sua tempora Romanos Episcopos: quin jam S. Augustinus *epist. 165. ad Generosum* eos à S. Petro enumerat usque ad Anastasium, sui temporis Papam: & facile est adducere omnes

omnes usque ad modernum Summum Pontificem. Ab his habuere prædicatores Catholicæ missionem legitimam, ad prædicandum etiam gentibus verbum DEI, quam missionem necessariam esse Apostolus ait *ad Rom. 10. v. 15.* per illa verba: *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* dum hæretici nullam unquam ostendere possunt auctoritatem legitimam, à qua fuerint missi.

Quod autem hæretici blaterant de Joana Papissa, est à Joanne Carolo Florimundi Ramondi filio, peculiari opusculo *Error popularis, seu fabula de Joana Papissa* inscripto, ad summam eorum confusionem refutatum: & videri etiam potest Spondanus *ad annum Christi 853. n. 5.* Bellarminus *tom. 1. contr. 3. de Romano Pontifice l. 3. c. 24.* Severinus item Binius *tom. 3. Concil. part. 1. mihifol. 657.* ubi rationibus pluribus falsitatem ostendunt: simulque probant, quòd nec Marianus Scotus, nec Sigebertus, nec Martinus Polonus (ut originalia prima palam faciunt jid scripserint: sed, quòd id primum in exemplaribus corruptis additum sit: saltem nullus auctor synchronus, nec ex Latinis, nec ex Græcis (qui tamen Romanis Pontificibus non adeò favebant) id scripsit, & Marianus saltem ducentis, Polonus vix non quadringentis annis, serius vixit. Accedit, quòd Marianus Scotus, creditus primus fabulæ auctor (si tamen auctor est) non adeò fuerit peritus successione Pontificum; nam alibi, teste Spondano *ad annum 891.* duos ficticios Pontifices intrudit: eundemque errorem dein quoque amplexus est Sigebertus, quibus omnes alii auctores, Latini, & Græci adversantur. Nec in S. Leonem IX. de simili facto accusantem Constantinopolitanos, unquam ausi sunt Græci retorquere argumentum.

Hanc autem successionem Episcoporum gubernationi Ecclesiæ veræ maximè necessariam esse, docent SS. Patres: & probatur ex S. Paulo *ad Ephes. 4. v. 11.* ubi ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in adificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii DEI.* Per quæ Apostolus docet, usque ad diem iudicii extremi futuros pastores; tunc enim occurrerimus Christo. Interim tamen talem successionem hæretici, nostri præsertim temporis, monstrare nullatenus possunt. Certè Lutherus *anno 1517.* primum suam sectam incepit: & proportionaliter loquendum est de Calvino, ac aliis. Quis autem prius ex Apostolis, aut aliis doctoribus, (hæreticos manifestos ab antiquis Conciliis, & Ecclesiis damnatos, excipio, quorum tamen nullus in omnibus, etiam substantialibus, Lutero, Calvino, aut aliis modernis hæreticis consensit, ut eruditè ostendit Tannerus *tom. 3. disp. 1. q. 3. n. 165.*) Lutheri, aut Calvini, antecessor

fuit? Certè neminem unquam ostendit: imò fatentur ipsi, saltem per plura sæcula neminem fuisse, & eo tempore Ecclesiam totam invisibilem redditam: ergo ipsi vera Ecclesia non sunt. Imò ex hoc aliud sumitur argumentum firmissimum, quòd ipsi Ecclesia vera non sint; cum ista, ut inferius fusè probabimus, visibilis semper esse debeat, ut homines eam invenire possint; cum aliter non possent salvari.

275. Jam, quòd nostra doctrina sit Apostolica per omnia conformis, probari potest; tum quia nihil potest offendi in Apostolicis scriptis ei contrarium: imò istis Catholicæ doctrina vel maximè roboratur; tum quia recipimus traditiones Apostolicas, & consentimus antiquissimis Patribus, Apostolorum discipulis, ex quorum monumentis, & scriptis, hæreticos validissimè impugnamus. Huc faciunt dicta jam n. 263, ubi quoque probatum est, sectam nullam hæreticorum posse probare, se ab ullo Apostolorum suam originem trahere: sed tantum ab hominibus, nec ab honestate morum, nec à pietate, ullam fidem, vel auctoritatem promeritis.

Quod autem attinet ad doctrinam hæreticorum, ea certè Apostolica non est; tum quia traditiones Apostolicas rejiciunt; tum quia Patres, Apostolorum discipulos, non audiunt; tum quia plura docent, quæ nullus unquam à longè cogitavit Apostolus, ut patet *ex jam citato n. 263.* Econtra eorum errores ut plurimum conveniunt cum antiquis hæreticis, ut fusè ostendit Bellarminus *tom. 2. contr. 1. l. 4. de notis Eccles. c. 9.* Sic Eunomiani docebant, non nocere homini peccata, modò habeat fidem. Sic, DEUM esse causam peccati, docuit Florinus, & etiam, teste Vincentio Lyrinensi, Simon magus. Uterius mulierem posse esse sacerdotem, docebant Peputiani, uti modò Lutherani, & Calvinistæ, saltem in Anglia, ubi sceminæ reginæ, Elisabethæ, & Annæ summam etiam potestatem sacerdotalem tribuerunt. Liberum arbitrium negabant Manichæi. Ecclesiam solis justis constare, & Ecclesiam visibilem de orbe terrarum perisse, docuerunt Donatistæ. Non oportere orare, aut sacrificia offerre pro mortuis, voluerunt Aëriani: vel, ut alii scribunt, Aëtiani. Ciborum delectum non esse adhibendum, docuit Jovinianus. Sanctorum reliquias non esse venerandas, est error Vigilantii: qui idem voluit, Ecclesiasticos esse uxoratos. Rursus imagines Sanctorum non esse honorandas, est hæresis Iconoclastarum, jam damnata in Synodo VII. (quæ est Nicæna II.) *actio. 6. & 7.* Ex quo patet, quos antesignanos, atque Patriarchas, & Pseudoapostolos habeant moderni sectarii, quihoscæ errores tuerentur: & quàm longè absint ab Apostolica doctrina, quàmque minime mereantur, Evangelici dici.

276. Claudamus huc usque fusè dicta textu dignissimo S. Augustini *l. contra epistolam Manichæi, seu fundamenti, c. 4.* qui ferme omnia complectitur, atque ita habet: *In Catho-*

An præ omnibus aliis sectis Christianis sola Catholica Religio sit credibilis. 81

holica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam..... quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascebas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholica nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere: ista ergo tot, & tanta Christiani nominis charissima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia. Hucusque S. Augustinus.

ARTICULUS XI.

Solvuntur Objectiones.

277. **O**B. 1. contra conclusionem n. 258. positam. Omnes sectæ habent magnum numerum sectatorum, & afferunt pro se plura argumenta, nec ulla est evidenter vera: ergo videtur DEUS permittere, ut quisque liberè amplectatur religionem, quam vult, vel certè in ea permaneat, in qua natus est. Resp. om. ant. neg. conf. quòd enim Catholici incomparabiliter plures sunt, & afferunt argumenta incomparabiliter fortiora, in quorum comparatione opposita nullum prudenter movere possunt ad assensum, utique debet quis religionem Catholicam præ aliis amplecti.

278. Ob. 2. Non potest discerni, quænam religio sit præ omnibus aliis credibilis: ergo potest quisque manere in sua, prob. ant. vix etiam ex doctis scit aliquis, quot sint religiones in mundo, & quæ earum notæ &c. (minus autem rudes id norunt) qui tamen etiam discernere inter se sectas deberent: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dico, non opus esse, ut sectæ singulæ inter se, sed tantum, ut omnes sub generica aliqua ratione comparentur; nam omnes defacto reducuntur ad Gentilissimum, Philosophissimum, Machometissimum, Judaissimum, Christianissimum, quæ sectæ paulò doctoribus fat notæ sunt, & ex eorum comparatione facillè potest videri, solum Christianissimum esse evidenter credibile.

Quod autem spectat ad ipsas diversas sectas Christianorum, aliquæ jam iterum interciderunt, ut Sabellianorum, Novatianorum, Priscillianistarum, Gnosticorum &c. & de his certum est, eas non esse veram religionem; cum hæc ex promissione Christi debeat semper perseverare, usque ad finem mundi, & nunquam contra eam præ-

R.P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

valere possint, portæ inferni, ut eam subvertant. Idem est de iis sectis, quæ paucissimos tantum habent sequaces; cum Ecclesia, etsi ab initio possit esse inter paucos, tamen in progressu debeat multos affleas numerare, ut sit Catholica *ex n. 265. & 266.* igitur eas tantum nosse oportebit, quæ extant adhuc paulò celebriores. Neque hæc debet quis intimè quoad singulos articulos habere perfectas: sed satis erit, nisi emotiva credibilitatis nostræ religionis Catholicæ, & simul scire, quòd oppositæ sectæ æqualia non habeant; id quod paulò doctoribus facillè constat, vel ex eo, quòd sectarii talia non afferant, allaturi certè sexcentis in libris, si possent.

Eandem notitiam etiam rudes possunt habere; tum ex instructione doctorum, qui ista iis explicare possunt ad captum, & sæpius etiam debent; tum ex propria consideratione; nec enim magna opus est speculatione ad motiva credibilitatis, hæcenus allata, intelligenda. Quid verò de gentibus illis dicendum, quæ à nobis, vel humano commercio, ita sejunctæ sunt, ut nulla religionis nostræ notitia ad eas de venerit, est difficultas communis cuilibet sectæ Christianorum: & decidi solet in tractatu de providentia, quando quaeritur, an DEUS omnibus hominibus det sufficientem gratiam ad salutem: quod affirmativè resolvimus *in tract. de DEO. a. n. 615. & seq.*

279. Ob. 3. contra conclusionem n. 262. positam. Notæ, quæ à nobis afferuntur, sunt tantum rationes, humano ratiocinio inventæ, & non è Scripturis petitæ: ergo nihil probant. prob. conf. S. Augustinus *l. de unitate Ecclesiæ c. 2.* ait: *Quæstio est, ubi sit hoc corpus, id est, ubi sit Ecclesia... .puto, quod in illius potius verbis eam quaerere debemus, qui veritas est:.... in verbis nostris Ecclesiam quæri nolumus. & c. 3. Nolo humanis documentis, sed Divinis oraculis, Sanctam Ecclesiam demonstrari.* ergo. Resp. om. ant. neg. conf. ad prob. dist. ant. & S. Augustinus ibi loquitur contra eos, qui non admiserunt Sacram Scripturam. neg. ant. contra eos, qui eam jam admiserunt. subdist. loquitur permissivè, conc. ant. loquitur prorsus exclusivè. neg. ant. & conf.

Loquitur ibi S. Augustinus contra eos hæreticos, qui jam admittebant Sacram Scripturam, & quidem eandem editionem cum ipso, nec dissentiebant adeò multum de sensu. Ad nostri hæretici nec admittere volunt omnes nostros libros sacros, nec editionem vulgatam: insuper sensum Scripturæ pro suo placito torquent. Sicut ergo aibi S. Augustinus, *ut locis citatis n. 147. & 276.* alias rationes aliis affert, imò dicit, sine Ecclesiæ auctoritate se nec Evangelio crediturum, ita nos etiam bene, præsertim contra eos, qui omnino non admittunt Scripturam, ut Libertini, vel etiam contra alios, qui in textu, & sensu, sæpe à nobis dissentiant, rectè argumentamur

fides tantum interior, & occulta, sed requiritur etiam exterior ejusdem professio, ut ait Apostolus *ad Rom. 10. v. 10.* dicens: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* atqui, si Ecclesia non sit visibilis, non potest dari aperta, & ore facta confessio fidei: ergo debet Ecclesia esse visibilis.

289. Ob. 1. Sacra Scriptura saepe ait, Ecclesiam Christi esse invisibilem: ergo, ant. prob. variis textibus. 1. mō. *Jeremia 31. v. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* 2. dō. *Psal. 44. v. 14. Omnis gloria ejus filia regis ab intus.* 3. tō. *Luca 17. v. 20. Non venit regnum DEI cum observatione: neque dicent: ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum DEI intra vos est.* 4. tō. *Johannis 4. v. 24. Spiritus est DEUS, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* 5. tō. *1. Petri 2. v. 5. Domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles DEO:* ergo. Confir. Christus *Luc. 18. v. 8.* dicit: *Veruntamen filius hominis veniens, putas, invenies fidem in terra?* ergo sub finem mundi, quando secundò advenit Christus, ita fides, seu Religio, aut Ecclesia erit occulta, ut vix inveniri queat: ergo etiam aliis temporibus potest esse occulta, vel invisibilis. Resp. his textibus nihil probari.

Ad primum Resp. Jeremias non vult discernere Ecclesiam antiquam à nova per hoc, quòd hæc futura sit cæcus internus, aut invisibilis, sed, quòd habitura sit majores gratias internas: signa autem externa nullatenus negat. Secundo textu tantum significatur, præcipuum ornamentum Ecclesiae esse gratiam interiorē: non verò negatur omnis ornatu exterioris visibilis: imò additur ibi etiam vestitus deauratus, & circumdans varietate. In tertio textu sermo est de adventu duplici Christi in mundum: unus est præfens, ratione cujus dicitur, regnum DEI intra nos esse, hoc est, per abundantiorē internam gratiam, per quam in potestate nostra est, observando legem Evangelicam Christum recipere, & regnum DEI acquirere: sicut scilicet Judæis DEUS dicit *Deuteronomii 30. v. 14.* mandatū suum esse juxta ipsos, & in ore, ac corde ipsorum: *Juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo:* quod S. Paulus *ad Rom. 10. v. 8. & 9.* explicat de Evangelica lege, quæ corde, & ore impletur, dicens: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quia, si confitearis in ore tuo Dominiū JEsūm, & in corde tuo credideris, quod DEUS illum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Alter autem adventus Christi futurus in die judicii, erit improvisus, nec longè antè pro certo tempore prædici poterit: sed quid hæc ad rem nostram?

Quartus textus (ut ex contentū patet) significat tantum, non esse certo loco alligatam orationem, DEO placentem (ut aliquo modo in veteri testamento erat alligata templo Hierosolymitano) sed ubique DE-

UM orari posse, modò non labiis solum, sed etiam corde, & spiritu oratur: sed iterum hoc extra rhombum. Quintus textus S. Petri utique non excludit domos materiales, seu templa, qualia etiam, quamvis satis vacua, habent ipsi sectarii? igitur tantum significat, Ecclesiam esse domum spirituales, non quòd sit invisibilis spiritus, sed quòd à Spiritu Sancto potissimum regatur; sic etiam dicitur homo spiritualis. Spirituales autem hostias appellat Apostolus bona opera; quia, ut meritoria sint, debent esse spiritu, sive fide, & charitate formata. Tandem aliquando, quod non est spirituale quoad substantiam suam, sed tantum spirituali servit, vocatur in Scriptura spirituale: sic S. Paulus *1. Cor. 15. v. 44.* etiam corpus vocat spirituale. Ad confir. Textus non venit ad rem; non enim ibi sermo est de fide, seu religione, seu de professione fidei Christianæ, sed de fide viva, & ardente, quæ maximè stimulat ad orandum DEUM cum magna fiducia, ad quam orationem ibi hortatur Christus, & cujus aliquem defectum tunc fore insinuat. vide Maldonatum, & Cornelium à Lapide *in hunc locum.*

290. Ob. 2. SS. Hilarius, & Hieronymus dicunt, Ecclesiam tempore Arianorum latuisse, eandemque etiam fore latentem tempore Antichristi: sicut tempore Eliæ latuit Ecclesia Hebræa: ergo. Resp. Est evidenter falsum, quòd Arianorum tempore ita latuerit Catholica Ecclesia, sicut per mille, & plures annos, debuisset latere Ecclesia, juxta Lutherum, vel Calvinum, scilicet ita, ut nemo de ea quidquam sciverit; cum tempore Arianorum semper fuerit manifesti Romani Pontifices, & incomparabiliter magis nota tunc Ecclesia, quam tempore persecutionis factæ ab ethnicis. Unde hi SS. Patres tantum volunt dicere, Ecclesiam non habuisse tunc omnem pristinum splendorem externum, nec non plures fideles latuisse in locis abditis, vel carceribus, id quod etiam fiet tempore Antichristi. Quod attinet ad Eliæ tempora, tunc certè etiam vera fides non fuit è mundo deleta; etsi enim è regno Israël exulasset, tamen fuisset adhuc in regno Juda: imò illis temporibus vivebant Asa, & Josaphat, reges Juda boni, & DEI veri cultores. Adde, quòd in ipso Israëlè erant septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, 3. Regum. 19. v. 18. unde Ecclesia quidem potest premi, sed non opprimi, vel omnino abscondi.

291. Ob. 3. Ecclesia creditur: ergo non videtur: prob. conf. fides debet esse de re obscura, non visa: ergo. Confir. Etsi Ecclesia tempore Christi Domini, & Apostolorum fuerit visibilis, non debuit semper manere visibilis: ergo. Resp. dist. conf. ergo Ecclesia non videtur sub ea ratione, ergo sub qua creditur. conc. vel om. conf. sub alia ratione. neg. conf. ad prob. dist. ant. fides debet esse de re, sub omni ratione obscura. neg. ant. sub aliqua ratione. conc. vel om. ant. & neg. eonf. Sic S. Thomas

Apostolus, licet viderit Christum ut hominem, tamen credidit in eum ut DEUM; quia, scilicet sub ratione DEI eum non viderat. Sic, licet videamus baptismum, tamen credimus eum, seu ejus virtutem tollendi peccatum &c. quam non videmus. Sic etiam videmus Ecclesiam per signa credibilitatis: sed credimus eam ut affectam infallibili assententia Spiritus Sancti, quam non videmus: imò nec videmus Ecclesiam ut dictam à DEO, sed eam tantum credimus. Verum de obscuritate fidei plura, quando de evidentia in attestante. Ad confirm. neg. ant. Rationes nostræ n. 288. adductæ universales sunt pro omni tempore: textus etiam Scripturæ universaliter de Ecclesia in omni statu loquuntur. Accedit, quòd, si Ecclesia facta fuisset invisibilis, certè portæ inferi contra eam prævaluisent; quia impedissent, ne quisquam eam ingredi posset: item ne ingressi possent ore confiteri fidem, parere præceptis Ecclesie, pascere, vel instruere alios &c.

292. Ob. 4. Non opus est, ut omnes re ipsa ingrediantur Ecclesiam, modò eam ingrediantur in voto, ut cathecumeni: ergo Ecclesia non debet esse visibilis. prob. conf. etsi Ecclesia non esset visibilis, tamen possent omnes desiderare ejus ingressum, seu per votum, & desiderium, intrare Ecclesiam ergo. Resp. neg. conf. ad prob. om. ant. neg. conf. & suppositum; quòd scilicet in eo casu votum illud esset justificans; nam illud votum eatenus justificaret, quatenus esset voluntas, implendi præceptum obligans ad ingressum Ecclesie: atqui in eo casu hoc præceptum tam parum posset dari, quam parum modò hominibus potest dari præceptum volandi; quia homines illud præceptum ingrediendi Ecclesiam, in casu Ecclesie invisibilis, non possent implere, nisi ad summum casualiter: quod de nullo præcepto, prudenter statuto, dici potest: DEUS autem utique, quando præcipit, prudenter præcipere debet; unde in eo casu homines neque possent habere votum, implendi præceptum ingrediendi Ecclesiam: neque (quod ordinariè saltem requiritur) possent conatum adhibere ad eam inveniendam, & ingrediendam; non enim potest quis velle implere præceptum, quod non datur. Dein, si omnes tantum haberent hoc votum, nulla daretur Ecclesia: ergo, si DEUS tamen vellet, existere Ecclesiam aliquam invisibilem, deberet providere, ut saltem plures revera Ecclesiam ingrediantur: ad hoc autem requiritur, ut saltem istis sit visibilis, nisi velis dicere, omnium tantum casu contingere, in gravissimo hoc negotio: quod est manifestè absurdum.

293. Ob. 5. Forma Ecclesie, seu fides interior, non est visibilis: ergo neque Ecclesia. Resp. neg. ant. Inprimis sola fides non est tota forma constituens Ecclesiam, sed etiam requiritur baptismus, communis cultus, & unio membrorum sub eodem capite: atqui baptismus, & communis cultus exterior, atque subjectio erga Vicarium Chri-

sti, & communio fidelium, est utique satis sensibilis, & incurrit in oculos. Quod attinet ad fidem internam, vel etiam cultum internum, licet hic non sit sensibilis immediate in se, est tamen sufficienter sensibilis mediate in alio, scilicet in externa professione: sicut in sacramento poenitentiae, dolor internus est sensibilis per confessionem, vel alius dolor animi, per externos ejulatus.

Quod autem signa ista externa possint fallere, nihil probat; solum enim requiritur sensibilitas eorum tanta, ut quis prudenter possit judicare, hunc, vel illum determinatum hominem, habere fidem internam: quanquam hoc judicium non sit fide certum, sed ad summum moraliter certum. Dein, licet ista signa possint fallere circa hanc, vel illam personam privatam, non tamen possunt fallere circa totam Ecclesiam; nam, cum Christus, non quidem cuique privato, sed tamen toti Ecclesie, promiserit stabilitatem in fide, non possunt omnes, qui exterius Ecclesiam visibilem constituere censentur, interius fide carere.

ARTICULUS II.

Quinam sint Membra Ecclesie.

294. **E**cclesia in genere, ut diximus n. 219. est societas communitatis, ex creaturis rationalibus constituta, supernaturali cognitione DEO adhaerens, ejusque vero cultu inter se communicans. Unde involvit inprimis plures; unus enim non est Ecclesia: imò probabilius neque duo; quia tres in jure dicuntur facere capitulum, & ad congregationem requiruntur caput, & membra; hinc, ut plures dicunt, Adam, & Eva, nondum constituerunt, sed tantum inchoarunt Ecclesiam. Nec obeft, quòd jam potuerint mereri, vel etiam poenitentiam agere; quia, quod dici solet, extra Ecclesiam non esse salutem, vel remissionem peccati, aut poenitentiam, intelligi debet de Ecclesia saltem inchoativè tali. Secundo debent Ecclesiam constituere creaturæ rationales, homines, vel Angeli. Tertio, cum finis Ecclesie sit supernaturalis, debet ipsa etiam adherere DEO, per cognitionem supernaturalem, scilicet, vel per fidem, vel per visionem intuitivam. Tandem debet inter membra Ecclesie dari communicatio aliqua mutuum officiorum, & cultus Divini.

Dividitur autem Ecclesia in Triumphantem, Militantem, & Purgantem. Prima, seu triumphans est Beatorum in caelis: altera, seu militans est hominum in terris: tertia, seu purgans est animarum in purgatorio; nam damnati in inferno non amplius sunt membra Ecclesie: neque peculiarē Ecclesiam constituunt; quia nulla inter eos societas, aut communio officiorum: quæ tamen inter priores tres Ecclesias vel maximè datur; nam Ecclesia militans triumphantem respicit, & colit ut adjutricem;

purgantem verò adjuvat: & omnes tres sub eodem capite ad participandum influxum coherant: imò Ecclesia, generaliter sumpta, in his tribus suis partibus est eadem, sed in diverso statu, quemadmodum idem est homo in pueritia, virili ætate, ac senectute.

295. Dico 1. Ecclesia in terris militans, hoc est, fide meritoria sub Christo militans, strictissime sumpta pro Ecclesia Catholica, definiri potest *societas communitalis visibilis fidelium baptizatorum, sub uno capite Christo, qui in caelis regnat, & Vicario ejus in terris, inter se eodem cultu communicantium.* Dixi *societas fidelium baptizatorum*; nam societatem, seu unionem, aut unitatem, ac fidem, & baptisma, requirit Apostolus ad Ephes. 4. v. 3. scribens: *Solicite servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus, & unus spiritus: sicut vocati estis in una spe vocationis vestra: unus Dominus, una fides, unum baptisma.* & Florentinum in decreto Eugenii de baptismo ait: *Per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficitur Ecclesia.*

Requiritur insuper, ut membra sint unita inter se, sub eodem Vicario Christi; nam debent esse conjuncta corpori, non mutilo, aut acephalo, sed integro, & habenti caput, adeoque juncta etiam ipsi capiti: & quidem, cum Ecclesia sit visibilis, debent etiam membra esse conjuncta alicui capiti visibili: quam primario debeant per fidem conjungi capiti invisibili Christo. Unde schismatici, qui se separant ab unitate capitis, non sunt Ecclesie membra: quod confirmatur ex eo, quod Ecclesia die Veneris sancto, seu Parasceves, non minus pro schismaticis, quam pro hæreticis oret, ut DEUS... eos... ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam, atque Apostolicam revocare dignetur: rursus ex eo, quod Ecclesia comparetur tunicæ inconsutillæ, quæ non scinditur, nec potest in plures scindi Ecclesias; quia tantum una datur; unde pars abscissa non est amplius ejus membrum. Idem desumitur ex SS. Patribus, qui id clarissime docent apud Bellarminum, tom. 2. *controv. 1. de Ecclesia l. 3. c. 5.* & hinc hæretici, quibus deficit fides: atque schismatici, qui se separant à capite, & corpore Ecclesie: item excommunicati, qui privantur communione fidelium, atque cultu communi, non sunt membra Ecclesie.

296. Dico 2. Ad membrum Ecclesie militantis non requiritur, ut quis sit justus, aut prædestinatus. Prob. 1. Damnatæ sunt à Martino V. in Concilio Constantiensi in Bulla: *Inter cunctas: quæ habetur in fine Concilii: hæ propositiones Joannis Huss. 1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universalitas... Universalis sancta Ecclesia tantum est una, sicut tantum est unus numerus prædestinatorum.* & 3. *Præsciti non sunt partes Ecclesie; cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea; eoque prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat,*

non excidit: ergo etiam præsciti sunt membra Ecclesie.

Prob. 2. conclusio ex pluribus parabolis S. Scripturæ, in quibus Ecclesia variis rebus comparatur *Matth. 3. v. 12. arceæ, in qua est palea, & triticum. Matth. 13. v. 47. lagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium, bonorum, & malorum, congreganti. Matth. 22. v. 2. convivio nuptiali, in quo non omnes habent vestem nuptialem. Matth. 25. v. 1. decem virginibus, quarum quinque sunt fatuæ, & totidem prudentes. 2. ad Tim. 2. v. 20. vasis aureis, & ligneis &c. In magna autem domo, non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fœtilia.* Idem SS. Patres colligunt ex illo *Matth. 18. v. 17. ubi dicitur, peccantem debere denunciari Ecclesie, & si hanc non audierit, esse vitandum, tanquam ethnicum, hoc est, ejciendum extra Ecclesiam: ergo etiam, dum peccavit, fuit adhuc intra Ecclesiam. Idem tradit fusc S. Augustinus in *breviculo collationum cum Donatistis collatione diei 3. c. 8.* & alii SS. Patres, Cyprianus, Hieronymus, Gregorius &c.*

297. Accedit ratio, maxime contra requirentes prædestinationem. Si soli prædestinati essent membra Ecclesie, sequeretur, quod, qui semel est membrum Ecclesie, nunquam desineret esse membrum Ecclesie; quia decretum DEI prædestinativum est ab æterno, & in æternam: & qui semel non esset membrum, nunquam futurus esset membrum Ecclesie: atqui hoc est contra Scripturam ad Ephes. 2. v. 13. *Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis propè, in sanguine Christi.* Dein, an S. Paulus jam erat membrum Ecclesie, quando totis viribus eam persequeretur? Affirmat quidem hoc Joannes Huïs in 2. proposit. quæ sic sonat: *Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus, actibus Ecclesie malignantium consimiles: verum hæc propositio in Concilio Constantiensi damnata est, & planè ex se est incredibilis. Factus est autem S. Paulus postea membrum Ecclesie, quando conversus est, & baptizatus.*

Pariter est proferus incredibile, quod multi gentiles, dum adhuc adorabant idola, jam fuerint membra Ecclesie; cum tamen multi, postea conversi, etiam sanctè obierint, e. g. aliqui tortores martyrum postea conversi sunt. Rursus, si soli justii, aut prædestinati, spectarent ad Ecclesiam, sequeretur (ut rectè ait Bellarminus) mera confusio; quia hæc ratione, nec oves agnoscerent suos pastores, nec isti suas oves; cum nemo de altero sciat, an sit prædestinatus, an non: & multi sint vocati, pauci electi. Similiter cum nemo agnoscat internam alterius justitiam, si soli justii essent membra Ecclesie, eadem confusio oriretur: & dubitare possent fideles, an Episcopi, vel etiam Papa, essent membra Ecclesie, & consequenter, an essent veri superiores, potentes suis præceptis Christianos obligare &c. qua ratione sanè (ut rectè advertit Causus de locis Theol. l. 4. c. 3.) esset Christi-

na respublica, à suo auctore insipientissimè constituta, quod dicere esset summè blasphemum.

298. Ob. 1. Ecclesia est *hortus conclusus, fons signatus, Cantic. 4. v. 12.* qui juxta S. Augustinum continet in se tantum electos: ergo. Confir. Ecclesia etiam comparatur arceæ Noë, in qua sunt omnes, & soli salvati: ergo soli prædestinati sunt membra Ecclesie. Resp. 1. cum Bellarmino *tom. 2. contro. 1. l. 3. de Ecclesia militante c. 7.* non omnia, quæ dicuntur in Canticis, exponi debere de Ecclesia: sic illud *Cant. 2. v. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* si explicaretur de Ecclesia, deberent per filias intelligi variae sectæ infidelium: sed hoc est contra ipsum S. Augustinum, qui *epist. 48. post medium* de istis filiabus inquit: *Quæ nec spina dici possent, nisi malignitate morum, nec filia, nisi communionem sacramentorum:* atqui infideles non gaudent communione sacramentorum; unde per lilium anima perfecta, per spinas animæ peccatrices: vel per lilium Beatissima Virgo, per spinas alii homines, saltem originali peccato infecti, intelliguntur. Sic etiam hortum conclusum quidam intelligunt de Beatissima Virgine, quidam de quavis anima perfecta.

Si tamen contendas, ad dictum debere de Ecclesia intelligi, dist. ant. Ecclesia est, vel dicitur fons signatus, aut hortus conclusus, denominatione desumpta ab omnibus partibus. neg. ant. denominatione desumpta à nobilioribus membris. conc. ant. & neg. conf. Utique denominatio, quæ tribuitur toti, non semper convenit cuique parti: sic homo dicitur rationalis, quamquam corpus tale non sit: sic etiam Ecclesia potest dici fons signatus, modò aliqua ejus membra signata, seu prædestinata sint: item potest dici hortus conclusus, modò ab aliquibus membris excludam sit omne malum: imò modò exclusa sit hæresis.

Neque etiam S. Augustinus plus vult dicere, qui *tract. 45. in Joannem* clarè ait: *Secundum istam ergo præscientiam DEI, & prædestinationem, quam multa oves foris, quam multi lupi intus: & quam multa oves intus, & quam multi lupi foris.* Idem S. Augustinus *epist. 59.* ait, esse morem Scripturarum, de toto dicere, quod parti convenit. vide dicta n. 302. ubi etiam invenies verba S. Augustini formalia. Ad confir. dist. ant. Ecclesia comparatur arceæ Noë quoad omnia. neg. quoad aliqua. conc. ant. & neg. conf. Fuerunt in arca etiam bruta, nunquid & ista erunt membra Ecclesie? item fuere in ea animalia immunda: ergo, si vis comparisonem omnimodam facere, debes admittere, quod ista saltem signent peccatores. Melius autem dicitur, comparisonem factam esse in eo, quod, sicut nemo est salvatus extra arcam; ita etiam extra Ecclesiam non fit salus; non verò in eo, quod omnes in arca sint salvati.

299. Ob. 2. Christum est caput illius Ecclesie, quam salvat: sed salvat tantum

prædestinatos: ergo hi soli sunt Ecclesia. Confir. Membra debent esse similia capiti: sed reprobi non sunt similes Christo: ergo. Resp. dist. ma. Christus est caput Ecclesie, quam salvat, quantum est in se, & quoad suam passionem, ac satisfactionem sufficientissimam. conc. ma. quam salvat absolute, subdist. quam salvat adæquatè sumptam. neg. ma. inadæquatè sumptam. conc. ma. & conc. mi. neg. conf. Etiam hæc denominatio *salvata* potest convenire Ecclesie, licet non conveniat omnibus partibus.

Ad confir. dist. ma. Membra debent esse similia capiti aliquo modo. conc. ma. omni modo. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Nec in physico corpore manus, aut pes; est omnino similis capiti: nec in morali e. g. republica, vel regno, subditi sunt quoad dignitatem, vel alia moralia prædicata, similes capiti, seu principi: sufficit ergo similitudo aliqua: talis autem multa est, etiam inter Christum, & peccatores; est enim similitudo inter ipsos quoad humanam naturam, secundum quam dicitur nobis Christus similis factus: item est similitudo per baptismum, & fidem. Nec dicas, totum corpus Christi physicum esse salvum, adeoque etiam totum corpus mysticum debere esse salvum; aliàs sicut totum corpus Christi physicum est unitum Divinitati, deberet etiam ita esse unitum corpus Christi mysticum, quod est falsum; unde similitudo non debet esse in omnibus.

300. Ob. 3. Ecclesia est unum ovile, in se complectens oves Christi: sed oves Christi sunt tantum prædestinati: ergo, prob. mi. Christus dicit *Joannis 10. v. 27. & 28. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea:* sed hoc tantum verificatur de prædestinatis: ergo. Confir. Peccatores sunt membra civitatis Babylonice: ergo non sunt membra Solymæ, seu Ecclesie. Resp. 1. Ovile Christi complectitur etiam hædos; nam hi dicuntur *Matth. 25. v. 33.* segregandi in die judicii, seu separandi ab ovibus: ergo prius fuere mixti in eodem ovili.

Resp. 2. om. ma. neg. mi. ad probat. conc. totum; quia per id non probatur intentum; nam, licet in uno, vel altero loco Scripturæ, per oves intelligatur soli electi, ut loco citato, & *Matth. 25. v. 33.* ubi dicuntur statuendæ à dextris; tamen hoc non contingit universaliter; nam eodem loco *Joan. 10. v. 12.* dicit Christus: *Lupus rapit, & dispergit oves:* hoc est, aliqua illarum pereunt: item *Psalmo 73. v. 1.* dicitur: *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ, rursus *Psal. 78. v. 13.* Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ: ubi David loquitur de omnibus Judæis, qui non omnes fuere electi. & *Ezech. 34. v. 8.* dicitur de Domini ovibus: *Facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devoracionem omnium bestiarum.* Quare, quando est sermo*

mo de follis electis, per oves non intelliguntur tantum membra Ecclesiæ, sed membra electa; nam Christus *ibidem*, seu *Joan. 10. v. 16.* dicit: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili:* quod rectè exposit S. Thomas in *expositione Evangelii S. Joannis in hunc locum*, item Cornelius à Lapide in *hunc locum*, de gentilibus, qui necdum tunc erant membra Ecclesiæ, sed primùm debent fieri. At, si fermo est de membris Ecclesiæ, & ista universaliter dicuntur oves, e.g. *Joannis ultimò v. 17. Pæce oves meas:* nullo modo potest probari, quòd per oves tantum intelligantur electi.

301. Ad confirm. neg. conf. Potest quis ratione diversarum habitationum, vel jurium, spectare ad duplicem civitatem: & sic etiam peccator, ratione fidei, & communicationis cum fidelibus, spectat ad civitatem DEI: ratione scelerum spectat ad civitatem diaboli. Sic etiam Bellarminus *tom. 2. contr. 1. l. 3. de Ecclesiâ militante. c. 7.* exponit illud. *1. Joan. 2. v. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permisissent utique nobiscum:* exponit, inquam, illud *ex nobis de iis, qui specialiter ratione prædestinationis erant oves Christi, & membra Ecclesiæ.* Et in eodem sensu eadem verba explicat tam Glossa interlinearis, quam Lyranus. Cornelius à Lapide in *hunc locum* putat, eos dici non esse *ex nobis*, seu ex membris Ecclesiæ, sicut pater quandoque de filio improbo dicit: *Non est meus filius, nec eum pro filio agnosco.* Canus de *locis Theol. 1. 4. c. 6. seu postremo. §. sed ut argumento huic.* ait, intelligi posse fictos, & imulatos Christi discipulos, qui quasi amici ad tempus, & socii mensæ, in die necessitatis recesserint: quasi S. Joannes diceret: Inter nos versabantur, & sacramenta nobiscum habebant communia: sed simulatio tantum erat: Ideoque, cum non essent ex animo, & verè nostri, non erant ex nobis.

302. Ob. 5. Ecclesiâ Christi est sancta: ergo ejus membra non possunt esse peccatores. Confirm. 1. Peccatores non sunt filii DEI: ergo nec sunt membra Ecclesiæ. Confirm. 2. S. Paulus *ad Ephes. 5. v. 27.* ait Ecclesiâ esse *non habentem maculam, aut rugam:* ergo nullum complectitur injustum. Resp. neg. conf. Inprimis Ecclesiâ dicitur sancta, ratione doctrinæ fidei, & morum, quæ est sanctissima: rursus Ecclesiâ in cælis tota est sancta: & si sanctum dicitur, quod habet gratiam sanctificantem, etiam Ecclesiâ militans eam habet in plurimis membris; quare etiam ista, ratione istorum membrorum, magis principalium, potest dici sancta. Ubi notandum, quod S. Augustinus dicit *epist. 59. post medium: Scriptura mos est, ita loqui de parte, tanquam de toto: sicut Paulus Corinthios, in primis epistola sua partibus, ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea, in nonnullis epistola ipsius locis, ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam*

Divinarum Scripturarum consuetudinem, per omne corpus literarum ejus creberrimè sparsam, quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria.

Quòd autem denominatio aliqua possit tribui toti, etsi non conveniat singulis partibus, est clarum ex millenis exemplis. Sic homo dicitur rationalis, materialis, corruptibilis, licet non singulæ partes sint tales. Unde principium: *Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu:* non venit ad rem; quia hoc tantum verificatur de actibus moralibus, qui, ut verè sint boni, debent ex nullo capite vitari. An autem denominatio sit toti alicui tribuenda, an non, colligendum est ex ipsa definitione, vel communi intelligentia illius denominationis: & siquidem ea definitio cum veritate possit affirmari de toto, potest ei tribui denominatio, licet non singulis partibus conveniat: e.g. corruptibile dicitur, quod non semper manet, quale est, sed destruitur manente subjecto: hoc certè competit homini; licet non competat omni ejus parti, e.g. animæ; unde homo absolute potest dici corruptibilis. Ad 1. confirm. neg. conf. quæ non probatur. Ad 2. confirm. dist. ant. S. Paulus ait, esse talem Ecclesiâ triumphantem. conc. ant. militantem. subdist. denominatione competente toti Ecclesiæ, ratione membrorum præcipuorum. conc. ant. competente singulis membris. neg. ant. & conf. S. Augustinus, *l. 1. retract. c. 7.* hoc dictum explicat de Ecclesiâ triumphante.

303. Ob. 6. S. Augustinus *l. 3. de doctrina Christiana c. 32.* ait: *Non enim verè Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum:* ergo non prædestinati non sunt membra Ecclesiæ. Resp. dist. conf. ergo non prædestinati non sunt membra Ecclesiæ stabilia, & perpetuè talia permanens. conc. conf. non sunt membra pro nunc, dum in vita retinent ea, quæ nos requirimus ad membrum Ecclesiæ. neg. conf. S. Augustinus per Domini corpus ibi intelligit corpus Christi morale, non quomodocunque tale, sed id, quod erit semper tale permanens in cælo; nam *ibidem* se explicat dicens: *Nunc in uno sunt, . . . non tamen semper in uno erunt; ipse est quippe ille servus, commemoratus in Evangelio, cujus Dominus, cum venerit, dividet eum, & partem ejus cum hypocritis poterit.*

Nota insuper, quando fortè unus, aut alter ex Patribus dicit, in corpore Christi nihil esse mortuum, intelligendum esse, nihil omnino mortuum, ita ut nec habeat aliquam vitam secundum quid: non autem tantum simpliciter mortuum, ita, ut adhuc habeat vitam secundum quid. Peccator carens gratiâ dicitur simpliciter mortuus, nec potest dici membrum Christi simpliciter vivum; ut definit Tridentinum *sess. 6. c. 7.* quia tanten adhuc fidem, & communionem fidelium, adeoque aliquem motum retinet, habet adhuc aliquam vitam animæ secundum

dum quid, ferme sicut manus arida, nec potens moveri, dicitur emortua, licet adhuc aliquo modo tenuerit nutriatur.

304. Ob. 7. à contrariò. Schismatici, & excommunicati, retinent baptismum, & fidem: ergo sunt membra Ecclesiæ. Confir. ex S. Augustino *ad Donatistas post collationem c. 20.* dicente: *Neque enim à populo DEI separamus, quos vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem penitendi locum redigimus:* ergo. Resp. neg. conf. Ista non sufficiunt ad membrum Ecclesiæ, si desit communicatio externa respectu aliorum fidelium, vel subjectio respectu Prælatorum; unde excommunicatus potest quidem in Ecclesiâ manere in voto, adeoque etiam penitentiam agere; sed non manet in ea re ipsa. Ad confir. textum S. Augustini Bellarminus *tom. 2. contr. 1. l. 3. de Ecclesiâ c. 6.* suspicatur esse corruptum, & omissam particulam *non*, ut legendum revera sit: *Neque enim non separamus;* nam statim sequitur: *Et ubi hoc facere, pacis, & tranquillitatis Ecclesiæ gratiâ, non permittimur, non tamen ideo Ecclesiâ negligimus:* quæ verba non congruunt omissioni separationis. Quod si textus corruptus non sit, dicendum est cum eodem Bellarmino, per populum DEI non intelligi membra Ecclesiæ, sed intelligi electos, seu omnes fallendos, à quibus separare non intendunt Episcopi, aut alii Prælati, etiam eos, quos excommunicant.

305. Ob. 8. Ecclesiâ potest punire schismaticos, hæreticos, & excommunicatos: ergo sunt intra Ecclesiâ. prob. conf. *1. Corinth. 5. v. 12.* dicitur à S. Paulo: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ergo Ecclesiâ non judicat, consequenter nec punit eos, qui non sunt ejus membra. Confir. Episcopi, incidentes in hæresim, possunt validè exercere actus ordinis, e.g. consecrare, ordinare: ergo adhuc sunt membra Ecclesiæ. Resp. neg. conf. Cum schismatici, & hæretici, habeant characterem baptismalem, hoc ipso habent debitam redeundi ad Ecclesiâ, à qua discesserunt: sicut ergo oves, fugientes extra ovile, possunt à pastore è fuga retrahi, & verberibus etiam ad redeundum cogi: ita possunt supradicti plecti ab Ecclesiâ; unde non sunt membra Ecclesiæ in re, sed in debito, & jure.

Textus autem Apostoli tantum intelligendus est de iis, qui ita foris sunt, ut nunquam fuerint intus; nec ratione characteris habeant debitum redeundi, ut sunt Gentiles, & Judæi. Ad confir. neg. conf. nam Episcopi ratione ejusdem characteris, & debiti redeundi ad Ecclesiâ, seu tanquam membra, non quidem in re, sed in voto, habent capacitatem ad aliquas functiones Ecclesiasticas; item habent exercitium jurisdictionis, dum fidelès reputantur; quippe hoc necessarium est ad rectam gubernationem Ecclesiæ, quæ non judicat de internis, nisi per externa: & cuius alia membra aliàs sæpe paterentur inevi-

tabile, & gravissimum damnum; quia e.g. nescirent, Episcopum, vel parochum esse excommunicatum. Unde Canus *l. 4. de locis Theol. c. 6. seu postremo. resp. ad 12. arg. ait: Summum Pontificem, Episcopos, ceterasque Ecclesiæ ministros, potestate, ac jurisdictione, per hæresim abditam, interiorèmq. privari, non modò non certum, sed ne probabile quidem esse, maxima auctoritate Theologi affirmant.*

ARTICULUS III.

An Ecclesiâ sit infallibilis Regula fidei.

306. **D**ico cum omnibus Catholicis. Ecclesiâ est regula fidei, seu credendorum infallibilis. Ut autem Gormaz *de viri. Theol. n. 436.* rectè notat *regula fidei*, prout hic accipitur, est *infallibilis propositio, vel applicatio doctrinæ fidei;* non enim hic per regulam fidei tantum intelliguntur quicunque *Locis Theologicis*, ex quibus scilicet solent erui argumenta pro conclusionibus Theologicis: & qui non omnes sunt regula fidei. Solent autem assignari decem, scilicet 1. *ratio humana.* 2. *auctoritas philosophorum.* 3. *historia humana, etiam Ecclesiastica.* 4. *communis sententia scholasticorum.* 5. *consensus Patrum* (quando aliquid communiter quidem docent, sed non ut verbum DEI traditum) & hi quinque loci non sunt regula fidei. Reliqui verò quinque scilicet 1. *Sacra Scriptura.* 2. *Traditio.* 3. *Ecclesiâ.* 4. *Concilium Occumenicum.* 5. *Romanus Pontifex definiens.* possunt (ut patebit ex dicendis) esse regula fidei: quanquam Scriptura, aut traditio se solis non sint regula fidei, sed juncta explicatione, seu applicatione Ecclesiæ, sub qua comprehenditur Concilium, & Pontifex: adeoque tres ultimi loci possunt reduci ad unum, scilicet ad Ecclesiâ, vel per se, vel per Concilium, vel per suum Caput loquentem.

307. Prob. jam conclusio. Cum nec Scriptura sola, nec traditio, nec spiritus privatus, sufficienter applicant nobis verbum DEI, certè debet dari adhuc alia regula: cumque fides debeat esse firmissima, & immutabilis, debet etiam ejus regula esse infallibilis; aliàs enim, deprehensio posse erroris, assensus prudenter mutaretur: ergo debet dari alia regula infallibilis: hæc regula alia non potest assignari, quam Ecclesiâ, seu ejus definitivum judicium: ergo, ant. videtur innegabile; aliàs enim Christus non fuisset fat providus, & destituisset Ecclesiâ suam medio maximè necessario: reliquisset eam in summa confusione, & incertitudine, divisione, & dissepse.

Nam, si nemo Scripturam, vel traditionem, infallibiliter applicaret, vel res dubias, ultimo, & infallibili judicio, decideret: tunc (sicut videmus modò apud hæ-

ticos contingere) nihil certi foret; & cum plurimi inter se non convenirent in opinionibus suis, essent inter se diversi, & dissentientes (certè quamprimum Lutherus infallibilitatem Ecclesiae, tanquam regulam, negavit, infinita propemodum sectae ex ejus haeresi ortae sunt) cumque ex minus doctis, alii his, alii aliis, adhererent, forent sectae, & partiales Ecclesiae innumeratae: plurimi dubitarent in utramque partem, non sine confusione: maxime autem rudes destituerentur omni applicatione firma, & digna, cui securè possent fidere; cum non nisi ex auctoritate res fidei discere possint: imò etiam docti destituerentur necessario medio, ex hac ipsa ratione; quia & hi suo iudicio infallibiliter fidere, nisi per magnam praesumptionem, non possunt: & ipsi quoque res adeò sublimes, quas fides proponit, ex auctoritate discere debent.

Confr. 1. Christus scivit, orituras esse varias haereses: & utique voluit instituire Ecclesiam rite ordinatam, tanquam bonam rempublicam: ergo, sicut in civilibus debet dari magistratus, habens auctoritatem, leges interpretandi, ita etiam debet dari similis auctoritas in Ecclesia: & quidem, sicut legislator, si posset dare infallibilem interpretationem legum civilium, malè faceret, si daret fallibilem: ita etiam Christus, cum potuerit dare infallibilem regulam, non bene dedisset fallibilem. Confr. 2. Si Ecclesia non esset infallibilis, posset contingere, ut doctrina ab ea tradita falleret: ergo sine vitio aliquis ab ea discederet, si fallitatem agnosceret: ergo haeresis, prout significat discessum ab Ecclesia in credendis articulis; ex genere suo non esset vitium: quod est per se falsum.

308. Probatur 2. conclusio contra haereticos, admittentes Sacram Scripturam, ex hac ipsa: *Matth. 28. v. 20.* dicit Christus: *Eccè ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* item *Johannis 14. v. 16.* *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis: ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis.* & paulò post de eodem Spiritu. *v. 26.* *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecumque dixerò vobis: & c. 16. v. 13.* *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* item *Matth. 16. v. 18.* *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praevalent adversus eam.* iterum *Matth. 18. v. 17.* *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* rursus ad *Ephes. 4. v. 11.* *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii DEI.* & 1. ad *Timoth. 3. v. 15.* *Ecclesia DEI vivi, columna, & firmamentum veritatis.*

Ex his manifestè habetur, Ecclesiam non tantum pro aliquo tempore, sed usque

ad saeculi finem, & in aeternum, fore semper dirigendam à Spiritu S. ne erret, vel ne cadat columna veritatis: aut ne fideles, qui eam, per pastores, & doctores suos, loquentem tenentur audire, ab ea decipiantur: ne denique inferni potentia contra eam praevaleat, eripiendo veram fidem, & consequenter etiam sanctitatem, quae fidei fulcitur. Confr. 1. Ecclesia debet semper esse sancta: ergo debet etiam esse infallibilis; alias enim posset docere doctrinam non sanctam: quo casu non esset amplius sancta, sanctitate suae doctrinae, imò nec morum; quia falsitas doctrinae statim post se traheret etiam aliquam maculam in moribus, saltem in plurimis membris. Confr. 2. S. Paulus ad *Timum 3. v. 10.* ait: *Haereticum hominem, post suam, & secundam correctionem, devota, sciens, quia subversus est: at, quomodo devitabimus, & sciemus, eum subversum, nisi Ecclesia id nos infallibiliter doceat? ergo haec debet esse infallibilis.*

309. Probatur conclusio 3, ex SS. Patribus, quorum infinitos textus adducere, quia impossibile est, paucos tantum delibabo. S. Irenaeus l. 3. *adversus haereses c. 4.* *Non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositarium divites, plenissime in eam contulerint omnia, quae sunt veritatis.* S. Cyprianus l. *de unitate Ecclesiae.* *Hanc unitatem Ecclesiae qui non tenet, DEI legem non tenet: non tenet Patris, & Filii fidem: vitam non tenet, & salutem.* S. Augustinus jam relatus est n. 147. & 276. in super e. *narrat: in psal. 30. concion. 1. ante medium.* ait: *In Christo loquitur Ecclesia, & in Ecclesia loquitur Christus, & corpus in capite, & caput in corpore.* S. Hieronymus *epist. 57. ad Damasum.* *Beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri, communionem confocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio.*

Huc etiam faciunt omnia illa, quae Patres passim docent, de Ecclesiae indefectibilitate, de Conciliorum universalium, & Romani Pontificis auctoritate. Tandem dicta hucusque confirmat praxis communissima, atque perpetua fidelium: qua dubiorum solutionem semper petierunt ex Ecclesiae definitione: & qui Ecclesiae contradicere ausi fuerunt, semper haeretici habiti sunt, ut ostendi potest per singula saecula. Nec dici potest, illos habitos fuisse haereticos, non quia Ecclesiae definitionibus, sed quia SS. Scripturis se se opposuerunt; hoc enim ex eo falsum est, quod multae haereses ex solis Scripturis clarè confutari non potuissent, ut posset ostendi, enumerando varios errores, Quartodecimanorum, Novationorum, Arianorum, Macedonianorum, Anabaptistarum: qui omnes etiam pro se Scripturas allegabant.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

310. **O**B. 1. Ecclesia à SS. Scripturis, & Patribus, comparatur lunae: ergo, sicuti ista eclipsum patitur, & deficit, ita potest etiam Ecclesia deficere à lumine fidei. Confr. Ecclesia potest saltem deficere à veritate inculpabiliter; hoc enim non obest fidei: ergo. Resp. neg. conf. Similitudo utique non debet esse omnimoda: igitur ea tantum stat in hoc, quòd, sicut luna initio mensis sui crescit, usquedum plena sit, ita Ecclesia creverit, usquedum perfecta fuerit. 2. quòd, sicut luna luna habet à sole, ita Ecclesia lumen fidei habeat à Christo. 3. quòd, sicut luna eclipsum patitur, ita Ecclesia patiatur persecutiones, quibus aliquando imminuta est fidelium numero, vel etiam externo, & aperto splendore, ut dictum n. 290.

Ad confr. neg. ant. nam licet inculpabiliter à veritate deficere possit homo privatus, tamen hoc non potest contingere in Ecclesia; alias enim non amplius esset columna, & firmamentum veritatis: nec maneret cum ipsa spiritus veritatis: omniaque forent dubia, etiam ipsa Scriptura; cum dubitari posset, an non circa hanc ipsam Ecclesiam inculpabiliter erraret. Nec dici potest sufficere, modò Ecclesia sit infallibilis in designanda vera Scriptura; si enim infallibilis est in hoc puncto, cur non in aliis? 2. nisi saltem sit Ecclesia etiam infallibilis in explicatione Scripturae, nondum est satis consultum; cum Scriptura sit obscura, nec se sola clarè intelligatur, ut dictum à n. 181. & seq. 3. cum non omnia in Scriptura contineantur, ut n. 192. probatum est, debet etiam Ecclesia esse infallibilis, quoad rite determinanda illa, quae ex traditione creduntur, eaque etiam rite explicanda, adeoque quoad omnia, extra, & intra Scripturam definienda.

311. **O**B. 2. Ecclesia potest errare tempore sedis vacantis, seu quando nullus est Pontifex, vel tempore schismatis, quando plures sunt Pontifices dubii: ergo. Resp. neg. suppositum, quòd tunc aliquid possit definiri, tanquam de fide credendum; nam tempore sedis vacantis, Cardinales tantum habent auctoritatem ad eligendum Pontificem: tempore vero schismatis Concilium Generale congregatum tantum habet auctoritatem, seu potestatem, sibi providendi de certo capite, seu creandi legitimum, & indubitatum Pontificem: non verò habet potestatem condendi leges universales, quae vim habeant obligandi Ecclesiam, independenter à confirmatione veri Pontificis; nam, ut Eximius Doctor l. 4. *de legibus c. 6. n. 4.* late ostendit, Concilium tempore schismatis tantum habet potestatem illam, quae necessaria est, velut ad defensionem Ecclesiae, eamque pacificandam, eligendo Ponti-

ficem certum: quam potestatem ei tribuit jus naturale, sicut optimatus regni, in ordine ad constitutionem regis. At verò majorem potestatem, nec jus naturale, nec positivum, Concilio in eo casu tribuit; cum nullum jus, plus aliquid tribuens, ostendi possit; unde ad summum obligarent Ecclesiam tales leges vi spontaneae acceptationis.

312. **O**B. 3. Ecclesia est libera ad credendum: ergo potest non credere: ergo potest fides omnis deficere: ergo Ecclesia non est absolutè infallibilis. Resp. 1. Pontificem, & Concilium, quando representant totam Ecclesiam, & quando totam Ecclesiam obligant, non esse liberos, ad docendum verum, vel falsum; nam tunc assistentia Spiritus S. id impedit. Interim tamen habent sufficientem libertatem ad meritum, ut Christus, qui etiam non potest dicere falsum. Habent scilicet tunc Pontifex, & Concilium, libertatem contradictionis, ad loquendum, vel omnino tacendum: habent etiam libertatem, ad varias bonas intentiones, & amplectenda motiva, impellentia ad volendum definire. Sed tamen per hoc nondum satisfactis argumento; nam per hoc non tollitur, quo minus tota Ecclesia, seu omnia ejus membra, etsi rectè doceant, tamen malè credant, non assentiendo propriae doctrinae: atqui sic deficeret fides totius Ecclesiae, adeoque etiam ipsa; nam ad eam constituendam, non tantum requiritur doctrina vera, sed etiam coetus fidelium rite credentium.

Resp. igitur 2. cum Gormaz *de virt. Theol. n. 376.* dist. ant. Ecclesia est libera ad credendum libertate antecedente. *conc. ant. libertate consequente.* neg. ant. & sub eadem dist. *conc. vel neg. conf.* Antequam DEUS determinaverit, creare hos homines, & facere, ut nascantur in religione Catholica, jam praevidit, quòd plurimi his, vel illis auxiliis, sint consensuri, & cum istis rite credituri; unde postea eo decreto, quo determinavit, eos creare, etiam decrevit, pluribus quovis tempore dare auxilia illa congrua: & simul praedefinivit eorum fidem: quod decretum praedefinitivum, licet sit antecedenter impedibile, adeoque quilibet possit antecedenter à fide deficere, non tamen est frustrabile consequenter; hinc nunquam omnes deficient. Quare etiam consequenter ad hanc scientiam, de aliquorum in fide perseverantiam, sub his, vel illis auxiliis, & consequenter etiam ad decretum DEI, dandi ea auxilia, potuit DEUS infallibiliter promittere, quòd nunquam sit tota Ecclesia à fide defutura: neque ea promissio, subsequens illam scientiam mediam, ullatenus tollit libertatem. Sed fusior hujus rei explicatio petenda est ex tractatu de DEO, ubi de praedefinitionibus agitur.

313. **O**B. 4. Ecclesia sunt tantum homines: sed hi possunt errare: ergo. Confr. Singuli homines possunt errare: ergo etiam omnes. Resp. dist. ma. Ecclesia ut considerata sine assistentia Spiritus S. sunt tan-

tantum homines. conc. ma. ut considerata cum illa assistentia. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Ecclesia quidem, si consideretur tantum ut congregatio piissimorum, & doctissimorum hominum, habet maximam auctoritatem: attamen ea nondum omnino infallibilis est: adeoque nondum sufficit ad applicandum infallibiliter verbum DEI; unde accedit promissa assistentia Spiritus S. docentis omnem veritatem, quæ addit infallibilitatem.

Ad confir. om. ant. neg. conf. Non est bonum hoc argumentum, à sensu distributivo ad collectivum; sicut non est bonum: Singuli testes non faciunt plenam probationem: ergo neque omnes; quia scilicet, ut non quilibet testis solus habet auctoritatem requisitam à legibus, ita nec singuli homines habent assistentiam Spiritus S. quæ promissa est Ecclesiæ: & collectio Ecclesiæ est saltem conditio, sine qua non est promissa illa assistentia culibet in particulari. Dixi om. ant. propter Summum Pontificem, de quo inferius. Addo, quod minister quilibet Ecclesiæ, qui non tantum materialiter est missus, sed formaliter, sive, dum loquitur formaliter ut missus, seu explicat doctrinam Ecclesiæ verè talem, concipiatur à fidelibus habere infallibilitatem saltem actualem, seu quoad illum actum docendi, non verò habituales, & permanentem; quia in alia occasione hic ipse minister potest docere aliquid contrarium doctrinæ Ecclesiæ.

314. Dices. Nunquam aliquid definitur à tota Ecclesiâ; quis enim ex omni mundo omnes fideles colligat in unum Concilium? Resp. Sicut in civilibus dicitur respublica, vel urbs, aliquid statuisse, quamvis non omnes cives id statuerint, sed tantum senatus, licet omnium civium communis causa agatur: ita etiam dicitur Ecclesia aliquid definitivisse, licet non omnes fideles id decreverint, modò pastores, & doctores Ecclesiæ, qui ei promissi sunt, & quibus etiam assistentia Spiritus S. promissa est, aliquid deciderint. Isti autem sunt primò Romanus Pontifex, per se, vel per suos legatos præsens: dein Episcopi, quibus S. Paulus *Act. 20. v. 28.* ait: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.*

Horum, in Concilio generali (quantum fieri moraliter potest; nec enim Spiritus Sanctus, ut assistat, exigit aliquid moraliter impossibile) congregatorum, definitionibus, securè fidunt fideles cæteri. Nec ullo modo, ut sectarii quidam contendunt, in Conciliis etiam, ut iudices debent adesse laici; hoc est enim contra omnem antiquissimam praxin; nam laici sunt oves, & non pastores: imò nec inferiores Episcopis sacerdotes admittuntur ut iudices; nam nec isti sunt illi sublimes pastores, & successores Apostolorum, quibus assistentia Spiritus S. promissa est: quamvis soleant multi adhiberi ut Theologi, & consilarii. Adde, quòd, si omnes convocarentur, Concilium tale

ob multitudinem regi non posset, sed confusio ingens nasceretur.

315. Dices. Illa assistentia Spiritus S. gratis fingitur. Resp. eam fuisse toto articulo precedenti fusè probatam. Replicabis, assistentiam illam probari ex Scripturis legitime explicatis, & legitimam explicationem probari per assistentiam Spiritus S. adeoque per circulum vitiosum. Resp. 1. esse falsum, quòd ea assistentia tantum probetur ex Scripturis; nam probationes allatæ n. 307. sunt ex ratione, non ex Scripturis petite. Licet autem sequentes probationes ex Scripturis sint, non sit circulus vitiosus; nam hic tunc fit, quando duo mutuo ita probantur, ut neutrum independentem ab altero probetur: sicut hæretici plures probant mutuo Scripturam, & spiritum privatum. At nos ab initio, & independentem à Scriptura probamus, Ecclesiam veram esse Catholicam, idque fusè per plurima signa, & motiva credibilitatis: ex quo, præsertim additis rationibus n. 307. allatis, ulterius sequitur, Ecclesiam eam habere infallibilem assistentiam Spiritus S. tum in aliis dogmatibus, tum etiam in explicanda legitime Scriptura.

Ex Ecclesiâ autem sic jam prius probata, dein probamus ipsam Scripturam, ejusque legitimum sensum, atque explicationem. Et hinc, quando dein etiam ex Scriptura ulterius ad abundantiam probamus Ecclesiam, tam parum facimus circulum vitiosum, quam parum fecerunt circulum vitiosum Christus Dominus, & S. Joannes, dum mutuo de se invicem testimonium perhibuerunt; cum, sicut Christus testimonium dedit Joanni, ut habens aliunde auctoritatem, ita etiam Ecclesia, ut aliunde habens auctoritatem, testimonium det Scripturæ: & sicut Christus etiam à Joanne postea accepit testimonium, ita etiam Ecclesia à Scriptura testimonium recipiat, præsertim contra eos, qui Scripturam admittunt.

316. Ob. 1. Saltem non potest probari, quòd assistentia Spiritus S. promissa sit, non tantum Apostolis, sed successoribus quoque, & Ecclesiæ posteriori, præsertim visibili, & non tantum invisibili: ergo. Resp. neg. ant. nam probationes à nobis, tum ex ratione, tum ex Scripturis allatæ, probant assistentiam Spiritus S. usque ad consummationem sæculi, seu finem mundi: & rectè S. Augustinus *enarrat. in psal. 47. sub finem* ait: *Illis Apostolis loquebatur Christus, & nos significabat, cum diceret: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Quòd autem visibili Ecclesiæ Spiritus S. assistentia promissa sit, probatur facile; quia Christus eam frustra promisisset invisibili, quam nemo agnosceret, nemo audiret, nemo, nisi in rarissimo casu, inveniret. Et utique promissa est assistentia dicta illi Ecclesiæ, quam nos DEUS voluit doceri, quam debemus ingredi, & in qua debemus salvari &c. Certè non haberemus medium necessarium salutis, nec fundamentum ullum fidei;

dei, summè necessariæ ad salutem, nisi ipsa Ecclesia visibilis foret columna, & firmamentum veritatis; quale esse non potest sine assistentia Spiritus Sancti.

Nec dicas, Ecclesiam tantum habere assistentiam Spiritus S. si adhibeat debitam diligentiam, in inquirenda veritate, quæ tamen diligentia possit omitti; nam responsum diligentia possit omitti: talis diligentia: deo: vel non est necessaria talis diligentia: vel, si necessaria est, etiam DEUS providebit certissimè, ut ea non omittatur, aut definitiones temerariè fiant, ne omnia incerta sint: quod DEUS non vult permittere. Hinc de definitionibus absolute editis dubitari nunquam debet, eas esse legitime factas. Valentia. *tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7. quæstion. 6. ad 6. object.* cum putet, etiam absque diligentia adhibita infallibiles fore definitiones, concludit consequenter, studium, ac diligentiam, Pontifici (& par est ratio de Conciliis) tantum necessariam esse, ut sine culpa definiat, & convenienter: non tamen, ut definiat infallibiliter. vide etiam infra n. 381. ob. 3.

317. Ob. 6. Juxta nos Sacra Scriptura subijceretur iudicio Ecclesiæ: hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. vel enim intelligis per *subijci*, quòd Ecclesia debeat iudicare, an id, de quo certò constat, esse verbum DEI, sit verum: & neg. ma. neque enim hoc ullo modo à nobis astitur: vel intelligis tantum, quòd Ecclesia debeat definire, an aliquis liber sit Sacra Scriptura: vel an sit vera ejus editio, vel quis sit legitimus sensus illius; & iterum neg. ma. quia hoc non est propriè, Scripturam Sacram subijci iudicio Ecclesiæ.

Sed neque hoc continet in se aliquid absurdum: sicut absurdum non est, quòd sæpe inferior magistratus debeat, ex certis signis determinare, an aliquod decretum sit à rege editum, an legitimum sigillo roboratum &c. quanquam, si de veritate decreti constet, non possit illud non exequi: nec enim propterea rex subijcitur suis subditis: & pariter nec DEUS, aut Christus Ecclesiæ; quia ista hanc ipsam potestatem accepit à Christo. Imò Ecclesia, in Conciliis congregata, non est paris cum Scriptura auctoritatis; non enim omnia in Conciliis, sed tantum eorum definitiones sunt infallibiles, ut dicemus n. 324. cum tamen in Scriptura omnia sint infallibilia: imò, multi dicunt, etiam infallibilitatem definitionum Ecclesiæ esse in ordine inferiori, scilicet tantum in ordine, sive linea applicationis verbi DEI; cum Scriptura sit ipsum verbum DEI, de quo infra agendum.

318. Ob. 7. Synagoga antiqua tota erravit: ergo etiam potest Ecclesia nova tota errare. ant. prob. tota Synagoga cum summo sacerdote Aaron adoravit vitulum aureum. Item Synagoga defecit tempore Eliæ, ut dictum n. 290. Rursus *Isaiæ 1. v. 3.* de toto Israëliticò populo dicit DEUS: *Israël autem me non cognovit.* Tandem etiam tempore Christi Synagoga, eum non agnoscentes, tota erravit: ergo. Resp. 1. Etsi omitteretur

antecedens, non statim verum foret confessus; Synagoga enim non fuit Ecclesia universalis, nec Pontifex illius habuit potestatem in omnibus fideles, sed solum in populum Hebræorum: extra quem erant alii fideles, qui observantes legem naturalem, poterant extra Synagogam salvari.

Neque enim tunc tenebantur fideles omnes acceptare legem Moyis, sed solus populus Hebræorum; cum tamen modò non sit salus extra Ecclesiam Christi, ut expressè definit Tridentinum *in formula professionis fidei*, & prius jam definiuit Lateranense sub Innocentio III. *C. firmiter. de Summa Trinitate, & fide.* Unde, etsi Synagoga errasset, tamen potuissent iusti plures vitam æternam adipisci, nec tota DEI Ecclesia in terris defecit. At verò, si erraret Ecclesia Christi, tunc tota deficeret Ecclesia DEI, nec extra illam posset obtineri salus.

319. Resp. 2. neg. ant. Synagoga nunquam tota erravit, saltem usque ad Christum; nam quod attinet ad vitulum adoratum, præterquam, quòd tunc Aaron necdum fuerit summus sacerdos, non est verum, omnes omnino illum adorasse; cum præcipui duo viri, Moyles, & Josue, id non fecerint: alios etiam ab illo scelere remotos fuisse, colligitur ex eo, quòd statim Moyti le junxerint filii Levi, & multos propter cultum vituli occiderint. Quod ad Eliæ tempora attinet, responsum est satis eodem n. 290.

Ad Itaiam dic, sæpe in Scripturis de omnibus dici, quod convenit tantum majori parti, vel pluribus, ut observat S. Augustinus citatus n. 302. Tandem, cum Synagoga non fuerit promissa assistentia Spiritus S. æternum (cum nec ipsa æternum durare debuerit, sed in Ecclesiam novam mutari) mirum non est, quòd in ejus Pontifice Caipha, præsentem jam Christo, infallibilis defecit: quanquam tunc, non tam Synagoga defecisset, quam incepisse mutari in novam Ecclesiam dici possit. Sed neque omnes defecerunt tunc à vera fide; cum Christus habuerit multos sequaces.

320. Ob. 8. Ipsa etiam Ecclesia novi testamenti erravit, & rursus etiam errabit: ergo. ant. prob. 1. Totum Concilium Ariminense approbavit Arianismum, ita, ut S. Hieronymus *in dialog. adversus Luciferianos. c. 7.* dicat: *Ingenuit totus orbis, & se Arianum miratus est.* 2. Adventus Christi secundus ad iudicium non erit, ut dicitur 2. *ad Thessal. 2. v. 3.* *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati:* hoc est, nisi omnes reliquerint fidem, & venerit Antichristus, 3. Angelus *Daniel. 9. v. 27.* dicit: *Deficiet hostia, & sacrificium.* Tandem 4. dicit Christus *Lucæ 18. v. 8.* *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* quasi diceret: non inveniet: ergo.

Resp. neg. ant. ad 1. prob. om. ant. neg. conf. Etsi Ariminenses Patres errassent, non fuit approbatus eorum error à Romano Pontifice: imò nec omnes illi Patres con-

scenserunt errori: sed aliqui ex ipsis, discesserunt in locum, qui etiamnum dicitur *Catholica*. Dein plures propriè hæresin non confirmârunt, sed decepti ab Arianis tantum consenserunt, ut omitteretur vox *homoniosos*, seu *consubstantialis*, non quasi Christus non esset talis; sed tantum, ut tolleretur occasio discordiarum: in quo quidem illi Patres negligenter egerunt; sed tamen eos propterea hæreticos fuisse, evinci non potest.

Acceptit quidem inde orbis occasionem alicujus ruinae, præsertim Arianis rem aliter vulgantibus: & hinc S. Hieronymus rhetorum more dixit, mundum se ingenuisse Arianum: attamen plurimi, & ipse Romanus Pontifex Damasus, ac innumeri alii, manserunt apertè Catholici. Quod attinet ad alia Concilia, in quibus aliqui volunt, errores notare, sciendum est, illa, aut non fuisse generalia, sed tantum diocesana, vel provincialia: aut non fuisse legitime convocata: aut à Pontifice non fuisse confirmata: aut non errasse in materia fidei, vel moralium præceptorum, sed fortè tantum in aliqua quæstione puri facti, ut dicemus n. 324.

321. Ad 2. Discessio illa ex S. Ambrosio, Primafo, & Sedulio *apud Corneliolum in hunc locum*, est separatio à Romano imperio, ut scilicet Romanum imperium omnino intereat, sicut e. g. imperium Afsyriorum. Quodsi velis, per eam discessionem etiam intelligere discessionem à fide, nunquam illa erit totius Ecclesie, sed tantum plurium, remanente tamen semper aliquo cœtu, quanquam minore, fidelium. Ad 3. Angelus ibi loquitur de eversione Hierosolymæ, & cessatione sacrificiorum Judaicorum, ut explicant SS. Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, & alii, patèretque ex eo, quod ille defectus prænuntiatus debebat fieri tempore septuagesimæ hebdomadæ, in qua occidendus erat Christus, ante cujus mortem vigeabant sacrificia Judaica. Ad 4. Ex verbis illis Christi non potest evinci, nullum, sed ad summum, paucos tunc fore respectivè fideles, quanquam S. Hieronymus *dialogo adversus Luciferianos c. 6.* dictum illud non intelligat de fide tantum simpliciter tali, sed de fide extrema, quæ est paucorum. Quæ alia circa Concilia, vel Summos Pontifices, obiici solent, suo loco servamus.

ARTICULUS V.

Quenam Propositio, vel Definitio Ecclesie sit infallibilis Regula credendi.

322. Dico 1. Canones, seu definitiones Conciliorum generalium, universalem Ecclesiam representantium, legitime statuti, sunt infallibilis regula credendi. ita Catholici omnes. Concilium autem generale, seu universale, aut œcumenicum censetur illud,

cui interesse possunt, imò debent omnes totius orbis Episcopi, nisi legitime impediantur: & huic nemo legitime prædicet, nisi Romanus Pontifex, vel ejus Legatus: folus etiam Papa Romanus illud indicere potest, ut Bellarminus *tom. 2. controu. 1. l. 1. de Conciliis c. 12.* ostendit. Unde, quando antiquitus leguntur aliqua Concilia, indicta ab imperatoribus, intelligendum id est, quòd ad imperatorum petitionem Concilia fuerint indicta à Pontificibus, & ab imperatoribus adjuncta, ac promota eorum executioni.

Alia autem Concilia dicuntur, vel *Nationalia*, ad quæ Episcopi alicujus totius nationis e. g. Africae, aut Galliae, convocantur, aut conveniunt: vel *Provincialia*, ad quæ conveniunt Episcopi alicujus totius provinciae, à Metropolitanò, vel Primatè, vel Archiepiscopo convocati: vel *Episcopalia*, aut *Diocesana*, ad quæ Clerus inferior ab Episcopo convocatur. Hæc autem Concilia per se infallibilia non sunt, & multa eorum errarunt. Si tamen à Pontifice Romano approbata fuerint, eorum definitiones non rariùs, quam ipsius Pontificis (de quibus infra n. 322.) infallibilitatem habent. Quodsi etiam non sint approbata Concilia provincialia, attamen neque sint reprobata, magnam auctoritatem, & pondus meritò habent, ut observat Canus *de locis Theologicis l. 5. c. 4.* quia, ut ait hic auctor, *communis Ecclesie, vel silentio, vel etiam implicito consensu, commendantur, si ad Ecclesiam communem notitiam pervenerint; non enim sit aliquo pacto verisimile, ut Concilii provincialis, toto orbe vulgati, hæresin Ecclesie diu dissimulaverit.*

Prob. conclus. 1. Si Concilium generale in definitionibus suis posset errare, errare quoque posset Ecclesia; nam Concilium representat Ecclesiam, & fideles omnes debent obedire definitionibus Conciliorum; cum enim non possint convenire in unum omnes omnino fideles, ex omni orbe terrarum, docti, & indocti &c. debet certè à primariis Ecclesie membris, id est, à pastoribus, & doctoribus, decidi, quid sit credendum; eos enim, ut *Actor. 20. v. 28.* dicitur, *Spiritus Sanctus posuit, regere Ecclesiam DEI*: & ipsi debent alii fideles obedire; cum sint oves, ac discipuli: sicut alii subditi debent obedire legibus, in comitiis regni statutis: ergo errante Concilio erraret Ecclesia: atque Ecclesiam errare non posse, probatum est à n. 306. ergo.

323. Prob. conclus. 2. ex SS. Patribus, imò ex consensu totius Ecclesie; nam semper à SS. Patribus, & tota Ecclesia, tanquam firmissimum, & verissimum habitum est, quod in aliquo Concilio generali erat definitum. S. Athanasius. *epist. ad Episcopum Corinthiorum Episcopum initio* ait, *Hæreticorum inanem garrulitatem Nicæno Concilio sedatam esse que Synodus omnium hæresim profugatarum, ac inprimis Ariana hæresim habenda est Quæ igitur auctoritas dicitur, ut post tanti Concilii auctoritatem*

Quenam Propositio, vel Definitio Ecclesie sit infallibilis Regula credendi. 95

tem, disceptationes, aut quæstiones instituant? S. Augustinus *epist. 118. sub initium* ait de plenariis Conciliis: *Quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas: & l. 1. de baptis. contra Donat. c. 18.* S. Cyprianum ab hæresi absolvit, ex eo, quòd tunc, quando hic S. Martyr contrarium, propugnabat, nondum à Concilio generali fuisset definitus valor baptismi, ab hæreticis collati.

S. Gregorius *epistololarum l. 1. epist. 24. sub finem* ait: *Præterea . . . sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor Quintum quoque Concilium pariter veneror Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Tandem univèrsum SS. Patres, atque fideles, semper habuerunt pro exploratis hæreticis eos, qui generalibus Conciliis contumaciter resistebant: & hinc nunquam permissum fuit, ut hæreses, semel à tali Concilio damnatae, rursus in controversiam vocarentur: quod tamen posset fieri, si definitiones illæ fallere possent: imò tunc omnia, quæ etiam ab adversariis admittuntur, incerta forent.

324. Addendum tamen hæc est, ipsos canones, seu definitiones Concilii quidem infallibiles esse: si quando autem definitionibus præmittantur aliquæ disputationes, vel etiam aliquæ rationes, aut alia, ad definitiones magis illustrandas, apponantur, ista non etiam parè esse auctoritatis cum definitionibus, nisi quatenus in definitionibus circa talia erraret, nihil incommodi patere- tur Ecclesie; nam non proponuntur fidelibus credenda illa præambula, aut rationes omnes, sed tantum definitiones.

Aliquando autem à Conciliis fiunt *decreta morum*, hoc est, præcepta moralia, omnibus observanda: & de his credendum est, nihil præcipi in iis, quòd sit malum, vel inhonestum; alias Ecclesia deficeret à sanctitate doctrinæ: & ex eadem ratione credendum est, nihil ab Ecclesia prohiberi honestum, necessarium ad salutem. Aliquando verò Concilia aliquid decidunt circa aliquam quæstionem facti: & tunc si factum sit tantum particulare, nec connexum cum quæstionibus fidei, aut juris, nec ex verbo Divino, seu scripto, seu tradito, revelatum, Concilium quoad eam decisionem non est infallibile; error enim talis non affert grave incommodum Ecclesie: nec in talibus habetur infallibilis assententia Spiritus S. Sed de his inferius plura.

325. Dico 2. Ad hoc, ut definitiones Conciliorum, etiam universalium, sint legitime constitutæ, aut firmatæ, adeoque infallibiles, accedere debet confirmatio, vel rati- habitio Romani Pontificis. ita Theologi Catholici communissimè. Supponitur autem, Pontificem esse legitimum, & indubitatum; alias enim, si plures in aliquo schismate, dubii forent Pontifices, posset Concilium generale dubios deponere, vel fortè potius declarare, nullum esse legitimum, & de indubitato sibi providere, ut dictum n. 311. Quodsi Pontifex legitimus apertè lapsus es-

set in hæresin, in eaque contumaciter persisteret, excideret eo ipso suo officio, & posset à Concilio fieri sententia declaratoria criminis, atque etiam declarari, quòd talis Papa à Christo esset potestate sua privatus.

Unde in his duabus occasionibus potest etiam convocari Concilium generale absque auctoritate Pontificis, quod in aliis casibus fieri nunquam potest, ut inter se conveniunt Doctores Catholici: & Pelagius II. *dist. 17. cap. Multis.* conventum, Episcoporum absque auctoritate Romani Pontificis celebratum, vocat *conventiculum, vel concilium*; quia, ut ibidem ait Pontifex: *Multis denuo Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instrumur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Et sanè contra rationem aliquid toti Ecclesie proponeretur credendum, aut agendum, sine auctoritate illius, qui toti Ecclesie præest. His suppositis

326. Prob. conclusio 1. negativè. Infallibilias Concilii, absque confirmatione Pontificis, non potest ulla ratione ostendi: ergo gratis asseritur. antec. prob. Inprimis non potest ostendi facta à Christo promissio tali Concilio, de assententia Spiritus S. Dein neque ex natura rei talis infallibilitas necessaria est; nam habetur alia regula fidei, & morum in Ecclesia DEI, scilicet Concilii à Romano Pontifice approbati definitiones. Sed nec est assignabile ullum aliud caput, ex quo probaretur infallibilitas illa: ergo. Confirm. Non tantum unum generale Concilium, quia non fuit confirmatum à Romano Pontifice, fuit ab Ecclesia reprobatum tanquam erroneum, ut Ariminense, Mediolanense, Ephesinum II. de quibus vide Francolinum *tyroc. Theol. p. 2. §. 2. n. 38.* Certè an. Domini. 449. Concilium generale Ephesinum II. erravit, approbando errores Euty- chetis, reclamantibus Legatis Romani Pontificis S. Leonis, & Dioscori omnia violenter agente: atque Concilium postea S. Leo irritum, & nullius valoris esse declaravit: ergo talia Concilia non sunt infallibilia.

Prob. 2. conclusio positivè. Soli S. Petro, præ omnibus aliis Apostolis, Christus dixit *Matth. 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam*: pro eodem solo Christo specialiter oravit, ut ait *Luc. 22. v. 32. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: hunc solum Christus constituit Pastorem universalem gregis Dominici *Joan. ultimo v. 16. & 17. Pasce agnos meos pasce oves meas.* Quod autem Christus Dominus dixit Petro, in ordine ad regendam Ecclesiam, idem dictum est successoribus ejus, Romanis Pontificibus; nam, cum Christus voluerit Ecclesiam firmam esse usque ad mundi finem, quousque non voluit vivere S. Petrum, voluit certè alios ei succedere, qui regerent eodem modo usque ad mundi finem Ecclesiam suam.

327. Hoc etiam adeò receptum semper fuit omni ætate, ut Romani Pontificis Sedes, non nisi *Apostolica Sedes, Cathedra S. Petri,*

Petri, *Locus Petri*, sit nominata: ipse autem Papa sit dictus *Supremus Christi in terris Vicarius, Divi Petri Successor, Summus Ecclesie universalis Pastor, Caput omnium Ecclesiarum, Ecclesia universalis Pontifex &c.* Hinc Florentinum ita definit *sess. 25. in literis unionis: Item definimus, sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum, successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascenti, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Idem definit Lateranense, sub Leone X. qui in *Bulla: Exurge Domine: in eodem Concilio contra Lutherum, ejusque errores edita*, damnavit hanc ejusdem hæresiarum propositionem, ordine 25tam. *Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius, super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in Beato Petro institutus.* Idem constat ex eodem Lateranensi *sess. 11.* sub Leone X. in quo hic *abrogationem Pragmaticæ Gallicæ, seu Constitutionem: Pastor æternus gregem* edidit, in qua dicitur, non tantum S. Scripturæ, sed & Patrum, & ipsorum Conciliorum confessione, manifestè constare, Romanum Pontificem super omnia Concilia auctoritatem habere. Idem quoque constat ex Constitutione Martini V. *Inter cunctas pastoralis curæ: edita an. 1418.* Pontificatus sui. *an. 1.* (electus namque est *an. 1417.*) in Concilio Constantiensi, quando hoc erat indubitatum legitimum.

Ex quibus sic argumentor. Si definitiones Conciliorum forent infallibiles ante approbationem Pontificis, deberet etiam Pontifex illis se submittere, suamque illis fidem accomodare: ergo non jam super ipsum esset ædificata Ecclesia, sed potius ipse esset fundatus, & ædificatus super Ecclesiam: item non ipsius fides præ reliquis ex efficacia orationis Christi esset indefectibilis, sed aliorum, à quibus ipse esset confirmandus; cum tamen Christus *ibidem, seu Luc. 22. v. 32.* ubi ait Petro, se pro ipso orasse, eidem dicat: *Confirma fratres tuos: neque Petrus universum Dominicum gregem doctrinâ pasceret, sed ab ipsis pasceretur, ac gubernaretur &c.* atqui hæc admitti non possunt: ergo.

328. Prob. conclusio 3. ex universalissima, & constantissima praxi totius Ecclesie, ipsorum etiam Conciliorum generalium, quæ semper pro suis definitionibus petierunt approbationem Romani Pontificis, prout Lateranense sub Leone X. *sess. 11.* testatur in *Bulla: Pastor æternus gregem suum: approbante Concilio edita, qua est abrogatoria Pragmaticæ Gallicæ: Consueveruntque* (inquit) *antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroborazione, à Romano Pontifice subscriptionem, approbationem-*

que humiliter petere, & obtinere, prout ex Nicæna, & Ephesina, ac Chalcedonensi hujusmodi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna, ac Romana sub Symacho, Synodis habitis, eamque gestis, nec non in Aimari libro de Synodis, manifestè colligitur: quod etiam novissime Constantienses Patres fecisse constat. Hucusque Bulla. Idem etiam factum ab ultimo generali Concilio Tridentino, ut constat ex ultima sessione, s. ultimo ante acclamationes Patrum, ubi expressè dicitur, confirmationem decretorum esse à Papa petendam: & idem iterum dicitur factum in Bulla Pii IV. qui id confirmavit.

329. Neque Patres, in Conciliis congregati, confirmationem suarum definitionum petierunt à Papa, tantum ex humanitate, vel ad firmandam arctiorem unionem, inter caput, & membra; nam fatentur Concilia, se eam approbationem petere, ut definitiones accipiant firmitatem. Sic Nicænum scribit ad S. Sylvestrum in *epist. qua habetur in fine Concilii. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur, vestri oris consortio confirmetur.* Chalcedonense Concilium *actione 3. in relatione s. Synodi ad B. Papam Leonem in fine ait: Omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum, quæ à nobis gesta sunt, firmitatem, & consonantiam.* Rursus C. Significasti de *electione.* ait Paschalis: *Cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesie auctoritatem, & facta sunt, & robur acciperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiuntur auctoritas &c.* Gelasius Papa C. *Consideramus.* 25. q. 1. ait de prima, hoc est, Romana Sede: *Qua & unamquamque synodus sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.* Plura adhuc, quæ hanc nostram sententiam, de primatu Summi Pontificis, etiam supra Concilia generalia, firmissimè roborant, afferemus infra à n. 403. & adhuc plura suppeditat Reverendissimus Mattheus Petricidier Abbas S. Petri Senonensis Ordinis S. Benedicti, natione Gallus in suo tractatu de *auctoritate, & infallibilitate Summorum Pontificum.*

330. Censetur autem Pontifex approbare, confirmare, vel ratas habere definitiones Conciliorum 1. si præsens sit, & consentiat. 2. si absente ipso, Legati ejus præsentés juxta specialem instructionem suam consentiant. At non censetur addere robur, si ipse, vel ejus Legati præsentés reclamant; vel si Legati contra instructionem specialem consentiant: & probabilis neque tunc, quando consentiunt, dum tantum habent instructionem generalem; non enim potest ipsis Pontifex delegare assistentiam Spiritus S. unde Suarez *disp. 5. de fide sec. 7. n. 11.* ait, probabilissimum quidem esse, DEUM non permisisse, ut tales Legati cum Concilio errent, tamen regulam credendorum esse non posse; eorumque infallibilitas eorum, saltem non sit certa:

ta: quin neque tunc censetur Pontifex approbare decreta Conciliorum, si negativè se habeat, hoc est, neque consentiat, neque reclamet.

Inconsequenter autem quidam dicunt, Pontificem, si solus dissentiret, contra omnes Patres Concilii, non impediturum infallibilitatem decretorum, vel definitionum; nam, si quis rationes hucusque allatas expendat: aut eæ etiam probant de solo Pontifice: aut nec probant de eo cum aliquibus Patribus sumpto. Nec dici potest, eum tunc tantum locuturum ut doctorem privatam; nam, quòd loquatur ex cathedra, non desinitur ex eo, an solus, an cum aliis loquatur: sed, an obliget universalem Ecclesiam ad credendum, an non: & qui aliter sentiunt, viam sternunt ad negandum seipsum, vel quòd Pontifex ex cathedra sit locutus, vel quòd ejus definitiones sint infallibiles.

ARTICULUS VI.

Solvuntur Objectiones.

331. **O**B. I. contra 1. conclusionem. Non potest constare, an Concilium universalis sit legitimum: ergo frustra ei DEUS contulisset infallibilitatem. prob. antec. non est legitimum, nisi Episcopi congregati sint fideles, & ritè ordinati &c. sed non potest constare de eorum fide, & ordinatione: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ma. Concilium non est legitimum, nisi reipsa omnes Episcopi tales sint. neg. ma. nisi saltem apparenter exterius tales sint (quod facile cognosci potest) con. ma. & sic distincta minore neg. conseq. Nam, vel DEUS etiam Episcopis apparenter talibus assistet: vel certè manifestabit defectum, ne Ecclesia tota inducatur in errorem. Pariter DEUS non permittet, ut Episcopi violenter cogantur, ad aliquid deidendum: vel etiam coactis assistet, ut nihil falsi decernant: vel manifestabit talem coactionem; hoc enim exigit ejus promissio de perpetua assistentia, & directione Spiritus Sancti.

332. Ob. 2. SS. Patres negant Concilii, etiam generalibus, infallibilitatem: ergo. prob. ant. S. Gregorius Nazianz. *epist. ad Procopium* ait: *Hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam; quoniam nullius Concilii finem latum, & faustum vidi.* S. Augustinus *l. 2. de baptis. contra Donat. c. 3.* ait, *Concilia plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat.* S. Isidorus, relatus à Gratiano *dist. 50. C. Domino Sancto.* ait: *Quotiescunque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilii magis teneatur sententia, cujus, aut antiquior, aut potior extat auctoritas:* ergo juxta hos SS. Patres Concilia, etiam generalia, non sunt infallibilia; aliàs enim non

essent fugienda, nec emendabilia, nec inter se contraria.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conseq. & explico SS. Patres. S. Gregorius Nazianzenus non loquitur de Conciliis generalibus, sed tantum de particularibus aliquorum Episcoporum, ex quibus multi favebant hæreticis. Neque tunc Sanctus hic Pater sperabat Concilium generale legitimum, à Pontifice confirmatum: quamquam post tale viderit, nec fugerit, sed interfuerit, & subscripserit Concilio generali II. Constantinopoli *anno 381.* celebrato.

S. Augustinus *eodem ipso libro* multum commendat auctoritatem Conciliorum generalium, *loc. cit. n. 323.* textu autem objecto probare vult, non esse irrefragabilem auctoritatem unius Episcopi, vel Conciliorum particularium: & argumentatur aliquo modo à majori ad minus: quasi diceret: statuta in conventu paucorum Episcoporum non sunt immutabilia; cum etiam aliqua statuta plenariorum Conciliorum, quandoque possint mutari, seu emendari: intellige autem, non statuta, vel decreta fidei, sed tantum aliqua, vel judicia circa facta aliqua nuda, seu informia, vel decreta morum, quæ pro temporum circumstantiis, & experimentis rerum, possunt aliquando prudenter mutari, ut factum est circa communionem sub utraque specie, respectu laicorum.

Et quamvis S. Augustinus ibi agat de questione fidei, scilicet, an hæretici sint rebaptizandi, non sequitur, quòd velit, etiam canones universalium Conciliorum, ad fidem spectantes, posse emendari; nam tantum in genere dicit, cum Concilia hæc emendari possint, etiam posse emendari sententiam Cypriani: quali diceret: si Concilia generalia, in quibusdam decretis morum, vel decisionibus facti non dogmatici, mutari, vel emendari possunt, quanto magis etiam in suis decretis potest emendari unus Episcopus Cyprianus? S. Isidorus eodem modo potest explicari, quamvis, eoque ejus casus sit tantum de aliqua poena, lapsis infligenda, non veniat ad rem; cum non sit questio fidei: & potest utique aliqua poena, licet prius fuerit in aliquo Concilio statuta, per aliud Concilium relaxari: & quoad talia, posterioribus temporibus, ad posterioris Concilii canones, ordinariè magis est attendendum.

333. Ob. 3. contra 2. conclus. *Act. 8. v. 14.* dicitur S. Petrus unam cum S. Joanne à Apostolis missus in Samariam: ergo etiam Petrus erat subjectus collegio Apostolorum, adeoque etiam ejus successores Concilii. Confirm. 1. In primo Concilio generali *Act. 15.* non fit mentio Petri, sed tantum Concilii; nam dicitur *v. 28. Visum est Spiritui Sancto, & nobis:* ergo non fuit suprema potestas in Petro, sed in Concilio. Confr. 2. Papa etiam est frater; nam & ipse debet nobiscum dicere: *Pater noster, qui es in celis. Matth. 6. v. 9.* & alios Episcopos solet vocare fratres: ergo etiam ipse

ipse errans, potest, & debet deferri ad Ecclesiam, juxta illud *Matth. 18. v. 17. Si non audierit eos, dic Ecclesie*: ergo etiam Ecclesia, seu Concilium, debet posse de Papa judicare.

Resp. neg. conseq. Spiritus S. missus est à Patre, & Filio, quin fuerit minor; fieri igitur potest missio etiam precando, suadendo &c. nec necessariò debet fieri per præceptum. Ad 1. confir. neg. ant. Cum Petrus esset caput Concilii, sufficienter fiebat ejus mentio, dum fiebat totius Concilii: sic sæpè fit mentio solius Ecclesie, quin excludatur Pontifex. Dein saltem *v. 7.* fit primo loco mentio doctorum S. Petri, & S. Jacobus ibi S. Petri verba approbat. Quòd autem non fuerit facta specialis ejus mentio, tanquam capitis, sicut non est argumentum pro nobis, ita nec est pro adversariis.

334. Ad 2. confirm. dist. ant. Papa est frater, si sit Pontifex illegitimus, vel dubius. con. ant. si sit Pontifex legitimus, indubitatus, & tantum aliquorum criminum reus. subdist. est frater, ita, ut simul sit pater, & caput fidelium, supremam habens autoritatem. conc. ant. est frater simplex tantum. neg. ant. & dist. conseq. potest deferri ad Ecclesiam, ea intentione, ut puniatur, deponatur, vel etiam ab Ecclesia abscindatur. neg. conseq. potest deferri, ut à Concilio deliberetur de aliis remediis adhibendis, v. g. ut admonetur, rogetur, vel, si Ecclesia infestus eiset, jure defensionis contra eum Ecclesia utatur. om. conseq. Inprimis in textu illo: *Dic Ecclesie*: per Ecclesiam S. Chryostomus, Theophilactus, Euthymius, & alii, intelligunt Ecclesiam particularem cum Episcopo, vel hunc solum: & certè communissimè accusatio fit apud Episcopum, atque sufficienter censetur quis delatus ad Ecclesiam, si deferatur ad Episcopum; quia iste eum potest excommunicare &c. Secundò, etsi daretur, quòd possit ex hoc textu desumi, Papam posse deferri ad generale Concilium, quando id ipse convocasset (aliter enim legitimum non esset) tamen non sequeretur, quòd Concilium posset habere in ipsum jurisdictionem.

Nec timendum est, ne Papa, si accusari non possit in Concilio generali, destruat Ecclesiam; quia quoad fidem, & morum præcepta, ut dictum est, errare non potest, saltem si sit in Concilio: si extra illud non esset infallibilis (quod tamen, ut mox dicemus, falsum est) neque posset obligare Ecclesiam, neque DEUS in casu erroris permetteret, ut tota Ecclesia eum sequeretur. Dein Ecclesie non deessent adhuc alia remedia, ad avertenda à se mala, per Pontificem imminencia: & sufficienter solæ preces, quæ fundi possent, & quibus moveretur DEUS, ad benignè respiciendam Ecclesiam suam, nec sinendum, ut fideles tentarentur supra id, quod possunt &c. Sicut autem tolerandum est aliquando, etiam in corpore materiali, membrum molestum, præsertim si inter præcipua sit, quando vitæ periculum non avertit: ita, & multò magis

tolerandum est in mystico corpore tale membrum, quando illud vim, & vigorem non habet à corpore, sed ab alio, ut Papa à Christo: cujus etiam propriissimè minister est, & non Ecclesie: quanquam aliquando etiam dicatur minister Ecclesie, quatenus in ejus bonum, à Christo est constitutus dispensator mysteriorum DEI: non autem quali ab Ecclesia potestatem accepit.

335. Ob. 4. Concilium Pisanum, Constantiense, & Basileense, deciderunt, Concilia generalia habere autoritatem supra Pontificem: ergo. ant. prob. Pisanum definivit, Concilium generale, universalem Ecclesiam representans, esse superius Papa, atque etiam de facto Benedictum, dictum XIII. & Gregorium XII. deposuit, ac Alexandrum V. creavit, qui postea decreta Concilii approbavit. Constantiense idem docuit, præsertim *sess. 5.* ubi ait hæc synodus: *Et primò declarat, quòd ipsa, in Spiritu Sancto legitime congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obviare tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesie, in capite, & membris.* Quod ipsum repetit, & confirmat Concilium Basileense *sess. 2.* Hanc objectionem egregiè tractat, atque refellit Leytam in *impenetrabili clipeo Pontificie dignitatis discept. 5. per totam, & iterum discept. 7. sec. 7.*

336. Resp. An Concilium Pisanum fuerit universale, an non, dubitant quidam, ut Leytam, ac Bellarminum *tom. 2. controu. 1. l. 1. de Eccles. & Concil. c. 8.* ac alii: certè Odoricus Reynaldus *ad annum 1409. n. 79.* ait, multos doctrinæ, & religionis conspicuos, de illius autoritate dubitasse: & ratio dubitandi est hæc. Si Concilium Pisanum fuisset indubitato legitimum, debuisset Joannes XXIII. successor Alexandri V. in eo Concilio electi, haberi pro indubitato Pontifice: & tamen Concilium Constantiense eum ut talem non agnovit; nam *sess. 14.* hujus Concilii etiam Gregorius XII. vocatur Pontifex: atque adeò à Concilio Pisano, non tam extinctum, quam auctum est schisma: nec post illud Ecclesia uni Papæ adhaesit: sed tribus diversis, etiam diversæ partes fidelium adhaeserunt.

Quodsi etiam omitteretur, Concilium Pisanum fuisse universale, nihil statuit, definiendo de legitimis indubitatis Pontificibus; sed tantum de dubiis, schisma foventibus, & ut ibi vocatur (prout videre est apud Binium *tom. 3. Concil. p. 2. in notis ad Concilium Pisanum. mibi fol. 1554.*) *hereticis.* Nec potest ostendi, quòd unquam definerit, Concilium esse supra Papam indubitatum. Et quanquam referantur ibi sententiae quædam Universitatum, Parisiensis, & Bononiensis, illæ tamen etiam (ut legentis eas apud Binium *tom. 3. Concilior. p. 2. in no-*

is ad Concil. Pisan. fol. mibi 1554. est manifestum) loquuntur de dubiis, & schismaticis Pontificibus. Quodsi etiam aliqua viderentur à Concilio illimitatè dici, tamen, quia Concilium ibi loquitur, in illis circumstantiis dubiorum existentium Pontificum, etiam de his ea dicta congruenter accipiuntur: præterquam quòd, ut jam diximus, non omnia, quæ in Conciliis referuntur, sint de fide. Videatur apud Binium *tom. 3. Concilior. p. 2. folio mibi 1553.* historia hujus Concilii.

337. Quod attinet ad Concilium Constantiense, istud explicari, & potest, & debet, de Concilio tempore schismatis, & dubiorum Pontificum, ut patet ex contextu: certè ibidem Joannes XXIII. *sess. 11.* à Procuratoribus Concilii accusatur, tanquam *notorius simoniacus, pertinax hereticus &c.* Dein *sess. 37.* idem Concilium in sententia contra alterum Papam, dictum Benedictum XIII. hunc condemnat, tanquam *schismaticum, & hereticum, ac à fide devium &c.* Quod ad Gregorium XII. attinet, qui sponte abdicavit, etsi non ita à Constantiensi culpetur, tamen à Pisano hereticus dicitur: certè Binus *tom. 3. Concil. p. 2. mibi folio 1554. in notis in Concilium Pisanum* scribit, Benedictum, & Gregorium, depositos fuisse ut hereticos, & schismaticos. Adde, si Concilium adstruere voluisset superioritatem Concilii supra Papam, etiam quando hic indubitato legitimus est, certè Martinus V. ejus definitionem non approbasset.

Unde, quæcunque dicuntur de potestate Concilii, immediatè à Christo accepta, de necessitate ipsi parendi, etiam personis dignitatis Papalis imposita, quoad ea, quæ spectant ad fidem, & reformationem Ecclesie, in capite, & membris, intelligenda tantum sunt de casu schismatis, & Pontificis dubii, aut notoriè heretici; tunc enim Concilium habet potestatem, ad providendum sibi de legitimo capite, & ad judicandam etiam fidem, vel declarandum errorem Pontificis notoriè heretici. Confirmantur dicta ex eo, quòd dicat Concilium, se representare universalem Ecclesiam; nam, dum existit legitimus Pontifex, Concilium solum non representat absque Papa totam Ecclesiam; utique enim legitimus Papa est membrum, & quidem præcipuum.

338. Dices 1. Concilium Constantiense determinavit multa ante electionem Martini V. circa doctrinam hereticam Joannis Husi, & Hieronymi Pragensis. Resp. Ea tunc primum infallibile robur acceperunt, postquam Martinus V. jam legitimus Pontifex illa approbavit. Dices 2. Etiam reliqua sunt ab eodem approbata. Respondeo. Severinus Binus in *titulo Concilii, & in notis*, atque cum eo alii, communiter asserunt, Concilium hoc tantum ex parte esse approbatum, scilicet quoad ea, quæ ad fidem pertinent contra Wicleffum, Hussium &c. reliqua verò de autoritate Concilii supra Pontificem nullo modo esse approbata à Martino V. præsertim, si explicentur de legitimo, & indubitato Pontifice; quomodo enim Mar-

tinus ea probasset, qui in sua Bulla, in eodem Concilio edita, statuit, suspectum de hæresi interrogandum esse: *Utrum credat, quòd Papa racionè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri, habens supremam autoritatem in Ecclesia DEI?* Quin potius ista superioritas Concilii supra Papam est reprobanda à Florentino, & Lateranensi. Cajetanus ait, decreta fidei Concilii Constantiensis esse propria ea, quæ definita sunt contra hereticos: & hæc sola approbata fuisse; nam *sess. 45. seu ultima* dicitur: *Sanctissimus Dominus noster Papa dixit, respondendo ad prædicta, quòd omnia, & singula, determinata, conclusa, & decreta, in materiis fidei, per præsens Concilium conciliariter, tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contrariè quoquo modo: ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Et quæso, quis unquam dixit, hereticum esse, negare autoritatem Concilii generalis supra legitimum Pontificem? & tamen hereticum foret, si sententia Concilii Constantiensis etiam ad casum legitimi Pontificis se extenderet, & in Concilio à Martino V. approbata fuisset?

Advertit etiam bene Raslerus *de regula externa fidei art. 15. n. 221.* notanda esse illa verba: *ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat* (Martinus V.) *& non aliter, nec alio modo*; nam ea verba *ad... reformationem... in capite, & membris*, non habentur in *sessione 4.* (etsi in Coloniensi editione Concilii Constantiensis per errorem etiam ibi ea verba ponantur) sed tantum in *sessione 5.* quæ conciliariter facta non fuit, ut docet Bellarminus *tom. 2. controu. 1. l. 2. de Conciliis c. 19.* imò probabilissimè illa *sessio 5.* nullius est autoritatis; tum quia nullus, nec dubius Pontifex ei aderat (Joanes enim jam recesserat, & Martinus nondum electus erat) tum quia necdum aderant ii, qui hucusque secuti erant Gregorium, & Benedictum: imò Concilio repugnabant: adeoque tertia tantum pars Ecclesie præsens erat: tum quia res non erant actæ, more in Conciliis consueto, seu verè conciliariter, scilicet adhibendo solitum examen, diligentiam &c. quæ, licet juxta quorundam sententiam non sint absolutè necessaria ad aliquid determinandum à Concilio cum Papa, vel à solo Papa, tamen necessaria sunt, ut acta in Concilio dici possint *conciliariter facta*: adeoque decretum, de potestate Concilii supra Pontificem, à Martino V. nunquam approbatum fuit; nam contra aliter, quam conciliariter facta, protestatus est Martinus, ut patet ex verbis *conciliariter facta... & non aliter*

339. Accedit, quòd nunquam Ecclesia judicaverit, à Constantiensi Synodo decisum, quòd Concilium sit supra legitimum Pontificem; alias non potuisset de eo iterum deliberari, vel id in quæstione vocari; & tamen de hoc, saltem aliquo modo, actum rursus fuisse in Tridentino, negari non potest; nam heretici eam quæstionem de-

finiri volebant, non sincera intentione, ut patet veritas, sed ut turbas eierent. Et quamvis decemum nil fuerit, tamen, teste Pallavicino: *in historia Tridentini l. 21. c. 4. n. 5.* Patres, tum Hispani, tum Itali, in eo conspirarunt, ut definiretur, Papam esse supra Concilium, qui Gallis, & paucis aliis aliarum nationum Episcopis, multo plures erant.

Adde, quod post Concilium Constantiense usque nunc, incomparabiliter major pars doctorum senserint, Pontificem legitimum esse supra Concilium: qui utique non docuerint hæresin, qualis esset opinio contraria definitioni Concilii, à Pontifice approbata. Adde, quod, ut jam dictum *cum preced.* in Constitutione Martini V. in eodem Concilio edita, contra Hussium, & Wicleffum, ponantur interrogationes, proponenda suspectis de hæresi, & inter has etiam ista: *Utrum credat, quod Papa... sit successor Beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia DEI?* quam auctoritatem certè juxta aduersarios Papa non haberet, sed Concilium.

Quod attinet ad Concilium Basileense, ejus auctoritas minima est; nam etiam legitime fuerit indictum, tamen ab indubitati Pontificis Eugenii IV. obedientia recessit, & Antipapam Felicem V. creavit: nec Nicolaus Eugenii successor ullatenus decreta ejus approbavit, nisi quoad quasdam dispositiones circa beneficia Ecclesiastica. Econtra ipsum Concilium Basileense est reprobatum à Concilio Lateranensi *sub Leone X. sess. 11. in Bulla: Pastor aternus gregem suum: qua abrogat Gallicam Pragmaticam:* & quidem est reprobatum, tanquam *Conciliabulum*, quod *Concilium amplius appellari non merebatur*, & cujus *facta nullum robur habere potuerint.* Et hinc hujus Concilii auctoritas communissimè deseruit.

340. Ob. 5. *Matth. 18. v. 20.* ait Christus: *Ubi enim sunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum:* ergo multo magis, ubi Episcopi pluri sunt congregati in Concilio universalis, etiam absque consensu Papæ, Christus adest, & assistendo eorum decreta infallibilizat. *Confr. Act. 20. v. 28.* dicit S. Paulus omnibus Episcopis: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI:* ergo etiam reliqui Episcopi regunt Ecclesiam DEI universam, & maxime in Concilio. Resp. neg. conseq. Argumentum manifestè probat nimum; nam, si ea verba Christi ad mentem aduersariorum accipienda essent, quodlibet collegium Christianorum in causa fidei, vel virtutis, ad Christi honorem congregatum, esset infallibile, & multo magis quodlibet Concilium diocesanicum, aut provinciale: quod est certissimò falsum; cum plura manifestè erraverint.

Locus ille potius intelligendus est de simul orantibus, quibus Christus ibi promittit, se adfuturum; ut impetrent. Si applicare eum velis ad Concilium sine Ponti-

fice, nego, Christum de eo casu loqui: si de Concilio cum Pontifice, omitto, posse dici, Christum adfuturum, ne caput cum membris erret. Adconfr. dist. conseq. ergo reliqui etiam Episcopi regunt Ecclesiam DEI partialiter, hoc est, quilibet suam diæcesin. conc. conseq. regunt totaliter sine Pontifice, quando talis legitimus adest. neg. conseq. Ex hoc autem non sequitur, quod eorum decreta, absque approbatione Pontificis, sint infallibilia; sed tantum, quod tunc sint talia, quando in Concilio cum Pontifice conveniunt, & simul cum ipso aliquid decernunt; tunc enim collectivè regunt Ecclesiam universam.

341. Ob. 6. Sacri Canonis ipsi nostræ conclusioni aduersantur: ergo. prob. ant. *C. Consiidimus. 25. q. 1.* dicitur: *Uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque synodum sua auctoritate confirmat, & continuat moderatione custodit.* & *ibidem C. Contra.* ait Pontifex: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas:* ergo &c. *Resp. 1.* Hic clarè assertur superioritas Romani Pontificis supra Concilia, dum dicitur: *Unamquamque synodum sua auctoritate confirmat:* quod est superioris. *Resp. 2.* neg. ant. ad prob. neg. conseq. Ibi imprimis expressè sermo tantum est de constitutis à Pontifice approbatis; nam, ut jam notatum est, expressè dicitur, primam sedem synodos confirmare.

Dein, si sunt constituta, seu statuta, aut decreta fidei, non possunt mutari, ut est in confesso: si sunt decreta morum, & tangunt jus naturale, aut Divinum; nec ista possunt mutari; quia non potest Pontifex mutare jus Divinum, aut naturale: si autem tantum tangunt jus humanum; non potest Pontifex ea mutare passim, temerè, & absque legitima causa; nam, licet Jus Canonicum Papam, utpote legislatorem, & supremum principem, non obliget vi coactiva, tamen, vel eum obligat vi directiva, ut docet S. Thomas *1. 2. q. 96. a. 5. ad 3.* vel, si eum non obligat Jus Canonicum immediate vi sua, tamen eum ratione Juris Canonici, & ad huic se conformandum, obligat honestas, seu convenientia naturalis, vi cujus etiam Papa tenetur, se conformare aliis, & subditis exemplo præire, ut isti legem facilius observent, prout docent alii cum Layman *l. 1. tract. 4. c. 9. n. 3.* Potest tamen Papa in Jure Canonico mutare aliquid, si id expedire judicaverit, ut docet Angelicus *loco modo citato.* Eadem responsio servit ad alterum textum *ex C. Contra.* objectum.

342. Ob. 7. *C. Sicut Sancti. dist. 15.* ait S. Gregorius de statutis in generalibus Conciliis: *Se, & non illa, destruit, quisquis præsumit, aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt:* ergo nec Papa potest solvere statuta Conciliorum. *Confr. 1. C.*

1. C. Nemo. 9. q. 3. & C. Si Papa. dist. 40. dicitur, quod etiam Pontifex potest accufari coram Ecclesia, si peccet, & contumax sit: ergo Ecclesia est ejus superior. *Confr. 2.* In Constantinopolitana Synodo IV. (quæ fuit Oecumenica VIII. & habetur apud *Binium tom. 3. Concil. p. 2. fol. mibi 880.*) *actio. 10. can. 13. fol. 897.* dicitur, si synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de S. Romanorum Ecclesia quadam ambiguitas, & controversia, oportere venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de proposita questione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere: non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Romæ Pontifices: ergo.

Resp. dist. conseq. Nec Papa potest solvere statuta Conciliorum passim, & temerè, & ita, ut hoc licitè faciat. conc. conseq. non potest, quando id expedit ob certas causas. neg. conseq. Textus ille prorsus non probat intentum aduersariorum. S. Gregorius ibi loquitur de personis, aut à Concilio communicatis ob hæreses, vel approbatis ob eorum fidem: de quibus utique nec Pontifex aliter potest judicare; nam alias, vel approbaret hæreses, vel condemnaret rectam fidem. Potest tamen Pontifex damnatos in Concilio absolvere, si penitentiam convenientem egerint, ut nemo negabit.

Ad 1. confirm. neg. antec. *C. Nemo.* expressè sic habet: *Nemo judicabit primam sedem &c.* Quod autem glossa *in hoc caput:* *Nemo.* dicat, eum posse accusari, idque se probasse *C. Si Papa. dist. 40.* non refert; quia glossæ auctoritas minimè prævalet maxima nostræ auctoritati: nec ratio ulla sufficiens adducitur. Ipsum autem *C. Si Papa.* tantum dicit, Papam, si negligens fuerit, alios secum in infernum trahere, neminem tamen mortalium præsumere, eum arguere, nisi sit à fide devius. Ad 2. confirm. Canon ille apud *Binium* sic legitur. *Signum verò Oecumenicæ synodus collectæ, de Romana Ecclesia controversia quapiam querat, licebit eum verecundia de proposita questione religiosè percontari, responsumque admittere, & (sive nocens sit, sive innocens) nequaquam impudenter sententiam in Pontifices Romanos pronuntiare:* ubi nota, quod in fragmentis Concilii apud eundem *Binium fol. 857.* sit hic *Canon. 21.* In forma. neg. conf. Sciscitari quando licet de Romana Ecclesia, in certis casibus etiam juxta nos, imò Pontificem rogare, & monere: judicium ferre non licet: quod etiam aperte ex canone isto colligitur.

ARTICULUS VII.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

343. Ob. 8. *C. Ecce. dist. 99.* S. Gregorius verat, se dici *Universalem Papam:* ergo Papa non est caput universalis Ecclesie. *Confr. C. Prima sedis* (quod desumptum est ex Concilio

Africano) *eadem dist.* dicitur: *Prima sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotium, vel summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi:* ergo. *Resp.* Papam esse caput Ecclesie &c. est clarè definitum in Florentino, citato *n. 327.* in forma. neg. conseq. *Universalis Papa* potest accipi in duplici sensu: primò, ut significet, Papam esse ita universalem Episcopum, ut ipse tanquam proprius Episcopus præsideat etiam cuique particulari Ecclesie, ita, ut alii sint tantum quasi ejus vicarii, seu suffraganei. Secundò, ut tantum significet, universalem Ecclesiam, seu omnes etiam Ecclesias particulares, esse ei subiectas.

In primo sensu Papa non est universalis Episcopus, & in hoc sensu nomenclationem illam accepit S. Gregorius, ut patet vel ex eo; quod Eulogio Patriarchæ Alexandrino, qui hunc titulum S. Gregorio inscripserat, hic Sanctus rescribat: *Si enim universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat, se hoc esse, quod me fateatur universum:* hoc est, negat, se esse Episcopum: adeoque vult dicere, quod, si ipse vocetur Universalis Papa, alii Episcopi non amplius futuri sint Episcopi. In secundo sensu etiam S. Gregorius non negavit, se talem esse; imò auctoritatem istam in omnes Ecclesias strenuè defendit: & in hoc sensu etiam Chalcedonensis Synodus S. Leonem vocavit universalem Patriarcham: quo nomine etiam Hormisda à multis est appellatus. videatur glossa *in hoc cap.*

Ad confirm. neg. conseq. Non agitur ibi de Romano Pontifice, sed de Episcopis Primatibus, seu Patriarchis, certorum regionum, ut habet glossa: & videtur vel ex eo patere, quod illud Concilium tantum statuta ediderit pro sua provincia, & circa suum Primatem, non autem circa alium. Adde, quod, etsi tunc etiam Romanus Pontifex non sit visus appellandus universalis, propter speciales rationes, & fortè propter acceptionem illius vocis, in significatione supra adducta, ob quam noluit eam adhiberi S. Gregorius, tamen ne utique propterea negatur Pontificis suprema auctoritas: neque inconvenienter, mutatis jam circumstantiis, is titulus ei tribuitur.

344. Ob. 9. *C. Legimus. dist. 93.* ex S. Hieronymo. *ep. 85.* dicitur: *Si auctoritas quaritur, orbis major est urbe:* ex quo infert S. Pater, non peculiarem Romæ, sed orbis, seu totius Ecclesie consuetudinem esse servandam: ergo. *Confirm.* Idem Sanctus *ibidem* dicit, Episcopos omnes esse æquales: ergo, si alii subsunt Concilio, etiam eidem subsent Romanus Episcopus. *Resp.* neg. conseq. S. Hieronymus ibi agit de quibusdam Diaconis Romanis, qui, eoquod essent ditiores quibusdam presbyteris, eis se præferebant: & hanc eorum consuetudinem, ne utique à Concilio, vel Pontifice approbatam, aut definitam, quanquam Romæ toleratam, reprehendit: quod non venit ad rem. Ad confirm. dist. ant. ait, Episcopos esse æquales quoad ordinem, & characterem. conc. artic. quoad jurisdictionem. neg. antec. & conseq. lic

sic enim ait: *Ubiunque fuerit Episcopus, sive Roma, sive Eugubii ejusdem meriti, ejusdem est sacerdotii.*

345. Ob. 10. In Concilio Pisano, centum, & tres Theologi, censuerunt, Papam subesse Concilio, idemque censuerunt Academia, Parisiensis, & alia per Galliam, itemque Bononiensis, ac Florentina, quin etiam alia. Idem tenuere Patres Concilii Constantiensis, & Basileensis. Idem teste Ferrerio apud Pallavicinum in *histor. Trident. l. 19. c. 14. n. 4.* tanquam articulum necessarium tenuit tota Gallia: & hunc sensum Gallia esse, videtur posse colligi ex propositione secunda Conventus Parisiensis anno 1682. qua dicitur, *sic autem inesse Apostolica sedi, ac Petri successoribus, Christi Vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sancta Oecumenica synodi Constantiensis à sede Apostolica comprobata, ipsaque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesie usque confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta, de auctoritate Conciliorum generalium, qua sessione quarta, & quinta continentur: nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubia sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus, Concilii dicta detorqueant:* atqui tanta auctoritas utique sententiam adversam satis roborat: ergo.

Resp. neg. ma. & mi. Inprimis Universitates tempore Concilii Pisani loquuntur tantum, de Pontificibus dubiis, ut ex Academicarum illarum rescriptis ostendit Leytam in *clypeo Pont. dignit. discept. 5. sect. 1. & sect. 5. n. 44.* In Constantiensi Concilio, etsi sententia Theologorum fuerint distracta, tamen, ut idem auctor *cit. sect. 5.* ostendit, potissima pars tantum loquebatur de casu schismatis. Patres, ac Theologi Basileenses, ut plurimum sententiam revocarunt, ac cum Eugenio redierunt in gratiam.

Quod attinet ad Gallia Doctores, iis, si nobis contrarii sint, opponere licet reliquas nationes Catholicas, oppositum communissimè sentientes. Sed fortè non ita communiter sunt contrarii, ut quibusdam videtur: sanè eos aliquando aliter sensitse, constat ex legatione ad Eugenium IV. Florentia tunc degentem, à Carolo Francia rege missa, in qua Meldensis Episcopus, regis, ac regni nomine, detestatus est acta Basileensium: & professus est (ut habet Odoricus Raynaldus ad an. 1441. n. 8.) *Eugenium verè esse summum DEI Vicarium, eademque potestate, quam Petrus ab ipso Christo accepit, polleere: nec non Monarchiam Pontificiam à Christo esse constitutam.* Idem Rex (ut idem Odoricus ibidem paulò superius testatur) agnovit, Basilea impetu, & seditione rem gestam, ac pestilentem doctrinam, adulterantem Evangelium, & Pontificiam potestatem, non in uno, summoque prasule, sed in multitudine collocantem, ac Monarchiam, institutam à Christo, in Aristocrati-

am, vel Democratiam redigentem, suis se inductam.

Verba Legati ad Eugenium n. 9. sunt ista: *Tuum principatum Monarchicum esse à DEO, nedium secundum communem universi providentiam, sed etiam speciali institutione, inter opera restorationis mundi, à Christo institutum, teque vera, legitimaque successione, illum possidere, palam recognoscimus, & confitemur.* & postea n. 10. *Ad has extremitates evellendas (id est ad tollenda duo officicula) non sufficit auctoritas Papae generalis Concilio, nempe quoad ad effectum exoptatum, quamvis valeat quoad potestatem; unde distinguendum est hic de duplici potestate, tam in summo Pontifice, quam in ceteris Pralatis: Una siquidem auctoritas est commissæ potestatis; & illa in omnibus summis Pontificibus semper est aequalis: quod datum est Petro in potestate, datum est etiam omnibus successoribus. Alia est potestas bona estimationis, seu reputationis: & hac venit ex virtutibus, & operibus virtutis: quare non semper est aequalis in summis Pontificibus: sicut patet de Gregorio Magno, & B. Leone; qui fuerunt maxima auctoritatis, & reputationis: sicut id, quod fit per Papam in generali Concilio: & isto modo Concilia generalia dicuntur summa auctoritatis, quantum ad auctoritatem, qua venit ex reputatione, vel estimatione. & n. 11. Subditum est nedium periculum, sed & precipitum aeterna damnationis, recedere à summo Pontifice, ex quacunque occasione, nisi propter manifestam haeresim, videatur ipse Odoricus Raynaldus ad an. 1441. n. 8.*

346. Quod attinet ad propositionem illam Conventus Parisiensis, ajunt, eam immerito publicatam fuisse sub titulo Cleri Gallicani, & ad summum Episcopos ibi collectos eam declarationem emisisse, aliis non mandantibus, nec sua sponte probaturis: & contrariam mentem, frequentibus, ac liberioribus comitiis aliis, eundem Clerum aperuisse. Equidem dicunt illi Episcopi, se esse Ecclesiam Gallicanam representantes: sed videntur, hoc sine sufficienti jure, aut ratione sibi tribuere: certè quadraginta Episcopi, Parisiis convenientes an. 1714. (qui Conventus, ut habetur in *instructione pastoralis ibi facta* fuit unus ex numerosioribus conventibus in Gallia celebratis) non ausi sunt dicere, se representare Ecclesiam Gallicanam: & in *litteris suis encyclicis* ajunt, se bene scire, quod non possint alii Episcopi obligationem aliquam imponere. Quare neque id potuerit Conventus an. 1682. celebratus. vide etiam infra n. 372.

Jam ad minorem: hæc meritò negatur, cum incomparabiliter major sit numerus Theologorum, qui oppositum, seu nostram sententiam tenent, & inter eos non paucissimi etiam sanctitate celebres, ut videtur est apud Bellarminum *tom. 2. controvers. 1. l. 2. de Conciliis. c. 14.* & P. Thyrsium *1. p. advers. Machumet. l. 3. c. 6. n. 178.* & seq. ac alios, partemque etiam ex dictis n. 338. partem-

partibus Patrum ex decem Concilii Tridentini: certè Raslerus de *regul. exter. fidei. art. 15. n. 230.* ait, nihil adhuc verè probabilitatis in contraria sententia apparere.

347. Ob. 11. Sententiam adversam etiam tenuerunt Petrus Alliaccensis Cardinalis, Nicolaus Cusanus, Cardinalis Florentinus, Franciscus Zabarella, Abbas Panormitanus, seu Nicolaus Tudechus, Abulensis, Almainus, Major, Adrianius, & Aeneas Sylvius, postea Pius II. imò etiam S. Antoninus 3. p. tit. 23. c. 2. §. 6. Joannes Gerson autem vir doctissimus, & Parisiensis Cancellarius, in Concilio Constantiensi publicè perorando ad Patres dixit, quòd, qui in opposita (hoc est, nostra) sententia sit, cadat in hæresim jam damnatam, quamque nullus unquam Theologus, maxime Parisiensis, & sanctus asseruerit: ergo. Resp. Etiam hos auctores explicandos esse de casu dubii Pontificis. Si autem de eo casu explicari non possent, possent ipsis opponi alii æquè graves, imò graviores, & incomparabiliter plures auctores.

Dein Aeneas Sylvius revocavit sententiam suam diu, antequam Pontifex renunciaretur. S. Antoninus autem *loc. cit.* tantum dicit, Pontificem non posse in materia fidei definire contrarium ei, quod jam à Concilio generali, à Pontifice confirmato, fuit definitum: de cetero *ead. cap. & pluribus locis hoc titulo* haud dubie nostram sententiam amplectitur. Si Gerson id dictum protulit, nec verè, nec erudite dixit; namque inprimis quis dicat, nostram sententiam esse hæreticam, quam tot Sancti Patres, & doctores maxime Catholici, defendunt: inter quos, & Divus Thomas, & D. Bonaventura, tum Sancti, tum Theologiae doctores, & quidem Parisienses fuere.

Certè S. Thomas. 2. 2. q. 1. a. 10. in *corp.* ait de Summo Pontifice: *Ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; cum ipse præsit toti Ecclesie.* *Questione autem 10. de potentia a. 4. ad 13.* de Romano Pontifice ait: *Cujus auctoritate sola synodus congregari potest, & à quo sententia synodi confirmatur, & ad ipsum à synodo appellatur. Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis synodi.* S. Bonaventura autem in 4. dist. 19. *dubio. 6. ante art. 1.* ait: *Quoviam Dominus Papa non est subjectus constitutionibus Patrum, sed superior omnes est: ideo potest in eis dispensare &c.*

348. Ob. 12. Solus Pontifex non est Ecclesia, sed tantum pars Ecclesie: Concilium verò est Ecclesia: atqui Ecclesie toti, & non parti, est promissa infallibilis assistentia Spiritus S. ergo. Confirm. Imprudenter adhereret uni præ cunctis aliis: ergo. Resp. dist. 1. p. ma. Pontifex est pars Ecclesie tantum qualiscunque. neg. ma. est pars præcipua. conc. ma. dist. etiam 2. p. ma. Concilium, ut distinctum, aut separatum à Pontifice, quando hic indubitatus existit, est Ecclesia. neg. ma. Concilium ut conjunctum suo capiti, seu unà cum

Pontifice. conc. ma. dist. etiam mi. promissa est infallibilitas Ecclesie, ut distinctæ à Pontifice. neg. mi. ut conjunctæ. om. mi. & neg. conseq. Concilium sine capite, quando hoc indubitatum existit, non representat perfectè Ecclesiam; quia non representat, nisi corpus sine capite mutilum; unde saltem Concilium sine Pontifice nihil potest definire infallibiliter.

Quod spectat ad alteram partem minoris: an scilicet ipsi Pontifici, utpote capiti, seu parti, etiam soli, & extra Concilium, sit promissa infallibilitas, videbimus infra. Ad confirm. dist. antec. imprudenter adhereret uni præ reliquis, nisi uni præ reliquis Spiritus S. assistat. conc. ant. si Spiritus S. uni præ reliquis assistat. neg. ant. & conseq. si autem Pontifex solus, aut extra Concilium, non esset infallibilis, tunc neutrius decisioni fide Divina adherere possemus, donec conveniret. Sed de hoc inferius.

349. Ob. 13. Pontifex habet auctoritatem, & infallibilitatem ab Ecclesia: ergo hæc etiam habet ipsa. prob. auctoritas, & infallibilitas est indefectibilis: Pontifices sunt defectibiles; quia sæpe moriuntur: ergo infallibilitas debet esse, in, & ab Ecclesia: Resp. neg. ant. Ecclesia, seu electores Pontificis Cardinales, tantum determinant personam, auctoritate Pontificia vestientem, sicut patronus secularis presentat Clericum ad beneficium: Christus autem illi confert immediatè auctoritatem Papalem, & assistentiam Spiritus S. sicut Episcopus confert presentato beneficium; nec enim Pontifex est Vicarius Ecclesie, sed Christi: & quidem proximus, ac immediatus. ad prob. dist. ma. est indefectibilis infallibilitas formaliter sumpta, pro omni omnino tempore. neg. ma. infallibilitas radicaliter sumpta. conc. maj. & omiff. mi. neg. conseq. Explico distinctionem. Assistentia Spiritus Sancti formaliter semper adest, ad definendum verum, pro omni eo tempore, pro quo datur certus Papa: pro illo autem tempore, quando nullus Papa datur, vel tantum dubius, adest infallibilitas radicaliter; quia, licet tunc nihil de fide possit decidi, potest tamen statim eligi novus Papa certus, cui iterum Spiritus S. assistet.

350. Ob. 14. Episcopi omnes in Concilio sunt iudices: sed, si ipsi sine Pontifice non essent infallibiles, non essent iudices, sed tantum consilarii: ergo. Confirm. Juxta nos gratis convocarentur Concilia; cum omnia solus Pontifex posset decidere: hoc est contrarium opinioni totius Ecclesie: ergo. Resp. conc. maj. neg. mi. alia, quia quilibet Episcopus in Concilio, seorsim sumptus, non habet infallibilitatem (ut etiam adversarii debent fateri) quivis tantum esse omnium consiliarius. Quare Episcopi verè judicant, de rebus fidei; utique enim alia sunt in Concilio partes Episcoporum, alia tantum Theologorum, qui plures solent Conciliis adeste, sed duntaxat ut consilarii: Episcopi autem ut iudices: & quidem sunt tales, auctoritate accepta à Christo,

sto, vel immediatè, vel mediatè (seu per Pontificem) sed eorum iudicium seorsim à Pontifice, vel, si huius iudicio sit contrarium, est fallibile.

Ad confirm. neg. ma. Inprimis necdum diximus, Pontificem etiam extra Concilium esse infallibilem: sed de hoc primum inferius agemus. Verùm etiam hoc supposito, generalia Concilia prudenter convocantur, maxime, quamdiu etiam quidam Catholici audent, sententiam nostram in dubium vocare. Inprimis enim Concilium generale utile, quin imò necessarium est. in casu schismatis, & plurium dubiorum Pontificum, ut aliquis certus, & legitimus habeatur. 2. Etiam, quando existit certus, & legitimus Papa, tamen servit Concilium, ut efficacius convincantur hæretici, & alii, qui infallibilitatem soli Pontifici collatam esse non credunt. 3. Servit Concilium (ut ait Gallicus ad Eugenium IV. Orator, citatus n. 345.) non quidem ad auctoritatem potestatis, sed tamen ad auctoritatem reputationis, hoc est, ut definitiones, vel leges, apud communiter Christiani populi (cujus apprehensionem valde ferit nomen generalis Concilii) majorem aliquantulum reverentiam, & æstimationem; nanciantur.

Servit 4. Concilium, ut convenientibus ex omni orbe Episcopis, communi consensu, definitiones, & leges suavius condantur, & sic decreta, præsertim, quæ mores concernunt, lubentius admittantur. 5. ut magis confidet de communi consensu, & conspiratione unanimi, quæ etiam corda valde solet movere, ad facilius acceptandas leges. 6. ut facilius, & explicatius innoventur canones fidei; quia quandoque, quæ à solis Pontificibus decreta sunt, omnino non, vel non nisi tardissimè promulgantur, & negligentia præteritur ignorantia. 7. Tandem etiam servit Concilium, ut decreta morum certius, & efficacius, executioni mandentur; quæ enim communi consensu Episcoporum, quæ omnibus nationibus congregatorum, statuuntur, eorum observationi diligentius invigilatur: nec possunt subditi facile excipere, vel querelas excitare, contra huiusmodi statuta, quæ non unius, sed omnium communi calculo sunt facta; nam pudet omnes accusare. videri etiam potest Suarez de fide disp. 11. ante sec. n. 2.

351. Ob. 15. Melius est Ecclesiæ, ut Papa subsit Concilio: ergo Christus id voluit. conseq. non videtur neganda. ant. prob. si Papa Ecclesiæ subsit, habet majorem stimulum, ac necessitatè bene se gerendi: ergo. Confir. Juxta nos Ecclesia non habet medium, indemnem se à Papa servandi: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. om. ant. neg. conseq. quia licet forent aliqua commoda in ea subiectione Pontificis, tamen majora essent incommoda: certè essent pericula frequentissima schismatum, dum Cardinales, vel Episcopi, frequenter, vel ex instinctu principum secularium, vel ex nationali spiritu, vel alia de causa, Concilia

de eo deponendo susciperent: Pontifices etiam ex metu istorum malorum non audent, urgere fortiter reformationem morum: decreta Papæ parvi haberentur, & sapientimè ab eo ad Concilium generale appellaretur.

Ad confirm. jam est responsum à n. 334. Dein quis coerceret juxta adversarios Concilium generale, si malè se gereret? ergo nec Christus hoc pro ultimis definitionibus summæ auctoritate donasset, & unum subditi deberet alteri: hac autem ratione quid tandem foret certi in Ecclesia DEI? Ex quibus omnibus patet, quàm meritò damnata sit ab Alexandro VIII. inter 31. propositiones hæc 29. *Futilis, & vana conclusio est assertio, de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate.*

ARTICULUS VIII.

An etiam Definitio Summi Pontificis extra Concilium infallibiliter applicet Verbum DEI.

352. Dico. Romanus Pontifex extra Concilium, aliquid ex cathedra definiens, est infallibilis, atque ad eum ejus definitio, etiam extra Concilium, infallibiliter applicat verbum DEI. ita teste Bellarmino rom. 1. contro. 3. de Romano Pontifice l. 4. c. 2. communissima omnium ferè Catholicorum sententia: quam, teste Duvallio Doctore Sorbonico, totus orbis, exceptis pauculis doctoribus, amplectitur. Et videri potest apud P. N. Thyrsium in *manuductione Machometanorum*, quomodo omnes nationes, etiam Gallia paulò antiquior, item omnes sacræ Religionis, in eam consentiant, oppositamque censuris gravibus (à quibus omnino abstinere) configant: ipse autem P. Thyrsius hanc nostram sententiam saltem omnino certam esse asserit.

Loquitur autem Pontifex ex cathedra, ut ait Suarez de fide disp. 5. sect. 8. n. 4. quando aliquid authenticè universæ Ecclesiæ proponit, atque ad ita sentiendum, credendum, vel agendum obligat. Quando verò tantum aliquid asserit, vel etiam editis libris docet, non tamen ea intentione, ut obligare velit fideles, dicitur loqui ut homo, vel doctor privatus: & sic utique loquitur S. Gregorius in suis homiliis, vel aliis libris: item Innocentius III. Adrianus VI. in suis Theologicis, vel Canonificis lucubrationibus, quibus nemo infallibilem auctoritatem attribuit.

Prob. conclusio. 1. omnibus illis Sacræ Scripturæ locis, quibus n. 326. & seq. probavimus Pontificis infallibilitatem. Nee bavimus Pontificis infallibilitatem. Nee dicas, iis tantum probari, Papam intra Concilium infallibilem esse; nam contra est. Vel vis, Pontificem tunc tantum infallibilem esse, si reliqui in Concilio ei consentiant,

ant: vel vis, eum etiam infallibilem esse, et si reliqui dissentiant. Si primum: non magis infallibilis Summus Pontifex erit, quam Episcopus quivis (nam, si huius definitioni Concilium totum consentiat, certè non fallitur) hoc autem dici nullatenus potest. Si secundum: gratis certè Concilii præsentia requiritur, si non requiritur ejus consensus.

353. Prob. 2. ex Conciliis. Chalcedonense Concilium (ut refert D. Thomas, in opusculo contra errores Græcorum. titulo: *Quod in eadem potestate &c.*) definit: *Omnia ab eo Romano Pontifice definita teneantur, tanquam à Vicario Apostolici throni.* In eodem Concilio Chalcedonensi actio. 2. cum esset lecta epistola S. Leonis, Patres clamârunt: *Has Patrum fides, hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus: orthodoxi ita credimus: anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem ita locutus est.* Similia habentur in Concilio Oecumenico VI. seu Constantinopolitano III. *actio* 8. ubi dicitur, *recipi suggestiones directas ab Agathone sanctissimo Papa... Archiepiscopo Apostolica, & principalis sedis antiquæ Romæ... tanquam ex Spiritu S. dictatas, per os Sancti, ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri. & actio. 18. in sermone acclamatorio &c. ante edictum Constantini; dicunt Patres: Charitas, & sacramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.*

Rurfus idem Concilium Constantinopolitanum in sua epistola ad Agathonem sic ait: *Tibi, ut prima sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, permittimus, stanti super firmam fidei petram: & de literis Agathonis mox ait: Quas, ut à summo Apostolorum vertice divinitus scriptas, agnoscamus, & infra: Orthodoxa autem fidei splendidiâ lucem vobiscum clarè predicavimus: quam etiam, ut per honorabilia vestra scripta confirmetis, vestram oramus Paternam Sanctitatem.* Lugdunense II. (quod est Oecumenicum 14. tum) in sua *Decretali* apud Birium tom. 3. concil. p. 2. folio mihi 1497. ita habet: *Hoc professus est hætenus, predicavit, & docuit, sacrosancta Romana Ecclesiæ, mater omnium fidèlium, & magistra.* Tandem huc etiam facit Concilium Florentinum, citatum n. 327. ubi Romanus Pontifex absolute dicitur *Christianorum Pater, & Doctor, & plena potestate præditus: & additur ibidem, hoc in gestis oecumenicis Conciliorum contineri.*

Addi hæc possunt sacri canones plures. C. *Memor sum.* 24. q. 1. C. *Hæc est fides.* ibidem. (quod est desumptum ex S. Hieronymo) C. *Quoties ibidem.* & alii canones plures eadem causa, & questione, ex SS. Patribus, itemque ex Conciliis desumpti: ne scilicet dicatur, solos Pontifices in proprium favorem eos canones condidisse: quod tamen etiam non obest; nam et si soli Pontifices eos canones condidissent; quia tamen, & martyres, & sancti, plures fuere, tamque multi, tamque diversis temporibus, extiterent, non cadit in eos prudens suspicio ambitio-

nis. Dein in causa totius Ecclesiæ, qualis hæc est, summus princeps, qui superiore non habet, litem suam jure omni decedit.

354. Prob. 3. conclusio ex SS. Patribus; quos tamen omnes referre, esset nimis diffundi; unde paucos ex multis dabimus. Tertullianus de *præscript. adversus hæreticos.* c. 36. de Romana Sede scribit: *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesiæ, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* S. Irenæus l. 3. *adversus hæreses* postquam c. 2. statuisse, controversias fidei ex solis Scripturis determinari non posse, c. 3. ait, debere finiri iudicio Ecclesiæ Romanæ: additque: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentioris principatitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles: in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis tradita.*

S. Cyrillus Alexandrin. apud S. Thomam opusculo. 1. de erroribus Græcor. c. 32. §. *Quod idem Papa habet in Ecclesiæ potestatis plenitudinem.* ait: *Sicut Christus accepit a Patre... super omne, quocumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem: sic & Petro, & ejus successoribus, plenissimam commisit.* S. Hieronymus epist. 57. ad Damasum Papam scribit: *Obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi salutem, per Homousion Trinitatem, ut mihi epistola tua, sive tacendarum, sive dicendarum Hypostasion, detur auctoritas: & prius ead. epistola: Beatitudini tue, id est, cathedra Petri, communionem confocior: super illam petram edificatam Ecclesiam scio &c.*

S. Augustinus l. 2. contra 2. epistolas Pelagianorum c. 3. ait de literis Innocentii Papæ: *Quibus de hac re (de peccato originali) dubitatio tota sublata est. & serm. 2. de verbis Apostoli c. 10. vel in fine ait, post rescripta Apostolicæ Sedis. (intelligit autem per hanc manifestè Pontificem extra Concilium) causam esse finitam, nec ulteriori appellationi, iudicio, aut dubio, esse locum: Inde rescripta venerunt. Causa finita est: error utinam aliquando finiatur.* S. Anselmus l. de incarnatione. Verbi c. 1. sic incipit: *Domino, & Patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinantis, Summo Pontifici Urbano... Divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret.* S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium II. *Oportet ad vestrum referri Apostolatam... qua de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarcire damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum.* Similia habent alii SS. Patres passim. videatur Bellarminus rom. 1. contro. 3. de Romano Pontifice l. 4. c. 2. & 3. & P. Christophorus Raskler in sua externa regula fidei art. 16. n. 248.

355. Prob. 4. conclusio ex praxi communissima totius Ecclesiæ. Inprimis usque ad S. Sylvestrum Summum Pontificem, ejusque annum 12. Christi Domini verò annum

325. seu usque ad Concilium Nicænum I. non est habitum ullum Concilium Œcumenicum; si excipias illud, de quo *Actor. 15.* fit mentio: & tamen per tria prima sæcula orta sunt variæ hæreses, & à solis Romanis Pontificibus, extra generale Concilium, fuerunt damnata, ut Montanistarum, Marcionistarum, Cataphrygum, Novatianorum, Sabellianorum &c. Post Concilium verò Nicænum rursus soli Pontifices, absque Concilio generali, damnarunt errores Priscillianistarum, Pelagianorum, Semipelagianorum, aliorumque plurium. Nec dubium ullum unquam fuit apud Catholicos, an tales Pontificum definitiones essent infallibiles: sed omnes certissima fide semper tenuerunt damnatas doctrinas esse hæreticas. videatur Leytam in *clipeo Pontif. dignit. discept. 6. sec. 5. & seq.* ubi hunc sensum fidelium ostendit per omnia sæcula.

356. Ipsi quoque Galli, etsi in Conventu Parisiensi *an. 1682.* propositionem *n. 345.* citatam, imò & hanc quartam propositionem posuerint, nempe: *In fidei quoque questionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesie consensus accesserit:* tamen per hoc non voluerunt negare Pontificis infallibilitatem, extra Concilium, si Ecclesia extra Concilium consensit, quod defacto omnes Catholici admittunt: sed de hoc inferius agemus. Interim vide dicta *n. 346.*

Ceterum, etsi Galli aliqui recentiores, in aliquo Conventu oppositum docerent, infallibilem Spiritus S. assistentiam non haberent: nec Gallis antiquis (quorum sensus patet ex legatione Gallica ad Eugenium, citata *n. 345.* & ex paulò post sub finem hujus numeri dicendis) vel aliis Catholicis, omnium nationum doctoribus, præferri deberent. Sed nec desunt ex Gallis recentiores, qui istum Ecclesie consensum non requirunt, ut Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisiensis, de quo infra *n. 410.* & novissimè Reverendissimus Petitdidier egregio tractatu *de autoritate, & infallibilitate Summorum Pontificum.* Alii autem, etsi fors verbo nobis contrarium dicant, facto nobis consentiunt; nam superiore primum sæculo, cum orta esset in Galliis controversia gravissima, de doctrina Cornelii Jansenii Iprensis, octoginta quinque Episcopi Galli *anno 1651.* ab Innocentio X. per litteras petiere definitionem, quid de illa doctrina sit sentiendum: sententiam autem ab Innocentio latam acceptarunt, & ab omnibus acceptari debere professi sunt, ut Divina autoritate nixam.

Videri potest Platelius *p. 3. de fide c. 1. §. 4. n. 124.* ubi de his agit, & epistolam exhibet: Prior epistola Episcoporum illorum incipit: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre Solemnis Ecclesia mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat:* & sub finem ita habet: *Quamobrem flagitamus, Bea-*

ssime Pater, ut clara, firmaque, de propositionum istarum sensu, prolata sententia, cui Reverendissimus ipse Fraasensis mori proximus opus suum subjecit, caliginem omnem discutias &c. Altera verò epistola, definitionem latam acceptans, quæ incipit: *Optatâ pervenit ad nos: sic clauditur: Sanctitas vestra per Petri soliditatem, jam contritus veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de nova hæresi triumphos æget.* Porro nos Innocentio X. cujus ore Petrus locutus est, ut Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc Divinam laudem gratulati, sacros inter Ecclesia factos, quod olim de Synodis Œcumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus.

Rursus iidem Galli Præsules, cum Innocentius XI. damnasset propositiones Michaëlis de Molinos, per Bullam: *Cælestis Pastor.* & in ea dixisset, Christum Petro, & successoribus ejus regendam tradidisse Ecclesiam Catholicam, ut Christi doctrinam factam, rectamque custodirent &c. atque addidisset: *Nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Deo omnipotentis consilio, in ejusdem Petri cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit &c.* nihil contra moverunt. Sed neque postea, quando Innocentius XII. damnavit viginti tres propositiones, libri cujusdam Gallici, inscripti: *Explication des Maximes des Saints: quidquam contra moverunt.* videatur Dominicus Viva *veritate Theologica parte. 4. in præmio,* ubi per omnia ferme sæcula ostendit, Gallicanæ Ecclesie praxin nostræ assertioni consentaneam esse, modernæ verò aliorum Gallorum opinionio contrariam. videatur Petitdidier. *tract. de auth. & infallib. Sum. Pont. c. 12. & 14.* ubi Conventus Cleri Gallicani, & Doctores Parisienses varios, pro nostra conclusione adducit. videatur quoque Platelius. *p. 3. de fide c. 1. §. 4. à n. 139.*

357. Sed & authores ipsi, quorum propositiones à Pontificibus damnatae fuere, infallibile ejus iudicium professi sunt; nam Michaël Bajus *an. 1580. 24.* Maij in tractatione sua, postquam factus esset, se in libellis suis, ante damnationem Pontificiam editis, defendisse plurimas ex sententiis damnatis, & quidem in sensu, in quo reprobantur, subjungit: *Denique declaro, me in præsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à Sede Apostolica factæ acquiescere: neque posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle.* Jansenius autem in traemio ad *tom. 2. c. 29.* ait: *Quidquid ab ista Petri cathedra, ab isto universæ Ecclesie Capite, moderatore Pontifice, præscriptum fuerit, hoc tenet: quidquid improbatum, improbo: damnatum damno: anathematizatum, anathematizo.* Idem testatus est mediâ ante mortem horâ in suo testamento, ubi ait: *Si tamen Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius illius Ecclesie, in qua semper vixi: usque ad hunc lectum mortis obedi-*

ens sum. Ista mea postrema voluntas est.

358. Prob. 5. conclusio. Concilia generalia, non nisi rarò, magnaque cum difficultate, ac privatarum Ecclesiarum dispendio, possunt celebrari: sæpe etiam propter bella, vel alia plura impedimenta, omnino non possunt haberi: interim tamen sæpe potest contingere, ut vel noviter orta hæresis, in principio debeat opprimi, ne malum latius serpat: vel veritas aliqua necessaria debeat declarari: ergo, si Christus non aliam infallibilem regulam reliquisset Ecclesie, ei non satis prospexisset: ergo non solis Conciliis, sed etiam Successoribus Petri, infallibilitatem attribuit; nec enim post Concilia aliis convenientius tribuitur, quam Successoribus illius, super quem Ecclesiam suam Christus ædificavit, & pro cujus indefectibilitate in fide rogavit.

Confirm. Vel debent convenire ex tota Ecclesia, per omnes quatuor orbis partes latissime diffusâ, Episcopi, saltem ex omnibus regnis aliqui: vel tantum ex quibusdam provinciis, aut regnis: neutrum dici potest: ergo. prob. mi. si debent convenire ex omnibus provinciis, quando fieri poterit, eos ex ultimis Sinarum, America, aut Africa regionibus, ad futuros? quamdiu etiam abesse debebunt à suis diæcesibus? quanti semper sumptus, & à quo fieri debebunt, in tam vasta itinera? Si autem dicatur, debere eos tantum convenire ex sola Europa, tunc fortè ab aliarum provinciarum incolis revocaretur in dubium, an Concilium Œcumenicum fuisset. Sed hoc omisso (quia non videtur posse omnium adventus expectari) saltem ex pluribus provinciis, & regnis, Episcopi convenire debebunt: at etiam isti ægerimè convenire possunt, cujus rei manifesta probatio habetur ex Tridentino Concilio, ægerimè tandem congregato, de quo inferius *n. 414.* Unde, quo amplius dilataretur Ecclesia, eò difficilior haberi posset remedium contra emergentes errores, qui tamen pro ampliori illius extensione facilius nascerentur.

359. Prob. 6. conclusio. Si Papa in controversiis fidei, etiam extra Concilium definitis, posset errare, posset etiam errare tota Ecclesia: consequens est falsum: ergo & antecedens. prob. ma. Pontifex etiam extra Concilium est Vicarius Christi, est Caput Ecclesie, est Magister, & Doctor fidelium omnium, ut probatum abundè à *n. 327.* ergo debent ei præcipienti fideles omnes, adeoque tota Ecclesia obedire: ergo, quando sub anathematis poena profcribit aliquam propositionem, tanquam hæreticam, jubetque illam non asseri, vel defendi, sed asseri ei oppositam, debent fideles, seu Ecclesia, talem propositionem rejicere, & oppositam amplecti: ergo, si ipse posset errare, posset etiam Ecclesiam in errorem inducere.

Confirm. Multa jam Concilia provincialia, à Pontificibus approbata, recepta sunt à tota Ecclesia, tanquam infallibilia, & er-

rores ab iis damnati, ab omnibus, tanquam hæreses, sunt rejecti. Item sacros canones etiam Ecclesia universalis recipit, & definitiones de fidei articulis, in illis contentas, infallibiles credit: & tamen plurimi canones à Pontificibus extra Concilium conditi sunt: ergo, si in his error dari posset, posset in errorem induci tota Ecclesia. Tandem, cum Concilia etiam generalia, ut dictum *n. 353.* agnoverint hanc infallibilitatem Pontificis, si tamen ea reverà non daretur, Ecclesia in iis Conciliis errasset.

ARTICULUS IX.

Solvuntur Objectiones.

360. **O**B. I. Quando Christus Dominus dixit S. Petro: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* *Matth. 16. v. 18.* per petram non intellexit S. Petrum: sed vel confessionem fidei, ab eo factam, vel se ipsum; quia Christus solus est fundamentum Ecclesie, ut dicitur *1. Cor. 3. v. 11.* vel certè intellexit omnes Apostolos, quorum nomine Petrus tunc loquebatur: cumque Apostoli tunc representarent Ecclesiam, illa verba spectant, non ad solum Petrum, sed ad totam Ecclesiam. Resp. negant. licet enim fortè in aliquo sensu, adhuc magis allegorico, vel tropologico, explicari illa verba possint de confessione fidei, ut aliqui SS. Patres quandoque explicant: tamen primaria intentio Christi erat designare S. Petrum personaliter.

Quamvis enim in lingua Latina differant inter se genere *petra*, & *Petrus*, non differunt in Syriaca lingua, qua Christus usus est; nam vocabulum *cephas* significat *petram*: adeoque verborum Christi sensus quasi est: *Tu es petra, seu cephas, & super hanc petram, seu cepham, ædificabo Ecclesiam meam:* & Latine potuissent verba Syriaca verti: *Tu Simon es petra, & super hanc petram &c.* voluit autem Latinus interpres potius uti vocabulo, terminationem masculinam habente; quia S. Petrus erat ejusdem generis. Certè particula *hanc* denotat clarè, Christum loqui, de illo, quem petram appellavit; aliàs nulla esset connexio.

Sed neque Christus omnes Apostolos allocutus est; non enim dixit: *Ego dico vobis:* sed: *Ego dico tibi:* nec Petrus proprie loquendo tunc omnium nomine locutus est, quasi ipsi hoc ei mandassent; cum Patres communiter sentiant, Apostolos non habuisse eandem revelationem cum Petro: sed tantum, tacentibus reliquis, solus Petrus locutus est id, quod alii loqui debuissent. Multò minus potest intelligi illud dictum ad Ecclesiam directum; aliàs sensus esset: *Et super hanc Ecclesiam ædificabo Ecclesiam meam:* quod est ridiculum. Adde, ut rectè observat Maldonatus *in c. 16. Matth. & hunc versum,* quod absurdum sit, dicere

re, Christum toties mutasse personam, quin id indicaret: & ideò obscurissime locutum fuisse; cum statim subdat: *Et tibi dabo claves regni cælorum*: ubi utique Petrum, & non Ecclesiam alloquitur, eique prærogativam aliquam conferendam promittit.

361. Nec dicas, Christum solum esse fundamentum; nam quando 1. Cor. 3. v. 11. dicit S. Paulus: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS*: intelligitur de fundamento omnium primo, quod simul est lapis angularis: non autem de fundamento secundo; cum idem S. Paulus ad Ephes. 2. v. 20. dicat: *Estis cives, & domestici DEI, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo JESU.* & Apoc. 21. v. 14. dicitur *murus civitatis cælestis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*. Si autem omnes Apostoli possunt dici fundamentum, multò magis tale potest dici S. Petrus: nec est absurdum, in sensu morali plura fundamenta admittere.

352. Accedit, Sanctos Patres, & Concilia, quæ citavimus à n. 327. & seq. communissime explicare dictum Christi Domini ad S. Petrum in nostro sensu. Solus fortè S. Augustinus tr. 124. in Joann. apparet oppositus est, intelligens per petrum Christum: sed Cornelius à lapide ait, Sanctum Augustinum non fuisse peritum Hebraicæ, aut Syriacæ linguæ, & hinc putasse Petrum à petra dictum, quasi *Petrium*; cum tamen constet vocem *cephas* significare Petrum, & petram. Addo, S. Augustinum ibi tantum velle, Christum esse principale petram, seu fundamentum primum: non autem negare, S. Petrum esse fundamentum secundum; alias sibi clarè contradiceret; nam *serm. 1. de cathedra S. Petri (qui est 15. tus de Sanctis, seu 74. tus in appendice)* sic scribit: *Dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petrum itaque fundamentum Ecclesie Dominus nominavit, & dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, super quod Ecclesiastici ædificii altitudo consurgit... quia dignum est, ut fundamentum hoc in Ecclesia honoretur, per quod ad cælum ascenditur.* & quia fortè aliquis dicet, hunc sermonem non esse certò S. Augustini (quamvis Ecclesia ex eo lectionem desumpsit in Breviario ad festum cathedrae S. Petri, quod meritò ei conciliat magnam auctoritatem) idem Sanctus *serm. 2. de cathedra S. Petri (qui est decimus sextus de Sanctis, & negari non potest esse S. Augustini)* verba Christi: *Tu es Petrus &c.* explicat sicut nos, & inter alia de S. Petro ait: *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis; in eadem domo enim Petrus fundamentum ponit: Petrus plantat.*

Quòd spectat ad eos, qui per petram intelligunt confessionem fidei, & verba Domini explicant, quasi voluisset dicere

Christus: *Super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam*: isti facile cum nostra sententia conciliantur; nam rectè observat Cornelius, *hanc fidem non sumi in abstracto, sed in concreto*, prout scilicet erat in Petro: atque adeò juxta hos auctores Petrus propter fidem, seu Petrus ut fidelis, est fundamentum, & petra Ecclesie: id quod etiam docet Maldonatus, qui rectè addit, sic sæpe dici, in fide unius hominis fundatam esse rempublicam.

363. Ob. 2. Christus *Matth. 18. v. 17.* dixit omnibus, adeoque etiam Petro, illa verba: *Si non audierit eos, dic Ecclesia*: ergo etiam ipse Pontifex debet causas graves deferre ad judicium Ecclesie, nec ipse est ultimus infallibilis iudex. Confirm. *Joan. 21. v. 17.* Christus Petro tantum dixit: *Pasce oves meas*: non verò: *Pasce omnes oves meas*: ergo non est universalis omnium pastor. Resp. 1. Cum ibi non agatur de gravissimis causis, sed de erroribus etiam particularium, non potest ibi per Ecclesiam intelligi Ecclesia universalis, vel Concilium generale.

Ratio hujus est; quia aliàs ab omni Papæ judicio, particularem quamlibet personam concernente, posset appellari ad Concilium, etiam à quibuscumque privatis personis: imò vel nunquam, vel vix unquam posset ipse Papa definitivè judicare, sed deberet omnia ad Concilium referre: quod nec quisvis parochus debet in omni causa facere. Unde, ut dictum n. 334. ibi per Ecclesiam à SS. Patribus intelligitur etiam Ecclesia particularis, vel Prælatus ipsius. Et hinc etiam, qui contumaciter non audit Ecclesiam particularem, vel Episcopum, post inflictam excommunicationem vitandus est, tanquam ethnicus, & publicanus: quos nempe Judæi vitabant, ceu excommunicatos.

Ex quo quidem, tanquam ex argumento à minori ad majus, rite inferitur, magis vitandum esse eum, qui non audierit Ecclesiam universalem: sed non inferitur, ibi per Ecclesiam necessariò intelligendam esse Ecclesiam universalem: quin imò, si per Ecclesiam intelligi potest Episcopus particularis, quanto magis Summus Pontifex? In forma neg. ant. quatenus dicit, etiam Petrum, seu Summum Pontificem, illud dictum Christi concernere. Ad confirm. retorq. argum. Christus de se ipso dicit *Joan. 10. v. 14. Cognosco meas*: id est, oves: ergo non cognoscit omnes. in forma. neg. conf. Audi S. Bernardum l. 2. de consideratione c. 8. *Pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, vel regionis, aut certi regni? Oves meas inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

364. Ob. 3. SS. Patres contradicunt nostræ assertioni: ergo ant. prob. sic S. Hieronymus l. 1. contra Jovinian. c. 14. ait, æquè super omnes Apostolos, Ecclesiam solidatam esse, omnesque accepisse claves regni

gni cælorum. Idem *epistol. 85. ad Evagrium*. ait, Episcopum, sive Romæ, sive alibi fuerit, ejusdem esse meriti, & ejusdem sacerdotii. S. Augustinus l. 1. de baptis. contra Donatistas. c. 18. ait, quæstionem illam, de valore baptismi hæreticorum, fuisse controverfam, usque ad Concilium generale: & tamen S. Stephanus Papa jam eam definierat. S. Ambrosius l. 3. de sacram. c. 1. ait, se cupere quidem in omnibus sequi Ecclesiam Romanam: tamen aliqua alibi rectius servari, & à se etiam rectè custodiri.

Ipse Gelasius Papa Romanus *epist. 4. seu communitorio ad Faustum. apud Binium tom. 2. Concil. mibi fol. 236.* videtur dicere, quòd Papa debeat, suas definitiones facere *juxta formam synodicam*; nam hac ratione videtur defendere rectè factas: ergo ad infallibilitatem earum definitionum requiritur synodus. Patres etiam Concilii Africani in *epistola sua ad Celestinum Papam*. ajunt: *Nisi forte quisquam est, qui credat, uni cuilibet posse DEUM nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilio sacerdotibus denegare*: quibus verbis satis insinuant, DEUM magis assistere Concilio, etiam provinciali, quam uni tantum Pontifici Romano: quem propterea rogant, ne appellantes, à suo Concilio ad Apostolicam Sedem, deinceps admittat: ergo multò magis sentiunt, DEUM magis assistere Concilio generali, quam soli Romano Pontifici.

365. Resp. neg. antec. ad prob. explio Patres. S. Hieronymus priore loco tantum vult, Apostolos in Apostolatu, & potestate ordinis, fuisse æquales: non verò in potestate jurisdictionis, & hinc ibi addit: *Tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollitur occasio*. Altero autem loco idem S. Hieronymus iterum tantum vult, dari inter omnes Episcopos, ubicumque sint, æqualitatem quoad potestatem ordinis: non verò quoad potestatem jurisdictionis, ut dictum n. 344.

Quòd attinet ad S. Augustinum, hic S. Doctor ideo dicit, eam quæstionem de baptismo hæreticorum controverfam mansisse, usque ad Concilium generale; quia, licet S. Stephanus jam prohibuisset, rebaptizari baptizatos ab hæreticis, tamen S. Augustino videbatur, consueque nihil absolute definitum. Hoc videtur colligi ex ipso S. Augustino l. 5. de baptis. contra Donat. c. 25. ubi dicit: *Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur*. Quare nullum schisma inter SS. Stephanum, & Cyprianum, est ortum: consequenter non se invicem habebant pro hæreticis: nec etiam S. Stephanus S. Cyprianum unquam à sua communione removit. Quamvis enim S. Augustinus loc. modo cit. innuat, S. Stephanum putasse *abstinendos*, seu à communione separandos eos, qui hæreticos rebaptizarent, non tamen dicit, eum omnes actu excommunicasse: quamvis etiam Firmilianus (in sua ad S. Cyprianum epistola, que

est 75. inter epistolas S. Cypriani edit. Antwerp. Oper. S. Cypriani. an. 1589.) innuat, S. Stephanum excommunicasse eos, qui suo decreto non obedirent: atque in *argumento eidem epistola præfixo* citetur epistola S. Dionysii Alexandrini, ex qua colligitur, S. Stephanum, huic ipsi Firmiliano, Casareæ Cappadocum Episcopo, & aliis etiam Episcopis, scripsisse, se si non communicaturum, quamdiu hæreticos rebaptizarent: tamen non sequitur, S. Stephanum eodem modo quoque egisse contra S. Cyprianum, totius Africæ Primatem. Et certè, cura schisma inter eos ortum non sit, teste S. Augustino modò citato, verosimilius est, S. Stephanum se à S. Cypriano non separasse. Accedit, quòd etiam intentetur, imò etiam feratur excommunicatio, non tantum contra eos, qui definitionibus fidei, sed etiam contra eos, qui decretis morum non obediunt. Sed de S. Cypriano plura n. 366.

Quòd autem idem S. Augustinus variis locis videatur asserere, quòd in causa Cæciliani, post alia, etiam Romani Pontificis judicia, restet Concilium plenarium, nihil contra nos probat; nam causa Cæciliani non erat quæstio juris, sed puri facti, scilicet, an is bene, vel malè, esset ab Africanis depositus: in tali autem quæstione Papa non est infallibilis, neque etiam Concilium generale: attamen aliquando in tali causa judicium Concilii, utpote plurium prudentum, potest esse majoris ponderis, quam solius Papæ: saltem potest (ut loquitur Episcopus Meldensis, Orator Regis Galliæ ad Eugenium IV.) habere majorem auctoritatem reputationis: de quo vide n. 345.

S. Ambrosius loquitur de consuetudine lavandi pedes, quæ est arbitraria, & accidentalis: non autem loquitur de talibus consuetudinibus, vel caeremoniis, aut rebus, quæ ab Apostolis, sub obligatione universali, introductæ sunt, quasque Ecclesia Romana observat: & in accidentalibus differre potest Ecclesia una ab alia. Gelasius per verba *juxta formam synodicam* aliud non intelligit, quam juxta statuta Conciliorum: nec dicit, id necessarium fuisse, sed tantum factum fuisse: & arguit contra inferiore Episcopos, qui volebant absolvere eum (nempe Acacium) quem Apostolica Sedes damnaverat: de cætero ibi primatum Sedis Apostolicæ fortissimè tuetur. Ad Concilium Africanum respondeo, ibi agi de quæstione puri facti, an scilicet Apollonius eorum scelerum fuerat condemnatus: non autem agi de judicio fidei. Sed neque omnia in ea epistola sunt infallibiliter tenenda; nam licet illud Concilium, ut sumitur ex C. de libellis dist. 20. sit à Leone IV. confirmatum, tamen confirmatio se tantum extendit ad canones: non autem ad epistolas, ut observat Bellarminus tom. 1. controu. 3. de Romano Pontifice l. 4. c. 7.

366. Dices 1. Saltem S. Cyprianus l. de unitate Ecclesie. docet, Christum post resurrectionem dedisse Apostolis parem po-

testatem. Idem l. 2. epist. 1. (aliàs est epistola 72.) ad Stephanum Papam ait: *Cum habeat in Ecclesia administratione, voluntatis sua arbitrium liberum unusquisque præpositus, (hoc est Episcopus) rationem actus sui Domino redditurus.* Idem Romanos Pontifices in hac epistola, & aliàs, tantum Collegas, Fratres, & Cœpiscopos, nominare solitus est: eosdem etiam quandoque reprehendit, maximè Stephanum in epistola 74. ad Pompeium (quæ ab aliis annumeratur tractatibus) in qua sententiam Stephanum de non rebaptizandis hæreticis, vocat errorem: ergo sententia nostra est contra S. Cyprianum.

Resp. S. Cyprianus l. de unitate Ecclesie. sic habet: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum non vincunt eam. . . . Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pascite oves meas. Super illum unum edificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi: si cui tenueritis, tenebuntur: tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis: sed exordium ab unitate profiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstratur. & post pauca: Qui Ecclesia remittitur, & resistit: qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? iterum epist. 73. ad Fabianum (quæ ab aliis annumeratur tractatibus) ait: *Petro primum Dominus, super quem edificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cælis, quod ille solvisset in terris.**

Ex quibus imprimis patet, S. Cyprianum agnoscere, super S. Petrum fundatam esse Ecclesiam, adeoque ipsum infallibilem fuisse; aliàs quomodo super ipsum fundaretur Ecclesia, quæ debet esse columna, & firmamentum veritatis. 1. Timoth. 3. v. 15. Patet dein, S. Cyprianum non adstruere omnimodam æqualitatem, inter S. Petrum, & alios Apostolos: sed tantum aliquam qualemcumque in aliquo genere, e. g. in potestate remittendi peccata (cujus loc. cit. de unit. Eccles. meminit) vel in potestate instituendi, & regendi varias Ecclesias particulares &c. quæ potestas fuit Apostolis à Christo extraordinariè tradita; nam si omnino alii Apostoli pares fuissent Petro potestate, quin & honore, quomodo Petro fuisset datus primatus? quomodo super illum unum edificata fuisset Ecclesia? Sed neque etiam S. Cyprianus epist. 72. ad Stephanum vult,

quemlibet Episcopum esse ab omni alio superiore, præterquam DEO, exemptum; sic enim nec Concilio generali esset subiectus: sed tantum vult, quemvis Episcopum potestate sua ordinaria posse, in sua Ecclesia particulari, varia ad disciplinam pertinentia ordinare, quorum rationem aliis dare non debeat.

S. Augustinus l. 2. de bapt. contra Donat. c. 18. & l. 3. c. 3. ait, eum loqui de iis rebus, quæ necdum erant, sive per Concilium generale, sive per Pontificem, clarè determinatæ. Hinc Petitdidier in tr. de auctor. & infall. Pont. c. 6. ait, S. Cyprianum questionem de rebaptizandis hæreticis, non respexisse, tanquam questionem fidei, sed tantum tanquam questionem de disciplina Ecclesiastica, vel moribus, aut consuetudinibus, in quibus possunt Ecclesie particulares differre: & hinc existimasse, fidem non lædi, quidquid circa eam rem sentiat, aut agatur; aliàs enim debuisset S. Cyprianus ab illorum, qui aliter sentirent, tanquam ab hæreticorum communione, se separare, quod minimè fecit; nam epist. ad S. Stephanum supra cit. sub finem sic scribit: *Ceterum scimus, quosdam, quod semel imberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis, & concordia vinculo, quedam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Quæ in re nec nos vim cuiquam facimus, nisi legem damus. & in epist. ad Fabianum supra cit. sub finem. ait: Hac tibi breviter nostra mediocritate rescripsimus, frater charissime, nemini præscribentes, neque præjudicantes, quo minus unusquisque Episcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis, & cœpiscopis nostris, non contendimus, cum quibus Divinam concordiam, & Dominicanam pacem tenemus.*

Jam quod attinet ad id, quod S. Cyprianus Pontifices Romanos vocet Collegas, vel Fratres, nihil probat; nam reveratiles sunt, etsi superiores. Sic quoque S. Ambrosius epistolam 7. ad Syricium Papam hoc titulo inscribit: *Dominolo Dilectissimo Fratri &c.* & in eadem epistola paulò inferius iterum ait: *Laudamus hoc Dominus Frater.* At, quia eum vocat Dominum: quia ibidem dicit, eum custodire pia devotione ovile Christi: quia infra addit: *Quos Sanctitas Tua damnavit, scias, apud nos quoque secundam judicium tuum esse damnatos;* hoc est, apud, aut per Concilium Mediolanense, cujus nomen scribitur: adeoque ait, istud Papæ iudicio fuisse obsecutum: hæc, inquam, facta ostendunt, quod S. Ambrosius Syricium, non tanquam parem, sed tanquam superiorem respiciat.

At verò, quod attinet ad sententiam S. Cypriani, de invaliditate baptismi, ab hæreticis collati, utique in ea erravit, ut modò nota docet Ecclesia: hæreticus tamen minimè fuit; quia, ut diximus n. 365, nihil adhuc erat definitum. Culpâ quidem hac in re S. Cyprianus, utpote etiam homo, non ca-

ruit, saltem veniali, (quamvis aliqui gravioris eum delicti reum faciant) quia parere debuisset Pontifici, serio præcipienti: at culpam per poenitentiam, & martyrium delevit. In forma ad hanc objectionem, neg. conf. S. Cyprianus non abnegavit Romano Pontifici infallibilitatem in questionibus fidei: sed tantum putavit, posse in re quadam, ad disciplinam Ecclesiasticam tantum, ut ipse putabat, spectante, recedi à praxi, & usui Romanæ Ecclesie: in qua tamen re erravit.

Dices 2. Universitas Parisiensis, & Conventus Cleri Gallicani, reprobavit nostram sententiam: ergo. Resp. 1. Gallia antiquior, præsertim ante funestum schisma, tandem in Concilio Constantiensi extinctum, longè aliter sensit: imò etiam postea: certè Petitdidier tract. de auctor. & infallib. Sum. Pontif. c. 14. refert scriptum Gallicum Conventus Cleri Gallicani an. 1626. ad omnes regni Episcopos, in quo sic scribitur de Summo Pontifice: *Is enim successor est Petri, à quo Apostolatus, Episcopatusque initium, originemque sumpsit, & super quem Christus JESUS Ecclesiam suam fundavit, quando illi claves regni caelorum, atque infallibilitatis donum in causis fidei reliquit: quam non sine ingenti miraculo immobilem, illibatamque, in ejus successoribus durare etiamnum videmus. Unde ingens illa in Romanorum Pontificum decretis, mandatisque amplectendis, apud omnes fideles, & orthodoxos, observantia profecta est.* Resp. 2. ad hanc objectionem jam responsum esse satis n. 345. & iterum ad abundantiam respondendum à n. 372.

367. Ob. 4. Ex eo, quod S. Petrus habuerit infallibilitatem, non sequitur, quod eandem habeant successores ejus: ergo. prob. ant. etiam si Episcopi reliqui sint successores Apostolorum, non tamen habent omnem etiam jurisdictionem, potestatem, vel prærogativam, quam habuerunt Apostoli: rursus S. Petrus habuit potestatem patrândi miracula, & donum linguarum, quæ non habent omnes ejus successores; ergo. Confir. S. Paulus etiam fuit Episcopus Romanus, & cum S. Petro constituit unum caput, unum Ecclesie universalis verticem: ergo etiam successores S. Pauli deberent esse infallibiles. Resp. neg. ant. ad prob. conc. ant. neg. conf. Probavimus, debere dari perseveranter in Ecclesia DEI regulam aliquam fidei infallibilem; hanc enim exigit recta ejus gubernatio: ergo ibi datur, ubi inveniuntur speciales promissiones, specialis oratio pro fidei constantia, constitutio fundamenti Ecclesie, primatus, & commissio gregis Dominici: quæ sunt in Petro, & quidem tanquam jura ordinaria, atque annexa officio, quæ transeunt ad successores.

At verò virtus patrândi miracula, eo ipso, quod non fuerit ordinariè adeò necessaria, ad conservationem, & gubernationem Ecclesie, non debuit esse potestas ordinaria Petri: sed potuit esse extraordinarium privilegium, quod non transit ad successores;

nec enim opus est absolute, ut sub quovis Pontifice fiant miracula, modò aliquando fiant; hinc debuit ea potestas alligari potius uni, quam alteri. Paritèr, quæ fuere in Petro jura ordinaria, fuere privilegia extraordinaria in cæteris Apostolis; quia ipsi non fuerunt eodem modo caput, fundamentum, & pastores universales Ecclesie; quamvis enim dicatur, quod acceperint à Christo immediate potestatem Ecclesiasticam, etiam sine determinatione ad certa loca, tamen Petrus antecelluit; quia ipse non præcisè ut Apostolus, sed ut fundamentum, & caput Ecclesie, habuit auctoritatem in ipsos Apostolos, eosque regere, isque præcipere potuit.

368. Quod autem Apostoli non habuerint ea omnia ut Petrus, quasi ordinaria jura, & annexa officio, probatur etiam à posteriori; quia plurimi Episcopi, eorum etiam Ecclesiarum, quas fundarunt alii Apostoli, lapsi sunt in errores: imò facti sunt hæresiarchæ: quod de nullo Romano Pontifice probari potest. Ad confirm. neg. ant. Hæc, & similes propositiones, editæ anno 1645. (quæ etiam inveniuntur in libro Arnaldi tunc frequentis communiõnis): si significant omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & Paulum, sine subjectione S. Pauli ad S. Petrum, in potestate supræma, est hæretica, ut definit Innocentius X. 25. Januarii anno 1647. Unde de successoribus S. Pauli (si tamen strictè loquendo aliquos habuit; quia nullius Ecclesie particularem curam gessisse videtur, sed omnium gentium doctorem totâ vitâ egisse) loquendum est, sicut de aliorum Apostolorum successoribus: imò nec successores S. Petri in cathedra Antiochena, quam non stabiliter ut suam habuit, sunt infallibiles: certè multi ibi Episcopi non fuere erroris immunes: at verò successores in cathedra Romana, quam S. Petrus ad mortem usque stabiliter tenuit, ex Conciliis, Patribus, & rationibus plurimis adductis, sunt infallibiles.

369. Ob. 5. Papa ut privata persona, potest esse hæreticus: ergo potest etiam, aliquam hæresin docere, aut definire: ergo non est infallibilis in suis definitionibus. Confir. Non sumus certi, an ille homo in individuo, qui occupat Sedem S. Petri, sit verè Pontifex, rite baptizatus, ordinatus &c. ergo nunquam sumus certi; an ei sit infallibilitas concessa, adeoque frustra eam DEUS dedisset. Resp. Bellarminus tom. 1. controu. 3. de Romano Pontifice l. 4. c. 6. & seq. neg. ant. eoquod Christus indefectibilem in fide constantiam Petro, & Successoribus ejus, etiam quatenus (ut ipse dicit) sunt personæ privatz, exoraverit à Patre; aliàs enim vix idonei forent ad confirmandos fratres.

Resp. 2. om. ant. neg. conf. quia, licet DEUS unum possit permittere, non potest stantibus suis promissionibus permittere alterum. Si doctrina, quam proponeret Papa, esset hæresis aperta, eam non definiret ut Pon-

Pontifex: sed Ecclesie statim palam foret, eum esse hæreticum, & si contumaciter errorem teneret, officio suo excidisse: si autem doctrina non esset aperte hæretica, sed adhuc inter Catholicos doctores dubia, Christus, permittere non posset, ut Papa ita docens ex cathedra erraret, ne in errorem tota induceretur Ecclesia; unde hoc ipso illa doctrina esset vera. Ad confirm. responsio superior dabitur infra n. 432.

370. Ob. 6. Si Pontifex est infallibilis, tunc etiam quis rex in suo regno est infallibilis: sed hoc non est verum: ergo prob. ma. regia, & sacerdotalis dignitas suprema, fuit conjuncta in antiquo testamento: ergo etiam est conjuncta in novo. Confirm. Regi (eadem est ratio de Imperatore) subiectus est sacerdos, etiam summus: ergo rex non est minus infallibilis. prob. ant. Salomoni subiectus fuit Abiathar sacerdos summus, quem etiam sacerdotio privavit. 3. Regum 2. v. 27. imò etiam Christus fuit sub potestate Pilati. Joann. 19. v. 11. ergo multo magis sacerdos, etiam summus, est sub potestate seculari suprema. Resp. Minorem videntur negare Angli, qui saltem aliqui regibus infallibilitatem tribuunt, quamvis non omnes; neque enim conveniunt in religione inter se.

Sed, quidquid aliqui dicant, minor est certissima; neque enim regibus sæculi, sed Petro est dictum, ut pascat oves: nec reges, sed Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis. Unde etiam primis Ecclesie temporibus, nunquam reges, aut imperatores Catholici, controversias fidei deciderunt: sed perierunt à Romanis Pontificibus convocari Concilia, quæ dein promoverunt subsidiis temporalibus, suppeditando curru, & sumptus, Episcopis iter agentibus: quin Constantinus Magnus (ut habent Rufinus hist. Eccles. l. 1. c. 2. & Sozomenus l. 2. c. 2. ac alii) tempore Concilii Nicæni, nullo modo voluit, se miscere causis Episcoporum, aut eorum iudex esse, à quibus agebat, se iudicari debere. videatur Spondanus anno Christi 325. n. 12.

371. Unde in forma neg. ma. ad prob. dist. ant. dignitas sacerdotalis, & regia, in antiquo testamento fuit conjuncta per accidens, e.g. in Machabæis, vel in sacerdote Heli. conc. ant. fuit conjuncta per se. neg. ant. & consequ. Machabæi tantum per accidens fuere simul principes terreni, & sacerdotes: sicut modò Episcopi Germaniæ sunt magni principes, etiam quoad sæcularem potestatem: qualis etiam est Romanus Pontifex: nec tamen iste ut princeps, sed ut Sacerdos summus, habet infallibilitatem, quam habuere Pontifices antecessores, antequam tantum dominium acquisivissent.

Ad confirm. neg. ant. quidquid sit de consequ. Factum illud Salomonis, vel contigit ex speciali commissione DEI, ut impleatur prophetia contra domum Heli; sicut ibidem dicitur: vel exemplum Salomonis, non rectè operantis, non est imitandum.

Ad illud de Christo Domino: Resp. esse absurdissimum dicere, quòd subiectus fuerit Pilato Christus, Rex regum, & Dominus dominantium: nec id probatur ex illis verbis Joann. 19. v. 11. Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper; nam per ea Dominus tantum dicere voluit, Pilatum non habiturum in se potestatem, etiam tantum de facto, & apparenter talem, nisi DEUS eam permitteret: non autem voluit dicere, quòd Pilatus in se habeat potestatem de jure.

ARTICULUS X.

An infallibiles etiam sint Definitiones Pontificiæ ante consensum Ecclesie.

372. **Q**uestio hic est, an, quando Pontifex aliquid definit ex cathedra, ut hoc infal-

libile sit, debeat, saltem extra Concilium, tota Ecclesia eam definitionem acceptare, admittere, & consentire: & hoc videntur voluisse illi Gallie Præsides, qui in suo Conventu anno 1682. statuerunt propositionem citatam n. 356. quam tamen post decenniū, in sua ad Innocentium XII. epistola, revocasse dicuntur, ac declarasse, à mente sua alienum fuisse, quidquam decernere: & addidisse hæc verba: *Quidquid circa Ecclesiasticam potestatem, & Pontificiam auctoritatem, decretum censeri potuit, pro nullo decreto habemus.* ita P. Pichler in *Papatu nunquam errante.* a. 5. §. 4. n. 10. ubi ait, eam epistolam exhibere *Regale Sacerdotium*: editum in monasterio S. Galli anno 1693. in fine ultimi libri: quam editionem, etsi multum quaesitam, obtinere non potui: quæ autem jam anno 1684. prodiit, eam epistolam necdum exhibet. Moderni autem Episcopi Gallie in sua ad regem epistola anno 1728. qua editum quoddam Consilium Juridicum quorundam Advocatorum Parisiensium confutant, dicunt, se esse multum elongatos ab eo, quòd sentiant, aut dicant, quòd ad ferendum, vel acceptandum iudicium circa fidem, non sit opus examine, vel discussione, aut libertate: quæ dicta, an intelligi velint de iudicio, aut definitione Pontificis, in Galliam missa, vel an tantum de aliquo suo iudicio, vel de aliquo, in Concilio universali, ab ipsis unà cum Pontifice ferendo, nolim decidere.

373. Si dicere vellent, non debere acceptari submissas Pontificias definitiones, sine prævio earum examine, à nobis recederent: quin etiam à Cardinali Noallio in suis ad Clementem XI. literis anno 1711. (quas exhibet Viva *trutina Theologica* tom. 2. p. 4. in proæmio) quibus memoratus Cardinalis testatur, Clerum Gallicanum in suo Conventu Constitutionem *Vineam Domini Sabaoth* non aliter voluisse recipere, quam majores ipsius, præcedentium Pontificum Bullas: nec sibi arrogasse jus eam examinandum: nec docere, nec sentire voluisse, accepta.

An infallibiles etiam sint Definitiones Pontificiæ ante consensum Ecclesie. 113

ceptionis solemnitate necessariam esse ad hoc, ut sint regula credendi.

Recedunt etiam ab antiquioribus Gallie doctoribus, qui nobiscum senserunt, ut patet ex testimonio Legati Gallici n. 345. adducto: item ex testimonio Conventus Gallicani, adducto n. 366. (cujus præsertim verbis ibidem adductis probatur, non expectandum esse à Pontifice consensum fidelium, vel Ecclesie: sed fidelibus decreta Pontificia ingenti mox observantia amplectenda) item ex testimonio Andrea Duvallii Galli: quin imò Viva tom. 2. p. 4. *trutina Theol. in proæmio.* eruditè ostendit, à seculo IX. ad XVIII. (quod modò agimus) Gallos stetit pro infallibilitate Summi Pontificis. Sed & Episcopi Galli Parisiis anno 1714. in causa Constitutionis *Unigenitus* congregati 5. febr. datis ad Clementem XI. literis, submissionem maximam erga illam decisionem testantur: *Nos, ajunt, Majorum nostrorum exempla secuti, atque eodem, quo illi, in Apostolicam Sedem studio flagrantis, Sanctitatis vestre postremam Constitutionem, consimili obsequio, ac veneratione, amplexi sumus. Neque verò deinceps officio nostro derimus, ut ab omnibus, quos Divina providentia cura nostra commisit, pari animo, ac fide excipiantur.*

374. Dico. Ad infallibilitatem definitionis Pontificiæ, non est necessarius consensus Ecclesie extra Concilium. Hæc conclusio est communissima inter doctores Catholicos, ut probat P. N. Thyrsus Gonzalez p. 1. *manuductionis Machometanorum* l. 3. c. 6. §. 11. ubi citat pro ea omnes illos auctores, qui stant pro assertionem n. 352. posita: quæ assertio est Catholicorum ferme omnium, ut ibidem ostensum. Prob. autem conclusio r. iisdem argumentis, quibus conclusio præcedens n. 352. probata est; nam, si Papa est Magister, Doctor, Pastor, Caput Ecclesie, ejusque Fundamentum, non dependet veritas doctrinae ejus à discipulis, nec pabuli sanitas ab ovibus, nec caput à membris, nec fundamentum ab edificio: ergo.

375. Prob. 2. conclusio. Quælibet Ecclesia particularis, distincta saltem à Romana, potest errare, imò juxta adversarios etiam ipsa Romana: & duntaxat tota Ecclesia non potest errare: ergo juxta adversarios, ad infallibilitatem definitionum, requireretur consensus totius Ecclesie, seu omnium particularium Ecclesiarum: sed hoc dici non potest: ergo. prob. mi. r. hac ratione Pontifex non haberet majorem infallibilitatem, quam quisvis Episcopus, ejus sententia, si à tota Ecclesia acceptetur, est necessariò de fide: hoc est contra Scripturam, contra Concilia, & Patres: ergo. Aliqui respondent, ad hoc argumentum, dicendo, non licere Pontificias definitiones impugnare, vel contrarium docere: quod tamen est licitum, respectu sententiarum, ab aliis Episcopis editarum. Sed contrà est. Sic videntur teneri fideles omnes, ad acceptandas Papæ definitiones; si enim nullus audeat contradicere,

censentur omnes tacite approbare. Dein, si non possunt licite contradicere; quia Pontifex id prohibet, & fideles ei tenentur obedire: etiam non possunt amplius licite non credere; quia Pontifex aliquid definiens præcipit id credere. Alii Episcopi, etsi quandoque sententias aliquas prohibeant, non tamen exigunt, nec possunt exigere, ante definitionem Sacrae Sedis, ut opposita sententia creditur esse de fide; cum enim infallibilitatem non habeant, suam sententiam infallibilem reddere nequeunt.

376. Probatur eadem minor 2. In sententia adversa quilibet Episcopus, vel Ecclesia particularis, potest pro suo arbitrio facere, ut definitio Pontificis non foret infallibilis: adeoque extra Concilium nunquam potest infallibiliter damnari nova hæresis, ab Episcopo quodam orta, vel patrocinio ejus adjuncta; sic autem definitiones Pontificis ordinariè inutiles forent, & consequenter sequerentur omnia ea incommoda, quæ adducimus inferius agendo de appellatione ad Concilium universale. Imò, cum saltem non nisi post longissimum tempus possit innoscere nobis consensus omnium Ecclesiarum particularium, non nisi post longissimum tempus constare possit de infallibilitate definitionis: argui sic non esset consilium Ecclesie; cum fideles diutissime suspensi pendere, nec firmam fidem de rebus definitis elicere possent: ergo.

377. Dices forte, non requiri consensus omnium omnino Ecclesiarum, sed tantum plurimarum, vel majoris partis totius Ecclesie. Resp. In primis etiam hic plurimarum Ecclesiarum consensus diutissime non innosceret; neque enim tantum Ecclesie in Europa, sed etiam ultramarinae aliqua, consentire deberent. Dein hic consensus legitime, vel authenticè, aut nunquam, aut non nisi tardissime innosceret aliis. Quodsi adversarii (quod tamen non credo) exigent consensus expressum, per publicum scriptum, aut testimonium, adhuc difficiliori res forent loco; cum præsertim Episcopi, rati, se debere prius definitionem examinare, minimè cito, sed tradissime ei auctoritative subscriberent, ut est per se clarum: atque adeò sequerentur, novo ex titulo, incommoda infra adducenda quando agemus de appellatione ad Concilium.

Adde, quòd hac ratione nihil unquam certi futurum esset; nam, cum determinari non posset, quanta pars Episcoporum consentire deberet, semper esset locus exceptioni: & qui tenerent oppositam definitionem sententiam, possent semper prætexere, non sufficientem numerum Ecclesiarum concessisse: e.g. si Pontifex aliquid definivisset contra Lutherani, aut Calvinistæ, possent dicere Lutherani, aut Calvinistæ, se non esse contemnendam partem Ecclesie, nec consentire Pontifici, & consequenter ejus definitionem non esse infallibilem; nam præcisè major pars, sive excedens oppositam, uno, vel altero numero, vel paucis, non videtur sufficere; cum nec in Conciliis soleat definitio fieri.

si ferme dimidia, aut valde magna pars Episcoporum reclamet. Saltem, nisi Pontifex infallibilis haberetur, tales definitiones, ratione accedentis quomodocunque majoris partis Episcoporum, resistente adhuc valde magna parte aliorum Præfulum, non æstimantur infallibiles.

378. Imò, cum exemplum Concilii Ariminensis satis doceat, majorem partem Episcoporum, si sine Pontifice aliquid definiat, posse errare, ij, qui Pontificem quocunque errare posse contendunt, difficulter probabunt, præsertim refractariis quibusdam ingenis, quòd non etiam major pars Episcoporum cum Pontifice possit errare; adeoque, etsi major pars definitionem aliquam Papæ tacite acceptet, tamen non facile probabitur, certum esse, quòd ea definitio infallibilis sit.

Nec dicant adversarii, quòd, sicut in Concilio universali, etsi non omnes Episcopi in illud conveniant, tamen, si congregati aliquid statuunt, id ab aliis de fide tenendum sit, ita idem fieri debeat, si plurimi extra Concilium definitionem tacite acceptent; nam disparitas lata est; congregati enim in Concilio Patres soli repræsentant Ecclesiam DEI, nec absentes sunt pars Concilii, aut habent votum decisivum; unde ab absentibus non pendet definitio, vel acceptatio Concilii, quòd universalem Ecclesiam repræsentans, habent promissam infallibilem assistentiam Spiritus S. In casu autem tacite acceptationis quilibet, in ultima telluris parte Episcopus, est pars, ut vocant, *corporis pastorum*, habetque non minus votum, quam quilibet alius: atque aded debet etiam hujus, & consequenter omnium, eorumque assensus, vel dissensus ratio haberi.

ARTICULUS XI.

Solvuntur Objectiones.

379. **O**B. I. Decreta morum, à Pontifice condita, non obligant ante acceptationem Ecclesie: ergo nec definitiones fidei: ant. prob. decreta illa sunt leges humane: sed istæ non obligant, nisi à subditis acceptentur, ut de civilibus legibus docere videtur communis Jurisconsultorum, apud Suarez l. 3. de legibus c. 19. n. 1. de canonicis vero idem alii qui tenent: & confirmati videtur ex eo, quòd decreta morum Tridentini non ubique obligent; quia non ubique sunt acceptata. Resp. retorqueo argumentum in definitionibus Conciliorum generalium. Resp. 2. neg. ant. si sensus sit, decreta illa primum per acceptationem acquirere vim obligandi; si enim antecedenter non obligarent, non deberent observari, nisi acceptarentur. Sed nec deberent acceptari; si enim deberent acceptari, eo ipso haberent vim immediate obligandi ad acceptationem, & mediate ad observationem. At dici non potest, ea non debere acceptari; nam Alexander VII. dam-

navit hanc propositionem 28. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem, à principe promulgatam.*

Ad prob. neg. mi. quia planè ex propositione damnata videtur inferri, neque leges civiles requirere acceptationem, ut defendit etiam Suarez *loc. cit.* nisi sint injustæ, aut nimium duræ: vel nisi princeps non habeat plenam potestatem, sed sub conditione tantum acceptationis, ut sit in quibusdam rebus publicis: vel, ut ait Suarez, etiam in quibusdam regnis, ut in regno Arragoniæ. Quòd autem aliquando non observentur aliquæ leges, etiam à Tridentino statuta, (quæ dicuntur non acceptatæ) inde est, quòd vel Tridentinum noluerit uti plena potestate: vel quòd, licet primi quidem, qui eas non observaverunt, peccaverint, postea tamen, per consuetudinem diu toleratam, sint eæ leges abrogatæ, de qua re videri potest Suarez l. 4. de legibus c. 16.

380. Alii omittunt hoc antecedens, seu, quòd decreta morum non obligant ante acceptationem: negant tamen cons. & dicunt, quòd obligatio credendi veritates revelatas à DEO, quando de revelatione factis constat, sit juris naturalis, ac Divini; nam lumen naturale dicitur, credendum esse DEO loquenti, idque DEUS præcipit: at juris naturale, ac Divinum, utique obligant ante acceptationem: ergo. Hinc definitiones Pontificis, cum applicent nobis revelationem Divinam (ut satis huic usque probatum) applicent etiam, mediate saltem, præceptum juris naturalis, & Divini, de ea credenda. Eodem modo discurrunt de decretis morum, & definitionibus fidei, Conciliorum universalium: & certè Gallia, etsi non omnia decreta morum, à Tridentino facta, acceptarit, sine mora tamen acceptavit definitiones fidei.

381. Ob. 2. Ut Pontificis definitio sit infallibilis, debet Pontifex esse indubitato legitimus, ut diximus. Jam sic: vel debet pro legitimo haberi à tota Ecclesia, vel tantum ab aliqua ejus parte: neutrum potest dici: ergo, prob. mi. non potest dici primum; alias quisvis Episcopus, nolens eum agnoscere, faceret, ut non sit indubitato legitimus: non secundum; alias incidimus in eandem difficultatem, quam adversariis objecimus n. 377. & debemus ipsi determinare, quanta pars Ecclesie eum debeat agnoscere: ergo, Resp. neg. suppositum. Per Pontificem indubitato legitimum, non tantum intelligimus illum, qui positivè jam ab Ecclesia agnitus est ut talis, sed, de cujus electione, & legitimo Pontificatu, non adest prudens dubitandi ratio; tunc enim ejus definitiones jam infallibiles erunt. Siqui autem eum nolint recipere, non reddent Pontificatum dubium, sed probabunt, se esse certos schismaticos.

At, si verè prudens dubitandi ratio adest (sicut contigit ante Concilium Constantiense) non forent infallibiles definitiones talis Pontificis, donec ratio dubitanda tolleretur. Unde quando dicitur, quòd, si electio prima Papæ, quacunque tandem causa

An infallibiles etiam sunt Definitiones Pontificie ante consensum Ecclesie. 115
causa, fuisset nulla, ea fiat valida per tacitam acceptationem Ecclesie, non est sensus, quasi tamdiu taliter electus non sit verus Pontifex, quamdiu ab Ecclesia non est positivè acceptatus; quia posset contingere, ut prima ejus electio invalida diutissime non innotesceret, regionibus præsertim transmarinis, & sic secunda diutissime non perficeretur: sed sensus tantum est, quòd, si electores taceant, & alii, qui statim possent, non reclamant, eo ipso censetur tacite acceptatus: adeoque acceptatio, in tali casu necessaria, non est positiva, sed tantum negativa, seu non reclamatio.

Ob. 3. Vel Pontifex est infallibilis, etiamsi definitio eum edat, sine prius adhibito diligenti examine: vel est tantum infallibilis, post adhibitum diligens, & rei gravitati proportionatum examen: neutrum potest dici: ergo, prob. mi. non potest dici primum; quia videtur incredibile, quòd Pontifex, etiam temerè aliquid definiens, sit infallibilis: non potest dici secundum; quia nunquam potest sciri, an adhibita fuerit ea diligentia, quæ necessaria, & proportionata est rei definiendæ: adeoque saltem nunquam potest sufficienter agnosci infallibilitas definitionis. Resp. retorq. argum. in Conciliis generalibus; vel enim dicuntur ista infallibilia ante, vel post adhibitam diligentiam?

Dices fortè, non posse deesse in Concilio maturam deliberationem. Resp. Licet ista moraliter deesse non possit, posset tamen absolute deesse, e.g. si congregatis jam Patribus subito proponeretur quæstio, quam statim definirent: quod non quidem moraliter, absolute tamen fieri posset, si id DEUS non impediret. Moraliter autem neque deesse potest diligentia in definitionibus Pontificis; nam & Pontifices adhibere solent maximam, ut patebit *ex n. 417.*

Sed, etsi Concilia adhibeant aliquam diligentiam, tamen, si non constat, sufficere eam, quam adhibet Pontifex, neque satis constabit, sufficere eam, quam adhibet Concilium: adeoque, si ex hoc capite neganda esset infallibilitas definitioni Pontificis, neganda quoque esset definitioni Concilii generalis: quod nemo Catholicorum (quibuscum hęc disputamus) admittit. In forma, Resp. conc. ma. neg. mi. ac dico, Pontificem semper fore infallibilem, quando aliquid definit; vel enim DEUS tunc non permittit, ut omittatur diligentia requisita: vel diligentiam nullam requireret: sed assistet etiam nullà adhibita: & semper impediet, ne definiatur falsum. videantur etiam dicenda inferius n. 417. & seq.

ARTICULUS XII.

Ostenditur Pontificis Definitionibus malè imputari errores.

382. **V**aria, & multa afferri solent exempla errorum, à diversis Pontificibus aliquid defini-

entibus admissorum: ex quibus videtur inferri, non esse infallibiles eorum definitiones. Sed, antequam directè respondeam, obviro, quòd, si admittatur, Pontifices errasse, tunc ij auctores, qui dicunt, ad infallibilitatem definitionum Pontificiarum sufficere consensum tacitum aliorum Episcoporum, non amplius possint suam sententiam defendere; nam in plurimis; & fermè omnibus capitibus, quæ tanquam errores objiciuntur Pontificibus, adfuit consensus tacitus Episcoporum; cum isti, tam illo tempore, quo definitiones editæ sunt, quam tempore subsequenti, & quidem omnino longo, nunquam reclamaverint.

Dein, omisso hoc argumento ad hominem, dico, nullum posse ostendi exemplum, quo probetur, ullum Pontificem, extra Concilium aliquid definiens, errasse, circa quæstionem fidei, aut juris, vel quæstionem facti, connexam cum quæstione juris; nam ad summum probari potest, aliquos Pontifices errasse ut privatos doctores, vel in quæstionibus puri facti, quod non definiverunt, sed tantum tanquam probatum supposuerunt: in quibus quæstionibus etiam Concilium generale errare potest. Sed nimis longum foret, omnia, & singula resellere: qui plenior notitiam cupit, adeat Bellarminum *tom. 1. contr. 3. de Romano Pontifice l. 4. c. 8. & sequentibus.* ubi de quadraginta, & uno, Pontificibus agit, eisque ab adversariorum objectionibus vindicat.

383. Afferam tamen pro eruditione discipulorum Theologiæ (qui fortè hæc alligando legere dignabuntur) quid ad aliqua, quæ majori apparenti specie quibusdam Pontificibus objiciuntur, responderi debeat. Itaque primò. Quando S. Petrus, Christum negavit, nondum Pontifex fuit: sed neque tunc docuit à cathedra, eum esse negandum, sed tantum ut homo privatus inidelitatem, & quidem tantum externam admisit. Quando autem idem *ad Galatas 2. v. 14.* dicitur, coëgisse gentes judaizare, non id fecit docendo, aut jubendo, sed tantum aliquatenus suo exemplo, quatenus à convivio & conversatione cum gentibus abstinuit: & sic præter ejus intentionem alii etiam, ad idem faciendum inducti sunt: in quo Spondanus (qui fusè de hac historia agit *ad annum Christi 51. à n. 7.*) materialem tantum errorem videtur agnoscere.

Imò P. Didacus de Quadros *in sua Palastra Biblica tom. 1. decade 5. q. 7. n. 9.* docet, illud factum S. Petri tantum fuisse aliquid minus perfectum, quod tamen in Apostolo, à quo perfecta meritis expectantur, alter Apostolus non immeritò reprehenderit. & hinc *n. 10. ait*, illa verba S. Pauli *ad Galat. 2. v. 14. Quod non rectè ambularent ad veritatem Evangelii:* significare: *ad totam plenitudinem Evangelicæ perfectionis, & libertatis.* Nec dicas, hoc esse contra torrentem Patrum; nam, ut ait idem auctor *cit. q. n. 12.* plures SS. Patres ut Hieronymus, Chrysostomus, Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, Origenes, & alii, volunt,

volunt, S. Petrum non peccasse in illa separatione sua à gentibus, sub adventum Judæorum.

Secundò, Zephirinus (quod tamen dicitur à solo Tertulliano, cuius testimonium, utpote jam Montanista, in propria causa non est magni ponderis) literas pacis, seu communionis quidem dedit Montanistis: non autem approbavit unquam falsam eorum doctrinam: quam probabilissimè ignoravit, ab iis teneri; nam postea à Præxæ informatus de illa, literas suas revocavit. Tertio, Liberiùs nunquam subscripsit Arianae fidei: sed tantum subscripsit formulæ Sirmiensis, & condemnationi S. Athanasii, simulque Ursacio, & Valenti communicavit. At formula illa, teste S. Hilario, fuit Catholica. Qui autem S. Athanasium accufabant, non tam causam fidei, quam crimina circa mores prætecebant. Tandem Valens, & Ursacius putabantur à Liberio esse Catholici, ut ipse scribit ad Episcopos Orientales. Quod si etiam, victus ærumnis, & cruciatibus, hæresis subscripsisset, errasset quidem, sed tantum actu externo ut persona privata, sicut Petrus, quando negavit Christum: licet (ut Bellarminus *loc. cit. c. 9.* advertit) Catholici cor ejus scrutari non potuerint, adeoque eum hæreticum præsumperint. Quarto, Felix II. (cujus Pontificatus intra Liberii tempora inclusus est, ut Bellarminus docet *loc. modo cit.* & Spondanus *ad annum Christi 355. n. 10.*) nunquam fuit Arianus: neque eum iis communicavit, quando erat legitimus Pontifex: sed tantum cum iis communicavit prius, quando adhuc erat Antipapa: postea autem martyr effectus est.

384. Quintò, Innocentius I. quando dixit, baptismum hæreticorum validum esse, non autem conferre Spiritum Sanctum, locutus est de baptismo collato adultis pariter hæreticis; is enim, quia recipitur cum impedimento peccati, seu, ut dicitur, *factè*, est validus quidem, sed informis, hoc est, non confert gratiam, seu Spiritum Sanctum. Idem Innocentius in epistola ad Concilium Milevitanum (qua est 93. inter epistolas S. Augustini) scribit quidem, infantibus necessariam esse SS. Eucharistiam: at id tantum incidenter scribit, & tanquam rationem sui asserti primarii, seu definitionis, quòd scilicet infantes debeant baptizari: verba Innocentii sic sonant: *Illud verò, quòd eos Vestra Fraternalitas asserit predicare, parvulos aeternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari, profatum est; nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant, hos habere, quod in eos creditur, non nisi baptismate conferendum.*

Ex quibus colligitur 1. quòd hic Pontifex rextum S. Joannis: *Nisi manducaveritis &c.* tantum incidenter adducat, aut ad summum, tanquam probationem sui asserti primarii,

seu definitionis de necessitate baptismi, respectu infantium. At rationes in Conciliis, etiam universalibus, adeoque & in definitionibus Pontificiis, adductæ, non sunt de fide, nec sunt definitiones. Colligitur 2. quòd Innocentius non loquitur de reali Eucharistia sumptione, quam Tridentinum infantibus necessariam negat *sess. 21. c. 4. & can. 4.* sed tantum de aliqua mystica; de illa enim loquitur, de qua S. Augustinus (ad quem cum aliis Patribus Pontifex scribit: at S. Augustinus, relatus in *C. in Ecclesia Salvatoris de consecrat. 130. dist. 4.* (quod caput desumptum est *ex l. 1. contra duas epistolas Pelagianorum 22.*) loquitur de sumptione Eucharistia tantum mystica.

Nam dicit quidem ibi S. Augustinus, parvulos debere communicare, propter illum textum: *Nisi manducaveritis &c.* sed mox idem S. Doctor, relatus *C. Nili. 131. ead. dist.* (quod desumptum est *ex C. Quia passus est. de consecratione 36. dist. 2.*) se explicat, qualem communionem, vel Eucharistia sumptionem intelligat, sic dicens: *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismo membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc saculo, in unitate corporis Christi constitutus, abscindat; sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non privatur, quando ipse hoc, quod illud sacramentum est, invenit: quæ tamen verba videntur potius esse S. Fulgentii in epistola ad Ferrandum de baptismo aethiops in fine: certè S. Fulgentii verba *loc. cit.* sunt prioribus simillima: ubi hic S. Doctor pariter sentit, quòd, quisquis baptizatur, jam corporis Christi participes fiat: idque etiam probat, adducto S. Augustini sermone.*

Glossa etiam in *cit. C. Quia passus.* sic habet: *In tertia parte dicitur, quòd quicumque baptizatur, participes efficitur corporis Domini, etsi ante decedat, quam de pane illo edat, vel de calice bibat.* Ex quibus facile intelligitur, tam Innocentium, quam S. Augustinum, cum dicunt, parvulis necessariam esse sumptionem SS. Eucharistia, non loqui de reali manducatione corporis Domini, sed tantum de aliqua mystica, virtuali, vel interpretativa: quatenus scilicet parvuli per baptismum uniantur corpori mystico Christi, atque Ecclesie, in qua fidelibus corpus Christi verum manducandum conceditur.

385. Sextò, Liber quidam, scriptus contra Eutychem (in quo dicitur, in Eucharistia post consecrationem manere naturam, vel substantiam panis) non est Gelasio Papa, ut ostendit Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, in Gelasio Papa, & in Gelasio Cyzicenses, in Gelasio Papa, & in Gelasio Cyzicenses: sed, ut idem Cardinalis docet, veroceno: sed, ut idem Cardinalis docet, veroceno, similiter est Gelasio Cyziceni. Idem iterum, & efficaciter probat *tom. 3. c. 27. de Eucharistia l. 2. c. 27.* ubi tamen ostendit, per

per naturam, vel substantiam panis, quæ eo in libro dicitur remanere in Eucharistia, more Græcorum non intelligi ipsam substantiam propriè dictam, sed tantum essentiam accidentium. Septimò, Quando Gelasius Papa ait, sine sacrilegio grandi non posse communicari sub una tantum specie, loquitur de sacerdote; nam *C. Comperimus. de consecratione. 12. dist. 2.* habet hunc titulum: *Corpus Christi sine ejus sanguine sacerdos non debet accipere:* vel loquitur de Manichæis, & Priscillianistis, qui à sacro sanguine ex sacrilega superstitione abstinebant. Octavò, Vigilus, quando hæresi Eutythianæ videbatur favere, nondum erat legitimus Pontifex; vivebat enim adhuc Sylvester in exilio; postea autem Vigilus, jam verus Pontifex, mox eam hæresin damnavit. videatur Spondanus *ad ann. Christi 538. à n. 2. & ann. 540. n. 4.*

Nondò, Martinus I. non docet, quòd venia peccatorum, non sit danda diaconis, vel presbyteris, post ordinationem peccatis: sed tantum dicit, quòd non sint restituendi sacris mysteriis, seu executioni suorum ordinum: idque juxta rigorem canonum tunc vigentium. Decimò, Gregorius III. quando permittit viro ducere uxorem aliam, si prior propter infirmitatem debitum reddere non possit, intelligendus est de impotentia perpetua, naturali, & contractum matrimonii antecedente. videatur Canus de *locis Theol. l. 6. c. 8. resp. ad 8.* Undecimò, Adrianus non approbavit Concilium Francofordiense quoad omnia, sed tantum quoad ea, quæ spectant ad filiationem Christi naturalem: neutquam autem approbavit illud, quoad condemnationem Synodi VII. quanquam etiam Francofordienses Patres hanc non damnaverint, sed tantum decretum aliquod ei assentum.

386. Duodecimò, Nicolaus I. *C. A quodam Judæo. de consecratione. 24. dist. 4.* non definit, baptismum, tantum in nomine Christi collatum, esse validum: sed tantum, quòd baptizati à Judæo non sint rebaptizandi: alterum autem obiter ex S. Ambrosio addidit: solæ autem definitiones; & non alia quæque, iis adjecta, sunt de fide, ut jam dictum. Decimotertio, Stephanus, & Sergius, in causa Papæ Formosi, errarunt, non in definitione fidei: sed tantum in questione puri facti, quatenus judicarunt, Formosum non fuisse legitimum Pontificem: & ab eo ordinaros, tanquam malè, quocumque demum ex defectu, ordinaros, reordinari jufferunt: de quo paulò plura *inferius. n. 441. & iterum in tractatu de Sacramentis. à n. 223.*

Decimoquarto, Alexander III. quando ait, à Divina lege, & generali Ecclesie consuetudine, alienum esse, quòd septem testes requirantur ad valorem testamenti, imprimis hoc non definit, sed tantum ut rationem aliquam adducat. 2. Per *alienum* non necessariò intelligitur contrarium, sed tantum extraneum, seu non introductum: nec revera illa necessitas, non à lege Divina

introducitur, sed à civili. Quando autem idem Papa statuit, valida esse debere testamenta, quæ sub tribus testibus facta sunt, intelligi potest, loqui de iis testatoribus, qui Ecclesie in utroque foro subiecti sunt: vel certè de iis, qui Ecclesiam, aut locumpium, hæredem instituunt. Decimoquinto, Cælestinus III. etsi ut privata persona censuerit, solvi matrimonium per lapsum unius conjugis in hæresin, nunquam id definit; nam Innocentius III. eius successor *C. Quanto. 7. de divortis.* tantum dicit, prædecessorem suum aliter sensit, se tamen non credere, quòd dissolvatur; unde nec iste aliquid definit.

387. Decimosextò, Innocentius I. & III. quando adducunt leges antiqui testamenti, non eas adducunt, ut præceptivas, sed ut exemplares: nec volunt, omnes Deutronomii leges strictè servandas esse: sed tantum aliquas quoad similitudinem, ut patet ex ipso *C. Per venerabilem. 13. qui filii sint legitimi.* ex quo contra infallibilitatem istorum Pontificum arguitur; nam ibi tantum per similitudinem aliquam, lex Deutronomii ad legem novam applicatur; alibi enim (nempe *C. Volens. unico. de purificatione post partum*) idem Innocentius III. clarè ait: *Umbræ legis evanuit:* & hinc infert, mulieres statim post partum Ecclesiam intrare posse. Adde, quòd illa dicta de lege antiqua, tantum adducuntur, ut rationes: non verò ut definitiones.

Decimoséptimò, Nicolaus III. *C. Exiit, de verb. signif. in 6.* docuit, Christum verbo, & exemplo, docuisse perfectissimam pauperatatem, in abdicatione omnium dominii consistentem: cum quo bene stat, Christum pro aliquo tempore, etiam loculos habuisse, & proprium aliquid, saltem in communi. Joannes XXII. autem tantum contendit, Christum aliquando aliquid proprium possedisse, & contrarium esse hæreticum. Cæterum circa usum facti, separabilem ab omni dominio, nihil definit Joannes: sed ad summum aliquid tradidit, tanquam rationem, factæ à se, & à Sede Apostolica, abdicationis bonorum, quorum usum Patres Franciscani habent (quod jus in ea bona potuit à se abdicare) namque *Extravaganti: Quia quorundam. de verb. signif.* expresse dicit: *Prout in decretali: Ad conditorem canonum. est probatum:* ergo non definitum. Quòd autem ibidem dicitur, neminem debere impugnare, quæ in eadem decretali definita, ordinata, seu facta sunt, hoc ipso significat, tantum aliqua esse definita, non omnia. Idem etiam Joannes nunquam definit, animas ante diem judicii non venire in cælum: aut non videre DEUM: quamvis ut privatus doctor ad id sentiendum propensus fuerit: in articulo mortis tamen quoad hanc questionem judicium suum Ecclesie doctrinæ submisit.

Decimo octavo, Volaterranus quidem scribit, Innocentium VIII. permisisse Norvegis, ut sine vino sacrificium Missæ celebrarent: sed est fabula, quam unus, aut alter auctor, ex eodem descripsit. Certè falsum

sum est, quod ibi vinum servari non possit; cum defacto copiosum fervetur, & dudum ante Innocentium ibi Missa celebrata sit. Decimonono. Bulla Sixti. V. circa editionem Bibliorum recognitorum, nunquam est plenè promulgata, ut fusè probat Tannerus. tom. 3. disp. 1. q. 4. dubio 6. n. 264. testimoniis Romæ perscriptis; quanquam enim, in inpressis exemplaribus Bullæ, legantur nomina cursorum, eam Bullam locis solitis affigentium, & dies &c. quæ typographus addidit (quia putabatur certò promulganda) tamen affixio re ipsa facta non fuit.

ARTICULUS XIII.

An Honorius I. Papa lapsus sit in hæresin.

388. **M**aximè celebris est controversia de Honorio I. an non ipse hæresin Monothelitarum approbaverit; nam id videtur colligi ex ejus epistolis ad Sergium, & ex Synodo VI. act. 13. & 18. & Synodo VII. actione ultima: itémque Synodo VIII. act. 7. nam ibi Honorius ut Monothelita damnatur. Hæc quæstio fusè tractatur à Bellarmino tom. 1. controuv. 3. de Romano Pontifice l. 4. c. 11. Spondano ad annum Christi. 633. & 681. Severino Binio tom. 3. Concil. p. 1. in notis ad Concilium Constantinopolitanum III. seu Oecumenicum VI. verb. Monothelitarum hæresin. & tom. 2. in disput. S. Maximi contra Pyrrhum. folio mihi 1031.

Ad hanc quæstionem quidam respondent, cum Cardinale de Turrecremata, apud Bellarminum loc. cit. Patres illos damnasse Honorium, ex falsa informatione, & non bene intellectis ejus epistolis. Sed juxta hanc responsionem necessariò dicendum est, Patres Synodi VI. non id spectasse, ut de textu Honorii, secundum se, & absolutè spectato (qui, ut infra ostendetur, non est hæreticus) cognoscerent, & dogmaticè decernerent; alias tam parùm dici posset, eos deceptos fuisse, in intelligentia eorum epistolarum, quam parùm dici potest, deceptum fuisse Tridentinum, in intelligendis libris Lutheri: aut Innocentium X. in intelligendo libro Janfenii. Quare dici debet, quod Patres illi, falsis rumoribus decepti, epistolas Honorii, per se dubias, acceperint in deteriori sensu, aded, ut mentem Honorii hæreticam præsupposuerint, & juxta eam præsuppositionem, etiam de epistolis judicarent: sive (ut quidam recentior ait) quod acceperint eas epistolas, non in sensu literali, & obvio, sed personali, qualem scilicet ipsum Honorium personaliter habuisse, præsupposuerant. Hoc supposito, si ulterius objiciatur, ab iisdem Patribus dici, Honorium Sergio per omnia consensisse: istum autem apertè hæreticum fuisse: responderi potest, & debet, per hoc non probari, Honorium etiam hæreticum fuisse; nam licet Sergius alias hæresin suam apertè prodiderit, tamen dici potest, id eum

non fecisse in illis epistolis, quas ad Honorium dedit: sed ex aliis, aut literis, aut signis, hæresis convictum fuisse.

389. Quando urgetur argumentum, dicendo, quod ex dictis saltem inferatur, Synodum definitivè, quod saltem in genere Romanus Pontifex, ut docens è cathedra, vel etiam ut privata persona, possit errare, respondere debent isti auctores, de hoc Synodum nihil definitivè, sed tantum supposuisse quod id factum fuerit: qua in suppositione Concilium ipsis non videbitur infallibile; 1. quia hæc suppositio est facti. 2. quia non fuit approbata, aut confirmata à Pontifice. Certè Agatho, qui ut Pontifex Concilium illud confirmavit, de ea suppositione nihil dicit: sed tantum ait, se Concilium, hoc est, definitiones factas, recipere: imò, sicut Concilium, ita ipse etiam Summus Pontifex, in puri facti quæstionibus non est infallibilis. Dein si rationes definitionum non sunt infallibiles, multò minus erunt infallibilia præsupposita præcisè ad decisionem, præsertim, si ipsa decisio sit tantum alicujus quæstionis puri facti non dogmatici.

Quod additur, Synodum dicere: *Et quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium; quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit*: videtur, ab his auctoribus responderi posse: hoc tantum afferri tanquam rationem decisionis, adeoque non esse infallibile. Secundò dici ab ipsis potest, scripta illa non sumi ut absolutè in se spectata, sed juxta mentem Honorii malè suppositam, ut dictum.

Hæc tamen responsiones, præterquam, quod per se scabre, & minimè expeditæ videantur, ex eo etiam difficiles sunt, quod difficulter alicui persuaderi possit, Patres in Concilio non judicasse, de scriptis in se spectatis, & juxta obvium eorum sensum: sed iis attribuisse sensum hæreticum, tantum ex aliqua mala informatione, vel persuasione, aut suppositione, de hæretico Honorii animo, qui tamen, nec aliunde probari, nec ex obvio verborum sensu, inferri poterat. Certè minimè credibile est, Romano Pontifici (quem Concilia omnia semper summè reverita sunt, & præsertim Synodus VIII. citata n. 342. à qua tamen etiam Honorius action. 7. debuisset fuisse Monothelitis annumeratus) certè, inquam, minime credibile est, Romano Pontifici statim à Concilio attributam fuisse hæresin, crimen in Ecclesia DEI semper reputatum gravissimum, eumque de hac fuisse publicè condemnatum, quin priùs de ea ex suis scriptis legitimè convictus fuerit, sed tantum ex mala informatione, aut suppositione, alimodo quo modo denigratus. Sanè sic non solet agi, etiam contra clericum infimi ordinis, præsertim jam mortuum (uti Honorius jam fuerat) quando sese defendere non amplius potest. Nec censeri posset talis modus procedendi satis æquitatis conveniens; cum omnia jura clament, favendum esse reo, & minia jura clament, favendum esse neminem, nisi probatum, censendum esse malum.

malum: nec ex suspitione, aut suppositione malè fundata, quenquam damnandum.

Alii respondent, Honorium errasse, sed tantum ut doctorem privatum; cum tantum privatis literis hæresin docuerit; de hoc enim accusetur. Sed etiam hæc responsio difficultatè non caret; nam opponi potest, Honorium id prohibere usum vocum *divinum, vel unius voluntatis: operationum, & operationis*: adeoque videri loqui ex cathedra, utpote præpicientem, & obligantem. Ulterius non aliter scripsit Honorius ad Sergium, quam alii Pontifices ad alios Episcopos: quorum tamen responsa, ad quæstiones fidei spectantia, etiam privati tantum Episcopis sint missa, censentur esse Pontificis ex cathedra loquentis; nam talia responsa plurima, Juri Canonico inserta, censentur totam Ecclesiam obligare.

390. Mihi probatur vel maximè responsio, Spondani, Binii, Bellarmini, & aliorum apud hunc, qui dicunt, acta Synodi VI. esse veritatis, & Honorii nomen fraude Græca is inferum: quod Bellarminus ait, sine dubio factum, & probat argumentis sanè maximis. Primb enim epistola Honorii (quarum prior refertur actione 12. Synodi VI. alterius fragmentum habetur actione 13. ejusdem Synodi) nihil non Catholicum habent. Constat in illa Honorius, duas in Christo naturas, utramque operantem, Divinam Divinam, humanam humanam; & inferius iterum dicit, Christum in duabus naturis operatum Divinitus, atque humanitus. Voluit autem abstinere à nominandis, una, aut duabus voluntatibus, ne iterum, vel Nestorii, vel Eutycheis error, occasione accepta, revaleret.

Quando autem Honorius in priore epistola scribit: *Unam voluntatem fateretur Domini nostri Jesu Christi*: addit; *quia profecto à divinitate assumpta est nostra natura, non cuius illa profecto, qua ante peccatum creata est, non qua post pravitationem vitata: ergo loquitur tantum de unitate voluntatis unius in natura humana: quasi diceret, in Christo non esse duas contrarias voluntates, sicut sunt in nobis, in peccato originali peccati. Quod adhuc magis confirmatur ex disputatione S. Maximi contra Pyrrhum, apud Binium tom. 2. Concil. fol. mihi 1031. ubi hic S. Martyr expressè ait, ab eo secretario, qui epistolas Honorii scripsit, id dictum explicatum fuisse, de una voluntate humana nature; nam ait, Sergium scripsisse, quosdam prædicare, Christum habere duas voluntates contrarias. Insuper, cum toties Honorius dicat, nec unam, nec duas voluntates esse dicendas, cur unam tantum utriusque nature statuisse censeatur?*

Rursum Agatho Papa, qui post Honorium rexit Ecclesiam (in epistola ad Imperatores Constantinum, Hierosolim, & Tiberium, qua habetur actione 4. Synodi VI.) sic ait de Romana Ecclesia: *Hæc Apostolica ejus Ecclesia, nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est. & paulò post de vera fidei regula ait: Quam & in*

prosperis, & in adversis, vivaciter tenuit, ac defendit, hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii, Apostolica Christi Ecclesia (scilicet Romana, ut patet ex contextu totius epistolæ) quæ per DEI omnipotentis gratiam, à tramite Apostolica traditionis, nunquam errasse probabitur: nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed, ut ab exordio fidei Christiana, percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata sine tenus permanet. &c. & iterum: *Domini, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare cum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, mox exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, curæ est cognitum.*

Rursum in epistola 2. (quam idem Agatho scripsit, suo, & Romano Synodi nomine, ad hanc ipsam Synodum VI. quædam iterum habetur actione 4.) ait: *Videi splendissimum... lumen, quod ex veri luminis fonte, tanquam de radio vivifici fulgoris, per missos Beatos Petrum, & Paulum, Apostolorum principes, eorumque discipulos, & Apostolicos successores, gradatim usque ad nostram parvitatem, DEI opinatione servatum est, nulla hæretici erroris terra caligine tenebrata, nec falsitatis nebulis confectatum, nec intermixtis hæreticis pravitatibus, velut caliginosis nebulis perumbritatum, immanue, atque synecurum. iterum in eadem epistola ait: *Nostra parvitas prædecessores... Apostolicam confessionem... absque cuiuspiam novitatis errore citra ambiguitatem determinavit.* Idem Agatho, dum in eadem epistola enumerat Monothelitas, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Theodorum, nullo modo inter eos ponit Honorium.*

Ex quibus clarum est, Agathonem apertè affirmare, nullum unquam ex suis prædecessoribus, Romanis Pontificibus, fidem hæreticam pravitate miscuisse, vel hæreticum fuisse. Si autem Honorius, Agathonis antecessor, fuisset hæresis infectus, & ut talis publicè ab eodem Concilio damnatus, qua fronte Agatho hæc affirmare ausus fuisset? Ulterius in eodem Concilio actione 8. recipitur hæc ipsa Agathonis epistola, tanquam à Spiritu S. per os Petri dicta (de quo vide n. 353.) an non autem Concilium, & Spiritus S. secum ipsis pugnantem, si ab illo tamen Honorius, tanquam hæreticum, toties anathemate percussus fuisset? Sed & in Concilio Romano Lateranensi frequentissimorum Episcoporum, celebrato à Martino I. damnantur nominatim alii Monothelitæ: nunquam tamen nominatur Honorius, cum tamen Patres illi, nec ignorasse poterint, quid Honorius egerit: nec voluerint pepercisse noxio; cum sanctissimi fuerint, præsertim ipse S. Martinus. Tandem plures auctores, etiam Græci scriptores, Honorium omittunt, cum damnatos recensent, ut testatur Bellarminus tom. 1. controuv. 3. de Roman. Pontif. l. 4. c. 11.

391. Jam verbò apud eundem Bellarminum

num loco modo cit. refert Anastasius Bibliothecarius, ex Theophane Ilauro Græco, nomen Honorii postea primum actis Concilii infernum fuisse: & fuit (ut ait Bellarminus) conserudo Græcorum ferme ordinaria corumpendi libros; nam in hac ipsa Synodo VI. deprehensæ sunt corruptiones plurimæ, factæ in actis Synodi V. ut expresse refertur *actio. 14. Synodi VI.* aded, ut tres questiones spurii inferri fuerint. Idem ostenditur de aliis epistolis plurimis, uti & de Synodis III. IV. ac V. imò & VII. ut que-runtur Pontifices, Leo, & Nicolaus: cur igitur non dicamus idem de Synodo VI? præfer-tim, cum constet, post Synodum VI. con-clusam, rursus Constantinopolin ascendisse multos Episcopos, & edidisse canones Trul-lanos, quorum, ut ait Bellarminus, non ali-us scopus videtur fuisse, *quam taxandi, & reprehendendi Romanam Ecclesiam.* Addit Spondanus *ad ann. Christi 681. n. 5.* probabilissimè Theodorum Constantinopolita-num Monothelitam, prius depositum à Pa-triarchatu Constantinopolitano, sed post mortem Gregorii, ob factam, seu simula-tam pœnitentiam, iterum Patriarcham crea-tum, illa acta in manus recepisse, sumque nomen delevisse, ac Honorii supposuisse. Cur enim hic Theodorus nunquam nomi-netur; cum tamen reus etiam fuerit? Ubi nota, nominari quidem Theodorum Phara-nitanum sed eum alium esse à Constantino-politano.

392. Sed dicunt adversarii. Leo II. eti-am (in sua epistola ad Imperatorem Constan-tinum, qua habetur ad finem Synodi VI) ex-eratur Honorium. Resp. Hæc ipsa epistola pars est actorum Synodi VI. & probabilis-simè etiam corrupta, vel, ut Binius in *notis in vitam S. Leonis II.* ex Baronio ait, omni-no supposititia; 1. enim dicitur data mensè Majo, tanquam responsoria ad epistolam, primum sequenti Julio scriptam 2. Leo II. non potuit fuisse Pontifex mensè Julio; cum creatus mensè Augusto, tantum decem men-ses federit. 3. Epistola illa scripta dicitur *indictione 10.* qua Leo nondum fuit Papa. 4. Ex hoc ipso videtur ficta, & falsa; quia Honorium anathematizat; cum tamen hic publico funere Romæ, inter sanctos Pontifi-ces, sit tumulatus, etque solemniter parenta-tum, Ex similibus fundamentis *codem lo-go* idem Binius paulò antè ostendit, suspen-dam quoque esse epistolam Constantini Im-peratoris ad Leonem II.

Urgent quidam. Etiam Synodus VI. imò & VII. Adrianus quoque II. Papa: quin & Agatho, Honorium damnatum ajunt. Resp. septimam synodum etiam non esse incorrup-tam, ut dictum *n. preced.* Idem dic de octava, & quidem etiam ex hoc capite, quod non sit credibile, eam voluisse Romanum Pontificem hæreticis annuere, & tan-quam talem damnare; cum (ut vidimus *n. 342.*) expresse statuat, in Romanos Ponti-fices sententiam non esse pronunciantam. Quod spectat ad Adrianum, ejus dicta hæc re continentur in Synodo VIII. *actio.*

7. *colloq. 3.* sed acta hujus Synodi non debent haberi pro incorruptis, ut modo dictum. Quod si etiam ea dicta Adriani, fide-liter, & incorruptè relata essent, tamen nihil probarent; nam Adrianus ibi tantum dicit, quod Honorius post mortem ab Ori-entis Episcopis anathematis sit affectus: sed non dicit, id jure factum. Dicit insuper, Ho-norium accusatum fuisse de hæresi: non aut-tem asserit, eum fuisse convictum. Addit etiam, non potuisse illos Episcopos senten-tiam in Honorium pronunciare, nisi *ejus-dem primarie Sedis Romane accedente ad eam rem auctoritate:* sed non dicit, eam accessisse: & sanè Honorium Romana Sedes nunquam condemnavit, ut patet ex sæpe dictis, & iterum patet ex mox di-cendis. Si Legati Pontificis ea in causa plus Synodo concessissent, transgressi fuissent suum mandatum, aut instructionem: vel cer-tè sine mandato id fecissent: quo casu *ex n. 330.* eorum acta, neque à Pontifice rata habita, neque infallibilia habenda fuissent. Quod jam spectat ad Agathonem Pon-tificem, hic Honorium nunquam damna-vit, ut clarum est ex ejus epistolis: imò in epistola, quæ (prout *n. 353* dictum est) à Concilio illo, ut S. Petri vox recepta est, ait, nullum suorum Prædecessorum, à fide unquam errasse. Unde mirandum est, Caran-zam in Summa Conciliorum, in compendio Synodi VI. *actio. 4.* dum compendiosè refert Agathonis epistolam, eidem inter alios hæreticos nomen Honorii inseruisse, in quo, ne scio, qua falsa suppositione, de-ceptus fuit. Et hæc sufficient, ad aliquam eru-ditionem Theologicam; neque enim hæc polemice hæc tractamus. Qui copiosorem hæc de re eruditionem desiderat, Baronium, Bellarminum, Leytamum, aut alios pole-micos scriptoresolvere velit, qui abundè ei satisfaciunt.

ARTICULUS XIV.

An Pontifex sit infallibilis in Quæstionibus facti, & Damnationibus certarum Propositionum.

393. **Q**uestio est, an Summus Pon-tifex sit infallibilis, tam in quæstionibus facti, quam in quæstionibus juris. *Questio juris* vocatur, quando queritur de existentia alicujus juris, sive, an jus aliquod detur, præcipiens, vel prohibens certam aliquam rem. *Questio facti* autem dicitur, quando queritur, an aliquid factum sit, vel non. e. g. quæstio ju-ris est, an infantes debeant baptizari: quæstio facti, an hic, vel ille infans sit baptiza-tus. Ad quæstiones juris reducuntur eti-am illæ, quibus queritur de honestate ali-cujus rei, per se quidem non præceptæ, sed suasse: vel de licentia alicujus actionis, cir-ca quas quæstiones dici potest, dari jus, quod licitam reddat talem actionem, vel sal-tem eam honestam reputari jubeat. e. g. licet nul-

An Pontifex sit infallibilis in Quæstionibus facti, & Damnat. certarum Proposit. 121
nullum detur jus, per se præcipiens ingres-sum in religionem, datur tamen jus præci-piens, ut talis ingressus reputetur bonus, & meritorius; quia Ecclesia, vel Pontifex, approbans religionem, proponit eam ut vi-am perfectionis.

Jam quoad quæstiones juris, nullum du-bium esse debet, de infallibilitate Pontificis; nam omnes rationes, pro ejus infallibilitate adductæ, vel maximè probant, quod in explicando jure Divino, vel condendo jure Ecclesiastico humano (quibus in casibus univèrsam Ecclesiam obligat, vel ad creden-dum, vel ad obediendum) infallibilis sit, ne tota Ecclesia in errorem inducatur, cre-dendo honestum, idque exequendo, quod reipsa tale non esset.

394. Quoad quæstiones facti autem, sciendum est inter eas discrimen; aliqua enim facta Pontifex non proponit credenda, sed tanquam testibus, aliisque legitimis do-cumentis juridicè probata, supponit vera, atque exinde ad pœnam itatuendam, vel gratiam faciendam, progreditur; quin ullo modo fideles obliget ad credendum, ea facta reverà contigisse. Quæstio de hujus-modi facta dicitur *puri facti*, & tale factum vocatur *informe*; eoquod non sit in-formatum, ut ajunt, Pontificia definitio-ne.

In tali casu falli potest Pontifex, & cum ipso Concilium (& sic utique erravit Stephanus VII. dictus VI. dum Papam For-mosum, antecessorem suum, è tumulto pro-tractum, in Tyberim projici jussit: quod factum Spondanus *ad an. 897.* vocat *imma-ne sacrilegium*) nam in tali facta, quamvis Pontifex erret, errat tantum ut homo priva-tus, & sicut alius judex: nec inde damnum inferitur toti Ecclesie. Tenetur quidem con-demnatus obedire Pontifici, ut quisvis alius alteri legitimo judici, pœnamque subire, ne scandalum præbeat: at potest licitis modis petere novum causæ suæ examen, & inno-centiæ suæ, productis novis testibus, vel do-cumentis, consulere.

395. Alia sunt facta, quæ à quibusdam vocantur *dogmatica*, vel *formata*, quæque Pontifex ut Caput Ecclesie, & Doctor uni-versalis, sua definitione informat, atque fide-libus firmissimo assensu tenenda proponit: & circa hæc facta Pontifex infallibilis est. Tale est factum, quod Benedictus XII. du-dum ante Concilium Florentinum definivit, nempe, animas defunctorum, ante generale judicium (scilicet postquam penitus expur-gatæ fuerunt) in cœlum recipi, & Divinam essentiam videre (verba vide *in tract. de beatitud. n. 50.*) hoc enim est aliquod fac-tum, quod Ecclesie credendum, adeoque infallibiliter propositum est. Tale quoque factum definitur, quando quis de novo inter Sanctos refertur, seu canonizatur; tunc enim definitur, talem hominem in statu gra-tiæ decessisse; quod est aliquod factum. Quia tamen talis defunctus toti Ecclesie colendus proponitur, & hæc non minus erra-ret, si coleret damnatum, quam, si coleret

damonem, debet Spiritus S. infallibili sua assistentia, talem errorem impedire.

396. Dices forte cum quibusdam, tales quæstiones, non tam de facto, quam de jure esse; cum in iis agatur de sensu verbi Di-vini scripti, aut traditi; nam, ajunt, animas purgatas itatim in cœlum admitti, & hunc, vel illum, in gratia perseverasse usque ad fi-nem, jam esse à DEO revelatum; & tan-quam propositionem particularem implicite contineri in revelata aliqua propositione uni-versali. Sic, ajunt, in hac propositione: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic sal-vus erit. Matth. 24. v. 13.* implicite esse re-velatum, quod hic, vel ille sit canonizatus, vel Sanctis annuereatus; nam dicunt, quod, dum Christus eam propositionem protulit, jam omnes, & singulos, sub particula universali qui contentos, intellexerit, ac designarit: Pontifex autem sua definitione nobis applicet, vel declaret, hunc, vel il-lum, esse unum ex particularibus, sub uni-versali illa contentis.

Resp. Hoc facile potest totum admitti; nam non minus quælibet alia facta, quæ Pontifex eodem modo proponit, dici po-terunt similiter revelata; cum Sacræ Scri-pturæ, vel traditiones Divinæ, abundant hujusmodi universalibus dictis: modò hoc firmum sit, Pontificem definiendo ex cathedra, aliquod factum etiam particulare, infal-libilem esse. Hoc idem alii aliis verbis as-ferunt, dum ajunt, Pontificem falli non posse in quæstionibus facti, si hæc sint annexæ quæstionibus juris, seu quando error in illis traheret post se errorem in jure, id est, vel falsam interpretationem verbi Divini, vel præceptum inhonestum, e. g. colendi dam-natum.

397. Ex his patet, definitiones Ponti-ficias, quibus aliquæ propositiones, aut veræ declarantur, aut censura quadam reproban-tur, spectare ad quæstiones juris; queritur enim tunc, an sensus talis propositionis sit jux-ta, vel contra jus Divinum, sive, an propositio, in obvio sensu accepta, sit contraria legi Di-vinæ, aut humanæ: quod est formalissimè inquirere in ipsum jus. Unde, qui ausi sunt dicere, posse Pontificem falli in rite perci-piendo alicujus propositionis sensu, & hoc accidisse circa Jansenii librum, non possunt negare, Pontificem falli posse in quæstioni-bus juris. Et pari jure posset quis dicere, Concilium Tridentinum decipi potuisse in intelligendis scriptis Lutheri, adeoque non esse infallibilem eorum damnationem.

398. Ex occasione hæc ulterius quæri-tur, quid sentiendum, de damnatione certa-rum propositionum à Summis Pontificibus facta, ut à Pio V. Gregorio XIII. Inno-centio X. Alexandro VII. Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. Resp. diversas esse censuras, talibus pro-positionibus inultas. *Hæretica* dicitur, quæ est aperte opposita veritati alicui, quæ est certò de fide. *Hæresi proxima*, vel *spe-ciens hæresin* (nam has duas censuras au-thores multi, quamvis non omnino omnes,

confundunt, & pro eadem accipiunt) est illa, quæ, vel certò opponitur doctrinæ, quæ plerorumque iudicio est probabilis de fide: vel non quidem certò, sed tamen probabiliter, & plurimum gravium doctorum, gravi fundamento nixorum, iudicio, opponitur veritati, quæ est indubitata de fide.

Erronea, quæ contradicit conclusioni Theologica, evidenter deducta, ex una præmissa de fide, & altera naturaliter evidente: si tamen talis conclusio objectiva non eo ipso habeatur revelata, quod aliquando contingit, quando scilicet talis conclusio est contenta in veritate revelata, de qua re inferius à n. 422. *Errori proxima*, quæ opponitur conclusioni ferme simili, seu deducta ex præmissis, quarum una plerisque, non tamen omnibus, censetur esse de fide, & altera omnibus evidens: vel, si una præmissa omnibus est certa de fide, altera quidem plerisque, non tamen omnibus, est evidens: vel, si omnibus una est certa de fide, & altera evidens, attamen bonitas consequentiæ, non omnibus, sed tantum plerisque est evidens. *Male sonans*, quæ abutitur vocibus contra communem usum fidelium: vel est æquivoca, habens aliquem quidem sensum Catholicum, sed etiam alium falsum, vel hæreticum, ita, ut in hoc frequentius usurpetur.

Piarum aurium offensiva, quæ tale aliquid, vel tali modo asserit, ut fidelium pietatem, & reverentiam minuat: vel aliquid, non quidem absolutè falsum, sed tamen indecorum de DEO, vel Sanctis dicit, e. g. si actiones humanæ hominibus necessaria, at occultari solita, de Christo Domino indecorè dicantur. *Temeraria*, quæ communi Theologorum sententiæ, sine sufficienti fundamento contraria est. *Scandalosa*, quæ præbet scandalum activum, seu occasionem ruinæ spiritualis, inclinando ad peccata, vel revocando à virtute.

Blasphemia, quæ injuriam contra DEUM, vel Sanctos continet. *Impia*, quæ veri DEI cultum minuit, vel etiam opera misericordiæ, aut pietatis impedit. *Perniciosa*, quæ grave malum Ecclesiæ, aut communitati causat. *Captiosa*, quæ sub specie veritatis in errorem inducit. *Injuriosa*, quæ injuriæ afficit, eas præsertim personas, quorum honori præ aliis cautum vult Ecclesiæ, e. g. Prælatos Ecclesiasticos, reges, & principes, religiosas familias &c. *Seditiosa*, quæ apta est excitare turbas, aut schismata, in Ecclesiâ DEI, vel populis Christianis.

399. Jam certum est, ex rationibus supra adductis, Pontificem, dum propositiones tales damnat ex cathedra, infallibilem esse, adeòque cuilibet propositioni eam censuram infallibiliter convenire, qua determinatè afficitur. Si verò non quælibet determinatè censurâ afficitur, sed (ut sæpe fit, & præsertim factum est in condemnatione propositionum Quenelli per Constitutionem *Unigenitus*) omnibus propositionibus prius relatis, subjunguntur variæ censuræ, additæ particu-

larè respectivè, signum est, non omnes censuras cuilibet propositioni, sed varias variis propositionibus esse inultas.

Quenam autem censuram in tali casu cuilibet propositioni peculiariter conveniat, vel ex subjecta materia, vel ex assertionibus aliis, determinatè censurâ affectis, debet colligi. Quod si igitur propositio, ut hæretica determinatè damnetur, (sicut determinatè damnatæ sunt primæ quatuor Jansenii propositiones, imò & quinta, si intelligatur, Christum pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse) tunc infallibiliter talis est, & Pontifex implicitè declarat, oppositam propositionem esse articulum fidei, propositionem verò damnatam esse falsam.

400. At verò, quando Papa propositionibus alias censuras inurit, tunc, ut bene probat Cardenas in *sua crisi Theologica de proposit. damn. ab Innocentio XI. disert. præmiali. c. 7. & 8.* non definit, esse de fide, quòd illæ propositiones sint falsæ; aliàs debet credi tanquam articulos fidei earum falsitas: adeòque hæreticus esset, qui eas assereret, & consequenter eæ propositiones essent hæreticæ; cum tamen Pontifex non definiat, eas esse hæreticas, sed tantum, esse e. g. scandalosas &c.

Unde rectè idem Cardenas eodem loco adstruit duplicis classis definitiones Pontificis: aliquas, quibus declarat articulos fidei: alias, quibus declarat certò, & infallibiliter, aliquam doctrinam, vel retinendam, vel repudiandam esse. Quamvis autem utriusque classis definitiones omnes infallibiles sint, non tamen omnes oppositam doctrinam reddunt hæreticam; cum hæreticum plus sit, quam tantum infallibiliter falsum; debet atque istud, non tantum quacunquè infallibili verò, sed certo, & indubitato articulo fidei opponi.

Certè aliàs non esset discrimen, inter propositionem, à Pontifice damnatam ut falsam, vel temerariam, & inter aliam damnatam ut hæreticam, quod nemo Theologorum dixerit: & refelli potest apertè ex damnatione propositionis quintæ Jansenii, quam Innocentius X. absolutè falsam, & temerariam declarat: dein primùm subjungit: *intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, hæreticam declaramus*: ubi manifestè Pontifex facit discrimen, inter unam, & alteram censuram.

401. At num etiam tam infallibiliter certum est, propositionem aliã, quam hæresis censurâ affectam, esse falsam, sicut certum est, eam esse, e. g. temerariam? Resp. Damnata ut erronea etiam certò est falsa; nam ista, ut patet ex n. 398., est opposita conclusioni certæ. At quid si propositio damnetur ut piarum aurium offensiva, male sonans &c? Resp. tales propositiones non esse æquè certò falsas, saltem non in omni sensu, ut patet ex ipsa terminorum horum explicitatione: quæ explicatio terminorum etiam circa alias propositiones, e. g. captiosas, seditiosas &c. potest dubium simile resolvere.

An Pontifex sit infallibilis in Quæstionibus facti, & Damnat. certarum Proposit. 123

402. Videri fors posset alicui, quòd propositio, damnata ut temeraria, non sit infallibiliter falsa; eoquòd possit supervenire novum fundamentum, quod tollat temeritatem, & simul faciat eam propositionem prudenter credibilem. Et quidem Cardinalis de Lugo de fide disput. 20. sect. 3. n. 114. ait, propositionem temerariam non esse infallibiliter falsam: quamvis sit infallibiliter temeraria. Cardenas autem in *crisi in proposit. ab Innoc. XI. damnat. disert. præmiali. c. 10. n. 168.* advertit longè aliud esse, si propositio aliqua videatur talis, vel talis, privato doctori, & si Pontifex eam talem esse definiat; nam, cum privati doctoris iudicium possit errare, potest utique contingere, ut fundamentum temeritatem tollens superveniat.

At Pontificis Romani iudicium habet duo, nempe infallibilitatem, & perpetuitatem; non enim Pontifex tantum definit pro aliquo tempore, aut proponit Ecclesiæ doctrinam, tantum uno, aut altero anno tenendam, sed in perpetuum; unde, cum infallibiliter definiat, non adesse fundamentum, cui prudens assensus niti possit: & hæc definitio etiam pro futuris temporibus duret, non tantum definit, pro nunc non adesse tale fundamentum, sed absolutè definit, non dari tale fundamentum, & hanc propositionem semper, tanquam temerariam, esse reiiciendam: & hinc talis propositio nunquam potest esse vera; non enim potest esse vera propositio, quæ à nemine prudenter affirmari potest; cum utique, si vera esset, dari deberet aliquod fundamentum prudentis affirmationis, quod, licet necdum esset cognitum, tamen aliquando posset cognosci; aliàs neque DEUS posset propositionem, licet veram, revelare; nam si eam revelaret, eo ipso daretur fundamentum prudens eam affirmandi, scilicet ipsa revelatio, vel aliquid aliud per illustrationem ostensum.

Similiter Cardenas *dissertatione modo citat. n. 172.* fusè contendit, propositionem scandalosam esse falsam; cum scandalositas illius, ut ita dicam, semper futura sit: propositio autem scandalosa in doctrina morum utique fit falsa; cum nunquam liceat sequi eam propositionem, quæ scandalum præbet. Nec dicatur, posse rebus magis suo tempore declarari, scandalum cessare; nam hæc ratio propositio non fuisse in se scandalosa, sed tantum per accidens, ratione ignorantia: hoc autem dici non potest de propositione damnata à Pontifice, à quo Spiritus S. assentientia removet omnem in definitionibus ignorantiam: nec potest Pontifex definiens, ex ignorantia dicere illicitum objectum, quod reverà est licitum, ut rectè observat Cardenas *cit. disert. n. 173.* Hæc pro instituto nostro, de damnationibus propositionum, in compendio dicta, sufficient: qui plura cupit, videre poterit Cardenas in *crisi in proposit. ab Innoc. XI. damnat. per totam dissertationem præmialem.* item Vivam. p. 1. *trutina Theolog. quæst.*

prodruma. Rasklerum in regula externa fidei art. 19. n. 293. Suarez, Lugo, & alios, qui rem hanc fusè pertractant.

ARTICULUS XV.

An legitima sit Appellatio à Definitionibus Pontificis ad Concilium Generale.

403. **D**ico. Appellatio à Pontificis definitionibus ad Concilium generale est nullo modo legitima. ita communissimè Catholicis doctores. Prob. conclusio 1. Appellatio hæc est contra omnia Jura Canonica, imò est ab his reprobatissima: ergo nullo modo est legitima. prob. ant. Gelasius Papa C. *Ipsi sunt canones. 16. causa 9. q. 3.* sic loquitur: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examinem voluere deferri: ab ipsa verò nusquam propositus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesiâ judicare, ipsam ad nullius committere iudicium, nec de ejus unquam præceptis iudicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt.* Idem Pontifex C. *Cuncta. 17. ead. caus. & q. ait. Cuncta per mundum novit Ecclesiâ, quòd sacrosancta Romana Ecclesiâ fas de omnibus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus licet judicare iudicio; si quidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab illa autem nemo est appellare permissus. Sed nec illa prætermissa, quòd Apostolica Sedes sine ulla synodo præcedente, & solvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuit facultatem: & hoc nimirum pro suo principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce, & tenuit semper, & tenebit.*

Nicolaus I. C. *Patet. 10. ead. caus. & q.* sic ait: *Patet profectò Sedis Apostolicæ (cujus auctoritate major non est) iudicium à nemine fore retractandum: neque cuiquam de ejus licere judicare iudicio, juxta quòd Innocentius Papa Ruffo, & ceteris Episcopis per Thessaliam constitutis, scribens ait: Nemo unquam Apostolica culmini (de cujus iudicio non licet retractare) manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exiit, nisi qui de se voluit judicari: & B. Papa Gelasius: Nec de ejus iudicio (id est Romana Ecclesiâ) canones unquam præceperunt judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potius sequenda decreta mandarunt.*

404. Posthæc Pius II. *ann. 1460.* in Conventu Mantuano interrogavit, quid censendum esset de hujusmodi appellantiibus: & omnes unanimi voce responderunt, esse damnandos, tanquam fautores hæresis, & reos læsæ Majestatis. Quare Pontifex edidit Bullam (quæ in Bullario Cherubini tertia est inter Bullas Pii II.) in qua sic ait:

Execrabilis, & pristinis temporibus inauditus, tempestate nostra inolevit abusus, ut à Romano Pontifice... nonnulli spiritus rebellionis imbuti... ad futurum Concilium provocare presument. & paulo post: Huiusmodi provocationes damnamus, & tanquam erroneas, ac detestabiles, reprobamus... easque tanquam inanes, ac pestiferas, nullius momenti esse decernimus. Rursum Sixtus IV. ann. 1483. huiusmodi appellationes, quacunque occasione interponerentur, non solum irritas, & inanes, sed etiam fraudulentas, & sacrilegas, & hæreticas esse declaravit. Quæ Sixti Bulla teste Odorico Raynaldo ad an. 1483. n. 22. in Gallia iussu Regis Ludovici solemniter est promulgata. Similes censuras contra hos appellantes intorserunt Calistus III. Julius II. ac alii: & in nostra usque tempora quotannis Pontifices per Bullam Cœnæ, appellantes hosce feriunt excommunicatione.

405. Dices, Pontifices, in hac causa ipsi propria, non esse idoneos iudices. Resp. Tota Ecclesia sacros hos canones ante plura sæcula acceptavit, & ratos habuit, adeoque idem sensit. An nec ista huic rei decidendæ idonea est? Nec tantum Ecclesia tacite canones hos acceptavit, sed eosdem expressè in Conciliis generalibus statuit. Constantinopolitanum IV. action. 10. can. 13. vel in fragmentis. can. 21. asserit, ne quidem à Concilio generali posse in Romanum Episcopum sententiam dici: verba vide n. 342. Iterum approbante Lateranensi Oecumenico sub Leone X. sess. 11. idem Leo edidit Bullam: *Pastor æternus gregem suum*: in qua habentur hæc verba: *Solum Romanum Pontificem, pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem.*

Accedit 1. quòd, cum Pontifex sit Doctor, & Pastor universalis Ecclesiæ, debeat posse eam docere, quid in hac questione gravissima sit tenendum: quis enim eam alius doceat? An Concilium sine Pontifice? & acephalum non est ullo modo infallibile. An Concilium cum Pontifice? & sunt partes litigantes, quibus non competit ferre sententiam. Accedit 2. quòd, etiam de jure humano, principes, qui superiore non agnoscunt, possint sententiam ferre in causis propriis: quidni id possint Pontifices, immediati Vicarii Jesu Christi? Accedit 3. quòd Pontifices, in hac causa pronunciantes, non tam agant causam suam, quam causam Christi Domini, cujus institutionem circa suum Vicarium defendunt.

406. Hinc nunquam admittæ sunt tales appellationes: nec est ullum exemplum, quòd propter alicujus, vel plurium à Pontificis definitione appellationem, unquam coactum sit universale Concilium, aut in aliquo Concilio acta sit causa taliter appellantium. Quamvis enim aliquando causæ aliquæ, prius à Papa definitæ, in Concilio generali fuerint productæ, ut causa Monothelitarum in Synodo VI. tamen id non fuit factum, ut deferretur istorum appella-

tionem, nec ut examinaretur, vel reformaretur iudicium Pontificis: sed tantum ad faciendam majorem aliquam declarationem, vel etiam ad majorem, vel magis extensam errorum, & errantium damnationem: sicut etiam ex eadem ratione in Tridentino fuit tractatum de hæresibus Lutheri, jam à Leone X. damnatis.

At contra exempla sunt plura admittæ appellationum, à Conciliis ad Apostolicam Sedem; eaque factæ sunt à sanctissimis viris, Athanasio, Cyrillo, Chryostomo &c. Pariter Concilia, etiam universalia, semper consueverunt actorum suorum confirmationem à Pontifice petere, ut testatur de prioribus Concilium Lateranense, quo assentiente Leo X. in Bulla num. præced. citata: *Pastor æternus*: sic ait: *Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboracione, à Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere.* Quod etiam Tridentino Patres fecisse ex fessione ultima seu eius continuatione g. *Illustrissimi*: & ex Bulla Pii V. decreta Concilio confirmante, notissimum est: quin contra ullus Papa necessarium duxerit, suarum definitionum confirmationem ab ullo Concilio petere.

407. Fortè quis dicet, canones supra adductos mentionem facere Sanctæ, & Apostolicæ Sedis, & ab hac non appellandum statuere: at per Sanctam, seu Apostolicam Sedem, debere intelligi, non solum Romanum Pontificem, ex cathedra, seu sede Divi Petri loquentem: sed hunc unâ cum reliquis Episcopis. Et fortè possent videri, post Illustrissimum Jacobum Benignum de Bossuet Episcopum Meldensem, hoc innuere Præsules moderni Gallicanæ Ecclesiæ in sua ad modernum Regem epistola, à. 1728. in qua afferunt verba Illustrissimi Bossuet, ab eo, ut ajunt, in quadam allocutione Gallorum Antilitum, ad initium cujusdam Conventus prolata, quæ ex idiomate Gallico in Latinum translata sic habent: *Sancta Sedes principaliter est corpus Episcopatus, utriusque Capiti: hic debet inveniri depositum doctrinæ Ecclesiasticæ, concreditum Episcopis per Apostolos.*

Sed non possum mihi persuadere, sapientissimos Præsules voluisse adducere sensum, his verbis, prout jacent, & acceptis contentum; esset enim hic modus loquendi omnino novus, & antiquioribus incognitus. Sanè hi termini, *Sancta Sedes, Apostolica Sedes, Sedes Petri*, & similes, hucusque à Patribus, & Conciliis, semper fuerunt intellecti, de Episcopatu Romano, seu cathedra Romana sola, ut est clarum volventi scripta antiquorum: certè S. Augustinus *serm. 2. de verbis Apostol. c. 10. seu in fine*. loquens de causa Pelagii, & sequacium, ait: *Fam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: error utinam aliquando finiat*: quibus verbis nec à longè vult dicere, missa esse ad generale

Concilium, vel ad corpus Episcoporum, ut est clarum; cum in causa Pelagii nullum Concilium sit celebratum; imò nec ad omnes Episcopos, vel ad plurimos totius orbis, missa sint acta illa: multò minùs à plurimis Episcopis rescripta venerint. Unde intelligit S. Doctor Sedem Romanam.

408. Quin ipsi Præsules Gallicani paulò antiquiores, suam ad Innocentium X. epistolam in causa Janßenii scriptam (de qua n. 356.) sic inchoant: *Majores Ecclesiæ causas ad Sedem Apostolicam referre solennis mos est*: ubi utique non intelligunt per Apostolicam Sedem corpus Episcoporum; alias non à solo Innocentio petissent decisionem (quam tamen ab eo solo, & non à corpore omnium Episcoporum petisse, manifestissimum est) nec post decisionem Innocentii, in literis, quibus ei propterea debitas gratias egerunt (de quibus eodem n. 356.) dixissent: *Sanctitas Vestra, per Petri sollicitatem, contusis veritatis hostium animis, securus ab omni externa perturbacione de nova hæresi triumphos aget*. Dein ipsi canones à nobis adducti non volunt dicere, quòd decreta à corpore Episcoporum facta, non debeant alteri iudicio submitti (de hoc enim nec dubium, nec quæstio erat) sed volunt id docere de decretis solius Pontificis; hinc Gelasius dicit *hujus Scæis, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ*. Nemini etiam dubium esse potest, Nicolaum, & Innocentium, ab hoc citatum, de Romana Sede in particulari loqui. Videri etiam meretur Canus de *locis Theolog. l. 6. c. 4.* ubi plurima asserit testimonia, ex quibus clarè patet, Romanam Sedem intelligi per Sanctam, aut Apostolicam Sedem.

409. Prob. conclusio 2. Appellatio, ut apud omnes est certum, debet fieri à iudice inferiore ad superiorem: acqui nullum Concilium est supra Papam: ergo. prob. mi. Christus nusquam concessit uli Concilio jurisdictionem, vel superioritatem in Summo Pontifice: sed potius dedit Summo Pontifici jurisdictionem in Concilia, etiam generalia: ergo. ant. quoad 1. partem prob. negativè; quia non potest ullo modo ostendi, ubi Concilio ea jurisdictione data sit: quoad 2. partem verò prob. positivè. Episcopi, etiam in synodum congregati, sunt oves Christi, quas Petrus omnes accepit pascendas, dum ei est dictum *Joan. 21. v. 17. Pæse oves meas*: at pastor habet superioritatem, & jurisdictionem in omnes oves ei concreditas, etiam congregatas, seu collectivè acceptas: ergo. Idem probatur ex Concilio Lateranensi citato n. 405. & n. 406. Item hoc spectant omnia, quibus à n. 326. ex Conciliis, & Patribus probavimus, definitiones Conciliorum debere approbari à Summo Pontifice. Addo de Tridentino, etsi in hoc non habeatur aperta definitio hujus Pontificis superioritatis, tamen ex Pallavicino in *historia ejusdem Concilii l. 21. c. 4. n. 5. & seq.* constat; omnes ex Italia, ac Hispania, Patres consensisse, ut definitur, Papam esse supra Concilium: qui

numero multum excedebant Gallos, & paucos alios ex aliis regionibus præsentem: Quin ex Gallis Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis (apud P. N. *Torrjun manu-diction. ad convers. Machumetan. p. 1. l. 3. c. 6. §. 11.*) sic scribit ann. 1662. de nostra sententia: *Quam unice Hispania, Italia, omnesque Christianitatis Provincie docent, ita, ut illa, quam sententiam Parisiensium vocant, ad classem earum opinionum reducenda sit, quæ tolerantur*. Galli quoque antiquiores idem senserunt: & testatur Joannes Gibalinus l. 5. de *jure canon. c. 3. q. 3. §. 15.* Theologiam Parisiensem antehac semper nostræ sententiæ adhæsisse.

410. Confir. Pontifex est verus, & unicus Christi Vicarius, suprema auctoritate præditus, ut definitum est à Constantiensi Concilio sess. 8. in qua damnantur 45. propositiones, seu articuli Wicleffi, & inter has 37. *Ecclesia Romana est synagoga satana; nec Papa est immediatus, & proximus Vicarius Christi, & Apostolorum, & iterum in Bulla Martini V. quæ in eo Concilio, & eodem approbante, est edita, atque actis inserta, habeturque sess. 45. ubi à suspecto de hæresi dicitur querendum: *Utrum credat, quòd Papa... sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia DEI?**

Idem rursum definitum est in Concilio Florentino sess. ultim. in literis Unionis his verbis: *Definimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, & ipsam Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur*. Ex quibus verbis etiam habetur, priora Oecumenica Concilia idem definitivè, Sed & innumeri Patres, atque doctores, idem, ubicunque occasio est, tradunt.

Jam sic, Vicarius habet idem tribunal cum principali, adeoque Pontifex cum Christo: ergo non datur majus tribunal, adeoque nec appellatio à Pontificis tribunali. prob. subsumptum ex *Cap. Non putamus. de consuetud. in 6. item ex Cap. Romana Ecclesia 1. de officio Vicarii in 6. & Cap. Romana 3. de appellationibus in 6. & l. unica Codic. de sent. præf. prator.* in quibus locis clarè deciditur, unum esse tribunal Vicarii, & Principalis: ergo. Confir. 2. Appellans recedit ab obedientia ejus, à quo appellat: sed non licet Christianis, nec singulis, nec omnibus, recedere ab obedientia Summi Pontificis, in causis spiritualibus: ergo.

411. Prob. conclusio 3. Appellatio inutilis, & frustratoria, quæ fit præcisè ad trahendam litem, vel vitandam condemnationem, omni jure, naturali, & posi-

tivo, est nulla, ut doctores unanimiter docent, & clarè habetur *C. Cum speciali. 61. de appellationibus & l. Tutor. 41. ff. de usuris*: atqui appellatio à Pontifice ad Concilium est talis: ergo. prob. mi. 1. quoad frivolum inutilitatem. Tunc appellatio est inutilis, & frivola, quando non potest sperari mutatio sententiæ, ut est per se clarum: atqui in nostro casu ista sperari non potest; quia non potest iudicium infallibile (quale esse Pontificis abunde probatum est) mutari sine errore, in quem labi non potest Ecclesia.

Certè, cum olim in Synodo VI. ageretur causa Monothelitarum, tam longè abfuerit Patres à mutanda Agathonis Pontificis epistola decretali, ut *actione 18. in hæc verba proruperint: Per Agathonem Petrus loquebatur. quin imò, ut habet Spondanus ad ann. Christi 679. n. 2. Agatho, & Synodus Romana, in literis ad Synodum VI. seu Constantinopolitanam III. contestabantur, haud se mittere Legatos ad disputandum de questione controversa, tanquam de re incerta: sed ad docendum, quæ esset Apostolica sedis traditio, adeo, ut nihil præsumerent augere, minuire, vel mutare &c.*

Confirm. 1. Vel Concilio, ad quod appellatur, præsidebit Pontifex, vel non. Si primum; non sinet, à se infallibiliter statuta convelli, nec id Christus permittet, ne portæ inferi contra Ecclesiam prævaleant. Si secundum: Concilium erit acephalum, & rebus fidei definiendis insufficiens, ut farentur ipsa Concilia Oecumenica, quæ sua decreta eousque non censuerunt infallibilia, donec Romana Sedis approbationem impetrassent; hinc eam, ut dictum *n. 328. & 406.* semper humiliter petierunt. Et patet hoc ulterius ex eo, quod plura Concilia, absque Pontificis jussu, aut directione habita, vel ab eo reprobata, etiam ab Ecclesia reprobata fuerint, ut Sirmiensis, Ariminensis, Mediolanensis &c. nulla autem unquam definitio Pontificia fuerit reformata, abullo Concilio.

412. Quod autem talis appellatio etiam sit frustratoria, & præcisè ad litem trahendam inventa, sic probò. Etsi in gratiam appellantium conveniret Concilium, tamen, nisi hoc statueret, quod ipsi vellent (quod tamen fieri non posset; cum Spiritus S. non posset permittere, infallibiliter statuta convelli) ipsi nunquam acquiescerent: ergo. Scilicet; ut Tridentino non acquieverunt Lutherani, aut Calvinistæ, ita nec acquiescerent novi appellantes alicui alteri, & ad nova, ac nova Concilia, sine fine appellantes, novâsque semper opponerent exceptiones: sive, quod non factis sint auditi: sive, quod Consilium fuerit potissimum ex adversariis suis conflatum: sive, quod Papa dominante non fuerit liberum: sive, quod Patres sinistris affectibus, aut opinionibus fuerint præoccupati.

Sic advocati Parisienses, qui *an. 1728.* appellationem, à Constitutione *Unigenitus* ad Concilium factam, scripto defendere

conati sunt, visi sunt velle excludere à synodo convocanda eos Episcopos, qui Pontificias definitiones extra Concilium factas, etiam ante tacitam Ecclesiæ acceptionem, infallibiles esse sentiunt: & hinc sapientissimi Gallia Præsules, necesse habuerunt, in sua ad regem epistola supra memorata, eos confutare, & quidem solidè ex eo, quod Spiritus S. assistentia non dependeat ab opinionibus privatis Episcoporum, sed ab eorum sacro caractere Episcopali, & legitima ad Concilium convocatione, atque in unam synodum universalem cum suo capite conventu.

Si qui appellantes modestius se gerent, facile tamen comminiscerentur novas frivolas distinctiones, aut distortas interpretationes, quibus non minus Concilii canones, quam modò Pontificis definitiones eluderent. Sanè Jansenii hæreses dum Tridenti damnatæ fuerunt: & *caput 5. ac canon 4. sess. 6.* cum illis erroribus conciliari in æternum non potest: nec tamen ab iis recedunt sectarii illi: nec gratiam, cui voluntas humana possit resistere, unquam sincere admittunt.

413. Prob. conclusio 4. Appellatio hæc ad Concilium universale, non tantum est inutilis, sed perniciofa, seu, ut eam Pius II. supra citatus *n. 404.* vocat, est pestifera. Prob. Appellare ad Concilium, in causa dogmatum fidei, est captare tempus, & impunitatem, per plurima lustra, aut sæcula, spargendi errores, cum pernicie innumerorum fidelium: ergo est perniciofa. prob. ant. cogere Concilium universale res est infinitis, & vix eluctabilibus difficultatibus obnoxia, adeoque non potest, nisi rarissimè, & post plurimos annos sperari: ergo, si debet expectari Concilium, ut errores, & hæreses damnentur, isti diutissime impunè grassabuntur: & qui hoc petit, subdolè petit diuturnam sibi impunitatem spargendi errores.

Prob. ant. Licet antiquioribus Ecclesiæ temporibus, quando tantum unicus princeps, aut duo fratres, Orienti, & Occidenti, dominabantur, sat facile Episcopi ex omnibus provinciis convenerint, tamen nunc, divisio in plurimos terreno regimine, difficultissimum est, eos ex tot regnis, sæpe inter se bello, aut belli suspitione, distractis, in unam mediam stationem coire. Si Germaniæ, Gallia, Hispania (ut de aliis nil dicam) vel inter se, vel uni eorum cum Pontifice, dissidium intercedit, statim Concilio mora insuperabilis surgit; eoque mox principes, vario sub prætextu, suarum regionum Episcopos domi retineant: vel etiam aliis transgunt per suas ditiones non permittant. Similia autem impedimenta, in tanta nationum, geniorum, commodorumque propriorum, varietate, nunquam ferme possunt abesse.

414. Evidenti exemplo est Concilium Tridentinum, quod jam *an. 1537.* Paulus III. Mantuanum indixit: sed ob duriores conditiones, à duce, alique objectas, anno sequenti Vicentiam transferre necesse habuit: mox

mox ob nova impedimenta omnino illud Pontifex suspendere debuit. Ut tamen extremos conatus adhiberet, ipsemet, quamvis senex septuagenario major, exhausto longo Nicæam usque itinere, à Carolo V. & Francisco I. saltem in decennium inducias impetravit, statimque iterum *anno 1542.* Concilium Tridentum indixit: & tamen ob recrudescens bellum, aliæque obstacula, non nisi *anno 1545.* sub finem, seu *13. Decembris* festo prima celebrari potuit.

Mox *an. 1547.* ob luem Tridenti grassantem, Pontifex illud Bononiam transferri, Carolo V. verò id Tridenti retineri volentibus, omnino fuit suspensum. Resumptum denuo *an. 1551.* à Julio III. statim iterum altero anno ob nuntium belli, à Protestantibus imminenti, suspendi debuit. Et sic cessatum fuit per novem integros annos, donec Pius IV. anno Pontificatus sui II. illud reassumi præcepit, ac tandem exhaustis maximis curis, ei *in fine Decembris an. 1563.* hoc est, ab ejus exordio *anno 18.* finem imposuerit.

Alias difficultates gravissimas, eo durante Concilio exortas, legere licet in historia ejusdem, à Cardinale Pallavicino conscripta: quam, si evolveris, fateberis, synodum œcumenicam cogere, esse rem vix non moraliter impossibilem. Certè à Tridentino finito fluxerunt hucusque anni ferme centum septuaginta, nec tamen toto hoc tempore, quamvis voluissent Pontifices, de ullo novo Concilio universali convocando agere potuerunt. Ex quo cuivis rectè sentienti est manifestum, quod Christus Ecclesiæ suæ non reliquerit hoc medium unicum, profigandi errores, ac hæreses.

ARTICULUS XVI.

Solvuntur Objectiones.

415. **O**B. I. Datur appellatio ab imperatore ad comitia: ergo etiam à Papa ad Concilium. Appellatio est remedium juris naturæ, hoc est, à naturali jure cuique concessum, & habet rationem defensionis, quæ omnibus jure naturæ licita est, contra gravamen ex sententia condemnatoria: ergo etiam licita est appellatio à Papa ad Concilium; aliàs enim, si quis injustè gravaretur, non haberet ullum remedium suæ innocentia &c. Resp. Multi Jurisconsulti negant antec. ergo illud omitto, & neg. conf.

Papa suam potestatem immediatè habet à Christo, cujus Vicarius est, jure Divino: econtra imperator suam potestatem habet quidem mediatè à DEO: at immediatè eam habet à populo, vel electoribus, qui potuerunt ei conferre potestatem, vel magis, vel minus limitatam. At Summo Pontifici, nec populus fidelis, nec Episcopi, nec electores, seu Cardinales, possunt dare supremam potestatem spirituales, qua fruatur: sed isti tantum quasi præstant personam, à Christo instituendam, & suprema potestate donandam; unde alii non possunt, eam potestatem

limitare, aut Papam sibi in ordine ad appellationes subdicere.

416. Ad confirm. dist. ant. Est remedium juris naturæ appellatio genericè sumpta. conc. ant. appellatio qualibet in specie, & præsertim tam frivola, inutilis, & perniciofa, neg. ant. & conf. Certè jura humana sæpe prohibent appellationem, & sæpe præcipitur, e. g. *c. 1. de rescriptis*, ut appellatione remota, procedatur: nec potest jus naturale permittere usum mediæ tam perniciosi &c. Dein in causa fidei nemo Pontificia definitioni contrarius potest esse innocens. In aliis etiam causis saltem est moraliter impossibile, ut appellans sit innocens; quia appellatio ad Concilium non interponitur in quibuslibet causis minimis: in gravioribus autem cautissimè proceditur. Quodsi tamen in casu extraordinario aliquis damnaretur ex errore puri facti, non aliud contingeret, quam, quod frequens est in tribunalibus secularium principum, ubi tamen sæpissimè non datur appellatio. Et licet taliter læso non concedatur appellatio ad Concilium, datur tamen, ut diximus, facultas petendi novam causæ suæ revisionem.

417. Ob. 2. Potest appellatio fieri ad Concilium, ut in eo Pontifex melius informetur: seu potest fieri appellatio à Pontifice, non satis informato, ad melius informandum: ergo saltem aliqua appellatio à Pontifice est licita. prob. conf. hac ratione appellatio non fit ad superiorem: ergo est licita. Resp. neg. ant. & ejus suppositum; non enim opus est Pontifici meliori informatione; quia antecederet ad definitiones Pontificis, ab hoc semper habetur informatio tanta, quanta requiritur: & Spiritus S. sicut assistit, ut nihil definiatur falsum, ita quoque assistit, ut nihil definiatur sine informatione necessaria.

Quod autem Papa adhuc aliquanto melius informari possit à Concilio, non probat, id esse necessarium, nec aliquis informationis excessus potest compensare ea damnata quæ supra rectulimus, oritura ex dilatione definitionum usque ad Concilium universale. Cæterum Pontifices solent, antecederet ad suas definitiones adhibere accuratissimam diligentiam, per se, & alios, ut habeatur exactissima informatio, qua volunt utique satisfacere suo officio, & impedire, ne dent qualemcunque occasionem perturbationum, aut schismatum &c. & hoc à multiplici experientia constat.

Sic Alexander VII. in sua Bulla: *Ad sanctam B. Petri Sedem.* testatur, causam propositionum Jansenii discussam esse, *ad profectò diligentiam, quam major desiderari non posset.* & Clemens XI. in *Constitutione Unigenitus* ait, causam propositionum Quenelii, discussam esse *quam maximam diligentiam, ac maturitate.* Similia passim in aliis Bullis habentur: quin etiam solent Pontifices, indicare preces publicas pro impetrando Divino lumine &c. vide etiam dicta *n. 381. ad object. 3.* Quare appellatio talis: *inutilis, certè*

certè non necessaria est; quia post sufficientissimam informationem, infallibiliter statuta, reformari non possunt. Imò, ut diximus celebres Juristæ negant, etiam ab imperatore minus informato posse fieri appellationem ad eum meliùs informandum.

418. Ob. 3. Sæpiùs jam, Catholici etiam, appellarunt à Papa ad Concilium universale: ergo debet appellatio talis esse licita, & valida. Resp. dist. ant. appellarunt à definitionibus fidei, neg. ant. ab aliis gravaminibus sibi, ut putabant, factis. conc. ant. & neg. conf. In causis fidei antehac non nisi hæretici, e. g. Pelagiani, & Lutherani, appellarunt. In aliis gravaminibus particularibus, causis profanis, vel saltem totam Ecclesiam non concernentibus, appellarunt aliqui alii, sed nec isti licitè, aut validè. Certè nunquam propter ipsos Concilium generale convocatum fuit, minùs decisio Pontificis à Concilio correctæ. Quin nec ob hæreticos appellantes coactæ sunt synodi: sed postquam definitione Pontificis fuere damnati, Ecclesia hoc iudicio stetit.

Sic tribus primis sæculis, quando ob persecutiones gentilium nondum poterant celebrari synodi universales, à Pontificibus absque Concilio damnatæ fuere hæreses plures, Marcionis, Montani, Cataphrygarum, Novatianorum, Sabellii, Pauli Samosatensis: postea etiam Apostolica Sedes absque Concilio damnavit Priscillianistas, item Pelagium, Jovinianum, Vigilantium: quin propter Episcopos aliquos Pelagianos, ad universalem synodum appellantes, aliquod Concilium coactum fuerit. Sic sanè testatur S. Augustinus l. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 12. seu ultimo: *Aut verò congregatione synodi opus erat, ut aperta perniciēs damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ, ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devotanda immotescere potuerunt.*

419. Ob. 4. Universitas Parisiensis an. 1387. docuit, in causis fidei licitè appellari posse à Papa ad Concilium. Idem censuerunt Patres Concilii Pisani, Basileenses, & Constantiensis. Idem sensit Aeneas Sylvius, postea Pius II. Summus Pontifex: item S. Antoninus, & Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius: ergo debet esse licita talis appellatio. Resp. Si Sorbona id docuit (nam meritò dubitari potest, an id docuerit de definitionibus in materia fidei, ab indubitato Pontifice factis, de quo vide n. 336.) si, inquam, tunc temporis id docuit, non bene docuit, & postea sapientius sensit.

Sanè ostendit Josephus Gibalinius l. 5. de iure canon. c. 3. §. 15. post illa tempora nostram auctoritatem à Sorbonicis doctoribus traditam fuisse: quid fenerit Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, qui po-

steriori tempore vixit, vide n. 409. Melius etiam sensit Clerus Gallicanus in literis ad Innocentium XII. datis, de quibus n. 372. nec non etiam moderni Præsules Galliarum in suis ad regem literis suprâ memoratis, quibus appellationem quorundam egregiè confutant.

420. Quod spectat ad Aeneam Sylvium, postea Pium II. hic sententiam illam jam, antequam ad Pontificatum assumptus fuit, revocavit: & postea in Mantuano Conventu hanc appellationem tanquam pestiferam reprobavit. S. Antoninus (de quo vide n. 347.) non docet, licitè à Papa appellari ad Concilium: sed tantum, Pontificem non posse definire aliquid contrarium illi, quod jam à legitimo Concilio generali fuit definitum: quod utique non potest; nam, si contrarium quid definire vellet, eo ipso in apertam hæresin incideret, & Pontificatu excideret: quo casu utique dein Concilio subiectus esset. Theologi, & Patres Pisani, ac Constantiensis, loquuntur de Pontificibus dubiis, quales erant tempore schismatis.

Quod spectat ad Basileenses, in primis certum est, eos excessisse; unde in Lateranensi sub Leone X. sess. 11. in Bulla: *Pastor aternus gregem suum.* dicitur de eo, post translationem ab Eugenio factam *Concilio-bulo*, quod *Concilium amplius appellari non merebatur, . . . ac propterea nullum robur habere.* Et sanè, quando istud Concilium contra Pontificem insurrexit, fuit acephalum, & Spiritus S. assistentiâ destitutum; unde etiam Patres illi, postea cum Eugenio IV. in gratiam redeuntibus, opinionem suam retractarunt: & Amadeus ipse, seu Felix V. illegitimè electus, Pontificatu suo qualicumque cessit; in ejus tamen gratiam Eugeniùs, non quidem Concilium, sed tamen aliquorum beneficiorum collationem, approbavit. Quod spectat ad alios auctores, etiam Gersonem, vel isti explicandi sunt de casu Pontificis dubii, vel, si plus velint, dicendi sunt excessisse: atque ideo deserendi sunt.

ARTICULUS XVII.

An sit de fide, modernum SS. Dominum Clementem XII. esse verum, & legitimum Summum Pontificem.

421. **R**efert Oviedo tract. de fide controu. 4. punct. 7. n. 86. Compluti olim fuisse doctores, qui negarint, esse de fide, hunc in individuo hominem, legitime electum e. g. nunc SS. Clementem XII. esse verum Pontificem, Vicarium Christi, ac D. Petri successorem: hos postea à Clemente VIII. fuisse Romam citatos, ad causam dicendam: quamvis dein, omisso Romano itinere, Compluti res composita fuerit. Nec post tempora Clementis VIII. facile reperies auctorem impressum, qui oppositum teneat.

Citatur quidem Tannerus tom. 3. disp. 1. de fide q. 4. dub. 4. n. 160. at paulò inferius n. 185.

An sit de fide Clementem XII. esse Vicarium Christi.

n. 165. & 166. manifestè plus asserit. Valentia autem, licet tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 7. *questiuncula* 5. §. 38. videatur in contrarium inclinare, tamen expressè dicit, se non timere, quòd casus ille futurus sit: insuper totum illum jam edidit, ante illam à Clemente VIII. factam citationem. Non autem est quæstio, an hæc assertio sit de fide, tantum conditionatè, seu si Clemens XII. habeat omnia requisita; hoc enim nunquam fuit inter Catholicos controversum: sed neque est quæstio de Pontifice nondum ab Ecclesia acceptato, ut potest contingere tempore schismatis (tunc enim potest dubium esse, & sæpe fuit, an hic, vel ille, sit verus Papa) sed quæstio est de Pontifice acceptato ab Ecclesia.

422. Dico. Est de fide, hunc in individuo hominem, acceptatum ab Ecclesia e. g. nunc SS. D. Clementem XII. esse verum Summum Pontificem, & Vicarium Christi. ità communissima doctorum. Antequam probem conclusionem, noto ex Suarez. disp. 3. de fide sec. 11. n. 6. DEUS, vel Christus Dominus, neque cognoscit, neque affirmat, neque revelat, sive per Scripturam, sive per traditionem, objecta tantum confusè: sed quando aliquid etiam universaliter de pluribus dicit, discernit singulos, sub ea universali propositione contentos, atque non minùs de eorum quolibet in particulari affirmat prædicatum, quàm de omnibus simul, ut dictum n. 398. Sic e. g. quando Christus Dominus dixit *Matthæi 24. v. 13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* non tantum in genere, & confusè, hoc pronuntiavit, sed Petrum, & Paulum, & quemlibet in particulari, quem perseveraturum prævidit, subintellexit.

Imò etiam in humanis, propositio universalis sæpe facit hunc sensum, & æquivaleret pluribus particularibus, quas sub se includit, si loquens omnia particularia objecta, sub universali contenta, distinctè cognoscit, e. g. si quis dicat: *Omnes Canonici fuere præsentis ad Matutinum:* significat idem, ac: *Joannes fuit præsentis: Jacobus fuit præsentis &c.* nec est moris, in tali casu de quolibet in particulari id enunciare. Interim tamen nos revelationem Divinam universalem confusè cognoscimus, & independentè à nova instructione, vel explicatione talis revelationis, non scimus, quamnam particularem, seu propositiones, seu personæ, aut objecta, sub illa universali revelatione contineantur.

Hinc opus est definitione Pontificis, vel Concilii &c. quæ ostendat, hoc, vel illud particulare objectum, vel hanc, aut illam particularem propositionem, in universali contineri, vel eà includi. Talis instructio, vel explicatio, aut applicatio universalis revelationis suprâ positæ: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* est canonizatio, vi cuius Pontifex definit, e. g. SS. Aloysius, & Stanislaus, esse duos ex iis, quos Christus dixit

perseveraturos in finem, adeoque salvos futuros.

423. Prob. jam conclusio. Ista propositio universalis: *Omnis legitime electus, & ab Ecclesia acceptatus, tanquam Summus Pontifex, est verus Papa, Caput Ecclesie, & Vicarius Christi:* est de fide, ut nemo Catholicorum negat; quia est dudum à pluribus Conciliis, Nicæno, Constantiensis, Florentino, suprâ citatis n. 327. & 328. & aliis definita: & in hac universali propositione continetur etiam ista: *Clemens XII. legitime electus, & ab Ecclesia acceptatus, tanquam Summus Pontifex, est verus Papa, Caput Ecclesie, & Vicarius Christi:* ergo juxta dicta num. præced. etiam ista est de fide; nam etiam ista est dicta à DEO; hic enim, revelando illam universalem, non est locutus, tantum in genere, vel confusè, sed determinatè intellexit omnes futuros successores S. Petri, adeoque etiam Clementem XII.

Solum superest, ut ostendatur, quòd DEUS etiam hanc propositionem particularem sub illa universali intellexerit, & revelaverit, quod sic monstratur. Est omnino indubitabile, quòd ille sit legitime electus, quem tota Ecclesia, tanquam legitime electum, & consequenter tanquam verum Vicarium JESU Christi acceptavit, adeoque tanquam talem agnovit: atqui tota Ecclesia ut talem acceptavit, & agnovit Clementem XII. ergo. ma. prob. Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, atque specialiter dirigitur à Spiritu Sancto, in rebus pertinentibus ad religionem, inter quas, & quidem gravissimas, est ista; cum hic agatur de ipso capite, fundamento, & regula fidei, ac morum: imò talis unanimes Ecclesie consensus, & acceptatio, est formaliter, vel eminentè altera electio, supplens omnes defectus, sicuti in prima intercurrisset.

Nec dicas, Ecclesiam, quæ ita sensit, esse sine capite, adeoque non esse infallibilem; nam utique etiam ipse electus iudicat, se esse verum Papam, postquam scilicet in suam electionem consensit, ut supponitur fecisse. Dein Ecclesia etiam sine capite juxta omnes habet à Christo potestatem, sibi de capite certo providendi; unde in tali casu hic Ecclesie consensus, & acceptatio talis personæ, se habet ut definitio Pontificis canonizantis aliquem Sanctum; est nempe applicatio, vel explicatio propositionis revelatæ universalis, & particularis sub ea contentæ, atque à DEO subintellectæ, quarum utraque est de fide.

424. Confirm. & solidè conclusio 1. Si non est de fide, Clementem XII. esse verum Christi Vicarium, neque erit de fide, Tridentinum, aut aliud quodcumque Concilium, fuisse verum generale Concilium: hoc est contra communem omnium Catholicorum sensum, & non potest admitti: ergo. prob. ant. Eodem modo posset dici, non esse de fide, quòd Paulus III. & Pius IV. alique Pontifices, durante eo Concilio Ecclesie præsidentes, illudque convocantes, fue-

fuerint veri Christi Vicarii: non esse de fide, quod Episcopi ibi praesentes fuerint veri Episcopi, rite baptizati, aut ordinati &c. aut quod alia de jure Divino necessaria aduerint: adeoque non esse de fide, an Concilium constiterit ex legitimis membris, & capite: ergo. Certè, nisi recurratur ad argumenta, nostris circa Pontificem adhibitis similia, etiam circa Concilia nihil probabitur, & disparitas formalis inter unum, & alterum casum, nunquam ostenditur.

425. Confirm. 2. Martinus V. edidit Bullam: *Inter cunctas pastoralis sollicitudinis curas*. in Concilio Constantensi, à quo legitime electus est: & licet tunc non statim acceptatus fuerit à tota Ecclesia, fuit tamen acceptatus paulò post (ex quo saltem tempore negari non potest, Bullam plenum valorem accepisse) in hac autem Bulla, quæ habetur sub finem ejusdem Concilii, post recensitos erroneos articulos Wicleffi, & Hussii, dicitur, quod cuique, qui de hac heresi suspectus esset, proponenda sit hæc questio: *Utrum credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia DEI?* Ad quid enim exprimi deberet ipsius pro tempore existentis nomen, nisi hic in individuo homo credendus esset verus Papa, ac successor S. Petri, atque suprema potestate in Ecclesia præditus?

ARTICULUS XVIII.

Solvuntur Objectiones.

426. **O**B. 1. Propositiones universales à DEO revelatæ, præsertim, quæ ex parte subiecti habent terminum complexum, sunt tantum conditionatæ: ergo etiam particulares in iis contentæ, aut subintellectæ, faciunt tantum sensum conditionatum: ergo hæc propositio: *Clemens XII. legitime electus, & ab Ecclesia acceptatus, est verus Vicarius Christi:* est tantum conditionata: scilicet: *Si Clemens XII. est legitime electus &c.* ergo non est absolutè de fide, eum esse verum Vicarium Christi.

Prob. ant. Ista propositio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* habet hunc sensum: *Si quis perseveraverit &c.* & par est ratio de altera: *Omnis legitime electus, & acceptatus ab Ecclesia &c.* ergo. prob. ant. Christus Joan. 14. v. 23. dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit:* & statim tanquam propositionem oppositam adjungit. v. 24. *Qui non diligit me, sermones meos non servat:* ergo, sicut prior, ita etiam ista secunda, tantum facit sensum conditionatum, adeoque & aliæ similes propositiones universales, licet quoad verba videantur absolutæ.

427. Resp. 1. retorq. argum. Ergo eti-

am ista propositio erit tantum conditionata: *Omne Concilium universale, legitime congregatum, est infallibilis regula fidei:* & consequenter etiam hæc particularis in ea contenta: *Concilium Tridentinum universale, legitime congregatum, est infallibilis regula fidei:* erit tantum conditionatè vera, adeoque, salva ejus veritate, poterit quis negare, quod canones Tridentini sint absolutè de fide, dicendo, id tantum esse verum conditionatè: quod nemo Catholicorum admittit.

Resp. 2. In forma dist. ant. Propositiones tales, à DEO revelatæ, sunt tantum conditionatè veræ aliquando. om. ant. semper, & universaliter. neg. ant. & sub eadem distinctione. conc. vel neg. primam conf. & neg. absolutè secundam, ac tertiam. ad prob. iterum neg. ant. ad hujus prob. neg. rursus conf. Indigent hæc aliqua majori explanatione, quam subjungo.

428. In primis omitto, quod propositiones revelatæ, ex modo enunciandi conditionatæ, quando conditio non est purificata, vel non est prævisa purificanda, non faciunt sensum absolutum: & hinc omni, tales propositiones esse aliquando tantum in sensu conditionato veras, (seu tantum in sensu conditionato revelatas; nam propositiones tales, quarum conditio, nec impleta est, nec implenda, non possunt in sensu absoluto à DEO revelari) sed hæc propositiones sunt extra nostrum casum; nos enim loquimur, de propositionibus revelatis à DEO, quarum conditio, vel purificata est, vel prævisa purificanda: & istæ non tantum faciunt sensum conditionatum, sed etiam absolutum; licet quoad modum enunciandi, seu quoad verba, sint conditionatæ, atque etiam vim habeant sensus conditionatè quam vim habet qualibet propositio absoluta; nam, si res absolutè est vera, necessariò etiam conditionatè est vera.

Attamen, quia sensus istarum propositionum, non est nobis totaliter explicatus, vel applicatus, intelliguntur eæ à nobis sæpius tantum in genere, vel confusè, aut tantum in sensu aliquo conditionato, vel quasi tali, donec per definitionem Pontificis, aut Ecclesiæ acceptationem, vel quandoque per evidentiam naturalem, aut aliam evidentem credibilitatem, vel quemcumque tandem modum, applicetur nobis earum sensus etiam absolutus, saltem quoad aliquas propositiones particulares.

429. Sic. e. g. applicatus est nobis, quoad plures propositiones particulares, sensus absolutus illius propositionis: *Qui perseveraverit usque in finem &c.* per canonizationem plurimorum Sanctorum: quamvis non sit applicatus quoad omnes; cum necdum omnes Sancti canonizati sint: item per communem consensum Ecclesiæ nobis applicatus est sensus absolutus propositionis universalis: *Omnis legitime electus, & acceptatus ab Ecclesia, est verus Vicarius Christi:* quoad plures propositiones particulares, quæ spectant ad præcedentes certos Pontifi-

ces: item quoad illam, quæ spectat ad moderatum Pontificem, & est hæc: *Clemens XII. legitime electus, & ab Ecclesia acceptatus, est verus Papa, & Vicarius Jesu Christi.*

Nec est ullum absurdum, dicere, quod DEUS propositiones suas absolutas, revelet per verba quoad modum conditionata, quæ successivè dein magis explicentur. Sic sæpe decreta sua absoluta tantum revelat, per revelationem quoad modum enunciandi conditionatam, ut negari non potest, præsertim ab iis, qui adstrunt in DEO decretum virtualiter indivisibile. Quod autem tales revelationes universales, si sint absolutæ, sint impedibiles ab iis hominibus, ad quos pertinent propositiones particulares (hi enim absolutam istarum veritatem sæpius possunt impedire) tam parum absurdum est, quam parum, quod decreta DEI sint impedibilia; nam eæ revelationes tantum sunt impedibiles quoad aliquas formalitates, quæ nempe eosdem homines concernunt; sicut scilicet à quolibet homine est impedibile decretum condendi mundum: quia de re plura intract. de DEO.

430. Ob. 2. Non minus est revelatum, quod in omni hostia consecrata sit præsens Christus, quam sit revelatum, quod omnis legitime electus sit Pontifex: & tamen non est revelatum, de qualibet hostia in particulari, quod sit consecrata, vel quod in ea præsens sit Christus: ergo neque est revelatum, de quolibet in particulari legitime electo, quod sit legitime electus, vel verus Vicarius Christi. Resp. 1. retorq. argum. in Concilio Tridentino, & aliis, de quibus. n. 424. Resp. 2. dist. 2. p. ant. non est revelatum de omnibus hostiis in particulari, quæ revera consecratæ sunt. neg. ant. de omnibus etiam iis, quæ revera non sunt consecratæ. con. ant. & neg. conf.

Conformiter ad superius dicta, etiam revelatio universalis de sacris hostiis, est revelatio particularis de qualibet, si revera consecrata sit: at, ut jam dixi, ad hoc, ut in particulari credamus, in hac hostia adesse Christum, debet nobis infallibiliter applicari, vel exponi, quod sub-revelatione universali, etiam hæc particularis contineatur: quod tamen de hostia qualibet in particulari non fit; unde non est proximè credibile de qualibet hostia, quæ existimatur consecrata, quod in ea sit Christus. At verò particularis revelatio de Pontifice est nobis applicata, vel exposita per communem consensum Ecclesiæ.

Interim tamen quamlibet hostiam, quam prudenter consecratam existimamus, etiam prudenter adoramus: sicut prudenter damus elemosinam ei, quem prudenter judicamus pauperem, aut honoramus eum, quem non dubitamus, esse nostrum parentem: qua de re plura sub initium hujus tractatus. Non tamen ideo etiam statim possumus, credere omne id, quod tantum prudenter existimo esse revelatum; si enim revera aliquid revelatum non sit, actum fidei circa il-

lud elicere non possum, ut jam superius ostensum.

431. Dices. Revelatio particularis de quavis hostia est nobis applicata certitudine morali, quatenus nobis est moraliter certum, eam esse verè consecratam; cum nullo habeamus prudens dubium de aliquo defectu, circa consecrationem admisso: ergo etiam possumus credere, eam esse consecratam. Resp. neg. conf. Hæc certitudo moralis tantum negativa non sufficienter nos certificat de revelatione consecrationis, in ordine ad fidem elicendam; talis enim etiam dari potest de elicitò actu charitatis, vel recepto sacramento poenitentiae, valido, & formato: & tamen, ut Tridentinum docet, nemo potest certitudine fidei nosse, quod sit in gratia: quod tamen necessariò sciretur, si talis certitudo moralis negativa sufficienter applicaret, seu explicaret, revelationem Divinam universalem, quæ dicit, quod omnis, qui verè recipit sacramentum poenitentiae, vel elicit actum charitatis perfectæ, sit in gratia: aut si ostenderet, vel determinaret, quamlibet revelationem particularem in universali contentam.

Unde debet esse certitudo moralis positivè talis, & similis illi, quam asserunt motiva credibilitatis, quæ applicant testimonium DEI, seu revelationem Divinam, aliis articulis fidei, quæque non fundant tantum morale certitudinem negativam, potissimum nascentem ex defectu rationum in oppositum: sed fundant aliquam certitudinem, ortam ex positivis gravissimis rationibus, quæ ex merito suo evidentem reddunt credibilitatem objecti: quin etiam hoc ipsum reddunt positivè, & omnino strictè moraliter certum.

432. Ob. 3. Si esset de fide, Clementem XII. esse verum Vicarium Christi, esset quoque de fide, quod sit legitime electus, rite baptizatus, & ordinatus sacerdos, ac Episcopus &c. quæ sunt necessaria vero Vicario Christi, & Summo Pontifici: sed ista non sunt de fide: ergo nec illud. prob. nisi ista debent esse de fide, etiam debet esse de fide, quod eum baptizans habuerit debitam intentionem: quod eum ordinans fuerit verus Episcopus: adeoque, quod hujus quoque ordinator, & ordinatoris ordinator usque ad Apostolos, fuerint veri Episcopi: sed hæc non sunt de fide: ergo. Resp. retorq. arg. ut supra n. 427. in Concilio Tridentino, & Episcopis ibi congregatis.

Antequam autem directè respondeam, noto, alia esse constituta Papatum, alia esse ad eum requisita. *Constitutiva Papatum* sunt suprema & infallibilis auctoritas definiendi, & suprema jurisdictio, seu potestas ligandi, & solvendi, omnes fideles in tota Ecclesia, sive præcipiendi, prohibendi, absolvendi &c. quæ ab aliis rectè vocantur geminæ *claves scientiæ, & jurisdictionis*; ita enim Papatum explicat Florentinum citatum n. 410. Et hæc sunt quasi forma dominans Papam; eumque distinguens ab aliis inferioribus Episcopis. *Requisita ad*

Papatum sunt, alia quidem requisita juris Divini, alia requisita juris humani, sicut & impedimenta, quæ sunt defectus, tum positivè, tum negativè requisitorum.

433. Quod spectat ad requisita, vel impedimenta juris humani, seu canonici, illa omnia suppletur, & ista tolluntur, per acceptationem Ecclesiæ; omnes enim juris humani defectus suppletur per eam acceptationem, quæ est quasi secunda electio; unde, etsi de prima electione non sit de fide, quod ea valida fuerit, non obest: imò etsi irrita fuisset, nihil obest; nam sufficeret secunda, de qua est de fide, quod sit legitima: nec ista est irritabilis à jure.

Neque de ista secunda electione, canones, electionem irritantes, intelligendi sunt; cum isti non debeant cedere in damnum Ecclesiæ, quod vel maxime fieret, dum Christi Vicarius sæpe esset incertus: & melius est Ecclesiæ, habere Pontificem, cujus electio prima invalida fuerat, quam ignoranter carere vero Pontifice. Quare, si fingeretur etiam intercessisse simonia, ea non impediret efficaciter, aut irritam faceret hanc acceptationem, seu quasi secundam electionem. Et sanè Sæculo X. ubi multi fuere in Sedem Romanam intrusi (qua de re videri potest Spondanus *ad an. 900.*) qui tamen universaliter ab omnibus, tanquam veri Pontifices agniti fuere, sæpius videtur acceptatio Ecclesiæ, debuisse supplere vitia primæ electionis.

434. Quod jam spectat ad requisita, vel impedimenta juris Divini, quidam videtur dubitare, an necessariò debeat esse determinatè de fide, quod illa omnia in vero Summo Pontifice adsint; quia, si DEUS per dispensationem daret autoritatem, & potestatem Papalem personæ cuidam, quæ in aliquibus deficeret, illa esset verus Papa, & Vicarius Christi; nam fortè, ut ait hic auctor, tantum disjunctivè est de fide, unum ex his duobus, nempe quod vel ista requisita non deficiant, vel quod DEUS dispenset, & non obstante defectu, vel impedimento, tamen tali personæ autoritatem, & potestatem Papalem conferat.

Suarez *disp. 10. de fide sec. 5. n. 4.* ait, falsum esse, quod alii, quam legitimo S. Petri successor, unquam detur à Christo illa potestas. Et quidem facilè conceditur, neminem hucusque jure Divino inhabilem fuisse Papam; dudum enim explosa est fabula de Joanne Papiſſa, atque à Baronio, Christophoro Ort *in Roma gloriosa*, & plurimis aliis, ita confutata, ut vel ipsos, paulò sagaciores hæreticos, ejus confictæ pudeat: sed nec potest ullus alius assignari, qui jure Divino inhabilis Pontificatum gesserit.

435. At fors, ut ait author supra citatus, non est æquè certò falsum, quod decretum DEI de non conferenda ea potestate, nisi habenti omnia requisita, sit indispensabile: quis enim scit, si in casu, saltem metaphysicè ex se possibilibus, contingeret, personam de jure Divino inhabilem, e. g. reipsa non rite baptizatam, ab omni Ecclesiâ acceptari,

tanquam Pontificem, & Christo quasi præferentari, an non DEUS dispensaret, & in bonum Ecclesiæ, quæ aliàs in re gravissima deciperetur, etiam tali personæ autoritatem, & potestatem Pontificiam tribueret.

Quodsi tamen quis omnino evincat, hoc decretum DEI indispensabile esse, & hoc esse de fide, ait is auctor, eoipso etiam esse de fide, quod quilibet electus, & à tota Ecclesiâ acceptatus, habeat omnia de jure Divino requisita, e. g. quod sit mas, baptizatus &c. quia erit de fide, quod DEUS non permittat, taliter inhabilem eligi, vel acceptari: eritque casus ille, quem supra ex se (hoc est spectando præcisè naturam humanæ electionis) metaphysicè possibilem diximus, ratione decreti Divini, & specialia ejus providentiæ, impossibilis.

436. Quod spectat ad ordinem sacerdotii, vel Episcopatus, Arriaga *de fide disp. 7. sec. 8. n. 49.* ait, esse omnium sententiam, quod electus Papa, ante ordinationem, etiam si necdum presbyter esset, jam habeat plenam autoritatem, & potestatem Papalem; unde, si etiam malè ordinatus fuisset, non majus damnum redundaret in Ecclesiam, quam ex mala ordinatione alterius Episcopi. Quare fortè ad id, quod Suarez *loc. num. præced. citato* objicit, (quod scilicet, si dicatur DEUS tali existimato tantum Pontifici conferre potestatem Papalem, dici quoque debeat, eidem etiam conferre potestatem absolvendi, etsi non sit sacerdos) posset responderi, hoc non sequi; quia hæc potestas non est ita necessaria, nec ex ejus defectu oriretur majus damnum Ecclesiæ, quam, si alius Episcopus, ut jam dictum, non esset rite ordinatus.

In forma Resp. dist. ma. si esset de fide, Clementem XII. esse verum Vicarium Christi, etiam esset de fide, quod sit mas, baptizatus &c. si decretum DEI de non conferenda autoritate Papali, nisi habenti omnia jure Divino requisita, sit indispensable. conc. ma. si sit dispensabile. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Est de fide, huic in individuo personæ esse collatam autoritatem Papalem: ergo saltem est de fide, vel hanc personam habere omnia requisita, vel DEUM dispensasse in suo decreto; unum enim ex his necessariò debere credi, non ineffaciter probatum est: & meo judicio multò credibilius est, DEUM non dispensare, sed personam acceptatam esse rite baptizatam &c.

437. Ob. 4. Non est de fide, quod electus non sit occultus hæreticus: ergo non est de fide, quod sit verus Vicarius Christi. prob. conf. talis hæreticus non est membrum Ecclesiæ: ergo non potest esse membrum Ecclesiæ: ergo non potest esse ejus caput. Resp. om. ant. neg. conf. Suarez *disp. 10. sec. 6. n. 5.* ait, se credere, quod nullus auctor dicat, cum umbra probabilitatis, per solam hæresin internam, vel occultam, amitti dignitatem Papalem: sicut nec alius Episcopus propterea amittit suam jurisdictionem. Idem docet Canus *de loc. Theol. l. 4. c. 6. seu ult. resp. ad 12.* ad prob. dist. ant. talis hæreticus non est membrum Ecclesiæ sim-

plicitèr ei unitum, fide, vel charitate. conc. ant. non est membrum secundum quid, & in sensu adhuc sufficiente ad hoc, ut possit esse caput Ecclesiæ. neg. ant. & conf. Retineret nempe talis internus, vel occultus hæreticus, adhuc potestatem Papalem, & jurisdictionem; hinc deberet ei Ecclesiæ adhuc adherere, non fide, sed subiectione.

Interim tamen Bellarminus *tom. 1. contr. 3. de Rom. Pontif. l. 4. c. 6.* egregiè defendit, quod DEUS, nec hucusque permiserit, nec deinceps permittitur sit, ut Papa, etiam ut persona privata, in hæresin formalem, etiam tantum occultam, incidat. Sed etiam dato, non concessio, quod in talem posset incidere, non posset tamen, talem hæresin Ecclesiæ credendam proponere; unde quando doctrina aliqua apertè hæretica non est, eamque Pontifex definit, eoipso removeret ab ea omnem hæresis suspicionem, atque Catholicam facit. Quodsi autem Papa in apertam hæresin incideret, ita, ut Ecclesiæ de hoc constaret, e. g. si apertè negaret virginitatem B. Virginis, eoipso, ut doctores consentiunt, suo officio excideret, & à Christo privaretur potestate Papali: quod tamen neque hucusque factum est, nec deinceps futurum est.

439. Ob. 5. Si nostra conclusio est de fide, tunc, qui eam non amplectuntur, sunt hæretici: sed hoc dicere, videtur nimium: ergo. Confir. Non potest juxta nos dari discrimen, inter hæreticum, & schismaticum: atqui hoc debet dari: ergo. Respondet Arriaga *tom. 5. de fide disp. 7. sec. 8. n. 56.* conc. ma. si Pontifex sit ab omnibus acceptatus, ut nulla sit ratio dubitandi: & addit rationem; quia aliàs posset quis dubitare de omnibus antecessoribus.

Sed hoc argumentum, à sensu distributivo ad collectivum, est invalidum; alias, cum possum absque hæresi dubitare de quolibet Catholico (saltem excepto Papa) an sit verè talis, possem etiam dubitare de omnibus collectivè: adeoque possem absque hæresi dubitare, an verè detur Ecclesiæ (nam Papa solus non facit Ecclesiam) quod est falsum. Suarez *de fide disp. 10. sec. 5. n. 9.* ait, se non videre, quomodo is, qui acceptatum ab omnibus aliis Pontificem, nolit acceptare, vel ei obedire, possit excusari ab hæresi: prius tamen dixerat, fortasse talem non dicendum hæreticum; eoquod nostra sententia nondum sit apertè de fide.

Notandum autem, quod adversarii, si qui sunt, hujus conclusionis, non negent, quod hæc persona sit verus Pontifex: nec inficientur, quod sit certum, hanc personam esse verum Pontificem: neque ab hujus personæ obedientia se subtrahant: sed tantum negent, hoc esse de fide, seu negent propositionem modalem, sive rethexam: *De fide est, hanc personam esse verum Summum Pontificem:* quæ propositio quoad modum, seu reflexionem, fortè quibusdam videbitur, nondum esse apertè definita de fide; unde, qui eam negaret, ipsis saltem in foro externo, non videbitur judi-

candus hæreticus: quidquid sit de foro interno, in quo prius videri debet, an ipsi sufficienter fuerit applicata revelatio Divina: sicut nobis circa propositionem directam applicata est, per argumenta solidissima.

440. Ad confir. neg. ant. ut enim ait Suarez *de fide disp. 10. sec. 5. n. 9.* schismata ordinariè oriuntur, priusquam verus Pontifex absque controversia ab Ecclesiâ acceptatus sit: & hinc schismaticus est, qui non recipit Pontificem, cum primò deberet eum recipere: quod potest fieri sine hæresi formali; quia potest, quis ex aliqua culpa, quæ tamen non sit hæresis, nescire communem acceptationem, vel aliquid simile, ita, ut non neget, eum, qui legitime electus, & acceptatus est, esse verum Pontificem: sed neget culpabiliter, & pertinaciter, hanc personam esse legitime electam, vel acceptatam: & consequenter ei non obediat, sed ab ea se separet.

Item schisma potest dari, quando quis etiam agniti Pontifici negat obedientiam, in qua re necdum datur culpa hæresis, Atamen bene observant doctores, quod schisma diu durare non solet sine hæresi, quæ quæ etiam neget, cum, qui rite electus, & acceptatus est, esse verum Pontificem; cum erubescere soleant tales apertè fateri, quod nolint legitimo Christi Vicario obedire: sicut rebelles subditi facilè impugnant legitimi principis jurisdictionem.

441. Ob. 6. Formosus Papa fuerat acceptatus ab universali Ecclesiâ, tanquam verus Pontifex, & tamen postea Stephanus VI. dictus VII. judicavit, eum non fuisse legitimum Pontificem, ac ab eo ordinatos jussit reordinari: ergo non fuit de fide, quod fuerit verus Pontifex ille, qui ab universali Ecclesiâ fuit acceptatus. Resp. Quidam videtur in dubium revocare, an Stephanus, cum hoc fecit, jam fuerit verus Pontifex; cum fuerit in cathedram S. Petri intrusus: quamvis postea ad evitanda majora mala fuerit ab Ecclesiâ acceptatus: sed hoc omisso.

Resp. 2. neg. conf. Est de fide, quod Formosus fuerit verus Pontifex, & Stephanus in eo facto juxta omnes rectè sentientes erravit: sed faciendo, & jubendo: non autem definiendo; non enim definitur ex cathedra, Formosum non fuisse verum Pontificem: sed tantum odio, & passione contra eum excæcatus, tanquam homo privatus, judicavit, eum non fuisse verum Pontificem, & ideo etiam ejus cadaver exhumari, atque in Tyberim projici jussit.

442. Similiter nil definitur ex cathedra idem Stephanus, circa valorem ordinum à Formoso collatorum: sed ex simili odio, & passione, omnia ejus acta abolere voluit, etiam usque ad ordines ab eo collatos: circa quos eum passio facilè excæcare potuit, ut vel ratione formæ, vel ratione materiæ, vel intentionis, aut potestatis, aliquem defectum substantialem intervenisse judicaverit, & ordines, quos saltem dubios esse censuit, vel

etiam omnino invalidos, repeti jufferit; qua de re iterum redibit sermo *intra*. de sacramentis à n. 223. Interim negari non potest, quòd in hoc casu (qui tamen est puri, & nudi, atque informis facti) primò Stephanus, & post eum Sergius III. (qui id iudicium approbavit) graviter erraverint.

Dices. Si est de fide, Formosum fuisse verum Pontificem, Stephanus erravit contra fidem, cum non agnoscendo. Resp. 1. Error Stephani circa personam Formosi, ejusque Papatum, fuit hominis privati, & non Pontificis, è cathedra docentis. Resp. 2. Fuit tantum error materialis, non tam circa fidem, quam circa aliquam veritatem, quæ nondum tanquam credenda erat proposita; quia tunc temporis hæc nostra conclusio nondum fuerat ita discussa, aut ita clarè proposita, adeoque Stephanum (idem est de Sergio) rebus Theologicis non valde additum, potuit latere: imò (ut supra n. 430. ex Suarezio vidimus) fortè necdum assertio nostra est apertè ab Ecclesia definita: & hinc potuit revelatio hac de re, Stephano non fuisse satis applicata: quin etiam potuit ex passione cæca putare, Formosum non fuisse universaliter acceptatum. Quod autem Pontifex possit, ignorare aliquam revelationem, necdum apertè propositam, & sic sentire ei oppositum ut privata persona, non videtur ab ullo negari: & difficulter negaretur in Joanne XXII. qui aliquando privatim putavit, animas defunctorum ante diem iudicii non admitti in cælum, aut ad visionem DEI.

ARTICULUS XIX.

An Definitio Ecclesie sit Verbum DEI strictè dictum.

443. **P**renotandum, 1. Scripturam Sacram, seu Verbum DEI scriptum, esse illud, quod scriptum est instinctu Spiritus Sancti, dictantis, non tantum sensum, sed etiam verba; nam in sacris literis, non tantum sensus, sed etiam verba singula (de quibus infallibiliter scimus, non esse per aliquem errorem corrupta, e. g. à descriptoribus, vel typographicis) sunt infallibilia. Quæ verba tamen dupliciter dictari possunt. Primò *formaliter simul, & materialiter*, quando scilicet Spiritus S. prævenit scriptorem, & antequam hic verba excogitet, ipse jam illa suggerit: id quod tunc maxime fit, quando de altissimis mysteriis sermo est: imò Suarez de fide disp. 3. sec. 3. n. 5. ait, ut plurimum in sacris libris verba esse ita dictata.

Secundò dictari possunt verba à Spiritu S. *formaliter tantum*, quando scilicet Spiritus S. relinquit scriptori libertatem, ad utendum speciebus suis, & eligenda materialiter verba: sed ei afficit, ne quid falsi, aut indecentis misceat: atque etiam post

eam materialem electionem, ea verba assumit tanquam sua, atque dicat, ac suo nomine vult scribi: sicut scilicet Christus reliquit Ecclesie materialem electionem aliarum materialium in certis sacramentis, e. g. in sacramento ordinis, quas dein ipse instituit; nec enim Ecclesia instituit materiam, aut formam sacramentorum.

Hoc autem videtur fieri tunc, quando scribuntur ea, quæ erant naturaliter canonicis scriptoribus notissima, ut illud 2. ad Timoth. 4. v. 11. Lucas est mecum solus. & ad Rom. 16. v. 21. Salutat vos Timotheus adiutor meus &c. Hinc autem potest contingere, ut scriptor canonicus possit veniam petere, non quidem ob admissum errorem, quem DEUS impedivit: sed vel ob non electa materialiter optima verba, vel ob additam, aut omissam aliquam circumstantiam, quæ non vitiet veritatem historiae &c. Sic 2. Mach. 15. v. 39. ait scriptor canonicus: *Et si quidem bene, & ut historia competat, hoc & ipse velim: sed autem minus dignè, concedendum est mihi.* Sic etiam S. Paulus 2. Corinth. 11. v. 6. de se ait: *Etsi imperitus sermone, sed non scientiâ.*

444. **P**renotandum 2. triplici modo scribi posse e. g. epistolam principis. 1. si ipse raanu propria scribat. 2. si dicat verba etiam materialiter. 3. si jubeat scribere nomine suo, & ipse suam auctoritatem scripto impertiat. Sic e. g. scribitur edictum nomine imperatoris, à cancellariis, vel secretariis, qui ipsi verba eligunt, & scriptum componunt, quod imperator tanquam suum assumit, ac subditis proponit. Potest tamen 4. princeps jubere, ut secretarius scribat, non suo, id est, principis nomine, sed suo, id est, secretarii, ita tamen, ut principis voluntatem significet: at tunc talis epistola non est scriptum, aut verbum principis strictè dictum, sed est scriptum secretarii: quamvis etiam habeat aliquam auctoritatem mediata à principe.

Quod si etiam princeps legeret eam epistolam, antequam mitteretur, & sic impediret, ne aliquid falsi misceretur: ista tamen necdum esset ejus proprium verbum, aut scriptum: sed tantum ejus assentientia secretario exhibita impediret falsitatem. Id quod etiam ex eo colligitur, quòd, quando primis tribus modis scribitur, semper ponatur: *Nos DEI gratiâ volumus, jubemus te &c.* at, si quarto modo scribitur, ita ponitur: *Princeps vult, ut sua dominatio, hoc, vel illud faciat.*

445. **U**bi tamen advertendum, quòd, etsi in Sacra Scriptura aliquando videatur loqui suo nomine scriptor canonicus, e. g. Apostolus Paulus, tamen ea verba sint verba DEI, non tantum historicè referentis, ea esse dicta (ut sæpe fit etiam in Scriptura, quando scilicet dicta falsa, vel alia DEO non conveniunt) sed etiam dicentis: sicut scilicet in comædiis Terentii, vel Plauti, quidem actores dicunt, verba sunt Terentii, vel Plauti. Non tamen ea verba semper sunt DEI, suo nomine aliquid præcipientis, vel ordinantis; ut patet ex illis verbis S. Pau.

Pauli 7. Cor. 7. v. 12. *Ceteris ego dico, non Dominus*: quæ, licet sint verba DEI, tamen non sunt DEI immediate præcipientis: item præceptum, abstinendi à sanguine Actor. 15. v. 29. licet habeatur in Sacra Scriptura, non est Divinum, sed Apostolicum; unde etiam postea cessavit.

446. **P**renotandum 3. sensum Sacra Scripturae assignari à doctoribus quadruplicem, juxta illos versiculos: *Litera scripta docet: quid credas, Allegoria: Moralis, quid agas: quid speres, Anagogia.* Itaque, ut satis communiter docent, *Literalis sensus* est idem, ac historicus, seu etiam ille, quem verba immediate, in sensu obvio, & grammaticali, præferunt. Et juxta hanc explanationem sensus literalis, licet simplicissimè, non tamen semper est de fide, e. g. Christus non est literaliter, seu in sensu grammaticali, credendus esse vitis, petra, pastor ovium &c. sed tantum allegoricè, scilicet intelligendo per oves homines &c. *Allegoricus sensus* ostendit per allegoriam, seu tropicè, quid credendum, e. g. Christum ex eo, quòd dicatur vitis, & nos palmites, credendum esse auctorem gratiæ, sine qua nihil boni, præsertim supernaturaliter meritorii, possumus facere. *Moralis sensus* spectat ad mores, & docet, quid debeamus agere, vel omittere. *Anagogicus sensus* per tropum ostendit, quid in futurum debeamus sperare: sic per terram lacte, & melle manantem, seu terram promissionis, indicatur speranda beatitudo cœlestis. Addendum hæc, sæpe in eodem textu plures, vel etiam omnes hos sensus, convenire.

Paulò aliter, cum pluribus aliis à se citatis, discurret P. Didacus de Quadros *Palæstra Biblica* tom. 2. p. 2. apparatus c. 2. n. 9. Ad hujus auctoris mentem *Literalis sensus* est ille, qui per voces, sive proprie, sive tropicè acceptas, in contextu significatur primò, proximè, ac immediatè. Et hinc, si narratur in Scripturis aliqua historia, sensus literalis est sensus historicus: alius etiam potest esse tropicus, ut quando Christus de se, & Apostolis dicit: *Ego sum vitis, vos palmites.* Joan. 15. v. 5. ubi Christus, non nisi in sensu tropico, voluit significare, se esse vitem &c. *Allegoricus sensus* est ille, qui per allegoriam, seu tropum, ostendit, quid sit credendum: & talis sensus est in illis verbis Matth. 21. v. 42. à Christo Domino ex psalmo 117. v. 22. usurpatis: *Lapidem quem repronaverunt adificantes, hic factus est in caput anguli*: quibus allegoricè nobis proponitur credendum, quòd Christus à Phariseis, tanquam synagogæ architectis, sui primoribus, fuerit rejectus: à DEO autem adhibitus, tanquam lapis fundamentalis, & quidem angularis, ut duos parietes, hoc est, gentiles, & Judæos, velut angulo jungeret, in una Ecclesiæ domo.

Moralis sensus est ille, qui mores spectat, & indicat, quid agere, vel omittere debeamus: e. g. dum dicitur Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo &c.* quibus docemur, eliciendum esse

amorem DEI super omnia. *Anagogicus sensus* est ille, qui per tropum ostendit, quid in futurum speremus. Sic, dum Exodi 33. v. 2. & 3. dicitur: *Mittam præcursores tuos Angelum, ut... intres in terram, fluentem lacte, & melle*: proponitur nobis speranda beatitudo cœlestis. Et hi tres sensus, nempe allegoricus, moralis, & anagogicus, satis communiter vocantur etiam *sensus spiritualis*, qui videtur opponi sensui literalis. At verò Quadros loc. cit. asserit, quòd omnes hi tres sensus possint esse etiam literales, si nempe in contextu significantur primò, proximè, & immediatè.

Et certè in primo textu supra adducto: *Ego sum vitis, vos palmites*: sensus primò intentus, adeoque juxta hunc auctorem literalis, est allegoricus; nam sub allegoria vitis, & palmitem, docemur credere, omnem influxum gratiæ, sine qua nihil boni operis supernaturalis possumus facere, esse à Christo. In illo autem textu: *Diliges Dominum DEUM tuum &c.* itaque in aliis præceptis in Scriptura contentis, primò, & immediatè docemur, quid agere debeamus, adeoque sensus literalis est moralis. Pariter, quando Christus Dominus dixit Matth. 26. v. 29. *Cum illud vinum bibam vobiscum novum in regno Patris mei*: primò, & immediatè voluit significare, Apostolos supernaturali dulcedine in cœlo implendos; unde sensus literalis est anagogicus, significans, sperandam ipsi esse beatitudinem cœlestem. Quin etiam notant auctores, in istis verbis plures sæpe sensus convenire, ut in hoc ipso nunc adducto, literalis, allegoricus, & anagogicus.

Præter hos quatuor sensus adduci potest etiam quintus, scilicet *Accommodativus*, seu ille, qui nec ab auctore Scripturae principali, sive Spiritu S. nec ab auctore instrumentali, seu scriptore canonico, est intentus, in certis verbis, quæ hæc, & nunc, alicui rei accommodantur. Sic Ecclesia cuique Confessori Pontifici accommodat illud de Noëmo dictum Ecclesiastici. 44. v. 17. *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* item illud de Abrahamo dictum ibidem v. 20. *Non est inventus similis illi... qui conservavit legem excelsi.* Hoc sensu uti solent concionatores: & quidem ad laudandos Sanctos opportunè sæpe, & ingeniosè: at verò ad probanda scholasticè dogmata, sensus hic non est satis efficax. Addendum ex Ulloa decad. 1. princip. S. Scripturae. regul. 3. quòd idem textus facer possit habere plures etiam sensus literales. Sic illud Osee 11. v. 1. *Ex Agypto vocavi filium meum*: significat literaliter liberationem Hebræorum ex servitute Aegyptiaca, & simul Christi Domini ingressum in Aegyptum, vel reditum ex illa, ut habetur Matth. 2. v. 15. vide apud Ulloam loc. cit. plura exempla hujus rei.

447. **Q**uaritur jam, an definitio Ecclesie sit verbum DEI strictè dictum, ita, ut etiam sit partiale motivum formale intra lineam fidei, & non tantum infallibilis applicatio verbi DEI extra eam lineam. **C**o-

nink, & Gormaz ajunt, communem esse sententiam doctorum, Ecclesiam non loqui verbum DEI. Sed hoc non videtur verum, nisi intelligatur communis contra communem, ut sæpe fit; nam etiam, qui asserunt Ecclesiam loqui verbum DEI, sunt satis multi; licet enim auctores communiter, vel communius dicant, Ecclesiam non facere novas revelationes, non ideo tamen negant, eam loqui verbum DEI: sicut Christus, quando locutus est ea, quæ jam in antiquo testamento dicta erant, utique tamen verbum DEI locutus est.

Ex auctoribus, quos videre potui, affirmant clarè, Ecclesiam loqui verbum DEI Arriaga tom. 5. de fide disp. 2. sec. 5. n. 55. Haunoldus. l. 3. tract. 1. c. 1. §. 5. maxime n. 115. & 124. ac seq. Layman. l. 2. tract. 1. c. 2. n. 4. Thyrsus in manu duct. Machomet. p. 1. l. 2. c. 6. §. 4. Ralsler. de ult. resolut. fidei n. 4. Dubii videntur Esparza l. 6. q. 15. n. 9. (nam ait, quod, dum adjungitur assistentia Spiritus S. adjungatur auctoritas Divina) Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 1. assert. 3. nam prius Ecclesie propositionem vocat conditionem: dein autem ait, asseverationem Ecclesie esse partem, vel conditionem testificationis Divinæ.

448. Negant autem Ecclesiam loqui verbum DEI Bellarminus tom. 2. controv. 1. de Conciliorum auctoritate c. 12. Canus de locis Theol. l. 5. c. 5. & l. 12. c. 3. Tannerus tom. 3. disp. 1. de fide. q. 1. dubio 7. n. 215. & 216. & 217. Oviedo tract. de fide contro. 4. punct. 9. n. 120. Rhodius de fide disp. 2. q. 1. sec. 2. §. 2. ubi ait, esse communioem. Gormaz de virt. Theol. n. 445. & 448. Coninck disp. 9. de fide dubio. 5. n. 60. & 61. & plures alii: item Thomistæ communiter, ut testatur Suarez, qui merito etiam pro hac sententia citatur; nam, quamvis disp. 3. de fide sec. 10. n. 8. dicat, Ecclesiam esse organum, per quod Spiritus S. loquitur, tamen non intelligit strictam, & immediatam Divinam locutionem.

Ibidem enim dicit Eximius, definitionem Ecclesie non spectare ad objectum formale fidei, sed ad peculiarem ejus applicationem, & hoc colligi ex S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 1. ubi Angelicus in corp. dicit: *Non enim fides, de qua loquimur, assentit aliis, nisi quia est à DEO revelatum:* & prius præmisit, quod objectum formale fidei nihil est aliud, quam veritas prima: adeoque juxta Suarozium, S. Thomas non vult esse idem, quod aliquid ab Ecclesia definitum sit, & quod sit à DEO revelatum: consequenter censet, illam definitionem non esse locutionem DEI. Addit dein Eximius n. 9. hanc sententiam communiter tenere Thomistas, citatque multos alios. Insuper n. 10. ait, fideles rudes saltem implicitè resolvere suam fidem ultra dictum Ecclesie in DEUM. Idem disp. 5. sec. 3. n. 4. negat, canones Ecclesie esse Sacram Scripturam. Item disput. 3. sec. 11. n. 4. negat, Ecclesiam facere novas revelationes.

449. Dico cum his postremis. Defini-

tiones Ecclesie probabiliter non sunt, proprie, & strictè loquendo, verbum DEI, sed infallibilis ejusdem applicatio. Prob. conclusio potissimum negativè. Non est ratio asserendi, quod Ecclesie definitio sit verbum DEI strictè dictum: ergo gratis id dicitur. ant. prob. solutione objectionum. Confir. Auctores communissimè dicunt, Ecclesiam non proferre novas revelationes, sed tantum antiquas: ergo, cum non habeatur ratio, dicendi potius, quod eas denuo nomine DEI loquatur, quam, quod eas tantum explicet, & implicitè contenta aperitiùs proponat, melius dicitur hoc secundum. Confir. 2. Tridentinum sess. 4. in decreto de edit. sac. librorum tantum ait: *Sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum:* & non ait: *cujus est loqui verbum DEI strictè dictum:* ergo non debemus sine adducta probatione ei plus tribuere. Confir. 3. Suarez n. præced. citatus, & communiter alii dicunt, canones, vel definitiones Ecclesie, non esse Sacram Scripturam: atqui essent Sacra Scriptura, si essent verbum DEI strictè dictum, vel scriptum: ergo.

ARTICULUS XX.

Solvuntur Objectiones.

450. **O**B. 1. Definitio Ecclesie est infallibilis, & quidem ob assistentiam Spiritus S. ergo

nihil deest ad hoc, ut dicatur esse verbum DEI, prob. conf. non est alia ratio, quare dicta, & scripta, e. g. Apostolorum, censentur esse verbum DEI scriptum: ergo. Resp. neg. conf. ad prob. neg. ant. Ratio alia est; quia ex ipsa doctrina Ecclesie, & infallibili ejus applicatione, habemus, quod illa verba Apostolorum, & aliorum scriptorum sacrorum, DEUS accipi voluerit, tanquam sua, & sua auctoritate dicta. At nullibi invenitur, quod Ecclesia applicaverit nobis, etiam suas definitiones, tanquam verbum DEI. Ubi addo, mihi non videri credibile, quod omnia, quæcumque in privata conversatione dixerunt Apostoli, etiam spiritualia, sint verbum DEI strictè loquendo: sed tantum illa, quæ Ecclesia nobis applicavit, & definitivè esse verbum DEI. Sanè Canus de locis Theol. l. 2. c. 18. exponens illud Matth. 10. v. 19. *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora &c.* ait de sacris auctoribus: *Hoc verò Spiritus Sancti donum toto vita decursu non habebant: sed tantisper, dum lingua eorum calamus erat scriba velociter scribentis.*

451. Quod autem infallibilis assistentia Spiritus S. non faciat, ut dictum sit verbum DEI, probatur, primò ex paritate cum epistola, iubente regie scripta, de qua vide n. 444. Secundo ex eo, quod etiam Beati in cælo, & Angeli, non possint errare in loquendo, ex speciali assistentia DEI: non tamen semper lo-

An Definitio Ecclesie sit Verbum DEI strictè dictum.

quantur, strictè, & propriè verbum DEI, ita, ut propriè dicatur loqui DEUS. Tertio ex eo, quod Ecclesia habeat etiam infallibilem assistentiam Spiritus S. in loquendo præcipivè, seu præcipiendo: & tamen præcepta canonica non sint verbum DEI, strictè loquendo; aliàs essent præcepta strictè loquendo Divina, in quibus Pontifex non potest dispensare; cum tamen hoc juxta omnes possit in legibus canonicis: sicut nec posset contra illa dari ulla præscriptio, quam tamen omnes admittunt adversus leges canonicas. Quarto ex eo, quod etiam ex infallibili assistentia Spiritus S. instituit Ecclesia sacramentalia; non tamen loquatur ibi verbum DEI; aliàs propriè Christus etiam institueret sacramentalia, sicut sacramenta, quod dici non potest.

Nec dicas, etiam leges Apostolicas non esse omnes Divinas (nam canones Apostolorum propriè non sunt leges Divinæ) consequenter nec eorum scripta fore sacra. Resp. ex hoc ipso probari, quod ad discernendas inter se leges, ab Apostolis acceptas, (an scilicet latè sint immediatè à DEO, & per Apostolos tantum promulgatæ: an verò ab Apostolis sua auctoritate statuatæ, quamvis assistente Spiritu S.) opus sit, ut vel Scriptura clarè id explicet, aut Ecclesia applicet: sic Tridentinum expressè ait, legem de sacramento extremæ unctionis à S. Jacobo tantum promulgatam. At canones Apostolicos Ecclesia non applicat ut præcepta DEI.

452. Ob. 2. Variis locis Sacræ Scripturæ dicitur, vocem Ecclesie esse vocem DEI: e. g. prob. ant. Act. 15. v. 28. dicitur de Ecclesia in Concilio collecta: *Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis. Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Matth. 10. v. 20. Non enim vos estis, qui loquitur in vobis &c.* ergo. Resp. neg. ant. ad prob. Resp. exponendo textus. Quod spectat ad primum, inprimis, etsi diceretur, per illud Concilium Apostolorum locutum esse propriè Spiritum S. non sequeretur, idem dicendum de aliis; nam illius acta fuerunt inserta Sacræ Scripturæ, & omnia, quæ ibi recensita, vel scripta habentur, fuerunt infallibilia, etiam quoad pura facta &c. quod non competit aliis Conciliis.

Secundo potest dici, licet in actis Apostolorum ea verissimè à Divino Spiritu referantur, & historica ea narratio sit verbum Spiritus S. non tamen ipsas illius Concilii definitiones fuisse strictè verbum DEI, sicut nec sunt canones Apostolici: & certè ibi statuta fuit lex, de servanda abstinence à sanguine, & suffocato, quæ jam dudum abrogata est, adeoque non fuit lex strictè Divina; unde etiam Bellarminus tom. 2. contro. 1. de Conciliis l. 2. c. 12. illud: *Visum est enim Spiritui Sancto:* explicat sic: *Spiritus S. nosstram industriam, & diligentiam adjuvante.*

Alter textus intelligendus est de quavis superiore, legitima auctoritate à Christo mediatè saltem accepta instructo, & præcipiente: non autem quivis superior loquitur

strictè verbum DEI; unde tantum aliquo modo mediatè, & interpretativè, auditur, vel spernitur DEUS.

453. Tertius textus à Maldonato explicatur hoc modo: *Non tam vos, quam Spiritus Patris vestri; quia non vestro, sed illius sensu, consilioque respondebitis.* Cornelius à lapide exponit: *Non ex vobis, vestraque prudentia, & animo, sed ex Spiritu S. qui vobis suggeret sapientiam, & animos, ut præsidibus sapienter, & animosè respondeatis.* Igitur hoc textu tantum significatur, quod Spiritus S. adjuturus sit martyres, ut, etsi solliciti non fuerint, quid tyrannus respondeant, ipsis tamen abundè incidat, quid respondeant. Sic videtur hic ipse textus Matthæi explicari Luc. 21. v. 15. quando dicitur: *Dabo vobis os, & sapientiam;* ergo ipsi martyres ore accepto loquuntur. Et quis dicat, omnia, quæ martyres in tormentis dixere, fuisse strictè verbum DEI, ut DEUS strictè ea dixisse dicendus sit? e. g. quando S. Laurentius dixit: *Assatum est jam: versa, & manduca.*

Adde 1. quod DEO attribuantur etiam ea, quorum ipse principalis est causa, juxta illud S. Pauli. 1. Cor. 15. v. 10. *Non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Et sic labores etiam ejusdem Apostoli, de quibus ibidem meminit, tribuuntur DEO, quin tamen illi labores possint dici labores DEI, non tantum in communi sensu, quatenus tantum dicuntur, etiam esse DEI; quia ipse in eos influit: sed in sensu strictiori, & ad eum modum, quo Sacra Scriptura dicitur verbum DEI. Imò qualibet oratio pia, ex gratia supernaturali facta, specialiter est attribuenda DEO, quin tamen verba ita orantis sint verbum DEI strictè dictum, etiam quando non utitur orationum formulis, in S. Scriptura contentis, sed à se ipso primùm excogitatis. Adde 2. quod DEUS dicatur in Scripturis etiam facere id, ad quod agendum tantum excitat, vel inducit: sic dicitur ad Rom. 8. v. 26 de Spiritu S. *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* cum tantum excitet nos ad eos gemitus, eosque moraliter causet.

454. Ob 3. Tridentinum sessione 18. decreto de librorum deletu &c. ait de sua adhortatione: *Hanc ergo, non humanam, sed Spiritus S. vocem audientes &c. ergo* vox Concilii est vox Spiritus S. Resp. dist. conf. vox Concilii est vox Spiritus S. latius sumpta. conc. conf. strictè sumpta. neg. conf. Concilium ibi tantum loquitur de sua invitatione, ad unionem, pacem, atque concordiam: & hanc invitationem suam ait esse, non tantum humanam, sed Spiritus S. vocem; sicut scilicet solemus dicere, quod vox concionatoris, ad penitentiam exhortantis, vel vox superioris præcipientis, sit vox DEI, non strictè, sed aliquo modo moraliter; quia utique DEUS, sicut ad penitentiam, ita ad unitatem, & concordiam hortatur. Insuper, sicut superius diximus, quod non tam martyres loquuntur, quam DEUS, nec tam homo justus bene operetur,

quàm gratia DEI: sic potest etiam dici, per vocem Concilii, non tam loqui Concilium, quàm DEUM, adeoque hujus vocem non esse purè humanam, præsertim etiam ratione assistentiæ Spiritus S. Tandem nec adversarii dicunt, dicta Concilii omnia esse verbum DEI, sed tantum definitiones: atqui hæc invitatio Concilii non est definitio: ergo non est verbum DEI.

455. Ob. 4. Multa defacto nos docuit Ecclesia, & quidem de fide credenda, quæ antiqui non crediderunt: ergo Ecclesia debet de novo aliquid revelare, adeoque loqui verbum DEI. Resp. neg. ant. hoc enim negat Cardinalis de Lugo de fide disp. 1. sec. 13. n. 174. item Suarez de fide disp. 3. sec. 11. n. 4. & hoc teste etiam alii auctores communi consensu. Idem Eximius citata sec. 11. n. 6. ait, jam omnia prius esse confusè, & implicitè revelata, quæ dein Ecclesia explicet, & explicitè, ac clarè proponat; DEUS enim, (ut jam supra dictum n. 422.) cum nihil confusè cognoscatur, semper, dum revelat propositionem universalem, jam revelat implicitè etiam particulares in universali contentas: quænam autem contineantur, explicat Ecclesia.

Sic quando Christus dixit *Matth. 10. v. 22. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: jam clarè cognovit, quinam in particulari sint contenti sub illa propositione universali: hos autem dein nobis applicat Ecclesia, vel explicat, dum Sanctos canonizat. Et ita etiam docet Tannerus tom. 3. disp. 1. q. 1. dubio 7. n. 214. & 216. Idemque ibidem dicit de libris canonicis; DEUS enim revelavit universaliter, verbo saltem Divino tradito, omnes libros canonicos continere doctrinam de fide: Ecclesia autem applicat, quinam in ea propositione universali contineantur: quamvis de his libris possit fortè etiam responderi, quòd de singulis libris extiterit jam olim peculiaris revelatio, per traditionem accepta, & nobis per Tridentinum denuo applicata.

456. Ob. 5. Fideles ultimò resolvunt suam fidem in auctoritatem Ecclesiæ, saltem rustici, & rudes communiter, qui non cogitant de revelatione à DEO facta: ergo, vel debet Ecclesia loqui verbum DEI: vel fideles illi vix unquam eliciunt actum fidei Theologicæ: hoc secundum est durissimum: ergo prius est verum. Resp. neg. ant. Isti rudes non possunt suam fidem resolvere in auctoritatem Ecclesiæ tantum humanam; hæc enim non est sufficienter infallibilis: resolvere autem in auctoritatem, ut affectam assistentiâ Spiritus S. (prout fatetur ipse Arriaga, licet adversarius disp. 3. de fide sec. 1. n. 7.) non est facilius, quàm resolvere suam fidem in ipsam auctoritatem Divinam; nam, ut idem ait, Ecclesia ut habens talem assistentiâ, & cognita ut eam habens, non potest facilius audiri, quàm DEUS.

Quare, si adversariis non videtur nimis difficile, quòd rudes debeant resolvere fidem suam in auctoritatem Ecclesiæ, ut affectam assistentiâ Spiritus S. nec ipsis est in-

credibile, quòd in hanc resolvant fidem; non debet etiam ipsis videri nimis difficile, quòd rudes debeant fidem resolvere in auctoritatem DEI: neque incredibile, quòd eam in hanc resolvant: saltem, ut ait Suarez disp. 3. de fide sec. 10. implicitè: quatenus nempe concipiunt doctrinam Ecclesiæ; ut ipsi revelatam, ac traditam à DEO; licet hanc suam resolutionem scholasticis terminis explicare nequeant. Unde etiam catechista, si rectè docere velit, debent ita docere: si aliter se gerant, malè faciunt.

457. Ob. 6. S. Augustinus citatus num. 147. ait: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas*: ergo hæc est motivum credendi. Confir. 1. Fideles credunt Ecclesiæ, & per hoc distinguuntur ab hæreticis: ergo. Confir. 2. Auctoritas Ecclesiæ potest movere ad aliquem actum fidei: non tantum humanæ; hæc enim non est infallibilis: ergo Divinæ; nec enim datur medium. Confir. 3. Ecclesia ut infallibilis involvit etiam auctoritatem Spiritus S. ergo actus illi innixus nititur etiam auctoritate Divina. Resp. neg. conf. Auctoritas Ecclesiæ non est motivum credendi Divina fide: sed est motivum volendi credere; unde S. Augustinus quasi dicit: *Ego nollem credere, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas*. Scilicet Ecclesiæ auctoritas reddit credible Evangelium, & immediatè movet ad volendum credere, seu ad piam affectionem; non verò movet immediatè ad actum fidei. vide Rhodes citatum n. 448. ubi bene notat, S. Augustinum dicere, se non crediturum Evangelio: ergo huic immediatè credidit, scilicet Evangelio propter se ipsum, sed ut applicatum ab Ecclesia.

Ad primam confir. dist. ant. Fideles credunt Ecclesiæ fide Divina. neg. ant. fide alia inferiori. conc. ant. & neg. conf. Distinguantur autem fideles ab hæreticis 1. quia isti non credunt Ecclesiæ, nec ejus infallibilitatem &c. tanquam objectum materiale. 2. quia hæretici non credunt Ecclesiæ, etiam fide inferiori, tanquam infallibiliter applicanti verbum DEI. Ad 2. confir. neg. conf. cum sua ratione. Ecclesiæ auctoritas est media inter auctoritatem Divinam, & humanam, & consequenter actus ei innixus, etiam est medijs, inter actum fidei Divinæ, & humanæ. Ad 3. confir. dist. ant. Ecclesia ut infallibilis involvit auctoritatem Spiritus S. ut loquentis verbum DEI. neg. ant. ut infallibilizantis tantum, verbum ex se humanum, vel medium inter humanum, & Divinum. conc. ant. & neg. conf. Ad fidem non requiritur auctoritas DEI quomodocunque, sed loquens: si quis autem non assentiretur propter auctoritatem Ecclesiæ, sed propter auctoritatem Spiritus S. assistentis, & loquentis, esset alius casus.

458. Collige, quòd multò minus fama communis, vel alius quiscunque annuncians verbum DEI, e. g. parochus, loquatur propriè verbum DEI; si enim Ecclesia non loquitur verbum DEI, multò minus illi, qui

qui carent infallibili assistentiâ Spiritus S. & etiam tunc, quando proponunt verbum DEI, sincerè, & tanquam missi ab Ecclesia, nihil aliud faciunt, quàm quòd proponant, & applicent revelationem olim factam. Pariter, neque miracula, aut alia signa credibilitatis (exceptis iis, quæ aliunde specialiter probantur esse verbum DEI, ut prophetiæ) sunt strictè loquendo verbum DEI: sed sigillum contestativum, & applicans verbum DEI: sicut nempe sigillum appressum mandato regis, non est verbum regis: sed restificatio, & applicatio illius, seu iudicium, quòd scriptura illa sit verbum regis. Quare, licet in aliquo sensu morali, & laiciori, miracula possint, & soleant dici verbum DEI: non tamen sunt verbum DEI in sensu strictè dicto.

QUÆSTIO IV.

De Actibus præviis ad Fidem.

ARTICULUS I.

An ad Actum Fidei de veritate Religionis Catholicæ, vel alicujus Mysteriorum, præcedere possit, vel etiam debeat Evidentia in attestante.

459. Dico 1. Evidentia in attestante non est impossibilis cum actu fidei, adeoque potest hunc præcedere. ita Suarez, Vasquez, Valentia, & plures alii, quos citat, & sequitur Gormaz de virt. Theol. n. 518. & 519. Est autem evidentia in attestante iudicium evidens de eo, quòd DEUS hunc, vel illum articulum locutus, aut testatus sit. Prob. conclusio 1. auctoritate S. Thomæ 2. 2. q. 5. a. 2. in corp. ubi docet, per talem evidentiam visi, e. g. miraculi, qua, ut ait, *convinceretur intellectus videns, ut cognosceret manifestè, hoc dici à DEO*, non tolli rationem fidei. Prob. 2. ratione. Evidentia illa non esset motivum fidei, sed tantum applicatio nobilioris motivi: atqui nobilior applicatio non impedit effectum, nisi specialis ratio pugnet, qualis hic non datur: ergo.

Confir. Valde probabile est, B. Virginem evidenter cognovisse, conservatam sibi fuisse virginitatem cum maternitate, ad contestandam revelationem factam de Divinitate Filii sui: item Lazarum habuisse evidentiæ de resuscitatione sua à mortuis, in signum contestativum revelationis de Divinitate Christi: iterum Apostolos, præsertim post Christi Domini resurrectionem, & apparitiones, habuisse evidentiæ de ejus resurrectione, facta in signum simile revelationis de ejusdem Divinitate: ergo habuerunt evidentiæ, excludentem omne dubium de eo, quòd verè DEUS locutus sit, ac revelaverit, Christum esse DEUM: & tamen hoc ipsum crediderunt: ergo. Dicere autem, quòd nec B. Virgo, nec Apostoli, aut Lazarus, apprehenderint connexionem istorum

signorum cum revelatione, vel revelationis cum Divinitate Christi, est dicere aliquid prorius incredibile, ut patebit ex n. seq. notando 3.

460. Jam, antequam ad secundam conclusionem accedamus, ut evitentur intermedie quæstiones multæ, etiam de voce, noto sequentia. Primò. Sicut cæcus potest evidenter cognoscere vocem Petri, quem nunquam vidit, ita etiam nos in via possumus evidenter cognoscere vocem DEI, quem nunquam vidimus: imò, sicut potest ab alio ita describi vox Petri, habens peculiarissimum sonum, ut discernatur evidenter ab eo, qui cum nunquam vidit: sic pariter nos ex peculiarissimis signis possumus discernere vocem DEI. Secundò. Per evidentiam hic non intelligitur tantum, demonstratio strictè à priori, vel strictè à posteriori, sed etiam demonstratio à concomitanti connexionem, qualis sæpe datur etiam in mathematicis, ut agnovit Aristoteles, dum ex distantia siderum intulit scintillationem eorum, vel vicissim.

Tertiò. Ex evidentia de Divina revelatione, inferitur evidentia de ipsa re, saltem apud prudentes, ad minimum *quoad an est*, licet non *quoad quomodo est*; hoc est, inferitur evidenter, quod res ipsa existat, quamvis non inferatur, quo modo existat, seu non inferatur ipse modus existendi (nisi hic ipse modus sit etiam revelatus) nam evidens est hic discursus: *Quidquid DEUS revelat, est evidenter verum: sed evidenter revelat, e. g. incarnationem: ergo est evidenter verum*. Sic etiam mathematices ignaro est evidens veritas, deducta evidenter ex propositionibus Euclidis, si ipsi est evidenter certum, e. g. ex testimonio omnium mathematicorum, quòd illæ propositiones sint evidenter veræ; licet enim non capiat ipsam demonstrationem, ut ajunt, *quoad quomodo est*, capit tamen eam sufficienter, *quoad an est*: sic etiam multos effectus evidenter scimus, licet, à qua causa proveniant, nesciamus.

Quartò. Falsum est, quòd idem medium, seu idem medijs terminus, non possit probare conclusiones faciles, & difficiles; nam potest idem esse connexum utrisque, ut revera est testimonium DEI. Quintò. S. Thomas, quando 2. 2. q. 5. a. 2. in corp. dicit, aliquid prædictum per prophetiam, vel prædictionem DEI evidenter, tamen non fore evidens, loquitur de evidentia rei immediatè in se; nam ait: *Licet illud futurum, quod prædicitur, in se evidens non esset*; si enim negaretur prorius omnis evidentia, non videretur esse verum hoc assertum, ut colligitur ex discursu modo facto. His notatis

461. Dico 2. Iudicium evidens de ipsa veritate religionis Catholicæ, vel de existentia revelationis Divinæ, non est necessarium ad actum fidei, adeoque non debet hunc præcedere: sed sufficienter iudicium evidens de credibilitate, & credentitate. ita omnes Theologi, qui negant, esse immediatè evidens, DEUM revelasse mysteria nostræ fidei, qui sunt plurimi cum D. Thoma, & Eximio (qui disp. 3. de fide sec. 8. n. 5. omnino

omnino ait: sententiam nostram esse de fide certam ac alios, citatis à Gormaz de virt. Theolog. n. 707. & 708. Probatum conclusio 1. Fideles, non tantum rudes, aut minus docti; sed omnes, qui credunt propter revelationem, mediata ad se perlatam, (qui sunt omnes fideles nunc existentes, & ferme omnes etiam priores) non habuerunt, aut habent, evidentiam ipsius revelationis, sed solum credibilitatis, & credentitatis de ea: & tamen verè crediderunt, & adhuc verè credunt: ergo evidentia, seu iudicium evidens de veritate religionis, non est necessarium ad fidem. ant. quoad 1. p. probatur conclusio 3. quoad 2. p. autem est innegabile; quia etiam isti fideles, fuerunt, vel sunt verè tales, atque elicerunt, vel eliciunt, actus supernaturalis fidei, necessarios ad salutem; alias nullus ex iis venisset, vel veniret in cœlum: quod dici minime potest: ergo.

462. Prob. concl. 2. Evidentia vera, seu metaphysica, necessitat intellectum ad assensum, & excludit omne dubium, etiam indeliberatum: sed exclusio dubii, etiam indeliberati, non requiritur ad applicationem testimonii Divini: ergo, ma. nisi fiat questio de nomine, debet admitti. min. constat ab experientia; nam fideles sæpe patiuntur inviti dubia indeliberata circa fidem. Confir. 1. Actus fidei est liber: atqui non esset liber, si necessariò præxigeretur evidentia de testimonio Divino; nam tunc non posset voluntas esse parata ad credendum, etiam si non adesset evidentia: ratione cuius præparatio tamen est liber actus fidei cum evidentia in attestante: ergo. Confir. 2. Philosophi antiqui absque dubio agnoverunt, DEUM non posse falsum dicere: adeoque utique credidissent, si ipsis evidens fuisset, quòd DEUS mysteria nostræ fidei locutus fuisset: quia tamen noluerunt credere, non habitâ prius evidentia, nec contenti fuere evidenti credibilitate, & credentitate, fuerunt culpabiles: ergo non requiritur ad fidem ea evidentia; alias fuisset isti philosophi legitime excusati.

463. Dico 3. Fideles ordinariè non habent evidentiam de veritate religionis Catholicæ: sed tantum habent evidentiam de credibilitate, & credentitate ejusdem. ita Theologi pro superiore conclusione citati. Loquimur autem de evidentia, non tantum qualicumque latè sumpta, seu aliquo modo morali, compossibili cum aliqua imprudenti saltem formidine (qualem admittit Suarez supra loc. cit. n. 261.) sed restrictè tali, excludente omne dubium. Prob. 1. Experientia constat, eam evidentiam non dari, ut patet culque rusticos examinanti: ergo. Quamvis autem sapientiores habeant majorem quandam certitudinem de rebus fidei, vel revelatione, quam rudes rustici, ea tamen non transcendit fidem humanam: & ad summum pervenire potest ad aliquem gradum evidentiam moralem. Rursus experimur, frequenter dari dubia indeliberata, quæ non stant cum evidentia; nec enim

possunt à damone tentari, ut dubitem, aut totum sit majus sua parte, vel an præsentem sole sit dies &c. Confirmatur argumento negativo. Hæc evidentia nulla ratione probari potest; nam in primis evidentia supernaturalis gratis adstruitur: naturalis intrinsecè connexa cum supernaturalibus mysteriis dari non potest: extrinsecè autem tantum inferens ea mysteria etiam non datur; quia intellectus non necessitatur: ergo.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones contra primam Conclusionem.

464. **O**B. 1. Actus Divinæ fidei debet necessariò esse obscurus; atqui, si præcedat evidentia in attestante, non est amplius obscurus: ergo. prob. ma. 2. Petri 1. v. 19. comparatur fides lucerna lucenti in caliginoso loco. item S. Augustinus tract. 40. in Joannem ait: Quid est enim fides, nisi credere, quod non vides? & S. Gregorius homil. 26. in Evangelia post medium, adducens illud S. Pauli ad Hebr. 11. v. 1. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: ait: Fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt: quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. & post pauca addit de S. Thoma Apostolo: Aliud vidit, aliud credidit; à mortali quippe homine Divinitas videri non potuit. Rursus S. Thomas q. 14. de veritate, quæ est de fide. art. 3. ad 6. ait: Veritas prima non est objectum proprium fidei, nisi sub hac ratione, prout est non apparet. ergo. Confir. Licet objectum materiale fidei possit esse clarum, tamen objectum formale debet esse obscurum: atqui juxta nos etiam hoc esse clarum; quia ipsa revelatio Divina esset clara: ergo. Resp. dist. ma. Actus Divinæ fidei debet necessariò esse omnimodè obscurus, seu excludere omnem claritatem. neg. ma. debet excludere tantum aliquam claritatem, nempe visionis beatificæ. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

465. Actus fidei non debet omnem claritatem excludere; nam in primis clarior est, quam ignorantia, & cognitio erronea; illa enim nihil, hæc rem aliter, quam sit, & consequenter deterius repræsentat: 2. Est clarior, quam tantum opinio; quia motiva credibilitatis clarius, & certius manifestant, dari revelationem, quam ulla opinio suum objectum; unde fides nititur motivo clarius proposito. Ut nihil dicam, quòd fides insuper omne dubium excludat, & alios actus, etiam claros, certitudine plurimum excedat. Si autem actus fidei comparetur cum cognitione metaphysicè evidenti, habet se aliquo modo ut excedens, & excessum; nam cognitio illa requirit objectum formale intuitivè, vel abstractivè visum quoad quid est, vel saltem intuitivè visum

connexionem ejus cum alio: quod fides non requirit. At verò fides manifestat explicitè, & certitudine maxima, veritates sublimissimas, quas nulla cognitio naturalis attingere potest.

Tandem, si actus fidei comparetur cum visione beatifica, tunc simpliciter ab ista exceditur; nam visio hæc intuitivè videt DEUM, ut est in se ipso, & manifestat explicitè omnia, quæ per fidem manifestantur, & adhuc plura, attingendo ea, non tantum, quoad an sunt, sed etiam, quoad quid, & quomodo sunt: & quidem ea attingendo absque adminiculo revelationis creatæ, sicut scilicet charitas attingit purè DEUM (unde, licet actus charitatis sit nobilior actu fidei, non tamen est certum, an sit nobilior visione beatifica) hic autem excessus visionis supra fidem est major, quam excessus fidei supra cognitiones etiam probabiles. Ex quo sequitur, quòd, omnibus consideratis, fides respectu visionis dicatur simpliciter obscura: & hinc à S. Petro vocatur lucerna, quæ oriente die extringuitur: atque etiam ideo fides tantum durat, usque dum visio veniat, sive, ut ibidem S. Petrus dicit: Donec dies elucescat, & lucifer oriatur. Quare à primo ad ultimum, fides tantum excludit claritatem visionis beatificæ, cui opponitur: non verò claritatem tantum evidentiam in attestante: ex quo patet etiam responsio ad probationem ex epist. S. Petri adductam.

466. Quod verò spectat ad S. Augustinum, hic tantum vult, quòd non videatur testimonium DEI in se, seu per visionem intuitivam: non verò negat, compossibilem esse cum fide aliquam visionem, etiam tantum abstractivam, e. g. quæ DEUS evidenter videatur in creaturis, per quas demonstratur. Idem respondendum est ad S. Gregorium, qui, dum ait, non potuisse ab homine videri ipsam Divinitatem, utique loquitur de visione intuitiva, seu beatifica: adeoque tantum vult, non debere objectum fidei apparere in visione beatifica. Pariter Angelicus etiam solum vult, non debere objectum fidei apparere in visione beatifica. Alii respondent, nec malè, SS. Patres loqui de actibus fidei communiter elici solitis, quos utique non præcedit evidentia in attestante.

Cæterum, si isti textus SS. Patrum deberent profusè rigorosè ad literam accipi, tunc planè nimium probarent, nempe, quòd neque evidens possit esse objectum materiale fidei; cum tamen evidens sit ex naturali ratione existentia DEI, saltem quoad an est, quamvis non quoad quomodo est. Equidem aliqui auctores negant, existentiam DEI credi, dicuntque, assensum de ista esse tantum præambulum necessarium ad fidem: sed planè Apostolus dicit ad Hebr. 11. v. 6. Credere enim oportet accedentem ad DEUM; quia est: hoc est, ejus existentiam, seu quoad an est. Dein est apertissimè evidens, quòd homines moriantur: & tamen hoc credimus; quia S. Paulus dicit ad Hebr. 9.

v. 27. Statutum est hominibus semel mori: nec assensus iste de morte hominum est præambulum necessarium ad alios actus fidei; unde SS. Patrum dicta jam debent aliquo modo exponi: & nos convenienter ea exponimus, per superius datam explicationem. Ad confir. dist. ma. objectum formale debet esse obscurum, obscuritate excludente claritatem visionis beatificæ conc. ma. alia obscuritate. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

467. Ob. 2. Juxta nos cognitio præcedens, qua judicamus, dari revelationem DEI, esset actus fidei: hoc est falsum; alias conclusio Theologica esset actus fidei: ergo. Resp. neg. ma. quia revelatio est tantum objectum materiale, non autem formale illius actus: consequenter is actus non esset actus fidei. Nota tamen ulterius, locutionem alicujus posse ab actu tripliciter respici. 1. ut purus effectus suæ causæ, e. g. audio Joannem loquentem, atque ex locutione infero, eum vivere: & hic actus non est actus fidei, sed scientia; nam hoc etiam inferrem, si Joannes mendacissimus esset. 2. ut doctrina: sic aliquando audit discipulus magistrum explicantem, non attendens ad ejus auctoritatem, sed tantum ad pondus rationum; quas assert, & ab his, & non ab illa, persuadetur: & iterum non est actus fidei, sed conclusionis scientificæ, vel probabilis, pro varietate rationum. 3. ut testimonium, quando scilicet locutioni illi assentior; propter auctoritatem dicentis: & hic actus est actus fidei. Jam verò cognitio illa præcedens non isto ultimo, imò nec alio modo, niteretur revelatione, tanquam motivo: ergo non esset actus fidei. An autem in eodem actu possint convenire motivum formale fidei, & scientiæ, ita, ut idem actus nitatur utroque, alia est questio, quæ huc non spectat: si id fieri nequit, debet non ratione claritatis, sed ex alio capite repugnare.

468. Ob. 3. Stante evidentia in attestante assensus non esset liber: ergo non esset actus fidei: ant. prob. intellectus rapiatur ab evidentia: ergo. Confir. Juxta nos non esset ratio, quare fides non posset dari in Christo, & Beatis: hoc est contra communissimam Theologorum: ergo. Resp. dist. ant. actus fidei non esset liber immediatè in se ipso, & intrinsecè. conc. ant. non esset liber in pia affectione voluntatis, & extrinsecè. neg. ant. & conf. Actus fidei, cum sit actus potentia necessaria, seu intellectus, non potest esse liber in se ipso, sed tantum in præcedente actu, seu imperio voluntatis, quod vocatur pia affectio.

At stante evidentia in attestante, voluntas adhuc est libera, non quidem simpliciter ad imperandum, vel impediendum omnem assensum (nam evidentia saltem necessitat ad aliquem actum conclusionis Theologicæ) sed est libera, ad imperandum assensum, non propter evidentiam, sed propter solum testimonium DEI, ita, ut voluntas parata sit credere, etsi non haberet evidentiam, sed tantum evidentem credibilitatem.

tem. verbo: voluntas est libera ad hunc actum: *Volo credere propter hanc revelationem Divinam, mihi hic, & nunc, evidenter propositam, ita tamen, ut etiam crederem, etsi non esset evidenter proposita*; posset enim voluntas alium actum elicere, scilicet: *Volo credere propter hanc revelationem evidenter propositam: nollem tamen credere, si mihi non esset evidenter proposita*: qui esset actus infidelitatis.

469. Ubi ulterius nota, quod, etsi evidentia rapiat statim intellectum ad aliquem assensum, ita, ut prævertatur imperium voluntatis: non tamen rapiat ad plures; quia non debent semper cumulari assensus præstiti veritati, etiam evidenti: quare, etsi fortè primus assensus non foret actus fidei liber; eoquod intellectus jam prævenisset voluntatem: tamen possunt actus subsequentes, esse actus fidei liberi; hos enim pro libitu voluntas potest elicere, vel non; & in iis esse parata ad assensum etiam sine evidentia, & ad captivandum intellectum.

Quidam respondent, in casu evidentie tamen posse elici actum, qui testimonio Divino nitatur, eique, licet necessario, assentiatur, adeoque tamen sit actus aliquis fidei: verum non videtur in hoc sensu agitari questio; nam evidens est, quod in hoc casu possit talis assensus elici: imò juxta communem debet: sed questio est, an possit elici actus fidei liber, & meritorius, qualem elici posse defendimus, & probavimus. In illa etiam prius memorata præparatione animi ad volendum credere, etsi non adesset evidentia in attestante, stat requisita captivatio intellectus in obsequium fidei; hinc, quia demones non ita parati sunt, sed necessario assentiuntur mysteriis, & libenter averterent se à rationibus evidentibus, si possent, eorum fides laudabilitatem non habet. Ad confir. neg. ma. nam fides est assensus præstitus DEO loquenti, non visio: hic autem stare non potest cum visione, quam habent Christus, & Beati.

470. Ob. 4. Scientia, & fides, non possunt esse simul de eodem objecto, in eodem intellectu: ergo neque fides de revelatione, & scientia, seu evidentia de eadem. Resp. dist. ant. non possunt, esse simul scientia, & fides humana. om. ant. scientia, & fides Divina. neg. ant. & conf. Certè est nobis evidens ab experientia, quod homines moriantur: & tamen idem simul credimus ob Sacram Scripturam. Si fides humana non possit stare cum scientia, ratio esse debet, quod fides humana videatur superari à motivis scientificis, consequenter non esse necessarias, aut utiles in præsentia istorum: quæ tamen ratio, an sit efficax, viderint alii; valde multa enim, & quidem, ut videtur, communia, id negant.

At verò fides Divina neutiquam superatur à scientia, nam illa habet majorem certitudinem, & simul supernaturalitatem; licet scientia habeat majorem claritatem: & consequenter non sit omnino inutilis. Ulterius, cum apprehensio evidens ad assen-

sus non cesset, fides Divina stante ea apprehensione, actum scientificum excludere non potest. Nec dicas, scientiam, & opinionem simul stare non posse; respondetur enim, si opinio dicat tantum formidinem radicalem, stare posse: sin autem dicat formalem, non posse; quia hæc cum scientia impossibilis est: at sic paritas non est, inter hunc, & illum casum, ut consideranti facile patet. Dico autem, hæc tantum simul stare posse in eodem intellectu: an autem etiam stare simul possint in eodem actu, sive ita, ut idem indivisibilis actus eliciatur, tum ex motivo scientiæ, tum ex motivo fidei, est alia questio, quæ huc non facit.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones contra reliquas conclusiones.

471. Ob. 1. contra 2. conclusionem. Si non est evidens veritas nostræ religionis, tunc tantum datur noticia probabilis revelationis: sed cum hac non potest elici actus fidei, ut clarè colligitur ex damnatione propositionis 21. ab Innocentio XI. proscriptæ, quæ sic habet: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum noticia solum probabilis revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus DEUS*: ergo debet veritas nostræ religionis esse evidens. Resp. neg. ma. datur enim noticia moraliter certa, non relinquens dubium prudens in oppositum: quod non excludit sola probabilitas; motiva enim credibilitatis, etsi non reddant fidem nostram immediate in se evidentem, tamen eam reddunt moraliter certam: & esset valde imprudens, qui, iis perceptis, de veritate nostræ religionis dubitaret; unde est falsum, quod DEUS nos obliget ad religionem tantum probabilem, aut dubiam; obligat enim ad moraliter certam, quanquam non omnino evidentem, quæ excludat, omne etiam imprudens dubium.

472. Ob. 2. Ecclesia vera, seu verareligio debet posse ab omnibus inveniri: at qui non potest inveniri, nisi sit evidens: ergo. Confir. Sinon est evidens nostra religio, non est indubitabile, DEUM eam esse locutum: sed debet cuique fidei hoc esse indubitabile: ergo. Resp. neg. mi. Modò religio sit evidenter credibilis, & credenda, omnes eam invenire possunt; quia aliunde sciunt, se debere prudenter agere, & consequenter credere, quod evidenter est credibile. Ad confir. dist. mi. debet id esse indubitabile per ipsum actum fidei, seu ita, ut actus fidei excludat omne dubium. conc. mi. debet esse indubitabile anteceden-ter ad actum fidei, ita, ut motiva prævia excludant omne dubium. subdist. debet esse indubitabile prudenter. conc. mi. etiam indubitabile imprudenter. neg. mi. & consequens. 473. Ob. 3. Si non esset necessaria ea

evidentia, ideo non esset necessaria; quia non staret cum ea captivitas intellectus, requisita ad fidem: sed hæc stat cum illa: ergo. prob. mi. ea captivitas stat cum evidentia de credibilitate: ergo etiam stat cum evidentia de veritate. Confir. 1. Stante evidentia credibilitatis non possumus, nisi imprudenter dissentiri: sed hæc captivitas intellectus non est valde laudabilis: ergo etiam nos debemus aliam assignare: hanc autem assignare quoque poterunt adversarii: ergo. Confir. 2. Potest stare cum evidentia dubium, vel etiam negatio objecti: ergo potest stare sufficiens captivitas intellectus. ant. prob. ex illo *Psalm. 13. v. 1. Dixit insipiens in corde suo: non est DEUS*: cum tamen evidens sit, dari DEUM.

Resp. dist. ma. ideo non esset necessaria ea evidentia; quia cum illa non staret captivitas intellectus, si illa evidentia necessario requiretur ante actum fidei. conc. ma. quia non staret captivitas intellectus cum ea evidentia, si hæc tantum daretur, non autem necessario exigeretur. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Etiam juxta nos stat cum evidentia in attestante captivitas intellectus necessaria, si ea non petatur ut necessaria; quia tunc potest stare illa præparatio animi, de qua *n. 462. & 468*. At si evidentia petatur ut necessaria, non stat captivitas requisita ex ratione opposita.

Ad prob. conc. ant. neg. conf. Non stat cum evidentia credibilitatis, nec necessaria est captivitas intellectus, ad formandum judicium prævium de credibilitate; quia evidentia necessitat ad assensum credibilitatis: & esset ridicula captivatio in ordine ad veritatem illam, cujus evidentia necessario prærequiritur; alias cum non dicimur captivare intellectum in assensum primorum principiorum? At verò necessaria est captivitas intellectus, in ordine ad actum fidei; cujus motivum intrinsicum, & immediatum, juxta nos non est evidens, licet sit evidens motivum obligationis; simplicissime enim est evidens obligatio, & tamen liberimi sumus ad illam implendam, seu ad captivandam voluntatem, aut intellectum, in obsequium illius præcepti: & sic res etiam se habet in præcepto fidei. Unde in casu evidents credibilitatis stat adhuc captivitas intellectus, in ordine ad actum fidei, quamvis non stet, nec necessaria sit, in ordine ad actum prævium, seu assensum credibilitatis.

474. Ad 1. confir. neg. mi. Utique laudabile est, & sæpe etiam aliquid generosum, & magnum, servare præcepta Divina, quæ tamen non possumus, nisi imprudenter transgredi. Eodem modo autem se habet præceptum captivandi intellectum in obsequium fidei. Item, sicut non potest quis coram tyranno, nisi imprudenter, negare fidem, & tamen esse valde laudabile, eam non negare, sed magnanimiter confiteri: ita, etsi quis, posita evidentia de credibilitate mysterii, non possit, nisi imprudenter, intellectum non captivare, tamen est valde lau-

dabile, eum captivare, & credere, e. g. mysterium, apprensio intellectui valde difficile.

Ad 2. confir. neg. ant. hæc enim est juxta communem vis evidentie, ut necessitet intellectum, saltem ad aliquem assensum, abique omni formidine, vel dubio, dum præsens in intellectu datur apprehensio evidens, id quod semper deberet esse juxta adversarios, in ordine ad actum fidei; alias enim revelatio non esset sufficienter applicata. Quod autem fortè quis possit iterum oblivisci motivorum evidentium, & stante ea oblivione dein dubitare, vel etiam negare objectum, de quo olim habuit demonstrationem, non refert: nec opus est examinare. Quod ad textum psalmistæ attinet, certum est, neminem posse inculpabiliter negare DEUM: nec id posse, stante ejus evidenti noticia.

An autem aliquis culpabiliter possit oblivisci evidentie de existentia DEI, & aliquando eam negare, est alia questio, spectans ad tractatum de actibus humanis, ubi de hac re pluribus actum; unde non male de hoc textu Gormaz ait, quod solum indicet, impium, seu insipientem, tantum conari, sibi persuadere, quod non sit DEUS, quanquam non possit: si autem deberet textus explicari, quod impius verè cogitet, non esse DEUM (quod tamen difficulter probabitur) deberet dici, eum iterum fuisse oblitum evidentie, dum præsertim studiosè avertit animum, ab argumentis DEUM demonstrantibus, & convertit ad argumenta, ejus providentiam, & existentiam impugnantia.

475. Ob. 4. Si non esset evidens, quod DEUS non posset fallere, nec falli, non possemus credere: ergo neque possumus credere, si non sit evidens, quod sit locutus DEUS; est enim par ratio. Confir. Si non esset evidens, DEUM existere, rursus non possemus credere: ergo neque possumus credere, si non sit evidens, eum loqui. Resp. neg. ant. Licet id non foret evidens, modò esset evidenter credibile, & credendum, jam possemus credere: & certè difficulter probari potest, quemvis rusticum habere evidentiam de eo, quod DEUS non possit mentiri; cum olim etiam Theologi aliqui dixerint, DEUM posse de absoluta potentia mentiri.

Ad confir. dist. ant. si non esset evidens DEUM existere, nec id aliunde esset evidenter credibile, non possemus credere. conc. ant. si, id esset aliunde evidenter credibile. neg. ant. & conf. Videri quidem potest, quod non facile accidat, ut independenter ab evidenti noticia DEI, quæ ex argumentis moralibus obvia est, tamen reddatur sufficienter credibile, DEUM esse locutum; cum evidens noticia de existentia DEI videatur semper præcedere: attamen etiam non ita facile est probare, quemlibet rusticum, vel hebetem hominem, habere, non tantum morale certitudinem, sed evidentiam revera strictè talem de existentia DEI.

Quidquid autem dicatur, non est contra nos. Si dicatur, non ab omnibus haberi evidentiam strictè dictam de existentia DEI

dicemus, in aliis sufficere, si per fidem credant existentiam illam, & antecedenter ad fidem habeant evidentem credibilitatem, & credentiam de ipsa existentia DEI. Si autem dicatur, prærequiri semper evidentiam de existentia DEI, dicemus, sine hac non posse sufficienter applicari testimonium DEI; hæc enim ratio tunc dari debet, ad probandam illius evidentiam necessitatem. Nec dicas, juxta hanc sententiam actum fidei de existentia DEI fore specie diversum ab actibus aliis fidei; cum prærequirat evidentiam de ipsa: Resp. enim, hunc actum tantum extrinsecè præsupponere eam evidentiam, intrinsecè autem eam non attingere: & idem facere omnes alios actus fidei, qui omnes præsupponunt parem notitiam de existentia DEI, ut consideranti patet: consequenter nullam differentiam specificam dari.

476. Ob. 5. contra 3. conclusionem. Scriptura, & SS. Patres, vocant Ecclesiam montem, implemtem totam terram: civitatem supra montem positam, ut ab omnibus videatur &c. ergo judicant, esse evidentem ejus veritatem. Confr. Iidem SS. Patres videbantur sibi demonstrasse Ecclesiam: ergo debet dici demonstrata. Resp. neg. consequ. Modò sit evidenter credibilis, facile videtur ab omnibus illa Ecclesia, quam debemus ingredi. Ad confr. dist. ant. SS. Patres videbantur sibi demonstrasse Ecclesiam evidenter credibilem, & credendam. conc. ant. evidenter veram. subdist. evidentiam consequentis. neg. ant. evidentiam consequentis. conc. ant. & neg. conf. In primis SS. Patres sæpe dicunt, homines peccaturos, nisi sequantur hanc Ecclesiam: ergo tantum volunt, eam esse evidenter credendam; alias enim deberent homines, eam necessariò sequi, seu necessariò credere; quia necessitaretur intellectus ad assensum evidentem.

Secundò sæpe SS. Patres arguebant contra illos, qui absolutè admittebant miracula, vel Scripturas, aut alia, quæ tamen ipsa non sunt evidenter vera: sed antecedenter ad fidem sunt tantum evidenter credibilia: iis autem suppositis SS. Patres evidenter deducebant veritatem religionis nostræ, sed evidentiam tantum consequentiam, non consequentis. Unde, quando SS. Patres dicunt, Ecclesiam etiam clausis oculis posse inveniri: esse rem claram, & apertam, quænam fides sit sequenda: non esse dubitandum, quænam sit amplectenda: tantum insanos, & stultos contradicere: Ecclesiam esse plenam fulgore: quando etiam Ecclesiæ applicant illud Sap. 6. v. 13. *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam; & invenitur ab his, qui querunt illam*: omnia explicari debeat de evidentia credibilitatis, & credentis; nam etiam clausis oculis potest Ecclesia inveniri, si volumus prudenter agere: clarum, & indubium est, nos debere sequi Ecclesiam, quam prudenter sequi possumus: & stultorum est, agere impruden-

ter: facile etiam invenitur Ecclesia à prudenter querentibus: ejusque signorum fulgor omnem orbem illustrat.

477. Ob. 6. Hominibus valde piis est evidens veritas religionis: ergo etiam aliis esset evidens, si diligenter, & piè motiva perpenderent. Confr. Potest esse, quòd etiam aliis sit evidens, sed ipsi evidentiam non advertant: ergo nulla est ratio adducta n. 463. Resp. dist. ant. Hominibus valde piis est evidens veritas religionis, si habeant applicationem extraordinariam testimonii Divini. conc. ant. si tantum habeant applicationem ordinariam. neg. ant. & conf. Hoc tamen addo, quòd, sicut aliquando passione, e. g. metu, potest excludi omne dubium, etiam imprudens; quia non finitur homo attendere ad motiva contraria: ita etiam idem dubium ex eadem ratione possit excludi vehementi propensione in DEUM; consequenter potest contingere, ut etiam antecedenter ad fidem (nam per actum fidei certum est, debere excludi omne dubium, etiam imprudens deliberatum) excludatur, in homine præsertim valde pio, omne profus dubium, etiam imprudens: verum hoc non provenit, ex evidentia, & exigentia, aut merito motivi, sed ex affectu voluntatis, qui non venit ad rem.

Ad confr. neg. ant. Evidentia vera non potest latere, nec stare cum obscuritate: certè, cum viri sanctissimi, & doctissimi fateantur, se evidentiam in se non agnoscerent, non est credibile, quòd ea detur. Contra potest quis facilius decipi, & putare, rem esse evidentem, dum talis non est: & hoc contingit adversariis, putantibus, se evidentiam habere, dum non habent: qui insuper, dum exigunt hanc evidentiam, tantum necessariam, debent necessariò revocare practicè, quòd docent speculativè; alias non haberent debitam animi præparationem, de qua n. 463. & 468. consequenter neque possent elicere actum fidei.

478. Ob. 7. Evidens est, nos vel nullo modo decipi circa religionem, vel à DEO decipi, juxta famosum illud dictum Richardi à S. Victore l. 1. de Trinit. c. 2. *Domine, si error est, à te ipso decepti sumus*: sed evidens est, nos non decipi à DEO: ergo. Confr. Judæi habuerunt evidentiam de veritate suæ religionis ob facta vera miracula: ergo etiam eandem habent Christiani, qui habent miracula paria. Resp. neg. ma. id enim non est evidens, sed tantum est evidenter credibile, antecedenter ad actum fidei; quia scilicet nulla est ratio prudenter dubitandi de veritate miraculorum &c. postea autem per ipsum actum fidei est cuique fidelis, non quidem evidens, sed tamen certum, se nullo modo decipi. Ad confr. nego, quòd omnes Judæi habuerint evidentiam; nam multi fuere increduli, ex iis præsertim, qui miracula ipsi non viderunt, sed tantum audierunt: sicut multi etiam viderunt miracula Christi, & non crediderunt. Cæterum, etsi aliqui habuissent evidentiam in attestante, nobis id non adversaretur; quia tan-

tantum negamus, evidentiam haberi universaliter.

479. Ob. 8. Evidens est, eam religionem esse veram, quæ pro se habet veras prophetias: talis est nostra: ergo. Confr. Evidens est rursus, eam religionem esse veram, quæ propagata est per vera miracula: talis iterum est nostra: ergo. Resp. dist. ma. si sit evidens, illas prophetias esse impletas, & quidem auctore DEO. conc. ma. si hoc non sit evidens, sed solum evidenter credibile. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Cum multi Judæi negent, eas esse rite impletas, imò (licet imprudenter) trahant in alios sensus, non est evidens, eas esse impletas, præsertim auctore DEO. Ad confr. dist. ma. si sit evidens, ea esse miracula vera, & pro nostra religione facta. conc. ma. si hoc non sit evidens. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Judæi dicebant, esse opera demonum, vel tantum ficticia &c. hæretici etiam dicunt, Catholicos miracula tantum fingere: in quo quidem imprudenter, non tamen evidenter falsum loquuntur.

480. Dices 1. Evidens est, quòd DEUS non possit permittere, ut dæmon toti orbi illudat falsis miraculis: ergo evidens est, nostra miracula facta esse auctore DEO. Resp. in primis neg. suppositum; non enim toti orbi illuderetur; quia plurimi, hoc est, omnes non Christiani, nondum credunt, nostra miracula esse vera: si autem per totum orbem intelligis orbem Catholicum, neg. ant. quia non est evidens, quòd DEUS non habeat justum titulum permittendi, ut dæmon decipiat homines suis præstigiis, ita, ut putent, miracula vera esse facta pro sua religione, quæ tamen, vel non sint vera miracula, vel non sint facta pro ipsorum religione: quanquam prudenter suspicari nemo possit, quòd DEUS id de facto permittat; quia hæc ipsa miracula, quæ tam constanter referuntur, per omnia tempora, nemo prudenter potest suspicari, tantum esse ficta; alias de omnibus ferme rebus suspicari poterimus, eas esse ficticias.

481. Dices 2. Ex hoc saltem est evidens, nostram religionem solam esse evidenter credibilem: sed est etiam evidens, quòd DEUS non possit permittere, ut illa religio, quæ sola est evidenter credibilis, sit falsa: ergo est evidens, nostram esse veram. Resp. iterum neg. mi. quia non est evidens, quòd DEUS non habeat justum titulum id permittendi: sicut de facto habet ex peccato originali justum titulum permittendi, ut multi dentur negativè infideles, ut teste Gormaz de virt. Theol. n. 746. docet D. Thomas, & communis Theologorum.

Quòd autem peccatum originale non sit titulus permittendi, ut Ecclesia falsa appareat præ omnibus aliis evidenter credibilis, & quòd neque detur alius titulus hoc permittendi, inferimus ex his ipsis motivis credibilitatis, saltem tanquam evidenter credibile, licet non tanquam evidenter verum; non enim est prudenter credibile, quòd, positus tot signis, DEUS tamen velit

permittere talem errorem. Ex hac autem responsione non velis inferre, quòd sit etiam non sit ampliùs evidens, ullam omnino religionem veram dari in mundo; nam, quòd detur aliqua vera religio, probatur non tantum ex signis credibilitatis &c. sed etiam ex consensu omnium omnino mortalium, saltem non extremè barbarorum, aut malorum: quo etiam consensu firma stant prima principia: ad consensum hominum non est ita universalis circa religionem Catholicam. vide etiam dicta n. 220. & 257.

482. Ob. 9. Argumenta, quæ probant, religionem nostram esse evidenter credendam, etiam probant, eam esse evidenter veram; ergo absolutè est evidenter vera. prob. ant. evidens est, DEUM non posse præcipere, ut credatur religio falsa: ergo, si est evidens, quòd nostram debeamus credere evidens etiam est, quòd ea sit vera. Resp. neg. ant. Longè aliud est, esse evidenter credibile, & credendum: aliud, esse evidenter verum: illud significat tantum, posse, & debere me, eam rem credere: istud significat, actum, quem circa tale objectum elicio, esse necessariò verum: potest autem contingere, ut possim, & debeam (si prudenter agere velim) aliquam rem credere, vel actum aliquem circa eam elicere, qui tamen non sit necessariò verus: sic, si vir gravis aliquid dicat, de quo non est suspicio, eum falli, aut fallere, possum, & debeo, prudenter credere: non tamen id est evidenter verum. ad prob. dist. ant. evidens est, DEUM non posse id præcipere per se. conc. ant. per accidens. neg. ant. & conf. quia non est evidens, an hæc obligatio proveniat ex dictamine conscientie veræ, an tantum erronea: quanquam sit evidenter credibile, eam provenire ex dictamine conscientie rectæ, sive veræ.

483. Ob. 10. Evidens est, aliquam veram religionem esse in mundo: sed etiam evidens est, omnes religiones præter Catholicam esse falsas: ergo evidens est, hæc esse veram. Resp. Aliqui negant. ant. & dicunt, non esse evidens, quòd aliqua religio, quoad totum saltem complexum superiorum articulorum, sit vera: at hæc responsio mihi semper vilis est esse difficilis, nec satis congruere cum conceptu, quem habemus de suavi providentia DEI. vide n. 220. & 257. unde neg. mi. non enim est evidens, esse falsum philosophismum, seu, ut alii vocant, Theismum, vel Deismum, qui est illa secta, quæ tantum credit DEUM unum, & alia, quæ lumen naturale purum dicitur credenda: nihil autem credit supernaturale. De hac secta non est evidens, sed tantum evidenter credibile, quòd sit falsa: & certè saltem naturaliter evidens esse non potest, debere credi aliquid supernaturale; quia cognitio evidens supernaturalium superat vires naturales.

484. Instabis. Evidens est, debere credi aliquid supernaturale: ergo philosophismus est evidenter falsus; quia illa religio est evidenter falsa, quæ negat aliquid evidenter ve-

tum. Resp. dist. ant. evidens est, debere credi aliquid supernaturale, obligatione orta ex conscientia recta. neg. ant. ex conscientia, vel recta, vel erronea. conc. ant. & neg. conf. Rem explico in exemplo. Mala est argumentatio: *Evidens est, debere aliquando aliquem mentiri pro salute proximi servanda: ergo evidens est, religionem Catholicam esse falsam, qua docet, nunquam licere mentiri*; licet enim antecedens negari non possit; cum facile possit contingere, ut debeat mentiri rusticus, si ex conscientia erronea iudicet, se ad id obligatum pro salute proximi; at quia hæc obligatio tantum oritur per accidens, ex conscientia erronea, tamen verum est, quod simpliciter nunquam aliquis obligetur ad mentendum, scilicet per se, & ex conscientia recta: sicque veritas Catholica manet intacta: imò Catholica fides, quæ docet, per se simpliciter nunquam licitum esse mentiri, docet simul, per accidens in casu conscientia erronea debere aliquando aliquem mentiri: quia tamen huic obligationi causam dat error, hinc obligatur aliquis ad aliquid materialiter malum.

485. Jam à pari dico, etiam malam esse argumentationem in objectione adductam; nam philosophismus quidem docet quod simpliciter, & per se, nihil sit credendum supernaturale, aut supra captum: at non docet, quod nemo unquam in ullis circumstantiis, etiam per accidens concurrentibus, debeat credere, aut saltem conari ad credendum aliquid, quod est supernaturale, vel supra captum rationis: imò potest omitti, quod iuxta doctrinam philosophismi debeat credi, vel poni conatus ad credendum, aliquid supernaturale, in iis circumstantiis, in quibus id apparet evidenter credibile, & credendum. At quia non est evidens, an illa circumstantia tendant ad verum, vel falsum: & an illa obligatio sit ex conscientia recta, vel sit tantum ex conscientia erronea (cui scilicet obligationi causam dedit error) etiam non est evidens, an illa fides adhibeatur falso, an vero; unde, sicut iuxta doctrinam Catholicam simpliciter recte agunt, qui nunquam assentiuntur, quando non habent unquam illam conscientiam erroneam, ita iuxta philosophismum simpliciter recte credunt, quando nunquam ipsis aliquid tale apparet evidenter credibile.

486. Ex quibus ad minimum sequitur, evidens non esse, quod illi, qui nihil unquam audiverunt de motivis credibilitatis nostre religionis, & conformiter puro philosophismo vivunt (quales nullos dari non est evidens) non habeant veram religionem: est tamen evidenter credibile, quod eam non habeant; quia religio nostra tot signis maximis insignis, debet evidenter preferri alteri, quæ his omnibus est destituta, & probabilis nulli datur.

Replicabis. Non potest dari obligatio ex conscientia erronea ad aliquid supernatura-

te; cum hoc necessario sit verum. Resp. neg. ill. Etsi aliquid sit verum, si tamen non sit revelatum, non datur obligatio ad id credendum, nisi ex conscientia erronea. Resp. 2. & melius, iterum nego illatum. Licet ex conscientia erronea non possit dari obligatio ad credendum aliquid reverè supernaturale, posset tamen dari obligatio ad conatum credendi aliquid apparenter supernaturale, quod reverè non esset tale: & hæc sola obligatio videtur debere iuxta doctrinam philosophismi admitti, in casu conscientia iuxta ipsum erronea. Sic posset etiam rusticus, in religione Catholica educatus, si audisset v. g. à suo paroco, Spiritum S. assumpsisse naturam columbæ, sicut Verbum assumpsit naturam humanam, ex conscientia erronea obligari, ad conatum credendi eam S. Spiritus incarnationem, licet actum fidei reverè elicere non posset. At iuxta philosophismum nunquam datur ex conscientia recta obligatio ad conatum credendi aliquid supernaturale.

ARTICULUS IV.

Quale Judicium Credibilitatis actum fidei præcedere debeat.

487. Communissimè Theologi ante omnem actum fidei requirunt præcedens aliquid dictamen intellectus, seu, ut vocant, iudicium credibilitatis, quo homo, hic & nunc, agnoscat, se posse, & sæpe etiam, se debere credere ob testimonium DEI; quo supposito voluntas progrediatur ad elicendam piam affectionem, qua sibi imperet actum fidei. An verò hoc iudicium debeat esse formale, seu actus verè compositivus, & affirmativus, vel negativus: an verò sufficiat iudicium tantum virtuale, seu æquivalenter tale, sive apprehensio simplex, non qualiscunque, sed iudicia, & quidem talis, quæ de se fundare possit iudicium moraliter certum, de credibilitate religionis, si voluntas tale iudicium velit imperare, non ita auctores conveniunt.

488. Equidem hæc controversia generalior est, & instituitur etiam de aliis actibus voluntatis, supponentibus prævium actum intellectus, voluntatem illustrantis: & auctores, qui ad alios actus voluntatis requirunt iudicium formale, idem etiam requirunt ad piam affectionem: qui verò id negant, cessarium negant ad alios actus voluntatis, etiam negant, necessarium esse ad piam affectionem. Suarez in 1. 2. tract. 2. de voluntario, & involuntario disp. 6. sec. 5. n. 4. ait, excepto Scoto, reliquos Theologos (quibus ipse assentitur) requirere formale iudicium, idemque etiam requirere S. Theodoricum 1. 2. q. 10. art. 3. in corp. ubi reverè Angelicus actum illum nominat iudicium rationis, & semper utitur verbo *iudicare*.

At verò Rasklerus in norma recti disp. 2. q. 4. art. 1. n. 66. citat præter Scotum etiam

Quale Judicium Credibilitatis actum fidei præcedere debeat,

etiam alios, negantes necessitatem iudicii formaliter talis, quibus etiam ipse n. 69. accedit, & fuscè hac de re agit. Nimis prolixum foret, omnes incidentes has quaestiones pro dignitate resolvere: videantur ipsi auctores citati, & præsertim Rasklerus, qui n. 69. cum Suarez in eo convenit, quod saltem ordinariè iudicium credibilitatis, formaliter tale, eliciatur; quia vix unquam contingit, ut habens apprehensionem simplicem, dicto modo suavisimam, non eo ipso imperet sibi iudicium verè compositivum, atque formale; cum naturà simus ita comparati, ut, quando obiectum moraliter certum nobis apparet, nec periculum erroris apprehenditur, eidem semper, aut saltem plerumque assentiamur. Nos modò abstrahimus ab eo, an iudicium formaliter, an virtualiter tale sit, & de ejus, qualecunque sit, necessaria certitudine quaerimus.

489. Dico. 1. Non sufficit iudicium credibilitatis tantum probabile. ita defuncto Theologi omnes post Innocentium XI. qui damnavit hanc propositionem 21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solam probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus DEUS*: ergo debet dari major notitia, sive iudicium plusquam probabile de eo, quod datur revelatio, aut locutio DEI. Confr. In sententia opposita posset homo justus credere certitudine fidei, seu elicere actum fidei de eo, quod sit in gratia, absque speciali revelatione: hoc est contra Tridentinum *sess. 6. c. 9.* prob. ma. multis probabilius esse potest, quod non peccaverint mortaliter, vel quod elicuerint actum charitatis, qualis ad justificationem sufficit: adeoque, quod contineantur in universali revelatione de eo, quod omnis expert peccati mortalis, vel elicens talem actum charitatis, sit in gratia: ergo. Et licet, casu quo illa probabilitas non attingeret veritatem, non concurrerent principia supernaturalia ad actum falsum, tamen concurrerent ad actum fidei, casu quo probabilitas veritatem attingeret: quod cum in plurimis fiat, plurimi talem actum fidei elicere possent: quod non congruit cum Tridentino.

490. Dico 2. Sufficit certò iudicium credibilitatis, quod habetur à doctis, ex rite perpenis omnibus motivis credibilitatis. ita omnes; nec enim plus aliquid exigi potest: & hoc dicitur *iudicium credibilitatis absolutæ*; quia motiva credibilitatis absolute omnem intellectum non pertinaciter convincunt, ut iudicet, quod evidens sit, non posse prudenter censeri, quod DEUS permittere possit, omnem illam apparentiam veritatis pro falsa religione, quæ habetur pro Catholica: imò ut iudicet evidens esse, quod neque possit prudenter dubitari, an non DEUS eam apparentiam permittere possit. Rursus motiva ista evincunt, ut nec prudenter dubitare quis possit, non tantum de hoc, an prudenter hanc religionem credere possit (hoc enim omnino est evi-

dens, & excludit etiam dubium imprudens) sed neque de eo, an detur revelatio; quia prudenter dubitari non potest, quod DEUS verè locutus sit ea, quæ tantis signis sunt confirmata. Etsi autem hoc iudicium credibilitatis absolutæ, debeat haberi ab Ecclesia; cum ipsa non possit, nec invincibiliter, induci in errorem, vel falsum; eoquod debeat esse columna veritatis; attamen non est necessarium, ut tale iudicium habeat quisvis homo privatus, ut mox dicemus.

491. Dico 3. Non est necessarium ad actum fidei iudicium credibilitatis absolute, modò explicarum. ita rursus omnes. Prob. conclusio. Rustici homines, paulò rudiores in rebus sacris, ista omnia non perpenent, nec ita penetrant, ut ex illis habeant tantam apparentiam credibilitatis, ex merito suorum motivorum, eorumque penetratione, ut omnino semper positive iudicent, non posse se prudenter dubitare de eo, quod non possit dari tanta apparentia credibilitatis, pro falso, quanta pro verò articulo: imò hoc in particularibus articulis non habent omnes etiam valde alias docti: quin etiam, ut rectè ait Rasklerus *de ultima resolutione fidei. n. 267.* multis id ob ingenii tarditatem foret impossibile: & tamen isti homines eliciunt veros supernaturales actus fidei: ergo hoc iudicium non est necessarium. Hinc rectè Suarez *de fide disp. 4. sec. 5. n. 8.* docet, evidentiam, ut vocatur, credibilitatis, non esse æqualem in omnibus, nec eodem modo postulandam à simplicibus, & à sapientibus: ac addit, simplicibus satis esse, quod videant sapientissimos viros, & multitudinem Christianorum, hanc fidem amplecti, ut indubitata, & infallibile: & quod audiant, esse confirmatam multis miraculis, hocque ipsis sit moraliter, & humano modo certum: simulque intelligant, doctrinam talem consentaneam esse rationi.

492. Et sanè multum est, si omnes simplices rustici hæc omnia ab Eximio allata pernetrent: certè communiter fundatur eorum iudicium credibilitatis in testimonio parochi, concionatoris, catechistæ, parentum, aut fortè aliorum non multorum, & vicinorum (nam multi, saltem donec satis adoleverint, extra suum pagum vix prodeunt) à quibus audiunt, hos, vel illos articulos, esse à DEO revelatos, & firmissimè credendos. Si eorum instructores sunt diligentes, insuper addunt, unam Catholicam religionem esse infallibilem, & ab assistentia Spiritus S. directam: ad hoc autem probandum, proponunt subinde unum, aut alterum motivum credibilitatis, ex adductis à n. 227. e. g. miracula: quando autem in particulari proponunt aliquid mysterium, solum ordinariè dicunt, Ecclesiam ita docere. Hæc autem omnia, cum præsertim fundentur in auctoritate unius parochi, vel paucorum hominum, sæpe non doctorum, certè non sunt argumenta tam potentia, ut doctum etiam persuadere possent, ad iudicium supra-

dictum ferendum: adeoque iudicium illud evidens absolutæ credibilitatis, simplicibus necessariis non est, nisi velis dicere, plurimos nunquam ullum actum fidei elicere.

493. Dico tamen 4. Omnes fideles, etiam rudes; habent iudicium aliquod proximum, seu practicum, moraliter evidens, vel moraliter certum, quo iudicant, se, hic & nunc posse, imò & debere, religioni Catholice unice, & firmissimè, tanquam à DEO revelatæ, credere. ita rursus omnes. Dixi moraliter evidens, vel moraliter certum; quavis hæc duo in actibus naturalibus videantur esse eadem, ut ait Gormaz de virt. Theol. n. 663. & soli actus supernaturales, maxime actus fidei, possint esse certi, & non evidentes. Prob. conclusio. Si non sufficit dictamen, vel iudicium tantum probabile, debet sanè esse moraliter evidens, aut certum: sed illud non sufficit: ergo, ma. est clara; quia non datur medium. mi. est probata. n. 489.

Hoc autem dictamen quo modo rudes possint habere, sic explicatur. Audiunt ex una parte hi homines parochum, catechistam, concionatorem, vel parentes, aliisque, inter quos versantur, constanter, ac serio affirmare, ac sæpe inculcare, DEUM religionem nostram (vel articulum aliquem fidei in particulari) revelasse, & exigere ab hominibus fidem firmissimam, ac omnis dubii, seu formidinis deliberatæ exclusivam, ita, ut talis fides omnino sit ad salutem necessaria. Si addatur unum, aut alterum motivum credibilitatis, ex adductis à n. 227. utique melius fit, & utique fieri deberet: sed tamen ista motiva reverà existere, iterum tantum habent homines ex auctoritate parochi, vel parentum &c.

Ex altera autem parte, talibus hominibus rudibus ordinariè, vel saltem sæpissimè, non solet occurrere prudens ratio dubitandi (sic enim probat experientia) ne fortè instructores sui fallere velint, aut fallantur: consequenter excludunt omnem formidinem; & iudicant absque omni dubio, se rectè facere ista credendo, & debere etiam credere: sicut, si parochus, vel parentes, dicant, festum incidere in talem, vel talem diem, si non occurrat ratio ulla prudens dubitandi, planè absque dubio suffici iudicant, se debere eum diem tanquam festum celebrare, & si id non facerent, se peccaturos.

494. Potest ulterius rudis, suo simplici modo, facere discursum, æquivalentem huic discursui: *Rudes debent in dubiis sequi eos, quos prudenter iudicant esse sapientes: & prudenter istos sequuntur, quamdiu ipsis non occurrat ratio formidandi, ne illi fallant, aut fallantur: sed ego sum rudis in rebus fidei, & necessariis ad salutem: & prudenter iudico, parochum; vel etiam parentes, esse sapientes, & in his rebus rectè instructos, nec habeo ullam rationem dubitandi, quod fors fallant, aut fallantur: ergo debet, eos sequi, & prudenter eos sequor: sed mihi dicunt, istam religionem esse veram: ergo etiam in hoc puncto prudenter eos sequor, & credo, hanc religionem esse veram*

Quodsi in aliquo casu rudi homini, adtequam fidem prudenter amplexus esset, incidere ratio dubitandi, tunc inprimis ait Apostolus 1. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis autem DEUS est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis*: deñ Theologi communissimè dicunt: *Faciendi, quod est in se, DEUS non negat gratiam*. Itaque, si talis homo fecerit, quod est in se, DEUS ipsi non deerit, ut dubio suo liberetur. Ut autem faciat, quod est in se, debet inprimis servare legem naturalem: DEUM colere, & amare; etiam orare: doctos viros consulere &c. quæ, si fecerit. DEUS ipsi non deerit; hinc

495. Dico 5. Si rudes non habeant aliunde fundamentum, ad elicendum iudicium credibilitatis sufficiens, tunc DEUS supplet defectum per species, seu illustrationes suasivas. ita Suarez *disp. 4. de fide sec. 5. in 9. & seq.* Gormaz. *de virt. Theol. n. 468. & 605.* Cardenas, Rasler, & alii ab his citati. Explicandum hæc magis, quod iam dictum n. 165. scilicet, non omnem illustrationem Divinam esse locutionem DEI: Ratio est primò; quia ad omnem actum supernaturalem prærequiritur illustratio Divina, adeoque etiam præviè ad piam affectionem: sed ista illustratio non potest esse locutio DEI: ergo non omnis illustratio est locutio DEI.

Prob. mi. Si illustratio prævia ad piam affectionem esset locutio DEI, adeoque se haberet ut quod (nam omnis locutio prudens se ipsam exhibet tanquam objectum formale, ob quod credatur) tunc iudicium, ad quod illa illustratio concurrat, & quo e.g. catechumenus prima vice supernaturaliter iudicat, se honestè imperare actum fidei, foret actus fidei Theologicæ; quia niteretur locutione Divina: hoc autem est impossibile; quia non datur actus fidei anteprius actum fidei: ergo. Et quamvis fortè posset responderi, non debere piam affectionem præcedere iudicium formaliter tale, (quod videtur requiri ad strictè dictam locutionem, quæ debet esse propositio, seu secunda mentis operatio) sed tantum apprehensionem, ut omisimus supra n. 487. & 488. tamen etiam ipsi auctores, qui istud defendunt, dicunt, id rarissimè fieri, ex rationibus ibidem adductis: ergo saltem sæpius, vel ordinariè eliceretur actus fidei ante piam affectionem: quod ipsum non potest admitti.

Secundò. Illa sola illustratio Divina est strictè dicta locutio DEI (nam in sensu latiori potest quælibet ita vocari) quæ est manifestatio conceptus Divini, & quidem talis, ut manifestet rem in conceptu Divino, seu significet rem ut substantiam conceptui Divino, prout docent Logici, agentes de signis: atqui non omnis illustratio Divina est talis; nam per multas intelligimus res, non ut substantias conceptui Divino, nec in conceptu Divino, sed prorsus præcindimus à conceptu Divino, & res cognoscimus in aliis motivis, e.g. credibilitatem religionis Catholicæ in miraculis, in Sacra Scriptura, in auctoritate SS. Patrum: ergo. vide Gormaz *de virt. Theol. n. 480.*

496. Tertiò. Illustratio Divina, quæ sit locutio DEI, debet, vel exercitè, vel reflexè, se ipsam proponere ut revelationem: seu intellectum ita illustrare, ut hic non tantum agnoscat illam rem, circa quam datur illustratio, sed etiam, ut agnoscat, eam illustrationem esse locutionem DEI: atque ita, ut ab hac, tanquam à testimonio Divinæ auctoritatis, moveatur ad assensum; quo casu dicitur esse illustratio se habens ut quod, seu ut objectum, & motivum: non verò tantum ut quo, seu ut applicatio motivi: at plurimæ illustrationes Divinæ non ita se habent ut quod, nec ullo modo se discernibiliter proponunt, tanquam revelationes Divinas: sed tantum proponunt alia motiva, ut diximus, & experientia saltem eatenus probat, quatenus sæpissimè tantum de aliis motivis bene agendi cogitamus: non verò de eo, quod hic, & nunc, illustratio intellectus sit locutio DEI.

Nec dicas, sufficere ad locutionem DEI, si DEUS producat aliquam illustrationem, cum intentione aliquid quomodocumque manifestandi; nam, si hoc sufficeret, tunc quotiescunque DEUS moveret alium hominem, ad aliquid nobis dicendum, vel Angelum custodem, ad nos illustrandos, & cum eo concurreret, ad producendam aliquam loquelam, vel illustrationem, diceretur DEUS strictè loqui, quod non est verum: imò, cum per omnes creaturas DEUS nobis aliquid, saltem suam potentiam, manifestet, per quamlibet cuiusque rei productionem in sensu stricto loqueretur: quod adhuc minus est verum; unde ad hoc, ut DEUS loquatur, requiritur, ut producat illustrationem, cum intentione manifestandi rem, ut substantiam suo conceptui, & simul producat illustrationem talem, quæ se ipsam proponat ut locutionem DEI.

497. Habet se ergo illustratio DEI sæpissimè, non ut quod, seu tanquam motivum, sed tantum ut quo, seu tanquam applicatio motivi: sicut cognitio finis non se habet ut quod, sed tantum ut quo (non enim ipsa movet: sed duntaxat intentionaliter applicat finem moventem) & sicut apprehensiones evidentes non se habent, ut quod, sed tantum ut quo, respectu iudicii evidētis, quod eas sequitur; quia apprehensiones non movent, sed tantum applicant motivum. Et quando illustratio tantum se habet ut quo, tunc dicitur se habere non *objectivè*, id est, non tanquam objectum, sed *subjectivè*, hoc est, tanquam informans subiectum, seu intellectum, eumque juvenans, non ut pars objecti, neque ut supplet virtutem movendi, sed ut aliquid receptum in potentia; seu ut hanc informans, & juvenans: sicut etiam non *objectivè*, sed *subjectivè* se habent habitus, & inter hos etiam habitus fidei.

Uterius illustratio, tantum se habens *subjectivè*, seu ut quo, est signum tantum formale, non verò instrumentale. Signum instrumentale dicitur à Logicis, quod ut cognitum ducit in cognitionem alterius: &

sic e.g. hedera appensa ante fores, ducit in cognitionem vini vendibilis. *Signum formale* dicitur, quod formaliter per se ipsum ducit in cognitionem alterius, seu est ipsa forma denominans cognoscentem: quale est omnis cognitio directa objecti. Et tale signum est illustratio, se habens ut quo, ut iam dictum; quia ista, non ut reflexè, vel exercitè per modum objecti cognita, ducit in cognitionem mysterii, vel rei cuiuscunque: sed tantum formaliter repræsentat objectum, & ita repræsentando formaliter ducit in cognitionem objecti: sicut scilicet quævis alia cognitio directa ducit in cognitionem sui objecti.

498. Notandum insuper, valde probabile esse, quod sæpissimè, & fors ordinariè, seu regulariter (ut ait Raslerus de resolutione fidei n. 240.) præcedat ab initio, saltem in accedentibus ad fidem, iudicium credibilitatis tantum naturale, quod sit quasi aliqua valde remota, & tantum negativa dispositio, eaque non necessaria (quas dispositiones magis declaravimus in tract. de gratia à n. 63. agendo de principio: *Faciendi, quod est in se &c.*) solent enim naturales cognitiones sæpe præcedere supernaturales: & hinc etiam videtur aliqua præcedere cognitionem supernaturalem, immediate elicendam ante piam affectionem: sive videtur eam præcedere actus aliquis fidei humanæ, vel similis, nixus e.g. auctoritate tantum humana prædicatorum fidei, vel alius motivis naturaliter cognitis.

Sic enim habet S. Augustinus *tract. 15. in Joannem* agens de Samaritanis, quibus mulier primò Canticum annuntiavit: *Sic agitur hodie cum eis, qui foris sunt, & nondum sunt Christiani. Christus nunciatur per Christianos amicos, tanquam illa muliere, hoc est Ecclesie annunciantem. Ad Christum veniunt: credunt per istam famam.* At quia hic actus naturalis non sufficit, ad elicendum actum supernaturalem piæ affectionis, hinc debet dein primum supervenire illustratio Spiritus S. qua adjunctus intellectus producat actum supernaturalem: qui, etsi aliquando non haberet objectum supernaturale motivum intrinsecè tale, haberet tamen sufficienter extrinsecè tale, hoc est, propositum per illustrationem supernaturalem, tanquam credibile fide Divina, eo ferè modo, quo diximus n. 31. virtutes morales habere objectum supernaturale.

499. Jam *Species suasiva*, seu *illustratio suasiva*, aliud non est, quam *illustratio supernaturalis spiritus S. qua suasivè proponit motivum aliquod, quod ex virtute sua, & per se, non generat sufficientem evidentiā credibilitatis: vel certe eam non generat per accidens; eo quod non rite penetraretur, propter incapacitatem intellectus.* Et *suasivè proponere*, est proponere tali modo, ut intellectus in tantum moveatur, & roboretur, ut, accedente imperio voluntatis, firmissimè assentiatur. ita quoad festum Gormaz *de virt. Theol. n. 469.* & alii.

In exemplo rem declaro. Parochus in-

struit puerum, docens, mysteria esse revelata à DEO: addit quidem aliqua motiva, sed quæ per se non sufficiunt ad evidentiam credibilitatis, vel quæ puer non facit penetrat, sed ad summum capit, parochum ea dixisse: vel, si puer etiam percipiat aliquo modo unum, aut alterum motivum, ob quæ credibile sit, DEUM revelasse ea mysteria, tamen non ita ea capit, ut evidentiam credibilitatis in ipso efficiant: adeoque totum motivum iudicii credibilitatis in tali puero est auctoritas parochi: vel aliud motivum, vel per se, vel per accidens, non sufficiens ad generandam evidentiam credibilitatis. Hoc casu potest Spiritus S. huius pueri intellectum illuminare, certa quadam illustratione, quæ quidem nullum aliud motivum proponat, ob quod credibile sit, DEUM locutum fuisse, quam, vel auctoritatem parochi, vel motiva ab eo allata: sed tamen proponat tali modo suavis, ut puer possit, absque ulla formidine firmissimè mysteriis fidei assentiri, propter auctoritatem DEI loquentis, applicatam per illa motiva, ex se quidem non sufficientia, sed tamen sufficientia, ratione illius peculiaris illustrationis.

Recentiores aliqui negant, tales species suasivas, modò explicatas, possibiles esse: sed tamen Gormaz de virt. Theolog. n. 468. item Granadus, Valentia, Canus, & alii (quos sequuntur Ripalda, Montoia, Rastler, & recentiores plures) defendunt, eas omnimò esse possibiles. Et quia ad probandam præcedentem nostram conclusionem, quòd scilicet DEUS quandoque per tales species suppleat defectum aliorum motivorum, ad iudicium credibilitatis alias necessariorum, non opus est probare aliud, quàm harum specierum possibilitatem (nam eo ipso, quòd possibiles sint, dabuntur in casu superiori; non enim deficit DEUS in necessariis: & tali puero, vel alteri rudi necessaria est talis illustratio) hinc cum auctoribus supra citatis

500. Dico 6. Possibiles sunt species suasivæ. Prob. conclusio primò. Non potest ostendi ulla earum repugnantia: ergo sunt possibiles. Et sanè, cur non possit DEUS ita clarè alicui proponere aliquod motivum (præsertim si excludat ab intellectu rationes in oppositum) ut, licèt illud motivum ex se non excluderet dubium, tamen intellectus ei assentiat absque dubio? cerèt juxta nonnullos, nec improbabiliter, videtur hoc posse habitus acquisitus, ut diximus n. 37. Adde, quòd adit finis à DEO prudentissimè intendibilis, scilicet ipse actus fidei eliciendus: ergo. Confir. 1. Intellectus, tanquam causa necessaria, non tantum assentitur firmiter objecto, quando motivo, ex se tantum probabili, supervenit aliud fortius, sed etiam, quando tolluntur motiva in oppositum: sicut nempe in bilance præponderat lanx una, non tantum quando ipsi adjicitur novum pondus, sed etiam quando, relicto in hac solo pondere priori, ex altera lance tollitur pondus, quòd

impediēbat præponderationem. Confir. 2. Adhæsiō intellectus ad objectum sine ullo dubio, non tantum provenit ex merito objecti, sed etiam quandoque provenit ex clariori cognitione (quòd manifestè patet ex eo, quòd plures adhæreant rebus temporalibus præ æternis; quia illas præ his longè dignioribus clarè cognoscunt) ergo potest illustratio clarior etiam magis movere intellectum.

501. Prob. conclusio 2. Si implicarent species suasivæ, tunc ideo; quia est imperceptibile, quòd intellectus moveatur nunc ab eo objecto motivo, à quo antea non movebatur, quin ostendatur in eo nova aliqua ratio motiva: sed hoc non est imperceptibile: ergo. prob. mi. potentia prius incapax ad aliquem actum, circa aliquod objectum eliciendum, potest dupliciter juvari, scilicet, vel auxilio se tenente ex parte potentiæ, vel auxilio se tenente ex parte objecti: ergo, licèt nihil novi appareat ex parte objecti, modò illustratio illa sit auxilium ex parte potentiæ, eamque magis illustret, ac roboret, jam potest juvari intellectus.

Prob. eadem mi. 2. Licèt e.g. scriptura sit eodem modo magna, & illuminata, respectu Petri, & Pauli, si tamen Petrus habeat meliores oculos, seu potentiam visivam acutiorem, meliorem etiam scripturæ visionem eliciet: imò aliquando potest elicere Paulus. Pariter idem objectum, obscurè cognitum, est homini neutrum, hoc est, nec movet ad affirmandum, nec ad negandum: at non ita est neutrum Angelo, qui illud clarissimè cognoscit: & minimè neutrum est DEO, qui id cognoscit clarissimè. Rursus eadem proposita ratio motiva, quæ proposita languide ab imperito causidico, non movet, movet vel maximè, si cum magno affectu, & arte proponatur ab aliquo Cicerone, vel Demosthene; unde ars rhetorica vel maximè excellit in motivis suasivè proponendis: ergo.

502. Dico tandem 7. Fideles, nec rudes, nec docti, regulariter habent illustrationem aliquam discernibilem, habentem se ut quod, per quam agnoscant, se habere tantam apparentiam credibilitatis pro articulis veris, quantam DEUS non possit permittere pro articulis falsis. ita communissimè omnes ante Perezium, quem pauci, Pallavicinus, Esparza, Maurus, & Illung, secuti sunt. Non negamus, quòd quilibet homo habeat re ipsa talem apparentiam credibilitatis ante actum fidei, qualis dari non potest pro articulo falso; quia utique quilibet habet illustrationem Divinam supernaturalem, qualis dari non potest pro articulo falso: sed negamus, hanc esse discernibilem, ita ut quilibet fidelis debeat, aut selet, eam illustrationem discernere ab apprehensione naturali, qua ipsi possit falsò proponi articulo falsi, tanquam à DEO revelatus. Sententiam adversariorum, mirabilia discernitula adstruentium, & in eorum assignatione discordium, impugnat efficaciter Haunoldus

oldus l. 3. tract. 1. c. 2. controu. 3. à n. 191. quem vide, si lubet.

503. Probatur nostra assertio 1. Illustrationes illæ ut quod, & discernibiles, nec ratione, nec experientia probantur, & sine illis potest haberi sufficiens iudicium credibilitatis: ergo non dantur. ant. quoad 1. p. probabitur solutione objectionum. Quoad 2. p. prob. tum negativè; quia nulla potest experientia afferri: tum positivè; quia experientia est contraria; nam, si interrogarentur fideles, an antecedenter ad actum fidei reflexè cognoscant in se talem illustrationem ut quod; ita, ut eam distinguant ab omnibus aliis apprehensionibus naturalibus, & per eam advertant, se de hoc articulo habere talem apparentiam credibilitatis, qualem DEUS non possit permittere pro articulo falso, id certè negarent; imò docti hoc communissimè negant, qui tamen, cum reflexiones in suos actus crebrius faciant, præ aliis deberent, eas illustrationes experiri. Quoad 3. p. prob. ant. ex eo, quòd quilibet rudis sine talibus discerniculis, possit formare illum discursum, de quo n. 494. & res per species suasivas longè melius explicetur.

504. Prob. conclusio 2. Si necessaria forent talia discernicula, plures, præsertim rudes, non possent credere multos articulos fidei, imò vix ullum: hoc dici non potest: ergo. prob. ma. rudes ordinariè non discernunt, inter vera, & falsa, quæ parochus ipsis proponit: & si contingat (prout facile fieri potest) ut parochus aliquam historiam ex Sacra Scriptura malè referat, adjectis circumstantiis falsis, rustici non discernunt, inter vera, & falsa, sed utraque eodem modo apparenter affirmant: certè illi non discernunt, se partem narrationis veram posse credere fide Divina, alteram verò falsam tantum fide humana, id quod tamen reverà contingit; quia non possunt elicere actum fidei Divinæ circa falsum, licèt conentur eum elicere, prout tenentur, quando invincibiliter judicant, talem, vel talem falsitatem, esse credendam; eoquòd obliget etiam conscientia erronea: ergo in eo casu neque possent vera credere.

Juxta nos tamen in tali casu possunt tales rudes, vera credere, saltem si ad distinctum actum circa veritatem eliciendum, concurrat DEUS, ut probabiliter videtur, cum piè conantibus, saltem quandoque concurrere. Imò, cum non tantum in similibus, sed etiam in aliis casibus, rudes nequeant discernere, inter verum, & falsum, juxta adversarios ordinariè non possent credere. Si dicas, rudes vi illustrationis supernaturalis posse discernere unum ab altero, (ut videntur velle auctores adversarii, ab Haunoldo l. 3. tr. 1. c. 2. controu. 3. citati) debes admittere, quòd il statim possint corrigere parochum, & dicere, ista esse vera, alia falsa: quod est prorsus contra omnem experientiam.

Confir. Ista discernicula, ut ait Gormaz de virt. Theol. n. 169. videntur dare ansam, ut unusquisque pro habitu credat,

quod vult, sub hoc prætextu, quòd istud discernat tanquam verum, non verò alterum. Illung tract. 3. disp. unica a. 1. §. 3. n. 11. favere videtur his illustrationibus modò impugnatis: non tamen ex toto; quia, licèt admittat, illustrationes se tenere ex parte motivi, tamen n. 13. vult eas tantum esse motivum ut quo (cum quo tamen non videtur satis convenire, quòd addit, nempe eas esse locutionem DEI, seu revelationem; hæc enim est motivum fidei ut quod) dein n. 28. negat, eas esse discernibiles. Ratio nem pro sua sententia ab ipso allatas solvemus in objectionibus, contra hanc septimam conclusionem.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

505. Ob. 1. contra 1. conclusionem. Cum actu fidei videtur stare dubium; nam multi pij, dum credunt, videntur sibi dubitare, circa articulos fidei: ergo etiam dubium potest stare cum iudicio prævio: ergo hoc non debet esse plus quàm probabile. Resp. neg. ant. quavis enim juxta S. Thomam q. 14. de veritate, (quæ est de fide) a. 1. in corp. possint in credente insurgere motus de contrario, seu dubia; id tamen tantum potest fieri tunc, quando jam ipse actus fidei iterum transit in se ipso, & tantum manet in suo effectu; tunc enim potest dari aliquod dubium indeliberatum apud pios, deliberatum etiam apud improbos.

At verò non potest dari dubium ullum, dum actu in se ipso existit actus fidei; quia hic formaliter facit, intellectum magis appetitativè adherere objecto suo, quàm demonstratio suo; unde fideles, qui in ipso fidei exercitio videntur sibi sentire motus aliquos dubitationis, non habent eos tunc, quando actu eliciunt actum fidei: sed tantum, postquam hic jam transit, licèt mora imperceptibilis sit: quòd fieri ideo potest; quia appetitatio illa non est clara, vel evidētia, adeoque non excludit dubium etiam per suum effectum: sicut tamen illud excludit evidētia, vel scientia, per suum effectum, sive per relictas species claras.

506. Ob. 2. Damna est ista propositio 4. ta ab Innocentio XI. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione nimis probabili: ergo, qui habet majorem probabilitatem de veritate religionis Catholicae, debet eam amplecti: ergo sufficit iudicium credibilitatis, adhuc stans intra limites probabilitatis: nec exigitur moraliter certum, sed ad summum probabilius. Resp. neg. conf. Ut propositio vigesima prima citata n. 489. & ista quarta non opponantur, debet hæc sic explicari, ut explicatur à Gormaz de virt. Theol. n. 591. Qui habet tantum minorem probabilitatem de alia secta, non potest eam amplecti, aut in assumpta acquiescere: verum neque etiam

statim potest amplecti religionem Catholicam, de cuius veritate tantum habet noticiam probabilis: sed debet ulterius adhibere diligentiam, ad invenendam veram religionem: & DEUS, qui non negat gratiam suam facienti, quod est in se, eum iurabit, ut acquirat noticiam moraliter certam, vel evidentiam de veritate religionis unius præ altera, vel de veritate etiam illius articuli, cuius fides explicita tunc ei necessaria est; si enim non esset necessaria fides explicita illius articuli, posset iudicium explicitum suspendere: & sufficeret implicitè credere, ut est omnibus notum, atque sæpe contingit circa illa objecta, de quibus Catholici doctores controvertunt, an sint de fide, nec ne.

507. Non autem hæc venit ad rem illa Theologorum complurium sententia, de licito usu sententiæ minus probabilis; quia in hoc casu nullo modo probabilitas minor versatur immediatè circa licentiam actionis, an scilicet licitum sit, hanc, vel illam religionem amplecti; est enim certum, quod debeamus amplecti religionem, quæ præ omnibus aliis credibilis est, licet interim fors alicui, aliqua alia secta, aliquo modo apparenter minus probabilis sit (revera enim nulla opinio, fidei Catholicæ contraria, probabilis esse potest) cum enim religio, & fides, sit fundamentum, ac radix omnis veræ virtutis, atque iustitiæ &c. non licet eam incertitudinè probabilitatis exponere; error enim esset nimis perniciosus.

Adde ex Cardena in *Crisi Theolog. in propositiones ab Innocentio XI. damnatas dissert. 5. in propositionem 4. n. 7.* nunquam alicui, agere cum probabilitate minori, quando veritas ipsa potest haberi; ideo enim omnes adstruunt obligationem, congruè diligentiam veritatem inquirendi: atque si huic obligationi satisfiat in ordine ad invenendam veram religionem, DEUS facienti, quod est in se, non deicit in hac re ipsi summe necessaria; & veritatem ipsam manifestabit. Unde acquiescens probabilitati, non, prout debet, inquirat veritatem, adeoque laborat ignorantia vincibili, & graviter peccat.

508. Ob. 3. Possum fide Divina credere, Christum esse sub determinata aliqua in individuo hostia, etsi non sit certum, sed tantum probabilis, eam esse consecratam: ergo. Resp. neg. ant. tantum enim fide Divina credimus, Christum adesse in hac individuali hostia conditionatè, si scilicet sit legitime consecrata: interim tamen; quia non habemus rationem sufficientem dubitandi, & probabilis est, eam esse consecratam, prudenter elicimus actum, quo imperamus nobis debitam adorationem, ut diximus n. 430. Neque opus est, ut conditionem semper apponamus, scilicet nos velle adorare hostiam, si consecrata sit; nam hæc conditio, si non habetur sufficiens fundamentum dubitandi, debet supponi: sicut supponitur etiam, legitimus esse superior, aut

Episcopus &c. ille, de quo non habetur sufficiens motivum dubitandi.

509. Ob. 4. contra 3. conclusionem. Juxta nos sufficeret talè iudicium de veritate religionis Catholicæ, quale quilibet hæreticus potest habere de apparenti veritate suæ sectæ: sed hoc est falsum; ergo, prob. ma. hæreticus etiam audit à suis ministris, parentibus, & vicinis, suam sectam esse certam, & veram &c. agnoscit etiam, se esse rudem, & alios esse magis sapientes &c. ergo. Resp. neg. ma. nam iudicium credibilitatis ultimum, & proximum, debet præcedere illustratio Spiritus S. essentialiter vera, quæ nunquam præcedit iudicium hæreticorum circa falsas suas sectas.

Dices 1. Saltem iudicium naturale, prævium ad illustrationem, non necessario erit majus, seu certius in Catholico, quam in hæretico: hoc adhuc videtur absurdum: ergo. Resp. dist. ma. non erit certius certitudine objectiva, vel formali. neg. ma. certitudine subjectiva. om. ma. & dist. sic mi. neg. conf. *Certitudo* est triplex, *formalis, objectiva, subjectiva*, ut eam dividit cum aliis Gormaz. de *virt. Theol. num. 43.* *Certitudo formalis* est illa, quæ datur in ipso actu intellectus, qui ex intrinsecis prædicatis est connexus cum objecto, ita, ut iste actus dari non possit, nisi objectum ita se habeat, prout actus affirmat: & hæc certitudo datur saltem in actibus supernaturalibus: juxta multos etiam in actibus naturalibus evidentibus. *Certitudo objectiva* nihil est aliud, quam veritas actus, quando scilicet objectum ita se habet, prout actus affirmat, etsi actus, si e. g. tantum sit probabilis, id non exigit. *Certitudo subjectiva*, seu, ut alii vocant, *certitudo adhesiva*, est, quando intellectus per suum actum ita adhæret objecto affixus, ut excludat omne dubium.

Hæc ultima certitudo, seu adhesiva, non affert secum veritatem; potest enim aliquis pertinaciter adherere falsitati, ut adherens hæretici suis erroribus. Jam licet forte Catholicus, antecedenter ad illustrationem Divinam, non firmius per suum actum naturalem adhæreat religioni Catholicæ, quam hæreticus suæ sectæ: licet forte etiam ille actus ex intrinsecis prædicatis non exigit, veram esse religionem Catholicam, adeoque non habeat certitudinem formalem in eo sensu, in quo nunc loquimur (quod præsertim contingit in eo, in quo species suasiva debet supplere defectum motivorum) tamen habet certitudinem objectivam, quam hæreticus non habet in suo actu: quod discrimen est magnum.

510. Dices 2. Catholicus non discernit hanc certitudinem objectivam. Resp. Nihil refert; ut enim jam diximus, & rursus infra dicemus, non debet quilibet, per iudicium credibilitatis reflexè discernere, se habere tam firma fundamenta, seu tantam veritatis apparentiam, pro sua religione, ut tam magna, aut tam firma fundamenta, non possint permitti à DEO pro secta falsa, sed

sufficit, si exercitè excludat omne dubium. Dices 3. Ergo etiam hæreticus poterit, si non liceat ob defectum illustrationis supernæ, saltem conari, ut eliciat actum fidei de suæ sectæ veritate. Resp. Hæreticus id tunc, & tamdiu poterit, quando, & quamdiu bona fide iudicaverit, suam sectam esse veram: & tamdiu etiam erit tantum hæreticus materialis: insuper tunc, cum non possit elicere actum fidei Divinæ circa falsum, eliciet saltem actum fidei humanæ. At, si dubitare incipiat, debet diligentiam adhibere, ut diximus n. 494. quamdiu autem, possit quis esse hæreticus tantum materialis, quæstio non est hujus loci.

511. Ob. 5. contra 6. conclusionem. Species suasiva, vel esset tantum apprehensio, vel esset iudicium: neutrum potest dici: ergo. prob. mi. non primum; quia apprehensio non potest inducere, vel persuadere intellectum, nisi proponat novam rationem: non secundum; nam, si esset iudicium, tolleretur libertas, & jam esset iudicium, antequam id voluntas imperaret: ergo. Resp. conc. ma. neg. mi. quia utrumque potest defendi, ad prob. neg. utramque partem ant. Species suasiva, tam apprehensio, quam iudicium esse potest: videtur tamen convenientius dici, quod sapius sit apprehensio; quod enim hæc, etsi non proponat novum motivum, tamen possit persuadere intellectum, probatum est à n. 500.

Si autem velles, illam speciem esse aliquando iudicium, tamen non tolleretur ullo modo libertas actus fidei; quia, etsi quis iudicet mysterium credibile, potest tamen non credere: sicut potest non implere alia præcepta, quæ clarè agnoscit implenda. Quod autem tolleretur libertas ipsius speciei suasivæ, sive illius ipsius iudicii, in quo staret species suasiva, nihil referret; cum hac ratione tantum tolleretur libertas alicujus actus prævii, ostenduntis voluntatem posse, & debere, imperare actum fidei: quod etiam facit evidens apprehensio, utpote necessariò post se trahens tale iudicium. Interim tamen tale iudicium non tolleretur libertatem piæ affectionis; cum voluntas etiam clarè agnita obligationi possit contravenire; unde neque unquam tolleretur libertas ipsius actus fidei.

512. Ob. 6. Species suasiva, non representans novam rationem, relinqueret objectum omnino neutrum, ut fuit prius: ergo non moveret intellectum. Confirm. Apprehensio intellectus, e. g. quod astra sint paria, non potest movere ad assensum; quia non proponit rationem assensus: ergo nec posset movere species suasiva. Resp. neg. ant. eadem enim ratio pro diversitate applicationis, seu representationis, potest movere, vel non movere, ut explicatum n. 500. & 501. Ad confirm. dist. ant. Illa apprehensio de paritate stellarum non potest movere; quia nullam omnino proponit rationem. conc. ant. quia tantum non proponit aliquam novam. neg. ant. & conf.

Ubi nulla prorsus offenditur ratio, non

potest illustratio ullam approximare, aut suavisè proponere, nec potest moveri intellectus. At dummodo aliqua ratio ostendatur, potest intellectus moveri: & pro clariore, vel fortiore representatione, magis movebitur. Quòd autem sæpe intellectus non moveatur, nisi novis allatis rationibus, inde est, quòd non adsint representationes semper tantò clariore, ut æquivalent novo motivo: quales tamen potest DEUS producere, non verò semper homines; quamvis non dubitem, sæpe etiam inter homines eandem rationem, nec formaliter diversam, melius propositam posse movere intellectum, quem prius non poterat movere, ut videtur probari exemplo Ciceronis, adducto n. 501.

513. Ob. 7. Juxta nostram sententiam moveretur intellectus in casu speciei suasivæ ad actum fidei, evidentià terminorum: sed hoc est contra experientiam, qua scimus, nos non ita moveri ad actum fidei: ergo. Confir. Juxta nos species suasiva removeret omne motivum retrahens: ergo intellectus haberet omnia, quæ requiruntur ad assensum propter evidentiam terminorum. Resp. neg. ma. moveri enim evidentià terminorum, est moveri ab objecto motivo, quòd rite cognitum meretur ex se firmissimum assensum: nos autem loquimur de casu, quando motivum ex se non meretur talem assensum.

Ad confir. Raslerus de *resolutione fidei n. 274.* videtur insinuare, non esse necesse, ut omnis prorsus suspicio de possibilitate oppositi removeatur: sed non est necessarium, hoc dicere ad solvendam hanc objectionem. Resp. neg. conf. Etiam si species suasiva removeat omnem rationem dubitandi, non propterea statim necessitat ad assensum; cum assensus possit suscipi, si non detur ratio evidens, quæ positivè intellectum rapiat: imò si in hoc casu etiam necessitaretur intellectus ad aliquem assensum, non necessitaretur ex evidentià terminorum; quia non isti, seu non objectum motivum, raperet ad assensum, sicut rapit evidentià, ex merito suo: sed tantum raperet objectum ut conjunctum illi exclusioni contrariorum. Dein evidentià terminorum prævalet semper motivis contrariis, etiam presentibus, & cognitis, & eà posità non est opus removeri motiva contraria, si quæ sunt: at hoc non fieret in nostro casu.

514. Ob. 8. Persuasio intellectus, & iudicium credibilitatis, in rudibus juxta nos potissimum oriretur, ex negatione, vel exclusione rationum oppositarum: hoc est absurdum: ergo. Confir. Iudicium credibilitatis in hominibus indoctis fundatur in ignorantia alicujus veritatis, seu in hoc, quòd rusticus, hic & nunc, ignoraret, quòd sub æquali veritatis apparentia possit latere falsum: hoc est adhuc absurdius: ergo. Resp. dist. ma. iudicium credibilitatis oriretur ex ea negatione per se, neg. ma. per accidens. om. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Ad confirm. datur eadem distinctio.

523. Ob. 12. Ad hoc, ut intellectus rei assentiatur, tanquam certæ & evidenti, per actum scientificum, debet hæc ita proponi, ut intellectus agnoscat, sub tali apparentia veritatis non posse latere falsum: ergo multo magis id requiritur ad actum fidei, qui certior est quovis actu scientifico. Resp. neg. conf. Certitudo scientiæ veræ requirit evidentiam veram: atqui non potest aliquid esse evidenter verum, & simul falsum: ergo; unde qui reflexè scit, se habere evidentiam veram, scit simul, sub tali apparentia non posse latere falsum. Aliud foret, si evidentia tantum esset apparens, ut sæpe contingit; tunc enim sub tota ea apparentia, non tantum posset latere falsum, sed actu lateret. At verò certitudo de existentia revelationis, prævia ad actum fidei, vel piam affectionem, non debet esse evidens, sed sufficit, si sit tanta, ut excludat prudens dubium, ad quod non requiritur illa reflexa cognitio, de impossibilitate latentis falsi sub tali apparentia.

524. Ob. ultimò. Si rusticus non debet habere discernibiliter illustrationem DEI, qua reflexè, vel saltem exercitè agnoscat, se hîc & nunc, non posse falli, posset contingere, ut iterum prudenter, vel rationabiliter deponeret, aut repudiaret actum fidei, quem prius elicuit, nolendo amplius credere, quod prius revera credidit: sed hoc contingere non potest: ergo. mi. habetur ex propositione 20. damnata ab Innocentio XI. quæ sic habet: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem*: ex qua apertè infertur, non posse prudenter deponi actum fidei, qui utique etiam est supernaturalis.

Probatur etiam ma. Proponat parochus (ut ipsi posuimus casum n. 504.) duos articulos, unum falsum, alterum verum: & rusticus credat fide Divina verum, alterum saltem conetur credere eadem fide: cumque non possit, fide Divina credere falsum, credat saltem humanâ: postea autem rusticus ille, ab alio longè doctiore, dedocetur suum errorem circa falsum, certè facile posset contingere, ut idem dubitare inciperet etiam circa articulum verum, qui non melius ei propositus fuit: idque multo magis fieret, si alius apparenter Catholicus, quem reputat valde doctum, ipsum malitiosè deciperet, & diceret, parochum ejus indoctum fuisse, & in utroque errasse. Quod si ipse parochus ex inscitia, vel malitia, revocaret utrumque articulum, (quod utique possibile est) adhuc citius contingere posset, ut rusticus articulum etiam verum non amplius vellet credere: ergo debet dici, quòd rustico, non eodem modo applicetur articulus verus, & falsus, sed discernatur per illustrationem supernaturalem verum à falso: aut debet admitti, quòd rusticus prudenter possit deponere, vel repudiare assensum supernaturalem fidei.

525. Resp. neg. ma. Cardenas *in crisi. in propos. ab innoc. XI. damn. dissert. 13. c. 4. n. 30.* quando agit de hac propositione, ingenue fateatur, se nescire, in quo sensu eam auctores tradiderint, aut in quo sensu sit dam-

nata: & certè difficulter intelligi potest, in quo sensu sit damnata. Rasklerus quoque *de resolutione fidei n. 282. & seq.* non audeat rem omnino decidere: sed propter hunc ipsum casum in objectione allatum, putat, fors posse dici, propositionis damnatæ sensum esse, quòd quis, stante eadem applicatione revelationis, possit prudenter repudiare actum fidei; nam ait, sibi videri, quòd repudiare assensum, sit cum non elicere, quando quis potest: talis autem rusticus supervenientibus totâ oppositum rationibus, non videtur posse illum elicere: ergo nec repudiare.

Suarez *de fide disp. 4. sec. 5. n. 8.* ait nullo modo admittendum, quòd mutatio talis unquam prudenter possit fieri circa assensum fidei verè talem; unde debet dici (quod etiam Rasklerus asserit n. 284. *de resolutione fidei*) quòd Divina providentia permittere non possit talem casum, adeoque, vel impediatur, ne tali homini talia motiva in contrarium occurrant, vel per specialem illustrationem, saltem ut quo, talem hominem illustret, ut prudenter de priori assensu dubitare non possit. Neque hoc dicitur sine magno fundamento; nam (ut refertè Dominicus Viva *in trutinâ Theolog. p. 2. in hanc propositionem n. 13.* discurrent) ratio, & prudentia exigunt, ut rem semel pro articulo fidei habitam, non statim deserramus, sed prius veritatem dabitur modis indagemus: si autem hoc aliquis fecerit, DEUS facienti, quod est in se, non deerit, sed eum juvabit sua illustratione, vel alio modo, ut veritatem inveniat, ut jam diximus n. 506. Superest, ut, quando egimus de actibus intellectûs, qui præcedunt actum fidei, agamus etiam de pia affectione, quæ prærequiritur ex parte voluntatis.

ARTICULUS VII.

Quid sit Pia Affectio, & an sit necessaria.

526. Dico. Pia affectio (de qua hic agitur, seu quæ prærequiritur ad actum fidei) est actus voluntatis supernaturalis, & liber, per quem voluntas imperat intellectui, ut mysteriis fidei assentiatur firmissimè, propter revelationem DEI, sufficienter applicatam: & hæc est necessaria præviè ad actum fidei. ita omnes. Hujus autem piæ affectionis obiectum, est ipsa honestas creata etiam formale quod, est ipsa virtus, qui elicitor. Hic autem actus piæ affectionis, cum sit actus virtutis, ei correspondet etiam aliqua virtus, seu habitus, eum elicitor: & hæc vocari potest pia affectio habitualis: cumque pro obiecto formali quod, habeat honestatem moralem creatam actus fidei, erit habitus moralis, & non Theologicus, ex dictis n. 5. ubi actum de obiecto formali quod virtutis Theologicæ. Et quidem talem habitum dari probatur, tum ex eo, quòd frequen-

Quid sit Pia Affectio, & an sit necessaria.

ter tales actus elicantur: tum ex S. Thoma 2. 2. q. 4. art. 2. *in corp.* ubi ait: *Oportet, quòd tam in voluntate sit aliquis habitus, quam in intellectu, si debeat actus fidei esse perfectus.*

Prob. jam conclusio quoad secundam partem (nam quoad primam partem non opus est probatione; cum omnes per piam affectionem talem actum intelligant) prob. autem 1. sic. Actus fidei ex se, & intrinsecè est necessarius, utpote actus intellectûs, seu potentia necessaria: ergo debet per actum liberum piæ affectionis denominari, ac reddi extrinsecè liber, & consequenter meritorius; quia nullum datur meritum sine libertate: ergo actus piæ affectionis liberæ debet admitti. Prob. concl. 2. Sapius Scripturæ asserunt, fidem liberè elici, dum e.g. dicunt, aliquos obedire, non verò omnes Evangelio: corde credi ad justitiam &c. dum reprehendunt incredulitatem: Tridentinum etiam *sess. 6. c. 6.* de præparantibus se ad justificationem ait: *Liberè moventur in DEUM, credentes vera esse &c.* S. Augustinus. *11. 26. in Joan. sub initium* ait: *Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens: accedere ad altare potest nolens: accipere potest sacramentum nolens: credere non potest, nisi volens*: ergo, cum actus fidei non sit liber in se, debet esse liber in pia affectione.

Probatur conclusio 3. Mysteria fidei sæpe sunt obscura, &, licet sint evidenter credibilia, non sunt evidenter vera: adeoque non necessitatur intellectus ad ea affirmanda, sed debet ab imperio voluntatis liberæ determinari, prout etiam philosophi dicunt de omnibus veritatibus non evidentibus: ergo necessarius est actus, seu imperium voluntatis, ut determinetur intellectus ad ea mysteria affirmanda per actum fidei: hic autem actus determinans, quia est actus voluntatis, est affectio: quia tendit ad pietatem, seu cultum DEI, per actum fidei, est affectio pia: ergo.

527. Ob. 1. Potest contingere, ut mysterium proponatur absque ulla ratione in oppositum: ergo tunc actus fidei non erit liber, nec dabitur pia affectio. Confir. Aliis obiectis, ratione actuum frequentatorum, assentimur ex habitu, non reflectendo nos ad motivum: ergo etiam possumus assentiri obiectis fidei, ratione actuum frequentatorum, absque pia affectione: ergo hæc non est semper necessaria. Resp. om. ant. neg. conf. Ex eo, quòd nulla ratio appareat in oppositum, non statim sequitur, necessitari intellectum, ut observavimus jam n. 513. Si autem ponatur intellectus necessitari ad assensum; tunc hic actus non erit actus fidei strictè dictus, seu talis, qualis communiter intelligitur, scilicet liber, & meritorius, de quo loquuntur SS. Patres, & ad quem requiritur captivatio intellectûs, ut diximus n. 468. agendo de evidentia in attestante: quidquid sit, an, in casu intellectûs necessitati, detur aliquis assensus necessarii præstitus testimonio Divino, adeo-

que non meritorius, de quo non loquimur.

Ad confirm. neg. conf. potest quidem elici actus fidei virtualis, vel objectivæ, non reflectendo ad motivum: non autem potest elici actus fidei formalis, ut dictum n. 43. Sed neque actus fidei objectivæ, seu virtualis, potest elici absque pia affectione; nam etiam iste debet esse liber (de libero enim, & meritorio actu, hic agimus, ut supra dictum) liber autem esse non potest sine pia affectione. Insuper, quancumque datur attentio ad motivum fidei, seu revelationem obscurè propositam, eo ipso, exercitè saltem, etiam datur aliqua attentio ad obscuritatem, vel captivacionem intellectûs, (ad quam necessaria est pia affectio) licet hæc valde subtiliter, & tenuiter fiant, & sapius non reflexè advertantur: sicut, si quis scribat, semper advertit ad regulas formandi singulas literas, quamvis valde tenuiter. Casu quo autem revelatio esset evidenter proposita, tunc, ut daretur actus fidei meritorius, deberet dari advertentia saltem in actu exercitè, ad alios casus possibiles, in quibus revelatio esset tantum obscurè proposita: deberetque assensus imperari cum præparatione animi, ad eundem etiam imperandum in circumstantiis obscuritatis: quod imperium est utique pia affectio: videantur etiam dicta n. 468.

528. Ob. 2. Non potest aliquis dissentire illi, quod ei est evidenter credibile: ergo non datur libertas contrarietatis, saltem in ordine ad fidem. Resp. neg. ant. Ut jam sæpe diximus, discrimen latum est, inter evidentem credibilitatem, & evidentem veritatem. Si mihi aliquid sit evidenter credibile, non quidem possum dicere: *Non est evidenter credibile*: sed tamen possum dicere: *Non est verum*: vel saltem: *Fortè non est verum* (quod dubium jam est contrarium fidei) quia ex evidenti credibilitate non infertur evidens veritas, ut dictum n. 482. Imprudenter quidem ista sunt: at tamen absolute fieri possunt: sicut imprudenter fiunt quævis peccata contra quæcumque alia præcepta. Et quis neget, hominem pertinacem in suo errore, posse imprudenter, credibilitati evidenti se opponere?

529. Ob. 3. Fides peccatoris non est meritoria: ergo neque debet esse libera. Resp. dist. ant. non est meritoria de condigno. conc. ant. non est meritoria de congruo. neg. ant. & conf. imò Tridentinum *sess. 6. c. 6.* de necdum justis loquitur, quando ait: *Liberè moventur in DEUM, credentes vera esse &c.* Dicuntur tamen peccatores gratis justificari; quia justificantur sine merito strictè dicto, sive sine merito de condigno: sicut quis diceretur, equum gratis accipere, pro quo dedisset teruncium. Neque peccator, utpote inimicus DEI, & DEO, secundum se, & simpliciter placens, sed ei tantum placens secundum quid, sive secundum opus supernaturale, debet ob meritum de congruo statim justificari; quia

in primis merito de congruo non debet DEUS primum reddere: dein peccatoris meritum non est meritum immediatum justificationis, sed tantum est meritum de congruo immediatum auxilii, & mediatum justificationis.

530. Ob. 4. Fides est radix omnis meriti: ergo pia affectio præcedens non est meritoria, consequenter nec libera, nec supernaturalis. Confir. 1. Potest quis velle credere ex vana gloria: ergo voluntas credendi non est necessariò meritoria. Confir. 2. Fides potest etiam elici ex semiplena deliberatione: & talis actus non esset meritorius: ergo nec liber. Resp. dist. ant. fides est radix omnis meriti, hoc est, fides vel latè sumpta pro omni illustratione supernaturali, vel fides quidem strictè dicta, sed ut libera, & laudabilis. conc. ant. fides strictè dicta, etiam ut non libera. neg. ant. & conf. Si sumitur fides in sensu latiore, pro illustratione superna, præcedit etiam aliqua talis illustratio piæ affectionem, & est radix huius, adeoque omnis meriti, qualescunque in ista datur: si autem sumitur fides strictè dicta, & ut libera, constituitur ex pia affectione, & unà cum hac, in concreto sumpta, est meritoria: sive, complexum ex utraque est meritorium.

Ad 1. confirm. Resp. dist. ant. potest quis ex vana gloria velle credere remotè, & mediatè, vel inefficaciter. om. ant. proximè, & efficaciter. neg. ant. & conf. quia, cum pia affectio, requisita ad fidem, & sine qua DEUS non concurrat ad actum fidei, quæque immediatè eum actum imperat, supernaturalis sit, non potest elici ex motivo inhonesto: quidquid sit, an (ut volunt Lugo, & Ripalda) absolutè possit ipsa pia affectio imperari ab alio actu prævio, ex inhonesto motivo vanæ gloriæ: sicut multi admittunt, ex tali motivo inhonesto etiam imperari posse usum sacramenti penitentia, consequenter etiam actus supernaturales ad eum requisitos. Ad 2. confir. Vel sufficit ad meritum semiplena deliberatio, vel non: si sufficit. neg. 2. p. ant. si non sufficit. neg. conf. nam tunc talis actus fidei non erit meritorius; nec in hoc potest esse tunc aliquid absurdum: liber tamen erit, libertate semiplena, quam libertatem debet ipsi præcedenti piæ affectioni, in se ipsarantum semiplenè liberæ.

DISPUTATIO IV.

De Objecto Materiali Fidei.

531. **O**bjectum materiale fidei jam diximus esse, quod creditur propter aliud, scilicet propter revelationem DEI; unde debet esse revelatum, nec sufficit esse revelabile; nam, quod nondum est revelatum, est tantum objectum materiale fidei remotum, seu omnino remotissimum, ut quidam Recentior ait: hoc est, tunc est, sive erit credibile, quando erit re-

velatum, & revelatio sufficienter applicata. Hinc idem ait, objectum etiam revelatum, sed nondum sufficienter ut tale applicatum, esse tantum objectum materiale fidei remotum; quia nec istud est proximè credibile, quod utique verum est. Quare nostræ conclusiones, si accipiendæ sint de objecto proximo fidei, debent intelligi ex suppositione, quod revelatio sit sufficienter applicata.

Verum quidem est, quod aliquid nondum revelatum, vel cuius revelatio nondum est sufficienter applicata, possim proximè affirmare per discursum, vel alium actum: non tamen id proximè, possim credere per fidem: quàm parùm scilicet possum credere homini, cuius vocem nondum intellexi, vel nondum loquenti, aut promittenti, sed tantum potenti dicere, vel promittere. Quæri tamen hic solet. 1. An objectum, tantum implicitè, vel mediatè revelatum, sit etiam objectum fidei. 2. An objectum tantum virtualiter revelatum, seu per discursum tantum ex alio revelato illatum, possit esse objectum fidei: qua occasione queritur quoque, an fides sit discursiva: dein ulterius indagatur, quænam necessariò sint credenda explicitè, quænam tantum implicitè. Ita que sit

QUESTIO I.

De Objecto Materiali Fidei in Genere.

ARTICULUS I.

An, & quæ, implicitè revelata, sint objectum materiale fidei.

532. **I**mplicitè revelatum (quod etiam est objectum materiale fidei, ut facile patebit ex mox dicendis) dicitur illud, quod non est in se formaliter, clarè, & apertè revelatum: sed continetur, seu involvitur in aliquo, formaliter, clarè, & apertè revelato. Talia sunt, partes objecti formaliter revelati, tam potestativæ, quàm actuales, seu essentialia constitutiva, sive sint partes physica, sive metaphysica: item talia sunt termini inferiores, contenti in superiore revelato: vel etiam veritates particulares, contentæ in universalis. e. g. respectu hominis, constitutiva physica, seu partes physica, sunt anima, corpus, & unio: constitutiva metaphysica, seu partes metaphysica, sunt animal, & rationale: respectu animalis partes potestativæ sunt homo, & leo &c. qui etiam sunt termini inferiores respectu ejusdem animalis, tanquam termini superioris.

Pariter respectu propositionis, seu veritatis universalis: *Omnis homo est redemptus à Christo*: propositiones, seu veritates particulares sunt: *Petrus est redemptus à Christo*, &c. *Andreas est redemptus à Christo*, &c. Alii

An, & quæ, implicitè revelata, sint objectum materiale fidei.

Alii ad implicitè revelata volunt etiam reducere ea, quæ physicè, vel metaphysicè connectuntur, e. g. physicè connectitur ignis cum calore: metaphysicè prædestinatio cum salute hominis prædestinati, unio cum re unita &c. sed de hoc *num. 535*. agendum. Huic terminorum explicationi addo hoc notandum, nempe, DEUM suas locutiones, seu revelationes hominibus factas, accommodare modo loquendi humano; ac vocibus, aut signis uti, prout homines communiter utuntur, vel ea intelligunt; vult enim ab hominibus intelligi. His prænotatis pergitur ad conclusiones, quæ nobis videntur satis communiter receptæ.

533. Dico. 1. Si revelatur formaliter, adeoque est de fide, totum actuale, tunc etiam illius partes essentialia sunt de fide (intellige ita, ut sint saltem objectum remotum fidei, si revelatio nondum sit satis applicata, vel explicata: sive, si nondum constet, quod ista, vel illa, sint partes &c. proximum verò, si revelatio sit satis applicata, vel satis constet, hæc, vel illa, esse partes: quod deinceps semper subintelligemus) Prob. conclusio. Per revelationem totius rei ipsa etiam dicuntur, & revelantur partes ejus essentialia, tam physica, quàm metaphysica: ergo fiunt de fide.

Prob. ant. Qui dicit totum, absque dubio etiam censetur, velle dicere essentialia ejus physica, vel metaphysica; quia voces humana, in humano commercio, vel maximè significant essentialia rerum: ergo, qui utitur vocibus significantibus totum, etiam dicit ejus essentialia physica, vel metaphysica: atqui partes physica, vel metaphysica, sunt formaliter essentialia totius: ergo etiam istas dicit. Confir. Qui dicit, dari animal rationale, absque dubio dicit, dari, & animal, & rationale: qui dicit, dari compositum ex corpore, anima, & unione, indubitanter dicit, dari corpus, animam, & unionem: sed qui dicit, dari hominem, seu totum humanum, dicit, dari animal rationale, item dari dictum compositum: ergo etiam dicit, dari eas partes.

534. Dico 2. Si veritas universalis est revelata, adeoque est de fide, etiam sunt de fide veritates particulares, sub ea contentæ. prob. veritates istæ particulares sunt quasi partes, contentæ in universalis, tanquam in toto: ergo, revelata veritate universalis, revelantur etiam particulares, & fiunt de fide. prob. ant. in tali casu veritas universalis est quasi aliqua collectio plurium veritatum, ejus constitutiva, & partes, sunt veritates particulares, e. g. hæc veritas universalis: *Omnis homo est redemptus à Christo*: est quasi collectio harum veritatum particularium: *Petrus est redemptus à Christo*: *Paulus est redemptus à Christo*: *Joannes est redemptus à Christo*: & istæ veritates sunt partes illius collectionis: ergo.

Confir. 1. Qui explicitè, & expressè dicit, omnes homines esse redemptos à Christo, etiam, licet non ita expressè, tamen satis intelligibiliter dicit, & hunc, &

illum, esse redemptum. Certè, qui narrat alteri de omnibus, e. g. antiquis eremitis, quod frequenter rigida observaverint jejunia, sufficienter, & satis intelligibiliter, idem narrat de SS. Antonio, Pachomio, Hilarione &c. & hic est communissimus modus humanus loquendi, & locutionem humanam intelligendi: ergo etiam DEUS, qui, ut dictum est, humano modo loquendi se accommodat, quando dicit, pueros Babylo-nicos non admisisse cibum de mensa regia, sed vixisse tantum leguminibus, sufficienter revelat idem de quolibet in particulari, nempe de Daniele, Misacèle, Anania, & Azaria.

Confir. 2. Ut diximus *num. 422*. DEUS revelando aliquid in genere, vel universaliter, non etiam ipse (nisi specialis sit ratio) facit propositionem externam, seu revelationem tantum universalem, & confusam: sed, sicut clarissimè cognoscit particularia contenta, sic etiam ea revelat: ergo, quando nobis certò constat, aliqua particularia contineri in veritate aliqua universalis, etiam censenda sunt esse revelata, adeoque credibilia. Confir. 3. Si tales propositiones particulares nunquam sunt de fide, sequitur, mihi non esse de fide, quod, si moriar in peccato mortali, sim damnandus: aut si moriar in gratia, sim salvandus: hoc est omnino absurdum, & falsum: ergo. Similes aliæ propositiones particulares possent fieri sine numero.

535. Dico 3. Si revelatur aliquod objectum, non eo ipso revelantur omnia cum ipso moraliter, physicè, aut metaphysicè connexa. Prob. conclusio in primis de morali, & physica connexionem. Non est certum, an istæ connexiones afferant secum terminos connexionis; cum sint frustrabiles, vel impedibiles, seu dissolubiles: ergo, etiam si sit de fide, dari unum terminum talis connexionis, non est de fide, dari etiam alterum. Sic e. g. est de fide, dari in Eucharistia species panis, quæ physica habent exigentiam, seu connexionem cum pane: nullatenus autem est de fide, sed falsum, dari ibi panem.

Prob. jam conclusio quoad connexionem metaphysicam. Res, etiam metaphysicè connexa, non sunt partes, nec identificata illi rei, cui ita connexa sunt: ergo per se, & directè non dicuntur: sed neque dicuntur indirectè, vel mediatè; quia qui loquitur de aliqua re, non eo ipso censetur, imò non potest semper censeri, loqui de omnibus metaphysicè connexis: quin potius potest ex rationabili causa nolle, de his loqui: e. g. DEUS revelans incarnationem potest utique nolle revelare omnia, quæ cum ipsa essentialiter connectuntur; cur enim non possit nolle, ut homines veniant in noticiam omnium illorum, adeoque aliqua celare? certè nulla apparet implicantia.

536. Confir. 1. Potest DEUS revelare aliquam rem, quin revelet omnia prædicata realiter ei identificata, sive quin eam revelet sub conceptu tam claro, ut omnia ejus prædicata

prædicata sub conceptu formali, & proprio discernantur: ergo multò magis potest aliquam rem revelare, quin eam revelet sub conceptu tam claro, ut cognoscantur omnia etiam metaphysicè connexa. Dixi *omnia prædicata realiter identificata*; nam faciendum est discrimen; quædam enim prædicata sunt, quæ per solam explicationem, ut ita dicam, terminorum revelationis, innotescunt, e. g. prædicata animal, & rationale, si reveletur homo: & ista utique revelantur, quando res, cui insunt, revelatur: e. g. quando revelatur homo, revelatur etiam animal rationale.

Alia verò prædicata sunt magis formaliter distincta, seu distinctione rationis ratiocinata ab objecto revelato: & ista non debent, censerì formaliter, seu sub conceptu proprio, ne implicite quidem revelata; potest enim DEUS, locutionem suam, qua revelat unum prædicatum, non dirigere ad ingerendam notitiam alterius ita formaliter distincti. Sic Judæis revelata sunt prædicata absoluta DEI: at, saltem pluribus eorum, non sunt revelata prædicata relativa, seu mysterium SS. Trinitatis. Et ne excipias, hæc esse virtualiter distincta, addo, nobis defacto necdum esse revelata omnia prædicata Divina, etiam essentialia; quia Beati primùm ea omnia videbunt: imò plurimarum rerum creaturarum existentia, & prædicata aliqua, magis sub sensu cadentia, sunt revelata in Sacris Scripturis, de quibus tamen plurima ipsi essentialia nescimus.

§ 37. Confirm. 2. Locutio, prout hic sumitur propriè pro allocutione, est manifestatio conceptus, directa ad alterum, ea intentione, ut audiens veniat in notitiam rei: ergo, si DEUS suam revelationem non ita dirigit ad creaturam, nec intendit (ut potest non intendere: quæ enim in hoc contradictio?) per revelationem e. g. incarnationis facere, ut audiens veniat in notitiam omnium metaphysicè connexorum, non loquitur illa connexa.

Nec dicas, non esse de ratione, vel essentia locutionis, ut involvat talem directionem ad audientem, vel intentionem, ut audiens veniat in notitiam rei, quæ dicitur; nam, licet talis directio non sit de essentia locutionis materialiter talis, seu puræ prolationis vocum, tamen est de essentia locutionis formalis, seu allocutionis; qualem utique DEUS vult facere, dum aliquid revelat; DEUS enim, loquens ad extrâ, non loquitur sibi, sed creaturis, nec loquitur, ut quidam quandoque absorpti, dum soli secum rem aliquam cogitant, & suas cogitationes verbis, sibi tantùm dicitis, expriment.

§ 38. Confirm. 3. Si per revelationem unius revelarentur etiam omnia, eum ipso metaphysicè connexa, tunc per revelationem cujuslibet rei revelarentur omnia prædicata Divina necessaria; quia quælibet res creata habet essentialiam connexionem cum his omnibus: imò etiam revelaretur mysterium SS. Trinitatis; etsi enim res crea-

tæ dicantur cum isto non habere connexionem, id tantùm intelligendum est in sensu formali; nam in sensu reali habent etiam cum hoc mysterio metaphysicam connexionem; quia realiter absolute impossibile est, dari quidquam, nisi DEUS sit trinus, & unus.

Quin etiam in sententia adverbiorum probabilissimè qualibet re revelata revelarentur possibilitates omnium rerum; quia quælibet res probabilissimè habet essentialiam connexionem, saltem mediatam, cum possibilitate cujuslibet alterius, quatenus implicante e. g. musica, implicaret potentia, eam producendi, adeoque implicaret hic immutabilis DEUS, quo implicante implicarent omnia. Quis autem dicat, per revelationem cujusque rei, e. g. castimonie Josephi in Ægypto, revelari mysterium SS. Trinitatis, vel possibilitatem leonis? Certè Judæis omnibus fuit ea castitas Josephi ex revelatione nota, non ita mysterium SS. Trinitatis.

Ne autem putes, hac ratione dandas præcisiones objectivas, adverte, revelare aliquid prædicatum de aliquo certo objecto, non esse tantùm quomodocunque revelare de isto objecto aliquid realiter identificatum cum illo prædicato: sed esse loqui ea intentione, & ita clarè, ut audiens vi locutionis illius intelligat formaliter, & sub conceptu proprio, illud objectum, de quo aliquid revelatur, itremque intelligat, illud prædicatum ei formaliter, & sub conceptu proprio, convenire. Sic quamvis per hanc propositionem: *DEUS est omnipotens*: reveletur nobis sub conceptu explicito, & proprio DEUS, & prædicatum *Omnipotens*, non tamen revelatur prædicatum *Omniscius*, licet omnipotens, & omniscius, realiter identificentur.

Certè, si non haberemus aliam revelationem de omniscientia, tam parùm possemus, eam credere vi revelationis factæ de omnipotentia, quàm parùm possumus credere prædicata plurima, quæ adhuc in DEO nos latent; nam, licet aliquo modo possit dici, etiam dicta esse in aliquo sensu physico omniscientia, sub conceptu scilicet omnipotentia, cui identificata est: non tamen potest dici, esse dicta ad nos, propriè, & in sensu illo morali, qui requiritur, ut propriè dicatur revelata; revelare enim est idem, ac manifestare, seu aliquid ita loqui, ut audiens, id formaliter, & sub conceptu proprio, intelligat: at audiens, DEUM esse omnipotentem, planè propterea non intelligit formaliter, & sub conceptu proprio, eum esse omniscium.

§ 39. Similiter, etsi per hanc propositionem: *Aliquod animal est occisus*: supposito, quòd sit homo, dicatur etiam in aliquo sensu physico, homo esse occisus, tamen in sensu morali non manifestatur nobis, aut revelatur, occisio hominis, ita, ut possumus per se, firmare, hominem esse occisum, firmare, hominem esse occisum, nisi homo identificatus cum illo animali, sit occisus; quia nempe non clarè, formaliter, & sub conceptu proprio, revelatur subjectum illius

illius propositionis, seu verificativum ejus, nempe homo: hinc in tali casu ab audiente non satis intelligitur homo: & si alia notitia non superveniat, nunquam credi, aut sciri poterit, hominem esse occisum. Unde, quando dicimus, revelari unum, & non alterum realiter identificatum, tantùm dicere volumus, non dari revelationem tam claram, ut etiam alterum identificatum formaliter, & sub conceptu proprio, possit intelligi, aut credi: atque adeò prædicata contradictoria non cadunt in realiter identificata, sed in duas revelationes realiter distinctas.

§ 40. Addo, in libero arbitrio loquentis esse, ponere locutionem talem, vel aliam, tam claram, ut vi illius velit objectum alteri ita loqui, ut hic illud omnino clarè quoad omnia prædicata cognoscat: vel locutionem minus claram, ut objectum tantùm quoad aliqua prædicata cognoscat: item esse in libero loquentis arbitrio, ponere, vel locutionem talem, ut audiens cognoscat objectum clarè, & distinctè: vel talem, ut id tantùm cognoscat confusè, prout scilicet intendit, audienti ingerere notitiam, vel majorem, vel minorem de objecto. Si jam loquens duntaxat ponat talem locutionem, vi cujus audiens solum dare velit notitiam aliorum prædicatorum, non censetur revelasse prædicata reliqua, quantumvis identificata. Item si ponat talem locutionem, vi cujus in audiente tantùm oriri velit notitiam confusam, vel in genere, non censetur revelasse objectum in particulari; quia locutio ex se non plus revelat, quàm quantum ex mente loquentis sonat.

§ 41. Licet autem dein per discursum ex tali locutione eruantur veritates aliqua particularares, non tamen ideò loquens censetur, eas revelasse, aut dixisse, si non, vel ex ratione, vel ex communi modo loquendi, aut intelligendi locutionem, meritò possit colligi, quòd loquens etiam particularia contenta voluerit intelligi. Et sæpe quidem fit, ut loquens veritatem universalem, velit etiam intelligi veritates particulares, contentas in illa: non tamen id fit necessariò, aut semper: imò potest contingere, ut dicens propositionem universalem, nolit particularem in ea contentam intelligi. e. g. quarenti principi post auditum sonitum sclopeti: *An occisus est homo?* potest quis per propositionem universalem respondere: *Equus tantùm occisus est*: quin velit à principi intelligi propositionem particularem, scilicet, quòd determinatè occisus sit equus ei charissimus; ab hoc enim vellet omnino abstrahi, imò de eo nec cogitari, ne princeps tristitiam contrahat.

§ 42. Per hanc tamen conclusionem non nego, quòd sæpius, revelato explicitè uno objecto, reveletur etiam implicite aliud, cum priorè necessariò connexum; nam sæpe loquens, dum dicit unum, intendit audientem ducere in cognitionem alterius necessariò connexi: qua ratione ponit verè signum, significans illum terminum connexionis, dirigendo illud ad audientem certio-

rem reddendum de eodem termino, quod est formaliter hunc dicere. Sic dum interroganti, an sacrificium Missæ sit cultus DEO gratus, responderem: *Ipsè Christus illud instituit*: etsi explicitè tantùm dicerem institutionem Christi, cum qua, complacencia, vel approbatio Divina, tantùm est metaphysicè connexa (quia scilicet omne à Christo institutum placet DEO) tamen ex intentione interrogantis, & meâ, dicerem implicite, sacrificium illud DEO placere.

§ 43. Sic, si interroganti: *An Judas est in inferno, vel S. Petrus in celo*: responderem: *Ille in desperatione est mortuus, hic pro Christo martyr occubuit*: etsi ista explicitè dicta, tantùm haberent metaphysicam connexionem, ratione decreti Divini, cum projectione in infernum, & assumptione in cœlum, tamen iterum ex communissimo modo intelligendi, implicite dicerem, Judam esse in inferno, & S. Petrum in celo. Et sic etiam DEUS, quando loquitur aliquod mysterium, sæpe intendit, homines ducere in cognitionem aliorum connexorum: quibus in casibus etiam ista censetur revelare; quia, ut dictum, loquitur se accommodando modo loquendi, & intelligendi hominum. Sic quando revelavit, Christum natum esse ex B. Virgine, satis revelavit, hanc esse ejus matrem, eumque concepisse sine semine: item quando revelavit, Christum vidisse Zachæum in arbore, simul revelavit, Zachæum in ea prius concessa mansisse, donec Christum advenerit &c.

§ 44. Hæc autem revelatio implicita de rebus, connexis cum objecto explicitè revelato, colligi debet, tum ex ipsa significatione verborum, quibus DEUS utitur, tum ex circumstantiis, in quibus loquitur. Si voces ex sua institutione sint relativæ, vel aliam ob causam indirectè significant aliquid connexum, DEUS iis verbis, vel signis utens, etiam loquitur illud connexum, e. g. dum revelat Isaacum esse filium Abrahamæ, etiam revelat, istum esse illius patrem: dum revelat, aliquem esse hominem, cum hæc vox ex communi modo loquendi significet hominem, prout datur à parte rei, id est, instructum suis proprietatibus, & potentiis, etiam revelat, eum habere intellectum, & voluntatem, etiam si cum quibusdam auditoribus ponantur hæc potentiæ esse ab anima realiter distinctæ.

Sic etiam, quando Christus dixit: *Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Luc. 13. v. 3. revelavit implicite justitiam, & potentiam DEI, vindicantis peccata; quia scilicet voluit Christum auditoribus suis ingenerare timorem DEI, suas injurias ulcisceris. Id autem præprimis est verum, quòd, quando Ecclesia ex una veritate fidei infert aliam, eamque definit, tum signum sit, etiam hanc aliam veritatem fuisse implicite revelatam, ut explicavimus n. 455.

§ 45. Dico 4. Conclusio objectiva, quæ in syllogismo categorico ex duabus propositionibus de fide consequitur, etiam ipsa ut plurim

plurimum est de fide, ita communis. Dixi *conclusio objectiva*, hoc est objectum conclusionis formalis de qua conclusione objectiva etiam sequentes conclusiones sunt intelligentes; alia enim est questio, an conclusio formalis, seu actus conclusionis, ex talibus præmissis deductus, sit actus fidei, de qua agemus infra, agendo de fide discursiva, a. n. 533. Similiter per voces de fide intelligitur, objectum esse fidei Divinae credibile. Dixi etiam *ut plurimum*; quia ut dicemus, aliquando facienda est exceptio.

Prob. jam assertio. De tali conclusione objectiva est certum, vel quod sit aliqua veritas particularis, contenta in universalis relevata, vel quod ejus subiectum sit realiter idem cum subiecto propositionis revelatae: ergo etiam est de fide. prob. ant. vel una propositio revelata est universalis, & altera particularis, e. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est redemptus a Christo: S. Joannes Baptista est homo: ergo S. Joannes Baptista est redemptus a Christo*: ubi patet, in majore dari revelationem de omni homine universaliter redempto: in minore dari revelationem, quod S. Joannes contineatur inter omnes homines, adeoque ejus redemptio sit veritas particularis, contenta in revelatione universalis de redemptione omnium hominum, & consequenter ex dictis n. 534. sit de fide.

546. Et par est ratio, si una propositio latius, altera minus late pateat, licet non sit particularis; quia eodem modo veritas conclusionis, quæ non potest latius patere, quam quælibet præmissa, erit veritas quasi particularis, hoc est, minus patens, contenta in latius patente. e. g. in hoc syllogismo: *Omnis clarè videns DEUM, est amicus DEI: sed omnis martyr est clarè videns DEUM: ergo est amicus DEI*: ubi minor est restrictio, vel minus patens veritas, & quasi particularis respectu majoris; nam non soli martyres vident DEUM, sicut non solus S. Joannes est homo: sunt tamen inter videntes DEUM, & particularis classis videntium DEUM, sicut S. Joannes est inter homines, & particularis homo.

547. Vel propositio revelata utraque est universalis, & æque late patens, e. g. in hoc syllogismo: *Omnis, qui venit in cælum, est prædestinatus: sed omnis, qui moritur in gratia, venit in cælum: ergo omnis, qui moritur in gratia, est prædestinatus*. Et in tali casu est omnino certum, quod subiectum objectivum majoris, & subiectum objectivum conclusionis sint realiter idem: quare prædicatum, quod revelatur de uno, etiam revelatur de altero realiter identificato (nisi sit specialis ratio faciendi exceptionem, qualis ut plurimum non est) consequenter non minus est de fide, quod prædicatum conveniat uni, quam alteri.

548. Et hoc contingit in syllogismo quocunque, non tantum affirmativo, sed etiam negativo. e. g. in hoc: *Nullus in peccato mortuus venit in cælum omnis impenitens est in peccato mortuus: ergo nullus im-*

penitens venit in cælum: ubi nullus in peccato mortuus, & nullus impenitens, manifestè debent esse idem; alias non daretur distinctio in tertio, sed à tertio, ex quantum infertur, ut notant Summalistæ. Fortè dices, has ipsas conclusiones objectivas esse jam explicitè revelatas. Sed resp. etiam si non essent de fide ratione revelationis explicitæ, essent tamen de fide ratione revelationis implicitæ: & si aliqua sint veritates universales taliter deductæ, nec tamen explicitè revelatae, de his procedit nostra probatio: si nulla forent, quæ non essent explicitè revelatae, tamen vera esset assertio de veritatibus particularibus, quod sufficeret.

Nec dicas, nos superius dixisse, quod DEUS, revelato uno objecto, vel prædicato, non eoispo revelet omnia alia realiter identificata; nam resp. in iis casibus semper dari specialem rationem excipiendi, ut patet ex ipsis probationibus nostris: at talis ratio ut plurimum non est in casibus hujus conclusionis (aliquam exceptionem faciemus inferius in solutione objectionis tertiæ) ergo est disparitas. Et sanè, si DEUS prævidet, fore, ut hominibus certissimè innotescat, aliquid esse realiter identificatum alteri, & tamen explicitè de isto loquatur, censendum est (nisi specialis ratio obstat) etiam saltem implicitè loqui de illo.

549. Dico 5. Conclusio objectiva, deducta ex majore propositione universalis revelata, & minore particulari naturaliter evidente, ut plurimum est de fide. Dixi, *ut plurimum*; quia, ut iterum in objectionibus solvendis dicemus, videtur aliquando facienda exceptio. Prob. conclusio. Quando major est de fide, & minor evidens, sufficienter constat, quod veritas conclusionis contineatur in veritate majoris universalis revelatae: ergo.

550. Sic quando dico: *Omnis homo est redemptus a Christo: Socrates est homo: ergo est redemptus a Christo*: cum major sit universalis revelatio de redemptione, extendens se ad omnes homines: & minor evidenter ostendat, Socratem esse partem illius collectionis, scilicet hominum, ad quam totam spectat redemptio: sufficienter constat, eam revelationem se etiam ad Socratem extendere, adeoque esse de fide, quod Socrates sit redemptus.

551. Et in hoc casu evidentia naturalis de Socrate homine non est motivum asserendi, eum esse redemptum, sed tantum est applicatio motivi, seu facit, ut agnoscat, dari revelationem etiam de ejus redemptione. Ad summum ea evidentia est motivum extrinsecum, vel mediatum, sicut motiva credibilitatis, applicantia testimonium DEI, ad affirmandam religionis Catholicæ veritatem.

552. Dixi: *si minor est evidens*; nam, si hæc non esset evidens, aut saltem valde certa, non sufficienter constaret, quod locutio Divina, ad ejus objectum se extendere. Imò, si quis ex ignorantia, vel stupiditate negaret minorem, etiam per se evidentem

tè, & consequenter etiam talem conclusionem, non propterea esset hæreticus, saltem in foro interno; quia tunc non esset ei sufficienter applicata revelatio, e. g. si quis negaret, Saul, vel Ruth, esse redemptos à Christo; quia putaret non fuisse homines, sed illum vulpem (nam hanc hebraicè significat) & istam fuisse plantam odoriferam.

553. Suspectus tamen talis esse posset in foro externo de hæresi; quia negans conclusionem in syllogismo legitimo, maxime in categorico, censetur negare aliquam ex præmissis: atqui non facile judicatur aliquis negare propositionem evidentem, quæ rapit intellectum ad assensum, sed aliam, quæ non ita rapit, sicut non ita rapiunt propositiones de fide: adeoque talis posset suspectus esse, an non propositionem de fide negaret, quod esset hæreticum.

554. Dico 6. Si major universalis est naturaliter nota, minor autem particularis de fide, conclusio objectiva non est semper de fide. ita Suarez de fide disp. 3. sec. 11. n. 5. *Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 2. §. diligenter*, aliique. Prob. In tali casu non necessariò veritas conclusionis est à DEO revelata: ergo neque necessariò est de fide. prob. ant. tum negativè; quia non potest probari, tum positivè.

555. E. g. in hoc syllogismo: *Omnis volucris habet stomachum: sed corvus in arca Noë est volucris: ergo habet stomachum* ubi, licet minor sit revelata, & de fide, tamen conclusio non est revelata, neque de fide; nec enim per revelationem, per quam habemus, corvum fuisse in arca Noë, etiam revelatum est, eum habere stomachum.

556. Non tamen propterea nego, sæpe posse contingere, ut talis conclusio objectiva sit de fide, e. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal rationale: Christus est homo: ergo Christus est animal rationale*: in quo tamen, uti & in similibus syllogismis, conclusio non est de fide ideo; quia est deducta ex una præmissa universalis naturaliter nota, & altera particulari de fide: sed quia per revelationem minoris implicitè jam revelatur etiam conclusio; nam revelato homine, ut dictum n. 533. revelatur essentia, seu definitio objectiva, scilicet animal rationale.

557. Dico 7. Conclusio objectiva, deducta ex una præmissa de fide, & altera tantum probabiliter vera, non est de fide. Prob. Objectum, quod non proponitur ut certè revelatum à DEO, non est credibile fide Divina: atqui talis conclusio est tale objectum: ergo, minor est clara; nam omnis conclusio sequitur debiliorem partem, maxime quoad certitudinem, vel incertitudinem: adeoque talis conclusio non est certè revelata, sed tantum probabiliter. Major etiam non potest negari, maxime post damnatam ab Innocentio XI. hanc propositionem 21. *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum noticia solum probabili-*

li revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus DEUS. Confir. Si talis conclusio esset de fide, multis certum esset de fide; quod essent in statu gratiæ: sed hoc est falsum ex Tridentino sess. 6. c. 9. ergo. prob. ma. est de fide hæc major universalis: *Omnis, qui rite percepit sacramentum penitentiae, est in statu gratiæ*: & multis piis hominibus est valde probabilis hæc minor: *Sed ego rite percepit sacramentum penitentiae*; quia valde probabile est, ministrum fuisse verum sacerdotem, & adhibuisse legitimam formam, & intentionem: ac tales homines attulisse debitam dispositionem: ergo, si probabilitas ista sufficeret, esset de fide conclusio: *Ergo sum in statu gratiæ*.

558. Addendum, hucusque dicta à conclusione quarta, restricta fuisse ad conclusiones deductas in syllogismis categoricis. Si quis quærat, quid sentiendum de conclusionibus syllogismorum non categoricorum. Resp. non universaliter tales conclusiones esse necessariò de fide; quia, si in conclusione tantum aliquid infertur ratione connexionis cum alio, in præmissis revelato, & quidem ratione connexionis tantum naturaliter cognita, vel cognita quacunque certitudine non sufficienti, non statim tale objectum conclusionis censendum est revelatum; unde, sicut in Logica dicitur, talium syllogismorum bonitatem optime ostendi, si reducantur ad syllogismos categoricos bonos, ita etiam dico, optime posse discerni, an conclusio sit de fide, vel non; si tales syllogismi reducantur ad syllogismos categoricos: & tunc juxta assertiones supra positas de conclusione in syllogismis categoricis res determinetur.

559. Hoc tamen etiam dici potest, quod, si syllogismus sit disjunctivus, & utraque præmissa sit de fide, etiam conclusio, legitime illata, sit de fide; quia etiam in humanis, si quis duas tales præmissas dicat, & dein unam neget, censetur dicere alteram. e. g. dicens: *Semper, vel dies, vel nox est: nunc autem non est nox*: censetur satis dicere: *Nunc est dies*. Pariter, cum revelatum sit, quod omnis homo, adeoque etiam S. Petrus, veniat vel in cælum, vel in infernum: & ex altera parte etiam revelatum sit, quod S. Petrus non sit in inferno, sufficienter etiam sine alia revelatione credi posset, eum esse in cælo.

Similiter in syllogismo conditionali, si major conditionalis est revelata, & minor, quæ conditionem purificat, etiam est revelata, sufficienter quoque est revelata conclusio: e. g. in his præmissis: *Si quis per martyrium Christum confessus fuerit coram hominibus, confitebitur eum Christus coram Patre suo: atqui S. Stephanus per martyrium Christum confessus est coram hominibus*: sufficienter jam est implicitè revelata conclusio: *ergo Christus confessus est S. Stephanus coram Patre suo*: possetque conclusio hæc credi, etsi nulla alia magis explicita revelatio, neque per traditionem, neque per alium modum, haberetur.

tur. Certè inter homines, si quis tales duas præmissas loqueretur, censeretur sufficienter locutus esse etiam conclusionem.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

560. **O**B. 1. contra 1. conclus. DEUS revelans objectum, non propterea revelat etiam eas partes metaphysicas, vel genus, & differentiam, aut definitionem objectivam: ergo. prob. ant. DEUS revelans e. g. quòd detur calor, non eo ipso revelat, quòd detur disgregans heterogenea, & congregans homogœna: hæc est definitio caloris: ergo. Resp. diss. ant. DEUS revelans objectum non propterea revelat partes metaphysicas, genus, & differentiam &c. quoad statum objectivum, vel etiam quoad conceptum certum, & evidentem. neg. ant. quoad omnem statum intentionalem, seu conceptum dubium, vel tantum probabiliter verum. conc. ant. & neg. cons. ad prob. om. vel conc. ant. neg. cons.

561. Dixi, DEUM loqui more quasi humano, seu accomodando se intelligentiæ hominum, circa usum vocum, atque signorum; unde quando dicit aliquod objectum, dicit id, prout homines idem solent dicere, qui, dum aliquid dicunt, volunt utique significare essentiam rei, & statum ejus objectivum, ut supra diximus: item volunt dicere, quòd detur illud, quod terminis aperte idem significantibus indicatur: e. g. quando dicunt, dari hominem, dicere volunt, etiam dari animal rationale, vel compositum ex anima rationali, corpore, & unionem; quia aperte idem sunt: & si quis dicentem, quòd aliquis homo sit in templo, interrogaret, an ibi sit aliqua anima rationalis, & corpus ei unitum, videretur quasi terminos non intelligens.

562. At verò, quando dubium est, an talis conceptus huic rei conveniat, vel tantum est probabile, quòd ei conveniat, non statim homines volunt, hunc conceptum dicere; quia posse falsum dicere: consequenter etiam DEUS non censetur talem conceptum revelare: itaque, cum definitio caloris supra allata, sit dubia, vel tantum probabilis, non censetur eam DEUS revelasse. Aliud est de definitione hominis, quæ est apertissima, & clarissima.

Neque dicas. Ergo, quando definitio est tantum probabilis, verificantur contradictoria de definitione, & definito; nam hæc objectio spectat ad Logicam & præcisiones objectivas. Respondeo breviter. Revelatur objectum sub conceptu uno, nempe definito, & non sub altero, nempe definitionis: sicut homo cognoscitur à longè sub ratione animalis, non autem sub ratione rationalis. Diferentia tantum est, quòd inter animal, & rationale, detur distinctio rationis ratiocinantis: at verò inter definitum, & defini-

tionem, tantum detur distinctio rationis ratiocinantis: quæ tamen sufficit ad conceptum saltem quoad claritatem diversos, adeoque ad similiter diversas revelationes.

563. Sed neque videtur dicendum, quòd in tali casu definitio, si reipsa vera sit, attamen nobis tantum sub dubio, vel per solam probabilem notitiam cognita, à DEO quidem reveletur, nobis tamen hæc non sufficienter, aut proximè applicetur, adeoque non sit quidem proximè credibilis, attamen sit remotè credibilis, e. g. supra adducta definitio caloris; non, inquam, videtur hoc dicendum, saltem tunc, quando non videtur credibile, eam revelationem aliquando magis applicandam.

Ratio est. Cum nemo unquam DEUM tale objectum loquentem intelligat, cur id loquatur? cur ponat revelationes, quæ nemini unquam proximè applicatæ fuerunt, & verosimilium nemini unquam applicabuntur? nec enim unquam Ecclesia definit, quòd calor sit qualitas disgregativa heterogeneorum, & congregativa homogœnorum &c. Aliud enim est, quòd DEUS aliquando aliquam veritatem universalem dicat, cujus partes incluse necdum omnes sunt proximè applicatæ, quas tamen suis temporibus Ecclesia definiendo applicabit: aliud est, quòd DEUS dicat veritatem aliquam, quæ hucusque nulli applicata est, & verosimilium nulli unquam applicabitur.

Si tamen contendas, quòd casu quodam definitio talis, vel res aliqua alia, nunc probabiliter tantum cognita, sit vera, & prævideatur suo tempore definienda, DEUS jam nunc eam loquatur, ne dici debeat, Ecclesiam aliquando condere novas revelationes, nil dicis contra nos; quia tantum sequitur, quòd conclusio, nunc tantum dubiè, vel probabiliter cognita ut revelata, possit suo tempore certè cognosci ut talis, & tunc credi: nondum autem possit credi stante dubio, vel habita sola probabilitate de illa: quod libenter concedimus.

564. Ob. 2. contra 2. conclus. Si DEUS revelando veritates universales revelaret etiam particulares, in iis contentas, tunc ista propositio: *Socrates est redemptus à Christo*: esset revelata: atqui non est revelata: ergo. prob. mi. si esset revelata redemptio Socratis, tunc esset certior redemptio Socratis, quàm ejus existentia: sed hoc non potest dici: ergo. prob. ma. de redemptio Socratis constaret ex revelatione Divina: de ejus existentia constaret tantum ex communi fama, & traditione historicorum: sed revelatio Divina est longè certior, quàm illa fama, aut traditio: ergo. mi. superior etiam prob. existentia supponitur ad redemptionem: ergo hæc non potest esse certior illa.

Resp. 1. Fors posset negari, quòd redemptio Christi supponat existentiam redempti: certè quoad sufficientiam ad redimendum, passio Christi se extendit ad omnes posibles homines: quamvis quoad actuale influxum, vel deletionem peccati originalis

ginalis fortè supponat existentiam, vel jam actualem, vel certè actuandam, seu futuram. Sed (ut permittatur cursus argumenti) omnia. neg. mi. ad prob. duplex est responsio. Quidam negant majorem, & dicunt, ipsam existentiam Socratis credi per eundem actum, quo creditur ejus redemptio, idque confirmant ex eo; quòd propositiones affirmativæ in materia contingenti affirmant etiam existentiam subiecti; talis autem propositio est actus fidei dicens: *Socrates est redemptus à Christo*: adeoque dicunt, redemptionem Socratis, creditam per actum fidei, esse quidem certiozem, quàm sit ejus existentia, affirmata tantum per actum naturalem, propter famam, & traditionem historicorum: non verò redemptionem esse certiozem, quàm sit existentia etiam credita, per eundem actum fidei cum redemptione.

565. Sed in primis hæc regula Summulistica non potest intelligi de quolibet prædicato contingenti; nam defecto vera est hæc propositio contingens, & affirmativa: *Antichristus est redemptus: Antichristus est cognitus*: quin tamen Antichristus existat. Unde regula illa tantum intelligitur de prædicato actualis exercitii, vel formæ physice actualiter denominantis, adeoque inhærentis. Dein difficulter possunt hi auctores, rationem dare; quare non etiam hæc propositio: *Socrates existit*: sit de fide; nam juxta ipsos propositio: *Socrates est redemptus*: facit implicite hunc sensum copulativum: *Socrates existit, & est redemptus*: quæ propositio copulativa est de fide: & non tantum una, sed utraque ejus pars: adeoque non est ratio; quare non etiam quolibet pars seorsim sit de fide, & possit credi.

566. Sanè, si existentia Socratis potest credi in complexu cum ejus redemptione, debet esse absolute revelata: adeoque potest etiam credi seorsim, estque etiam seorsim sumpta de fide; sicut quando *Gen. 2. v. 7.* revelatur hæc veritas, seu propositio copulativa: *Formavit igitur Dominus DEUS hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*: non tantum utrumque membrum conjunctim, sed etiam divisim, est de fide: scilicet, & quòd DEUS hominem ex limo formaverit, & quòd vitam inspiraverit. & quando *versu præced. seu 6.* revelatur: *Fons ascendebat à terra, irrigans universam superficiem terræ*: non tantum conjunctim, sed etiam divisim, est vera quolibet pars hujus revelationis, nempe, & fontem ascendisse à terra, & hujus superficiem irrigasse. Jam verò dicere, quòd propositio: *Socrates existit*: sit de fide, est difficultissimum, ut patebit ex objectione sequenti.

567. Respondent itaque alii, & melius. neg. mi. ad prob. iterum neg. mi. Aliud est, quòd existentia non minus verè debeat à parte rei existere; nam veritas objectiva stat in indivisibili: aliud, quòd non minus debeat nobis esse certa; nam certitudo capit magis, & minus. Si non verè existeret Socrates, non posset supponi ejus existentia, nec ad

revelationem, nec ad actum fidei, ut est clarum: attamen potest supponi existentia, etiam si non sit ita firmissimè nobis certa, uti certa est per actum fidei redemptio, modo indubitanter à nobis sciatur, vel cognoscatur.

Dico certa nobis; nam DEO omnia, quæ scit, aut supponit, sunt æqualiter certa, ratione omniscientiæ suæ; unde, licet talia non revelet, quia, ut ad objectionem sequentem dicemus, jam nota supponit, potest ea ad suam revelationem, optimè, & prudentissimè supponere. Nobis autem non omnia, quæ supponuntur ad revelationem, vel ad actum fidei, debent esse æquè certa, ac est actus fidei, vel objectum per fidem creditum: & sic præsupponitur ad actum fidei applicatio revelationis per motiva credibilitatis, quæ antecederent non sunt tam certa, ac ipsa revelatio, & actus fidei; hic enim est firmior, ut patet ex propositione 19. ab Innocentio XI. damnata: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum, ad assensum impellentium*: adeoque etiam potest supponi notitia, licet non ita certa de existentia Socratis, ad actum fidei de ejus redemptione.

568. Accedit, quòd, quando revelatur Socrates redemptus, absolute immediate reveletur tantum redemptio existens, & non Socrates: sicut, quando revelatur redemptus Antichristus, revelatur tantum absolute existens ejus redemptio, & non ipse; ut enim jam dictum n. 565. in his propositionibus non necessariò affirmatur existentia subiecti. Jam verò redemptio Socratis, & ejus existentia, non sunt idem, sed ad summum sunt metaphysicè connexa (quòd prout nunc omititur) ut autem diximus, reverto aliquo objecto, non revelatur necessariò omnia metaphysicè connexa cum illo; hinc etiam in nostro casu non necessariò revelatur existentia Socratis, sed hæc tantum supponitur antecederent nota: adeoque hæc veritas: *Socrates existit*: nec est de fide, nec creditur. Hactenus dicta majorem lucem accipient ex solutione objectionis sequentis.

569. Ob. 3. contr. 3. conclus. Si conclusio objectiva, deducta ex majore revelata, & minore naturaliter evidens, est de fide, tunc omnis veritas naturaliter evidens, e. g. etiam ista: *Nunc existit dies*: est de fide: hoc non potest admitti: ergo. prob. ma. fiat hic syllogismus: *Omne, quod nunc est existens, scitur à DEO esse nunc existens: sed nunc dies est existens: ergo à DEO scitur dies nunc esse existens*: in hoc syllogismo major universalis est de fide: minor est naturaliter evidens: ergo juxta nostram asserptionem conclusio objectiva est de fide.

Jam fiat alter syllogismus: *Omne, quod à DEO scitur, esse nunc existens, nunc existit: sed à DEO scitur, dies esse nunc existens: ergo nunc dies existit*: in hoc syllogismo utraque præmissa est de fide: ergo etiam conclusio objectiva, seu veritas naturalis

naturaliter evidens primò posita. Et quod probatum est de ista veritate, potest eodem modo probari, de quavis alia veritate naturaliter evidente, scilicet, eam sciri à DEO, & omne scitum à DEO ità se habere, prout scitur ab ipso.

570. Hæc objectio satis molesta est: retorqueri tamen aliquatenus potest in adversarios. Hac ratione quævis veritas naturaliter evidens, saltem erit objectum conclusionis Theologicæ; non enim potest simpliciter negari, conclusionem, deductam ex una præmissa de fide, & altera naturaliter evidente, esse conclusionem Theologicam, cujus oppositum est erroneum: quod etiam non potest dici de qualibet veritate naturaliter evidente: quis enim dicat, eum, qui negaret, nunc esse diem, admittere errorem circa fidem? Quæcunque autem solutio hujus retorsonis, vel difficultatis circa conclusionem Theologicam, ab adversariis data fuerit, serviet etiam nobis, circa actum fidei, vel objectum de fide. In forma. neg. ma. ad prob. conc. conclusionem primi syllogismi esse de fide; nam etiam hanc diem nunc existentem sciri à DEO, est satis revelatum, nempe implicite in majore universali: nego autem, conclusionem secundi syllogismi esse de fide.

571. Dices 1. Secunda conclusio est deducta ex duabus propositionibus, seu præmissis revelatis: ergo etiam est revelata, adeoque, juxta dicta in superioribus conclusionibus, est de fide. Resp. me. priusquam probarem illas conclusiones, jam dixisse, videri faciendam aliquando exceptionem: & certe propter hanc ipsam rationem, ne scilicet omnes veritates naturaliter evidentes debeant dici, esse de fide (quod esset valde paradoxum, & à nemine admissum) debet aliqua exceptio fieri.

Itaque excipimus, & dicimus, conclusiones, seu veritates deductas ex duabus præmissis de fide, vel majore universali de fide, & minore particulari naturaliter evidente, non fore de fide tunc, quando eæ conclusiones, seu veritates, jam præsupponi debent esse notæ ante ipsam assensum præmissarum, vel saltem unius ex præmissis, ità, ut non possit assensus præstari præmissis, nisi jam prius præstitus fuerit conclusioni, vel certe hujus veritas jam fuerit prius nota; tunc enim non debet censerì revelatio præmissarum etiam esse revelatio conclusionis.

572. Cujus rei ulterior ratio etiam est ista. Sicut homo aliquod objectum, quod explicite non dicit, non censetur dicere implicite (quamvis illud ex aliis dictis inferri possit) si illius notitia jam necessariò præsupponitur, ad veritatem aliorum explicite dictorum: ità quoque DEUS illud objectum, quod explicite non revelat, neque revelat implicite, cujus notitia jam necessariò præsupponitur, ad veritatem explicite revelatorum.

Et ratio ulterior pro utroque dicto, tam DEI, quam hominis est; quia talis dictio, vel

revelatio objecti hujus jam prius noti, nisi habeatur alius finis, quam præcisè notitia objecti, videtur superflua: certè non necessaria: adeoque meritò negatur; quamvis non efficaciter probatur. Alii dicunt, talem revelationem involvere circulum viciosum; nam ideo esset de fide, nunc diem existere; quia DEUS scit: & ideo DEUS sciret; quia dies existit: sed sufficit mihi ratio prior. Quòd autem veritas conclusionis jam essentialiter præsupponatur nota ad assensum præmissarum, seu saltem ad assensum minoris, est clarum; ideo enim DEUS scit, diem existere, quia existit: certè nos non scimus, id DEUM scire, nisi quia scimus, diem existere.

573. Ex his ulterius infero, quòd, si veritas conclusionis jam ità præsupponatur nota ad assensum præmissarum, talis conclusio objectiva neque videatur esse conclusio Theologica strictè dicta, cujus scilicet oppositum ut error circa fidem; nam non videtur esse talis error, præcisè negare, hunc diem existere. Dixi, conclusio objectiva; nam conclusio formalis, deducta ex talibus præmissis formalibus, præsertim, si se referat in præmissas objectivas, non potest negari, saltem quoad objectum formale, sine errore circa fidem; quia negarentur præmissæ. Similiter solvenda est objectio, qua dicitur, cuique revelatam esse suam existentiam, eamque esse de fide; eoquòd cuique revelata, adeoque de fide sit, propria ipsius redemptio à Christo facta, quæ supponit existentiam; nam eodem modo responderetur, ad revelationem de redemptione jam supponi notitiam de existentia; ideo enim scitur, aliquis esse actualiter à Christo redemptus; quia scitur existens pro aliqua temporis differentia.

574. Dices 2. Si dicta hucusque subsunt, non potest credi Divina autoritas per modum conclusionis objectivæ: hoc est falsum: ergo. prob. ma. ad omnem actum fidei auctoritas Divina præsupponitur, ut aliunde nota: ergo juxta nos non potest credi. Resp. neg. ma. ad prob. neg. ant. non enim supponitur nota auctoritas DEI ad omnem actum fidei, sicut supponitur existentia dei ad hunc actum, seu præmissam: DEUS scit, hunc diem existere; nam jam per aliquem antecedentem actum prius debet esse nota existentia dei; alias non possum affirmare, DEUM scire eam existentiam dei. At non antecedenter ad præmissas debet jam affirmari auctoritas DEI: nec, ut habeam præmissas, ex quibus inferam auctoritatem DEI, debeo jam necessariò præviè affirmare auctoritatem Divinam: sed hanc affirmo, nempe in identitate in tertio per ipsas præmissas.

575. Dein non nego, quòd DEUS potest sit aliquando, talem veritatem naturaliter evidentem revelare, (quia multæ veritates naturaliter evidentes in Sacris Scripturis revelatæ sunt, e. g. quòd homines moriantur: quòd sol luceat: quòd dies, & nox, & anni tempora, sibi succedant &c.) præsertim non nego,

go, quòd DEUS id possit, si habeat alium finem, quam præcisè notitiam objecti: vel, si sint tales circumstantiæ, in quibus talis veritas non necessariò supponatur antecedenter nota ad assensum præmissarum: vel, si obfirmatè id contendas, omittam etiam, quòd DEUS absolute possit, revelare veritatem taliter præsuppositam.

Nego autem, DEUM quascunque veritates ità præsuppositas (de quibus n. 571.) implicite revelasse, aut eas nunc esse de fide: quamvis, si DEUS eas revelare vellet, posset esse de fide. At verò auctoritatem suam, sive infallibilitatem in cognoscendo, & dicendo, DEUS in S. Scriptura sæpe revelavit, etiam in circumstantiis, in quibus prævia notitia ejusdem auctoritatis non fuit ità necessaria ad assensum præmissarum: adeoque est lata disparitas.

576. Dices 3. Si conclusio: *Dies existit*: deducta ex supra memoratis præmissis de fide, non est de fide, ruunt probationes quartæ & quintæ conclusionis nostræ: hoc admitti non potest: ergo. prob. ma. in hoc stant illæ probationes, quòd DEUS, revelans propositionem universalem, clarè cognoscat particulares in ea contentas, & has revelet: vel quòd subjectum conclusionis, sit idem cum subjecto propositionis majoris, aut alterius de fide: vel saltem in eo subjecto includatur; adeoque, quidquid revelatur de uno, reveletur etiam de altero, juxta principium Logicum *Dictum de omni*: sed hæc omnia ruunt, ut patet consideranti: ergo.

Resp. neg. ma. ad probationem disting. majorem. in hoc stant illæ probationes, quòd DEUS revelans propositionem universalem, particulares in ea contentas cognoscat, & revelet: & quòd omne dictum de subjecto præmissæ, e. g. majoris, dicatur etiam de subjecto conclusionis; quando adest ratio dicendi, quòd DEUS propositiones particulares velit revelare, & quòd, quidquid revelat de uno subjecto, velit etiam revelare de altero. conc. ma. quando non adest talis ratio, sed potius ratio dicendi, quòd non velit revelare. neg. ma. & dist. sic. mi. neg. conf.

577. Revelatio externa, de qua hic loquimur, cum sit ens creatum, potest esse perfectior, vel minus perfecta pro libitu DEI; unde potest hic, per eam revelare plura, vel pauciora, clarius, vel obscurius, confusè, vel distinctè: adeoque potest intendere, vel manifestationem etiam veritatum particularium, vel tantum manifestationem alicujus veritatis universalis in confuso: quid autem ex his duobus velit, sæpe debet aliunde colligi. In casibus quartæ, & quintæ conclusionis, videtur DEUS saltem ut plurimum (sic enim limitantur eæ conclusiones) velle manifestare veritates particulares, adeoque has loqui. Et hujus ratio est; quia alias deberet admitti contra communem, quòd Ecclesia conderet novas revelationes: item, quòd non esset cuique de se in particulari credibile fide Divina, se esse redemptum à Christo: quòd in peccato moriens, sit damnandus, aut, quòd in gratia moriens, sit salvandus &c. quæ ibi deduximus. At; quòd in casu objectionis

DEUS velit tantum, manifestare aliquam veritatem universalem, neque intendat revelare veritates particulares, ratio fuminat partim ex eo, quòd istud non probetur, partim ex hoc ipso absurdo, quòd omnes veritates evidentes deberent esse de fide.

578. Jam quòd spectat ad principium: *Dictum de omni*: verissimum id est, in hoc sensu, quòd prædicatum, dictum de termino universali, conveniat etiam particulari sub illo contento, & de hoc per legitimam consequentiam possit inferri: sicut in casu objectionis legitime inferitur: *Nunc dies existit*. At illud principium non est accipiendum in hoc sensu, quòd, si quis loquatur universale, loquatur etiam particularia contenta; nam, cum locutio pendeat ab intentione loquentis, potest quis velle, manifestare veritatem universalem in confuso, quin velit manifestare omnes veritates sub ea contentas, adeoque quin velit eas loqui: imò potest velle, ut audiens non veniat in notitiam veritarum particularium. vide dicta n. 538. Si autem DEUS non loquatur hanc propositionem: *Nunc dies existit*: et si ea inferatur ex aliqua revelatione, non est in se revelata, adeoque non est de fide.

579. Dices. Si Ecclesia definierit, hunc diem existere, tunc DEUS hanc veritatem particularem revelasset. Resp. in primis non ferui, quòd DEUS eam revelasset in ea universali: *Omne, quòd DEUS scit existere, existit*; potuisset enim eam aliter, etiam immediate revelare. Si autem Ecclesia definierit, quòd in ea universali DEUS hanc particularem revelasset, facienda esset exceptio, & dicendum, quòd DEUS, non quidem omnia particularia, quæ scit existere, revelaverit, sed tantum existentiam hujus diei. At non puto esse periculum, quòd Ecclesia sit istud definitura.

580. Ob. 4. Posset contingere, ut, quando major universalis est revelata, minor naturalis, sit moraliter quidem certa, attamen re ipsa falsa: quo casu conclusio etiam erit falsa: ergo non poterit esse actus fidei, neque ejus objectum de fide. Resp. 1. nos in assertione posuisse minorem evidentem, adeoque veram. Resp. 2. om. totum. Assertio nostra solum vult, quòd conclusio objectiva sit de fide, in casu minoris tantum moraliter certa, & simul vera; nam, si vera non est, urique conclusio objectiva de fide non est, verbo. Dicendum est, in casu certitudinis moralis, non qualiscunque, sed positiva, & ex valde gravibus rationibus hausta, prudenter judicari, veritatem conclusionis contineri in veritate majoris revelationis, adeoque etiam esse revelatam; hinc prudenter posse quemvis conari ad eliciendum actum fidei: & hunc, supposito, quòd minor vera sit, Divino cum auxilio eliciendum: Si autem (ut absolute fieri potest) minor, & consequenter etiam conclusio, esset falsa, DEUS ad falsum actum supernaturali auxilio non concurreret; itaque conatus ille carebit effectu, seu actu fidei: non tamen carebit

suo merito: elicitur quidem actus, seu assensus: sed naturalis tantum, & falsus.

ARTICULUS III.

An Fides Divina sit discursiva.

581. **D**ico 1. Actus Divinæ fidei non est necessarii discursivus. ita communissimè omnes. Prob. conclusio negativè; quia probari nullatenus potest, actum fidei necessariò debere esse discursivum; potest enim aliquis immediatè, per simplicem adhesionem ad verbum DEI, absque ulla illatione unius ex alio, credere aliquod mysterium: imò ordinariè ita fideles credunt. Ubi nota ex Logica, discursum, propriè dictum, esse orationem, in qua unum ex altero infertur; unde debet unum esse medium, seu ratio, ex qua aliquid aliud infertur. *Discursus formalis* stat in tribus, vel saltem duabus propositionibus, realiter distinctis, scilicet *maiore, minore, & consequentia*, vel saltem *antecedente & consequente*. Dico *saltem*; quia aliqui dubitant, an detur enthymema in mente: major, & minor, vel antecedens, debent, pro priori naturæ antecedere consequentiam, & illuminare intellectum, ut agnoscat connexionem objectivam in tertio, & ex hac inferat identitatem inter se in conclusione.

582. *Discursus virtualis* non est tantum propositio quælibet causalis (nam etiam DEUS potest formare propositiones causales, non tamen discursum virtuale, strictè dictum, nisi fiat quæstio de nomine) sed est propositio unica, habens tendentiam, æquivalentem antecedenti, & consequenti, ita, ut una pars, formaliter distincta ab altera, representet identitatem in tertio, & quasi illustret intellectum, ad concipiendam, & inferendam alteram, seu identitatem inter se: simili ferè modo, quo in *tr. de DEO n. 555.* diximus, quòd cognitio DEI aliquo modo eminentialiter illuminet ad volitionem cognitioni identificatam.

Dico *simili ferè modo*; nam in discursu virtuali dantur imperfectiones, quæ non dantur in cognitione, vel volitione Divina: & præsertim datur ista, quòd discursus virtualis præsupponat duas apprehensiones, realiter distinctas, unam objecti formalis, alteram objecti materialis, quarum prior illuminet ad concipiendam secundam. Unde, si in hoc sensu stricto sumatur discursus virtualis, non video, cur actus fidei semper videatur esse discursus virtualis; nam sufficit actu fidei, si sit propositio causalis: nec videntur credentes, semper identitatem in tertio, pro priori rationis cognoscere, sed simul testimonium DEI, & ipsum mysterium, tanquam causam, & effectum, ut fit in aliis propositionibus tantum causalibus.

583. Dico 2. Potest tamen absolutè actus fidei esse discursivus, formaliter, & virtualiter. ita Vázquez, Lugo, Hurtado, Medina, Becanus, Arriaga, Ripalda, Maffrius, Hauuoldus, Plaelius, & alii, maxime Re-

centiores. Probatur. Non est ulla implicitantia in hoc, quòd aliquis antecederet priori naturæ, per præmissas duas, vel unam, cognoscat revelationem DEI, de aliquo mysterio factam, & ab hac cognitione illustretur, ad inferendum in consequentia actum fidei de illo mysterio: e. g. hæc propositio: *Omne, quod DEUS dixit, est verissimum*: non tantum est veritas naturaliter cognoscibilis, & cognita: sed etiam est revelata, seu revelatio in Scripturis frequens: potest ergo ex ea, & ex altera revelata, fieri syllogismus: e. g. *Omne, quod DEUS dixit, est verissimum: sed DEUS dixit, Verbum esse incarnatum: ergo Verbum est incarnatum*: vel potest fieri tantum enthymema: *DEUS dixit, Verbum esse incarnatum: ergo Verbum est incarnatum*: in quo discursus conclusio potest esse actus fidei; nihil enim obest.

Noto tamen, ad hoc, ut non tantum præmissæ sint actus fidei, sed etiam conclusio, necesse esse, ut conclusio se reflectat in præmissas objectivas, & sic intrinsecè actuat objectum formale; quanquam enim probabilis sententia quorundam philosophorum sit, conclusionem non semper se debere in præmissas objectivas reflectere, potest tamen id sæpe, imò fors sæpissimè fieri; neque enim defendere volo ullo modo, quòd præmissæ, una cum conclusione, non attingente intrinsecè testimonium DEI, simul sumptæ, constituant integrum actum fidei, constitutum ex pluribus partibus realiter distinctis.

584. Ob. 1. Juxta SS. Patres, fides non est inquisitiva: ergo nec discursiva. Confir. 1. Fides Angelorum est ejusdem speciei cum nostra: sed illa non est discursiva: ergo nec nostra. Confir. 2. Habitus fidei non potest influere in præmissas: ergo præmissæ non possent esse actus fidei: atqui deberent etiam esse actus fidei: ergo. prob. ant. non est idem habitus principiorum, & conclusorum: ergo, si habitus fidei influeret in conclusionem, quæ esset actus fidei, non posset influere in præmissas, quæ sunt principia ejusdem actus. prob. etiam mi. subsumpta. præmissæ deberent esse certiores conclusionem: atqui in via non datur actus certior actu fidei; ergo præmissæ deberent esse actus fidei; alias non essent æquæ certæ, multò minus certiores, quam conclusio.

Resp. dist. ant. fides non est inquisitiva hoc est, curiosè investigans, & examinans mysteria. conc. ant. non est inferens unum ex alio. neg. ant. & conf. De hac subtilitate scholastica SS. Patres non erant solliciti. Ad 1. confirm. dist. ma. Fides Angelorum est ejusdem speciei cum nostra in consideratione Theologica. conc. ma. in consideratione physica. neg. ma. & om. mi. neg. conf. Sicut est ejusdem speciei Theologicæ actus fidei, sive credatur verbo DEI scripto, sive tradito, sive hac, sive alia ratione applicato; quia datur idem motivum, seu testimonium DEI, ita etiam, sive fides discurrat, sive non, est ejusdem speciei Theologicæ; quia etiam manet idem motivum, ut inferius dicemus pluribus.

585. Ad

585. Ad 2. confirm. neg. ant. ad prob. dist. ant. non est idem habitus principiorum, & conclusorum, si loquamur de habitibus naturalibus. conc. vel om. ant. si loquamur de habitibus supernaturalibus. neg. ant. & conf. vide dicta *n. 167.* Dein etiam probatio minoris subsumptæ est falsa; nam saltem in supernaturali discursu sufficit, præmissas esse æquæ certas, nec debent esse certiores conclusionem; nec certitudine formali (cum non minus tales conclusionem, quam præmissæ proveniant à lumine supernaturali, & nitantur testimonio Divino) nec certitudine adhesionis; cum intellectus utriusque æqualiter adhæreat.

Imò etiam in naturalibus non video, quare necessariò debeant præmissæ esse certiores conclusionem; nam, cum possit sæpe idem, quod nunc est antecedens, in alio discursu esse consequens, & vicissim (e. g. possum nunc dicere: *Dies est: ergo sol adest*: & postea: *Sol adest: ergo dies est*) non video, cur debeat antecedens esse certius consequente. Si autem per firmius alicui adherere nihil aliud intelligatur, quam adherere illi, tanquam affirmationi motivi, propter quod etiam adhæretur alteri, potest quoque in hoc sensu dici, quòd in actu fidei discursivo adhæreatur firmius præmissis, quam conclusioni.

586. Ob. 2. Si fides est discursiva, non nititur solo testimonio Divino, sed etiam illa veritate naturali: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: sed hæc veritate niti non potest: ergo. prob. mi. si aliqua fides, seu actus fidei, niteretur ista veritate, tunc differret specie Theologica ab aliis actibus fidei, non nixis illa veritate: & infuper non esset magis certus, quam illa veritas naturalis (conclusio enim sequitur debiliorem partem) neutrum potest admitti: ergo. Resp. neg. ma. non enim actus fidei deberet esse discursus ad regulas Logicas factus, aut attendere, ad illud principium, vel niti illo: sed deberet præcisè attendere ad connexionem objectivam testimonii Divini, & mysterii per id revelati: sicut Logici dicunt, quòd quis absque Logica artificiali in rebus obviis possit discurrere. Illa autem connexio objectiva realiter aliud non est, quam ipsum testimonium DEI, secum afferens certitudinem de veritate mysterii, à se dicti. Quare realiter non habet ullum aliud, nec inadæquatam motivum, actus fidei discursivus, quam habeat actus fidei non discursivus.

587. Nec dicas, connexionem illam, seu, quòd idem est, bonitatem consequentiæ objectivæ, ostendi per lumen naturale, adeòque discursum niti illo lumine naturali. Resp. enina, etiam ipsum testimonium posse cognosci cognitione naturali, sed hoc non sufficere; unde, sicut in ordine ad fidem testimonium DEI potest, & debet proponi per illustrationem supernam, ita etiam potest, & debet illa connexio, vel bonitas consequentiæ objectivæ, per talem illustrationem proponi. Dicere autem, quòd sit impossibilis representatio supernaturalis connexionis

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

objectivæ, & consequenter, quòd sit impossibilis omnis discursus supernaturalis, planè est nimium, & gratis dicere: cur enim non possit esse discursivus actus prudentiæ supernæ, vel actus sapientiæ, aut scientiæ supernæ? quales habitus dari, habetur ex Sacra Scriptura *Isai. 11. v. 2.* ubi dicitur de Christo: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis.* Et de hoc spiritu scientiæ, sive de hac scientia Christo infusa, loquitur S. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. & postea art. 3. in corp. expressè ait, eam scientiam in Christo fuisse discursivam.

588. Ob. 3. Juxta nos non possit dari discrimen, inter actum fidei, & conclusionem Theologicam: atqui debet inter ista duo dari discrimen: ergo. Resp. neg. ma. Multipliciter differunt inter se ista duo. Primò. Conclusio Theologica potest inferri ex una propositione revelata, & altera naturaliter evidente: e. g. in hoc syllogismo: *Omnis volucris habet stomachum: sed corvus in arca Noè est volucris: ergo habet stomachum*: non ita potest inferri actus fidei; nam actus ex talibus præmissis illatus, non est actus fidei: etiam si, (ut supra *num. 549. & seq.* diximus, posse contingere) objectum, seu conclusio objectiva, esset de fide; nam etiam objectum de fide, sive fide Divina credibile, potest utique attingi per alium actum.

Secundò. Etsi utraque præmissa fuerit à DEO revelata, tamen conclusio Theologica ut talis, non nititur sola DEI autoritate, & revelatione: sed potius pro motivo habet ipsas veritates revelatas, seu objecta materialia jam credita, & per priores actus fidei jam affirmata, ex quibus hæc, & nunc, conclusionem inferit: testimonium autem DEI tantum habet pro objecto mediato, ac remoto: saltem non exigit, id habere pro objecto proximo. e. g. in hoc syllogismo: *Omnis impius est DEO invisus: sed Judas est impius: ergo est DEO invisus*: motivum conclusionis non est testimonium DEI, has veritates revelantis: sed sunt ipsæ veritates jam prius creditæ. At verò actus fidei debet niti immediatè sola autoritate DEI revelantis.

589. Unde non potest actus fidei inferri ex aliis præmissis, quam ex iis, quæ formaliter affirmant testimonium DEI, e. g. actus fidei discursivus sic tendit: *Omne, quod DEUS revelavit, est verum: sed DEUS revelavit incarnationem: ergo est verum*; si enim alia veritas, licet revelata, ponatur in præmissis, e. g. *Omnis homo est redemptus à Christo: sed S. Joannes est homo: ergo est redemptus à Christo*: talis conclusio formalis non esset actus fidei; quia, licet conclusio objectiva, seu objectum conclusionis formalis, sit de fide, seu objectum fidei, per alium actum credibile, tamen assensus, hac ratione ei præstitus, non est actus fidei; quia non nititur immediatè revelatione Divina: sed est tantum actus conclusionis Theologicæ.

Y

Nec

Nec dicas, talem actum saltem mediâtè niti testimonio DEI; hoc enim non sufficit; nam actus virtutum non specificantur ab objectis formalibus mediatis, sed ab immediatis, ut patet in actu imperato; hinc, cum conclusio Theologica non debeat immediâtè niti testimonio DEI, est factis discriminata ab actu fidei.

Tertiò. Conclusio Theologica non debet niti solo testimonio Divino, sed potest etiam niti principio illo: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: vel illo: *Dictum de omni: dictum de nullo*: item potest niti evidentia naturali alterius præmissæ, quæ tamen, ut dictum est supra n. 551. non est motivum actûs fidei, sed tantum applicatio motivî. Quòd autem in sensu latiori aliquando etiam actus aliquis fidei possit dici conclusio Theologica, nihil est absurdum; quia tantum intelligitur, actus fidei discursivum esse conclusionem, seu discursum de DEO, vel rebus Divinis, vel à DEO revelatis, elicitem.

590. Dices. Ergo non erit actus fidei ille, quem adduximus n. 583. *Omnne, quod DEUS dixit, est verissimum, sed dixit, Verbum esse incarnatum: ergo est verissimum, Verbum esse incarnatum*; nam major etiam est principium naturaliter notum, & non est revelatio, sed tantum veritas revelata. Resp. dist. illatum. non erit actus fidei, si illa major tantum affirmetur, ut veritas naturaliter cognita. conc. illatum. si affirmetur ut revelatio. neg. illatum. Illa veritas utique naturaliter etiam potest cognosci; cum lumine naturæ sit evidens: at sic non sufficit ad actum fidei; hinc dixi n. 583. quòd illa veritas sit non tantum naturaliter cognoscibilis, sed etiam sit revelatio in Scripturis sat frequens.

Rursus illa veritas potest etiam accipi, ut actus fidei prius elicited: & nec sic sufficit ad inferendum actum fidei, qui non debet niti prævio actu fidei; nam & hic est aliquid purè creatum. Tandem potest considerari illa veritas ut revelatio; quia revera sæpe continetur in Scripturis: & sic in majori potest quis assentiri ipsi propter se ipsam, & in conclusione alteri etiam propter ipsam: & hoc requirimus, ut conclusio sit actus fidei. Quòd si dicas, istud rarò contingere, adeoque rarò contingere, ut actus fidei sit discursivus: non est contra nos, qui tantum dicimus, eum esse possibilem.

591. Ob. 4. In discursu præmissæ formales debent esse causa conclusionis: atqui actus fidei præcedentes, qui deberent esse præmissæ, non possunt esse causa alterius actûs fidei subsequæntis: ergo hic non potest esse conclusio. Resp. dist. ma. præmissæ formales debent esse causa dispositiva, vel fortè aliquo modo physica conclusionis. om. ma. causa objectiva, seu objectum formale illius. neg. ma. & sic dist. mi. neg. conf. Præmissæ formales nec in discursu naturali sunt causa objectiva; nam longè communius negatur à Logicis, conclusionem se reflectere in præmissas formales; unde nec

actus fidei, qui esset conclusio, deberet se reflectere in alios præcedentes actus fidei, tanquam in objectum, eòsque habere pro motivo, etiam tantum inadæquato: sed haberet pro objecto adæquato solam revelationem Divinam.

An autem præmissæ formales essent causa aliqua physica conclusionis, adeoque præcedentes actus fidei causa sequentis, parum refert; nec enim propterea in sensu Theologico differret specie actus fidei, qui essent præmissæ, & actus fidei, qui essent conclusiones: sicut non differret actus ab habitu elicited ab aliis actibus, productis per concursum omnipotentia extrinsecus applicata in defectu habitûs. Quando autem S. Thomas q. 14. de veritate, quæ est de fide. a. 1. in corp. ait, differre fidem, & conclusionem scientificam in eo; quòd inscientia intellectus rapiatur ad assensum, ex collatione, & cogitatione principiorum: contra in fide intellectus debeat determinari à voluntate: non est nobis contrarius; nam & nos dicimus, intellectum necessari in evidentibus, non autem in fide obscura.

592. Ob. 5. Actus fidei debet esse liber: atqui conclusio, concessis præmissis, non est libera: ergo actus fidei non potest esse conclusio. Resp. dist. ma. Actus fidei debet esse liber libertate mediata. conc. ma. liber libertate immediata. subdist. quoad speciem. neg. ma. quoad exercitium. om. ma. & dist. mi. conclusio non est libera libertate immediata. om. mi. mediata; saltem in præmissis. neg. mi. & conf. Dixi cum multis in Logica, intellectum, concessis præmissis probabilibus, non esse necessitatum ad conclusionem, saltem quoad exercitium: licet sit necessitatus quoad speciem: quod si verum est, etiam non erit intellectus necessitatus ad conclusionem fidei; cum præmissæ tunc quoque sint obscuræ. Si neges eam sententiam, dic, actum fidei saltem liberum esse mediâtè, eatenus, quatenus potest intellectus assentiri præmissis; vel non, & consequenter etiam conclusioni: quæ libertas sufficit ad meritum, ut dixi tract. de actibus humanis à n. 151.

593. Ob. 6. Quando intellectui proponitur evidenter credibile testimonium DEI, & objectum testificatum, tunc voluntas est expedita, ut statim imperet unum indivisibilem assensum utrique: ergo non imperat discursum formalem per plures actus; ad quid enim hæc multiplicatio entium? Resp. Etsi hoc sæpius fiat, non est necesse, ut semper fiat; sicut etiam in naturalibus sæpe proponitur objectum materiale, & formale, ita, ut utrumque per unum indivisibilem propositionem causalem affirmetur: at id non fit semper; aliàs nec daretur naturalis discursus. Potest ergo pro priori proponi tantum revelatio Divina, ut intellectus de ea dubitare prudenter non possit, sed eam omnino possit affirmare: quin tamen pro eo signo naturæ jam proponatur autoritas DEI, & consequenter connexio cum mysterio revelato: quo casu primum pro signo posteriori poterit

poterit assensum mysterii tanquam conclusionem inferre: imò homines rudes, etiam apprehensa autoritate Divina, fortè tamen in eodem signo noxam agnoscunt connexionem cum mysterio: adeoque primum pro posteriori per actum distinctum huic assentiuntur.

594. Ob. 7. Juxta nos, qui concessis præmissis in syllogismo negaret consequentiam, esset hæreticus: sed hoc non videtur dicendum: ergo. Confir. Qui in prima sua conversione primò affirmaret autoritatem DEI per præmissas, & casu impediretur ab actu conclusionis, jam vi præmissarum subijceret intellectum Divinæ auctoritati: ergo juxta nos acquireret habitum fidei: consequens est falsum; quia habitus fidei non infunditur adultis, antequam actus proprius illius sit elicited: ergo. Resp. Hæc objectio, non tam impugnat hanc assertionem, quàm superius positam, quòd scilicet conclusio objectiva sit de fide: sed quidquid de hoc sit, retorqueo argumentum, in conclusionem Theologica, qua inferitur, e. g. Christum esse DEUM; nam qui in hac negaret consequentiam, eodem modo esset hæreticus. in forma. dist. ma. si negaret tantum consequentiam formalem, seu bonitatem syllogismi artificialem, esset hæreticus. neg. ma. si negaret consequentiam objectivam. conc. ma. & dist. sic mi. neg. consequ.

Ad confir. Vel talis primò conversus affirmaret autoritatem DEI per actus fidei, vel tantum per alias præmissas. Si secundum: neque posset inferri ex istis actus fidei, nec talis acquireret habitum fidei; quia hic non infunditur ante actum proprium fidei: nec etiam sufficit qualibet subjecto intellectus ad fidem; aliàs, si post piam affectionem impediretur actus fidei, deberet tamen habitus infundi. Si primum: rursus est quæstio inter doctores, an habitus fidei infundatur ante gratiam, vel non: si non infunditur, res iterum est clara: si infunditur, & quidem post quemvis actum fidei, etiam tali infunditur: si autem exigitur certus actus, e. g. de DEO ut existente, remuneratore, vel punitore, non infunditur. Ex his dist. 1. conf. & mi. subf. ac neg. ult. conf.

QUESTIO II.

De Objectis Materialibus Fidei in Specie.

ARTICULUS I.

Quæ sint credenda necessitate mediæ, vel præcepti.

595. Dico 1. Ad salutem necessarius est adultis necessitate mediæ aliquis actus fidei formalis, seu nixus immediâtè, & intrinsecè autoritate DEI loquentis. ita omnes, adeò, ut Suarez de fide disp. 12. sec. 2. n. 5. dicat, hoc non posse abique errore in fide negari. Loquor autem in conclusione de

actu fidei; nam de habitu aliunde certum est, eum in hac providentia esse necessarium necessitate mediæ, adeò, ut sine eo nemo salvetur; nemo enim salvetur sine gratia, cui semper habitus Theologici, & morales infusi, sunt conjuncti. Probatur autem conclusio 1. ex multis Scripturæ textibus, quos vide apud eundem Eximium cit. modo section. n. 6. maximè verò ex illo ad Hebr. 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere DEO*. Tridentinum etiam sess. 6. c. 7. ait de fide: *Sine qua nulli unquam contigit justificatio*. & c. 8. ait: *Fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere DEO*. Idem fusè asserunt SS. Patres, Augustinus, Leo, Fulgentius, alii que apud Suarez loc. modo cit.

Dico 2. Non sufficit fides tantum naturalis, aut latè dicta. Prob. Est damnata propositio 23. ab Innocentio XI. *Fides latè dicta, ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit*: ergo requiritur fides strictè dicta, seu quæ resolvitur in testimonium DEI, & non in testimonium creaturarum, vel simile motivum inferius. Ulterius S. Paulus, postquam ad Hebræos. 10. v. 38. dixit: *Fustus autem meus ex fide vivit*: ut explicet, de quali fideliquatur, statim subjungit c. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium*: adeoque loquitur de fide supernaturali, & strictè dicta, quæ scilicet est fundamentum spei supernaturalis; hujus enim fundamentum est fides præstita revelationi, seu testimonio DEI, nobis æterna bona, & seipsum possidendum promittentis: & fides, quæ tendit in ea, quæ nondum apparent: de qua etiam fide paulò post addit Apostolus, sine ea impossibile esse placere DEO.

Sed & Tridentinum sess. 6. can. 3. de justificatione, sic definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere: aut penitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*: ergo loquitur de fide supernaturali. Dum autem idem Concilium ead. sess. 6. agens de modo præparationis ad justificationem, ait, quòd eatenus homines ad eam disponantur, quatenus sunt credentes, vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, planè indicat fidem, quæ requiritur, non esse qualemcumque latè dictam, sed nixam revelatione Divina.

596. Dico 3. Actus fidei ita necessarius est adultis, ut per se debeat elici reipsa, nec sufficiat elicited in voto. ita cum communissima Suarez cit. disp. 12. de fide sec. 2. n. 12. Dixi per se; nam, si per accidens fieret, ut infans baptizatus abstraheretur inter barbaros, inter quos nihil de religione audiret, & aliquo exiguo tempore vivens post rationis usum, nihil contra legem naturalem graviter peccaret, atque sic moreretur, videntur Suarez, ibidem n. 10. Lugo, & Maurus, censere, talem non ut adultum

num, sed ut quasi infantem probabiliter salvandum. Prob. conclusio hac ipsa communissima auctoritate doctorum, qui textus Scripturæ explicant, de actu fidei reipsa elicit. Insuper doctores advertunt, Christum *Matth. 16. v. 16.* dixisse: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* postea autem de sola fide subjunxisse: *Qui vero non crediderit, condemnabitur:* & ex his Domini verbis inferunt, magis necessariam esse fidem, quam baptismum: cumque hic sit necessarius, saltem in voto, illam necessariam esse reipsa. Idem advertunt, S. Paulum *ad Hebr. 11.* ubi probat, fidei justificatos fuisse Patres antiquos, semper afferre exempla fidei reipsa elicita, & non tantum habitæ in voto.

597. Confr. 1. ex Haunoldo *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 386.* Si sufficeret fides in voto, tunc fides omnium articuloꝝ fidei esset eodem modo necessaria (nam omnium fides est necessaria in voto, estque medium institutum ad salutem, adeoque omnium fides est necessaria necessitate medii in voto) sed hoc esse falsum: ergo fides aliquorum debet esse necessaria necessitate medii reipsa, & non tantum in voto. mi. est clara; nam omnes Theologi faciunt discrimen inter articulos fidei, dicuntque, aliquorum fidem esse magis necessariam, quam aliorum: & vel maxime necessariam esse fidem articuli de DEO remuneratore, cujus fidei necessitatem specialiter commendat S. Paulus *ad Hebr. 11. v. 6.* dum ait: *Crederet enim oportet accedentem ad DEUM; quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.* Nec Theologi tantum volunt dicere, fidem unius articuli esse magis necessariam, quam alterius, necessitate præcepti: sed etiam esse magis necessariam necessitate medii, videri etiam potest Suarez *de fide disp. 12. sec. 2. n. 12.*

598. Dico 4. Fides explicita DEI, non tantum ut existentis, sed etiam ut remuneratoris supernaturalis, est adultis necessaria necessitate medii. ita omnes, maxime post Innocentium XI. damnantem hanc propositionem 22. *Non nisi fides unius DEI necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* Infertur etiam hæc conclusio ex textibus, paulo ante citatis, quibus dicitur, credi debere de DEO, quod sit, & quod remunerator sit: item, fidem esse substantiam rerum sperandarum, scilicet a benignitate DEI remuneratoris. Ubi notat Suarez *disp. 12. de fide sec. 3. n. 8.* omnes auctores intelligere remuneratorem supernaturalem; quia ut talis est fundamentum spei, quæ tendit ad supernaturalia.

599. Ulterius notat idem Eximius *cit. disp. 12. de fide sec. 3. n. 3.* posse per fidem credi in DEUM verum: licet per ignorantiam inculpabilem aliquid falsum de illo per alium actum cogitetur; nam sufficit ex invincibili ignorantia sapere aliquid assignari DEO; quod ei non competit: imò Theologi etiam circa prædicta DEI, maxime contingentia, sibi contrarii sunt: altera igitur eorum

debet falsi aliquid de eo opinari. Verum igitur DEUM credit, qui eum sub tali conceptu credit, ut discernat eum ab omni creatura, & insuper credat, eum esse omnium summè perfectum, primum rerum omnium principium, summè sapiens, omnipotens, omniscium, cui summus cultus, & summa fides debetur. Per remuneratorem autem intelligitur DEUS summè providus; & justus, qui cuique juxta merita sua reddit mercedem: quin etiam veniam, gratiam, atque beatitudinem, dare paratus est. contra etiam ipsum offendentibus, insigere poenas. Adde hic obiter, dici, DEUM cognosci ut *objectum naturale*, quatenus cognoscitur sub prædicatis, quæ naturali lumine possunt cognosci: sub aliis vero prædicatis, quæ ex supernaturali tantum illustratione agnoscuntur, dicitur, cognosci ut *objectum supernaturale.*

600. Dico 5. Fides explicita mysterii SS. Trinitatis, vel Incarnationis Christi, aut Christi redemptoris, reipsa habita, probabiliter non est necessaria necessitate medii, quamvis sit necessaria necessitate medii saltem in voto, sicut baptismum, ut rectè Suarez *de fide disp. 12. sec. 4. n. 18.* Conjungo utrumque mysterium; quia de utroque videtur esse par ratio: nec potest rectè intelligi unum sine altero, ut consideranti facile patet. Conclusionem hanc tenent Suarez *de fide disp. 12. sec. 4. n. 11.* Haunoldus *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 406. & 407.* Illung *tr. 3. disp. unica art. 1. n. 32.* Lugo *de fide disp. 12. sec. 4. n. 91.* (ubi ait, hanc esse inter nostros recentiores communem) & alii multi apud Layman *l. 2. tr. 1. c. 8. n. 5.* qui hanc sententiam saltem æquè probabilem censet.

Prob. conclusio 1. negativè; quia tam gravis necessitas, nec ex Scripturis, nec ex Patribus, nec ex alio medio, potest ostendi; nam loca, aut testimonia Scripturæ, vel Patrum, quæ adducuntur, ad summum probant necessitatem medii in voto. Prob. 2. etiam aequaliter positivè. Ut argumentatur Suarez, non possunt omnes articuli fidei simul tradi: ponatur ergo catechumenus, qui, postquam credidit, DEUM esse, & supernaturalem remuneratorem esse, atque attonitum de peccatis elicit, incidat subito in morbum, & defectum sensuum, ut amentiam: talis planè debet baptizari: ergo debet, saltem posse consequi absque explicita reali fide de in Christum. Pariter, si quis in sylvis nihil de Christo audisset: at legem naturalem servasset: postea autem illuminaretur, ut agnosceret DEUM supernaturalem remuneratorem: cur talis non posset, DEUM supernaturaliter super omnia diligere, & salvari? Certe dicere, DEUM tales casus non permitturum, est gratis id dicere: sicut etiam dicere, DEUM semper talem illuminaturum quoque de Christo, est absque necessitate miracula multiplicare.

601. Dicere autem, DEUM tali homini non daturum auxilium, ad diligendum DEUM super omnia, quoad usque, is prius sit instructus de mysteriis SS. Trinitatis, aut

incarnationis, non esset conveniens bonitati Divinæ; quia restringeretur benignitas DEI in lege nova; in antiqua enim lege, explicita fides de SS. Trinitate, aut de Christo, non fuit necessaria. Accedit, quod talis homo in sylvis, qui non haberet occasionem discendi mysterium SS. Trinitatis, vel Incarnationis, quidquid faceret, justificari non posset: nisi profus miraculosè ei notitia de SS. Trinitate, & incarnatione ingereretur: quod DEUM semper facturum non probatur, eo ipso; quod non probetur ea notitia necessaria. videri potest Suarez *cit. disp. 12. de fide. sec. 4. n. 11.* ubi hanc rationem fusè deducit.

Aliud est, quod DEUS in hac providentia nolit concurrere ad actum charitatis cum eo, qui tantum credit DEUM esse, non autem credit esse remuneratorem. nam hoc probatur, tum ex omnibus illis rationibus, quibus probavimus, hanc fidem explicitam reipsa esse necessariam necessitate medii: tum etiam ex eo, quod istud prædicatum DEI sit longè facilius agnoscibile, & consequenter facienti, quod est in se, non sit absconditum. Confr. à Medina, Sa, & aliis. Inter Christianos videntur reperiri aliqui ita rudes, ut ista mysteria vero conceptu non videantur apprehendere, consequenter explicitè non credere: ergo. Et quid dicendum de mutis, & simul surdis, à navitate, qui difficulter verum conceptum de his mysteriis edoceri possunt? nam per signa a verbis distincta vix, aut ne vix quidem poterit ingenerari verus conceptus mysterii SS. Trinitatis, cui nihil in terris vel à longè est simile: & tamen, si isti homines adulti sint, fidem necessariam necessitate medii habere debent.

602. Dico 6. Necessitate gravis præcepti omnes fideles debent credere explicitè reipsa quoad substantiam, quæ in symbolo Apostolorum continentur. ita communem cum S. Thoma 2. 2. q. 2. ab art. 5. usque ad 8. & Suarezio *de fide disp. 13. sec. 4. n. 5.* Prob. Hanc fidem exigunt Concilia, Agathense, Bracharense, & Cabilonenſe, apud Haunoldum *l. 3. tr. 1. c. 8. contr. 5. n. 409.* & sumitur ex C. *Baptizandos. 58. & C. Non liceat. 59. dist. 4. de Consecrat.* Ratio ulterior est; quia Christianus debet saltem primaria capita suæ religionis explicitè credere: atqui ista continentur in symbolo: ergo. Et videntur sanè ideo Apostoli symbolum consecisse, ut fideles haberent compendium eorum, quæ nôsse deberent.

603. Notandum autem 1. ex Suarez *de fide disp. 12. sec. 3. n. 1.* quod fides explicita sit duplex. Una est perfecta, atque distincta, per quam quis non solum assentitur mysterio, sed etiam scit, illud explicare, & aliquam ejus rationem reddere: quæ fides non requiritur ab omnibus; cum non omnes ejus sint capaces; nec rudes eam communiter habent. Altera est minus perfecta, per quam res in se, & sub propria ratione creditur, cui opponitur fides implicita, vel confusa, quæ scilicet aliquid credit, tanquam in aliis uni-

versali materiali objecto contentum: & hanc fidem explicitam, circa mysteria in symbolo contenta dicimus, quoad substantiam esse necessariam necessitate præcepti.

Notandum 2. dici, ea debere credi quoad substantiam, hoc est, quoad principalia objecta (qualia videtur Haunoldus *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 409.* Disputant tamen adhuc doctores, quamnam propriè dicenda sint spectare ad substantiam, quamnam ad accidentia: sed hoc speculative fusè examinare non videtur valde utile; cum vix aliquid solidi possit statui, & in praxi utique fideles debeant instrui de omnibus; quæ in toto symbolo continentur.

604. Quæ autem debent explicitè credi, debent credi sub aliquo vero conceptu: sufficit tamen, si conceptus iste sit imperfectus; nec enim rudes, vel rustici, debent subtilitates quasunque intelligere. Sic e. g. debent fideles omnes credere, Christum esse DEUM, & hominem, nec esse duos Christos, vel duas personas: non autem debent credere, vel intelligere, quomodo humanitas unita sit hypostaticè Divinæ Personæ: debent credere carnis resurrectionem: non autem intelligere, quomodo ea contingat. Haunoldus *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 410.* censet, esse quoque gravem obligationem, ut quis sciat formare crucem, atque, hanc esse communem doctorum: ipsum autem symbolum memoriâ tenere, quoad ipsa verba, non est saltem graviter præceptum, id, quod Suarez *de fide disp. 13. sec. 5. n. 8.* asserit, tanquam certum: qui etiam *sec. præc. seu 4. n. 12.* asserit, non constare sufficienter de præcepto gravi sciendi memoriter orationem Dominicam: quamquam utique valde turpe, & fors aliquando per accidens, saltem ratione scandali, graviter peccaminosa esse posset hæc negligentia, & ignorantia.

605. Dico 7. Debet quivis fidelis scire, vel nôsse ea sacramenta quoad substantiam, quæ ipse debet suscipere; unde quivis adultus fidelis, qui peccare potest, debet scire fructum, & obligationem, ac dispositionem necessariam, ad dignè recipienda sacramenta, baptismi, poenitentiae, & Eucharistiae; quia debet utique quivis nôsse ea, ad quæ dignè recipienda obligatur. Debet etiam quivis scire præcepta decalogi; nam hæc quivis debet observare. Non quidem requiritur, ut quis memoriter, & ordine verborum, ea recitare sciat: sed tamen requiritur, ut singulorum substantiam ita teneat, ut pro occasione sciat, hoc esse faciendum, vel fugiendum. Pariter etiam debet quivis nôsse præcepta Ecclesiæ, saltem prima quatuor, quæ quemvis concernunt: uno verbo: debet quivis necessitate præcepti nôsse ea omnia, quorum notitia ad vitam Christianè ducendam omnibus in communi necessaria est: cum enim quivis teneatur ad vitam sic agendam, tenetur etiam ad præ-

curanda media, sine quibus vitam debito modo agere non potest: inter quæ præcipue est notitia dicta.

606. Hactenus dicta pro fidelibus in genere, non sufficiunt cuique in specie, ut est per se clarum; nam in specie quilibet debet habere tantam notitiam mysteriorum, & etiam moralium præceptorum, quanta necessaria est ad rite fungendum officio suo, & vitam pro suo statu pie, & iuste, seu vere Christianè ducendam, itémque actiones suas omnes rite peragendas. Unde, e. g. qui vult matrimonio jungi, debet scire hujus sacramenti fructum, finem, & obligationem, ac dispositionem, ad id recipiendum necessariam: & sic de aliis. Item plura debet scire civis, quam rusticus: mercator, quam alius, circa licentiam contractuum: plura item advocatus, & iudex, quam partes litigantes. Maxime autem debent præ aliis docti esse animarum pastores, à quibus ista norma vivendi debent accipere. Hinc gravis peccati rei sunt, qui consilii suæ incitiæ se gravibus negotiis temerè miscant, & acceptant officia, quibus dein ex ignorantia culpabili malè administratis gravia damna in alios emergunt.

607. Dico 8. Non sufficit, mysteria fidei semel credidisse: sed debent per se, ex obligatione ipsius præcepti fidei, actus fidei sæpius elici. ita defecto certa post Alexandrum VII. & Innocentium XI. qui damnaverunt propositiones hac de re varias: & imprimis Innocentius XI. hanc 65. Sufficit illa mysteria semel credidisse. item 16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se. item 17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere. Rursus Alexander VII. hanc 1. Homo nullo unquam vite sua tempore tenetur, elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium: quibus affines sunt alia tres damnata ab Innocentio XI. scilicet 5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis DEI semel tantum in vita eliceret, condemnare non audeamus. & 6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga DEUM. & 7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

608. Sed quares, quoties igitur detur per se, ratione præcepti fidei, obligatio elicendi actum fidei. Resp. breviter, & ex occasione hujus questionis, de actibus omnium trium virtutum Theologicarum; cum de omnibus tribus par ratio esse videatur. Imprimis, ut ex propositione 6. Innocentii XI. inferitur, non potest quis tales actus differre ultra quinquennium, & siquis id faceret, speciali peccato, contra præcepta positiva harum virtutum, graviter peccaret: sed nimis etiam laxum mihi videtur, quod quis usque ad quinquennium possit, eos actus differre; etsi enim oppositum necdum damnatum sit, non ideo est verum, ut Pontifex ipse testatur, dum sub finem Constitutionis ait, se dam-

nando istas, non propterea alias propositiones approbare.

609. Dico itaque 9. Quivis fidelis tenetur per se, & sub gravi peccato, saltem semel intra annum, actum fidei, spei, & charitatis, elicere. ita Gormaz de actu charitatis in tract. de charitate n. 106. & par est ratio de actibus aliarum virtutum Theologicarum: imò major de actu fidei; cum hic magis necessarius sit, ad vitam Christianam, & reliquarum virtutum exercitium, tanquam fundamentum omnis iustitiæ. Prob. conclusio. Actus isti debent elici intra tale tempus, ut non possit dici, eos nimis diu differri, ne scilicet nimis diu obliviscamur DEI, non credendo: vel tantum creaturas desideremus, & amemus, non sperando, nec amando creatorem, quod utique per se graviter indecens est: atqui, si actus isti differantur ultra annum, certè censentur nimis diu differri, ut in simili videtur sentire Ecclesia, quæ ideo confessionem, & Eucharistiæ sumptionem annuam præcipit; quia aliàs videretur nimis diu differri. ergo.

Nec dici potest, hanc obligationem annuam esse nimis gravem; eamque sufficienter non probari; nam sufficienter probatur ex ipsa facta manifesta indecentia ulterioris dilationis: dein gravis non est hæc obligatio: certè erubesceret quivis Christianus, si de se deberet fateri, quod ipsi difficile accidat, semel intra annum elicere actum fidei, spei, aut charitatis: imò etiam videtur, quod erubescere deberet, si diceret, sibi difficile esse, aliquoties per annum talem actum elicere; unde in conclusione dixi saltem semel; nec enim negare velim, fors aliquanto sæpius dari hanc obligationem.

610. Dico 10. Præceptum istarum virtutum etiam per se obligat, in initio, & sine vitæ moralis, seu usus rationis. Intelligenda autem est conclusio de initio, & sine vitæ moraliter sumpto, ut scilicet sub initium vitæ non diu differantur actus virtutum istarum: & circa finem vitæ, moraliter acceptum, seu quando videtur finis iste moraliter adesse, iterum eliciantur. Hæc conclusio ita explicata, à nemine negatur, ut etiam ait Suarez disp. 13. de fide sec. 5. n. 6. quia omnes admittunt, hominem ad istarum virtutum actus elicendos teneri, in initio, & sine vitæ, moraliter sumptis: quin imò sunt auctores, qui hac obligatione non contenti, asserunt, hominem obligari ad elicendos hos actus, statim in primo physico instanti vitæ moralis, seu usus rationis: de qua ratione sequenti.

Probatum autem ista conclusio 1. hæc ipsa communissima autoritate, ex qua sæpius colligi debent præcepta Divina positiva, quæ DEUS liberè potuit ponere, vel non ponere. Probatum 2. ratione. Finis præceptorum, ad virtutes Theologicas spectantium, est, ut DEUM agnoscamus, desideremus, & diligamus, tanquam primum principium, & ultimum finem: ergo convenienter dicitur, quod ista præcepta obligent in principio, & sine vitæ; nam initium vitæ

respondet primo principio, & finis vitæ fini ultimo.

Confirm. Eset valde inordinatum, si quis evidenti credibilitate agnosceret DEUM loquentem, & diutius differret ei asferenti, seu credere: itémque, si agnitum infinitum bonum non appeteret, sed diu tantum creata desideraret: & par est ratio de amore, quem utique debet quilibet bono infinito, & agnito ut tali: nec licet diu sum amorem solis inferioribus impendere, neglecta, vel seposita superna bonitate: ergo est obligatio, in principio vitæ moralis DEO credendi, in eum sperandi, atque eum diligendi. Quod autem spectat ad obligationem in fine vitæ, datur etiam ratio à paritate desumpta à SS. Eucharistia, cujus sumenda præceptum obligat in articulo mortis. Ex quibus collige, eos, qui ad juvenidos moribundos vocantur, inter primas curas habere debere, ut cum iis actus istarum virtutum eliciant.

611. Dico 11. Non est obligatio sub gravi elicendi actus virtutum Theologicarum, fidei, spei, aut charitatis, statim in instanti physice primo, aut physice ultimo vitæ moralis. ita Sanchez in prac. decal. l. 2. c. 35. n. 7. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 11. sec. 2. n. 14. Vasquez, Valentia, Azor, & plures alii. Probatum. Præceptum tam grave, seu sub pœna æterni ignis obligans, tam tenerè ætati impostum, & quidem statim implendum, non videtur consonum suavitati Divinæ providentiæ: ergo non datur: saltem non est asserendum, nisi valde efficaciter probetur, quod non fit. Et par, imò major est ratio de ultimo instanti vitæ; quia tunc homo præ imbecillitate virium corporis, & animæ, sæpe non est amplius physice, & saltem ordinariè non est moraliter potens, tales actus elicere: ergo DEUS non imposuit homini tam grave præceptum. Et putat, quod quoad hanc partem conclusionis, seu ultimum physicum instans vitæ, omnes auctores facile nobiscum conveniant.

Confirm. 1. Omnes ferme pueri laborant invincibili ignorantia istius præcepti; cum prius nondum præditi usu rationis, nec potuerint de eo prudenter dubitare, nec in illud inquirere, nec etiam ab aliis, utpote rationis incapaces, illud discere: atqui non est censendus DEUS tale præceptum posuisse, quod saltem ordinariè nemo, quem obligare deberet, sufficienter scire possit: ergo. Confirm. 2. Ante illam quasi vigiliam rationis, pueri ad nullum præceptum obligantur, nec sunt capaces obligationis: ergo non statim videntur à DEO tam arctè, & severè obligari, præsertim, cum nullus possit discernere primum physicè momentum, vel instans, consequenter neque possit ex certa intentione illud præceptum implere.

612. Dico 12. Sæpius adhuc præceptum fidei (& idem est de præcepto spei, & charitatis) obligat per accidens, hoc est, non ratione sui, sed ratione accidentalium circumstantiæ, e. g. quando tentationes contra fidem insurgunt, & quas quis iudicat sine actu fi-

dei à se vinci non posse. 2. quando fides extrinsece profertenda est, ne scilicet verba sint mendacia. 3. sæpe fides est necessaria ad actus aliarum virtutum præceptos rite elicendos. Addo tamen sub finem, non teneri aliquem ad actum fidei elicendum toties, quoties ei articulus quidam sufficienter proponitur; nam modò tunc non contradicat, vel dubitet, potest abstrahere; aliàs deberet aliquis sæpe, dum studet, actus tales elicere, & à studiis impediri. Verum omnes alias accidentales circumstantias, in quibus detur, vel non detur, obligatio ad actus virtutum Theologicarum elicendos, pluribus spectat ad Theologiam moralem, quam speculativam.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiões.

613. **O**B. 1. contra 1. 2. & 3. conclusionem. Potest elici actus charitatis ante actum fidei

strictè dictum: sed per hunc potest aliquis salvari: ergo actus fidei strictè dictus, non est simpliciter necessarius, necessitate mediæ ad salutem. ma. prob. potest elici pia affectio supernaturalis post solam illustrationem supernaturalem: ergo etiam actus charitatis. Confir. Sufficit ad actus aliarum virtutum actus fidei tantum virtualis, seu fidei objectivæ: ergo etiam ad actum charitatis: ergo non opus est actu fidei formalis. Resp. neg. ma. ad prob. conc. ant. neg. conf. Piam affectionem non potest præcedere actus fidei; unde debet sufficere alia superna illustratio: at verò actum charitatis potest præcedere actus fidei, & insuper ex nostris argumentis constat, DEUM ita ordinasse, ut non elicatur actus charitatis ante fidem. Ad confir. neg. ult. conf. quia non potest elici actus fidei virtualis, nisi prius elicitus sit actus fidei formalis, ut constat ex dictis n. 44. unde hoc saltem evincitur, quod non possit aliquis salutem consequi, nisi eliciatur aliquando actum fidei formalis.

614. Ob. 2. Cornelius centurio Actor. 10. v. 2. dicitur religiosus, ac timens DEUM, antequam crederet: ergo potuit etiam salvari ante fidem. Confir. Propositio damnata citata n. 595. potest explicari de fide tantum naturali: ergo nihil ex ea probatur. Resp. neg. ant. Cornelius habuit utique fidem in DEUM remuneratorem, quanquam necdum habuerit explicitam de Christo, de quo inferius. Certè Araucanum II. can. 25. sic definit: Unde manifestissime credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachari, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides, non fuit de natura, sed Divina largitatis donum. Et utique Concilium loquitur de fide Cor-

nellii ante adventum S. Petri; nam loquitur de ea, quam habuit, dum ad eum Angelus missus est: sicut de fide Zachari, ante Christum hospitio exceptum; loquitur enim de ea fide, qua id meruit. Angelicus autem 2.2. q. 10. art. 4. ad 3. sic scribit. *De Cornelio tamen sciendum est, quod infidelis non erat; alioquin ejus operatio accepta non fuisset DEO, cui sine fide nullus potest placere: habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate.* Ad confir. neg. ant. nam sacre Catholici auctores, qui eam propositionem defenderant; hi autem utique de fide aliqua, seu illustratione supernaturali loquebantur; aliis fuissent Pelagiani, vel Semipelagiani.

615. Ob. 3. contra 4. conclusionem. Potest amari DEUS, quin cognoscatur ut remunerator, modò cognoscatur ut summè amabilis: ergo sine fide, de DEO remuneratore, potest ejus actus charitatis: ergo sine fide potest dari justificatio, & salus. Confir. 1. Amor, tendens in DEUM ut remuneratore, est tantum amor concupiscentiæ: ergo non esset actus charitatis. Confir. 2. Sancti, quando ardentissimè DEUM amant, à pœnis, & præmiis, præcindunt: ergo. Resp. neg. ant. Vel ad amorem amabilem requiritur, ut cognoscatur amicus redamans, adeoque remunerator: vel certè DEUS in hac providentia non vult concurrere ad actum amoris, nisi prævius aliquando fuerit actus fidei de DEO remuneratore, ut jam insinuavimus n. 601. Ad 1. confirm. conc. totum. Amor charitatis non tendit in DEUM remuneratorem ut motivum: sed tantum præsupponit fidem, de illo prius elicitam, tanquam conditionem, saltem ex ordinatione Divina prærequisitam.

Ad 2. confir. dist. ant. Sancti, dum amant DEUM, præcindunt sæpe à præmiis, conc. vel om. ant. præcindunt semper. neg. ant. & conf. Non dicimus, quemlibet actum amoris debere præcedere fidem de DEO remuneratore: sed dicimus primum actum charitatis (si per hunc homo omnium primò justificandus esset) non posse, saltem ex ordinatione Divina, elici sine prævio actu fidei de DEO remuneratore: quod nostræ conclusioni sufficit: quamvis neque ad omnes reliquos actus charitatis, saltem per longum tempus, DEUS velit concurrere sine prius elicito actu fidei de DEO remuneratore; cum homo etiam debeat sæpius elicere actum spei, ad implendum præceptum spei: quod si implere nollit, actum charitatis elicere non possit.

616. Ob. 4. contra 5. conclusionem. Sæpius Scripturæ inculcant necessitatem fidei in Christum: ergo hæc est necessaria necessitate mediæ. ant. prob. adducendo textus. sic ad Rom. 3. v. 22. *Justitia autem DEI per fidem JESU Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Ad Galat. 2. v. 16. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JESU Christi.* Act. 4. v. 12. *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus,*

in quo oporteat nos salvos fieri. Joannis 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat.* Joannis 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum.*

Respondent 1. quidam distinguendo duplicem fidem Christi: unam, quæ habet pro objecto Christum, & potius dicenda esset fides de Christo: alteram, quæ est ex meritis, & ex doctrina Christi: & hæc etiam est fides de DEO remuneratore, quæ est simpliciter necessaria. Resp. 2. neg. conseq. Testimonia hæc, si sumantur ad mentem adversariorum, ut jacent, nimium probant, scilicet, quod nemo sit salvandus, nisi post explicitam nominis JESU confessionem, vel, nisi oculis corporeis viderit Christum crucifixum: ut Judæi non sunt sanati, nisi post aspectum serpentem. Primus itaque, & secundus textus, intelligitur de fide ex meritis Christi, sine qua non profunt opera legis: vel, si tibi scrupulum in primo textu moverit illud: *qui credunt:* dici potest, debere credi Christum, saltem implicitè, quatenus DEUS est remunerator per media sibi placita, inter quæ præcipuum est Christus, tanquam auctor, & causa meritoria omnis remunerationis. Nec tamen ex hac responsione sequitur, quod fides in Christum non magis requiratur, quam fides omnium aliorum mysteriorum; nam, fides in Christum primario requiritur necessitate præcepti: non autem ita primario requiritur fides aliorum mysteriorum.

Tertius textus tantum probat necessitatem præcepti, vel, si de mediis loquitur, loquitur de meritis Christi, quæ sunt medium absolute necessarium ad salutem nostram: non verò fides explicita de Christo. Quartus textus non petit omnimodam paritatem; aliàs, ut dictum, deberemus Christum corporaliter aspicere: sed tantum vult, mortem Christi esse necessariam ad salutem hominum. Quintus probabilius loquitur de visione beatifica DEI, & Christi filii DEI. Si de vita casuali intelligatur, non intendit adstruere omnimodam paritatem quoad necessitatem inter fidem utriusque objecti.

617. Ob. 5. SS. Patres exigunt fidem explicitam de Christo: ergo. ant. prob. SS. Patres dicunt, Sanctos in Christum sperantes, & ipsum expectantes, salvandos esse: omnes ex fide Christi justificari: utrumque populum, scilicet antiquorum Judæorum, & secutorum postea Christianorum, JESUM confessionis voce laudare: sine fide Evangelii nihil sufficere: neminem etiam ante Christum, sine fide in illum, coronam martyrii consecutum fuisse &c. Resp. dist. ant. SS. Patres exigunt eam fidem, tanquam necessariam necessitate præcepti, conc. ant. tanquam necessariam necessitate mediæ. neg. ant. & conf. ad prob. omnes illi modi loquendi non probant, quod adversarii volunt; nam 1. ex illis, qui sperant explicitè in Christum, salvandi sunt plures, sed non soli. 2. omnes

omnes ex fide Christi, hoc est, quæ ab ipso tradita est, & quam, saltem implicitè, quis tenere debet, justificantur. 3. Populus uterque nomen JESU in cælo unanimi voce laudabit; nam in terris id certè in antiquo testamento vix paucissimi fecerunt; & tamen non est credendum, neminem præter eos salvatum fuisse. 4. Fides Evangelii totius utique non est necessaria explicitè talis, sed tantum talis implicitè. Adde, quod S. Athanasius (ex quo hæc objectio fit) loquitur de iis, qui eam fidem, sufficienter propositam, noluerunt amplecti: adeoque tantum loquitur de necessitate præcepti. 5. Licet nulli consecuti sint martyrii coronam sine fide explicita in Christum, potuerunt tamen sine ista illam consequi, vel saltem alià vià salvari.

Circa alios etiam SS. Patrum textus nota, eos valde convenienter explicari posse, vel de necessitate non negandi Christum, aut SS. Trinitatem: vel de fide Christi, non ut objecti, sed ut auctoris: hoc est, non ut Christum tanquam objectum per aliquem actum fidei explicitè credatur, sed tantum, ut habeatur fides, aut doctrina, à Christo tradita: vel eos textus exponi posse de fide implicita, seu in voto: vel etiam de necessitate, non respectu cujusque fidelis, sed tantum respectu Ecclesiæ, ad cujus conservationem medium necessarium est fides explicita in Christum.

618. Ob. 6. S. Thomas nobis adversatur; nam in 3. diff. 25. q. 2. art. 2. *quæstionum 2. in corp. ait: Post adventum Christi, quia jam mysterium redemptionis impletum est, & corporaliter, & visibiliter, & predicatum, omnes tenentur ad explicitè credendum. Et si aliquis instructorem non haberet, DEUS ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret.* & q. 14. de veritate (quæ est de fide) art. 11. in corp. ait: *Tempore verò gratia omnes majores, & minores, de Trinitate, & redemptore, tenentur explicitam fidem habere.* & ad 1. docet, eum, qui in sylvis esset natus, & ex parte sua impedimentum non poneret, sed ductum naturæ sequeretur, si alium instructorem non haberet, vel per internam revelationem, vel per necessarium prædicatorem, de necessariis instruendum: ergo. Confir. C. Firmiter de summa Trinitate. dicitur, in lege gratiæ neminem salvari, nisi sit in Ecclesia Christi: verba sunt: *Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur:* sed non est in Ecclesia Christi, qui non explicitè credit in Christum: ergo.

Resp. Multi ex Thomistis negant, S. Thomam esse nobis contrarium: voluntque, debere S. Doctorem intelligi, quod tantum velit, quod post promulgationem Evangelii fides explicita SS. Trinitatis, aut Christi, necessaria sit in voto, sicut baptismus; non enim negat Angelicus, posse aliquos, post promulgatum Evangelium, sine fide explicita de Christo, per actum charitatis justificari: sed potius contrarium docet de Cornelio centurione, qui vivebat post R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

promulgatum Evangelium, & de quo 3. p. q. 69. art. 4. ad 2. ait: *Ante baptismum Cornelius, & alii similes, consequuntur gratiam, & virtutes, per fidem Christi, & desiderium baptismi, implicitè, vel explicitè:* ergo juxta S. Doctorem, fides implicita in Christum sufficit ad gratiam acquirendam, etiam aliquo tempore post promulgatum Evangelium.

619. Dein valde dubium est, an S. Doctor locis objectis loquatur de necessitate mediæ, vel tantum de necessitate præcepti; nam ait *tenentur*, quod ex se tantum significat necessitatem præcepti. Rursus q. 14. de veritate. art. 11. in corp. ait: *Hoc tempore majores (hoc est, aliorum doctores) omnia, quæ sunt explicitè fidei, credere tenentur:* id est, omnes articulos, de quibus certum est, eos esse de fide: quod intelligi non potest de necessitate mediæ, sed tantum præcepti; nam, etsi aliquis doctor, vel Episcopus, negligentiam gravem commisisset in addiscendis mysteriis, adeo, ut sibi commissos non potuisset instruere, non ideo careret necessariis mediis ad salutem; nam, modò sciret alia, quæ omnibus necessaria sunt, & in articulo mortis, quando non amplius posset comparare sibi illam majorem scientiam, debitam ageret poenitentiam, tamen posset salvari, ut nemo negat.

620. Verum est, S. Doctorem addere, quod DEUS, si homo ex sua parte nullum impedimentum ponens, sed ductum rationis sequens, aliter instrui non posset, eum, vel per extraordinariam illustrationem internam, vel per submissum prædicatorem, instrui faceret: sed tamen potest probabiliter dici, S. Doctorem sentire, quod DEUS etiam in necessariis necessitate præcepti, saltem in præcipuis, & sine quibus valde difficilis esset salus, talem hominem aliquando instrui faceret. Certè nobiscum sentiunt insignis Thomista Richardus de Media Villa (qui teste Bellarmino imitatur doctrinam S. Thomæ) Sotus, Bartholomæus Medina, in Canas, Canes, & alii apud Sanchez l. 2. in decal. c. 2. & Layman loco citato n. 600. relati. Hinc etiam Suarez de fide disp. 12. sec. 4. n. 5. existimat, S. Thomam tantum loqui de necessitate præcepti. Ad confirmat. dist. ma. dicitur, neminem salvari, nisi sit in Ecclesia Christi in voto. conc. ant. nisi sit in ea per acceptum baptismum, qui est janua ad Ecclesiam, vel per explicitam fidem in Christum. neg. ant. & conf. aliàs baptismus flammis non justificaret.

621. Ob. 7. S. Augustinus variis locis exigit, tanquam medium necessarium ad salutem, fidem in Christum. Sic l. 1. ad Simplicianum q. 2. circa principium ait: *In quibusdam tantam est gratia fidei, quanta non sufficit ad regnum caelorum, sicut in ipso Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiae.* & infra: *Non tamen solum concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniat æternam.* Idem S. Pater ait. l. 18. de civitate DEI. c. 47. etiam ante

Christi adventum, ut pertineret ad celestem Jerusalem, *nemini concessum fuisse . . . nisi cui divinitus revelatus est unus mediator DEI, & hominum, homo Christus JESUS*: ergo multo magis sentit, id nemini concessum fuisse post adventum Christi, Similia assertit Maurus.

Resp. S. Augustinum benignè interpretandum esse. Certè nemo dicit, catechumenum non habere fidem necessariam necessitate medii ad salutem; cum talis etiam credat in Christum. Pariter Cornelius habuit fidem absolutè sufficientem, antequam baptizaretur: nec opus est revera baptizari; utique enim sufficit baptismus fluminis; unde Suarez *de fide disp. 12. sec. 4. n. 20.* ait, S. Augustinum intelligendum esse de eo casu, in quo baptismus, vel major instructio, haberi potest: consequenter datur tantum necessitas præcepti, vel necessitas medii tantum in voto.

Alter textus S. Augustini necessariò debet exponi (nam literaliter loquendo, videtur non posse probari, quòd omnibus justis, ab origine mundi, fuerit explicitè revelatus Christus ut mediator DEI, & hominum) unde quidam non malè ajunt, S. Doctorem tantum voluisse, quòd omnibus necessarium semper fuerit, ut essent membra illius universalis Ecclesie, seu còtus populi DEI, cui revelatus est Christus: qui ex hac ratione dici potest, particularibus personis aliquò modo participativè, vel mediatè, vel implicitè revelatus: nisi fors dici possit, Christum omnibus esse revelatum ita loquendo effectivè, seu quatenus omnibus gratia ex meritis Christi collata est.

622. Ob. 8. Tridentinum *sess. 6. c. 6.* describens ordinem justificationis, dicit, justificari homines *credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud imprimis, à DEO justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JESU*: ergo. Confir. In symbolo S. Athanasii post explicata plura mysteria additur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*: ergo fides istorum est necessaria necessitate medii. Resp. neg. conf. Tridentinum ibi non agit, tantum de necessariis necessitate medii; sed de communi, & ordinario modo, se præparandi ad justificationem; aliàs necessitate medii etiam necessarium esset, fidem concipere ex auditu, vel timere justiciam Divinam, vel considerare DEI misericordiam. Ad confir. neg. conf. Sensus verborum symboli tantum est, quòd ille, qui ea nec implicitè credit, sed aliquid negat, non possit salvus fieri; nullus enim unquam docuit, quòd fides explicita omnium articulorum, contentorum in eo symbolo, sit necessaria necessitate medii.

623. Ob. 9. Plus exigitur in novo testamento necessitate medii, quam in antiquo: ergo fides explicita in Christum. Confir. Nisi hæc fuisset necessaria necessitate medii, non fuisset ratio mittendi S. Petrum

ad Cornelium: ergo. Resp. neg. conf. si fermo sit de explicita fide (aliud est de implicita) Interim longè plura nunc in novo testamento credenda sunt necessitate præcepti, quam fuerint in antiquo. Ad confir. neg. ant. Cornelius (ut ait S. Thomas citatus *n. 618.* & assertit quoque Suarez *de fide disp. 12. sec. 4. n. 23.* & hoc teste SS. Patres communis docent) jam justus erat, ante adventum S. Petri: attamen ratio mittendi S. Petri sufficientissima fuit, ut scilicet Cornelius crederet etiam necessaria necessitate præcepti, & baptizaretur: ad quæ tunc tenebatur; nec enim DEUS vult, ut homines tantum habeant necessaria necessitate medii. Adde, eam revelationem, & missionem, factam non propter solum Cornelium, sed propter totam gentilitatem.

624. Ob. 10. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 64. *Abolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis Domini nostri JESU Christi*: ergo fides explicita istorum mysteriorum est necessaria necessitate medii; aliàs enim posset aliquis absolvi. Resp. i. neg. conf. quia, licet esset absolutè necessaria noticia horum mysteriorum ad abolutionem, non esset ita necessaria ad contritionem, adeoque neque ad salutem, ad quam pauciora requiruntur. Hæc responsio sufficeret ad solvendam objectionem: attamen ad ulteriorem noticiam addo, propositionem damnatam duas habere partes. Prima dicit, posse absolvi eum, qui laborat ignorantia mysteriorum fidei illimitatè, quod non videtur intelligendum de ignorantia tantum aliquorum (nam si quis tantum diceret, posse absolvi eum, qui aliqua mysteria ignoraret, non esset damnabilis) sed de ignorantia omnium, saltem indeterminatè, & disjunctim sumptorum, hoc est, quaecunque ignoret; ita ut sensus sit, esse capax abolutionis etiam eum, qui ignorat DEUM remuneratorem: & hoc est falsum etiam juxta nos, ut patet.

625. Altera pars propositionis ait, posse absolvi eum, qui culpabiliter ignorat duo illa mysteria. Circa quod noto, abolutionem aliquando validè dari, sed illicitè: aliquando etiam invalidè, ut est apud omnes certissimum. Sic illicitè, attamen validè absolvit sacerdos, in statu peccati existens: vel si pœnitentem, invincibiliter e. g. ignorantem, aliquid esse peccatum, non monet, cum potest, & debet. Pœnitens quidem non potest recipere hoc sacramentum validè, & formaliter illicitè, quantum est ex parte sua; si enim sciat, vel culpabiliter nesciat, se illicitè accedere, eo ipso de novo peccat, nec habet dolorem, & propositum, requisitum ad valorem sacramenti, consequenter nec validè recipit sacramentum. At verbò potest pœnitens illud recipere validè, si ad præfratationem illius sit tantum illicita ex parte sacerdotis, vel tantum materialiter illicita ex parte sua, si e. g. aliquid, ad licitam recep-

tionem requisitum, inculpabiliter nesciret; tunc enim non formaliter, sed tantum materialiter illicitè accederet ad sacramentum, quod non impediret valorem.

626. Jam quæstio est, an Pontifex damnet tantum asserentes, quòd culpabiliter ignorans mysteria illa, sit capax abolutionis licitæ: an etiam damnet asserentes, quòd sit capax, abolutionis quidem validæ, sed non licitæ. In qua quæstione inprimis dicendum, quòd culpabiliter ignorans, quando potest instrui, non sit capax, nec validæ abolutionis. Ratio est; quia, qui culpabiliter est ignorans, nec vult instrui, actualiter graviter peccat, dum obligationi suæ gravi non vult satisfacere, curando se instrui; debet enim quivis, necessitate saltem gravis præcepti, scire ista mysteria: hocque præceptum semper urget, quando est occasio discendi: qualem quilibet semper habet, dum sanus, vel etiam ægrotus, tamen capax rationis est; quippe quilibet homo potest eum instruere: urgetque hoc præceptum ante confessionem, præsertim, cum probabilis etiam sit sententia asserentium, fidem explicitam SS. Trinitatis, & Christi Redemptoris, esse necessariam necessitate medii: quo casu confessio esset prorsus invalida: ergo, si non vult, instrui ante confessionem, actualiter peccat: adeoque ratione deficientis doloris, & propositi, neque validam abolutionem potest recipere.

Quod si autem aliquis inculpabiliter nesciat ea mysteria, nempe SS. Trinitatis, & incarnationis, & possit instrui ante confessionem, certum est, quòd saltem illicitè absolvatur, & graviter peccet sacerdos absolvens, si eum non prius instruat; tum quia confessarius est doctor, qui debet in necessariis instruere pœnitentem; tum adhuc magis, quia ex prima propositione damnata ab Innocentio XI. habetur, quòd non liceat uti sententia tantum probabilis, quando agitur de valore sacramentorum, & potest haberi tutior, & certa: atqui hic agitur de valore; quia agitur, an talis pœnitens sit abolutionis capax, adeoque hæc ei validè possit impendi: & sententia est tantum probabilis, non certa; nam multi tenent, fidem eorum mysteriorum, re ipsa explicitè habitam, esse necessariam necessitate medii: quæ sententia si vera esset, talis esset incapax abolutionis validæ, sicut esset incapax, qui non esset baptizatus.

627. Sed quæres, an talis, inculpabiliter ignorans, capax sit saltem abolutionis validæ? Resp. inprimis, hunc casum moraliter contingere non posse; nam, qui non est instructus de necessariis, & essentialibus sacramenti pœnitentiæ, dolore &c. invalidè absolvitur; quia non ponit partes essentielles: qui autem scit necessaria ad confessionem, etiam utique sciet mysteria SS. Trinitatis, & incarnationis. Speculativè tamen loquendo, si talis casus contingeret, videtur probabile, talem inculpabiliter ignorantem capacem esse abolutionis, non quidem licitæ, sed saltem validæ; quia proba-

biliter non est de necessitate medii, explicita fides duorum istorum mysteriorum: quantum, ut jam dictum, in praxi nunquam possit licitè dari ei, qui potest instrui.

Nec hæc assertio videtur convenire cum propositione damnata; nam illa inprimis loquitur de ignorantia culpabilis istorum mysteriorum. Dein, ut habet Cardenas *dissert. 41. in propof. damnat. ab Innoc. XI. c. 5. n. 32.* damnatio illa non videtur afficere asserentes, esse capacem abolutionis tantum validæ eum, qui præsertim inculpabiliter, ea mysteria ignorat; nam propositio damnata non distinguit, inter abolutionem licitam, & validam; unde damnatio sufficienter intelligitur de assertione abolutionis licitæ. Rursus idem auctor *n. 34.* adducit regulam 30. *juris in 6. In obscuris minimum est sequendum*: cum ergo obscurum sit, an damnatio comprehendat abolutionem tantum licitam, an etiam validam, sequimur minimum, dicendo, quòd comprehendat tantum abolutionem licitam.

628. Hinc in casu, quo vocaretur sacerdos ad moribundum, de quo jure præsumere posset, eum ignorare duo illa mysteria: attamen modò instrui nequiret, responderet Cardenas *dissert. modocitata c. 3. n. 16.* quòd deberet conditionatè absolvi; cum enim certum non sit, moribundum esse indispositum, debet sacerdos in tanto periculo ei succurrere, quantum potest. Nec hoc est contra damnationem primæ propositionis, ab Innocentio XI. prohibitæ; nam ex illa tantum inferitur, non posse adhiberi sententiam probabilem circa sacramenti valorem, quando potest haberi certa, & tuta, quæ in hoc casu haberi non potest.

Imò idem Cardenas *n. 18.* pergit, & dicit, quòd, etsi sacerdos certò sciret, talem moribundum ea mysteria nescire (supposito, quòd haberet sufficientia signa doloris, & confessionis &c. quæ essentialiter requiruntur ad abolutionem) deberet tamen eum sub conditione absolvere; quia, cum certum non sit, fidem mysteriorum illorum esse de necessitate medii, speculativè adhuc probabile est, eam abolutionem fore validam: adeoque debet moribundo in tanta necessitate eam succurri. Nec in hoc casu illicita est absolutio; tum quia per adjectam conditionem cavetur reverentiæ sacramenti; tum quia talis necessitas proximi aliquando à peccato exculat: sed, ut jam dixi, casus hic speculativus potius est, quam practicus.

ARTICULUS III.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

629. **O**B. 11. contra 6. conclusio- nem. Si rudes debent credere explicitè symbolum Apostolorum, debent etiam credere symbolum Nicænum; par enim est ratio, & hoc est explicatio prioris: sed Nicænum rudes

rudes non debent explicitè credere: ergo. Confir. 1. Multi simplices, & rudes, etiam devoti, nunquam rectè intelligere possunt symbolum: ergo juxta nos damnabuntur. Confir. 2. Articulus de communione Sanctorum est obscurus, & Theologi aliquando laborant in eo rite intelligendo: ergo rudes non debent, eum intelligere. Resp. neg. ma. nec enim est par ratio; quia de uno præcepto constat, non de altero, ut re-
 cte Suarez de fide disp. 13. sec. 4. n. 16. nec opus est scire omnes explicationes; aliàs nimium onus imponeretur communitati fidelium.

Ad 1. confir. dist. conf. multi rudes damnabuntur, si culpabiliter ignorent, aut culpabiliter non intelligant symbolum. om. conf. si id inculpabiliter ignorent, vel non intelligant. neg. conf. Si qui inculpabiliter symbolum, vel aliquem alicuius articuli sensum ignorant, non ideo damnantur; sicut enim in aliis præceptis, ita etiam in præcepto fidei, excusat ignorantia invincibilis. At apud rusticos, saltè ordinariè, vincibilis est hæc ignorantia; quia catechesin accedere nolunt: quandoque est parochorum culpa non levis, si doctrinam Christianam suis tradere negligant.

Ad 2. confir. Ille articulus quoad substantiam suam, tam difficilis non est, quam mysterium SS. Trinitatis, quod tamen debent omnes quoad substantiam nôsse. Certè in articulo nono credenda explicitè est Ecclesia (quia est materia valde gravis; nam ipsa est regula proxima fidei, & extra eam non est salus) nec est multò difficilior articulus de communione Sanctorum, de quo (ut ait Suarez de fide disp. 13. sec. 4. n. 10.) saltè ad evitandum peccatum mortale, satis est, credere Ecclesiam sub conceptu unius congregationis, in qua est vera sanctitas, & una fides, sub uno capite Christi Vicario; in hoc enim virtualiter continetur, aliquam intermembra hujus Ecclesie esse communicationem, in bonis operibus, & orationibus, quæ per communionem illam Sanctorum significatur. In forma om. ant. dist. conf. non debent rudes eum articulum intelligere sub conceptu omnino exacto. conc. ant. sub conceptu aliquo rudi, qualem modò ex Suarez attulimus. neg. conf.

630. Ob. 11. contra 9. conclusionem. Non debet admitti speciale præceptum, quod non continetur in decalogo: sed de actibus virtutum Theologicarum, nullum speciale præceptum continetur in decalogo: ergo non debet admitti. Confir. 1. SS. Patres dicunt, tunc nos diligere DEUM, quando mandata eius observamus: imò Christus Dominus ipse dicit Joan. 14 v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*: ergo non datur speciale præceptum de actu charitatis elicendo, nec hunc in specie debemus elicere, sed tantum mandata DEI observare. Confir. 2. S. Augustinus de spirit. & liter. c. ultimo ait, non posse nos in hac vita amare DEUM, ex toto corde, & omnibus viribus &c. quia Beati

DEUM non magis amant, quam ex toto corde &c. quorum tamen aporem æquare non possunt. Similia docet de perfectione justitia. c. 8. Idem docet S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 3. in corp. & videtur etiam docere S. Bernardus serm. 50. in Cantica: ergo non possumus implere præceptum charitatis: ergo istud omnino non datur; quia DEUS impossibilia non præcipit.

Resp. neg. ma. Etsi enim non continentur speciale præceptum de his actibus in decalogo, sufficit, quòd id continetur alibi in Scripturis: & sanè ista millies clamant, in unum DEUM credendum: in eum sperandum, seu habendam in eo fiduciam, non in aliis: eumque diligendum esse: & Christus Matth. 22. v. 36. interrogatus: *Quod est mandatum magnum in lege?* respondit v. 37. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum.*

631. Quin etiam prima tria præcepta decalogi, licet immediatè spectent ad religionem, tamen sinè fide præmissa impleri non possunt; unde in Germanico catechismo primum mandatum sic sonat: *Credas in unum DEUM*: at verò, ut audivi, apud Hispanos sic: *Diligas unum DEUM*. Adde, etiamsi non continerentur explicitè, & clarè hæc præcepta in Scripturis, sufficeret nobis doctrina Ecclesie, & Summorum Pontificum. Ad 1. confir. dist. ant. SS. Patres dicunt, tunc nos diligere DEUM, quando servamus mandata omnia. conc. ant. quando servamus tantum decalogum, & quidem tantum quoad ea, quæ formaliter, & explicitè in eo continentur. neg. ant. & conf. alias non deberemus observare præceptum sumendi Eucharistiam: multò minus præcepta Ecclesiastica.

Hoc tamen verum est, quòd, elicendo actum veræ charitatis, simul saltè servemus præcepta DEI, in hoc sensu, quòd non possumus elicere actum charitatis, quin pro eo tempore reliqua præcepta graviter obligantia observemus; eoquòd actus charitatis cum gravi eorum transgressione incompossibilis sit. Quando autem objicitur, impossibile esse, diligere DEUM ex toto corde, ex omnibus viribus: responderetur, id falsum esse; non enim exigitur, ut DEUM amemus summè intensivè, sed tantum appretiativè, hoc est: non exigitur summa intensio, sed tantum summa æstimatio DEI, seu prælatio ejus omnibus rebus creatis.

Ad 2. confirm. dist. 1. conf. Non possumus implere præceptum charitatis, in quantum est tantum indicativum rei præceptæ. neg. conf. in quantum est indicativum, non tantum rei præceptæ, sed simul etiam finis, in ordine ad quem res præcipitur. om. 1. conf. at neg. 2. dam. Potest ali-
 quod duplici modo præcipi: primò, ut præcepto indicetur tantum, quid faciendum sit; secundò, ut eodem præcepto simul indicetur finis, in ordine ad quem aliquid facien-

dum est. Sic, si bellidux præcipiendo dicat militibus: *Invadite urbem*: tantum indicat, quid sit faciendum. Si autem dicat: *Capite urbem*: indicat etiam finem pugnae: & qui primum non implet, est prævaricator præcepti; non autem est prævaricator præcepti, qui non implet secundum.

Hinc S. Augustinus loco objecto dicit: *Neque enim, si esse nondum potest tanta dilectio DEI... jam culpa deputandum est: & Angelicus etiam articulo objecto ad 2. ait: Est autem alius gradus perfecta dilectionis, qui non potest impleri in via, ut dictum est: à quo, qui despicit, manifestum est, quòd non est transgressor præcepti... dummodo attingat infernum*. S. Bernardus etiam cit. serm. 50. in Cantica ait: *Judicavit utile, ... ut scirent sanè, ad quem justitia finem niti pro viribus oporteret: ergo mandando impossibilia non prævaricatores homines fecit, sed humiles*. Unde hi SS. Doctores tantum volunt, perfectionem illam charitatis patriæ, quæ in via adhuc impossibilis est, esse præceptam, tanquam finem, qui indicetur nobis, ut ad eum tendamus: quamvis non ita strictè præcepta sit, ut culpæ rei simus, si eam non attingamus, modò ad eam tendamus: sicut nec miles in casu supra positus reus est prævaricationis, aut culpæ, etsi urbem non capiat, modò strenuè eam invadat. videatur Bellarminus. tom. 2. controv. 2. de membr. Eccles. l. 2. de Monachis c. 13.

632. Ob. 13. Finis præcepti non cadit sub præceptum: atqui *Finis præcepti est charitas*, ut ait S. Paulus 1. ad Timoth. 1. v. 5. ergo actus charitatis non cadit sub speciale præceptum. Confir. Innocentius XI. non exigit, ut singulis annis eliciamus actus Theologicos: sed tantum, ne eos differamus ultra quinquennium: ergo nec nos id debemus exigere. Resp. dist. ma. Finis præcepti extrinsecus non cadit sub præceptum. conc. ma. finis intrinsecus, & identificatus cum materia præcepti. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Verum est, quòd finis præcepti, e. g. de cultu DEI, vel aliis virtutibus, etiam sit charitas (quia ad hanc, tanquam ad finem suum, actus inferiorum virtutum referuntur) quæ non cadit sub istud præceptum: & hinc etiam verum est, quòd actus charitatis non cadat sub præceptum de cultu DEI, sive præcepto isto non imperetur.

Nam charitas, seu actus charitatis, est finis prorsus extrinsecus, respectu talium præceptorum, quæ ab inferioribus virtutibus oriuntur, quæque tendunt immediatè ad honestatem aliquam inferiorem, e. g. ad cultum DEI, tanquam suam materiam. At verò actus charitatis est finis ipsius præcepti charitatis intrinsecus; quia hoc præceptum immediatè tendit in eum, tanquam in suam materiam: adeoque quàm optimè cadit sub hoc præceptum actus charitatis. Ad confir. neg. conf. Etsi Pontifex non positivè exigat, seu definiat, singulis annis debere elici eos actus: tamen etiam non definit, sufficere, si ii intra quinquennium semel eliciantur: nos autem ex gravibus rationibus inferimus, plus requiri.

633. Ob. 14. contra 10. conclus. Inter primum, & ultimum instans morale vitæ, dantur adhuc multa moralia instantia, etiam quovis anno, quot scilicet dantur partes temporis diversæ, moraliter distinctæ: ergo, si quis tenetur in primo, & ultimo, morali instanti vitæ, elicere actum charitatis, tenebitur etiam in aliis. Resp. neg. conf. non enim ideo in primo, & ultimo instanti, datur obligatio elicendi actus virtutum Theologicarum; quia sunt moralia instantia; sed quia in principio, & fine vitæ, homo debet converti ad DEUM: si hoc semel est factum, tunc quoad alia tempora datur obligatio, ne nimium differantur ii actus: hoc autem non fit, si differantur tantum ultra aliquot instantia moralia, sed si differantur ultra annum.

634. Ob. 15. contra 11. conclusionem. Si quis non tenetur, in primo instanti physico vitæ, elicere actum charitatis, posset puer aliquis non baptizatus, in primo instanti physico vitæ venialiter peccare, & statim mori. Jam sic. Talis puer, nec posset venire in infernum; quia non haberet peccatum mortale: nec in purgatorium; quia non posset ex eo unquam venire in cælum, ratione peccati originalis non delati: nec in limbum; quia illuc non spectant venialia peccata: multò minus posset venire in cælum: ergo non esset pro tali puero ullibi locus, quod est absurdum. Resp. retorqueo argumentum, & quæro, si puer, ut possibile est, eam gravem obligationem, de actu charitatis tunc elicendo, invincibiliter ignoraret, & leviter mentiretur, vel si sinè ignorantia, tamen cum semiplena tantum deliberatione transgrediendo illud præceptum, tantum venialiter peccaret: quid tunc fieret?

Resp. 2. cum Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 11. sec. 2. n. 18. Coninck, Castropalao, Gormaz de charitate. n. 116. & aliis, puer ille probabiliter limbum adiret, ibique præter poenam originali peccato debitam, pateretur aliquam aliam peculiarem, vel æternam levem, vel temporalem graviolem, reatu illius peccati proportionatam: nisi dicere velis cum Sanchez l. 2. de præcept. decalog. c. 35. n. 7. spectare ad providentiam DEI, ut in hac providentia casum hunc non permittat: quod idem sub conditione, quòd prior responsio non admittatur, sep-
 tit dicendum Suarez citata sec. n. 19.

QUÆSTIO III.

De Externa Confessione Fidei.

ARTICULUS I.

An, & quando, & quomodo, sit necessaria Confessio Externa Fidei.

635. Dico 1. Præceptum confessionis externæ fidei negativum, obligat semper, & pro semper, ita, ut semper sit grave peccatum contra fidem, hanc etiam tantum ex-
 terius

terius negare, licet in mente retineatur. ita omnes Catholici ex illo *Matth. 10. v. 33.* ubi Christus ait: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Hæc autem negatio dupliciter fit, scilicet primò, exterius vocibus dicendo, se non esse Catholicum, vel se esse Lutheranum, Calvinistam &c. vel signis, aut factis, talem se exhibendo, aut demonstrando, quæ dicitur negatio positiva. Secundò, non dicendo, se Catholicum esse, quando quis deberet id dicere, quæ dicitur negatio negativa, vel privativa, & vocatur maxime *erubescencia*: quam etiam magnum peccatum esse constat, ex illo Christi *Luc. 9. v. 26.* *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum:* & confirmatur ex eo, quòd mendacium in re gravissima sit utique mortale peccatum: atqui negatio fidei est tale mendacium: ergo.

636. Dico 2. Præceptum non simulandi falsam religionem, adhibitis verbis, vel aliis signis, ad solam falsam religionem significandam determinatis, etiam obligat semper, & pro semper. Intelligo autem seriò simulare, id est, ut alii judicent, me seriò agere; nam utique in comœdia licet, ex joco simulare, se esse popam ethnicum, & idolo offerre incensum. ita communis, & certa doctorum contra unum, aut alterum. Prob. Simulatio est verum mendacium reale, ut cum communi docet S. Thomas 2. 2. q. III. a. 1. in corp. cumque hæc simulatio falsæ religionis sit in materia gravissima fidei, est mendacium gravissimum: hoc autem utique est graviter prohibitum: ergo. Confr. Si simulatio ista non esset prohibita, non malè fecisset Eleazar 2. *Mach. 6.* comedendo carnes aliàs licitas, & simulando, se comedere carnes porcinas contra legem: atqui malè fecisset, ut omnis Ecclesia agnoscat: & *ibidem v. 21.* dicitur, dum asserit sacer scriptor, quòd ii, qui ei carnes licitas offerebant, atque ad simulationem inducere volebant, fuerint iniqua miseratione commoti: quin ipse Eleazar agnovit culpam in ea simulatione, & hinc dixit. *v. 26.* *Manum omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam:* quibus verbis satis dixit, se Divinam indignationem, & vindictam incursum, si crimen illud admisisset: ergo.

637. Dico 3. Præceptum positivum confessionis externæ fidei obligat etiam per se, ad fidem aliquoties exterius profitendam. ita rursus Catholici omnes. Prob. ex illo S. Pauli *ad Rom. 10. v. 9.* *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd DEUS illum suscitavit à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Accedit etiam commune iudicium totius Ecclesiæ, quæ semper censuit, martyres fuisse obligatos ad profitendam fidem coram tyrannis. Adde propositionem 18. v. ab Innocentio XI. damnatam sic ha-

bere: *Si à potestate publica, quis interrogatur, fidem ingenuè confiteri, ut DEO, & fidei gloriosum, consulo: tacere, ut peccaminosum per se, non damno: ergo aliquando datur obligatio, exterius profitendam fidem, & quidem per se, seu ex præcepto fidei.*

638. Dico 7. Præceptum positivum fidei exterius profitendæ obligat per se, & ratione sui tunc, quando aliàs honor auctoris fidei, DEI, vel Christi, periclitaretur, aut minueretur: vel si periclitaretur ipsa fides hominis non profitentis. ita Gormaz de *virt. Theol. disp. 18. sec. 1. n. 858.* & alii. Exemplum primi est, si ob omissionem confessionem externam fidei, vel Christus falsà dixisset, vel religio Catholica falsà judicaretur. Exemplum secundi est, si homo ipse, nolens exterius fidem confiteri, se exponeret periculo, vel deficiendi à fide, vel eam erubescendi, vel aliter contra fidem peccandi.

Quidam addunt, etiam præceptum hoc per se obligare, quando confessio externa necessaria est ad evitandum grave detrimentum, vel scandalum proximi, quando scilicet iste aliàs in fide inconstans fieret, vel omnino à fide deficeret. Alii tamen existimant, quòd in hoc casu, non virtus fidei per proprium sibi præceptum obliget, sed, quòd potius obliget charitas ad fidei professionem; quia sæpe virtus aliqua potest imperare actum alterius virtutis, si hic est necessarius ad suum finem: cum ergo in hoc casu professio fidei sit necessaria ad evitandum scandalum proximi, quòd vitare propriè spectat ad charitatem, etiam ista potest imperare eam professionem. Et quidem negari non potest, unam virtutem posse imperare actum alterius: videtur tamen in hoc casu potius ipsa fides præcipere sui professionem; quia hæc necessaria est ad bonum ipsius fidei, ut scilicet in aliis conservetur; cum aliàs immineretur; sicut enim fides præcipit professionem sui, quando hæc est necessaria pro bono religionis Catholice universalis, ita videtur eandem præcipere, quando est necessaria pro bono fidei particularis, unius, vel plurium proximorum.

639. Jam verò, si quæstio instituat de casibus magis particularibus, in quibus præceptum fidei obliget, videtur res, sicut in aliis rebus moralibus, ita etiam in his, debere pro circumstantiis occurrentibus, iudicio prudentum determinari. Inprimis autem ex propositione damnata, quam citavimus n. 637. est clarum, obligare hoc præceptum, dum quis à publica potestate interrogatur: & certè, si quis tunc taceret, cederet id in detrimentum grave honoris Divini: & potest, ut Suarez, & Gormaz advertunt, id quoque contingere, ratione circumstantiarum variarum, si interrogetur persona privata: quanquam Cardenas in *crisi in propos. ab Innocentio XI. damnat. dissert. 12. n. 29. dicit*, quòd, si aliquis interrogatus à per-
sona privata taceat, in circumstantiis, in quibus taciturnitas non sit signum negatæ, vel
tacitæ

tacitæ fidei, sed contemptæ personæ (quasi tacendo diceret: quid ad te? quis te constituit iudicem?) silentium illud non sit condemnabile.

640. Ulterius obligat hoc præceptum, si taciturnitas præsumeretur esse negatio, vel erubescencia fidei; tunc enim taciturnitas apertè cederet in detrimentum honoris Divini, adeoque esset graviter peccaminosa, ut habet Gormaz de *virt. Theol. n. 856.* Rursus, si quis propter omissionem professionis fidei occasionem daret, præsumendi de se, quòd ex timore, vel erubescencia id faceret. Qui omnes, & alii similes casus, reduci possunt, vel ad honorem Divinum, vel utilitatem nostram, aut proximi. videri poterunt hæc de re Suarez de *propos. de disp. 14. sec. 2.* Cardenas *dissert. 12. in propositionem 18. ab Innocentio XI. damnatam.* Gormaz *loc. modo cit.* & alii. Addendum tamen hic est, posse aliquem, etsi ore, seu verbis taceat, tamen signis loqui, ut, si osculetur Crucifixum, caput ictui offerat &c. quæ sunt sufficiens confessio externa; aliàs mutus non posset exterius fidem profiteri.

641. Dico 5. Possunt tamen fideles aliquando, tempore persecutionis fugere, ne interrogentur, & fidem confiteri teneantur. ita Catholici contra Tertullianum. Prob. 1. ex illo Christi *Matth. 10. v. 23.* *Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Idem probatur exemplo Apostolorum: sic S. Paulus ait. 2. *Corinth. 11. v. 33.* *Per fenestram in sporta dimissus sum, & sic effugi manus ejus:* scilicet præpositi gentis regis Aretæ. Idem fecerunt plures alii, præsertim S. Athanasius. Imò quandoque fuga potest esse præcepta, quando scilicet plurimum refert, talem personam conservari: vel si quis putet, se non fugiendo subire proximum periculum fidem negandi, ob suam animi infirmitatem.

Contra potest fuga aliquando esse prohibita, ut notat Suarez de *fide disp. 14. sec. 3. n. 12.* de pastoribus animarum; tenentur enim isti, eo tempore esse boni pastores, qui animas ponunt pro ovibus suis: & non esse mercenarii, qui lupis oves dimittunt: quanquam, si pastor aliquando ex causa justa recedat, non tamen oves omnino dimittat, sed eis per alium provideat, non peccet. Si autem, ut pergit ibi Suarez, sine causa moraliter necessaria recedit, agit contra suam obligationem; cum ratione muneris in tanto periculo teneatur ovibus assistere, ut fusè docet S. Augustinus *ep. 180. ad Honoratum.* Aliquando, qui posset fugere, potest etiam remanere cum periculo vitæ; non enim hoc est se occidere, sed mortem purè permittere: nec illud: *Fugite in aliam*, nempe civitatem: est præceptum, sed tantum licentia.

642. Dico 6. Quandoque licet etiam fidem occultare, verbis, vel factis, quando scilicet ex ea occultatione non sequitur diminutio honoris Divini, vel grave damnum spirituale, nostrum, aut proximi; &

aliunde immineret gravissimum malum, si fidei aperta confessio fieret. ita Gormaz de *virt. Theol. n. 856.* & alii. Prob. In tali casu non obligat præceptum professionis externæ fidei: ergo non teneor, eam profiteri, sed possum eam occultare. ant. prob. quia in tali casu ex nulla ratione potest ostendi, quòd præceptum fidei profitendæ obliget, & sub ratione non debet imponi obligatio, ad subeundum gravissimum malum: conseq. patet. Et certè, si possum fugere, non video, cur non etiam possum, meam fidem occultare. Confr. In hoc casu illa occultatio non est negatio fidei, aut erubescencia, sed est usus: medii liciti ad consequendum alium finem, e. g. incolumitatem: ergo non est, cur damnetur.

643. At quæstio jam est, quibus modis fidem occultare liceat. De verbis quidem videtur hic idem dicendum, quòd dictum à n. 58. de amphibologiis: de factis, vel aliis rebus, major est quæstio. Notandum itaque, res, & facta, posse habere duplicem significationem, vel usum, e. g. vestes religiosæ, habent, ex primaria intentione, usum tegendi corporis: ex alia verò institutione humana, habent significationem certæ ordinis religiosi, e. g. Franciscani. Pariter vestis Turcica primario instituta est ad tegendum corpus: ex alia verò institutione, etiam significat Turcam, seu cultorem Machometis. Similiter actiones sæpe habent duplicem usum, vel finem: sic potest quis, accedere templum hæreticorum, ut eorum falsam religionem exercent: e contra potest etiam illud accedere, ut eorum errores notet.

Sunt tamen aliquæ res, quæ non possunt, saltem in certis circumstantiis, separari ab una significatione, quam à primæva institutione habent. Sic thurificatio in circumstantiis præsentis idoli, adeoque ejus incensatio, & genuflexio coram illo, tunso pectoris, oblatio, vel combustio animalis, vel victimæ, receptio communionis apud hæreticos &c. non possunt separari, à significatione falsi, & idololatriæ cultus, vel hæresis; nam ex primæva sua institutione actiones illæ sunt destinatæ ad eum cultum, vel sectæ professionem significandam. Similiter docet Sanchez in *decalog. l. 2. c. 4. n. 23.* & Gormaz de *virt. Theol. n. 867.* citans Suarezium, & Azorium, literas, aut imagines idolorum, vestibus, aut vexillis additas, quæ in honorem idolorum cedunt, non posse separari à superstitione. His notatis

644. Dico 7. Possunt ex gravi causa, quæque jus præbet ad se occultandum, adhiberi ad sui occultationem, res, & facta, seu actiones primi generis, quæ scilicet habent duplicem significationem, vel usum, unum ex institutione, seu intentione primaria, alterum verò ex institutione humana additum, hic & nunc separabilem. Prob. Ut rectè observat Gormaz de *virt. Theol. n. 863.* lex humana non obligat cum tanto periculo, ac proinde aliquis non tenetur, ejus
infi-

institutioni in iis circumstantiis se conformare: ergo potest res illas, vel actiones adhibere, tantum intendendo primævam institutionem, & interim permittente, ut alter putet eas adhiberi juxta secundam institutionem humanam.

Et sic videmus, laicos etiam induere aliquando vestem religiosam, ut se occultent sistoribus, ad necem eos inquirentibus: nec propterea damnantur peccati. Sic etiam non damnantur Christiani milites, quando in bello utuntur stratagemate, & se vestibus Turcarum occultant: vel etiam eorum vexilla (quæ non præferunt imagines, vel inscriptiones, ab idolorum, aut Machometis cultu inseparabiles) navibus præfigunt; est enim jure gentium notum, utentes ejusmodi stratagemate, non intendere negare fidem, sed se occultare: estque talis simulatio non formalis, sed tantum materialis.

645. Dico 8. Res, & actiones secundæ generis (quarum scilicet significatio superflua, vel aliter mala, hic & nunc, non est separabilis) nunquam adhiberi possunt ad se occultandum. Prob. Quia res istæ non possunt, saltem in illis circumstantiis, separari à sua significatione primævæ falsi cultus, earum usus esset formalis, aut virtualis professio idololatriæ, aut hæresis: ergo. Dixi: *Non possunt separari, saltem in illis circumstantiis*; nam, etsi incensio thuris, e. g. possit in aliis circumstantiis adhiberi ob alium finem, e. g. ob sanitatem, vel delectationem odoratus, quo casu non significat idololatricum cultum: id tamen fieri non potest in circumstantiis idoli præsentis, & reliquarum cæremoniæ; unde nunquam in his circumstantiis licitè adhiberi potest.

Literæ autem, aut imagines idolorum, vestibus affixæ, vel delendæ sunt, vel saltem, ut ait Gormaz de virt. Theol. n. 867. occultandæ: aut aliter studiosè cavendum est, ne ullus iis honor ferri videatur; idoli enim pictura, vel inscriptio literarum, idolo, vel Machometi honorifica, non est instituta per se ad tegendum corpus: sed primariò est instituta, ad significandam professionem illius religionis, vel significandum cultum idoli &c. Intellige, si ipso modo pingendi, vel vestem gestandi, observetur modus aliquis religiosus, seu superstitiosus; si enim tales picturæ tantum essent appictæ, non honorandi idoli causâ, sed tantum fabularum gratiâ, ut aliquando etiam vidi intextas, & pictas in vestibus, seu tunicis lineis, aut bombycinis (à somno apud Germanos nominatis) imagines Jovis, & Junonis, & aliarum antiquarum fabularum, quales etiam afferuntur ex China vestes bombycinæ cum variis figuris: tales vestes, cum non portentur animo colendi eas figuras, sed tantum varietatis, & elegantię gratiâ, non est illicitum, eas portare.

646. Sic etiam non apparet ratio, quare aliquis, quando ex justa causâ se potest occultare, non possit per se fugere, &

præcisè ingredi templum hæreticorum, maxime in Germania, ubi hoc nullo modo censetur signum professionis hæreticæ. Aliud esset, si princeps præcipere talem ingressum ob symbolum religionis, & ut discernantur Catholici ab hæreticis; tunc enim ille ingressus non posset separari ab obedientia, principis decreto præstita, & omnino illicita; etiam si quis adhiberet protestationem, asserendo, se tantum velle obedire principi; nam hæc protestatio esset contraria factò; cum ipsa obedientia esset externa professio hæresis; aliàs posset quis justus, incensum adolere idolo, id facere cum protestatione, asserendo, se tantum velle obedire: atque sic dicitur decisum à Paulo V. consulto ab Anglis. vide Gormaz de virt. Theol. n. 864.

647. Addo hic, ex Suarezio de fide disp. 14. sec. 3. n. 6. Gormaz de virt. Theol. n. 861. Cardenas in crisi in propos. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 12. n. 34. & aliis, ad hoc, ut quis debeat confiteri suam fidem, debere eum interrogari in particulari; si enim præsentibus multis fidelibus, tantum generaliter interrogaretur, seu peteretur, ut, si quis fidelis adesset, se proderet, nemo propriè interrogaretur, & nullus teneretur, se prodere. Rursus, ajunt Suarez, & Gormaz ibidem, attendi debere, an interrogatio fiat in odium fidei, an in odium tantum personæ, e. g. si quis sciret, sibi à Christiano factam esse injuriam, vel veram, vel apparentem, & nesciret quisnam Christianus is esset, atque interrogaret aliquem, an Christianus esset, non teneretur hic se prodere; quia hæc taciturnitas non cederet in injuriam fidei, cujus causa non agitur: item, si hostis gentilis quæreret, an esset de exercitu Christianorum, quos impugnat, & sic tantum quæreret, ut sciret, an hostis ejus esset, iterum occultatio fidei non cederet in injuriam fidei ex eadem causâ.

Gormaz de virt. Theol. n. 857. idem ait de casu, quo vox Christianus apud aliquos significaret, non professorem talis fidei, sed hominem pessimum, & inimicum patriæ: sicut videtur, eodem teste, talem significare apud multos barbaros Indos. Sanè apud multos barbaros, idem quandoque sonat Christianus, quod Hispanus, & iidem barbari Hispanos, tanquam oppressores suæ libertatis, pessimè oderunt: in tali casu, ait Gormaz, non tenetur quis, se Christianum confiteri; quia non interrogatur propriè de fide, sed de moribus, vel potiùs de sua natione. Attendendum tamen semper, ne quis contemptus fidei adesse possit. Addo, Cardenas cit. dissert. 12. n. 37. rectè advertere, quòd possit contingere, ut interroganti, non in odium fidei, sed ob alium finem; tamen quis teneatur respondere, e. g. si princeps ex fine honesto vellet scire, quot haberet subditos Catholicos, in tali casu, si Petrus interrogatus taceret, præberet signum negatæ fidei. Consentit Gormaz de virt. Theol. n. 891.

648. Dico 9. Præter dictam obligationem profitendæ fidei per se, seu quasi ex natura

tura rei, datur etiam obligatio, eam profitendi ex jure positivo. Sic vi Tridentini sess. 24. de reform. c. 12. tenentur clerici, ad beneficia curata, vel canonicatum, aut dignitatem in Ecclesiis cathedralibus promoti, professionem fidei, intra duos saltem menses à sua promotione, facere; aliàs, ut decernit Concilium, fructus non faciunt suos. Idem tenentur facere Prælati in prima synodo post suam promotionem. Item Pius V. in Bulla *In sacrosancta*, obligat ad professionem fidei faciendam omnes doctores, magistratus, & regentes, ac professores cujusvis facultatis (sive clerici, sive laici sint) in quibusvis universitatibus, aut gymnasiis publicis: & in eos, qui non facientes hanc professionem fidei tamen promovent, ad tale officium, vel gradum, statuit excommunicationem latæ sententiæ, sicut & in ipsos promotos, ut vult Manuel, aliis tamen hos posteriores ab excommunicatione librantibus. Cæterum Gormaz de virt. Theol. n. 869. & Sanchez l. 2. in decalog. c. 5. n. 4. notant, hoc decretum Pii V. & fortè etiam Pii IV. seu Tridentini, non ubique esse receptum; unde consulenda est consuetudo regionum.

ARTICULUS I.

Solvuntur Objectiones.

649. **O**B. 1. contra 1. conclusionem ex hæreticis Priscillianistis. Fides consummatur in corde: exterior autem ejus confessio est tantum necessaria propter homines: atqui ad hanc faciendam tantum propter homines, non tenetur quis cum tanto periculo: ergo. Confir. Juxta nos teneretur homo semper confiteri exterius fidem, quando eumque interrogatur: sed sic nunquam posset, eam occultare: ergo. Resp. neg. ant. etsi enim actus fidei consummatus possit dari intus in corde: non tamen consummatur tota obligatio fidei interius; quia etiam confessio externa est præcepta, ut probatum à n. 637. nec tantum est præcepta præcepto humano, sed etiam Divino, vel naturali: sicut datur præceptum Divinum, imò etiam naturale, non dandi scandalum proximo. Sed neque præcepta est illa confessio tantum propter homines, sed etiam propter gloriam DEI, quæ per negationem fidei diminuere. Accedit, quòd mendacium, cum sit intrinsecè malum, nunquam sit licitum. Ad confir. neg. ma. quando autem liceat, non quidem negare, sed occultare fidem, desumi potest ex dictis articulo præcedenti.

650. Ob. 2. contra 2. conclusionem. Licet possint adhiberi, ex gravi causâ, ad occultandam fidem, tuncio pectoris, genuflexio, thurificatio, coram idolo &c. ergo licet simulare falsam religionem. prob. ant. S. Hieronymus, præsertim epist. 89. ad S. Augustinum, supponit, cæremonias legis veteris, circumcisionem, & similes, ab instanti mortis Christi, non tantum fuisse mortuas, sed mortiferas (nam eas observava-

re, ait, esse in Cherinti, & Ebionis, seu Hebronis, hæresin incidere) & nihilominus ait, Apostolos sine peccato eas quandoque adhibuisse: non ex intentione cultus, sed per prudentem simulationem: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. Sententiam S. Hieronymi communissimè deserunt Theologi, & adhærent S. Augustino, hac in parte contrario. Itaque cæremoniæ illæ, etsi ab instanti mortis Christi fuerint mortuæ, hoc est, privata sua quasi vitâ, seu efficacità, ita, ut non amplius potuerit in eis poni spes salutis, tamen nondum erant mortifera, seu graviter prohibita, aut peccaminosa.

Unde poterant eæ cæremoniæ adhuc per aliquod tempus (quod tamen ab auctoribus variè extenditur, aut restringitur, & incertum est) sine peccato, absque simulatione adhiberi. At longè aliter se habent actiones superius dictæ, quæ semper sunt mortifera, ex prima institutione sua. Illa S. Hieronymi sententia probabilis esse non potest, nisi explicetur hoc modo, scilicet, eas cæremonias fuisse quidem per se graviter prohibitas, tamen cum permissione, eas ad tempus adhibendi, in certis circumstantiis, quali nulliter, & ex justa causâ: at talis permissio non datur circa actiones supra dictas.

651. Dices. Usus harum actionum est tantum simulatio materialis: ergo aliquando est licitus. Resp. neg. ant. Cum actiones istæ separari non possint à primaria sua institutione, usu, ac significatione, certè simulatio ista formalis est; aliàs enim nulla unquam daretur simulatio formalis. Certè, qui aliquid facit, quod juxta omnes necessariò quandam significationem alicujus rei sibi inseparabiliter annexam habet, censetur, eam rem velle significare: cum ergo hoc nolit, formaliter simulat. Nec sufficit, privata intentione rem illam à significatione communi separare; nam prævalet institutio communis; aliàs posset quis etiam licitè verbis uti, ita, ut non intenderet significationem communem, sed aliam privata intentione substitutam: & sic tolleretur omne mendacium. Aliud est, si res, vel actio, habet alium primarium finem, qui intenditur, & alium, qui tantum secundariò ei à lege humana adjicitur: quæ lex, cum non obliget in tanto periculo, non inseparabiliter eum finem annectit: & habet tunc se res, ferè sicut verba æquivoca, vel amphibologica, de quibus dictum est n. 58. & seq.

652. Ob. 3. Jehu rex Israël, ut habetur 4. Reg. 10. v. 18. simulavit, se velle sacrificare idolo Baalis, ut hac simulatione congregaret omnes ejus prophetas, & sacrificulos, quos postea omnes occidit: & propterea laudatus est *ibi v. 30.* à DEO: ergo simulatio falsæ religionis est licita. Confir. 4. Reg. 5. Naaman Syrus, jam conversus ad verum DEUM, petiit tamen ab Eliseo licentiam adorandi cum rege suo, in templo Remmon falsi DEI: & Eliseus respondit 19. *Vade in pace*: quod fuit, ei dare licentiam: ergo licita est simulatio adorationis per genuflexionem &c. Resp. dist. ant. lauda-

laudatur à DEO simulatio regis Jehu. neg. ant. occisio poparum, & pseudoprophetarum. conc. ant. & neg. conf. Et hæc est aperta sententia S. Augustini *l. contra mendacium c. 2.* hinc non dicitur: *4. Reg. 10. v. 30. Quia bene locutus es:* sed: *Quia studiosè egisti.* Ad dicit Suarez *de fide disp. 14. sec. 4. n. 9.* sæpè Scripturam probare intentionem operantis, quamvis hic in factò, vel electione medii erret.

653. Ad confir. Resp. cum communissima omnium interpretum. Naaman non petit licentiam adorandi idoli, sed tantum adorandi in templo, hoc est, ut græca vox significat, se incurvandi, aut procumbendi, seu genuflectendi, non in gratiam idoli, sed in gratiam regis, qui, cum pro gentis more inniteretur super manum Naamani, principis militiae, non poterat se incurvare, nec genuflectere coram idolo, nisi etiam Naaman se incurvasset; unde genuflexio Naamani non erat adoratio idoli, sed tantum exhibitio politici ministerii: quod ministerium Naaman regi etiam extra templum exhibebat, ex suo officio valde honorifico, sustinendi regem, volentem se inclinare super illum.

Neque hæc genuflexio erat simulatio adorationis, nec actio ex se mala, etiam si forte adstantes decipi potuerint, rati etiam Naaman unâ cum rege adorare idolum: quæ tamen deceptio ex justa causa permitti potuit. Estius *in eum locum* dicit, aliunde constare potuisse, Naamanum esse veri DEI cultorem, & non adorare Remmon, tanquam DEUM, sed tantum in obsequium regis genuflectere; quia vero DEO Israël sacrificabat; nam hac de causa (ut habetur *4. Reg. 5. v. 17.*) *onus duorum burdonum de terra Israël* secum tulit, ut scilicet ex iis vero Deo erigeret aram, eique sacrificaret; solis enim Judæis, non autem aliis fidelibus, erat præceptum, sacrificare Hierosolymis.

654. Ob 4. contra 5. conclusionem ex Tertulliano *l. de fuga. in persecuione c. 3. & seq.* Persecutio provenit ex ordinatione, vel permissione providentiæ Divinæ: sed non licet homini, niti contra providentiam Divinam: ergo neque licet fugere persecutionem. Confir. 1. Apostoli peccarunt fugiendo à Christo in monte oliveti: ergo. Confir. 2. Ille, qui ex quadraginta martyribus fugit, graviter peccavit: ergo. Confir. 3. Libellatici in primitiva Ecclesia etiam censentur, pessimè se gessisse: ergo & fugientes. Resp. retorq. argum. ergo nec licebit fugere tempore pestis, aut belli; nam & ista proveniunt, ex ordinatione, vel permissione DEI: dicere autem, non esse licitum fugere pestem, est prorsus ridiculum. Informa neg. conf.

Vitium syllogismi objecti cuique patet: non tantum sunt quatuor, sed quinque etiam termini in eo. Non nititur hic contra providentiam Divinam, qui diligentiam adhibet, servandi se à malis: imò hoc ipsum est consonum providentiæ Divinæ, quæ vult, ut à multis malis nos

modo meliori servemus. Ad 1. confir. om. ant. neg. conf. Apostoli, ut ait Suarez *de fide disp. 14. sec. 3. n. 13.* peccare poterunt per accidens, si id fecerunt cum scandalo, vel dubia fide: & fortè aliqui tale Christum Dominum innuere voluit iis verbis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Matth. 26. v. 31.* Hoc tamen, ut *ibidem* ait Eximius, affirmare non possumus: neutiquam autem peccarunt Apostoli ratione fugæ, in se præcisè spectata.

655. Ad 2. confir. neg. conf. Ille enim socius martyrum tunc tenebatur fidem confiteri, & per discessum suum virtualiter eam negavit, exhibendo signum, à tyranno ad fidem negandam præscriptum. Ad 3. confir. neg. conf. *Libellatici* ex Spondano *ad ann. Christi 253. n. 6.* erant illi, qui Christum publicè negare erubescens, privatim id, vel per se, vel per alios, suo nomine fecerunt, & à magistratibus libellos securitatis impetrarunt, ne in ipsos amplius, publicè præsertim, inquireretur, & pro hujusmodi dispensatione pecunias solverunt. Malderus *in 2. 2. q. 3. art. 2.* adducens verba S. Cypriani, putat, eos, nec publicè, nec privatim, Christum negasse: magistratus tamen acceptâ pecuniâ libellis edicis fuisse de ipsis testatos, quòd Christum negaverint: quam tamen famam non potuerunt permittere, de se spargi in sua præsentia; nam hac ratione fidem erubescerant: certè occasione dabant, præsumendi de se, quòd confessionem fidei non fecerint, ex timore, vel erubescencia. Quidquid de hoc sit (nam potuit uterque modus accipiendi libellos, pro varietate personarum fuisse adhibitus) hic casus est longè alius, quàm præcisè casus fugæ, aut occultationis.

656. Ob 5. contra 7. conclusionem. Occultare fidem rebus, aut factis, explicatis *n. 644.* est eam occultare mentiendo: hoc nunquam est licitum: ergo. prob. ma. fidelis utens vestibus, quæ solis infidelibus sunt usitate, facit, quantum est in se, ut reputetur infidelis, e. g. Turca: ergo committit reale mendacium; nam ex S. Thoma *2. 2. q. 111. a. 1. in corp.* non tantum verbis, sed etiam rebus, mendacium committitur. Confir. Si tunc non comitteretur mendacium, liceret etiam absque causa iis vestibus uti: hoc est falsum: ergo. Resp. neg. ant. ad prob. dist. ant. fidelis utens iis vestibus facit, quantum est in se, ut reputetur infidelis, hoc est, facit id positivè, atque in casu, in quo non habet justam causam se occultandi. neg. ant. facit id permissivè tantum, & quando habet justam causam se occultandi. conc. ant. & neg. conf.

Ratio est; quia, quando justa causa solvit aliquem obligatione legis humanæ, non tenetur amplius intendere institutionem secundariam rerum: sed sufficit, si intendat primariam: cùmque videatur communi usu receptum, ut in similibus occasionebus uti liceat ejusmodi industria, vel quasi stratagemate, potest quis permittere aliorum deceptionem; hinc deceptionem illam non

non cavat, nisi per accidens: nec facit, quantum est ex se, ut reputetur infidelis, sed tantum permittit eam opinionem. Ad confir. neg. ant. Ut jam diximus *n. 79.* non licet gratis absque causa id facere, ex quo moraliter sequitur aliorum deceptio: quod, tum in aliis, tum maxime in hac materia verum est; videtur enim etiam pertinere ad honorem fidei, ut non sine causa aliquis ita se gerat, ut infidelis possit reputari.

Dices. Plures sunt vestes, quæ assumuntur specialiter ab infidelibus, tanquam ipsis propriæ, ut constat experientiâ: atqui nulla causa potest esse licitè istis utendi ad se occultandum: ergo. prob. mi. nulla potest esse causa sufficiens ad assumendum signum infidelitatis: ergo. Confir. Tale signum æquiparatur verbo, quo quis diceret, se esse e. g. Turcam: ergo. Resp. dist. mi. nulla causa potest esse iis utendi, si proprietatis illa non sit separabilis: in illis circumstantiis. conc. mi. si sit separabilis. neg. mi. & conf. Diximus jam, vestes habere duplicem institutionem: primariam, seu primævam ex rei natura: & secundariam ex lege humana, atque hanc non esse inseparabilem in omnibus circumstantiis.

Si tamen vestis aliqua esset, ex primæva sua institutione, præcisè intenta ad cultum idololatricum, e. g. corona ex idolis, vel similis actio, e. g. gestatio idoli in manu, vel fronte, utique licita non foret, ut jam diximus *n. 645.* ubi etiam egimus de veste, cui idolum appictum &c. ad prob. dist. ant. si illa res, quæ ex institutione secundaria est tale signum, adhibeatur in circumstantiis, in quibus non separatur illa significatio. conc. ant. si ea res adhibeatur in aliis circumstantiis. neg. ant. & conf. Sic aliud utique est, portare vestem religiosam: aliud dicere verbis, se esse religiosum. Nec dicas, ulum vestis, propriæ infidelium, esse inseparabilem à significatione infidelitatis; nam, licet hoc dici possit de quibusdam, de quibus modò diximus, e. g. de corona ex idolis composita: at id dici non potest de omnibus vestibus, e. g. de communi tegmine Turcico capitis: sicut nec de veste religiosorum.

DISPUTATIO V.

De Proprietatibus Actus Fidei.

657. **H**Ac disputatione agendum de certitudine actus fidei, itemque de ejusdem, ac habitus fidei supernaturalitate: qua occasione etiam tractabimus de supernaturalitate aliorum actuum, & habituum, tum intellectus, tum voluntatis, ad actum fidei prærequisitorum, ut sic penitus noscatur natura, seu essentia, tum ipsius actus fidei, tum principiorum, ad eum elicendum necessariorum. Quid certitudo, & quod duplex sit, jam diximus *n. 509* unde tantum est opus, ibi dicta huc applicare. Supernaturalitatem, quantum ad has conclusiones rite

firmandas, & explicandas necesse est, sequenti quæstione attingemus. Addeamus aliqua de subiecto habitus fidei: cùmque de reliquis duobus habitibus Theologicis, seu spei, & charitate, proportionaliter sit discurrendum, etiam de his statim agemus, ne hic dicta inferius iterum repetere oporteat.

QUÆSTIO I.

De Certitudine Actus Fidei.

ARTICULUS I.

An, & quàm certus sit Actus Fidei Theologica.

658. **D**ico. Actus fidei Theologica est essentialiter verus, nec potest esse falsus. ita omnes

Catholici. Prob. Actus fidei Theologica debet intrinsecè niti motivo, seu objecto formali Divino, id est, testimonio DEI, ut probatum *n. 38.* sed testimonium DEI essentialiter verum, ut iterum probatum *n. 52. & 53.* ergo actus fidei Theologica debet intrinsecè niti objecto essentialiter vero: consequenter debet etiam ipse esse essentialiter verus, nec potest esse falsus. Confir. 1. Charitas Theologica necessariò debet pro objecto formali habere bonitatem Divinam realiter talem, & non tantum apparenter talem (sicut etiam spes Theologica verum DEUM possidendum) aliàs posset quis amando super omnia falsum DEUM justificari; cùm actus verus charitatis Theologicae justificet, quod est absurdissimum: ergo etiam fides Theologica debet habere pro objecto formali testimonium DEI realiter tale, & non tantum apparenter tale. Confir. 2. Actus spei, & actus charitatis Theologicae, tendunt in objectum Divinum, ut propositum per actum fidei: ergo, si illi non possunt, tendere in objectum tantum apparenter Divinum, neque fides poterit proponere objectum tantum apparenter Divinum; consequenter neque poterit tali niti.

659. Prob. conclusio 2. Habitus fidei est velut instrumentum Spiritus S., per quod hic juvat intellectum ad assensum: ergo debet esse proportionatus veritati Spiritus S. consequenter non potest influere in actum falsum. Confir. Actus fidei, est supernaturalis, ut probabimus infra *n. 680.* atqui omnis actus supernaturalis principaliter attribuitur DEO, ut docet Apostolus *1. Corinth. 15. v. 10.* dicens: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum:* quod idem docet Tridentinum *sess. 6. c. 16.* ubi ait de DEO: *Cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona:* ex quibus habetur, merita nostra (inter quæ etiam est actus fidei) esse supernaturalia dona DEI: ergo etiam attribuitur principaliter DEO actus fidei: sed actus falsus DEO tribui non potest: ergo.

660. Dico 2. Actus fidei est omnino certus

ta, tamen obiectum formale quod virtutum Theologicarum non potest esse tantum apparenter Divinum, sed debet esse revera tale; ait enim S. Thomas 1. 2. q. 68. a. 8. in corp. *Virtutes quidem Theologicae sunt, quibus mens humana DEO coniungitur: utique autem mens humana coniungitur DEO vero, & non tantum apparenter tali; alias admitti debent absurda, n. 658. aliata; unde ex mente Angelici non possunt virtutes Theologicae (inter quas etiam est fides) ferri in aliquid, quod tantum est apparenter, & non reipsa Divinum: quod autem est reipsa Divinum, est necessario verum: ergo.*

Addunt hic aliqui, etiam habitum pia affectionis (qui, licet entitativè sit moralis, terminativè tamen est Theologicus) non posse elicere suum actum, nisi detur revelatio Divina verè talis. Saltem hoc est certum, quòd, nisi detur verè revelatio Divina, non possit pia affectio elicere imperium effectivè efficacè (non enim potest sequi tunc effectus, seu actus fidei) quidquid sit de imperio affectivè efficaci. Ad confir. neg. conf. Prudentia non dicit, hunc esse pauperem, quod esset falsum: sed tantum dicit, huic, qui apparet pauper, in his ipsis circumstantiis paupertatis apparenter existentis, rationabiliter dandam esse eleemosynam, quod est omnino verum.

669. Ob. 3. contra 3. conclusionem. S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 8. in corp. ait, scientiam esse certiore quoad nos, seu ex parte subjecti, quam sit fides: ergo fides tantum est certior ratione pia affectionis. Confir. Idem Angelicus q. 14. de veritate a. 1. in corp. ait: *Intellectus credentis est captivatus; quia tenetur terminis alienis, & non propriis. inde etiam est, quod in credente possit insurgere motus de contrario sensus, quod firmissime tenet, quamvis non intelligenter, vel scienter: ergo, cum scientia excludat motum de contrario, seu motum dubitationis, est certior.* Resp. neg. conf. S. Doctor expressè ibi dicit, fidem simpliciter esse certiore, ratione causæ, seu motivi, scilicet revelationis: per certitudinem autem quoad nos, vel ex parte subjecti, intelligit tantum proportionem obiecti eum subjecto; nam ait, id etiam dici certius, quod plenius consequitur intellectus, hoc est, quod magis est aptum capere intellectus: qua in acceptione certitudinis hic non loquimur; utique enim admittimus, mysteria fidei magis esse supra captum nostrum, quam obiecta scientiæ naturalis.

Ad confir. neg. conf. Ex eo, quòd antecedenter, & consequenter ad actum fidei, possibiles sint motus dubitationis, vel etiam compossibiles eum ipso actu aliqui motus phantasia, aut potentie apprehensivæ, quasi dubitationis, circa obiecta fidei, sequitur tantum, actum fidei esse magis obscurum: adeoque ad hunc non rapi intellectum evidentiæ terminorum, quæ est terminus proprius intellectus: sed moveri imperio vo-

luntatis, quod imperium est terminus alienus, seu proveniens ab alia potentia, quæ intellectum in captivitate redigit. Quòd autem intellectus possit firmius adherere obsecris, quam claris, id habet supernaturaliter ex viribus gratiæ, & ex altiori, ac digniori motivo; unde S. Thomas in 3. diff. 23. q. 2. art. 2. *quæstiuicula 3. in corp. ait de obiecto fidei: Est veritas prima, sive DEUS, cui creditur, qua habet maiorem firmitatem, quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur: & ideo fides habet maiorem certitudinem, quantum ad formalitatem adhesionis, quam sit certitudo scientiæ, vel intellectus, quamvis in scientiæ, & intellectu, sit maior evidentiæ eorum, quibus assentitur.*

670. Ob. 4. Actus evidens non potest esse, nec per absolutam Dei potentiam falsus: ergo non est minus certus, quam actus fidei. Confir. Intellectus non potest firmius adherere e. g. mysterio SS. Trinitatis, quam huic veritati: *Totum est majus sua parte:* imò huic firmius adheret: ergo. Resp. neg. conf. quia saltem certitudo formalis, & subjectiva est major; hæc enim non stat tantum in veritate, sed in ipso motivo, magis cum veritate connexo, itémque in adhesionem intellectus, ut explicatum n. 661. & seq. Ad confir. neg. ant. etsi enim, cæteris paribus, magis adhereremus clariis propositis: at tamen hæc cætera non sunt paria; quæ dignitas testimonii Divini longissimè excedit omnia motiva naturalia: & sic etiam respondet S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 8. ad 2. & certè firmius adheremus mysterio SS. Trinitatis, quam principio: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* quod non minus est evidens, quam illud: *Totum est majus sua parte.* Imò firmius etiam adheremus illi mysterio, quam huic ipsi principio: *Totum est majus sua parte:* credimus enim, totam SS. Trinitatem non esse aliquid majus qualibet persona. Si dicas, Personas non esse partes SS. Trinitatis. Resp. hoc ipsum ex fide tantum, non autem ex ratione naturali haberi: verbo, si verè fideles sumus, etiam parati semper sumus, relinquere quamcumque nobis visam evidentiæ naturalem, si DEUS aliud revelet.

671. Dices. Illi obiecto firmius adheret intellectus, cui etiam adheret post actum jam elicited, ratione specierum ab ipso relictarum, seu ratione effectus, quam, cui tantum adheret durante actu: atqui priori ratione adheret intellectus obiecto, per evidentiæ naturalem cognito: posteriori verò ratione adheret obiecto, per actum fidei cognito: ergo. Resp. neg. ma. sed intellectus firmius adheret illi obiecto, circa quod elicit talem actum, quo præ omnibus aliis adheret, ita, ut, si possibile esset, quòd unum obiectum opponeretur alteri, citius hoc desereret, quam illud: atqui intellectus citius desereret obiectum cuiusvis scientiæ, quam fidei, ut dictum n. 663. Quòd autem intel-

Intellectus obiecto evidenti adhaereat adhuc etiam postea, ratione effectus, non habetur à certitudine appetitativa, seu adhæsiva, sed ab evidentiæ, seu claritate, ut dictum n. 505.

672. Ob. 5. Scientia Beatorum, seu visio beatifica, est certior fide: atqui non est certior ratione motivi; utraque enim habet pro motivo veracitatem Divinam: ergo ratione modi tendendi in DEUM: ergo, cum etiam scientia habeat meliorem modum tendendi, scilicet clariorem, quam actus fidei, ista etiam erit certior. Resp. 1. neg. min. nam, ut diximus n. 465. visio beatifica attingit DEUM absque adminiculo revelationis creatæ; unde habet motivum purius; quia purè Divinum. Resp. 2. neg. ultimam. conf. Beatus enim videt veracitatem Divinam per visionem beatificam, dum viator eam tantum per fidem audit: cæteris autem paribus, securior est aliquo modo visio, quam auditio; unde visio beatifica, cum habeat totum id, quod habet fides, & adhuc aliquid amplius, meritò dicitur certior fide. At in scientia humana, & fide Divina, cætera non sunt paria: sed motiva scientiæ sunt nimium quantum inferiora: qui defectus non potest compenari per claritatem; nec enim excessus infinitus veracitatis Divinæ, super omnem creatam veritatem, adæquari potest per claritatem tantum creatam.

673. Ob. 6. Potest idem actus esse simul actus fidei, & scientiæ, hoc est, niti motivo fidei, seu revelatione, & motivo scientiæ, seu ratione naturali evidentiæ: talis actus fidei non esset certior scientiæ; quia non esset certior seipso: ergo nullus actus fidei est certior scientiæ; quia actus fidei omnes sunt ejusdem speciei. Resp. 1. neg. ma. vel potius ejus suppositum, quòd talis actus esset actus fidei; nam, licet omittatur esse possibilis actus, nixus tali duplici motivo, tamen is non foret actus fidei, sed actus conclusionis Theologicæ, vel alterius speciei: de quo nolim disputare.

Equidem diximus jam supra n. 470. scientiam, & fidem, tanquam duos actus, stare simul posse in eodem intellectu: at ex hoc non sequitur, quòd etiam idem actus, qui indivisibiliter niteretur motivo utroque, scilicet revelatione Divina, & evidentiæ naturali, esset actus fidei; hoc enim negari potest ex hoc ipso, quòd, ut obiectio supponit, non possit unus actus fidei esse speciei diversus ab altero: hic tamen actus, per intrinsecum essentialium respectum ad motivum evidens, differret ab aliis actibus fidei. 2. quia non potest actus esse magis indefectibilis, quam sit ejus motivum intrinsecum; consequenter deficiente motivo scientiæ deficeret omnis actus, qui eo essentialiter niteretur, adeoque etiam talis actus, nixus utroque motivo. Quare talis actus non videtur posse esse actus fidei strictè dictus; quia hic debet esse omnino firmissimus, & consequenter longè magis firmus & minus

defectibilis, quam quodlibet motivum tantum creatum.

674. Dices. Omnis actus fidei niteretur revelatione externa creatæ, adeoque motivo aliquo defectibili: ergo. Resp. Actus fidei non niteretur illa revelatione, tantum nudè sumpta, seu ut accepta tantum pro externa creatæ locutione: sed niteretur illa ut informata auctoritate Divina; neque etiam illa locutio, nudè in se spectata, habet rationem auctoritatis, quæ primariò, & potissimum movet: sed tantum habet rationem dicti, quod non movet, nisi ut informatum auctoritate. At verò motivum scientiæ respectu actus, in objectionem adducti, debet habere rationem motivi, non moventis, quia est informatum ab alio, sed moventis ex propria sua virtute, & astimabilitate. Dein locutio ista externa, supposito, quòd sit informata auctoritate Divina, tam parum potest deficere à veritate, quam parum ipsa auctoritas; unde est disparitas maxima.

Resp. 2. ad objectionem n. 673. factam om. ma. neg. mi. quidquid sit, sive talis actus sit actus fidei, sive non, parum refert: si etiam omittatur; talem actum esse actum fidei, tamen actus fidei semper erit certior solà scientiæ; nam hic ipse actus erit certior quovis alio actu, qui tantum niteretur motivo scientifico: seu tantum esset actus scientiæ. Hinc talis actus foret certior seipso, non quidem se ipso realiter accepto, sed tamen seipso formaliter accepto: sicut Logici, agendo de universalis in actuali prædicatione, dicere solent, actum esse clariorem se ipso formaliter accepto. Realiter autem certior esset talis actus, nixus motivo fidei simul, & scientiæ, quovis alio actu, qui solum niteretur motivo scientifico.

675. Noto sub finem ex Gormaz de virt. Theol. n. 845. certitudinem fidei posse quasi accidentaliter, seu intensivè, esse majorem in uno, quam in altero actu fidei; quia e. g. is, qui majori gratia pollet, si operetur, quantum potest, eliciet actum intensiorem, ac proinde accidentaliter firmiorem, & certiore, quam eliciat alius minori gratia pollens. Pariter, si quis instructus sit habitu piæ affectionis magis intenso, & etiam operetur, devotione, confidentiâ, & promptitudine, quanta potest, eliciet actum fidei accidentaliter perfectiorem. Et de hac accidentaliter firmitate, vel certitudine loquitur S. Thomas. 2. 2. q. 5. art. 4. in corp. dicens: *Potest ergo fides in aliquo dici major, uno modo ex parte intellectus, propter certitudinem, & firmitatem: alio modo ex parte voluntatis, propter majorem promptitudinem, seu devotionem, vel confidentiam: & in eundem sensum loquitur inferius ad 3.*



gratiæ habituale ad ea, quæ sunt supernaturalia quoad substantiam: ergo, vel pia affectio, & etiam actus fidei, non sunt supernaturalibus, vel non dantur pro iis eliciendis habitus supernaturales. Resp. neg. conf. S. S. Augustinus l. 1. retract. c. 23. dictum illud retractat, & fidem numerat inter DEI dona, ac addit: *Utrumque ergo* (hoc est, credere, & operari salutariter) *nostrum est, propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per Spiritum fidei, & charitatis. . . . utrumque ipsius DEI est; quia ipse preparat voluntatem, & utrumque nostrum; quia non fit, nisi volentibus nobis.*

Ad 1. confir. neg. suppositum. conf. Angelicus ibi terminum *supernaturale* accipit in alia significatione: scilicet, per supernaturale quoad substantiam intelligit actiones miraculosas, & extraordinarias, quas viri Sancti sapius, non tamen habitualiter potuerunt operari, & quibus nec genericè similes possunt naturaliter produci: quales e.g. sunt resurrectiones mortuorum, prophetiæ &c. alias autem actiones vocavit supernaturales tantum quoad modum; quia saltem genericè aliquo modo similes possimus producere viribus naturæ, e. g. aliquem saltem amorem DEI. Ad 2. confir. neg. conf. quia S. Doctor tantum negat, Sanctis fuisse concessum habituale donum supernaturalium quoad substantiam, prout hunc terminum ibi sumit, scilicet pro miraculis, & prodigiis extraordinariis &c.

690. Ob. 2. Tridentinum, & Arausicanum, non negant, posse naturaliter elici fidem: sed tantum negant, posse elici fidem, sicut oportet: ergo potest quidem naturaliter elici actus fidei quoad substantiam, sed non quoad modum. Confir. 1. Si actus fidei, & charitatis, non possent esse naturales, posset quis scire, se esse in statu gratiæ; quia potest quis scire, se eliciisse actum charitatis: hoc est falsum: ergo. Confir. 2. Rationale, & irrationale, est idem animal quoad substantiam: ergo etiam fides naturalis, & supernaturalis. Resp. neg. conf. Illud *sicut oportet* significat talem fidem, quæ disponat ad gratiam, vel justificationem: hæc autem fides quoad substantiam intrinsicè differt ab alia, quam elicit hæreticus, dum elicit actum fidei naturalem de eodem objecto materiali. An autem possit actus fidei naturalis elici propter idem prorsus objectum formale, disputant Theologi, nec Concilium voluit hanc litem decidere; unde ad præcindenda dubia dixit: *sicut oportet*. Ad 1. confir. neg. ma. nemo enim scit, an actum supernaturalem, sicut oportet, an tantum actum naturalem eliciuerit; & hoc nemo scit; vel quia nemo scit, se egisse ex vero amore DEI super omnia, vel saltem, quia nemo scit, se egisse cum omnibus requisitis ad actum supernaturalem; neque enim dicimus, non posse elici ullum amorem DEI naturalem: imò oppositum defendimus tract. de gratia n. 95. Et idem dicendum de actu fidei, si possibi-

lis sit revelatio DEI naturalis, de quo vide dicta n. 142. Ad 2. confir. neg. ant. licet enim rationale, & irrationale, genericè conveniant, tamen utique substantialiter, seu essentialiter differunt.

691. Ob. 3. contra 3. conclusionem. Species, & habitus, debent esse ejusdem ordinis; nam ex utroque constituitur principium completum actus: sed habitus fidei est supernaturalis: ergo etiam species debent esse supernaturales. Confir. 1. Habitus scientiæ infusæ in Christo exigitur quoque species supernaturales: ergo etiam habitus fidei eas exigit. Confir. 2. Ad conclusionem supernaturalem requiruntur etiam præmissæ supernaturales: ergo etiam ad iudicium supernaturale requiruntur species supernaturales; cum sit par ratio. Resp. neg. ma. universaliter sumptam; nam, sicut objectum non debet esse semper ejusdem ordinis cum habitu, vel potentia (ut patet in anima rationali spiritali, & naturali, cognoscente materialia, & supernaturalia) ita nec species vicaria objecti.

Quod autem anima ad producendas cognitiones spirituales indigeat prius speciebus spiritalibus, non est ratio, quod species debeant esse ejusdem ordinis cum anima: nec quod species phantasticæ ratione materialitatis non possint concurrere (alias species materiales phantasticæ neque possent concurrere cum anima, ad producendam speciem spiritalium) sed est alia ratio, ex qua Philosophi probant existentiam specierum spiritalium: mihi optima visa est memoria actuum, & objectorum, remanens in anima post mortem, quæ stare non potest in speciebus phantasticis; quia hæc post mortem non amplius dantur: ergo debet stare in speciebus spiritalibus: si autem debent species spirituales adesse post mortem, habebunt etiam, quod agunt in vita scilicet producent species expressas spirituales, seu cognitiones.

692. Ad 1. confir. neg. conf. Si illæ species Christi Domini fuerunt supernaturales, vel DEUS pro suo libitu, ut potuit, voluit eas dare (nec enim dicimus, species non posse esse supernaturales, sed tantum non debere tales esse) vel DEUS species supernaturales dedit; quia dari non poterat species naturalis omnium creaturarum possibilem, aut etiam futurarum; eoquod species quidditativa naturalis videatur supponere existentiam objecti, cum tamen non possint unquam existere omnia futura (videatur Lugo de incarnat. disp. 20. sec. 3.) hæc autem rationes non militent in nostro casu, seu pro speciebus ad actum fidei concurrentibus. Ad 2. confir. neg. conf. Conclusio supernaturalis, si est actus fidei, necessario præsupponit duas revelationes supernaturales, seu duos actus fidei, tanquam præmissas formales, ut patet ex dictis n. 589. Sive autem sit, sive non sit actus fidei illa conclusio, præmissæ debent esse saltem æquæ certæ, ac est conclusio, ut omnes admittunt: atque actus naturalis non potest esse tam certus,

tus, quam actus supernaturalis: ergo præmissæ necessariò debent esse supernaturales. Licet enim præmissæ formales, ut tales, non sint motivum conclusioni, tamen sunt applicatio motivi, & quidem talis, ut pro difficultate ejusmodi applicationis, seu præmissarum, intellectus firmius, aut minus firmiter, assentiatur conclusioni; nam certè, qui tantum obscurè penetrat præmissas, vel ipsis non omnino firmiter assentitur, is non tam firmiter assentitur conclusioni, quam alius, qui præmissas evidentissimè, ac clarissimè penetrat, illisque omnino firmiter assentitur.

Sed nec potest quis firmius assentiri conclusioni, quam præmissis; quia non potest motivum firmius applicari conclusioni, quam sit applicatum præmissis; unde hæc non potest esse firmior, aut certior. Si neges contra communem, quod præmissæ debeant esse æquæ certæ, ac conclusio, ruet coipso tuum argumentum; nam probare non poteris, quod ex præmissis naturalibus non possit ratione specialis auxilii inferri conclusio supernaturalis: & sanè Cardinalis de Lugo. de fide disp. 9. sec. 4. n. 75. negat, quod saltem utraque præmissa debeat esse supernaturalis, etiam in ordine ad conclusionem supernaturalem.

693. Ob. 4. Objectum fidei est supernaturale: ergo etiam species sunt supernaturales. Confir. Species conducunt ad actus supernaturales: ergo etiam debent esse supernaturales. Resp. 1. ergo nec de mysteriis fidei, quando ea audimus à prædicatore, habebimus species naturales, sed omnes supernaturales, quod est nimium: & ipse Granadus, alias adversarius tr. 9. disp. 5. n. 6. admittit, dari apprehensiones naturales circa objecta supernaturalia, nempe mysteria SS. Trinitatis, & Evcharistiæ, de quibus agit objecto. in forma om. ant. neg. conf. cum enim species nec sint quidditivæ, nec intuitivæ, non debent esse supernaturales, etiam si sint objectorum supernaturalium. Certè lumine naturali potest cognosci, saltem probabiliter, aliquid supernaturale esse possibile, ut docet Suarez de Angelis l. 2. c. 29. n. 23. & alii: ergo per species naturales. Sed neque species abstractiva debet esse in eodem ordine cum objecto; alias species abstractiva DEI deberet esse Divina, & increata: imò nec species impressa intuitiva creata DEI, quam possibilem cum multis dixi tract. de DEO. n. 225. debet esse tam perfecta, quam DEUS; alias manifestè repugnaret. Ad confir. Etiam intellectus conducit ad actum fidei, nec tamen propterea est supernaturalis; quia tantum concurrat ut elevatus: pariter & species concurrunt tantum ut elevatæ; unde neg. conf.

694. Ob. 5. Ex objecto, & potentia, oritur notitia: hoc est: ad actum fidei requiritur, ex parte potentia habitus, ex parte objecti species, tanquam vicaria objecti: ergo, sicut requiritur habitus supernaturalis, ita etiam requiritur species supernaturalis.

Confir. Firmitas actus fidei habetur ab objecto motivo, seu a revelatione: sed objectum eam non tribuit immediatè per se: ergo tribuit per speciem: sed species naturalis non possunt, eam firmitatem tribuere: ergo species debent esse supernaturales. Resp. 1. Recentior quidam adstruit quidem species supernaturales, sed non distinctas ab habitu: at non videtur hoc convenienter dici; cum habitus non concurrat ex parte objecti, nec etiam, sicut ipse videtur velle, lumen gloriæ sit species DEI, ut cum aliis negavi in tract. de DEO n. 243, Resp. 2. neg. conf. sufficit enim, si unum principium sit supernaturalis, scilicet habitus (cujus supernaturalitas aliunde probatur) & reliqua principia elevet, ut fufius explicat Lugo de fide disp. 9. sec. 4. n. 70.

Ad confir. dist. mi. objectum eam firmitatem non tribuit per se, hoc est, non ex propria virtute. neg. mi. non per se, hoc est, non sine applicatione per speciem. conc. mi. & sub eadem dist. conc. vel neg. conf. dist. dein subsumptum. species naturales non possunt eam firmitatem tribuere, tanquam virtus movendi. conc. subsumpt. tanquam applicatio virtutis. neg. subsumpt. & conf. Imò species, etiam supernaturales, utpote creatæ, non possunt tribuere vim firmissimam actui fidei, qui tantum potest niti motivo Divino: ergo species, qualescunque dentur, sunt tantum applicatio motivi: ad hanc autem sufficientem speciem etiam naturales, sed elevatæ. Scilicet habet se objectum movens, sicut finis movens; nam iste etiam movet ut objectum, non per se, in sensu modo explicato, seu non sine applicatione per cognitionem: & cognitio etiam non debet habere vim movendi, sed tantum vim applicandi finem: nec debet esse ejusdem speciei, seu ordinis cum fine.

695. Ob. 6. contra 5. conclusionem. Apprehensio præcedens debet esse proportionata iudicio: ergo ante iudicium supernaturale debet dari apprehensio supernaturalis. Confir. Apprehensio est dispositio ad iudicium: sed dispositio ad iudicium supernaturale est dispositio ad iudicium supernaturale: ergo. Resp. dist. ant. apprehensio præcedens debet esse proportionata, hoc est, debet esse representatio ejusdem objecti. conc. ant. debet esse ejusdem ordinis cum iudicio. neg. ant. & conf. vide dicta de specie n. 691. Ad confir. dist. ma. apprehensio est dispositio ad iudicium, determinatè exigens iudicium supernaturale. neg. ma. est dispositio, non determinatè exigens iudicium supernaturale, sed indifferens, ut elevetur, vel non elevetur, ut dein sequatur iudicium naturale, vel supernaturale. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Hæc reponso etiam datur, si objicitur, quod species sint dispositiones. Quod autem dispositiones ad justificationem (de quibus Tridentinum sess. 6. c. 5. & 6.) sint supernaturales, ideo est; quia ibi est sermo de dispositionibus positivè conducentibus, & determinatè tendentibus ad actum supernaturalem: scilicet sermo est de vocatione DEI,

DEI, & gratia excitante, de fide ex auditu concepta (qui tamen auditus non videtur, debere esse supernaturalis) de metu, & spe &c.

696. Ob. 7. Complacentiæ simplices voluntatis necessariæ, quæ dicuntur inspirationes Spiritus S. & præcedunt actum liberum voluntatis, sunt supernaturales: ergo etiam apprehensiones præviæ ad iudicium. Resp. neg. conf. primò enim, aliquæ gratiæ supernæ præviæ, debent etiam admitti in voluntate: atqui non possunt esse aliæ, quam simplices illæ complacentiæ necessariæ; nam actus liber non fit in nobis sine nobis: sicut tamen ex S. Augustino fit in nobis sine nobis gratia præviæ: ergo illæ simplices complacentiæ debent esse supernaturales. At verò in intellectu ipsum iudicium credibilitatis potest esse necessarium, adeoque ipsum potest esse illa illustratio Spiritus S., quam ipse facit in nobis sine nobis: consequenter non debet præcedens apprehensio jam esse supernaturalis, seu illustratio Spiritus S.

Secundò. Ante actum voluntatis indeliberatum, seu complacentiam simplicem necessariam, præcedit actus intellectus supernaturalis, proponens objectum voluntati, amplectendum primò per talem actum complacentiæ necessariæ, ut eadem voluntas postea idem objectum etiam amplectatur per actum liberum: atqui actus supernaturalis intellectus tendit ad supernaturalem actum voluntatis, (nam, sicut cognitio naturalis boni exigit concursum naturalem ad amorem naturalem, ita cognitio supernaturalis exigit concursum supernaturalem ad amorem supernaturalem) ergo etiam ille actus præcedens complacentiam necessariam, tendit ad complacentiam supernaturalem. At nihil simile afferri potest pro Supernaturalitate apprehensionum.

697. Ob. 8. Illustrationes Spiritus S. prærequiritæ ad fidem, sunt ex dono Spiritus S., ut colligitur ex Araucano II. *can. 7.* negante, posse hominem salutari prædicationi consentire absque illuminatione, & inspiratione Spiritus S.: atqui istæ illustrationes sunt apprehensiones: ergo. Confir. Iudicium credibilitatis non suadet infallibilitatem; dari evidentem: sed tantum suadet, dari evidentem credibilitatem: ergo iudicium non est illa illustratio prærequiritæ ad fidem. Resp. 1. nos jam *n. 687.* excepisse apprehensiones immediatè præcedentes actum fidei; unde hæc objectio, & confirmatio, nos non tangit.

Cardinalis Lugo negat min. seu negat, quòd illæ illustrationes sint necessariò apprehensiones: sed dicit, posse esse ipsum iudicium practicum supernaturale credibilitatis, quod necessarium est, adeoque fit in nobis sine nobis: simulque facit, nos cognoscere evidenter obligationem credendi. Ad confir. Lugo potest probabiliter negare antecedens; nam eo ipso, quòd iudicium illud proponat evidenter credibilitatem, etiam proponit adesse ipsam revelationem, &

quidem, cum sit actus supernaturalis, id facit infallibiliter: licet non habeat illam infallibilitatem supremi ordinis, quam habet actus fidei.

698. Ob. 9. contra 6. conclusionem, Actus virtutis superioris, e. g. charitatis, potest imperari ab actu virtutis inferioris, e. g. timoris gehennæ: ergo etiam actus supernaturalis potest imperari ab actu naturali, atque adeò pia affectio non debet esse supernaturalis. Confir. Habitus elicivus iudicii practici, dirigentis ad piam affectionem, & habitus ipsius piæ affectionis, iuxta nos præcederent habitum fidei, sicut actus illius actum huius præcedit: atqui nullus habitus præcedit habitum fidei: ergo. Resp. conc. ant. neg. conf. Disparitas petenda est ex nostris rationibus *n. 688.* allatis, quæ probant oppositum consequentis, non verò antecedentis: & licet ommitteretur, posse aliquando aliquem actum supernaturalem imperari ab actu naturali, non posset id admitti respectu actus fidei ob dictas rationes, ut patebit consideranti.

Ad confir. dist. ma. Isti habitus præcederent habitum fidei, hoc est, pro priori ad ipsum infunderentur. neg. ma. hoc est, elicerent, si adsint, suos actus, anequam suos actus eliciat habitus fidei. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Iudicium illud potest procedere à prudentia infusa: pia affectio autem à speciali habitu, quem probavimus *n. 526.* Non autem est necesse, ut isti habitus infundantur pro priori, vel temporis, vel naturæ, ad habitum fidei; nam, quando non adest habitus fidei, etiam non adest habitus charitatis, consequenter nec habitus morales: debentque tunc illi actus elici per auxilium omnipotentis extrinsecè applicatæ, sicut & ipse actus fidei.

Postquam autem hi actus, nempe iudicii practici, & piæ affectionis, elici fuerunt, per auxilium omnipotentis extrinsecè applicatæ, tanquam dispositiones, jam potest habitus fidei pro priori ad illos habitus infundi, tanquam finis eorum: quamvis isti dein prius exerceantur. Alii addunt, quòd SS. Patres, quando dicunt, fidem omnium primam infundi, intelligi debeant de habitu fidei moraliter sumpto, pro complexo omnium, ad actum fidei eliciendum requisitorum quod complexum involvit etiam habitus piæ affectionis, & prudentiæ elicivæ iudicii prævii.

699. Quæri hic etiam solet, an species rememorative, relicta ab actu fidei, sint supernaturales. Hanc quæstionem jam tetigit *n. 44. & sequentibus.* Si vis dicere supernaturales, rationem habes *n. 45.* allatam. Si vis eas dicere naturales, dic, actionem quidem productivam istarum specterum, cum essentialiter dependeat ab actibus supernaturalibus, debere esse supernaturalem: at non propterea etiam debere esse supernaturales ipsas species, quæ distinguuntur ab actione; nec enim implicat, effectum inferiorem naturalem produci ab actione supernaturali; licet non vicissim actio inferior naturalis possit

possit producere effectum supernaturalem.

Accedit, quòd posito actu fidei, cum hic simul sit vitalis debeatur naturæ agenti, scilicet intellectui, aliqua species ipsius, ut possit actus illius, non quidem tanquam supernaturalis, sed tamen tanquam cognitionis vitalis, recordari, & rationem de eo reddere, ac actiones suas regere &c: ergo videtur debere dari aliqua species, quæ sit intrinsecè naturalis, licet præsuppositivè supernaturalis: & eodem modo loquendum est de speciebus rememorative aliorum actuum supernaturalium. An autem præter has species naturales debeant etiam admitti aliquæ supernaturales, tu ipse libratis rationibus decerne. Videri etiam potest Lugo *de fide disp. 9. sec. 4. n. 76. & infero addo.*

700. Quæri ulterius potest, unde actus fidei desumat suam supernaturalitatem, an tantum ab habitu, & gratia, à quibus certò habet supernaturalitatem: an verò etiam ab objecto formali, seu revelatione, ita, ut nullus actus naturalis possit tanta firmitate revelationem attingere, quanta eam attingit actus supernaturalis fidei. Hoc secundum volunt Suarez *l. 2. de necessitate gratiæ. c. 11. n. 8.* (ubi citat pro se etiam S. Thomam) & alii. At Lugo *de fide disp. 9. sec. 1. per totam* negat, saltem de actu supernaturali in genere, eum absolutè necessariò debere trahere supernaturalitatem ab objecto formali; quamvis dein *n. 18.* dicat, actus saltem voluntatis supernaturales, differre semper ratione motivi: remque hanc explicat, ut nos explicavimus *n. 31.* de objecto virtutum moralium, quæ ibi videri possunt. Ab actu fidei Theologicæ videtur Lugo præscindere, & nos etiam præscindimus; nec enim lubet, quæstionem hanc valde speculativam, nec necessariam, ulterius examinare: præsertim, cum potius spectet ad tractatum *de gratia.* Videri possunt citati auctores, sufficere nobis, actum fidei certò habere supernaturalitatem ab habitu, & gratia.

ARTICULUS III.

Quomodo Habitus Fidei se habeat ad Gratiam Sanctificantem.

701. Dico 1. Habitus fidei probabilius nunquam infunditur ante gratiam. ita Lugo, Ripalda, Arriaga, Haunöldus *l. 3. tr. 1. c. 9. contr. 1. n. 419.* & alij: atque etiam S. Thomas *1. 2. q. 62. a. 4. in corp.* ubi docet, habitus Theologicos simul infundi, quamvis actus fidei præcedat actum spei, & charitatis. item *3. p. q. 85. a. 6. in corp.* ubi ait, virtutes connexas omnes simul incipere in anima. Prob. conclusio 1. Ex Concilio Vienneſi *Clementin. de summa Trinit. c. 1.* item ex *C. Majores. de baptismo.* citatis *n. 23.* habetur, parvulis infundi virtutes, ex virtute baptismi: ratio autem assertur; quòd eas virtutes infundantur adultis, & eadem sit generalis efficacia meritorum Christi, quæ per baptismum applicatur parvulis, & adultis: atqui, si adultis jam infunderetur ha-

bitus fidei ante baptismum, seu antequam reciperent gratiam, ob elicatum prius actum fidei, mala esset argumentatio ab adultis ad parvulos; quia isti non possunt elicere actum fidei: ergo. Confir. Adulti non possunt recipere gratiam ante elicatum actum fidei: imò neque statim cum actu fidei; quia adhuc requiritur, vel contritio, vel sacramentum: ergo, si posito actu fidei statim infunderetur habitus fidei, tunc iste semper infunderetur adultis ante gratiam, & ante baptismum: hoc autem dici non potest: ergo. prob. subsumpt. Papa, & Concilium supponunt, habitum fidei etiam adultis infundi per baptismum in re, vel saltem in voto susceptum: ergo.

702. Probatur 2. Tridentinum *sess. 6. c. 7.* sic definit: *Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem:* ergo istæ simul cum justificatione, seu gratia, infunduntur. Loquitur autem Concilium de habitibus; nam ait, hanc fidem, ex Apostolica traditione, catechumenos petere ab Ecclesia: non autem petunt fidem actualem, quam jam ante baptismum afferunt: ergo habituale. Ex quo etiam confirmatur sententia nostra; quia, si hanc, id est, fidem habituale catechumeni petunt, ea non jam ob actum fidei præcedentem infunditur ante baptismum, in quo infunditur gratia.

Dicere autem illud *simul* significare, non simultatem temporis, aut naturæ, sed tantum simultatem omnium trium virtutum, hoc est, ut nulla non infundatur, est sensum sine necessitate torquere: & licet iuxta aliquos debeat ita explicari illud Ecclesiastici *18. v. 1. Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* (eoquòd aliter non videatur posse esse verus hic textus in sensu literali) non tamen sine necessitate (qualis circa verba Tridentini nulla est) debet, aut potest particula *simul* semper ita explicari; aliàs, siquis ab uno Episcopo, servatis interstitiis, successivè recepisset omnes ordines, posset dici, eos simul accepisse. Sed nec dici potest, Tridentinum tantum loqui de ordinariè contingentibus; nam propositio indefinita in materia dogmatica æquivalet universali: dein juxta adversarios neque ordinariè infunderetur fides post gratiam, imò nunquam adultis, ut patet ex dictis *n. præcedenti.* Neque tandem dici potest, Concilium loqui tantum de fidei augmento; nam eodem modo loquitur de fide, ac charitate: at non loquitur de augmento, sed de prima infusione charitatis: ergo.

703. Dico 2. Habitus tamen fidei manet in peccatore sine gratia, si is non incidat in hæresin. ita Tridentinum *sess. 6. c. 15.* ubi docet, per infidelitatem fidem amitti: non verò per quodcunque aliud peccatum, quo tamen amittitur gratia, ut ibidem habetur. Licet autem ibi Concilium non utatur termino *habitus*, loquitur tamen de isto, seu de fide habituali, ut patet ex contextu; quia Concilium semper loquitur de habitu capitibus antecedentibus, ut iterum patet,

patet ex dictis *n. precedenti*. Eadem conclusio quoad 1. partem desumitur ex omnibus illis S. Scripturæ locis, quibus probatur, fidem esse posse sine charitate, quæ videtur apud Bellarminum *tom. 4. contr. 3. general. 2. princip. l. 1. de justificatione c. 15.* sic Joannis 1.2. v. 42. *Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Phariseos non confitebantur, ut e Synagoga non eicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam DEI.* & Jacob. 2. v. 20. *Fides sine operibus mortua est.*

Obiter hic addo, etiam manere in peccatore spem. Probatum hoc auctoritate omnium Theologorum, & paritate a fide desumpta. Excipe tamen, nisi quis desperet, aut infidelis fiat; nam desperatio, utpote strictè opposita spei, istam destruit: infidelitas autem, ut dictum est, destruit fidem: cumque fides sit fundamentum spei, illà destructà, etiam ista destruitur.

704. Quæri ulterius potest, an habitus fidei (& idem est de spe) maneat in peccatore, ex natura rei, sive juxta exigentiam ipsius habitus: an verò præcisè ex libero decreto conservetur à DEO, contra, vel supra suam exigentiam. Hoc secundum asserit Lugo *de fide disp. 16. sec. 2. n. 29.* ex ea ratione, quam ponit *n. 26.* scilicet, gratiam esse naturam in ordine superno, & habitus esse ejus potentias: potentias autem non manere destructà earum naturà, sicut non manent potentia, auditiva, visiva &c. destructà naturà animalis. Addit tamen, non propterea miraculosè fidem conservari; cum hoc fiat ex lege universali, à DEO, justis de causis, contra, vel supra exigentiam habituum statuta.

Ripalda e contra, & alii dicunt, fidem connaturaliter in peccatore fideli manere. Ajunt hi auctores, quòd, licet non omnes potentia, quæ non possunt connaturaliter produci absque natura eas exigente, possint manere istà destructà, tamen possunt manere aliqua destructà naturà: sic ajunt, virtutem germinandi, quæ est potentia grani, manere in grano emortuo: sed hoc exemplum vim non habet apud eos, qui admittunt vitam feminum. Negari tamen non potest, quòd maneat in cadaveribus destructà animà potentia aliqua producendi certos effectus, ut patet in herbis: quos effectus, si etiam attribuas formis partialibus, dici poterit, has ipsas formas esse in aliquo sensu potentias animæ subordinatas. Sed neque debet esse omnimoda paritas, inter verè, & strictè dictam naturam, ejusque potentias, ac inter tantum quasi naturam, ejusque quasi potentias; poruit enim DEUS pro libitu producere habitus fidei, & spei, cum tali, vel alia exigentia: quid autem fecerit, est satis incertum, quamvis neutri sententiæ negare velim suam probabilitatem.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

705. **O**B. 1. contra 1. conclusionem. Habitus fidei conservatur sine gratia: ergo etiam sine illa producitur. Confir. 1. Tridentinum *sess. 6. c. 8.* ait: *Fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnium justificationis:* ergo debet infundi habitus fidei ante justificationem, seu gratiam. Confir. 2. Qui accedit cum actu fidei ad baptisimum, sed tamen cum aliquo peccato, e.g. luxuria, licet non recipiat gratiam, tamen recipit characterem, & fidem, ergo fides recipitur ante gratiam. Resp. conc. ant. neg. conf. Ratio responsionis desumitur partim ex dictis *num. preced.* partim ex rationibus conclusionis: insuper in plurimis patet, plus requiri ad primam productionem, quam tantum ad conservationem rei.

Ad 1. confir. neg. conf. Tridentinum ibi loquitur de fide actuali, ut patet vel ex eo; quia dicit, nec fidem, nec opera mereri justificationis gratiam: ergo loquitur de fide, quæ saltem genericè accepta, potest esse meritoria: hæc autem est actualis, non habitualis: adeoque ex illis verbis nequit inferri, quòd debeat infundi habitus fidei ante justificationem. Ad 2. confir. neg. ant. cum Lugone *de fide disp. 16. sec. 2. n. 22.* non enim ponitur sufficiens dispositio ad unum habitum, nisi ponatur ad omnes, nec habemus sufficiens fundamentum ex Scripturis, vel Conciliis, adstruendi in tali casu efficaciam baptismi dimidiatam, in ordine ad habitum, sicut ad characterem.

706. **O**B. 2. Tridentinum *sess. 6. c. 7.* ait: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit:* ergo fides debet prius infundi; aliàs spes, & charitas, non possent accedere. Confir. 1. Hæreticus, quando accedit ad fidem, dicitur jam fidelis, antequam justificetur: ergo jam habet habitum fidei. Confir. 2. S. Thomas 2. 2. q. 6. a. 2. ad 3. ait: *Quod ille, qui accipit à DEO fidem absque charitate, non simpliciter sanatur ab infidelitate:* ergo fides infunditur absque charitate.

Resp. neg. conf. Per accedere Tridentinum tantum intelligit *conjugi;* aliàs nunquam, neque parvulis possent simul infundi istæ tres virtutes; quia, si simul infunderentur, non accederent spes, & charitas ad fidem, quod tamen Tridentinum requirit ad justificationem; unde per accessum intelligitur tantum conjunctio: estque hic modus loquendi frequens: sic dicimus, sapientiam non esse valde æstimandam, nisi accedat pietas. Ad 1. confir. neg. conf. Luxuriosus, si det elemosynam, dicitur misericors: quin tamen habeat habitum infusum misericordiae; quare terminus *fidelis* potest significare

gnificare, vel habentem habitum fidei, vel habentem actum fidei moraliter perseverantem: & in hoc secundo sensu talis hæreticus dicitur fidelis.

Ad 2. confir. neg. conf. S. Doctor loquitur de fide actuali, quam DEUS donat peccatori infideli, dum cum eo per auxilium extrinsecum concurrat ad actum fidei, ut colligitur ex toto illo articulo, & vel maxime ex illis, quæ eodem loco habet, nempe per solam fidem non sanari hominem simpliciter; quia non *removetur culpa precedentis infidelitatis:* sed tantum sanari secundum quid, ut scilicet cesset à tali peccato, seu actu peccati; nam statim addit: *Hoc autem frequenter contingit, quòd aliquis desistat ab uno actu peccati, etiam DEO hoc faciente, qui tamen ab actu alterius peccati non desistit, propria iniquitate suggerente: & per hunc etiam modum datur aliquando homini à DEO, quòd credat:* ergo loquitur Angelicus de cessatione ab infidelitate actuali, seu de actu fidei: quem actum etiam significat ipsa vox *credere.* Quando autem huc afferuntur textus S. Augustini, citati *n. 621.* ipsi quoque explicari possunt de fide actuali.

707. **O**B. 3. Gratia requirit aliquam dispositionem in subjecto: ergo ante illam prior infunditur fides. Confir. Si fides, & spes, dependent à gratia, non est assignabilis ratio, cur præ habitibus moralibus in peccatore conserventur: sed debet dari ratio: ergo. Resp. retorq. argum. ergo etiam habitus penitentia infunditur ante gratiam; quia etiam aliqua penitentia præquiruntur. In forma dist. ant. gratia requirit aliquam dispositionem actualem. conc. ant. habituale. neg. ant. & conf. Dispositio autem ista, fidei actus, aut aliarum virtutum, non procedunt ab habitu, sed ab auxilio extrinsecò, sicut etiam actus contritionis, si eliciatur à peccatore.

708. Ad confir. iterum retorq. argum. Si habitus fidei, & spei, non dependent à gratia, cur dependent alii? scilicet talis est voluntas DEI, quæ innotescit nobis sufficientissimè ex Tridentino. In forma. dist. ma. non est assignabilis ratio, distincta à voluntate DEI, quæ nobis certò sit cognita. om. ma. quæ saltem probabiliter fit nobis cognita. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Per se sufficeret sola voluntas DEI: potest tamen adhuc alia assignari ratio probabilis, ex eo, quòd habitus fidei, & spei, sint quasi fundamenta vitæ spiritualis, & eorum actus maxime necessarij, quòdque DEUS ex sua misericordia noluerit, hominem spoliare omni dono superno: sed voluerit, ei hos habitus relinquere, nisi specialiter, per peccata immediate opposita, eos demeratur. Cum autem habitus piæ affectionis etiam necessarius sit ad actus fidei, putant Lugo *disp. 16. de fide sec. 3. n. 44.* & Haunoldus *l. 3. tr. 1. c. 9. n. 431.* etiam eundem in peccatore manere: imò & habitum elicitive judicii practici supernaturalis de credibilitate revelationis: quod quidem valde pro-

babile est: sed non ita certum, ut certum est manere habitus spei, & fidei, de quibus id est de fide ex Tridentino. Contra 2. conclusionem non est, quòd à Theologis objiciatur. Jam quæstio de subjecto habitus fidei: ex cujus occasione etiam statim agendum, de subjecto spei, & charitatis; tum ne plura hic dicenda, alibi iterum repeti necesse sit; tum ut discrimen inter habitus Theologicos hæc in re clariùs notetur.

QUÆSTIO III.

De Subjecto Habitus Fidei.

ARTICULUS I.

In quibus Subjectis dentur Habitus Fidei, Spei, aut Charitatis.

709. **D**ico 1. Habitus charitatis datur in omnibus justis, viatoribus, & comprehensoribus, etiam ipso Christo Domino: non autem in graviter peccantibus, ita certissima omnium. Prob. 1. p. conclusionis. In primis si supponatur, habitum charitatis (ut aliqui volunt) esse identificatum cum gratia sanctificante, tunc clarum est, quòd sit in omnibus justis, in quibus omnibus est ea gratia, utpote forma denominans justos: cumque Christus Dominus etiam habeat gratiam sanctificantem, ejusdem speciei cum nostra, etiam in ipso erit habitus charitatis.

Si autem supponatur (ut plures volunt) habitum charitatis esse distinctum à gratia, tamen negari non potest, quòd ipse ex lege DEI sit semper connexus cum gratia, & cum ea in justificatione infundatur, ut docet Tridentinum *sess. 6. c. 7.* his verbis: *Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Intelligitur autem charitas habitualis; nam hæc ibidem dicitur justificatis inherere: hoc est, in ipsis tandem manere, donec peccato gravi expellatur: ergo iterum, ubi datur gratia, scilicet in omnibus justis, datur etiam habitus charitatis, cum ea connexus, & cum eadem infusus: cumque, ut jam dictum, Christus Dominus habeat etiam gratiam sanctificantem, quamvis longè intensiorem, tamen ejusdem speciei cum nostra, quæ est radix habituum supernaturalium, habet etiam similem habitum charitatis, uti omnes concedunt.

710. Hic autem habitus charitatis non cessat in Beatis, seu comprehensoribus (ut cessat fides, & juxta multos etiam spes) nam in cælo quoque charitas potest elicere suos actus amoris, ubi tamen fides suos actus non potest elicere: neque etiam spes juxta eos, qui eam in Beatis negant permanere. Hinc de charitate dicit Apostolus *1. Corinth. 13. v. 8.* *Charitas nunquam excidit:* quæ verba

SS. Patres citandi n. 713. & interpretes, communiter explicant in hunc sensum, quod charitas nunquam cesset, nisi peccato gravi destruat: & hinc nec in cœlo desinat, ubi peccato locus non est: imò Eftius in *hunc locum* ait, hunc sensum palam ostendi ex subsequenti donis, quæ ibi dicuntur cessare.

Probatur jam 2. pars conclusionis, scilicet, quod charitas non maneat in ullo gravi peccato. Concilium Tridentinum *sess. 6. c. 15.* sic definit: *Afferendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Jam huic justificationis gratiæ est annexus, saltem ex lege DEI, habitus charitatis, ut supra dictum: ergo iste habitus unâ cum illa gratia amittitur: & hanc sequelam ex his verbis deducunt omnes Theologi post Tridentinum: & qui priores fuerunt, idem etiam jam ante Tridentinum docuerunt.

711. Dico 2. Habitus fidei, & spei, dantur in quolibet puro homine iusto, & viatore, donec per peccatum ipsi contrarium expellantur. Dico 1. *puro homine*; nam aliter loquendum est de Christo Domino, qui, ut paulò post dicemus, nec habitum fidei, nec spei habuit. Dico 2. *viatore*; quia de Beatis postea loquemur. Conclusio est certissima, & prob. Tridentinum citatum n. 709. dicit, hos habitus infundi in justificatione, adeoque dari in iustis: Addit dem *sess. 6. c. 15.* fidem non amitti quocunque gravi peccato: ergo multò magis sentit, eam manere in omni iusto: & par est ratio de spe. Accedit, quod isti habitus, uti & habitus aliarum virtutum, ex natura sua sint permanentes, nisi à contrario expellantur: ergo.

712. Quod jam spectat ad expulsiōnem, seu destructionem istorum habituum, docet Tridentinum *sess. 6. c. 15.* (verba dedimus n. 710.) fidem non destrui, quovis peccato, sed tantum infidelitate, quæ est ipsi directè contraria: & à paritate rationis inferunt communissimè auctores, etiam spem non destrui, nisi vel destructa fide, cui quasi fundamento innititur, vel admisâ desperatione, quæ spei immediatè contraria est. Quod verò attinet ad reliquos habitus virtutum supernaturalium, docent communissimè auctores, eos, cum radice in gratia sanctificata, cum ista etiam destrui per quodvis mortale peccatum.

Cum autem hæc res potissimum decidenda sit ex auctoritate, ex qua nobis innotescere debet voluntas DEI, volentis potius producere habitus talis naturæ, aut essentia, quam alterius, ideo hic ipse consensus communissimus authorum est optimum argumentum, & solida probatio. Quare autem DEUS voluerit, relinquere homini peccatori, non quidem alias virtutes, attamen fidem, & spem, ratio præcipua est ipsius benignissima voluntas, qua noluit hominem, quamvis peccantem, privare pri-

mis quasi radicibus conversionis, per quas nempe fit primus motus præparationis ad justificationem, de qua præparatione agit Tridentinum *sess. 6. c. 6.*

713. Dico 3. Habitus fidei non datur in Beatis (& par est ratio de Christo Domino adhuc vivente; cum hic nunquam fuerit tantum viator, sed semper simul comprehensor, hoc est, gaudens visione beatifica DEI) ita communis. Prob. S. Paulus 1. *Corinth. 13. v. 9.* ait: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est:* id est imperfecta cognitio fidei cessabit. & infra v. 12. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum: nunc autem manent fides, spes, charitas.* Ubi per particulam autem videtur Apostolus innuere diversitatem status viæ, in qua manent tria hæc, à statu patriæ, in qua manet sola charitas: de qua scilicet jam dixerat v. 8. *Charitas nunquam excidit: unde S. Hieronymus in 1. ad Cor. c. 13. & in hæc verba ait: Charitas nunquam excidit, hoc est, ipsa sola permanet in futuro.* & S. Chrysostomus *homil. 34. in c. 13. ep. 1. ad Cor. & hunc locum*, docet, Apostolum extollere charitatem supra fidem; eoquod ista semper duret, imò post mortem in futuro crescat. Idem docent SS. Augustinus, Anselmus, & alii.

Ratio autem est; quia obscuritas fidei, licet stet cum evidentia in attestante, seu cum evidentia aliqua abstractiva, de existentia testimonii Divini: non tamen stat cum evidentia intuitiva, seu clara visione beatifica ipsius testimonii Divini in se, ut sumitur ex illo 2. *Petri 1. v. 19.* ubi fides vocatur *lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur:* hoc est, donec dies visionis beatificæ adveniat, quo cesset fides: sicut nempe lucerna extinguitur die illucescente. Hinc, licet Beati non omnia viderent in Verbo; quia tamen vident intuitivè ipsam auctoritatem Divinam, seu testimonium DEI, non habere amplius objectum formale, prout requiritur ad fidem: adeoque nec illa, quæ in auctoritate, seu testimonio DEI clarè visò viderent, possent strictè loquendo credere, seu actum fidei circa ea elicere.

Quare, cessante fine habitus fidei, cessat etiam ipse habitus; unde, quando de Christo Domino dicitur *Isa. 11. v. 5. Et erit iustitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorium renum ejus:* per fidem non intelligitur habitus fidei Theologicæ, sed fidelitas, ut habet Cornelius in *hunc locum Isaia:* vel intelliguntur ipsi fideles, qui Christum, tanquam suum servatorem, honoris causâ circumdabunt, ut habet idem Cornelius *ibidem*, & Melchior Canus *de locis Theol. l. 12. c. 13. resp. ad 1.* An etiam cesset in cœlo pia affectio, quæ, cum sit habitus voluntatis, possitque elicere alios actus, saltem secundarios, e. g. gaudii de actibus fidei, in via elicitis, nolim divinare. vide Arri-

gam, & præsertim Cardinalem de Lugo de *fide disp. 17. sec. 3. n. 45.*

714. Dico 4. Habitus fidei etiam non manet in damnatis, aut dæmonibus. ita communis, & verissima cum S. Dionysio de *Divin. nomin. c. 4. post medium* ubi docet, dæmones carere omnibus donis Divinis, tam secundum habitum, quam secundum operationem; sic enim ait: *In quo enim, obsecro, malos fieri dæmones dicimus, nisi in vacatione* (hoc est evacuatione, seu privatione) *Divinorum bonorum, habitus, & operationis?* S. Augustinus quoque de *civitate DEI. l. 9. c. 21.* ait, dæmones non cognovisse DEUM per lumen, quod illuminat fideles, sed per alia Divinæ virtutis effecta, & signa occultissima &c.

Quare dæmones quidem, & etiam Angeli beati, dum adhuc erant viatores, habuerunt habitum fidei, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 5. a. 1. *in corp. ex ea ratione;* quod non sint creati in puris naturalibus, nec statim facti beati: adeoque etiam debuerint habere fidem in intellectu, & spem in voluntate. Cui rationi accedit etiam ista, quod Angeli debuerint posse mereri, captivando suum intellectum, & credendo: maxime cum spiritalia essent, nec patiendi mereri possent. Attamen tam boni, quam mali Angeli, postea habitum fidei non retinuerunt; dæmones enim fuere illo privati, sicut homines damnati: Angeli beati eum cum visione beatifica commutarunt.

Ratio autem conclusionis, tam quoad dæmones, quam quoad homines, seu quod tam dæmones, quam homines damnati habitum fidei perdant, ex Cardinali de Lugo de *fide disp. 17. sec. 2.* est hæc. Habitus fidei non potest elicere actum suum, nisi præcedat donum illustrationis supernæ, quo carent dæmones, & homines damnati: & consequenter habitus fidei esset in ipsis omnino otiosus; cum tamen ipse, utpote operativus, detur in ordine ad actus. Aliud est de charactere baptismi, qui, cum operativus non sit, sed tantum sit signum potestatis, habet adhuc semper finem in damnatis: cumque cedat in majorem damnatorum confusionem, potest in ipsis manere, etiam si supernaturalis sit; nam spoliatur quidem damnati plurimis bonis supernaturalibus, at non omnibus iis, quæ cedunt in majorem ipsorum confusionem, & tormentum.

715. Dico 5. Habitus fidei adhuc manet in animabus purgantibus. ita communis contra Hurtadum ferè solum, qui tamen etiam tantum dubitat, vel inclinat in oppositum. Prob. Inprimis, etsi illa animæ haberent evidentiam in attestante, cum tamen nondum habeant visionem beatificam, possent adhuc ex dictis n. 459. elicere actum fidei. Dein, ut rectè ait Lugo de *fide disp. 17. sec. 3. n. 49.* animæ illæ non videntur habere de omnibus objectis, vel de omni revelatione, evidentiam in attestante, licet habeant de aliquibus; nam eorum status, cum sit pœnensus, non excludit obscuro-

ritatem &c. Adde S. Paulum 2. *Corinth. 5. v. 7.* de omnibus peregrinantibus dicere: *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem:* ergo peregrinantes habent fidem: atqui animæ purgantes adhuc sunt peregrinantes: ergo. Quòd autem Apostolus dicat, existentes in corpore peregrinari, non obest; nam animæ purgantes, etsi extra corpus sint, tamen peregrinantur; nam revera necdum sunt in termino, sed ad illum tendunt, quod est peregrinari.

716. Dico 6. In Beatis non datur actus spei primarius. ita Suarez de *spe disp. 1. sec. 8. n. 5.* Haunoldus *l. 3. tr. 2. controv. 5. n. 508.* & alii. Probatur. Actus primarius spei tendit in DEUM ut bonum nobis, & possidendum à nobis, seu est desiderium fiduciale DEI ut possidendi: sed talis actus non datur in Beatis: ergo. ma. est probata supra n. 7. mi. prob. Licet concedatur, quòd actus spei non necessariò excludat possessionem boni sperati pro eodem tempore, sed tantum pro eodem signo naturæ, ut patet in Angelis, qui, ut diximus *tr. de Angel. n. 114.* in primo instanti se actu disposuerunt ad gratiam, adeoque etiam potuerunt se disporre, consequenter etiam potuerunt à DEO sperare auxilia, & eodem instanti ea recipere, atque iis cooperari, & sic gratiam consequi: licet, inquam, hoc concedatur, tamen actus spei primarius excludit possessionem ultimi finis; quia cum possessione ultimi finis, sive cum beatitudine, aut visione beatifica, non potest stare actus fidei, necessariò prioriori naturæ præluens ad actum spei: consequenter neque potest stare ipse actus spei: ergo. Secundò, quando res jam est visà ut priùs possessa; non amplius desideratur ut possidenda: & in hoc sensu debet saltem accipi illud Apostoli *ad Rom. 8. v. 24. Quod videt quis, quid sperat?* atqui per visionem beatificam videtur DEUS jam possessus per ipsam visionem, & amorem necessariò ex ista consequentem: ergo non amplius desideratur ut possidendus. Quæ ratio saltem probat, quòd prosequentibus instantibus non possit dari actus spei primarius. Si autem Beati alia sperarent, distincta à DEO, & non simul DEUM, sive, si sperarent alia, non ut media ad consequendum DEUM, sed ita, ut hunc non sperarent, aut desiderarent, talis actus non esset actus spei Theologicæ, sed spei moralis: qui actus spei moralis potest manere in Beatis.

717. Dico 7. An in Beatis detur habitus spei, est factis incertum. Gormaz, Esparza, Torres, & alii nonnulli apud Arriagam *tom. 5. tract. de spe disp. 28. sec. 3. n. 29.* negant: econtra affirmant Suarez, Oviedo, Haunoldus, & Arriaga, qui addit, hanc esse communiorē: ego nolim divinare; nam, cum actus primarius, vel proprius, à quo spes dicitur sperare, dari non possit, videtur neque habitus spei dari. Econtra ait Suarez, sufficere, si spes possit elicere actus secundarios, e. g. amorem, vel gaudium concupiscentiæ, de ipso DEO ut nobis bono jam possessio. Sed fortè iterum opponi potest, ad

essentiam actus spei pertinere, ut res nondum sit possessa: & gaudium de re referri ad alium habitum. Verum reponere potest Eximius, non debere multiplicari habitus sine necessitate: & hinc non admittendum distinctum habitum, elicivum illius gaudij, & amoris: præsertim, cum hic habitus deberet primum infundi in cælo (sicut scilicet loco habitus fidei infunditur lumen gloriae) cum in statu viæ gratis admitteretur ille habitus; cum nullum actum elicere posset: & hinc melius dici, quod ipse habitus spei possit elicere illos actus gaudij, & amoris: sicut castitas non tantum potest elicere actum castitatis, qua vincit tentationem: sed etiam potest de eadem victoria gaudere: quo admisso melius dicitur, manere in cælo habitus spei, quam alius novus infundi.

Sic etiam aliqui admittunt, manere in Beatissimum habitum poenitentiae: non, ut eliciat dolorem, cujus Beati sunt incapaces, sed tantum aliqualem retractionem. Nec Suarezio, aut etiam his auctoribus, objici potest, sic etiam in Beatissimum posse manere habitum fidei; nam fides semper involvit in suis actibus imperfectionem obscuritatis, incompossibile cum visione beatifica; cum qua tamen nihil incompossibile involvit hic actus secundarius spei &c.

Sed replicat Gormaz de spe n. 5. atque ait, Beatos ordinariè gaudere de beatitudine sua, potius ut bona DEO per charitatem, & raro gaudere de illa, ut bona tibi per concupiscentiam; unde ad hos actus, raro elici solitos, non esse necessarium habitum, qui tantum datur ad actus frequentes. Idem addit, non esse paritatem ab aliis habitibus, qui gaudere possunt de suo bono; nam illi non requirunt, ad suum actum elicendum, futuritionem sui objecti, uti requirit spes. Ego, ut jam dixi, nolim divinare, neque de habitu spei, an maneat in Beatissimum, neque de habitu poenitentiae. Videri potest Suarez de virt. Theol. tr. 2. de spe disp. 1. sec. 8. n. 5. Gormaz loc. modo cit. Haunoldus l. 3. tr. 2. n. 508. & seq. Arriaga tom. 5. tr. de spe disp. 28. sec. 3. n. 29. & seq.

De Christo Domino tamen videtur mihi valde probabile, eum non habuisse habitum spei Theologicæ; cum enim nunquam primum ejus actum elicere potuerit, utpote semper comprehensor, non debuit ipsi habitus ille infundi, propter actus tantum secundarios; unde, quæ Christus desideravit, per alium habitum desideravit: qualescumque is fuerit. Quare, quando psalmista psal. 21. v. 10. in persona Christi DEUM alloquitur, dicens: *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae:* vox spes non significat habitum, ut patet: neque spem objectivam, seu bonum speratum, sive DEUM, in quem tendat Christus, per actum spei, seu desiderium; nam possessor boni non desiderat illud: sed significat fiduciam, seu objectum fiduciae, sive DEUM auxiliatorem; unde Jacobus Janfonius in psalterium hunc locum ita interpretatur: *Fiducia, felicitas,*

roborem meum: & Canus de locis Theol. l. 12. c. 13. resp. ad 2. ait: *Dicitur enim DEUS spes Christi; quia in DEO erat fiducia ejus, non in homine. Item, quia multa etiam à DEO sperabat, quamvis non speraret gloriam animam.* Aliud est in Beatissimum; nam, cum isti in vita spem habuerint infusam, in ordine ad actum primum, quem tunc potuerunt elicere, potest fortè facilitus admitti, quod idem in ipsis permanferit, quam quod novus infusus fuerit.

718. Dico 8. In animabus purgantibus datur habitus, & actus spei. ita communis cum S. Thoma. Prob. Ista anima habent fidem, ut probatum n. 715. & necdum possident DEUM, nec vident eum (ne obijciatur illud Apostoli ad Rom. 8. v. 24. *Quod videt quis, quid sperat?*) ergo possunt DEUM possidendum sperare. Dein certitudo de re consequenda, vel etiam evidentia, non opponitur spei, ut rectè ait Gomaz de spe n. 12. quia, non obstante ea evidentia, tamen res necdum est possessa, & desideratur, quamvis cum majore fiducia. Quod enim Arriaga dicit tom. 5. tr. de spe disp. 28. sec. 2. n. 20. nempe arduum spei esse incertitudinem, non est verum; longè enim melius dicitur, arduum esse idem, ac difficile: & præsertim arduum esse, quod nostris viribus solis non est obtinibile, ut docet S. Thomas. 2. 2. q. 17. a. 1. in corp. & a. 5. ad 4. atque admittit Suarez de virt. Theol. tract. 2. de spe disp. 1. sec. 3. n. 2. itaque docet Gormaz tract. de spe. n. 11. Et hoc arduum requiritur ad spem Theologicam; si enim aliquid est obtinibile solis nostris viribus, non est arduum, ut requiritur ad spem: sed ut requiritur ad magnanimitatem, prout docet Angelicus *ibidem* a. 5. ad 4. Hæc autem tota arduitas sine omni incertitudine datur in consequendo DEO, vel beatitudine, respectu animarum purgantium: adeoque datur arduitas ad spem omnino sufficiens.

719. Dico 9. In Angelis, dum adhuc erant viatores, etiam dabatur habitus spei. ita communis. Ratio est clara; nam habuerunt fidem, ut dictum n. 714. nec tum jam DEUM possederunt, sed tamen ad eum possidendum creati fuerunt: ergo potuerunt eum desiderare: & quidem, cum habuerint auxilia à DEO sufficientissima, potuerunt etiam de eo consequendo habere magnam fiduciam: quod est formalissimè sperare. An autem Angeli beati, postquam in termino sunt statuti, retinuerint habitum spei, an non, determinandum est ex eo, quod asseritur de aliis Beatissimum; si enim in aliis Beatissimum datur adhuc habitus spei, etiam dabitur in Angelis: si autem in aliis Beatissimum non datur, neque dabitur in sanctis Angelis.

In dæmonibus verò, & animabus damnatis, spes nulla remanet; cum enim dæmones, & animæ damnatæ, non habeant fidem, nec ullam aliam illustrationem supernaturalem: insuper etiam certi sint, se in æternum nihil boni impetraturos, ex duplici capite non possunt ullum actum spei elicere: consequenter in iis habitus spei esset omnino otio-

otiosus, & superfluous: adeoque non manet. Quin imò habitus spei destruitur in peccatore, in statu viæ desperante: quanto magis destruetur in æternum desperatis in termino?

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

720. **O**B. 1. contra 4. conclusionem.

Jacob. 2. v. 19. dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt:* atqui ibi est terminus de vera fide supernaturali: ergo, prob. mi. Apostolus supponit, fidem dæmonum esse talem, qualis est fides Christianorum, quæ est supernaturalis; aliàs malè inferret, ex inutili fide dæmonum sine operibus, etiam inutilem esse fidem Christianorum sine operibus: ergo. Resp. 1. cum quibusdam apud Lugo de fide disp. 17. n. 11. illud *credunt* significare idem, ac *crediderunt*: scilicet, dum erant in viâ, non autem postea; est enim apud Hebræos modus familiarissimus, ponendi unum tempus pro alio: sic illud Luc. 7. v. 47. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit:* explicatur à SS. Ambrosio, Chrysostomo, Beda, Euthymio, Theophylacto, minus diligit.

Resp. 2. neg. mi. ad prob. neg. ant. Apostolus non æquiperat utramque hanc fidem in eo, quod quod supernaturalis sit, sed quod utraque sine operibus sit inutilis: sive dein supernaturalis sit, sive non: &, ut ait Cornelius in hunc locum, vult dicere: quid prodest tibi fides tua sine operibus? tam parum, quam dæmonibus sua: licet non sit in omnibus paritas: & hæc est communis responsio teste Lugo de fide disp. 17. n. 12. Quamvis autem hac ratione ex fide dæmonum non probaretur valde efficaciter inutilitas fidei supernaturalis, ait Lugo eod. n. 12. eam ab Apostolo aliis argumentis ibidem probari.

721. Ob. 2. contra 6. conclusionem. Beati, etsi non possint sperare DEUM, hic, & nunc possidendum, possunt tamen sperare eum in æternum à se possidendum; nam tempus futurum, & possessio futura, nondum possidentur: ergo Beati possunt elicere actum spei primum, scilicet desiderium fiduciale circa ipsum DEUM. Resp. cum Suarez de virtutib. Theol. tr. 2. de spe disp. 1. sec. 8. n. 5. nego suppositum; æternitas enim DEL est ipse DEUS: ergo, dum possidetur ipse, jam possidetur ejus æternitas tota simul. Si autem illud in æternum appellet super possessionem, quasi diceretur, posse sperari æternam possessionem DEL. Resp. cum Beati sint certissimi de perpetuitate possessionis, eaque immutabiliter ipsi à DEO concessa sit, saltem in radice, quatenus ipsi concessum est lumen gloriae, quod eam exigit, non possunt eam amplius sperare; ex eo; quia non est amplius bonum arduum,

prout requiritur ad spem, ex dictis n. 718. Possunt enim Beati beatitudinem, & ejus ulteriorem semper continuationem, habere viribus propriis: non quidem viribus ex natura propriis, sed tamen propriis ex gratia, jam immutabiliter ipsis concessa. Licet autem requiratur adhuc concursus DEL, hoc non impedit, quò minus dicantur Beati viribus propriis beatitudinem habere: modò is concursus debeatur, ut debetur lumini gloriae; aliàs neque quidquam naturale possemus viribus propriis efficere. Adde, quod Beati non possint, eam possessionem perdere; unde, licet possint ulterius desiderare visionem in futurum, tamen non possunt, eam sperare per actum saltem primum; quia eam jam immutabiliter, & inamissibiliter habent: quidquid sit, an tale desiderium dicendum sit actus spei secundarius &c.

DISPUTATIO VI.

De Spe, & Charitate Theologica.

722. **P**Lura jam antè de spe, & charitate disputavimus, ex occasione. Sic habitum spei Theologicum dari probatum est à n. 8. Eum distinctum esse à fide, probatum *ibidem*, & iterum n. 16. Quodnam sit ejus subjectum, expositum fuit à n. 716. Præceptum actus spei elicendi explicatum est à n. 607. Pari ratione dari habitum charitatis, eumque Theologicum esse, probatum est n. 8. Ab aliis habitibus eum distingui est eodem numero ostensum, & iterum ex Tridentino n. 702. & seq. ubi ex Concilio hoc probavimus, habitum charitatis ab habitibus fidei, & spei, separabilem esse. De præcepto charitatis egimus a. n. 607. & seq. uti & de ejus subjecto à n. 709. Restant pauca de spe, & charitate, in elencho præscripta, quæ paucis etiam absolvemus.

QUÆSTIO I.

De Objecto Materiali, & Formali, ac Proprietatibus Habitibus Spei.

ARTICULUS I.

Quid sit Spes, & quàm certa, quòdque Objectum Materiale, & Formale ejusdem.

723. **D**ico 1. *Actus Spei Theologicae* rectè definitur, *Desiderium fiduciale supernaturale beatitudinis supernæ, DEO auxiliatori innoxium.* ita ferè quoad verba Gormaz tract. de spe disp. 1. n. 10. & alii communissimè quoad sensum. Explicatur, & simul probatur hæc definitio, seu descriptio. Dicitur 1. *desiderium*, quod aliud non est, quam amor concupiscentiæ, sive amor rei ut nobis bonæ, nondum possessæ, cum appetitu eam habendi

habendi, qui amor dicitur *desiderium*: sicut amor concupiscentiæ rei jam possessæ dicitur *gaudium concupiscentiæ*: atqui actus spei fertur in DEUM nondum possessum, eumque amando amore concupiscentiæ, seu ut sibi desideranti bonum, cupit habere, seu possidere.

Dicitur 2. *fiduciale*; quia spes debet esse cum fiducia rem acquirendi: & per hoc differt à desperatione, quæ etiam est desiderium, sed sine fiducia, & propterea habet aliam intrinsecè tendentiam, quæ patet ab experientia, qua experimur, nos longè aliter affectos esse, quando speramus, quam quando desperamus: prior affectus, utpote conjunctus cum fiducia, excitat ad agendum, quod ex parte nostra necessarium est, ad rem obtinendam: alter, quia est sine fiducia implet sæpe rabie, & non est sollicitus de aliquo agendo. Dicitur 3. *supernaturale*; quia actus spei Theologicæ est supernaturalis ex Tridentino citato n. 680.

724. Dicitur 4. *supernæ beatitudinis*, hoc est, DEI per visionem, & amorem possidendi; si enim alia speramus, non referendo ea ad DEUM, non est actus spei Theologicæ, sed tantum spei alicujus moralis. Si autem alia speramus in ordine ad DEUM, tunc magis hunc ipsum speramus: sicut, si diligimus proximum propter DEUM, etiam hunc ipsum, & magis diligimus. Ubi nota, quòd non tantum desideretur, seu speretur beatitudo formalis in abstracto, sed etiam objectiva in concreto, scilicet DEUS possidendus, seu videndus, & amandus; non enim speratur solus DEUS, qui est *finis qui*, seu objectum beatificum possidendum: nec speratur sola visio, & amor, seu beatitudo formalis, quæ est *finis quo*, seu possessio intentionalis DEI: sed speratur utrumque in concreto, seu in complexo.

Sicut, qui sperat pecunias, non tantum sperat possessionem, sed etiam ipsas pecunias: & sicut etiam, qui vult intentionaliter possidere, hoc est, videre spectaculum, non tantum vult visionem præstigiosam, sed vult etiam ipsas res esse tales: et si non semper vult, e. g. hos in individuo actores comœdiæ; quia etiam non desiderat hanc visionem, seu spectaculum in individuo, sed tantum in genere, vel specie. Hoc autem complexum, ex bono objectivo, & possessione ejus, dicitur etiam *finis cuius*, hoc est, cujus obtinendi gratiâ aliquid agitur, vel qui obtinendus speratur; sicut ipse sperans dicitur *finis cui*, seu in cujus commodum appetitur aliquid bonum. vide etiam dicta inferius n. 739. & 740.

725. Dicitur tandem *DEO auxiliatori innixum*; quia, cum solis viribus naturæ non possimus beatitudinem supernam consequi (in quo, ut diximus n. 718. stat arduitas objecti spei Theologicæ) debemus juvari à DEO: cumque hic auxilium promiserit, merito nostra fiducia ejus auxilio, vel ipsi auxilium promittenti, & (nisi ex nostra parte detur impedimentum) certissimè collaturò, innititur. Ex quibus facile

colligitur definitio, seu descriptio habitus spei: scilicet *habitus spei est virtus Theologica, elicitive desiderii fiducialis &c.*: qui actus cum sit actus voluntatis, etiam spes est habitus voluntatis, & non intellectus.

726. Dico 2. Objectum materiale primarium spei est ipse DEUS possidendus, sive est concretum ex DEO, & ejus visione, ac amore (hoc enim complexum, ut diximus, per actum spei primario desideramus) alia autem, quæ sperantur in ordine ad DEUM consequendum, e. g. auxiliantes gratiæ, sunt objectum secundarium. ita clarè S. Thomas 2. 2. q. 17. a. 5. in corp. dicens: *Spei, in quantum est virtus, principale ejus objectum est DEUS. & ad 1. Quacunque alia spes adipisci expectat, sperat in ordine ad DEUM.* Si autem daretur aliquis actus desiderii fiducialis, qui nullo modo attingeret DEUM, non esset actus spei Theologicæ, sed moralis, ut jam dictum: nisi velis dicere, tale desiderium esse aliquando actum spei virtualis, seu objectivæ (quales n. 43. diximus dari actus fidei objectivæ,) qui scilicet supponant, actum spei Theologicæ formaliter talem præcessisse.

727. Debet autem objectum spei Theologicæ, ex communi Theologorum esse arduum, quæ arduitas, saltem in ordine ad actum spei Theologicæ (quidquid sit de actibus spei alicujus moralis:) ex S. Thoma, & communi aliorum, stat in eo, quòd (ut dictum n. 718.) objectum ejus solis viribus propriis non sit obtinibile. Item debet objectum spei esse futurum, hoc est, nondum possessum, saltem pro eodem signo naturæ, in quo speratur, ut explicatum n. 716. Debet etiam posse certò obtineri: qua autem certitudine, dicemus paulò post. Hæc omnia complectitur S. Thomas. 2. 2. q. 17. a. 1. in corp. dicens: *Objectum spei est bonum, futurum, arduum, possibile haberi.*

728. Dico 3. Objectum formale actus spei Theologicæ, quatenus est desiderium, est ipsa bonitas DEI possidendi, ut bona nobis. ita omnes. Prob. Hæc bonitas est ratio formalis motiva, cur DEUM nobis amemus, & desideremus: sicut etiam aliarum rerum, si quas desideramus, bonitas ut bona nobis, est ratio, cur eas per alios actus spei moralis, vel qualescunque appetamus. Quando autem tales res appetimus in ordine ad DEUM, potest earum bonitas, ut ait Gormaz de spe n. 19. esse objectum formale quoddam secundarium, & non ultimum; quia ulterius tanquam medium refertur, ad bonitatem DEI, tanquam objectum formale, seu finem ultimum.

729. Dico 4. Objectum formale actus spei Theologicæ, quatenus hæc est fiducia, est fidelissima promissio DEI, & potentia auxiliandi, vel etiam ipsum auxilium creatum: sicut scilicet in fide, præter auctoritatem Divinam, etiam motivum est revelatio extrinseca creata; nam virtus Theologica, ut jam de fide dictum n. 137. non respuit omne partiale motivum, vel objectum formale creatum: sed tantum exigit aliquod Divinum.

num. Quòd autem promissio, & potentia DEI, vel ejus auxilium, sint objectum formale spei, quatenus est fiducia, probatur ex eo; quòd ista moveant ad concipiendam fiduciam, ad quam non moveret sola bonitas; nam hanc etiam agnoscit damnatus; quia tamen simul scit, quòd DEUS eum non lit juvare, ad eam consequendam, hinc non sperat, sed desperat.

730. Ubi tamen adverte, motivum fiduciæ, saltem in genere loquendo, non debere esse objectum formale quod, seu amatum, aut desideratum; nam potest esse aliquid quando peccatum alterius, quod sperans, nec amat, nec desiderat, sed tantum supponit; e. g. si quis ob peccatum officio suo excidit, potest alius fiduciam concipere illud assequendi: potest verosimiliter etiam contingere, ut quis, dum sperat supernam beatitudinem, seu DEUM ut bonum sibi, tamen non amet DEUM ut auxiliantem, seu sub ista formalitate: neque etiam tunc amet, aut desideret auxilia; quia non agnoscit, ea pro tunc sibi esse necessaria.

Imò, si contingat (quod non nego posse, & fors etiam sæpius actu contingere) ut quis motiva fiduciæ etiam amet amore concupiscentiæ, atque desideret: tamen etiam tunc non videntur, ea motiva esse objectum formale quod, respectu formalitatis fiduciæ, sed potius esse objectum materiale, vel formale secundarium, respectu formalitatis desiderii, vel amoris concupiscentiæ, quatenus amantur ut bona conducentia ad DEUM consequendum. Saltem sufficit, ut motivum fiduciæ sit objectum formale quo, hoc est, movens quidem voluntatem ad amandum alterum, quin tamen ipsum ametur, ut jam explicatum hoc tractatu n. 4. & iterum à n. 14.

731. Dico 5. Actus spei Theologicæ est omnino certus. ita communissimè Theologi cum S. Thoma. 2. 2. q. 18. a. 4. in corp. ubi S. Doctor sapientissimè distinguit inter certitudinem *essentialiter* talem, & *participativè* talem: per quos terminos, ut patet ex contextu, intelligit certitudinem *formaliter*, & *præsuppositivè* talem. Docet autem, spem non habere certitudinem essentialiter talem, quæ, ut ibidem Angelicus scribit, *invenitur in vi cognoscitiva*, seu in cognitione; est enim certitudo quasi securitas de veritate, quæ spectat ad intellectum: at verò, ait, in spe dari certitudinem participativè, seu præsuppositivè talem; quia scilicet spes à *vi cognoscitiva movetur insalubriter ad finem suum*, hoc est, à cognitione certa dirigitur ad bonum speratum: & concludit S. Doctor sic: *Et sic etiam spes certitudinaliter tendit in suum finem, quasi participans certitudinem à fide, quæ est in vi cognoscitiva.*

732. Prob. conclusio. Spes Theologica debet esse firma, ut ait Apostolus 2. Cor. 1. v. 7. *Ut spes nostra firma sit pro vobis. & ad Hebr. 6. v. 18. Confugimus ad tenendam propositam spem, quam, sicut anchoram habemus animæ, tutam, ac firmam.* Triden-

tinum quoque *sess. 6. c. 13.* ait: *De perseverantia munere . . . nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine pollicetur, tamen si in DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent:* atqui spes non potest esse firma, nisi sit præsuppositivè certa: ergo debet esse talis. mi. prob. voluntas non potest firmiter, hoc est, absque vacillatione, sive immobili cum fiducia, sperare, nisi intellectus ei firmiter, hoc est, certò, proponat fundamentum, & motivum sperandi, ita, ut absque dubio affirmet, tale fundamentum adesse, ut est clarum ab experientia: ergo debet intellectus per cognitionem certam proponere motivum spei, adeoque hæc præsuppositivè esse certa. Confir. solidissimè. Actum spei Theologicæ præcedere debet actus fidei de promissione DEI, dandi auxilia, ad consequendam beatitudinem: hic actus est certissimus: ergo etiam spes est, ut dictum, præsuppositivè certissima.

733. Ubi tamen notandum, firmiter sperare non esse absoluta certitudine sibi polliceri, se rem, e. g. beatitudinem consecuturum; hoc enim non est certum, minùs revelatum, aut per actum fidei propositum: sed est contra Tridentinum *num. præced.* citatum: imò etiam contra Apostolum, qui ad Philipp. 2. v. 12. sic scribit: *Cum metu, & tremore, vestram salutem operamini;* nam non sumus certi, an ex nostra parte nihil sit defuturum: & hinc S. Thomas 2. 2. q. 18. a. 4. ad 3. ait: *Quod aliqui habentes spem deficient à consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii, ponentis obstaculum peccati: non autem ex defectu Divina potentia, vel misericordia, cui spes innititur.*

Quare sperare tantum est, *confidere*, se certissimò rem, e. g. beatitudinem, consecuturum, si suis partibus ipse non desit, seu si gratiâ DEI fideliter cooperetur: id quod certissimum est: & hinc Tridentinum verbis n. 732. adductis statim addit: *DEUS enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet.* Unde actus spei Theologicæ de objectis promissis certissimus est in tantum, in quantum illa à DEO promissa sunt, scilicet conditionatè. Hinc alii dicunt, actum spei conditionatè certissimum esse. Et verèra conditio supradicta semper subintelligitur, nisi in casu extraordinario DEUS alicui beatitudinem æternam omnino absolute promississet.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

734. **O**B. I. S. Augustinus in *enchi-ridio* c. 8. ait: *Cum ergo bona nobis futura esse credantur, nihil aliud, quàm sperantur:* ergo credere est sperare, adeoque actus spei est actus intellectus. Idem hinc inde tradunt alii Patres. Confir. 1. Desperatio est actus intellectus, quo quis judicat, se beatitudinem non consecu-

secuturum: ergo spes est actus intellectus, quo quis iudicat, se illam consecuturum. Confir. 2. Actus spei constituitur ex desiderio boni absentis, & iudicio probabili de eius futuritione: ergo saltem partialiter constituitur ex actu intellectus.

Resp. dist. consequ. credere est sperare casualiter. conc. conf. est sperare formaliter. neg. conf. S. Doctor ibi multis distinguit fidem à spe: per verba autem objecta aliud non intelligit, quam fidem debere precedere spem; probat enim ibi, nil sperari, quod non creditur, & fidem esse causam subsequens spei: sicut scilicet etiam Apostolus 1. Cor. 13. v. 7. dicit: *Charitas... omnia credit, omnia sperat*: non quod velit, actum charitatis esse formaliter actum fidei, aut spei, sed quod hos actus causet, aut impetret, vel moveat ad eos eliciendos. Et sic intelligendi sunt etiam alii Patres.

737. Ad 1. confir. neg. ant. Desperatio formaliter est desiderium diffidentiale, sive est desiderium quidem rei, sed sine fiducia eam assequendi: quod spectat ad voluntatem. Quamvis autem desperatio saepe præsupponat actum intellectus, qui ostendit, rem non esse promissam, vel non obtinibilem: attamen talem actum intellectus desperatio non necessario præsupponit; nam e.g. potest quis desperare beatiudinem, quam tamen se obtinere posse, si velit, fide Divina credit: attamen, quia non vult relinquere peccata, nec cooperari gratiæ, non habet desiderium, quale requiritur ad spem, hoc est, affectivè saltem efficax, quod eum determinet, ut velit facere, quantum est ex parte sua necessarium: intellige, ut velit aliquando; quia peccator habitualis, etiam si necdum velit poenitentiam agere, potest tamen sperare, modò saltem velit aliquando poenitentiam agere: desperans autem nunquam vult facere, quod ex parte sua est necessarium.

736. Ad 2. confir. neg. 2dam partem ant. Illud iudicium, sive certum, sive probabile, tantum præsupponitur ad actum spei, non autem eum constituit: sicut etiam ad hoc, ut quis gaudere possit de re aliqua, debet iudicare, quod sit sua; quin hoc iudicium constituat gaudium; cum tantum præsupponatur, & reddat voluntatem expediendam, ad eliciendum potius actum gaudij, quod habet tendentiam quietativam, quam desiderij, quod habet tendentiam sollicitam, & inquietam: & actus gaudij, ac desiderij, per has tendentias intrinsicè differunt: non verò per actus illos intellectus præsuppositos.

737. Ob. 2. Potest aliquis sperare beatitudinem, non ut sibi bonam, sed ut bonam DEO, & conducentem ad eius gloriam: ergo spes non est desiderium concupiscentiæ. Confir. 1. Sæpe speratur aliquid ab homine cum diffidentia obtinendi: ergo spes non est desiderium fiduciale. Confir. 2. ex Esparza. Sicut fides ducit ad spem, ita spes ducit ad charitatem: ergo, sicut fides definitur *sperandarum substantia rerum*: ita spes de-

bet definiri *substantia Divina dilectionis*. Resp. neg. ant. talis enim non proprie sperat, sed tantum desiderat; nam desiderium est terminus genericus, & datur etiam desiderium charitatis, quo desideramus alteri bonum: & siquidem desideremus bonum ut bonum DEO, erit desiderium charitatis Theologicæ; nam utique est actus charitatis, si desiderem, gloriam nominis Divini per totum orbem propagari.

Spes autem à proprio sperantis bono non præcindit; ita enim S. Augustinus in *enchiridio c. 8.* scribit: *Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur.* Ad 1. confir. neg. conf. In tali casu spes est infirma, & modica: simul tamen etiam est modica, sed tamen aliqua fiducia, quæ aliis motibus nititur, quam iis, ex quibus diffidentia concipitur. Si autem nulla omnino fiducia addit, etiam nulla spes aderit. Ad 2. confir. neg. ant. non enim se habent proportionaliter; nam sine prævio actu fidei non potest elici actus spei: at sine prævio actu spei potest immediatè elici actus charitatis.

738. Ob. 3. Objectum spei est bonum futurum: at DEUS non est bonum futurum, sed sola eius possessio est futura: ergo non DEUS, sed sola eius possessio est objectum spei. Confir. 1. Quod non est objectum gaudij concupiscentiæ in patria, non est objectum spei in via: atqui DEUS non est objectum illius gaudij, sed sola eius visio, & fruitio: ergo. prob. mi. illud est objectum illius gaudij, quod est objectum tristitiæ in damnatis: sed in his objectum tristitiæ non est negatus DEUS, sed tantum negata eius visio, & fruitio: ergo. Confir. 2. Res, à nobis distincta, non sunt ipsæ nobis bonæ, vel malæ, sed tantum earum possessio, vel carentia: ergo neque DEUS, est nobis bonus, sed tantum eius possessio: & contra negatio possessionis est mala.

739. Resp. dist. ma. Objectum spei est bonum, futurum quoad suam existentiam. neg. ma. futurum nostrum. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Speramus utique saepe pecunias, dudum jam existentes, & ab anti-quis principibus casas: speramus etiam bona immobilia, ab orbe condito existentia: & pariter speramus DEUM futurum nostrum, seu à nobis possidendum: neque tamen ideo speramus solam possessionem DEI, ut explicatum n. 724. & adhuc magis explicabitur ex sequentibus. Ad 1. confir. neg. mi. ad prob. dist. mi. objectum tristitiæ in damnatis non est DEUS negatus absolute, seu DEUS non existens. conc. mi. non est DEUS negatus ipsis, seu ab ipsis non possessus. neg. mi. & consequ. vel aliter, re ipsa tamen in eundem sensum, dist. mi. objectum tristitiæ non est DEUS in abstracto. conc. mi. in concreto. neg. mi. & conf. Sci. licet tristantur damnati de toto hoc complexo DEUS à me non possessus: sicut, qui spoliatus est pecuniis, dolet etiam de pecuniis, non quidem in abstracto, sed in concre-

creto, nempe de pecuniis amissis: vel sicut, qui dolet de Christo flagellato, dolet etiam de ipso Christo, ut in his tormentis posito.

740. Sanè est innegabile, aliquam rem, quæ ex se est indifferens, posse ratione circumstantiarum determinari, ut sit objectum, vel hujus, vel alterius affectus. Videtur etiam per se clarum, quod amor concupiscentiæ, qui involvitur in spe, respiciat bonum, non quomodocunque, sed ut bonum amanti, hoc est, ut possidendum: adeoque simul tendat in complexum, ex fine qui, & fine quo; qui simul faciunt finem cuius. Accedit, quod, si spes non tenderet in DEUM, non esset virtus Theologica, qualem tamen esse, & abunde probatum, & omnibus certum est. Ad 2. confir. neg. ant. Ipsæ pecuniæ sunt nobis bonæ; & non tantum possessio earum: ipsum pharmacum est ægro bonum, & non tantum ejus sumptio: sicut econtra venenum ipsum est malum. Si dicas, pharmacum, & venenum, dici malum, aut bonum, propter effectus: respondeo, non tantum effectus, sed etiam ipsas causas esse malas, vel bonas: adeoque etiam DEUS est bonus nobis, qui est causa visionis, & amoris, seu possessionis.

741. Ob. 4. Actus spei Theologicæ non est necessario DEO auxiliatori innixus: ergo definitio non est bona. prob. ant. ex S. Thoma, qui in *questionibus disputatis q. unica de spe a. 1. in corp.* ita ait: *Sic igitur quandoque sperat homo aliquid adipisci per propriam potestatem, quandoque verò per auxilium alienum.* & 1. 2. q. 42. a. 3. ad 3. *Spes est de bono, quod quis potest adipisci: potest autem aliquis adipisci bonum, vel per se, vel per alium, & ideo spes potest esse de actu virtutis, qui est in potestate nostra constitutus:* ergo spes non necessario innititur alieno auxilio, consequenter nec DEO auxiliatori.

Resp. neg. ant. ad prob. neg. conf. S. Doctor nunquam cogitavit, quòd spes Theologica non innitatur DEO auxiliatori; nam utique propriis naturæ viribus non potest obtineri DEUS, vel ejus supernaturalis possessio: & idem Angelicus. 2. 2. q. 17. a. 5. ad 4. sic habet: *Magnanimitas tendit in arduum, sperans aliquid, quod est sua potestatis; unde proprie respicit operationem aliorum magnorum: sed spes, secundum quod est virtus Theologica, respicit arduum, alterius auxilio assequendum, ut dictum est. scilicet a. 1. hujus questionis in corp.* Quare in textibus objectis S. Doctor neutiquam loquitur de spe Theologica: sed ad summum de aliqua spe morali, quæ sit pars aliquo modo potestativa magnanimitatis; hæc enim à S. Thoma in modò citato textu dicitur *sperans aliquid, quod est sua potestatis.*

742. Ob. 5. Medicus, & medicina, non sunt objectum formale spei moralis, qua speratur ab ægro sanitas: ergo neque DEUS auxiliator est objectum formale spei Theologicæ. Confir. Si DEUS auxiliator, vel ejus auxilium, esset objectum formale spei Theologicæ, etiam nostræ vires, vel nostræ co-

operatio, essent objectum formale ejusdem: sed istæ non sunt objectum formale spei: ergo. prob. ma. etiam sine istis non potest obtineri beatitudo nostra: ergo etiam istæ debent esse motivum, seu objectum fiduciale. Resp. neg. antec.

Licet medicus, vel medicina, non sint objectum formale quod, seu id, quod amatur: sive; licet non sint objectum illius spei, quatenus ea habet formalitatem amoris (hoc enim objectum est sanitas ut ægro bona) sunt tamen objectum formale quo spei, quatenus ea habet formalitatem fiduciale. Pariter DEUS sub ratione auxiliantis, non quidem est objectum formale quod (non enim debet sub hac ratione amari) est tamen objectum formale quo formalitatis fiduciale, quæ debet operari. Sub hac ratione etiam omnipotentia, liberalitas, & aliæ perfectiones DEI, quæ erigere possunt nostram fiduciam, possunt esse objectum formale quo spei, licet objectum formale quod sit DEUS, ut bonus nobis, per visionem, & amorem possidendus.

743. Ad confir. neg. ma. ad prob. neg. conf. Ex communi Philosophorum, & Theologorum consensu, à quo non debemus recedere sine gravi ratione, objectum formale fiduciale, quæ includitur in spe ut distincta à magnanimitate, dicitur illud solum, ex quo concipimus fiduciam obtinendi rem, posito, quòd nos etiam faciamus, quæ ex parte nostra sunt necessaria. Unde cognitio representans motivum, seu objectum formale fiduciale, per se jam præcedit cognitionem nostrarum virium, & nostræ cooperationis: vel saltem cognitio nostrarum virium, & nostræ cooperationis, est tantum conditio, requisita ad hoc, ut cognitio auxilii alieni possit excitare fiduciam.

Præcipue autem verum est, quòd nostræ vires, vel nostra cooperatio, non sint objectum formale quo spei Theologicæ, qua speramus consequi DEUM; ad hunc enim consequendum solis viribus nostris nihil possumus, & etiam adjuti gratiæ tantum non nihil, ut docet Tridentinum *sess. 6. c. 5.* facimus: hoc est, ut alibi diximus, nos ferme habemus ut pauper, qui vestem acceptam tanquam elemosynam induit. Et quis dicat, quòd in paupere motivum fiduciale, accipiendi elemosynam, sit ipsius manus, & potentia eam extendendi, versus elemosynæ dispensatorem?

744. Ob. 6. Objectum formale actus virtutis non est aliquid indifferens, etiam ad actum oppositi vitij: sed beatitudo objectiva, seu bonitas DEI est indifferens ad actum desperationis; quia potest cum utroque stare: ergo non est objectum formale actus spei. Resp. dist. ma. non est aliquid indifferens, ita, ut æquè possit movere ad hunc, vel illum actum. conc. ma. indifferens, ut tantum utriusque possit coexistere. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf. Hoc est ferme in omni motivo, quòd non esset ad actum, sed possit coexistere opposito actui: & sic etiam bonitas DEI infinitum amabilis, potest stare cum odio.

At non potest objectum formale virtutis movere ad actum oppositum: certè bonitas DEI, proposita, ut requiritur ad actum spei, scilicet ut infinitè bona speranti, vel possidenti, & simul ut acquiribilis, per auxilia Divina promissa, non potest movere ad desperationem. Quia tamen cum hoc objecto formali, seu motivo, possunt adesse alia; e. g. difficultas cooperandi gratiæ, abstinendi à volupratibus illicitis &c. quæ movent ad desperationem, potest illud motivum spei vinci, & bonitas DEI, atque auxilia Divina componi cum desperatione.

QUÆSTIO II.

De Objecto Materiali, & Formali, ac Proprietatibus Habitûs Charitatis.

ARTICULUS I.

Quid sit Charitas, & quod ejus Objectum Materiale, ac Formale, & an detur Amicitia inter DEUM, & Hominem.

745. **D**ico 1. Actus charitatis Theologica est amor, quo amamus DEUM super omnia propter seipsum: id est, non quia bonus nobis, sed quia bonus sibi ipsi est. ita re ipsa omnes. Debet itaque hic amor 1. DEUM præferre omnibus rebus, & ipsum appetitativè amare præ omnibus aliis, etiam seipso amante, ut in comparatione DEI nihil non minus ipso æstimet, & pro nulla re, aliquid DEO graviter displicens, admittat; hoc enim utique meretur ejus infinita bonitas, & dignitas. Debet 2. hic amor DEUM amare, hoc est, ipsi velle bonum, tam intrinsicè, sive ejus perfectiones internas, quas ei gratulatur, etiamque habere gaudet, quam extrinsecum, sive ejus gloriam extrinsecam, cultum & adorationem, de quibus ei exhibitus gaudet, vel ea exhiberi desiderat. Debet 3. hic amor præcindere ab omni concupiscentia, seu propria amantis utilitate, ut non querat ultimum bonum suum, sed solum bonum DEI: qua de causa amor charitatis dicitur amor benevolentia (cum alter intendens bonum amantis, dicatur amor concupiscentia) imò talis amor in amantibus rationalibus dicitur quoque, & est amor amicitia, etiam inter DEUM, & hominem, ad statum gratiæ elevatum; nam inter hos, ut paulò post docebimus, datur amicitia. Ex his facile inferitur, quòd *Habitus charitatis sit virtus Theologica, elicitive amoris DEI super omnia propter seipsum*: adeoque, quòd, sicut spes, ita etiam charitas, spectet ad voluntatem, non ad intellectum; quia scilicet charitas elicit volitiones, non cognitiones.

746. Hic ex occasione noto, ab Innocentio XII. inter damnatas 23. propositiones, primam esse proscriptam, quæ sic habet: *Datur habitualis status amoris DEI, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione*

motivi proprii interesse. Neque timor peccatorum, neque desiderium remunerationum habet amplius in eo partem. Non amatur amplius DEUS propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem, in eo amando invenientiam. De hac propositione visus est quidam sensisse, eam fuisse damnatam, propterea, quòd adstrueret amorem charitatis puræ sine ulla admixtione *motivi proprii interesse*: seu sine ullo respectu ad proprium amantis commodum. Verùm per eam damnationem neutiquam reprobatus est actus purissimi amoris erga DEUM, quem Sancti frequentissimè elicerunt, & adhuc eliciunt: sed tantum damnatum est, dari statum habitualem, & permanentem, in quo anima pia omnibus actibus, proprium bonum respicientibus, adeoque etiam omnibus actibus spei, exuta sit, ut patet ex terminis ipsius propositionis, & ex testimonio eorum, qui causæ illi, dum ageretur Romæ, consultores interfuerunt.

747. Et ratio eam propositionem damnandi (uti & alias ei similes, inter easdem 23.) erat, quòd doceret, dari statum stabilem animæ, in quo ista non obligaretur ad eliciendum actum spei Theologica strictè talis; nam spes, quæ admittitur in propositione 11. non est strictè actus spei, sed charitatis; nam sic habet propositio: *In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse: sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis, & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium distinterestedum promissionum*; desiderium enim distinterestedum, seu non querens ullo modo bonum proprium, non est spes, prout hæc à Theologis communissimè definitur.

Jam verò nullus est status, in quo cesset obligatio præcepti spei, sive per se, sive ratione insurgentium tentationum, quibus nullus status est liber, & quibus succumberet sæpe infirma natura, nisi spe futurorum bonorum sustentaretur. Et sic etiam sanctissimi viri, in statu perfecto constituti, elicerunt actus spei, de consequendis bonis futuris, & his se exerxerunt in tribulationibus suis.

Sic S. David *Psalm. 118. v. 112. ait: Inclinarvi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* De Moysè dicitur ad *Hebr. 11. v. 26. Majores divitiis astimans thesauro Ægyptiorum improprium Christi; aspicebat enim remunerationem.* S. Paulus 2. ad *Timoth. 1. v. 12. de se ait: Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor; scio enim, cui credidi, & certus sum; quia potens est, depositum meum servare in illum diem.* item 2. ad *Timoth. 4. v. 8. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex: quamvis iidem Sancti sapientissimè etiam exercuerint actus charitatis purissimæ, sine ullo ad propriam utilitatem respectu.*

748. Dico 2. Objectum materiale charitatis primum est DEUS: objecta autem materialia secundaria sunt res aliæ, quæ amantur propter DEUM, e. g. Humanitas Christi, B. Virgo, proximi nostri, item actio-

Quod sit objectum charitatis, & an detur amicitia inter Deum, & hominem. 211

actiones conducentes ad bonum, vel gloriam DEI &c. Assertio hæc quoad 1. p. est clara ex ipso conceptu actus charitatis Theologica, qui ex primario suo fine amplectitur præ omnibus DEUM. Prob. quoad 2. p. Quando unum primariò amamus, sæpe amamus propter ipsum alia; quia primariò amato bona sunt: ergo actus charitatis secundariò etiam amplectitur ista.

Insuper, eum primariò amatus sæpe cupiat, ut alius habeat aliquid bonum, e. g. ut homo habeat æternam beatitudinem, etiam ipsi placet, ut propter se, seu intuitu sui, illi alteri idem bonum velimus; hinc possumus, ex charitate Theologica velle proximo bonum, e. g. æternam beatitudinem: ita tamen, ut hanc ipsam, unà cum ipso proximo, ultimatiò referamus ad DEUM: & sic actus charitatis principaliter semper respicit DEUM: ex quibus facile patet, DEUM esse objectum materiale charitatis primum, alias verò res esse objecta materialia secundaria.

749. Alii dicunt, DEUM esse objectum materiale charitatis *cui ultimum, & primum*: alia autem posse esse objectum materiale *cui secundarium, & non ultimum*: fors clarius, & usitatus loquerentur, si dicerent, quòd DEUS sit *finis cui primarius, & ultimus* charitatis: alia verò sint *finis cui secundarius, & non ultimus*: quorum terminorum explicationem dedimus *tract. de beat. à n. 3.* Et utique DEUS est *finis cui simpliciter ultimus*; nam ad ipsum ultimatiò omnia referuntur, & ut ipsi bona per charitatem primariò amantur: siquid autem alteri, e. g. proximo, boni volumus, vel ei amamus, aut etiam ei boni facimus, e. g. amore DEI damus ei elemosynam, tunc ille à nobis consideratur ut *finis proximus, non ultimus*: eique taliter considerato bonum volumus, vel conferimus; quia, ut jam dictum, ultimò tandem omnia ad DEUM referimus.

750. Dico 3. Per actum charitatis Theologica possumus, tanquam objectum materiale secundarium, amare omnes creaturas rationales, in cælo, & in terra, atque in purgatorio, etiam peccatores, hæreticos, & infideles &c. ita communissima. Prob. DEUS omnes istos amat, & vult à nobis amari: ergo. ant. prob. quòd DEUS amet Beatos in cælo, item justos in purgatorio, atque in terra existentes, est extra omnem controversiam: sed neque potest negari, quòd DEUS amet peccatores, adhuc in terra, seu hac vita degentes; quia seriò cupit omnes salvari, & ex amore, atque intentione salutis eorum, confert ipsis media sufficientissima, ad hanc obtinendam.

Quòd autem DEUS velit, ut nos istos omnes amemus, satis patet ex eo, quòd præcepto charitatis nos obliget, ad amandum proximum, etiam infidelem: quòd velit nos colere Sanctos, & succurrere animabus purgantibus. At verò non possumus per actum charitatis diligere damnatos in inferno, sive angelos, sive homines; quia istos DEUS non amplius amat, & efficaciter decrevit,

nullum amplius iis bonum conferre: adeoque non possumus his DEI hostibus, in æternum ab ipso abjectis, ullum bonum velere.

751. Dico 4. Objectum formale quod charitatis est bonitas Divina, non ut bona nobis, sed ut bona DEO. ita omnes. Prob. Actus charitatis non est amor concupiscentia, sed amor benevolentia, imò amicitia: differentia autem inter hos amores intrinseca est, quòd prior amet bonum proprium, alter verò bonum amici, ut agnovit ipse Aristoteles, qui *8. ethic. c. 7. ait, amicium amico velle bona ejus ipsius causa*: ergo, quòd movet ad actum charitatis, est bonum DEI, quatenus ipsi bonum. Jam verò, cum charitas sit virtus Theologica, adeoque debeat habere objectum formale quod Divinum, debet hoc ipsum bonum esse Divinum, adeoque bonitas intrinseca DEI ut ipsi bona. Habet autem charitas Theologica tantum objectum formale quod, & nullum formale quo; quia nullum habet motivum, quod intrinsicè respicit actus, & non simul amat, vel amplectitur.

752. Sed neque habet hæc charitas ultimum objectum formale quod creatum; nam omnia creata sunt tantum ejus objectum materiale; quia ab ea omnis bonitas creata propter aliud, scilicet propter bonitatem Divinam, non propter se, diligitur. Et hinc charitas excellit fidei, & spei, ut ait S. Paulus *1. Cor. 13. v. 13. Major autem horum est charitas*: adeoque est nobilissima virtus in via. An autem major sit lumine gloria, disputant Theologi, de quo videri potest Gormaz *tract. de beat. à n. 212.* Viderur tamen charitas habitualis inferior esse gratia sanctificante, à qua eam suppono esse distinctam ex *tract. de gratia n. 266.* nam gratia sanctificans facit formaliter filium DEI adoptivum: habitus autem charitatis tantum arguitivè, & tanquam instrumentum: insuper, ut statim *n. 1.* diximus, gratia sanctificans est quasi natura in ordine superno, cui habitus charitatis, & alia debentur: natura autem est præstantior suis potentiis, & proprietatibus.

753. Dico 5. Datur inter DEUM, & hominem justum, vera amicitia, atque adeo actus charitatis est amor amicitia. ita omnes Catholici. Prob. In Sacris Scripturis sæpe homines vocantur amici DEI: ergo sunt tales, & consequenter datur amicitia inter DEUM, & ipsos. prob. ant. *Judith. 8. v. 22.* dicitur *Abraham... DEI amicus effectus est.* *Psalm. 138. v. 17. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEUS. Sapient. 7. v. 14. Quo thesauro sapientia qui usi sunt, participes facti sunt amicitia DEI.* 2. *Paralipp. 20. v. 7. Dediti eam semini Abraham amici tui.* & alibi sæpius. Confr. Tridentinum *sess. 6. c. 7.* definit sic: *Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus*: intelligit DEI: cujus scilicet fit hæres, ut ibidem dicitur. Ex qua definitione Concilii etiam habetur, verba S. Scripturæ literaliter de amicitia cum DEO verè tali intelligenda esse.

Amicitia autem præter benevolentiam duo requirit. 1. Jus ad amorem mutuum, seu redamationem; nam amici debent se redamare: nec satisfacit officio amici, qui non redamat, ut per se patet; unde etiam DEUS iustus se amantes redamat juxta illud *Prov. 8. v. 17. Ego diligentes me diligo.* 2. Amicitia requirit proportionem in natura; neque enim homo canem, vel equum, amat amore amicitiae, vel sit eorum amicus, quamvis eis vel maxime quandoque bene velit, e. g. eos cibo exquisitissimo nutriat, etiam sine suo commo- do; quia scilicet non datur proportio in natura.

754. At verò inter hominem justum, & DEUM, datur proportio sufficiens in natura, per gratiam sanctificantem, quæ est participatio Divinæ naturæ, in quantum naturam humanam elevat ad tam altum statum, ut participet gradum illum intellectivitatis Divinæ, quem nulla creatura ex se ipsa potest habere, scilicet, ut DEUM videre possit intuitivè; habet enim DEUS solus à natura sua, ut seipsum possit intuitivè videre, & nulla creatura ex se potest eò per- tingere: gratia sanctificans tamen ita elevat, saltem radicaliter, naturam humanam, ut possit videre DEUM intuitivè, quatenus scilicet gratia exigit lumen gloriæ, de qua re vide Suarezium. *P. 3. de grat. l. 7. c. 1. n. 30.* ex quo hæc paulò fufius deduxi in tract. de gratia à n. 264. Hæc gratia sanctificans etiam est adoptio in filium DEI: nam adoptio in genere juxta Juristas est assumptio legitima natura extranea: per gratiam autem assumit DEUS naturas hominum, & Angelorum, sibi extraneas, scilicet nec identificatas, nec unitas. Eadem quoque gratia est jus ad redamationem: & hinc parvuli baptizati ante usum rationis habent jus ad hoc, ut DEUS eos amet, etiam si ipsi eum necdum amare possint. Ex quo infertur (quod supra diximus) actum charitatis Theologicæ semper esse actum amicitiae, inter DEUM, & hominem; nam vel homo pro priori jam est justus, & amicus DEI: vel certè redditur per ipsum actum charitatis in eodem instanti amicus: adeoque actus charitatis est actus amicitiae, saltem renovata.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

755. **O**B. 1. contra 3. conclusionem. Homines non adorantur ab habitu patriæ, propter excellentiam DEI: ergo neque amantur ab habitu charitatis, propter bonitatem DEI. ant. videtur certum, confeq. constat ex paritate rationis. Resp. neg. conf. & paritatem, quam etiam negat S. Thomas. 2. 2. q. 25. a. 1. ad 2. dicens: *Amor respicit bonum in communi: sed honor respicit proprium bonum honorati; desertur enim alicui in te-*

stimonium propria virtutis, & ideo amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodò referantur ad aliquod unum bonum commune: sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum. Unde eodem amore charitatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est DEUS: sed diversos honores diversis deserimus, secundum propriam virtutem singulorum; & similiter DEO singularem honorem patriæ exhibemus, propter ejus singularem virtutem.

756. Ne autem obijci possit, quòd, sicut amor in communi respicit bonum in communi, ita etiam honor in communi respiciat tantum excellentiam in communi: & sicut honor in specie respicit excellentiam in specie, ita etiam amor in specie respiciat bonitatem in specie: respondet Gormaz tract. de charit. theol. disp. 2. n. 89. & seq. (ubi citat Contentonum, Granadum, & Ripaldam) Angelicum tantum velle dicere, quòd amor, licet utique possit ferri specialiter actu in bonitatem in specie, tamen etiam possit ferri in bonum commune, adeoque non necessariò exigat in objecto materiali bonitatem: quam enim bonitatem e. g. invenit amor DEI in gravissimo peccatore? econtra verò honor non possit ferri in excellentiam in communi, sed debeat ferri in excellentiam in specie: & hinc nemo possit honorari præcisè propter excellentiam alterius: sed, si quis etiam propter alterum honoretur, e. g. prorex propter regem, tunc hæc ipsa assumptio, vel elevatio ad officium proregis, sit excellentia aliqua propria talis hominis: sitque motivum colendi prore- gem.

757. Verùm videtur sæpe aliquid coli, propter excellentiam alterius, & non propter propriam, præsertim quando aliquid colitur cultu, qui vocatur respectivus. Sic adoratur lignum sanctæ crucis, quod non habet tantam excellentiam sibi propriam, ut propter eam adorari debeat. Unde non male idem Gormaz tr. de charitate disp. 2. sec. 2. n. 90. & seq. ait, amorem ita tendere in bonum commune, ut nullam bonitatem in objecto materiali, propter alium amato, exigat, nisi bonitatem alterius, ob quam amatur, applicatam moraliter, e. g. per voluntatem, qua amatus vult, hanc rem propter se amari: & sic propter DEUM amamus hostes nostros infensissimos, peccatores gravissimos &c.

At verò honor, seu cultus, ut idem author vult, non fertur tantum in excellentiam in communi, sed exigit saltem aliquam dignitatem, vel excellentiam propriam, in objecto honorato, quam etiam habent ii, qui honorantur propter alium, e. g. prorex, sacerdos, sancta crux, aut vasa sacra &c. supposita autem tali speciali dignitate in objecto, potest dein istud honorari, vel cultu minore, ipsius speciali excellentiæ debito, vel cultu majore respectivo, propter excellentiam alterius: & sic sancta crux dic

die parasceves adoratur cultu patriæ respectivo.

758. Sicut autem, ut possimus aliquem amare propter DEUM, debet ipsi esse applicata bonitas DEI (& hæc applicata est omnibus, e. g. proximis nostris per voluntatem, imò per præceptum Divinum, quo jubemur, eos diligere propter DEUM, & iis benefacere) sic etiam, ut aliquid colamus propter DEUM, debet ei esse applicata excellentia DEI, per aliquam voluntatem, vel beneplacitum ipsius, quo DEUS ostendat, sibi placere, tales, vel tales res, coli propter se: & sic applicata est excellentia DEI rebus à Christo tactis, e. g. sanctæ cruci, coronæ spineæ, vel vestibus Christi: item sacerdotibus, & ministris altaris &c.

759. Non tamen semper excellentia DEI, est rebus applicata in tantum, ut adorari possint cultu patriæ, etiam tantum respectivo; nam, sicut e. g. si quis imperator assumit aliquem in consortium imperii, applicat, vel communicat illi suam dignitatem omnino ita, ut parem excellentiam habeat, & pariter honoretur: at non ita applicat illam ei, quem assumit in proregem, vel legatum, aut ministrum: quamvis & hic propter applicatam ipsi aliquouique imperatoris dignitatem, vel excellentiam, honorandus sit: ita etiam potest DEUS diversimodè applicare excellentiam suam creaturæ; non quidem, ut æqualiter ipsi digna fiat: sed ut vel magis, vel minus colatur, & vel cultu patriæ respectivo, vel inferiore.

Sic DEUS applicat excellentiam suam sanctæ cruci, ut adoretur cultu patriæ respectivo: at non ita eam applicat quibuslibet sacris vasis, vel sacerdotibus. Præsertim autem non ita DEUS applicat excellentiam suam viventibus hominibus, ob periculum idololatriæ: & nullo modo eam applicat animalibus irrationalibus; si nullo modo potest coli a finis, cui Christus Dominicæ Palmarum insedit. Cui autem rei sit, vel non sit applicata excellentia DEI: item qui in ordine ad hunc, vel alium cultum, excellentia DEI sit applicata, desumi debet ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ.

760. Addendum hic etiam, magnum esse discrimen, inter adorationem tantum respectivam, & absolutam; nam per istam adoratur res, tanquam in se ipsa dignitatis supremæ: per illam autem res adoratur, tantum ut relata ad aliam rem supremæ dignitatis, propter seipsam adoratam. Unde non est saltem formaliter, eadem virtus elicitiva utriusque adorationis; nam virtus, respectivè adorans creaturam, præter excellentiam Divinam exigit etiam creatam, ut ex supra dictis habetur: non autem virtus adorans DEUM. Econtra charitas, sive amet DEUM solum, sive etiam propter hunc amet proximum, non exigit aliam bonitatem, quam Divinam; quia in proximo nullam requirit. Hinc est, quod S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 4. ad 3. dicit: *Charitas, qua diligitur DEUS, non est virtus distincta à charitate, qua diligitur proximus: religio*

autem, qua honoratur DEUS, distinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus. vide Gormaz de charit. disp. 1. n. 87.

Quòd si quis contenderet, non esse necessariam specialem dignitatem in objecto materiali cultus patriæ, sicut diximus, non esse necessariam specialem bonitatem in objecto materiali actus charitatis: inprimis aperte contradiceret Angelico: dein nil evinceret contra nostram assertionem; nam facile responderetur, hominibus, in ordine ad actum charitatis, applicatam esse bonitatem Divinam, per præceptum dilectionis, ut constet ex praxi, & usu Ecclesiæ, ac communi sensu Theologorum: non autem iisdem applicatam esse excellentiam DEI, in ordine ad cultum patriæ, ut iterum constat ex praxi, & usu Ecclesiæ, ac communi doctorum.

761. Ob. 2. Si possumus per actum charitatis amare etiam alia, tanquam objectum materiale, possumus etiam amare damnatos, demones, & homines: hoc est absurdum: ergo. prob. ma. sicut ex amore DEI gaudemus de felicitate Beatorum; quia ex hac redundat in DEUM laus, & gloria: ita possumus tristari, quòd damnati non venerint in cœlum, in quo æternum laudassent DEUM, quæ laus nunc DEO non datur: sed ita tristari de eorum malo est ipsos amare: ergo. Resp. dist. ma. possumus etiam amare damnatos, tanquam purum objectum materiale quod conc. ma. tanquam objectum materiale cui, seu tanquam finem cui, ita, ut ipsis propter DEUM velimus aliquòd bonum, sicut volumus Sanctis, vel etiam proximo adhuc viventi. neg. ma. & dist. sic mi. neg. conf.

762. Possumus quidem velle, seu desiderare, ut damnati non peccassent, sed potius DEUM in æternum laudassent: hoc autem tantum possumus desiderare; quia aliquo modo esset bonum DEO: non autem, quia est bonum ipsis; nam non est amplius ipsis applicata bonitas DEI, ita, ut DEUS velit, vel gratum habeat, ut ipsi bene velimus, vel beneficiamus, sicut proximis nostris adhuc viventibus, etiam peccatoribus, & infidelibus &c. cum damnati sint exclusi ab omni misericordia DEI, & ab hoc maledicti. Possumus etiam ex charitate erga DEUM velle, eos in pœnis conservari, & pro meritis justè puniri, quatenus istud ex suppositione peccati cedit in gloriam DEI. Utrumque hoc tradit S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 11. in corp. sic scribens: *Illud autem bonum vita æterna, quod respicit charitas, spiritibus illis, à DEO eternaliter damnatis, ex charitate velle non possumus; hoc enim repugnaret charitati DEI, per quam ejus justitiam approbamus. & infra. Naturam demonum etiam ex charitate diligere possumus, in quantum scilicet volumus, illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam DEI.*

763. Ob. 3. contr. 5. conclus. Aristoteles 8. ethic. c. 7. ait: *Id autem perspicuum est, si multa virtutis, & vitij assuetudine, aut alienius alterius distantia fuerit;* non

non enim amplius sunt amici: sed ne esse quidem se dignum putant; hoc autem in Diis clarissime patet, qui plurimum omnibus bonis præstant: ergo non datur amicitia inter Deos, & homines, minùs inter verum DEUM, & hominem. Confir. 1. Homo est essentialiter servus DEI: sed servus non potest esse amicus domini sui: ergo nec homo potest esse amicus DEI. Confir. 2. Nescimus, an DEUS nos redamet: ergo non potest dari in nobis mutua redamatio. Resp. concessio textu Aristotelis, neg. conf. Philosophus non agnovit hanc accidentalem in natura proportionem hominis cum DEO, quod ipsi tanquam ethnico ignoscendum est; quamvis Haunoldus l. 3. tract. 2. n. 549. velit, Aristotelem admisisse aliquam amicitiam inter DEUM, & hominem; licet eam voluerit, esse non vulgarem, seu ejusdem rationis cum amicitia hominum inter se.

764. Ad I. confir. dist. mi. Servus non potest esse amicus domini sui, sine speciali favore domini. conc. mi. cum speciali favore domini. neg. mi. & conf. Licet enim servus non possit ex se, sive ex jure sui status, exigere amicitiam cum domino suo, potest tamen ad eam elevari per specialem favorem. Equidem in humanis, si dominus servum suum elevat ad statum amici, tollitur servitus; quia hæc tantum accidentaliter est (potuisset enim, qui natus est servus Caji, nasci ejusdem dominus) & hinc per accidentalem etiam favorem domini tolli potest: sicut sæpe etiam aliis modis à lege probatis tollitur. At verò, si DEUS creaturam rationalem elevat ad statum sui amici, per hoc non tollitur servitus creaturæ respectu DEI; quia essentialis est, & tolli non potest.

765. Ad 2. confir. Resp. 1. om. ant. neg. conf. Etiam si omnino nesciremus, DEUM nos amare, possemus tamen ipsum amare propter ipsum: & sic saltem ex parte nostra daretur actus amicitiae, licet nesciremus, an etiam daretur ex parte DEI, adeoque nesciremus, an amicitia esset mutua. Quia tamen Philosophus requirit ad amicitiam, ut sit amor mutuus non latens. Resp. 2. neg. ant. sumus certi, quòd DEUS nos redamaret, si nos ipsum vero amore amemus: imò prior ipse dilexit nos. Non autem requiritur, ut absoluta certitudine sciamus, quòd DEUS nos amabiliter redamet; aliàs haberemus absolutam certitudinem de statu gratiæ, quod est falsum.

Dices. DEUS omnia, quæ amat, ultimato refert ad se tanquam finem ultimum, à se necessario intentum: ergo non amat nos amore amicitiae. Resp. neg. conf. Licet DEUS tandem omnia, quæ amat, referat ad se, tanquam finem ultimum excellentiæ, tamen simul nos ita amat, ut ex hoc suo amore velit nobis bona; quia nobis bona sunt, eaque referat ad nos, tanquam finem utilitatis, quod sufficit ad amorem amicitiae, qualis possibilis est inter DEUM, & hominem.

ARTICULUS III.

An Habitus Charitatis augeatur etiam per actus remissos.

766. **S**uppono 1. habitum charitatis, & habitum gratiæ (seu charitatem Theologicam habitalem, & gratiam habitalem) quos in tract. de gratia n. 266. dixi, verosimilius esse distinctos, tamen esse inter se ita connexos, ut aucto uno, augeatur & alter, ut docent Haunoldus l. 3. tr. 2. n. 560. & Tannerus tom. 3. disp. 2. q. 2. dub. 5. n. 143. ex hac solida ratione; quia, DEO esse gratum, & esse ejus amicum, se mutuo consequuntur: ergo, quantum quis DEO fit gratus per gratiam, tantum fit amicus per charitatem: nec puto, ullum Theologum hac in re dissentire: imò Rhodes tr. 6. de virtutibus disp. 1. q. 3. sec. 2. censet, parem esse rationem de gratia, ac omnibus aliis habitibus infusis. Suppono 2. charitatem posse intensivè augeri, seu esse capacem intensificationis, quancunque dein ratione intendatur, quod Philosophis disputandum relinquimus: & hoc iterum supponunt omnes Theologi.

767. Suppono 3. habitum charitatis intendi, vel augeri, saltem per actus intensiores ipso habitu, e. g. si quis, habens habitum ut duo, eliciat cum speciali auxilio DEI actum ut quatuor, augebitur habitus ejus. Nec potest negari talis casus possibilis; si enim peccatori, non habenti habitum, datur e. g. auxilium, ut possit elicere actum ut tria (non enim peccatores tantum possunt elicere actus remissos, sed aliquando valde intensos, & hos defacto elicerunt, e. g. S. Magdalena, quando dilexit multum) cur justo habenti habitum ut duo, nunquam datur auxilium ut tria, vel etiam auxilium ut quatuor, cum quo eliciat actum habitu intensiorem? Tunc autem intendi habitum omnes concedunt; aliàs nunquam intendere, consequenter nec gratia, quod est falsum. Questio jam est, an isti habitus etiam intendantur per actus remissos, e. g. habitus intensus ut tria, per actum intentum ut duo.

768. Dico. Habitus charitatis intenditur etiam per actus remissos. ita communis auctores, quos vide apud Tannerum tom. 3. disp. 2. dub. 5. n. 143. Rhodes, & alios. S. Thomas autem, qui 2. 2. q. 24. a. 6. in corp. posset videri contrarius, verosimiliter tantum negat augmentum notabile charitatis: non autem omne augmentum; nam ad 2. explicat augmentum, vel, ut vocat, dispositionem ad augmentum, similitudine guttarum lapidem excavantium: quarum tamen quælibet, quamvis non notabiliter, lapidem excavat: atque hac ipsa modica excavatione ad majorem, seu notabiliorem, suo modo disponit: & hinc S. Doctor videtur illam minorem excavationem appellare dispositionem ad excavationem majorem. Prob. conclusio. Gratia sanctificans, sive fit

distincta, sive identificata cum habitu charitatis, augeatur per actus supernaturales bonos; etiam remissos: ergo etiam habitus charitatis augeatur per eosdem. conf. patet ex supposito primo.

Prob. ant. 1. autoritate communi Theologorum, quorum aliqui acrius oppositam sententiam reprehendunt. Prob. idem ant. 2. ex Scripturis, quæ passim, ut 1. Corinth. 15. v. 58. & 2. Corinth. 4. v. 17. item Matth. 10. v. 42. & ad Rom. 2. v. 6. & 7. quibusvis bonis operibus promittunt mercedem æternam, seu gloriam: ergo augeatur gloria per quosvis actus bonos: ergo etiam gratia, ad cuius mensuram confertur gloria. Cum autem in his, & aliis locis, non fiat mentio actuum intensorum, sed omnibus promittatur merces æterna: nec nos debemus dicere, solos actus intensos tale præmium mereri, & remissos ab eo excludi.

Prob. idem ant. ex Tridentino sess. 6. can. 24. ubi sic definitur: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri, coram DEO per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augenda causam, anathema sit.* Hic iterum nullum fit discrimen inter opera bona intensa, & remissa, & de omnibus dicitur, quòd per ea augeatur justitia, quæ consistit, vel adæquatè, vel certè inadæquatè, in gratia sanctificante, & verosimiliter etiam in charitate habituali, vel certè hanc secum trahit: ergo augeatur gratia sanctificans, & cum ista etiam habitus charitatis. Eodem modo loquitur idem Concilium ead. sess. 6. c. 16. dicens: *Bene operantibus, usque in finem, & in DEO sperantibus, proponenda est vita æterna:* ubi iterum nulla exceptio, sed universalis promissio, facta omnibus bene operantibus: sive intensè, sive remissè operentur.

769. Neque in his locis tantum promittitur accidentale præmium, sed æternum gloria pondus, ut ait Apostolus 2. Corinth. 4. v. 58. vel, ut ait Tridentinum sess. 6. c. 16. *vita æterna*, quod est præmium substantiale beatitudinis. Neque etiam dici potest, non intendi gratiam, sed tantum priores gradus dari, aut conservari, ex novo titulo; sic enim merita nostra essent inanis titulus, nec homines stimulantur hac mercede ad bona opera. Potest quidem in aliquo casu, novus titulus præmii, esse aliquod incitamentum, quando præmium stat in laude, vel honore; sic e. g. aliquando præcis temporibus victori data est laurus ex duplici titulo duplicis victoriæ: est at quando pro præmio non queritur laus, sed aliud bonum, non movet ad operandum duplex titulus. Certè, si quis duobus operariis, quorum unus duobus, alter uno die laboravit, æqualem mercedem daret, & diceret primo, se mercedem illi dare ex duobus titulis, non foret is contentus; quia non querit laudem, sed pecunias. Pariter nos per merita quarimus gratiam, & gloriam: non verò laudem tantum accidentalem. Hac de re iterum erit

agendi locus in tr. de pœnit. à n. 346. & 355. ex occasione reviviscentiæ meritorum.

770. Probatur idem ant. 4. ex absurdis sequelis oppositæ sententiæ; nam 1. juxta adversam sententiam ex duobus, quorum quilibet haberet habitum charitatis, vel gratiam ut sex, si unus statim moreretur, alter adhuc diu viveret per plures annos, nunquam autem eliceret actum intensiorem, quam sex, hic non plus gratiæ, aut gloriæ haberet, quam prior, quod est incredibile. 2. si quis eliciisset intensissimum actum charitatis (e. g. quando putavit, se subito occidendum pro Christo, non autem occisus fuit) ita, ut habitus plurimum intendatur, talis vix posset amplius aliquid mereri: certè rarissimè mereretur. hinc 3. iusti, cum frequentissimè non operentur intensius, imò neque tam intensè, quam sit intensus eorum habitus, frequentissimè nihil mererentur: quæ utique absurda sunt. Confir. à priori. Actus etiam remissus, cum sit liber, honestus, & supernaturalis, est laudabilis, & placens DEO: ergo meritorius; nam omnis libera laudabilis est digna præmio.

771. Dico 2. Hoc augmentum charitatis, & gratiæ, etiam ratione actus remissioris, statim datur, quando datur ipse actus, nec differtur ad vitæ finem, vel ingressum in beatitudinem, ut aliqui opinantur apud Haunoldum l. 3. tr. 2. c. 2. controu. 4. n. 569. ita communis nostri, & plures alii, citati à Tannero loc. supra cit. n. 768. Prob. conclusio. Nulla est excogitabilis ratio, quare DEUS non statim præmii actum intensiorem gratiæ: ergo liberalissimus DEUS statim confert intensiorem gratiam, & charitatem. prob. ant. 1. solutione objectionum. 2. sic. Non est expectandus actus intensior; aliàs, si quis moreretur, antequam denuo intensiorem actum eliceret, non præmiaretur. Non est expectanda mors; quia ad gratiæ præmium mors non requiritur, ut patet in præmio actuum intensorum; & gratis dicitur requiri ad præmium remissiorum. Non est expectandus ingressus in cælum; tunc enim tempus est crescendi in gloria, non in gratia, quæ præsupponitur: ergo. Sed nec est paritas cum præmio gloriæ; nam quoad gloriam conferendam, est de fide, expectari conditionem mortis: at circa gratiam nulla est prærequisita talis conditio.

772. Ob. 1. contra 1. conclusionem. Congruum videtur, ut, qui negligenter, & remissè operatur, non præmieretur de novo: ergo. Confir. 1. Habitus naturales non intenduntur per actus remissos: ergo nec infusi. Confir. 2. Primam gratiam DEUS non dat supra mensuram dispositionis: ergo etiam non dat secundam. Resp. neg. suppositum; remissius enim operari, hoc est, minus intensè, non est negligenter operari; aliàs, nisi sancti viri semper intensissimè operarentur, negligentes, & culpabiles dicendi forent; cum tamen non semper habeant illustrationes ad actus intensissimos. Ad 1. confir. neg. conf. Habitus supernaturales, cum sint infusi, non acquisiti, non augentur

782. Quarto iterum *sess. 14. c. 4.* sic definit Tridentinum: *Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius: & in homine, post baptismum lapsō, ita demum preparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divina misericordie, & voto prestandi reliqua, conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur: ergo motus contritionis est necessarius, ad impetrandam veniam, & preparat ad remissionem peccatorum: adeoque non est ipsa justificatio; nihil enim est necessarium ad impetrandum seipsum, aut preparat ad seipsum.*

Nec dicas, Concilium tantum loqui de contritione imperfecta, seu attritione; clarum enim est, quod loquatur de contritione in genere, & intelligat utramque in specie: atque ita Theologi omnes Concilium explicant *in tract. de penit.* agendo de contritione: & patet legenti citatum caput; nam postea additur: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque DEO reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur: quae verba nemo explicat de contritione imperfecta, seu attritione: bene verò sequentia: Illam verò contritionem imperfectam &c.* ergo utraque contritio, quamvis diverso modo, impetrat veniam, & preparat ad remissionem, adeoque neutra est ipsa justificatio. Tandem conclusio validè probatur negativè; quia nulla ratio probat, actum charitatis esse formam justificantem, qualis tamen afferri deberet à positivè id afferentibus.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones.

783. **O**B. I. Scripturæ saepe adscribunt actui charitatis remissionem peccatorum, justificationem, sanctitatem, conjunctionem cum DEO &c: ergo ipsa est forma justificans. ant. prob. allatis textibus. *Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum. 1. Petri 4. v. 8. Charitas operit multitudinem peccatorum. Joan. 14. v. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* ergo. Resp. S. Scriptura etiam dicit de charitate *1. Cor. 13. v. 7. Omnia credit, omnia sperat &c.* quin actus charitatis sit formaliter actus fidei, aut spei. item *Jacob. 2. v. 24. dicitur: Ex operibus justificatur homo; quin opera sint forma justificans.*

Unde locutiones istæ sunt tropicæ, seu per metonymiam dictæ, sumendo causam pro effectu, quod frequentissimum est in Scripturis: & sic interpretes communiter hos textus exponunt. In forma dist. ant. Scripturæ adscribunt actui charitatis remissionem peccatorum &c. tanquam causæ. conc.

ant. tanquam formæ. neg. ant. & conf. ad prob. neg. conf. Textus illi, etiam in sensu proprio accepti, significant tantum causam, & non formam; nam utique etiam remittuntur peccata à DEO; licet ipse non sit formalis remissio: & donans vestem operit alterum, licet non sit operimentum: atque propter invitationem alterius venimus in domum illius, licet invitatio non sit adventus.

784. Ob. 2. SS. Patres saepe tribuunt charitati vim remittendi peccata, vel ea destruendi, & eam comparant, e. g. igni consumi sylvam, aut rubiginem ferri, ut loquuntur SS. Gregorius, & Chrysostomus apud Vasquium *in 1. 2. disp. 203. c. 4. n. 34.* quorum similia habent alii: ergo charitas est forma expellens peccatum. Confir. 1. S. Bernardus *l. de modo bene vivendi c. 4. de timore DEI post medium* ait: *Perfecta etenim charitas perfecta est sanctitas:* ergo charitas perfecta est justificatio. Confir. 2. S. Augustinus. *de natur. & grat. c. 42.* ait de charitate: *Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque justitia. & c. 70. seu ultimo. Charitas ergo inchoata inchoata justitia est, charitas provecta provecta justitia est, charitas magna magna justitia est, charitas perfecta perfecta justitia est: & loquitur non de habitu charitatis, sed de actu, ut patet legenti contextum: ergo justitia, & actus charitatis sunt formaliter idem.*

785. Resp. neg. conf. Imò, sicut ignis est tantum causa combustionis, vel consumptionis, ita ad mentem SS. Patrum actus charitatis est tantum causa justificationis, vel tantum est dispositio ad eam. Dein SS. Patrum comparationes non semper sunt ad omnem literam accipiendæ, sed eorum dicta saepe in sensu metaphórico, vel allegórico sunt intelligenda: certè S. Gregorius loco objecto, scilicet *homil. 33. in Evangelia* ait: *Quid, fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem?* quod dictum utique literaliter accipi nequit.

Ad confir. dist. ant. charitas est sanctitas in sensu literali. neg. ant. in sensu tropico. conc. anteced. & sub eadem distinctione conc. vel neg. conf. Certè S. Bernardus in verbis immediatè antecedentibus utitur tropo; ait enim: *Timor iste* (loquitur de servilli, quem charitas foras mittit) *sanctus est; quia in mente hominis generat sanctitatem:* certè timor literaliter non generat sanctitatem, aut charitatem: sed tantum tanquam actus imperans determinat voluntatem, ad actum charitatis eliciendum: sicut autem hæc tantum dicta sunt tropicè, ita & sequentia: *Perfecta etenim charitas perfecta est sanctitas;* licet enim charitas, & sanctitas, non sint realiter idem, sunt tamen connexæ, & in communi modo loquendi saepe unum connexum dicitur esse alterum: sic saepe dicimus: *Hoc iter fuit ejus mors:* vel: *fuit ejus promotio ad dignitatem.*

786. Ad 2. confir. dist. eodem modo dictum S. Augustini, & neg. conf. de justificatione literaliter, seu formaliter accepta in-

intellectam. S. Augustinus saepe solet loqui per tropos, & præsertim ita, ut participationem causæ, sive effectum, appellet nomine causæ, vel participati, ut expresse docet S. Thomas *2. 2. q. 23. a. 2. ad 1. & addit: Hic enim modus loquendi consuetus est apud Platonicos, quorum doctrinis imbutus fuit Augustinus: quod quidam non advertentes, ex verbis ejus sumserunt occasionem errandi.* Sic quoque, quia charitas nostra est participatio charitatis Divinæ, qua DEUS nos diligit, & quæ realiter est DEUS, etiam charitas nostra à S. Augustino. *l. 8. de Trinit. c. 8.* vocatur DEUS, ut *loc. modo cit.* exponit Angelicus.

787. Ob. 3. Actus perfectæ charitatis non est composibilis cum peccato: ergo est forma ipsi contraria, ipsumque expellens, consequenter est formaliter justificans. Resp. dist. ant. actus charitatis non est composibilis cum peccato actuali. conc. ant. cum peccato habituali. subdist. non est composibilis vi suæ naturæ, & exigentiæ intrinsicæ. neg. ant. vi promissionis Divinæ. conc. ant. & neg. confeq. Nunquam probabunt adversarij, quod DEUS, si noluisse, perfectæ contritioni promittere remissionem peccati, debuisset facere miraculum contra exigentiæ actus contritionis: imò hoc videtur ab omnibus iis negari, qui negant, creaturam posse per actum contritionis, vel aliud meritum, satisfacere pro peccato.

788. Licet autem peccatum sit averfio à DEO, & actus charitatis conversio ad eum, non tamen sequitur, quod iste habeat vim delendi averfionem habitualement, seu offensam; quia ex eo præcisè, quod sit conversio ad DEUM, non habet actus charitatis tantam bonitatem, quantam malitiam habet offensam, de qua re pluribus agitur *in tract. de incarn.* quin etiam in humanis, offensam paulò gravior, non statim deletur per subsequentem actum dilectionis. Quare, nisi DEUS misericorditer promississet, quod, posito tali actu, vellet remittere offensam suam, posset peccatum habituale manere, stante eo actu. Dixi superius, actum perfectæ charitatis non esse composibilem cum peccato actuali; quia utique cum sincero amore DEI super omnia non stat gravis ejusdem offensam: sed hoc haberet etiam amor DEI naturalis, qui tamen certò non expellit peccatum grave habituale.

789. Ob. 4. Amor DEI perfectus supponit fidem de eo, quod DEUS taliter amantem redamet: ergo est essentialiter connexus cum reciproco amore DEI, adeoque essentialiter incompossibilis cum inimicitia, vel odio DEI: ergo est forma expellens peccatum habituale, & consequenter est justificatio formalis. Resp. cum Haunoldo *l. 2. tr. 3. c. 1. n. 703.* neg. ant. licet enim defecto debeamus credere, quod DEUS defectè amantem redamet; quia id aliunde est revelatum: hoc tamen non exigit amor charitatis perfectæ ex sua natura; modò enim daretur revelatio de infinita bonitate, & amabilitate DEI, posset quis eum amare super

omnia, etsi revelatum non esset, quod DEUS taliter amantem redamaret. Imò puto, sanctos viros saepe de hoc non cogitare, & tamen DEUM intensissimè amare; licet id non semper faciant ex dictis. *n. 746. & seq.*

790. Ob. 5. Amans DEUM experitur; se, ratione hujus ipsius sui actus, amari à DEO plus, quam ipse amet DEUM: ergo experitur, reciprocum amorem DEI amabilem erga se: ergo hic datur, adeoque actus charitatis non stat cum inimicitia DEI. prob. ant. hic ipse actus, ab homine amantè elicited est donum gratiæ, à DEO collatum homini, ex amore ejusdem hominis: ergo, dum homo experitur, se amare DEUM, hoc ipso experitur, se recipere à DEO donum, ex reciproco hujus amore in se profectum, in quo plus DEUS ipsi dat, quam ipse DEO offerat (nam actus bonus magis est à DEO, quam ab homine) atqui conferre alicui donum ex amore, est ei velle bonum; adeoque eum amabiliter amare: ergo homo amans experitur, se à DEO amabiliter amari.

791. Resp. dist. ant. Amans DEUM experitur se plus amari à DEO, amore aliquo benevolentiae. conc. ant. amore amicitiae. neg. ant. & conf. ad prob. conc. primum enthymema. neg. subsumptum, præsertim quoad secundam partem. & nego quoque ultimam consequentiam. Etiam peccator, dum elicit actum attritionis supernaturalem, idem experitur; nam & hic actus est donum DEI, quod hic ex amore benevolentiae in hominem confert, quin amor ille DEI erga peccatorem sit amor amicitiae: sed tantum amor benevolentiae, qui tamen amor DEI erga nos æstimabilior est in se, quam amor nostrer quicunque erga DEUM.

Unde, si non aliunde haberemus notitiam de eo, quod DEUS diligentes se diligit amore amicitiae, certè non possemus ab experientia scire, quod DEUS elicientes actum charitatis vicissim amabiliter diligit: imò nec supposita illa notitia experimur, saltem non omnino certò, nos ita diligi à DEO; alias experiremur omnino certò, nos esse in statum gratiæ restitutos per actum contritionis, quod non est verum; neque enim absque speciali revelatione de hoc omnimodam certitudinem, sed duntaxat aliquam moralem, habere possumus.

792. Ob. 6. Amans DEUM eligit magis conjungi cum DEO, quam cum omnibus aliis: imò alia omnia præ DEO contemnit, & tradit se perfectè DEO, suamque felicitatem in eo collocat, ut DEUM æternum laudet, eique gratuletur &c. ergo, si talis non vicissim amaretur à DEO, atque ad visionem beatificam elevaretur, fieret infelix ex hoc ipso amore: ergo debet DEUS, talem hominem vicissim amabiliter diligere; sine qua dilectione ad visionem beatificam non elevaretur. prob. ultima conf. hunc amorem DEI dat ipse DEUS homini; quia est gratia DEI: sed repugnat, ut DEUS homini det amorem DEI, & homo ex hoc fiat infelix: ergo debet DEUS, talem hominem vicissim amabiliter amare. Hoc argumentum, ut rectè

rectè ait Haunoldus *l. 2. tr. 3. n. 708.* prolixitate, & elegantia verborum involvit fallaciam: addo: etiam involvit obscuritatem.

793. Resp. in forma. conc. ant. neg. conf. utramque. Inprimis, si homo nunquam esset elevandus ad eam visionem, non esset infelix ratione talis actus; quia hic eum non impediret, quo minus ad eam visionem pertingeret. Secundò, saltem nec adversarius dicere potest, hominem fore ratione hujus amoris infelicem, si non statim elevetur ad visionem, modò spem habeat, quò ad illam aliquando sit elevandus: sed, si DEUS etiam hominem non statim post elicium actum charitatis amabiliter amaret, dummodo tamen actus hic esset meritum de congruo visionis (sicut in peccatore est meritum de congruo gratiæ) jam posset homo concipere spem visionis beatificæ obtinendæ, maxime accedente Divina promissione; licet hanc promissionem actus hic non exigat; unde non deberet homo esse infelix, si non statim amabiliter amaretur: adeoque ex hoc capite non debet actus charitatis esse formalis justificatio. Ad prob. conc. præmissis, neg. conf. syllogismus nullo modo est in forma, ut cuique facile patet; cum inferatur in conclusione, quod nullo modo est positum in præmissis. Adde, hoc argumentum rectè retorqueri in actu spei, qui etiam datur à DEO homini: & hic vel maxime fit infelix, si re sperata excidat: sed non ratione actus spei, vi cujus homo non excidit bono sperato: sed ratione aliorum, qui ipsum impedierunt à consecutione boni sperati.

794. Ob. 7. Habitus charitatis formaliter justificat: ergo etiam actus charitatis. prob. conf. actus charitatis est nobilior habitu, tum quia actus est finis habitus, tum quia etiam est vitalis: ergo, si habitus justificat, multò magis justificat actus. Confir. 1. Qui elicit actum charitatis, ope omnipotentia extrinsecè applicatæ, sinè habitu, diligit DEUM ut amicus: ergo vicissim DEUS ipsum diligit ut amicus. Confir. 2. Si quis peccator eliceret actum charitatis, seu contritionem perfectam, & non reciperet gratiam, ac moreretur, tamen non spoliaretur visione beatifica: ergo formaliter esset justus per ipsum actum charitatis: sed si hic actus in eo casu formaliter justificaret, justificat etiam in aliis casibus; quia est semper ejusdem speciei, & potentia: ergo.

795. Resp. 1. om. ant. neg. conf. ad prob. neg. ant. actus est tantum finis qui habitus, seu opus ipsius, quod non debet esse nobilior suâ causâ, seu potentia. Aliud est, quòd fortè operans, seu utens habitu, qui est finis cui, seu in cujus bonum infunditur habitus, debeat esse nobilior isto: sed hoc non facit ad rem. Quod spectat ad vitalitatem, licet quoad hanc habitus sit inferior actu, tamen habitus actum excedit; quia est aliquid permanens, & insuper potest causare amorem beatificum, qui nimium quantum excedit amorem in via.

Resp. 2. neg. ant. Infunditur quidem habitus charitatis in justificatione, ac non est forma justificans: sicut etiam infunduntur habitus fidei, & spei, qui certò non justificant formaliter; cum possint manere, & actu maneat in peccatore. Forma justificans est gratia sanctificans, quæ ut diximus in tract. de grat. n. 266. est distincta ab habitu charitatis: quòd etiam tradit S. Thomas. 1. 2. q. 110. a. 3. in corp. & cum eo plurimi alii, qui omnes, teste Haunoldo. *l. 2. tr. 3. n. 709.* nobiscum negant, habitum charitatis formaliter justificare.

796. Ad 1. confir. neg. ant. attentè præcisè essentia actus charitatis; nam eliciens actum charitatis sinè habitu, vel etiam eliciens eum cum habitu (si DEUS non misericorditer promississet actui charitatis gratiam sanctificantem, vel non voluisset, hanc esse connexam cum habitu charitatis) diligeret DEUM, non ut amicus; quia non haberet proportionem in natura: sed tantum diligeret ut benevolus: nec tali amorì benevolentia necessariò deberet respondere amor amabilis DEI, præsertim si DEUS prius sit offensus, ut hinc ponitur; cum ponatur amans debere justificari, seu à peccato, & injustitia liberari; non enim statim, quando amat offendens, debet vicissim offensus redamare, nisi aliunde offensa tollatur.

Ad 2. confir. neg. ant. cum Tannero *tom. 2. disp. 6. q. 5. dub. 2. n. 47.* saltem, si talis donaretur visione beatifica, id non fieret ob exigentiam actus charitatis: sed deberet promissio DEI, vel alius favor accedere. In hac quidem providentia non relinquatur actus charitatis sinè gratia, sed hæc statim in eodem instanti infunditur; quia DEUS id promissit: in alia autem providentia posset DEUS, tali homini negare visionem beatificam; nec enim teneretur, eam illi conferre; nam actus charitatis, ab homine elicitus, non posset DEUM obligare. Si autem DEUS etiam pro eo statu vellet, eam visionem tali actui promittere; aut etiam independentem ab omni promissione eam liberaliter conferre, id non fieret ex exigentia actus charitatis, sed ex gratuita benignitate DEI.

797. Ob. 8. Posset homo post actum charitatis elicium statim mori, & tunc illi sinè habitu charitatis, aut gratia, statim conferri visio beatifica, ex qua mox oriretur amor beatificus: ergo per istum justificaretur: ergo etiam per actum charitatis in via, qui est ejusdem speciei cum amore in patria. Resp. dist. ant. posset tali morienti statim conferri visio, & inde oriri amor, in hac providentia. neg. ant. posset id fieri in alia providentia, & de absoluta DEI potentia. conc. ant. & om. 1. conf. neg. secundam. In hac providentia id fieri non potest; quia in ista providentia elicienti actum charitatis statim confertur gratia habitualis, quæ est unica causa formalis justificationis in hac providentia: & cum hac confertur quoque habitus charitatis, qui dein permanet etiam

An Actus Charitatis formaliter justificet.

am in cælo, & influit in amorem beatificum.

798. Quòd autem de absoluta DEI potentia possit sinè gratia, & habitu charitatis, statim conferri visio, & ex hac oriri amor beatificus, non quidem apparet implicancia (si aliqua sit, faciliò est solutio argumenti obiecti) interim tamen non est certum, quòd in eo casu visio, vel amor beatificus, formaliter justificaret: certè Tannerus *tom. 2. disp. 1. q. 3. dub. 3. n. 25.* negat, visionem beatificam esse formalem justificationem, aut impossibilem cum peccato (quod quidem videtur utcumque posse dici de peccato habituali, at non de actuali.) & *disp. 6. q. 5. dub. 2. n. 46.* idem negat de amore beatifico; hinc superius omisi primam consequentiam.

Sed, licet omittatur, quòd in alia providentia visio beatifica esset aliqua forma, de se potens, expellere peccatum, & aliquo modo justificare, ideo hæc prerogativa ei esset attribuenda; quia ex genere suo est maxima creaturæ similitudo cum DEO, ut docemur 1. *Joan. 3. v. 2. Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est:* item est hæreditas filiorum DEI, est revelatio faciei Divinæ, atque admissio intima ad aliquam quasi familiaritatem cum DEO: adeoque saltem naturaliter non potest stare cum inimicitia DEI, sed hoc ipso, quòd DEUS eam conferat, saltem si connaturaliter agere vult, cedit jure suo, si quod habuit, ad inimicitiam.

799. Pariter amor beatificus etiam facilius dici potest aliqua justificatio, pro alia providentia, saltem si sumatur reduplicativè ut beatificus; nam ut talis supponit essentialiter visionem beatificam, & certitu-

dinem summam de hac non amittenda (aliàs enim non esset beatificus, seu plenè satiatus) sic autem acceptus est intima, & perpetua fruitio DEI, & torrens ille voluptatis, de quo psalmista ait: *psal. 35. v. 9. Torrente voluptatis tua potabis eos:* est etiam hæreditas filiorum DEI &c. quæ naturaliter saltem non videntur posse stare cum inimicitia DEI. Potest tamen fore responderi, amorem beatificum ita consideratum, cum semper supponat visionem, etiam semper supponere justificationem, adeoque tantum esse justificationem arguivè talem, saltem quoad actum secundum: quamvis in actu primo sufficientiam ad formaliter justificandum haberet, nisi semper ab alia justificatione præveniretur.

800. Econtra verò actus charitatis in via nullum habet simile prædicatum, ex quo similiter inferatur, eum ex natura sua impossibilem esse cum peccato habituali, & ex eadem natura sua exigere redamationem amicabilem DEI: imò videtur, ex nostris rationibus positivè probatum esse, quòd ipsi hæc ex natura sua minimè conveniant. Neque etiam amor beatificus reduplicativè sumptus (quidquid sit de eo specificativè tantum accepto) est ejusdem speciei cum amore in via; quia essentialiter præsupponit visionem beatificam, & ratione hujus ita præsuppositæ, etiam in consideratione Theologica, vel maxime differt ab actu charitatis in via. Finiamus tandem totum de virtutibus Theologicis tractatum illa Ecclesiæ oratione ad DEUM *Dom. 13. post Pentecosten: Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum: & ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis.*



INDEX.

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

In Tractatu de Virtutibus Theologicis.

DISPUTATIO I.

De Virtutibus Theologicis in genere. Num 2.

QUÆSTIO Unica.

De essentia Virtutum Theologicarum, atque Moralium.

Art. I. Quale sit Objectum formale Virtutis Theologica. 3

Art. II. Solvuntur Objectiones. 9

Art. III. An etiam dentur Virtutes Morales infusæ. 21

Art. IV. Solvuntur Objectiones. 30

DISPUTATIO II.

De Objecto Formali Divinæ Fidei. 32

QUÆSTIO I.

De Infallibilitate DEI.

Art. I. An Fides Divina debeat habere objectum formale infallibile. 33

Art. II. Solvuntur Objectiones. 41

Art. III. An DEUS possit fallere, vel falli. 52

Art. IV. Solvuntur Objectiones. 59

Art. V. Solvuntur reliquæ Objectiones. 78

Art. VI. An DEUS possit patrare, vel saltem permittere miracula in testimonium falsitatis. 89

Art. VII. Solvuntur Objectiones. 94

QUÆSTIO II.

De Objecto Formali Fidei Increato.

Art. I. Quodnam sit objectum formale increatum Divinæ Fidei. 103

Art. II. Solvuntur Objectiones. 114

QUÆSTIO III.

De Objecto Formali Fidei Creato.

Art. I. An Revelatio externa sit Objectum Formale Fidei. 127

Art. II. Solvuntur Objectiones. 133

Art. III. An etiam Revelatio privata possit esse Objectum formale fidei. 142

Art. IV. Solvuntur Objectiones. 147

QUÆSTIO IV.

De Ultimo Fidei Resolutorio.

Art. I. Quodnam sit ultimum Resolutorium Fidei Divinæ. 154

Art. II. Solvuntur Objectiones. 162

DISPUTATIO III.

De Applicatione Objecti Formalis Fidei. Num. 175

QUÆSTIO I.

De variis Regulis applicantibus Verbum DEI.

Art. I. An Sacra Biblia sola sufficienter applicet Verbum DEI. 176

Art. II. Solvuntur Objectiones. 186

Art. III. An Traditio sufficienter applicet Verbum DEI. 193

Art. IV. Solvuntur Objectiones. 198

Art. V. An Spiritus privatus sufficienter applicet Verbum DEI. 207

Art. VI. Solvuntur Objectiones. 212

QUÆSTIO II.

De Ecclesia, & Signis Credibilitatis.

Art. I. An detur aliqua vera Religio, vel Ecclesia in mundo. 218

Art. II. Solvuntur Objectiones. 222

Art. III. An Religio Christiana sit præ aliis credibilis. 224

Art. IV. Alia probationes ejusdem conclusionis. 232

Art. V. Ulteriores probationes ejusdem conclusionis. 238

Art. VI. Ultima probatio conclusionis. 246

Art. VII. An Religio Christiana sit præ omnibus aliis credenda. 251

Art. VIII. An inter varias Religiones Christianas liceat pro libitu quamlibet amplecti. 258

Art. IX. An præ omnibus aliis scètis Christianis sola Catholica Religio sit credibilis. 262

Art. X. Ulteriores probationes hujus conclusionis. 269

Art. XI. Solvuntur Objectiones. 277

QUÆSTIO III.

De Ecclesia Proprietatibus.

Art. I. An Ecclesia vera debeat esse semper visibilis. 286

Art. II. Quinam sint membra Ecclesia. 294

Art. III. An Ecclesia sit infallibilis regula fidei. 306

Art. IV. Solvuntur Objectiones. 310

Art. V. Quanam Propositio, vel Definitio

nitio Ecclesie sit infallibilis regula credendi. 322

Art. VI. Solvuntur Objectiones. 331

Art. VII. Solvuntur reliquæ Objectiones. 343

Art. VIII. An etiam Definitio Pontificis extra Concilium infallibiliter applicet Verbum DEI. 352

Art. IX. Solvuntur Objectiones. 360

Art. X. An infallibiles sint Definitiones Pontificis ante consensum Ecclesie. 372

Art. XI. Solvuntur Objectiones. 379

Art. XII. Ostenditur Pontificis definitionibus male imputari errores. 382

Art. XIII. An Honorius I. lapsus sit in heresim. 388

Art. XIV. An Pontifex sit infallibilis in questionibus facti, & damnationibus propositionum. 393

Art. XV. An legitima sit Appellatio à Pontifice ad Concilium Generale. 403

Art. XVI. Solvuntur Objectiones. 415

Art. XVII. An sit de fide modernum SS. D. Clementem XII. esse verum summum Pontificem. 421

Art. XVIII. Solvuntur Objectiones. 426

Art. XIX. An Definitio Ecclesie sit Verbum DEI strictè dictum. 443

Art. XX. Solvuntur Objectiones. 450

QUÆSTIO IV.

De Actibus Præviis ad Fidem.

Art. I. An actum fidei precedere p. sit, vel debeat evidentiæ in attestante. 459

Art. II. Solvuntur Objectiones contra 1. conclusionem. 464

Art. III. Solvuntur Objectiones contra reliquas conclusiones. 471

Art. IV. Quale judicium credibilitatis precedere debeat actum fidei. 487

Art. V. Solvuntur Objectiones. 505

Art. VI. Solvuntur reliquæ Objectiones. 516

Art. VII. Quid sit Pia Affectio, & an sit necessaria. 526

DISPUTATIO IV.

De Objecto Materiali Fidei. 531

QUÆSTIO I.

De Objecto Materiali Fidei in Genere.

Art. I. An, & qua implicite revelata sint objectum materiale fidei. 532

Art. II. Solvuntur Objectiones. 560

Art. III. An fides sit discursiva. 581

QUÆSTIO II.

De Objectis Materialibus Fidei in Specie.

Art. I. Quæ sint credenda necessitate medii, vel præcepti. 595

Art. II. Solvuntur Objectiones. 613

Art. III. Solvuntur reliquæ Objectiones. 629

QUÆSTIO III.

De Externa Confessione Fidei.

Art. I. An, & quando necessaria sit confessio externa fidei. 635

Art. II. Solvuntur Objectiones. 649

DISPUTATIO V.

De Proprietatibus Actus Fidei. 657

QUÆSTIO I.

De Certitudine Actus fidei.

Art. I. An, & quam certus sit actus Fidei. 658

Art. II. Solvuntur Objectiones. 666

QUÆSTIO II.

De Supernaturalitate Actus Fidei.

Art. I. An habitus, & actus fidei, itémque prævia Pia Affectio, & alia ad fidem requisita, sint supernaturalia. 676

Art. II. Solvuntur Objectiones. 689

Art. III. Quomodo Habitus Fidei se habeat ad Gratiâ sanctificantem. 701

Art. IV. Solvuntur Objectiones. 705

QUÆSTIO III.

De Subjecto Habitus Fidei.

Art. I. In quibus subjectis detur habitus fidei, spei, & Charitatis. 709

Art. II. Solvuntur Objectiones. 720

DISPUTATIO VI.

De Spe, & Charitate Theologica. 722

QUÆSTIO I.

De Objecto Materiali, & Formali, ac Proprietatibus Spei.

Art. I. Quid sit Spes, & quam certa: quoque objectum materiale, & formale ejusdem. 723

Art. II. Solvuntur Objectiones. 734

QUÆSTIO II.

De Objecto Materiali, & Formali, ac Proprietatibus Charitatis.

Art. I. Quid sit Caritas, & quodejus Objectum materiale, & Formale, & an detur Amicitia inter DEUM, & hominem. 745

Art. II. Solvuntur Objectiones. 755

Art. III. An habitus Charitatis augeatur etiam per actus remissos. 766

Art. IV. An Actus Charitatis formaliter justificet. 775

Art. V. Solvuntur Objectiones. 782

